Gte 3e 2a
Indt
Vol 1o

R.P.F. THOMÆ

MALVENDA

SETABITANI

ORD. PRÆDICATORVM

Sacræ Theologiæ Magiſtri,


DE

ANTICHRISTO,

TOMVS PRIMVS.

IN QVO ANTICHRISTI PRÆCVRSORES, ADVENTVS,
Ortus, ſigna, regnum, bella & monarchia enumerantur; Sacræ Scripturæ oracula enodantur, & Patrum auctoritates cum Hiſtoriæ veritate conciliantur.

Opus multiplici peramœnáque doctrinæ varietate refertum, & ſuis Indicibus locupletatum.




LVGDVNI,
Sumptibus Societatis Bibliopolarum.

M. DC. XLVII.

Cum Approbatione, & permiſſu Superiorum.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA



BEATISSIMO
ET
SANCTISSIMO
PATRI D.N.
INNOCENTIO
Decimo
PONTIFICI MAXIMO.

INAVSPICATVM Officij genus, & parum, vt prouerbio dicam, ἀπὸ πόδα videri posſit, quod ad Sacroſanctæ illius, qua tam augustus emines, Majestatis Apostolica vestigia cum debito venerationis osculo deferatur, quicquid istud est quod meo simul & Religionis, cui Sanctitas tua indulsit vt præessem, nomine, aduoluere illis venerabundus aggrediar. Vicarióne Christi scilicet *Antichristum, suis hîc notis expressum, exhiberi!* Hominem peccati, *qui tam execrandi nominis characterem vniuersitate ipsa scelerum exprimat, Innocentio aduolui! qui tam sancti schematis tam auspicatum omen tantò feliciùs factis ipsis & moribus implere se declaret, quantò dignius esse sui Symbolum, Nazianzeno, monente intelligit, vt se in Christiani Orbis oculis ἀνταγωνιςῶ κακίας, exhibeat!* Filium perditionis, *tam immaniter perditurum ceteros, & tam infeliciter periturum, Christianorum Parenti, & salutis Oeconomo! tam sollicitè, ne vel vna ouium, quas pascendas iustitiæ Sanctuario, accepit, pereat, satagenti!* Mysterium iniquitatis, *diuini iuris Antistiti, νόμων ἱερατικῶν ἐκφάντορι, legum Nomophylaci Sanctiorum, quæ vel iustos faciant, vel coronent.* Et iniquum illum quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, *velut eorum, operante Sathana, seductorem*, qui Charitatem Veritatis non receperunt vt salui fierent, *Veritatis ipsius Oraculo ac Interpreti fidei, quem diuini oris afflatu ab errore immunem ipse fecit, vt vel ex ipsis errorum & hæresum faucibus ad salutem reuocet pereun-*

 tes!

tes! Apostatam illum denique perduellem, ostendentem se quasi sit Deus; ὅτι θεός ἐστι, *iactantem, & seipsum* supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, *extollentem, Apostolici non magis Principatus & dignitatis, quàm Spiritus & pietatis hæredi! qui nec aliâ magis authoritatis notâ, quàm solo ipso diuini famulatus obsequio, diuinitus concessum sibi Principatum illum Oecumenicum constare sentiat; nec alio insigniori vllo, quàm vel* Serui Seruorum Dei, *Symbolo sincerè glorietur. Hunc, inquam, tam sensui tuo dissentaneum, & eò magis aduersum tibi, quo & auersum à Christo magis, tuæ tamen sisti nunc à me Sanctitati! Sed enim non iam, Beatissime Pater, superbientem illum ac rebellem, & Christianis, vt in illas tam ferociter sæuiat, ceruicibus imminentem, quem Sanctitatis ipsius tuæ auersi oculi suo indignum aspectu exhorrescant; sed ipsa Christi virtute dejectum, prostratum, triumphatum, sub fidelium pedibus, cum suo Principe Sathana, contritum & calcatum inspicis exhiberi; quo nullum eos dignius gratiúsque spectaculum pascat, oblectet, afficiat. Non ad alios vtique pedes prosterni sic triumphatus debuit, quàm quibus & substerni gestiant triumphantes; Non aliis, primùm oculis exhiberi oportuit sic deiectum, quàm cuius animum intimiori sensu afficere deiectio illa debeat; Non sub alio sic prostratus arbitrio, cuius & sententiam subeat, collocari, quàm cui summum in terris de impietate iudicium, vt ipsam* εὐσεβείας μετρόπολιν *insidenti, arbitratu diuino delatum est. Ac debuit equidem tantò magis, quòd anticipatus hic ipse de communi Christianorum aduersario triumphus, eius Ordinis labor est, quem peculiari nomine suum Sanctitatis tuæ benignitas in illum tanta fecit; & eius viri ex illo eodem Ordine monumentum, qui non tam Ecclesiæ militans quàm triumphans, in ipso tot similium certaminum æstu vix non oppressus inter palmas occubuit, nisi & glorioſiùs adhuc viuit; & quod caput est, ex tumulo ipso tam gloriosè defuncti mea ipsius manu defertur, cui nec superſit ac sufficiat animus, vt siue mihi priuatim, siue vniuersim Religioni, quæ per me istud offert, exhibita beneficia sentiam, prædicem, & quà meis, quà meorum omnium, singularibus obsequiis agnoscere me, toti cui præs Orbi, profitear,*

BEATISSIME PATER,

Sanctitati tuæ

Deuotissimus & obsequentissimus filius F. Thomas Turcus Ordinis Prædicatorum Generalis Magister.

APPROBATIO DOCTORVM.

PRodeant in lucem Opera omnia R. P. F. Thomæ Maluenda Setabitani Ordinis Prædicatorum ſacræ Theologiæ Magiſtri: in quibus nos infrà ſcripti eiuſdem Theologiæ profeſſores nihil Fidei Orthodoxæ contrarium animaduertimus; Lugduni die octaua Nouembris anno 1646.

F. Claudius Cochet.

F. P. Iammy.

CONSENSVS.

LIbrum cui titulus R. P. F. Thomæ Maluenda de Antichriſto, *&c. typis mandari ſumptibus Societatis Bibliopolarum Lugdunenſium, Ego Regis in præfectura Lugdunenſi Procurator non impedio. Datum Lugduni 9. Nouembris*, 1646.

LORIN.

PERMISSVS.

VIſo Procuratoris Regis conſenſu, fiat vt petitur: & ne alius vltra conceſſam facultatem hunc Librum denuò excudat, defendimus. Die 9. Nouembris, 1646.

SEVE.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM

Tomi primi de Antichristo.

ARGVMENTVM OPERIS.

Ex Paulo, 2. Thessalonicensium 2.

Sententiæ Patrum de Antichristo, pag. 1.

DE ANTICHRISTO

Liber primus.

CAP. I. SCRIPTORES rerum Antichristi Græci. 2
II. Latini. 4
III. Recentiores. 7
IV. Sibylla, S. Victorinus Martyr. S. Thomas Aquinas, Hebræi. 8
V. Græcum Antichristi nomen. 10
VI. Antichristus propriè significat contrarium, aduersarium Christo. 12
VII. Hebraïcum Antichristi nomen. 14
VIII. Antichristum futurum vnum certum, & singularem hominem: & non thronum aliquem, aut successionem Principum in vno Imperio, Christo aduersantium. 16
Insignes aliquot Antichristi typi, & præcursores. 18
IX. Antiochus Epiphanes. ibid.
X. Herodes Antipatris filius. 21
XI. Herodiani qui? 22
XII. Simon Magus. 25
XIII. Dositheus. 27
XIV. Barchozba. 28
XV. Impostores alij qui se Christos mentiti sunt. 31
XVI. Aliorum Pseudo-Christorum exempla horrenda. 32
XVII. Apollonius Tyaneus. 34
XVIII. Iulianus Apostata. 38
XIX. Arius Hæresiarcha. 42
XX. Romanum Pontificem, aut Pontificatum non esse Antichristum, nec Antichristi præcursorem. 44
XXI. An Nero Romanus Imperator futurus sit Antichristus. 48
XXII. Elucidantur verba 2. Thessal. 2. vers. 7. *Nam mysterium iam operatur iniquitatis.* 51
XXIII. Num *mysterium iniquitatis*, Neronem Paulus intellexerit. 53
XXIV. An Mahometes verus fuerit Antichristus. 54
XXV. Mahometem non fuisse verum Antichristum. 59
XXVI. Martinus Lutherus à quibusdam creditus verus Antichristus. 60

LIBER II.

De tempore aduentus Antichristi.

CAP. I. RAtiones diuersæ annorum ab orbe condito ad Christum. 64
II. Græcos & Latinos Patres variè annotasse annos ab ortu mundi ad Natalem Christi. 65
III. In ratione annorum ab orbe condito ad Diluuium, quæ ponitur Gen. 5. magnopere discrepare Septuaginta Interpretum translationem ab Hebraïca veritate, & Vulgata Latina Editione. 68
IV. In Chronologia à Diluuio ad ortum Abrahæ Genes. 11. descripta plurimùm dissentire LXX. Interpretum versionem

Index Librorum.

à Fonte Hebraïco, & Latina Vulgata. 70

V. LXX. Interpretum authoritatem, cum aliis rebus, tum in rationibus annorum ab Adam ad Diluuium, & à Diluuio ad Abraham, magni olim in Eccleſia factam. 74

VI. Negari non poſſe LXX. Interpretum Editionem in multis & olim fuiſſe, & nunc etiam eſſe deprauatam. 75

VII. In Annorum numeris à mundi conditu ad Diluuium, & à Diluuio ad Abrahamum Geneſ. 5. & 11. deprauatam eſſe LXX. Seniorum interpretationem aſſerunt Patres. 77

VIII. In annorum enumeratione ab Adam ad Diluuium, Gen. 5. & à Diluuio ad Abraham, Geneſ. 11. potiùs ſtandum Hebraïcæ Veritati, & Vulgatæ Editioni Latinæ, quàm LXX. Interpretum tranſlationi. 80

IX. Vnde, aut quando orta LXX. Seniorum Editionis, cùm in annorum rationibus, tum in aliis deprauatio. 82

X. Prima difficultas de generatione ſecundi Cainan. 83

XI. Secunda difficultas de ortu Abrahæ. 87

XII. Tertia difficultas, De annis quibus Iſraëlitæ manſerunt in Ægypto. ibidem.

XIII. Quarta difficultas, De Interuallo ab Exodo ad fabricam Templi Salomonici. 91

XIV. Quinta difficultas à Templi conditu, ad eiuſdem, & Sedechiæ caſum. 92

XV. Sexta difficultas de 70. annis deſolationis Templi, & vrbis Ieruſalem. 93

XVI. Septima difficultas vbi ſit figendum initium 70. hebdomadum Danielis 95

XVII. Octaua difficultas, Anni Hebdomadum fuerintne ſolares an Lunares. 97

XVIII. Nona difficultas, de termino ſeptuaginta hebdomadum. 99

XIX. Recentiorum ſummæ diuerſæ annorum à mundi conditu ad Chriſtum. 100

XX. Num certò ſciri poſſit annorum numerus à creatione mundi ad Chriſti natalem. 101

XXI. Hebræorum traditio non niſi ſex mille annis mundum ſtaturum. 102

XXII. Mundum ſpatio tantùm ſex millium annorum duraturum plerique Patres exiſtimaſſe videntur. 103

XXIII. Iudicium de ſententia Patrum & Hebræorum, qua volunt mundi totam ætatem non niſi ſex millium annorum eſſe. 105

XXIV. Audaces aliæ de mundi duratione ſententiæ. 106

XXVI. Explicantur Septuaginta Interpretes. 110

XXVII. Iam ipſo Apoſtolorum tempore de fine mundi, & Antichriſto inſtante à quibuſdam trepidatum. 113

XXVIII. Patres aliquos variis occaſionibus interdiu ſuſpicatos ſuo tempore iam proximè adeſſe Antichriſtum, & mundi conſummationem. 115

XXIX. Ineptæ aliorum aſſertiones de tempore aduentus Antichriſti, & mundanæ conſummationis. 118

XXX. Sententiæ S. Vincentij Ferrerij de tempore aduentus Antichriſti, & mundi conſummationis explicatur. 119

XXXI. Antichriſtum non venturum niſi propè finem ſæculi. 121

XXXII. Certum tempus Antichriſti aduentus, & conſummationis ſæculi, eſſe hominibus prorſus incognitum. 122

XXXIII. Explicatur locus inſignis quo apud Matthæum, & Marcum Chriſtus ait: *De Die autem illo vel hora, nemo ſcit neque Angeli in cælo, neque Filius niſi ſolus Pater.* 123

LIBER III.

De ortu & initiis Antichriſti.

CAP. I. FAlſæ quædam de Antichriſti generatione opiniones. 128

II. Vera & veriſimilia de Ortu Antichriſti. 130

III. Num Antichriſtus generandus ſit opera Dæmonij incubi. 131

IV. Clari aliquot apud Gentiles viri, quos proditum & creditum eſt diis, hoc eſt, Incubis Dæmoniis genitos. 134

V. Antichriſtum ex Iudæis oriturum. 138.

VI. Antichriſtum ex Tribu Dan naſciturum. 140

VII. Exponitur vaticinium Iacob. Geneſ. 49. verſic. 17. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò, Salutare tuum expectabo Domine.* 143.

VIII. Exponitur locus Ieremiæ 8. verſic. 16. *A Dan auditus eſt fremitus equorum eius, à voce hinnituum pugnatorum eius, commota eſt omnis terra. Et venerunt, & deuorauerunt terram, & plenitudinem eius, vrbem, & habitatores eius.* 150

IX. Cur S. Ioannes Apocalypſis 7. enumerans Tribus Iſraël, omiſerit Tribum Dan. 155

X. Quàm certum ſit Antichriſtum naſciturum ex Tribu Dan. 156

XI. Iudæos ſeruare in Babylonia falſam & ementitam ſucceſſionem Principum tribus Iudæ, & ſtirpis Dauidicæ, ex qua falſum ſuum Meſſiam expectant: cùm tamen recepturi ſint verum Antichriſtum, natum ex Tribu Dan. 158.

XII. Antichriſtum Babylone naſciturum. 162

XIII. Antichriſti patria Chaldaïca Bablyon, non verò Roma. 516

XIV. De

Index Librorum.

XIV. De eadem Babylone. 168
XV. Quis Babylonis conditor. 169
XVI. Babylon Ægyptia. 171
XVII. Babylon Roma. 173
XVIII. Chaldaïcæ Babylonis varii casus ac status per multa sæcula ad hanc vsque nostram ætatem. 175
XIX. Eadem de re. 178
XX. Caliphatus Baldach, seu Begded, quandiu steterit: & num Bagded sit Babylonia, vel Seleucia. 179
XXI. Status Babylonis nostra ætate. 182
XXII. Explicantur vaticinia Isaïæ & Ieremiæ de sempiterna vastitate Chaldaïcæ Babylonis. 183
XXIII. Infantia, pueritia, educatio Antichristi. 186
XXIV. Antichristus num sit habiturus Angelum custodem. 188
XXV. Locus vbi educandus est Antichristus. 109
XXVI. Studia, disciplinæ, artes, & vitæ ratio Antichristi in adolescentia. 192.

LIBER IV.

De prædicatione Euangelij in toto orbe, quod est signum aduentus Antichristi.

CAP. I. SEntentiæ Patrum, Apostolorum temporibus Euangelium fuisse iam in toto orbe prædicatum. 194
II. Ecclesiæ quibusdam Apostolis adhuc viuentibus, & Dei Genitrici etiam in humanis agenti erectæ. 195
III. Diuersæ Patrum assertiones, non fuisse Apostolorum tempore prædicatum Euangelium in toto Orbe. 197
IV. Patrum Sententiæ existimantium post Apostolorum ætatem, variis deinceps temporibus Euangelium iam fuisse in toto orbe prædicatum. 198

In Europa.

V. Aduentus & prædicatio sancti Iacobi Zebedæi filij in Hispania. 202
VI. Paulum Apostolum in Hispania prædicasse. 206
VII. Aliæ Europæ regiones. 208
VIII. Asia. 212
IX. Recentiora de Christiana religione per Asiam propagata. 215
X. De Christianis Indiæ Orientalis. 220
XI. De Presbytero Ioanne olim Christiano rege in India seu Oriente. 226
XII. Africa. 228
XIII. De Christiano Imperio Abyssinorum Æthiopum. 230
XIV. Generales probationes quòd in toto veteri orbe, à Christi Ascensione ad hæc vsque nostra tempora, sit iam prædicatum Christi Euangelium. 235
XV. De magno Imperio Sinarum. 237
XVI. Num in Sinarum regione ante annum Domini M. D. aliquando prædicatum fuerit Euangelium. 239
XVII. Exponitur oraculum Isaïæ de Sinarum conuersione ad fidem Christi aliquando futura. 245
XVIII. Explicatur aliud Isaïæ vaticinium de Indorum, & Sinarum ad Christianam religionem accessione. 245
XIX. Verba Isaïæ 18. 1. de Conuersione Indorum Orientalium, & Sinarum ad Fidem expenduntur. 248
XX. Sequentia eiusdem Isaïæ Oraculi verba elucidantur. 253
XXI. Elucidatur locus Sophoniæ 3. 10. *Vltra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filij dispersorum meorum deferent munus mihi.* 257
XXIII. Antipodes esse. 263
XXIV. Vniuersum Oceanum nauigari. 265
XXV. De nouo Orbe Occiduo. 268
XXVI. Num noui Orbis aliquam notitiam Antiqui habuerint. 271
XXVII. Exponitur Abdiæ vaticinium de nouo Orbe. 276
XXVIII. Num gentes noui Orbis Occidui fuerint magna ex parte ex Iudæis decem Tribuum Israëliticarum in Oriente deperditarum propagatæ. 281
XXIX. An Ophir terra in Scriptura celebrata sit aliqua noui Orbis Colonij regio. 282
XXX. Aliæ opiniones de Ophir. 283
XXXI. Quæ Scriptura Sacra de Ophir tradit, expenduntur. 285
XXXII. Quæ importaret Ophirica nauigatio. 289
XXXIII. Ligna Thyina. 290
XXXIV. Dentes elephantorum, simiæ, paui. 295
XXXV. Ophir esse regionem Indiæ Orientalis. 298
XXXVI. Pretiosas merces quas Ophirica nauigatio importabat, optimè conuenire iis terris Indiæ, quas tunc naues Salomonis nauigasse diximus. 301
XXXVII. Dissoluuntur argumenta quòd Ophir sit Peru, cap. 29. posita. 504
XXXVIII. Num in nouo Orbe Occiduo, ante eius apertionem per Colonum, vllibi aliquando prædicatum fuerit Christi Euangelium. 306
XXXIX. Nondum hoc nostro tempore prædi

Index Librorum.

prædicatum iam esse Euangelium in toto simpliciter orbe terrarum. 308

XL. Exponuntur verba Psalmi 18. 5. *In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines Orbis terræ verba eorum.* 310

XLI. Apologia pro LXX. Interpretum translatione, & Editione Vulgata. 314

XLII. Explicatur LXX. & nostri Vulgati sensus. ibid.

XLIII. Elucidantur verba Pauli Romanor. 10. versic. 18. *Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* 316

XLIV. Dissoluuntur duo alia argumenta cap. 1. superiùs adducta, pro prædicatione Apostolorum in toto Orbe. 318.

XLV. Explicantur verba Christi Matth. 24. versic. 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso Orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* ibid.

XLVI. Traditio Patrum, prædicationem Euangelij in toto terrarum orbe certum esse signum proximè aduenientis Antichristi, & mundi finis. 322

XLVII. Elucidatur magis id signum, simúlque disquiritur, Num omnes gentes ante Antichristi aduentum, & finem mundi credituræ sint Euangelio. 323.

LIBER V.

De altero signo anteceſſuro Antichriſtum, quod erit Romani Imperij desolatio.

CAP. I. VAticinia Ioannis Apostoli de mystica Babylone. 327

II. Auctores qui Babylonem in Apocalypsi cœtum impiorum, seu ciuitatem Diaboli interpretantur. 328

III. Non esse repudiandam multorum interpretationem, Ioannem Babylonis nomine cœtum impiorum intellexisse. 330

IV. Existimarunt alij Babylonem Apocalypsis esse vrbem Romam. 333

V. Oracula Ioannis de mystica Babylone non nisi in Romam ethnicam, & impiam conuenire. 336

VI. Elucidantur adhuc alia quæ Ioannes de Roma ethnica perscribit. 340

VII. Quorumdam opinio, Romam circa extrema mundi tempora à Christiana Fide, & suo Pontifice defecturam: ad antiquam potentiam, opes, magnitudinem, Imperium orbis, atque etiam ad Ethnicismum, & persecutiones Ecclesiæ redituram: ac demum incendio, & perenni excidio perituram. 348

VIII. Auctores præfatæ opinionis, de eáque iudicium. 350

IX. Oracula Apocalypsis de excidio Babylonis, id est, Romæ, posse rectè exponi de cladibus & euersionibus vrbis & Imperij Romani, sub Alarico, Geiserico, Odoacre, Totila, Attila, & aliis Barbaris Regibus. 353

X. Eadem expositio perducitur & illustratur. 357

XI. Eiusdem adhuc explanationis continuatio, & alij Romæ casus. 363

XII. Alia oraculorum Ioannis de Babylone, id est Roma, expositio expenditur. 368.

XIII. Quæ Ethnici crediderint de æternitate vrbis Romæ, & Romani Imperij. 369.

XIV. Selecta quædam & recondita ex ethnicis authoribus de Roma, quæ in Romanam Ecclesiam potiùs conueniant. 376

XV. De eisdem. 381

XVI. Magnitudo, amplitudo, status, inclinatio, casus Imperij Romani breuiter describuntur. 386

XVII. Successio Romanorum Imperatorum ab Augusto ad Matthiam, qui nunc imperat. 389

XVIII. Consensus Patrum, Non venturum Antichristum nisi priùs euersum, & abolitum fuerit Romanum Imperium: atque id esse signum aduentus Antichristi. 393

XIX. Elucidatur locus insignis Pauli 2. Thessal 2. vers. 6. *Et omne quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore: tantùm vt qui tenet nunc teneat donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille Iniquus.* 398

XX. Qua ratione intelligenda sit Pauli, patrumque assertio priùs delendum esse imperium Romanum quàm veniat Antichristus. 401

XXI. Sensum Apostoli Pauli & Patrum esse: Quamprimum extinctum & deletum fuerit Romanum Imperium statim, nulla grandi mora interposita venturum Antichristum. 402

XXII. Traditio Sanctorum Patrum & Recentiorum, circa finem sæculi decem Reges in Orbe futuros, qui funditus destruent & euertent Romanum Imperium, ac inter se partientur, quorum tempore venturus est Antichristus, qui debellatis ac deletis tribus ex illis Regibus, reliquos septem suo subiugabit Imperio. 408

XXIII. Vaticinium Danielis cap. 2. de decem futuris in Orbe Regibus quum veniet

Index Librorum.

niet' Antichriſtus. 412

XXIV. Aliud Danielis cap. 7. de eiſdem decem Regib. oraculum. 415

XXV. Explicatur locus Apocalypſis 12. 3. de Dracone magno, rufo, habente capita ſeptem & cornua decem. 422.

XXVI. Beſtiam primam aſcendentem de mari Apocalyp. 13. verſu 1. & ſeqq. deſcriptam eſſe ipſum Antichriſtum. 423

XXVII. Quàm certum ſit Beſtiam illam primam aſcendentem de mari, Apocal. 13. eſſe Antichriſtum: & num ea beſtia Romanum Imperium ſignificauerit. 429

XXVIII. Elucidatur alter ex Apocal. 17. locus planè abſtruſiſſimus. 433

XXIX. Eiuſdem obſcuriſſimi oraculi aliæ interpretationes. 437

XXX. Quinam ſint decem illi Reges quos Ioannes Apoc. 17. v. 3. 7. 12. 13. 14. 16. 17. deſcribit. 441

XXXI. Qua ratione intelligenda ſit illa Scripturæ & Patrum aſſertio de decem Regibus in Orbe futuris ſub aduentum Antichriſti. 445

XXXII. Exponitur locus Pauli 2. Theſſal. 2. verſ. 3. *Niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, &c.* 449.

LIBER VI.

De regno, bellis, & monarchia Antichriſti.

ANtichriſtum non venturum ex Italia, neque inde regnum auſpicaturum: locúſque inſignis ex Numeris elucidatur. 453

CAP. I. Quid ſint in Scriptura *Tzim*, vel *Tzijm*. 454.

II. Quid ſint in Sacris Litteris *Chithim*, vel *Chithiim*. 457

III. Hebræi vnde vidi. 461

IV. Vaticinij Balaami Numerorum 24. v. 24. variæ explanationes. 463

V. Explicatur locus Danielis 11. verſ. 29. & 30. *Statuto tempore reuertetur, & veniet ad Auſtrum & non erit priori ſimile nouiſſimum. Et venient ſuper eum trieres, & Romani: & percutietur, & reuertetur, & indignabitur contra Teſtamentum Sanctuarij, &c.* 467

VI. Antichriſtum in Babylone Chaldaïca regnum inchoaturum. 470

VII. Elucidatur Oraculum Zachariæ 5. v. 11. *Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ei ſuper baſem ſuam.* 474

VIII. Primordia manifeſtationis & regni Antichriſti. 477

IX. Plures qui ex infimo & obſcuro loco in regni faſtigium euaſcere, vti Antichriſtus. 479

X. Vaticinium Danielis 7. verſ. 8. *Et ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum, &* verſ. 24. *& alius* (rex) *conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus.* De initiis regni Antichriſti. 482

XI. Aliud oraculum de initiis regni Antichriſti. 483

XII. Oraculum Apocalypſis de primordiis regni Antichriſti. 488

XIII. De immani & prodigioſa marinarum beluarum magnitudine & forma, Excurſus. 491

XIV. Elucidantur verba Ioannis Apocal. 13. 1. de Beſtia accedente de mari, id eſt Antichriſto. 494

XV. Danielis vaticinia de Antichriſti præliis, quibus initio regni ſui debellaturus eſt tres reges, nimirum regem Ægypti, regem Libyæ, & regem Æthiopiæ. 497

XVI. Perducitur explanatio eorumdem vaticiniorum Danielis. 501

XVII. Quid *Lubim* in Scriptura. 503

XVIII. Chus, ſeu Æthiopia. 505

XIX. Æthiopiam Africanam vltra Ægyptum verſus Meridiem, tam exteriorem, quàm interiorem, Indiam interdum ab auctoribus appellari. 509

XX. Quæ factutus ſit Antichriſtus poſt occupatas Ægyptum, Libyam & Æthiopiam, earúmque reges deletos. 512

XXI. Moſoch. 516

XXII. Thubal, ſeu Iberia. 521

XXIII. De vatiis Hiſpaniæ nominibus, excurſus. 423.

XXIV. Iberia Pontica. 529

XXV. Perſæ, Æthiopes, Libyes, Gomer, Thogorma. 532

XXVI. De Turcarum origine, excurſus. 535

XXVII. Saba, & Dedan. 539

XXVIII. De Regina Saba, excurſus. 543

XXIX. Quid ſit in Scriptura ſacra *Tharſis*. 551.

§. 1. Num Tharſis alicubi in Scriptura ſit Hiſpania. 554

§. 2. Noſtra ſententia de Tharſis. 556

§. 3. Quænam Tharſis, in quam fugere tentauit Ionas. 559

XXX. Variæ de Gog & Magog opiniones. 562

XXXI. Veroſimilior, iudicio noſtro, de Gog & Magog ſententia explicatur. 573.

XXXII. Num Magog, ſeu Tartari ſint progenies decem Tribuum Iſraël à Salmanaſſare in captiuitatem abductarum. 576.

XXXIII. Verba Ezechielis de Gog, & Magog rectè in Tartaros, ſeu Scythas conuenire. 580

XXXIV. Explicatur Oraculum obſcurum Apocalypſis 16. verſ. 12. *Et ſextus Angelus effudit phialam in flumen illud magnum Euphratem, &c.* 583

XXXV. De regno & monarchia Antichriſti. 587

Index.

XXXVI. Scripturæ loca de regno & monarchia Antichristi. 591

XXXVII. Ierosolymam futuram sedem regni Antichristi. 592

XXXVIII. Elucidatur vaticinium insigne Danielis 11. vers. 45. *Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria super montem inclytum & sanctum, &c.* 593

XXXIX. Iudæos Antichristum pro vero Messia susceperturos docent Patres. 599

XL. Christus Dominus & Paulus Apostolus affirmant Iudæos Antichristum susceperturos, eique creditutos. 601.



ARGVMENTVM

ARGVMENTVM OPERIS,
ex Paulo 2. Theſſalonicenſium, 2.



ISI venerit diſceſsio primùm, & reuelatus fuerit Homo peccati, Filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquàm ſit Deus. Cuius eſt aduentus ſecundùm operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis, iis, qui pereunt. Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui.

SENTENTIÆ PATRVM
de Antichriſto.

SANCTVS Irenæus lib. 5. aduersùs Hæreſes, cap. 29. *Et propter hoc in Beſtia veniente recapitulatio fit vniuerſæ iniquitatis, & omnis doli: vt in ea confluens, & concluſa omnis virtus apoſtatica, in caminum mittatur ignis.*

S. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 15. *Caue itaque tibi, ô homo, & confirma animam tuam. Teſtatur tibi Eccleſia in conſpectu Dei viuentis, prædicit tibi de Antichriſto, quæ futura ſunt, priuſquàm veniat. Nec ſcimus, ſi tuo tempore id fiet: ſed bonum eſt tamen, vt hæc ſcientes nos præmuniamus.* Et poſteà: *Confirma ergo te ipſum, ô homo: indicati ſunt tibi dies Antichriſti: ergo non tantùm memineris illorum; ſed abſque inuidia omnibus trade. Si filium habes ſecundùm carnem, hoc iam inſinua: quòd ſi quem etiam per catecheſim genuiſti, & hunc præmunias, ne falſum, tanquàm verum, recipiat.*

S. Gregorius Nazianzenus, Iambico 15.

Quid eſt Antichriſtus? Bellua venenum vomens,
Vir opibus amplis: quid item defectio?
Apoſtata ille peſsimus.

S. Ephrem Syrus Sermone de Antichriſto: *Ego quidem, ô Fratres Chriſto dilecti, vel ſola recordatione ſæui illius draconis attonitus fio, dum animo mecum complector, cogitóque futuram illam tribulationem, atque angustiam, quæ illo tempore cunctis obueniet hominibus: & quomodo ſceleſtus, atque infamis humano generi apparebit hic Draco: maximè verò quàm atrox, infeſtúſque futurus ſit ſanctis Dei hominibus.* Et poſt alia: *Si quis compunctionem cum lacrymis habeat in orationibus, Dominum roget, vt effugere queat maximam tribulationem ſuperuenturam Orbi terræ, ne omninò videat illam Beſtiam.* Et infrà: *Multis ſanè orationibus, ac lacrymis, ô chariſsimi, nobis opus erit, vt tunc firmi, atque conſtantes in tentationibus permaneamus.* Et poſt multa: *Felicem, ac feliciſsimum illum, qui diebus illis, ſpe firma in Dominum fixa, repertus fuerit prævalidus, ac fidelis.*

Olympiodorus in Eccleſiaſtis 4. verſ. 15. *Vidi cunctos viuentes, qui ambulant ſub hoc viſibili Sole:* hoc eſt, ipſos peccatores, *cum adoleſcente ſecundo*, hoc eſt, Antichriſto, *qui exſurget pro ipſo*, Domino, videlicet, noſtro. *Sed poſtremi*, qui temporibus Antichriſti, ſcilicet, in eum credent, *non lætabuntur in eo.*

DE ANTICHRISTO.

LIBER I.

Scriptores rerum Antichriſti Græci.

CAP. I.



ANCTVS Iuſtinus, Philoſophus, & Martyr, Dialogo cum Tryphone Iudæo, pag. 192. 193. 263. editionis Sylburgianæ.

S. Irenæus, Epiſcopus Lugdunenſis, & Martyr, lib. 5. aduersùs hæreſes, c. 25. 26. 27. 28. 29. 30. editionis Feu-ardentij.

S. Hippolytus, Epiſcopus Portuenſis, & Martyr, oratione de conſummatione mundi, & Antichriſto, tomo 2. Bibliothecæ veterum Patrum, editionis Pariſienſis 1589. 1610.

Origenes Adamantius homilia 3. in Pſal. 36. & tractatu 28. 29. 30. in Matthæi 24. & homil. 30. in Lucæ 4. & tomo 5. in Ioannem, & lib. 2. contra Celſum.

S. Athanaſius, Epiſcopus Alexandrinus, epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, pag. 666. 667. 68. & in Synopſi Scripturæ ſacræ in 2. Epiſtola ad Theſſalonicenſes, pagina 129. & in Apocalypſi pag. 133. editionis Græco-Latinæ Commelianæ 1600.

S. Cyrillus, Ieroſolymitanus Epiſcopus, catecheſi 15.

S. Ephrem Syrus, Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus, Sermone de conſummatione mundi, & Antichriſto, tomo 1. Operum eiuſdem editionis Gerardi Vvoſſij.

S. Gregorius Nazianzenus tomo 1. oratione 14. pag 218. & oratione 47. pag. 724. & tomo 2. in Carminibus Iambicis, Iambico 15. pag. 202. colum. 1. editionis Pariſienſis anni 1609. & 1611.

S. Ioannes Chryſoſtomus, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, homil. 77. in Matthæi 24. pag. 256. colum. 2. & Homil. 40. in Ioan. 5. pag. 75. colum. 2. & pag. 76. col. 1. & Sermone de præmiis Sanctorum tomo 3. pag. 383. colum. 2. & homil. 3. & 4. in 2. ad Theſſalonicenſes, 2. editionis Antuerpianæ 1614.

Author Operis imperfecti, tomo 2. Operum S. Chryſoſtomi, homil. 3. in Matthæi 3. pag. 319. colum. 2. & hom. 27. in Matth. 11. pag. 377. col. 1. & hom. 49. in Matth. 24. ſparſim. Sed, quo loco, & authoritate hoc Opus ſit habendum, abundè ſcies ex Xyſto Senenſi lib. 4. Bibliothecæ; Baronio Annali 5. anno Chriſti 407. num. 11. Bellarmino lib. 4. de verbo Dei non ſcripto, cap. 11. ad 6. obiectionem; & de eccleſiaſticis Scriptoribus in Chryſoſtomo; Poſſeuino in ſacro Apparatu.

S. Cyrillus, Alexandrinus Epiſcopus, lib. 11. in Geneſ. pag. 45. & lib. 3. in Ioan. cap. 6. editionis Pariſienſis 1604. & in Comment. ad 11. Zachariæ, n. 84.

Theodoretus, Cyrenſis Epiſcopus, q. 109. in Geneſ. pag. 26. colum. 2. & oratione 7. in Daniel. pag. 573. 574. 575. 576. & oratione 10. in Daniel. ſparſim variis locis: & in Commentariis 2. Theſſalonicenſ. 2. & in Epitome diuinorum decretorum, cap. de Antichriſto, pag. 410. & ſeqq. editionis Colonienſis 1573.

S. Anaſtaſius Sinaïta, Epiſcopus Antiochenus, lib. 10. & 11. in Hexaëmeron, tomo 2. Bibliothecæ veterum Patrum editionis Pariſienſis 1610. colum. 260. 261. 272.

Anaſtaſius Nicænus Quæſtionibus in ſacram Scripturam, quæſt. 22. tomo 1. Bibliothecæ veterum Patrum, colum. 57.

Anaſtaſius Abbas libro contra Iudæos, tomo 3. Lectionum antiquarum Henrici Caniſij, pag. 125. & tomo 2. Auctarij Bibliothecæ veterum PP. editionis Pariſienſis 1610. colum. 683.

Leontius Byzantinus, Monachus, lib. 3. contra Neſtorianos, & Eutychianos, cap. 26. tom. 4. Lection. antiquarum Caniſij, pag. 75. & tomo 2. Auctarij Bibliothecæ Patrum, col. 620.

S. Ioannes Damaſcenus lib. 4. de fide orthodoxa, cap. 27. quod eſt de Antichriſto.

Theophylactus, Bulgariæ Archiepiſcopus, in Commentariis in Ioannis 5. cap. versùs finem, pag. 248. & in 2. Theſſalonicenſium 2. pag. 163. editionis Baſilienſis 1570.

Andreas, Cæſarienſis Epiſcopus, in Commentariis in Apocalypſim, cap. 18. 19. 29. 30. 31. 33. 35. 36. 37. 38. 40. 42. 44. 45. 46. 47. 49. 50. 53. 54. 58. 59. 60. 62. 71. Habetur hoc Opus tomo 2. Bibliothecæ veterum PP.

Aretas, Cæſarienſis etiam Epiſcopus, Commentariis in Apocalypſim, cap. 18. 19. 29. 30. 31. 33. 36. 37. 38. 42. 44. 45. 46. 47. 48. 50. 51. 53. 54. 59. 60. 63. Atque hos capitum numeros accipe iuxta ſectionem Andreæ, & Aretæ, qua Apocalypſim diuiſerunt in 72. capita, vt etiam annotauit Xyſtus Senenſis lib. 1. Bibliothecæ, in Apocalypſi.

Simeon Metaphraſtes in Commentaria de S. Daniele Propheta apud Surium tomo 4. De tempore, quo Simeon vixerit, diſſerunt Baronius Annali 10. anno Chriſti 859. num. 53. Bellarminus de Scriptoribus eccleſiaſticis; & Andreas Schottus in Nota ad Pſelli Paraphraſim in Cantica.

Michaël Pſellus libellum edidit, cui inſcriptio eſt, *Antichriſtus*. Hunc extare Græcè manuſcriptum in Bibliotheca Imperatoris Viennæ, Authores ſunt Simlerus, & Poſſeuinus in Bibliothecis.

Olympiodorus in Eccleſiaſtis cap. 4. verſ. 15. Habetur hoc Opus tomo 1. Bibliothecæ veterum

PP.

PP. de Olympiodoro plura tè docebunt Xyſtus Senenſis, Ioſias Simlerus, Poſſeuinus, Bellarminus in Bibliothecis, & Paulus Comitolus diſputatione de Auctore Græcæ catenæ in Iob.

Oecumenius in Commentariis 2. ad Theſſalonic. 2. fatetur ipſe in 1. Ioan. 2. v. 18. ſe poſt mille annos ab ortu Domini ſcripſiſſe.

Euthymius in cap. 24. Matthæi, & in 5. Ioannis.

Michaël Glycas parte 2. Annalium.

Georgius Phranza, Protoueſtiarius, in Chronico de vltimis orientalis Imperij temporibus, quod, vt ipſe in fine Operis ait, ad annum vſque Orbis conditi 6985. Chriſti verò 1477. Martij 29. perduxit, lib. 2. cap. 12. inducit Ioannem Palæologum, aduersùs Xenum quendam Hebræum, multa de Antichriſto, eiúſque temporibus diſſerentem. Edidit hoc Opus, à ſe è Græco in Latinum conuerſum, ſcholiíſque illuſtrauit Iacobus Pontanus.

S. Germanus, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, in Theoria rerum eccleſiaſticarum, tomo 6. Bibliothecæ veterum Patrum, col. 125. recentioris editionis Pariſienſis 1610. hæc ſcribit: *Quòd Pontifex obſignet populum, id ſubindicat, futurum aduentum Chriſti anno ſexies milleſimo quingenteſimo fore, ex ſupputatione digitorum ſexies ſignificante milleſimum quingenteſimum. Id & Hippolytus è Roma, & Sanctus Cyrillus dicunt in libris ſuis de Antichriſto, anno ſexies milleſimo quingenteſimo futurum aduentum fore: itémque Chryſoſtomus* De Hippolyto quidem Author eſt S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum, ipſum ſcripſiſſe Commentarium de Antichriſto. Nunc huius Operis nihil ſupereſſe ſcimus, niſi Orationem de conſummatione Mundi, & de Antichriſto, quam initio huius capitis citauimus: in qua tamen nihil eiuſmodi de mundi duratione reperitur. De ea Photius in Bibliotheca numero 202. hæc ait: *Legimus una eiuſdem Hippolyti Homiliam de Chriſto, & Antichriſto, in qua, eadem dicendi forma ſeruata, & ſenſuum ſimplicitas maior eſt, ac vetuſtas.* S. Cyrilli verò Alexandrini nullum de Antichriſto nouimus Opus extare: S. Cyrilli autem Ieroſolymitani quintamdecimam Catecheſim habemus, multa de Antichriſto diſſerentem: præterea nihil. Sed neque in ea vllum verbum de aduentu Chriſti ad Iudicium anno mundi ſexies milleſimo quingenteſimo. Fortaſſe perierunt S. Hippolyti, & S. Cyrilli libri de Antichriſto, quos S. Germanus laudat: aut in Bibliotheca aliqua cum tineis, & blattis depugnant: vel qui nunc ſuperſunt, mutili ſunt, & detruncati.

De Methodio, Epiſcopo, Ioſias Simlerus, & Iacobus Friſius in Bibliotheca hæc referunt: *Beati Methodij liber de creatione Mundi, & reuelationibus in carcere de nouiſſimis temporibus, excuſus eſt cum figuris Baſileæ apud Michaëlem Furter, anno 1516. cum Præfatione Sebaſtiani Brandi. Idem liber Græcè, ni fallor, editus eſt: vidi enim dudum manuſcriptum exemplar editioni paratum. Eſt autem, vt arbitror, longè alius à Methodio Patarorum Epiſcopo.* Hæc illi. Meminit quoque eiuſdem Operis Engelbertus, Abbas Admontenſis, libro de ortu & fine Romani Imperij, cap. 24. & Trithemius in Catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum, eiúſque initium eſſe ait: *Sciendum nanque eſt, Fratres.* Cæterùm, hoc Opus ſuppoſititium, & ſpurium cenſent Poſſeuinus in ſacro Apparatu, & Bellarminus de Scriptoribus eccleſiaſticis, in Methodio. Margarinus de la Bigne priori ſuæ editioni Bibliothecæ veterum Patrum, Pariſiis anno 1577. inſeruerat Fragmenta quædam Reuelationum S. Methodij: ſed in poſterioribus binis editionibus meritò abſunt. Iidem Simlerus, & Friſius addunt: *Methodius in Apocalypſim extat in Auguſtana Bibliotheca: & in Bibliotheca Imperatoria Viennæ, Methodij Monachi, & Epiſcopi, Exegeſis in Apocalypſim Ioannis in quarto manuſcripta.* Meminêre quoque huius Operis Xyſtus, & Poſſeuinus in Bibliothecis, & Ludouicus Alcaſar Proœmio in Apocalypſim, notatione 26. Andreas quidem, & Aretas in Commentariis in Apocalypſim, citant Methodium; ille cap. 13. hic cap. 33. at non exprimunt Commentarium aliquem Methodij in Apocalypſim: imò Andreas cap. 33. ſignatè laudat Sympoſium Methodij: quod S. Hieronymus, & Suidas Sympoſium decem Virginum appellant. Cuius libri Excerpta habes apud Photium in Bibliotheca numero 237. In Chronico Mariani Schoti lib. 2. inſeruntur plurima Fragmenta, & interdum longiora ex Chronicis Methodij, Epiſcopi: ſed ſatis perſpicuum eſt, non eſſe Sancti Methodij, Epiſcopi Olympi, Lyciæ, & Martyris; cùm ex ſtylo, qui hominem Latinum palàm oſtendit; tum, quòd vſque ad SS. Hieronymi, & Auguſtini obitus narrandos excurrant; cùm S. Methodius Martyr, teſte S. Hieronymo, ad extremum nouiſſimæ perſecutionis, nempe Diocletiani, ſiue, vt alij, inquit, affirmant, ſub Decio, & Valeriano in Chalcide Græciæ, martyrio coronatus fuerit. In Hiſtoriis Petri Comeſtoris, Vincentij Bellouacenſis, & S. Anthonini non ſemel inducitur Methodius Scriptor; ſed puto eundem eſſe, quem Marianus laudat. Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, 14. Iunij, tres Methodios diſtinguit: Methodium Olympi Lyciæ, & poſtea Tyrij Epiſcopum, ac Martyrem, de quo Romanum Martyrologium 18. Septembris, & S. Epiphanius hæreſi 64. S. Hieronymus, Suidas, Photius: Methodium Patarenſem Epiſcopum, cuius meminit S. Ioannes Damaſcenus Oratione 3. de imaginibus, in fine, & Græcorum Menologium 20. Iunij: & Methodium, Conſtantinopolitanum Epiſcopum, de quo Romanum Martyrologium 14. Iunij, ſanctitatis, & doctrinæ fama notiſſimum. At Methodium, Patarenſem Epiſcopum, eundem omninò eſſe cum S. Methodio, Epiſcopo Olympi Lyciæ, & Martyre, tam perſpicue docent Græcorum Menologium, & S. Damaſcenus, vt dubitationi locus vllus omninò non ſit. Menologium enim de Methodio, Epiſcopo Pataræ, ait ipſum verborum ſuorum igne hæreſim Origenis combuſſiſſe, & tandem gladio obtruncatum migraſſe ad Dominum ſub Decio, & Valeriano, in Chalcide Græciæ martyrio coronatum. Et S. Damaſcenus inquit: *S. Methodij, Epiſcopi Patarenſium, de Reſurrectione, oratione* 2. At, quis non videt, iſta S. Methodio, Epiſcopo Olympi Lyciæ, & Martyri, propriè conuenire? nam & ipſum ſub Decio, & Valeriano, ſeu extremo perſecutionis Diocletiani, in Chalcide Græciæ martyrio coronatum, & de Reſurrectione Opus egregium contra Origenem compoſuiſſe, ex S. Epiphanio, S. Hieronymo, Suida, Photio, aliíſque, nimis eſt exploratum. Suſtulit omnem dubitationem Suidas, cùm ait: *Methodius Olympi Lyciæ, aut Patararum, & poſtea Tyri Epiſcopus*, &c. Et Ioſias Simlerus in Bibliotheca: *Methodius Olympi Lyciæ, vel Pataræ, & poſteà Tyri Epiſcopus*, &c. Poſſeuinus in ſacro Apparatu: *Methodius, vt Diuus habet Hieronymus in Catalogo Olympi Lyciæ, vel Pataræ, & poſteà Tyri Epiſcopus*, &c. Henricus Caniſius tomo 2. anti-

quarum lectionum, Græco Menologio 20. Iunij hanc affixit in margine notam : *Hæc in Apographo manuscripto in ipso textu adscripta sunt. Hieronymus habet, Olympi Lyciæ, in qua est Patara:* Pataram autem esse Lyciæ vrbem maritimam, notum est ex Herodoto lib. 1. Liuio lib. 33. c. 27. & lib. 27. c. 15. & 16. Strabone lib. 14. Mela lib. 1. c. 15. Plinio lib. 2. c. 108. lib. 5. c. 27. lib. 6. c. 34. Ptolemæo lib. 5. c. 3. Appiano Alexandrino lib. 4. bellorum ciuilium. Methodij Patarensis Episcopi meminit quoque Leontius actione 3. de Sectis.

Fuit præterea S. Methodius Morauorum, & Slauorum Episcopus, de quo Romanum Martyrologium 9. Martij, & Authores, quos ibi in Notis citat Baronius. Atque hæc de Methodiis.

Ex industria quoque Athanasium distuli, qui in Quæstionibus ad Antiochum Principem, quæstione 107. 108. 109. nonnulla de Antichristo perscribit. Cæterùm hoc Opus non esse S. Athanasij, Episcopi Alexandrini, Xystus Senensis, Possevinus, Bellarminus ostendêre. Citamus nos hunc Tractatum ex editione Commeliniana Græco-Latina anni 1600. in qua Petrus Felckmannus Coronæus hanc eisdem Quæstionibus præfixit notam : *Has quæstiones non esse Athanasij nostri, sæpè & diuersis locis asserit Xystus Senensis in Bibliotheca sua sacra, & manifestè euincunt hoc Epiphanius pagina 276. & Nicænus pag. 277. citati. Cæterùm sciendum etiam est, in hac nostra editione longè alio ordine esse eas dispositas, multóque plures esse, quàm hactenus, idque ex codicibus Basilienſi, & Palatino vetustissimis.*

Latini.

CAP. II.

TErtullianus libro de Resurrectione carnis, cap. 24. 25. & 27. & lib. de anima, cap. 50. & lib. 5. aduersùs Marcionem, cap. 16. S. Cyprianus, Episcopus Carthaginensis & Martyr, lib. 3. testimoniorum ad Quirinum, cap. 118. & epistola 56. ad Thibaritanos de exhortatione ad martyrium, sub initium ; & libro ad Fortunatum de exhortatione martyrij, initio statim Præfationis.

Lactantius Firmianus diuinarum institutionum lib. 7. cap. 16. 17. 18. 19. 25. 26.

Lucifer, Calaritanus Episcopus, lib. de non parcendo in Deum delinquentibus, pag. 293. 294. 295. 296. 297.

S. Hilarius, Pictauorum Episcopus, lib. 9. de Trinitate, colum. 160. & lib. de Synodis aduersùs Arianos, col. 312. & Canone 25. in Matthæum, col. 585. 586. editionis Parisiensis 1605.

S. Ambrosius, Mediolanensis Episcopus, lib. de benedictionibus Patriarcharum, cap. 7. & in Commentariis Psalm. 37. ad vers. *Quoniam iniquitates meæ superposuerunt super caput meum.* & in Psalm. 40. ad illud, *Ampliauit super me supplantationem.* & in Psalm. 45. ad vers. *Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eius.* & in Commentar. Lucæ, cap. 17. ad verba illa, *Dico vobis, in illa nocte erunt duo in lecto vno.* &c. & in Lucæ 20. ad verba illa, *Cùm autem videritis circundari ab exercitu Ierusalem.* & in Commentariis 1. Corinth. 4. & 1. Thessalonicens. 5. & 2. Thessalon. 2. Sed Commentarios in Epistolas Pauli, qui nomine S. Ambrosij inter eius Opera leguntur, S. Ambrosij non esse, Baronius tomo 10. Annalium, anno Christi 862. num. 26. in margine, Bellarminus lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 5. & lib. 2. de gratia, & libero arbitrio, cap. 14. & lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, Possevinus in sacro Apparatu, & alij multis argumentis euicêre. Et mirum, quòd in Breuiario Romano, Dominica 5. post Epiphaniam legatur sermo huius Authoris in epist. 1. Timoth. 1. S. Ambrosij nomine. Bellarminus existimat, Scriptorem esse peruetustum, & S. Ambrosio æqualem : nam in 1. Timoth. 3. ait, se scribente, Ecclesiæ Dei Rectorem fuisse Damasum : suspicatúrque esse Hilarium quendam Romanum Diaconum, quem Luciferi schisma propagasse scribit S. Hieronymus Dialogo aduersùs Luciferianos extremo.

Præterea Serm. 1. de tempore, qui inter Opera S. Ambrosij habetur, agitur quoque de Antichristo : sed ille Sermo primus quoque est inter homilias de tempore S. Maximi, Taurinensis Episcopi. Incertum, cui potiùs tribuendum : Bellarminus ambigit : Possevinus in Maximum inclinat: vterque conueniunt esse Authoris peruetusti, & sancti.

Circunferuntur quoque, S. Ambrosij nomine, Commentaria in Apocalypsim, in quibus multa de Antichristo produntur, cap. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 19. 20. Verùm, eos Commentarios non esse S. Ambrosij, sed recentioris Authoris, perspicuè demonstrant, Xystus Senensis, Bellarminus, Possevinus, Ribera, Alcasar.

S. Hieronymus in Quæstionibus ad Algasiam, quæ est epist. 151. quæstione 11. & in Commentariis ad Iſaïæ cap. 19. vers. 23. & in Ieremiæ 25. v. 26. & in cap. 7. Daniel. & in cap. 11. & 12. & in Zachariæ 11. vers. 15. & Comment. in Psalm. 10. à vers. 4. vsque ad finem Psalmi.

Rufinus, Presbyter Aquileiensis, expositione in Symbolum Apostolorum, ad Articulum, *Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris*, &c.

Aurelius Prudentius Hymno 6. ante somnium.

Quintus Iulius Hilarion in libello de Mundi duratione, ad finem, tomo 7. Bibliothecæ veterum Patrum, colum. 282. editionis Parisiensis 1610.

S. Augustinus epistola 80. ad Hesychium, de mundi duratione, pag. 135. editionis Lugdunensis 1586. & Quæstionibus in Iosuë quæst. 22. & lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 24. & lib. 18. c. 52. 53. & lib. 20. cap. 6. 7. 8. 9. 11. 12. 13. 19. 23. 29. & lib. 2. contra aduersarium Legis, & Prophetarum, cap. 12. & Commentariis in Psalm. 9. à versu, *Constitue, Domine, legislatorem super eos.* vsque ad finem Psalmi, & in Sermonibus de verbis Domini, in Euangelium Ioannis, Serm. 45. cap. 6. & Tractatu 29. in Ioannem : & Tractatu 3. in Epistolam Ioannis.

Extant in Appendice tomi 9. Operum S. Augustini, Homiliæ 18. in Apocalypsim, in quarum 10. agitur de Antichristo. Sed hoc Opus non esse S. Augustini, Nicolaüs Zegerus, Louanienses, Bellarminus, Ribera, Alcasar, annotarunt. Zegerus, Ribera, & Alcasar, Tichonio Afro Donatistæ tribuunt, de quo plura Gennadius in Catalogo, Cassiodorus in diuinis lectionibus, cap. 9. Primasius Prologo in Apocalyp. & S. Beda Prologo Commentariorum in Apocalyp. Nos in hoc Opere eas Homilias nomine Tichonij citabimus.

Seuerus Sulpitius lib. 2. sacræ Historiæ in Nerone, & in vltima Diocletiani persecutione, & Dialogo 2. de vita S. Martini, ad finem.

Paulus

Paulus Orosius, Presbyter, lib. 1. Historiarum, in Præfatione ad S. Augustinum, ad finem.

S. Maximus, Episcopus Taurinensis, Homilia 1. hyemali, initio.

S. Eucherius, Lugdunensis Episcopus, Commentariis in Genes. 49. ad illud, *Fiat Dan coluber in via*, &c. Sed eos Commentarios non esse S. Eucherij, Xystus Senensis, & Bellarminus demonstrant. Idem S. Eucherius Homil. de Dominica 2. Aduentus, de Antichristo nonnulla perscribit. Ferebantur hæ Homiliæ inscriptæ Eusebio Emisseno. Sed huius non esse, Possevinus, & Bellarminus de Scriptoribus ecclesiasticis, & Baronius Annal. 6. anno Christi 441. num. 5. ostenderunt. Sed Eucherio plerique adscribunt. Baronius non omnes esse Eucherij vult: sed quasdam Hilarij Arelatensis; aliquas verò Fausti Rhegiensis. Bellarminus existimat, non esse improbabile, omnes vnius Fausti esse: quanuis rem in medio relinquat. Nos S. Eucherij nomine in hoc Opere eas laudabimus.

S. Prosper, Aquitanicus, de Promissionibus, & Prædictionibus lib. 4. siue in dimidio temporis, cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9 10. 11. 12 13. 15. 16.

Salonius, Episcopus, dialogo 1. in Parabolas Salomonis, tomo 1. Bibliot. veterum Patrum, col. 456.

Iunilius, Episcopus Africanus, Commentariis in 1. Gen. vbi de sexta die conditi Orbis agit Sed Opus non esse Iunilij, sed S. Bedæ, aut alterius recentioris Authoris, Xystus Senensis, Bellarminus, & Possevinus deprehenderunt.

Primasius, Africanus Episcopus, haud dubiè Adrumetinus Episcopus, lib. 3. in Apocalyps. 11. & lib. 4. in 13. Apocalyp. & in 16. 17. Errant Trithemius, Simlerus, Xistus, Alcasar, qui putant clatuisse anno 440. nam Cassiodorus lib. 1. diuinarum Lectionum, cap. 9. ait, suis temporibus scripsisse. Vide Baronium Annali 7. anno Christi 551. num. 13. & anno 553. num. 209. & Possevinum in sacro Apparatu.

Cassiodorus in Comment. in Psalm. 9. sparsim.

S. Gregorius, Episcopus Turonensis, lib. 1. Historiæ Francorum, in Præfatione.

S. Gregorius, Romanus Pontifex, lib. 4. in Iob, cap. 12. extremo, & lib. 12. cap. 22. initio, & lib. 14. cap. 11. & lib. 15. c. 36. & lib. 25. c. 14. & lib. 29. c. 6. & lib. 30. c. 3. & lib. 31. c. 10. & lib. 32. cap. 12. & lib. 33. c. 21. 25. 26. 27. & lib. 34. c. 1. 2. 3. 10. 14. 15. & lib. 6. Regist., epist. 30. & lib. 11. epist. 3.

S. Isidorus, Hispalensis Episcopus, lib. 8. Originum, cap. 11. & lib. de natura rerum, cap. 25. & lib. 1. Sententiarum, cap. 25. & Commentariis in Genes. cap. 31. de benedictionib. Patriarcharum.

S. Beda, Presbyter, Commentariis in Ioan. 5. colum. 499. & in Ioan. 7. colum. 515. & in 1. Epist. Ioan. cap. 2. col. 733. & in 4. cap. eiusdem Epist. colum. 742. & in caput 7. Apocalyp. colum. 775. 776. & 778. & in cap. 8. colum. 779. & in cap. 9. col. 782. & in cap. 11. colum. 787. & in cap. 12. colum. 789. & in cap. 13. colum. 790. 791. 792. & in cap. 17. colum. 801. & in cap. 19. colum. 805. & in cap. 20. colum. 807. & 2. ad Thessalonicens. 2. colum. 691. 692. 693. Conati sunt nonnulli hos Commentarios in Epistolas Pauli Bedæ abstrahere, & inter alios Baronius Annali 7. anno Christi 562. num. 16. Sed strenuè eidem asserit Bellarminus de Scriptoribus ecclesiasticis. Idem Beda agit etiam de Antichristo Homil. in 2. Dominicam Aduentus, colum. 186. & Homil. de Dominica Palmarum, colum. 263. editionis Colonienſis 1612. & in Quæstionibus in Genes. colum. 191. 192. & Commentariis in Psalmos, Psal. 9. ad vers. *Constitue, Domine, legislatorem super eos*, &c.

Maluenda.

colum. 363. 364. Et lib. de temporum ratione cap. 68.

Ambrosius Ansbertus, Gallus, Monachus Monasterij S. Vincentij Martyris in Samnitibus, lib. 5. in 11. Apocal. & lib. 6. in 13. Apocalyp. & 14. Lapsi sunt Sigebertus, Trithemius, Simlerus, Xystus, Possevinus, Bellarminus, Alcasar, qui eum sub Arnoldo Imperatore anno Domini 890. claruisse scribunt: disertissimè enim ipsemet Ansbertus ad finem Commentariorum in Apocalypsim, hæc ait: *Temporibus Pauli Pontificis, necnon & Desiderij Regis Longobardorum; sed & Arrochisi Ducis eiusdem Prouincia* Samnij, *quam incolo, hoc Opus confeci, atque compleui.* Liquet autem ex cunctis Annalibus, Paulum I. anno Christi 757. iniisse Pontificatum, & anno 767. desiisse in humanis esse. Non latuit id Genebrardum, qui lib. 3. Chronographiæ, & vidit, & annotauit veram ætatem Ansberti. Ipse nuncupat Opus suum Stephano Papæ, &, vt suspicor, III fratri germano Pauli I. nondum, vt apparet, absolutum: nam Stephanus antecessit Paulum.

Alcuinus, siue Albinus Flaccus, Caroli Magni præceptor, in Quæstionibus in Genesim, ad finem, & lib. 3 de Trinitate, cap. 19.

Rabanus Maurus, Archiepiscopus Moguntinus, lib. 2. de Vniuerso, cap. 2. Extat in Appendice tom. 9. Operum S. Augustini, Tractatus integer de Antichristo: sed quem non esse S. Augustini, fere omnes affirment. Louanienses Theologi hanc ei Notam apposuêre: *Tractatus iste excusus est etiam titulo Rabani, Archiepiscopi Moguntini, eúsque esse agnoscit Rupertus Tuitiensis, à quo allegatur in* 8. *cap. Apocalypsis.* Nec ab his dissentit Possevinus. Nos Rabani nomine eum, cùm opus fuerit, citabimus.

Agobardus, Episcopus Lugdunensis, qui sub Ludouico Pio Imperatore, sub annum Domini 835. floruit, Sermone de Trinitate, de meritis operum, & de Antichristo.

Haymo, Episcopus Alberstatensis, in Comment. ad 11. Zachariæ, & in cap. 7. Amos & in 2. Thessalonicens. 2. & in Apocalyps. 11. & 13.

Strabus, Monachus Fuldensis, Author Glossæ ordinariæ, in 49. Genes. ad illud, *Dan iudicabit populum suum.* Et in Deuteronom. 33. ad illud, *Dan, catulus leonis.* Et in Iudicum 9. ad illud, *Dixerúntque omnia ligna ad rhamnum.* & in Iudith 2. ad illud, *Tunc Holofernes vocauit Duces* &c & in Iob 18. ad illud, *Expellet eum de luce.* & in sequentibus: & in Iob 21. ad illud, *Quis arguet coram eo vias eius.* & in sequentibus: & in Iob 40. *Stringit caudam suam, quasi cedrum.* & in Iob 34. ad illud, *Qui regnare facit hominem hypocritam.* & in cap. 41. Iob ad illud. *Sternutatio eius splendor ignis.* & in Psal. 9. sparsim: & in Isaiæ cap. 11. ad illud, *Et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* & in Ieremiæ 47. ad illud, *Venit caluitium super Gazam.* & in Daniel. 7. 8. 11. & 12. & in Zachariæ 11. ad illud, *Sume tibi vasa pastoris stulti.* & in Matthæi 4. & in Epist. 1. Thessalonicen. 5. in illud, *Cùm enim dixerint, pax, & securitas.* & in 2. Thessalon. 2. & in Apocalyp. 10. 11. 13 & 20.

Remigius Altisiodorensis, Monachus, Comment. in Psal. 9. & in Sophoniæ 3. colum. 325. & in Zachariæ 8. colum. 352. & in Zachar. 11. colum. 362. tomo 2. Auctarij Bibliothecæ veterum Patrum, editionis Parisiensis 1610.

Author libri, cui inscriptio est, *Dialogus de altercatione Ecclesiæ, & Synagogæ*, cap. 7. 13. 14. 15.

Radulphus Flauiacensis, Monachus, lib. 18. in Leuiticum, cap. 1.

Petrus Damianus, Episcopus Ostiensis, epistola-

rum lib.6.epist.16.ad Adamum Monachum, editionis Constantini Caietani.

S.Bruno,Carthusiani Ordinis Institutor,in Comment.Psalmi 9.& in 2.Thessalon.2.

S. Anselmus, Cantuariensis Episcopus, Enarrationibus in Matthæi 24.Sed has esse S.Anselmi ambigit,& nihil ampliùs,Bellarminus, de Scriptoribus ecclesiasticis: sed lib.4. de Eucharistia, cap.6. in 6. obiectione,planè S. Anselmo tribuit. Idem Anselmus in Comment.1.ad Thessalon. 5. in illud, *Cùm enim dixerint,pax,& securitas.*& 2.ad Thessalonic.2. multa de Antichristo disserit.Sed eos commentarios in Pauli Epistolas, non esse S. Anselmi, sed Heruæi Britonis, qui fuit Magister Generalis Ordinis Prædicatorum XIV. Possevinus,& Bellarminus existimant. Insuper idem S.Anselmus in dialogo, cui *Elucidarium* nomen indidit, plura de Antichristo perscribit.

Anselmus, Laudunensis, Author Glossæ intellinearis,in Genes. 49. vers.17.Iudic. 9. v.14.Iudith 2. ver.6.Psal.9.v.21.Isai.11.v.4.& in Daniel. 7.8.11. 12.& Zachar.11.v.15.Matth.24.v.15.& in 2.Thessalon. 2.

Rupertus, Abbas Tuitiensis, lib. 9. in Genes. cap.32.& in Numeros,lib.1.cap.9.& lib.8. de operibus Spiritus Sancti,cap.17.& 18. & lib. 4. in Zachariam ad cap. 11. in illud, *Sume tibi vasa pastoris stulti.* & in Ioannis 5.ad illud, *Si alius venerit in nomine suo,illum accipietis.* & in Apocal.11.13. & lib. 13. de victoria verbi Dei, cap.10.11.12. 13.14.15.

S. Hildegardis,Virgo, apud Albertum Abbatem Stadensem, in Chronico ad annum Christi 1152. multa de Antichristo perscribit.

Honorius,Presbyter Augustodunensis, Sermone in Aduentum Domini.

Berengosius,Abbas,lib. de mysterio ligni Dominici,& de luce visibili, & inuisibili, colum. 844. tom.2. Biblioth. veterum Patrum, editionis Parisiensis 1610.

Ricardus de S.Victore lib.5.in Apocalypsim.

Otto, Episcopus Frisingensis, lib. 8. Chronicorum,cap.1.2.3.4.5.6.7.

Hugo Ætherianus lib. de regressu animarum ab Inferis,cap.23.& 24.tomo 8. Bibliothecæ veterum Patrum,editionis Parisiensis 1610.

Gerhohus, vel Gerochus Reicherspergensis, in Bauaria Præpositus, scripsit librum de inuestigatione Antichristi. Author Iacobus Gretzerus Præfatione ad septem epistolas de Eucharistiæ Sacramento, quæ habentur in Scriptoribus quinque succedaneis contra Sectam Vualdensium, ab eodem Gretzero editis. Auentinus 6. Annali Boiorum, author est, hunc Gerochum scripsisse librum de Antichristo, id est,de Schismate, sub Alexandro III.

De Gerhoho si plura desideras, inquit Gretzerus, *Chronicon Reicherspergense non ita pridem à C. V. D. Christophoro Gevuoldo I. V. D. & Consiliario Bauario euulgatum consule.*

Matthæus Vuestmonasterienſis in Florib. temporum,in 4.Ætate mundi, cap.16.

Gotfridus Viterbiensis in Chronico,parte 10. extrema.

Petrus Lombardus in Psalm.9.& in 2. Thessal.2.

Petrus Comestor in Scholastica Historia Genes. cap.108.& in Historia Danielis,cap.12.

Iacobus Vitriacus Sermone de 2. Dominica post Octauas Epiphaniæ.

Vincentius Bellouacensis Speculi naturalis lib. 32. cap. 103.104. & Supplementum ad Speculum historiale eiusdem Vincentij,lib.31.cap.93.95.96.

Hugo Carensis in Genes. 49. in Apocalyp.13.

S. Thomas Aquinas 3. parte, quæstione 8. articulo 8. & Opusculo 60. de humanitate Christi, articulo 25. Sed non est S. Thomæ illud Opusculum: & in 2. Thessalon. 2. & in Apocalyp. 13. si tamen ea Commentaria sint S. Thomæ: nam dubitant viri docti:quidam Thomæ Anglico adscribunt. Vide Riberam,& Alcasarem Præfationibus in Apocalypsim.

Engelbertus,Abbas Edmontensis,libro de ortu & fine Romani Imperij,cap.18.

Nicolaüs Lyranus in Iudicum 18. initio explanationis moralis: in Psal.9. in Isaiæ 33. in morali expositione:in Isaiæ 51. in Ierem.30.in Ezechielis 38. & 39. in Danielis 2. in morali elucidatione:in Daniel.7.8.11.12. in Zachariæ 11. & 12. vsque ad finem libri:in 2.Machab.9.in morali interpretatione: in Matth.24. & in 2.Thessalon.2.& in Apoc.20.

Ludolphus Saxo,Carthusianus,Vitæ Christi Parte 2. ad finem, cap.87.

Ioannes Parisiensis,Ordinis Prędicatorum,librum integrum scripsit de Antichristo. Authores sunt Leander Albertus de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum: Anthonius Senensis in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum: Simlerus, Possevinus, Bellarminus: quem eruditum sanè & accuratum appellat Hieronymus Vielmius, Episcopus Æmoniæ, de sex diebus conditi Orbis, lectione 6. pag. 79. qui fortè illum legit.

Augustinus Triumphus, Anconitanus,in Summa de potestate Ecclesiæ, quæstione 21.art.4.

Nicolaüs Gorram in 2. Thessalonicens. 2. & in Apocalyp.13.

S. Brigitta lib.6.Reuelationum, cap.67.

Petrus Bertorius in Dictionario Biblico, verbo, *Antichristus.*

S. Vincentivs Ferrerivs epistola quadam ad Benedictum XIII. assertum Pontificem, cuius initium, *Apostolus Paulus post prædicationis*, &c. edita est Valentiæ 1591. à Vincentio Iustiniano,cui & Scholia adiecit.

Ioannes Gerson in Summa, lib. 6. de gaudiis Paradisi.

Ioannes Viualdus de Monte Regali lib.de persecutionibus Ecclesiæ, persecutione 12.

S. Bernardinus Senensis tomo 2. de Iudicio generali, Sermone 11.

Paulus Burgensis additione 1. ad Psal. 52. & additione ad 39. Ezechielis.

Alfonsus Tostatus parte 5. in Matthæum, in cap. 18.q.62.& in Genes.49.ad illud, *Fiat Dan coluber.*

S. Anthoninus, Episcopus Florentinus, 4. parte Theologiæ, titulo 13. cap. 4.

Dionysius Carthusianus variis locis sacræ Scripturæ, & eisdem fermè, quibus Lyranum superiùs citauimus:& lib.6. de Fide catholica.

Hermannus Schedellius ad finem Chronicorum Mundi.

Compendium Theologiæ lib. 7. cap. 7. & sequentibus.

Nicolaüs Cusanus in concordia Ecclesiæ, & in coniecturis nouissimi temporis.

Ad finem Oraculorum Sibyllinorum edidit Ioannes Obsopæus ex veteribus membranis Ioannis Nicotij Fragmentum à nonnullis Venerabili Bedæ adscriptum, cuius initium, *Sibyllæ generaliter omnes*, &c. in quo multa de Antichristo traduntur.

Raphaël Volaterranus lib.13. Anthropologiæ.

Franciscus Georgius tomo 4. problematum, sect. 6. problemate 74. & 75.

Recentiores.

Recentiores.

CAP. III.

MArcus Vigerius, S. R. Eccles. Cardinalis, Episcopus Senogallienſis, Tractatum de Antichriſto, teſte Ioſia Simlero in Bibliotheca. Sed Onuphrius, & Ciacconus in libris de Cardinalibus, & Poſſeuinus, cùm Vigerij lucubrationes recenſent, huius haud meminêre. Onuphrius & Ciacconus aiunt, eum fuiſſe doctrinâ potiùs, quàm vitæ exemplo commendabilem.

Thomas Caietanus in Comment. 2. Theſſalon. 2.

Iacobus Faber in 2. Theſſalonicen. 2.

Franciſcus Vatablus in Daniel. 11. Scholio 93. & ſeqq.

Iſidorus Clarius in Daniel. 11. & in 2. Theſſal. 2.

Ioannes Driedo de eccleſiaſticis dogmatibus, lib. 3. cap. 5. parte 2.

Georgius Vuicelius Commentario de Antichriſto.

Ioannes Hildenshemenſis lib. de Antichriſto.

Marcus Marullus, Spalatenſis, lib. 6. inſtitutionum religiosè viuendi, cap. 2. & 4.

Felicianus Capitonus in catholicis explicationibus, explicatione 37. & 77.

Iacobus Nailantus in Medulla ſacræ Scripturæ, cap. 4.

Dominicus Soto in 4. ſententiarum, diſtinctione 46. quæſt. 1. articulo 1. & 2.

Ioannes Viguerius inſtitutionum theologicarum cap. 21. §. 3. verſ. 1. & ſequentibus.

Claudius Charondas librum ſcripſit de Antichriſto reuelato: de quo Martinus Delrio lib. 3. magicarum diſquiſitionum, parte 1. quæſt. 4. ſectione 7. prope finem, hæc ait: *Narrat oculatus teſtis, vir doctus & prudens Claudius Charondas, lib. de Antichriſto reuelato*, &c.

Franciſcus Sonnius lib. 2. demonſtrationum Chriſtianæ Religionis, tractatu 6. cap. 9.

Iodoccus Clicthouæus in Commentariis ad lib. 4. Damaſceni de fide Orthodoxa, cap. 27.

Laurentius Villavincentius in phraſibus ſacræ Scripturæ, verbo, *Antichriſtus*.

Gabriel Prateolus lib. 1. de hæreſibus, titulo de Antichriſto.

Hieronymus Torrenſis in Confeſſionem Auguſtanam, lib. 4.

Iodoccus Tiletanus in refutatione confeſſionis Antuerpienſis.

Theodorus Graminæus in Prodomo Antichriſti.

Martinus Cantapetrenſis lib. 3. Hypotypoſeon, cap. 2.

Lælius Zechius tractatu de Romano Pontifice, hæreſi 4.

Chriſtianus Adrichomius in Chronico ad finem, vbi eſt peculiaris diſputatio de Antichriſto. Et nouiſſimis temporibus,

Gutierrus Treius in Commentariis 2. Theſſal. 2.

Ioannes Gagnæius in ſcholiis 2. Theſſalon. 2. & & in Apocalyp. 13.

Claudius Guillandus in collationibus 2. Theſſalon. 2.

Petrus Creſpetius in Summa catholicæ Fidei, verbo, *Antichriſtus*.

Hieronymus Oſorius, Syluenſis Epiſcopus, Oratione 15. in Ioannis 5.

Cælius Pannonius Collectaneis in Apocalypſim in cap. 11. ſect. 3. & 4. & in 13. Apocalyp. ſect. 1. 2. 3. & in 17. Apocalyp. ſect. 2. puncto 1. ſect. 3. puncto 2. 5. 7. 8. & in 19. Apocalyp. ſect. 4. puncto 1. 2. 3. 4

Thomas Bozius de ſignis Eccleſiæ lib. 12. cap. 13. & lib. 24. cap. 6. & 7.

Franciſcus Feu-ardentius in Annotationibus ad S. Irenæi lib. 5. aduerſ. hæreſes, cap. 25. 26. 27. 28. 29. 30.

Polyanthea nouiſſimæ editionis anni 1614. verbo, *Antichriſtus*, de eo ex profeſſo agit, laudátque plures eiuſdem argumenti Authores.

Iacobus Veldius Commentariis in Danielis 11. & 12.

Hector Pintus Comment. in Daniel. 11. & 12.

Petrus Bulengerus, Trecenſis, lib. 4. in Apocalyp. in Ecphraſi, & Scholiis capitis 13.

Sebaſtianus Verronius in Chronico Eccleſiæ, & Monarchiarnm, lib. 9. vbi agit de futuris temporibus.

Paulus Forzanius peculiarem librum edidit de Antichriſto.

Anthonius Scaynus in Paraphraſi, & Scholiis 2. Theſſalon. 2.

Ioannes Fungerus in Etymologico trilingui, verbo, *Antichriſtus*.

Ioannes Obſopæus in Notis ad Sibyllina oracula, ad pag. 221. 368. 375.

Conſaluus Durantus à S. Angelo in Annotationibus ad lib. 6. Reuelationum S. Brigittæ, cap. 67.

Gerardus Voſſius in Scholiis ad Sermonem S. Ephrem Syri de conſummatione Mundi, & Antichriſto, tomo 1. Operum eiuſdem S. Ephrem.

Gaſpar Melus Commentariis in Apocalypſim variis locis, præſertim in 13. cap.

Michaël Hagerus, Theologus Friburgenſis, Orationem ſcripſit, cui titulum indidit, *Antichriſtus*, adversùs calumniam Hæreticorum, qui Romanæ Eccleſiæ caput, Pontificem Maximum, ipſum Antichriſtum; eius verò Hierarchiam Antichriſti tyrannidem eſſe criminantur. Compoſuit quoque tractatum de ſingularitate Antichriſti, contra noſtri temporis Hæreticos. Inſuper Reſponſionem aduersùs Iacobi Herbrandi, Tubingenſis Hæretici, de Antichriſto diſputationem. Authores, Ioſias Simlerus in Bibliotheca, & Anthonius Poſſeuinus in ſacro Apparatu. Vidimus & nos hæc Hageri Opera. Inſertus habetur Michaël Hagerus Authoribus damnatæ memoriæ in Indice Romano, & Hiſpanico: ſed in Appendice prima ad Indicem Hiſpanicum, Madriti editâ anno 1614. hæc leguntur: *Michaël Hagerus. Permittitur autem omninò ipſius liber de Antichriſto contra Iacobum Herbrandum: in quo planè deprehenditur Catholicus.* Incompertum nobis eſt, num alius fuerit Michaël Hagerus, vel idem ad catholicam Fidem redierit, vel ab eâ receſſerit.

Nicolaüs Sanderus lib. 8. integro de viſibili Eccleſiæ Monarchia per ſexagintaquinque capita egregiè de Antichriſto diſſerit.

Gilbertus Genebrardus lib. 3. Chronographiæ, pag. 473. editionis Pariſienſis anni 1600. promiſit, ſe librum de Antichriſto perſcripturum. Huic libro hanc Authorem deſtinaſſe inſcriptionem: *De Antichriſto, & eius regno, contra cuiuſdam Laſicy Craſſi, & Epicurei ventris electiones.* annotauit Poſſeuinus. Fuit hic Ioannes Laſicius, Sarmata Lutheranus, qui librum ſcripſit de Theologia Moſchouitica. An autem liber Genebrardi de Antichriſto in lucem prodierit; & me, & Poſſeuinum clam eſt.

Iodoccus Coccius tom. 2. Theſauri Catholici, lib. 10. art. 3. diligenti ſtudio, curáque in vnum contulit, quæ variè apud Patres de Antichriſto ſparſa reperit.

Florimundus Remundus, Regius Conſiliarius in Senatu Burdegalenſi, compoſuit Gallicâ linguâ librum de Antichriſto, quinquaginta duobus capitibus comprehenſum.

Baptiſta Mazerius, Iuriſconſultus, conſcripſit tractatum in cap. 12. Apocalypſis, & in aliquot alia loca eiuſdem libri, in quo plura de Antichriſto exponit.

Petrus Vincentius Marzilla in Notis ad 49. cap. Geneſ. ad illud, *Fiat Dan coluber in via.*

Gaſpar Scioppius, Francus, peculiarem tractatum de Antichriſto ex meo Opere concinnauit.

Leonardus Coquæus in Commentariis ad lib. 18. S. Auguſtini de Ciuitate Dei, cap. 53. & in lib. 20. cap. 6.7.8.9.11.12.13.19.29.

Guillelmus Eſtius in 4. ſententiarum, diſtinctione 47. à §. 6. vſque ad 13. & in Commentariis ad 2. Theſſalonicen. 2.

Alfonſus Salmeron tomo 16. Præludio 7. in Apocalypſim.

Franciſcus Turrianus lib. 3. pro epiſtolis Pontificum, cap. 17. & libro 2. aduersùs Andream Freyhub, cap. 5.

Benedictus Pererius lib. 8. Commentariorum in Danielem, & lib. 10. & lib. 14. integro, & libro 15. item libro peculiari de benedictionibus Patriarcharum, in 6. Prophetia: & in Comment in Geneſ. 49. in 6. Prophetia: & tomo 3. ſelectarum diſputationum in ſacram Scripturam, in quo eſt ſingularis tractatus de Antichriſto, in Apocalyp. 13. aduersùs Ioannem Annium directè compoſitus.

Ioannes Maldonatus Commentariis in Daniel. 11. & 12. & in Matthæi 24. verſ. 15.

Robertus Bellarminus Sanderum ſecutus, ex profeſſo de Antichriſto diſputauit tomo 1. Controuerſiarum de Romano Pontifice, lib. 3. toto, qui eſt de Antichriſto.

Henricus Enriquez in Summa Theologiæ, libro vltimo, de fine hominis, cap. 22.23. in Textu & Annotationibus.

Franciſcus Ribera Commentariis in Apocalypſim in cap. 11.12.13.14.15.16.19.20.

Gregorius de Valentia peculiari tractatu de Antichriſto, ad finem 4. tomi Operum Theologicorum, nempe, diſputatione 11. quæſt. 2. puncto 2.

Franciſcus Suarez tomo 3. Commentariorum in 3. partem S. Thomæ, diſputatione 54. per ſex integras ſectiones: & in defenſione Fidei catholicæ aduersùs Anglicanæ ſectæ errores lib. 5. qui totus eſt de Antichriſto.

Ioannes Ferdinandus in Theſauro diuinarum Scripturarum, verbo, *Antichriſtus.*

Emmanuel Sà in Notationibus ad ſacram Scripturam, Geneſis 49. verſ. 17. Ezechiel. 38. v. 1. Daniel. 11. v. 21. & ſeqq. & in cap. 12. v. 1. & ſeqq. Matth. 24. v. 23. & in 2. Theſſalon. 2. Apocalyp. 11. v. 2. & ſeqq. & in 13. cap. & in 20.

Ioſephus Acoſta libris quatuor de temporibus nouiſſimis, præſertim libro 2. & 3. qui integrè ſunt de Antichriſto.

Hieronymus Natalis in Annotationibus, & Meditationibus ad Euangelium Dominicæ 26. poſt Pentecoſten, in perpulchro illo Opere, quod eximiis imaginibus in æs inciſis exornauit.

Sebaſtianus Barradas tomo 3. euangelicæ Hiſtoriæ lib. 9. cap. 5.6. & 7.

Georgius Scherrerus Concione de Antichriſto.

Blaſius Viegas Commentario 1. in 13. Apocalypſis, ſectione 1. 2. 3. 6. 7. & Commentario 2. per ſeptem integras ſectiones.

Petrus Maturus in Notis S. Anthonini, 4. part. hiſtor. titulo 23. cap. 8. §. 4.

Martinus Becanus integrum Opus edidit *de Antichriſto reformato.* Extat tomo 2. Opuſculorum eius, num. 3.

Leonardus Leſſius diſputationem de Antichriſto, & eius præcurſoribus exarauit.

Andreas Eudæmo-Ioannis, Græcus, conſcripſit de Antichriſto libros tres contra Robertum Abbatem Anglum. Author Petrus Ribadeneira in Catalogo Scriptorum Societatis Ieſu.

Ioannes Gibonus, Anglus, ſcripſit Confutationem virulentæ diſputationis Georgij Schon Caluiniani, qui conatus erat docere, Romanum Pontificem eſſe verum Antichriſtum Author idem Ribadeneira.

Petrus Tyræus de nouo, & falſo Antichriſto. Author idem Ribadeneira.

Benedictus Iuſtinianus in Commentariis 2. ad Theſſalonicenſ. 2.

Ludouicus Alcaſar in 7. Apocalyp. Notatione 4. & in 14. Apocalyp. Notatione 2.

Cornelius Cornelij à Lapide Commentariis in 2. Theſſalon. 2. peculiarem de Antichriſto diſputationem inſeruit.

Gaſpar Sanctius in 11. & 12. Danielis.

Iacobus Gretſerus tomo 2. in defenſione libri 3. Roberti Bellarmini de Romano Pontifice, qui eſt de Antichriſto.

Didacus Lopez de Meſſa in Opere, quod Menſam ſpiritualium ciborum inſcripſit, verbo, *Antichriſtus*, per 18. §§.

Ieremias Ferrerius, qui anno 1613. à Caluiniano miniſterio ad fidem catholicam, ſuperatis innumeris, tum obſtaculis, tum periculis, conuerſus, egregium Volumen ſequenti anno edidit de Antichriſto, eiúſque Notis. Author Iacobus Gaulterius in Chronographia.

Sibyllæ, S. Victorinus Martyr, S. Thomas Aquinas, Hebræi.

CAP. IV.

CIrcunferuntur Sibyllinorum oraculorum libri octo, poſt varias editiones, Græcè & Latinè editi, & Notis illuſtrati à Ioanne Obſopæo Brettano, Pariſiis 1607. in quibus nonnulla ſparſa ſunt de Antichriſto, nimirum, libro 2. pag. 198.201. lib. 3. initio, pag. 221.241.246.258. lib. 4. pag. 294. lib. 5. pag. 302.313.318.330. At hos libros eſſe pſeudepigraphos, & pſeudoſibyllinos, multáque falſa, & indigna veris Sibyllis continere, plerique & deprehenderunt, & indicarunt, vt Ioannes Obſopæus Præfatione in Sibyllina oracula, Anthonius Poſſeuinus in ſacro Apparatu; Ioſephus Scaliger in Euſebianis, pag. 17. col. 1. ſub initium, & pag. 184. col. 2. De libris hiſce eſt inſigne iudicium Ioannis Mariæ ſacri Apoſtolici Palatij Magiſtri, tomo 1. Indicis librorum expurgandorum, ad tomum 8. Bibliothecæ Patrum, pag. 256. editionis Romanæ anni 1607. quod hic neceſſariò inſerimus: *Tametſi certiſſimum ſit, reperiri innumera Patrum elogia de Sibyllis, eas, tanquàm Dei Prophetiſſas ad gentes prædicantium; oraculáque Sibyllina magno vſui fuiſſe Chriſtianis initio naſcentis Eccleſiæ, ad ſtabilienda fidei dogmata, & profanas gentilium ſuperſtitiones reuincendas: ob quam cauſam Gentiles Chriſtianos Sibylliſtas appellabant, vti ſcribit Origenes lib. 5. contra Celſum: qua de re vide cumprimis*

Apparatum

Apparatum ad Annales ecclesiasticos. At diligenti eruditorum iudicio deprehensum est, in his octo Sibyllinorum oraculorum libris multa contineri falsò sub Sibyllæ nomine inserta, nec esse omnia Sibyllarum genuina, ac germana carmina. Et, vt alia interim argumenta omittamus, primùm multa insunt huic Operi, quæ Authorem indicent post Christum natum vixisse: at Patres, Sibyllas ante ortum Christi vaticinatas produnt. Deinde S. Hieronymus, & alij Patres tradunt, Sibyllas fuisse Virgines, & in præmiũ virginitatis accepisse diuinationem: at hic lib. 7. colum. 51. E, Sibylla fatetur, se scortum impudentissimum fuisse. Vide Apparatum sacrum Possevini. Quocirca ea tãtùm oracula Sibyllina in his libris descripta, quæ antiqui alicuius Patris testimoniũ habent, recipienda ducimus: reliqua in dubiorũ & apocryphorum classem reiicienda videntur, nec pro certis & indubitatis Sibyllæ cuiuspiam vaticiniis capienda: imò studio alicuius peritioris viri oracula illa, quæ ex authoritate Patrum, Sibyllarum esse constat, secernenda essent in vnum corpus diligenti, & accurata collectione: cætera in aliam fascem ableganda, sine vlla maiori authoritate & fide, quàm vel res ipsa, vel consensus cum Scriptoribus aliis conciliauerint. Hactenus Magister sacri Palatij. Alia quoque argumenta spurij Operis vide in Ioanne Obsopæo; quem miramur à Possevino inter primæ classis Hæreticos annumerari, cùm nec Index Romanus iussu Clementis VIII. editus, nec nouissimus Hispanicus eum in primam classem Authorum damnatorum reiecerint; sed Vincentium duntaxat Obsopæum. In Bibliotheca Regis Escurialensi extat liber manuscriptus, cum hac inscriptione: *Emmanuelis Adrametini Collectio, & Correptio Sibyllinorum oraculorum.*

Editus quoque habetur breuis Commentarius in Apocalypsim, nomine S. Victorini Martyris, Episcopi Pictauiensis, cui initium est, *Principium libri beatitudinem audienti*, &c. qui in Tomum 1. Bibliothecæ veterum Patrum editionis Parisiensis anni 1589. & anni 1610. illatus est, vbi multa de Antichristo tractantur. De hoc Opere nos in priore editione librorum de Antichristo, lib. 10. cap. 4. ita existimauimus: *S. Victorini nunc Operum nihil superest, nisi breues tantùm Commentariolι in Apocalypsim, quibus præfixa est nomine S. Hieronymi ad Anatolium epistola, in qua inter alia hæc scripta leguntur: Est periculosum, & obtrectatorum latratibus patens de egregij Viri Victorini Opusculis iudicare: nam & anterior Papias, Hierapolites Episcopus, & Nepos, in Ægypti partibus Episcopus, de mille annorum regno, ita vt Victorinus, senserunt. Hæc ibi. At in breui illa, quæ nunc extat, Victorini in Apocalypsim explanatione, neutiquam sententia de millenario Christi regno vllibi reperitur: imò contrarium prorsus asseritur: nam extrema libelli verba sunt hæc: Ergo audiendi non sunt, qui mille annorum regnum terrenum esse confirmant. Hæc ibi. Accidere potuit, vt aliquis absonam opinionem è Commentario S. Victorini deraderet. Verùm nec Opus esse S. Victorini genuinum fœtum, nec epistolam esse S. Hieronymi, eruditi notarunt.* Hæc nos eo loco.

Et lib. 1. de Antichristo, cap. 1. hæc obseruauimus: *Circumfertur nomine S. Victorini, Pictauiensis Episcopi, & Martyris, Commentariolus in Apocalypsim, multa de Antichristo complectens: quem tametsi viris eruditis assenserimus, non ex omni parte Victorini genuinum esse fœtum: at esse peruetusti Authoris, aliquibus ad Opus S. Victorini, vel additis, vel detractis, haud futili credimus coniectura.*

Sed præstat aliorum ea de re audire iudicia. Xystus lib. 6. Bibliothecæ, annotatione 347. *Cùm Commentariolum, qui nunc in Apocalypsim, Victorini nomine, circumfertur, semel atque iterum, ad perquirendum hunc Chiliastarum errorem, pertinaciter euoluissem; tantùm abest, vt, quod ei impingit Hieronymus, inuenerim, vt etiam in fine Opusculi inciderim in apertam erroris huius confutationem: in qua cùm Author propositum Ioannis caput catholicè differuisset, demum Commentarium suum concluserit his verbis: Ergo audiendi non sunt, qui mille annorum regnum terrenum esse confirmant: qui cum Cerintho Haretico sentiunt. Verisimile est, aut Opus non esse Victorini, & ementitam esse Præfationem, sub Hieronymi titulo Voluminι præfixam; aut inde vel ab Hieronymo, vel ab alio amico Lectore sublatam esse absurdam Victorini explanationem, & in locum ipsius eam, quæ nunc habetur, repositam.* Hæc Xystus.

Bellarminus libro de Scriptoribus ecclesiasticis, in Victorino: *Nunc solùm extat Commentarius in Apocalypsim: & de hoc ipso dubium est, an sit Victorini Opus. Scribit enim S. Hieronymus in epistola præfixa Commentario Victorini in Apocalypsim, Victorinum in isto suo Commentario secutum esse errorem Chiliastarum: quod etiam scripsit libro de Scriptoribus ecclesiasticis in Papia: at Commentarium, quod nunc extat sub nomine Victorini, non solùm hoc errore caret; sed contra hunc errorem etiam pugnat.*

Possevinus in sacro Apparatu: *Sed qui Commentariolus sub eiusdem Victorini nomine circumfertur, tantùm abest, vt hunc errorem Chiliastarum contineat, vt apertè in fine Opusculi errorem hunc confutet. Et verisimile est, aut Opus non esse Victorini, & ementitam esse Præfationem sub Hieronymi titulo Voluminι præfixam; vel ab alio amico Lectore sublatam esse absurdam Victorini explanationem, & in locum ipsius eam, quæ nunc habetur, esse repositam.*

Ioannes Maria, sacri Palatij Magister, in Indice expurgatorio, pag. 83. *Non desunt autem coniecturæ, quæ hoc Opus S. Victorino abstrahunt. Primùm, eum S. Hieronymus in 36. caput Ezechielis inter Patres Chiliastas enumerat: at Author huius Commentarij longè abest ab eo errore: postremis enim verbis libri ait: Ergo audiendi non sunt, qui mille annorum regnum terrenum esse confirmant. Deinde colum 250. D, citat Epitomen Theodori de numero librorum Scripturæ sacræ: constat autem, Victorinum martyrio occubuisse in persecutione Diocletiani; & Theodorum sub Iustiniano vixisse. Forsan Opus detractionibus, additionibus, mutationibus alicuius audacia variatum. Vide, quæ notauit ea de re Fr. Thomas Maluenda, Theologus Dominicanus, lib. 1. de Antichristo, cap. 1. & lib. 10. cap. 4. & Xystum lib. 6. Biblioth. annotatione 347. qui etiam hanc epistolam S. Hieronymi in dubium reuocat.*

Alcasar Procœmio in Apocalyp. notatione 26. sect. 4. *Cùm liber in principio habeat prologum Hieronymi, suspicari licet, ab eodem Hieronymo expurgatum fuisse: quia Victorinum constat fuisse Millenarium: in hoc autem libro nihil est, quod eam fabulam redoleat.*

Coniectura est, Authorem huius Commentarij illum esse Victorinum, de quo Cassiodorus diuinarum lectionum cap. 9. inquit: *De quo libro* Apocalypsis, *& Victorinus sapè dictus Episcopus difficilia quædam loca tractauit.* Et sanè id præstat hic Commentarius: nam non totam Apocalypsim; sed selecta quædam eius loca elucidat. Hunc verò non esse S. Victorinum, Pictauiensem Episcopum, & Martyrem; sed alium Victorinum, Episcopum recentiorem; testatur idem Cassiodorus cap. 7. cùm agens de Euangelio secundùm Matthæum, ait: *De quo & Victorinus ex Oratore Episcopus nonnulla disseruit.* Et cap. 5. cùm recenset Explanatores Ecclesiastæ inquit: *De quo libro & Victorinus ex Oratore Episcopus nonnulla*

nulla differuit. Quæ sanè S. Victorino Martyri conuenire non possunt: cùm is non fuerit Orator, sed potiùs verborum compositione, & eloquio incomptus, vt Author est S. Hieronymus in Catalogo, & epistola 13. ad Paulinum. Sed id in medio relinquo. Ambrosius Ansbertus in 11. Apocalyp. id Opus Victorino Martyri tribuit: *S. Victorinum quidem, Pictauiensem Episcopum, & Martyrem, Commentarium in Apocalyp. conscripsisse, S. Hieronymus in Catalogo affirmat.*

Prodierunt proximis annis Antuerpiæ, in nouissima editione Operum S. Thomæ Aquinatis, Commentaria in Danielem, eiusdem S. Doctoris nomine, tomo 18. qui de nouo adiectus est reliquis septendecim. Qui edidit, multis argumentis contendit, esse veram, & germanam S. Thomæ lucubrationem. Sed persuadeat aliis, quantùm volet: mihi certè nondum persuasit, ab illo ingenio, & mente, istas quisquilias profectas: nec iudicium, nec eruditionem, nec manum, nec stylum S. Thomæ hîc agnosco. Sed quale illud est (nisi mendum insit Typographi) Thenis Brabantiæ in Visitatione quadam Capitulari subscripsisse S. Thomam anno 1234? Affine forsan ei, quod scribit Lipsius in Louanio, lib. 2. cap. 17. S. Thomam Aquinatem anno 1276. Louanij in Ecclesia Prædicatorum Euangelium de superiori loco cecinisse. Nugæ! Quis nescit, S. Thomam natum anno 1224. mortuum 1274. annos tantùm quinquaginta, nec plenos vixisse? Ergo subscripsit Capitulari Visitationi puer vix decennis, & cecinit Euangelium biennio post mortem.

Si quis tamen eos Commentarios imputet S. Thomæ, reperiet, si his delectetur, multa de Antichristo, cap. 11. & 12. quæ tamen ferè ex Lyrano sunt accepta.

Sed nec Hebræorum conatus (vt ne hoc quidem prætermittamus) in rebus Antichristi prodendis desideratus est. Rabbi Iacob in lib. Abcath Rochel, hoc est, Puluis aromaticus, quem se habuisse scribit Masius postremo Indice in Iosuë, plura de bellis Messiæ cum Gog, & Magog, id est, Antichristo, disserit. Rabbini etiam Aben-Ezrah, Scelomoh, Dauid Kimchi in Commentariis Psalmorum, & Prophetarum, variis locis multa de Gog, & Magog, seu Antichristo pertractant. Non pauca quoque eiusmodi reperiuntur in Paraphrastis Chaldæis, & in Hebræorum Chronico Seder Olam, id est, Ordo sæculi, Interprete Genebrardo. Sed perfidi Iudæi post natum Christum, non animaduertunt miseri, Gog, & Magog pro ipsorum Messia, quem expectant, hoc est, ipsissimo Antichristo, depugnatores esse, vt suo loco dicemus.

Iam indicatis nominibus Authorum, quos ipse scire potui de Antichristo perscripsisse, nihil amplius habeo dicere, nisi me id non nisi magnorum virorum exemplo fecisse. Prætexuit C. Plinius præclaro suo Operi naturalis Historiæ Authorum nomina, vnde doctrinam hauserat: fecit & idem Dionysius Halycarnasseus initio Historiarum: item Cl. Ælianus in Tacticis; fecêre & insignes alij Scriptores. Et Plinius quidem disertè ad Titum Vespasianum Imperatorem præfatur: *Argumentum huius stomachi mei habebis, quòd in his Voluminibus Authorum nomina prætexui. Est enim benignum, vt arbitror, & plenum ingenui pudoris, fateri, per quos profeceris.* Et paucis interiectis: *Obnoxij profecto animi, & infelicis ingenij est, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere, præsertim cùm fœnus fiat ex mora.* Vanissimè ergo Photius in Bibliotheca numero 68. carpit Cephaleonem Gergithium: *Animi quoque nondum prorsus inanem, puerilémque gloriam repudiantis magnum satis argumentum est, è quot, quantisque Scriptoribus Historia collecta sit, iactare.* Nam quod Plinius in suo Opere, id anteà iam fecerat Gergithius in sua Historia. Et, cur id iactantia potiùs, quàm robur, & authoritas Operi fuerit?

Græcum Antichristi nomen.

CAP. V.

ANtichristi nomen expressum habetur in sacris Litteris; nec alibi, nisi in Ioannis Apostoli Epistolis, 1. Ioan. 2. 18. *Filioli, nouissima hora est: & sicut audistis, quia Antichristus venit: & nunc Antichristi multi facti sunt: vnde scimus, quia nouissima hora est.* & vers. 22. *Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.* 1. Ioan. 4. 3. *Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est: & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est.* & 2. Ioan. vers. 7. *Qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, & Antichristus.*

Constat Antichristi nomen ex particula ἀντὶ, & nomine Χρίστος. Quid verò Christus significet, nulli meliùs quàm Patres docebunt. S. Dionysius Areopagita ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 4. *Iesu nomen oleum est effusum. Christus enim appellatur, quòd ipse eximiè fragrans repleat diuina voluptate participes: est enim fons suaueolentiæ, emittens diuinos halitus in pias animas.*

Tertullianus de Baptismo aduersùs Quintillam, cap. 7. *Christus dicitur a chrismate, quod est vnctio, quæ Domino nomen accommodauit facta spiritalis: quia Spiritu vnctus est à Deo Patre.* Et aduersùs Praxeam, cap. 28. *Christum facis Patrem stultissime, qui nec ipsam vim inspicias nominis huius: si tamen nomen est Christus, & non appellatio potiùs: vnctus enim significatur: vnctus autem non magis nomen est, quàm vestitus, quàm calceatus, accidens nomini res.*

Eusebius Cæsarienses demonstrationis euangelicæ lib. 4. cap. 15. *Primúmque illud contemplemur, quidnam ipsum Christi nomen significet. Alius igitur dixisset, Mosen primum omnium in legibus posuisse eos, qui Deo consecrati essent, vnguento comparato vngi solitos. Nam propter hanc ipsam causam etiam vnguentum odoratissimum, ad vngendi vsum vnguentaria arte componi solitum, vt eo vngerentur qui communibus rebus publicè præficiendi fuissent: & Christi nomen primùm Mosen ita, qui ita vngerentur, imposuisse. Id autem vnctionis genus non solùm Pontificibus fuisse traditum; sed & Prophetis, & Regibus, qui posteà fuerint, quibus etiam ipsis solis hoc vnguento vngi fas esset.* Deinde ostendens, oleum illud corporeum diuini olei fuisse symbolum, subdit: *Huius itaque supremæ, atque ingenitæ diuinæ essentiæ virtutem illam, quæ omnia valet, omne bonum præstat, omnem pulchritudinem subministrat, diuinus Spiritus proprio, & conuenienti exemplo conferens, atque accommodans, Dei oleum appellat. Quare & Christum, & vnctum eum, qui illius particeps sit, vocat.* Et post alia: *Eum, qui solus hoc oleo vnctus est, quique diuinæ, atque eius, quæ cum nullis aliis communicatur, paternæ fragrantiæ particeps factus: & qui solo ex illo genitus Deus Verbum, communicatione gignentis ingeniti, Deus de Deo est declaratus, Christum, atque vnctum vocauit.* Et lib. 1. ecclesiasticæ Historiæ, cap. 3. *Neque soli ij, qui honore donabantur summi Sacerdotij, quique oleo ad eam rem præparato arcani cuiusdam*

cuiuſdam myſterij gratiâ vngebantur, Chriſti nomine inſigniter apud Hebræos decorati fuerunt: ſed Reges etiam, quos quidem Prophetæ diuini Numinis inſtinctu oleo perfundentes, Chriſtos quoſdam, hoc eſt, vnctos, qui Chriſtum ſpecie adumbrarent, effecerunt: propereà quòd illi effigiem, & figuram regiæ, ac primariæ poteſtatis, quæ in ſolo, & vero Chriſto, Verbo Dei omnia moderante cernitur, per ſe ipſi exprimebant. Iam verò nonnullos è Prophetæ vnctione quadam Chriſtos, id eſt, vnctos factos, imagine, & figurâ Chriſtum futurum præſignificantes accepimus: vſque adeò vti omnes ij ad verum Chriſtum, diuinum, & cæleſte Verbum, qui ſolus ſummus totius Orbis Sacerdos eſt, ſolus cuiuſque creaturæ Rex eſt, ſolus inter Prophetas ſummus Patris Propheta eſt, apte, & congruenter referantur. Huius rei illud poteſt eſſe argumento, quòd nemo hactenus veterum, ſiue Sacerdotum, ſiue Regum, ſiue Prophetarum, qui per ſymbola vngebantur, tantam diuinæ virtutis vim & facultatem ſit conſecutus, quantam Seruator, & Dominus noſter Ieſus, qui ſolus, & verus Chriſtus, id eſt, vnctus, declaratus eſt. Nullius enim ex illis erat, quantumuis amplitudine, & honore toti ſæculorum ætates apud ſuos nobilitatus, qui aliquando ex eâ figuratâ Chriſti appellatione ſubiectos ſuos Chriſtianorum nomine decorauerit. Et poſt alia: *Verius tamen, & magis quàm illi omnes Chriſtus nominatus fuit; & vt ſolus, & verus Chriſtus, id eſt, vnctus Dei, per auguſtam reuerà, & ſacroſanctam ipſius appellationem mundum Chriſtianis compleuit vniuerſum.* Pergit exponere, quemadmodum Chriſtus diuino oleo vnctus, & delibutus fuerit.

Lactantius Firmianus appoſitè admodum lib. 4. diuinarum inſtitutionum, cap. 7. *Chriſtus non proprium nomen eſt, ſed nuncupatio poteſtatis, & regni: ſic enim Iudæi Reges ſuos appellabant. Sed exponenda huius nominis ratio eſt propter ignorantium errorem, qui eum immutata littera Chreſtum ſolent dicere. Erat Iudæis antè præceptum, vt ſacrum conficerent vnguentum, quo perungi poſſent ij, qui vocabantur ad ſacerdotium, vel ad regnum. Et ſicut nunc Romanis indumentum purpuræ, inſigne eſt regiæ dignitatis aſſumptæ: ſic illis vnctio ſacri vnguenti, nomen, ac poteſtatem regiam conferebat. Verùm, quoniam Græci veteres χρίεσθαι dicebant, vngi, quod nunc ἀλείφεσθαι, ſicut indicat Homericus verſus ille:*

Αὐτὰρ ἥ δμῳαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ. hoc eſt:

Eos autem famulæ lauerunt, & vnxerunt oleo.

Ob hanc rationem nos eum, Chriſtum nuncupamus, id eſt, vnctum, qui Hebraicè Meſſias dicitur.

Et verò Chriſtum à chriſmate, id eſt, vnctione, vnguento, oleo dictum, quaſi vnctum, ſeu delibutum: inde quoque Chriſtianorum appellationem tractam, Patres ſummo conſenſu tradidêre, S. Theophilus, Epiſcopus Antiochenus, lib. 1. ad Autolycum, Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum, cap. 2. S. Cyprianus tractatu de vnctione Chriſmatis. S. Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi Myſtagogica 3. S. Baſilius homilia 1. de laudibus ieiunij, S. Gregorius Nazianzenus oratione 36. verſùs finem, S. Chryſoſtomus homil. 116. in Pſal. 12. & homilia de Cruce, tomo 3. S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarum, cap. 13. & lib. 17. de ciuitate Dei, cap. 16. S. Iſidorus lib. 7. Originum, cap. 2. & innumeri alij.

Henricus Stephanus, qui Græcarum vocum notiones ex profeſſo perſcrutatus eſt, hæc in Theſauro ſcribit: Χριστὸς, *peculiari nomine dictus fuit Filius Dei, & Seruator noſter, eodémque ſenſu Hebræis Meſſias, quoniam ipſe verè erat Sacerdos, Propheta, & Rex: ea enim tria hominum genera ſola ſacro oleo inungi ſolebant, vt patet ex Leuitici 21. 3. Reg. 19. & 1. Reg. 10. & 16. & 2. Reg. 2. & 5. & 3. Reg. 1. Latini quoque Scriptores eum vocare Chriſtum maluerunt ſeruato Græco vocabulo, quàm Latino Vnctum, ſeu Delibutum nominare.*

Quod Lactantius aiebat, ignorantes errore immutata litterâ pro Chriſto, Chreſtum dicere ſolitos: ita quidem olim initio naſcentis Eccleſiæ Gentiles ignorata nominis ratione Chriſtum, *Chreſtum*, & Chriſtianos *Chreſtianos* appellabant. Suetonius in Claudio, cap. 25. *Iudæos impulſore Chreſto, aſſiduè tumultuantes Româ expulit* Chreſto enim legendum in Suetonio, non Chriſto, Sabellicus, Pithæus, Torrentius, Caſaubonus, Lipſius, Marcellus Donatus, nouerunt. Sed, quod Marcellus exiſtimauit, hîc non de Chriſto Seruatore, ſed de Chreſto quodam ſeditioſo Iudæo Tranquillum loquutum, refellitur à Paulo Oroſio lib. 7. c. 6. & omnium conſenſu.

Idem Suetonius in Nerone, cap. 16. *Afflicti ſupplicijs Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis nouæ, ac maleficæ.* Tacitus Annali 15. cap. 44. *Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos, vulgus Chreſtianos appellabat. Author nominis eius Chreſtus, qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.* His enim locis *Chriſtianos* & *Chreſtum* per *e*, legendum, & obſeruarunt Pithæus, Pammelius, & Lipſius, & ſtatim ex Patribus oſtendemus. Lucianus in Philopatre: *Si quidem & inter gentes Chreſtus fuerit.* Hinc occaſionem nacti Patres, nominis *Chreſt* interpretationem illuſtrem quidem, ac ſplendidam ad Chriſtum aptè traduxerunt. S. Iuſtinus, Martyr, Apologia 2. pro Chriſtianis ad Anthoninum Pium Imper. *Chreſtiani enim eſſe deferimur: atqui Chreſton, hoc eſt, commodum, & bonum odiſſe iniuſtum eſt.* Vbi *Chreſtiani* legendum monuit Sylburgius. Tertullianus Apologetici cap. 3. *Chriſtianus verò, quantum interpretatio eſt, de vnctione deducitur: ſed & cùm perperam Chreſtianus pronuntiatur à vobis, (nam nec nominis certa eſt notitia penes vos,) de ſuauitate, vel benignitate compoſitum eſt.* Hæc idcircò Patres, quòd Græcè χρηστὸς vtilis, commodus, bonus, probus, mitis, clemens, benignus, ſuauis, iucundus ſit. Et Suidas: Χρηστὸς, *bonus ex charitate, ſed non neceſſitate.* Χριστὸς, *oleo vnctus: & Chriſtus Dominus Deus noſter.* Verùm de hac re pleniùs egerunt Petrus Pithæus aduerſariorum ſubceſiuorum lib. 2. cap. 3. Iacobus Pammelius, & Franciſcus Iunius in Notis ad Tertullianum, Apologet. cap. 3. Baronius Annali 1. anno 43. num. 13. S. Iuſtinus, Martyr, in Apologia 1. interprete Ioanne Lango: *Chriſtus quidem ex eo, quòd per illum Deus omnia conformauerit, atque ornauerit, appellatur.* Scaliger in Euſebianis, num. 1983. pag. 150. colum. 2. *Quòd ait, Chriſtum dictum eſſe, quia Deus per illum condiderit omnia, & ornauerit, tunc locum haberet, ſi τὸ χρίειν, eſſet condere, & ornare.* Χριστὸς μὲν κ' τὸ κεχρῖσθαι, καὶ κοσμῆσαι. *Legendum verò κ' τὸ χρῖσαι. Dictus Chriſtus, quia Deus per eum vnxerit, & ornauerit omnia.* Certè Sigiſmundus Gelenius interpretatur: *Chriſtus quidem, eò quòd vnctus ſit, & per ipſum Deus diſponat, ordinéque omnia, vocatur.* Atque de nomine Chriſti ſatis.

Vim verò & notionem particulæ, ἀντὶ, Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 1. multa cum cura expendit. Henricus Stephanus, qui maiori otio ex inſtituto iſta tractauit, plurima de hac voce differit, & inter alia: *Anti*, inquit, *in compoſitione æqualitatem indicat, vt Antitheos, Antiamira, Antichriſt: ſed multò plura ſunt compoſita, in quibus anti, ſignificat contra, ſiue aduersùs.* Equidem Antitheos, æqualis Deo, æquiparandus Deo, vel par Deo, aut potiùs, contrarius Deo, aduerſarius Deo. Quo nomine

mine S. Chryſoſtomus in 2. Theſſalonicen. 2. Antichriſtum appellat. *Antianira*, inquit idem Stephanus, *Amazonum epithetum, quòd viris, aut pares eſſent, & æquiparandæ; aut aduerſariæ, eorúmque conſuetudinem abnuerent. Antithir*, inquit Macrobius lib. 7. Saturnaliorum, cap. 13. *apud Græcos pollex vocatur, quaſi manus altera.* Sed & Stephanus: *Pollex exiſtimatur appellatum eſſe antichir, quaſi qui pro manu ſit, ac inſtar omnium reliquorum digitorum manus; quo, videlicet, dempto, manca planè futura ſit manus, & mancus eius vſus. Antichir ſis à Græcis videtur dictus, inquit Galenus, quòd ſolus ipſe tantùm valeat, polleátque, quantùm reliqui quatuor. Latinè Promanus appellari poſſit. Siquidem manus actiones omnes per eum habet firmiores, eo ſolo tantùm roboris præbente, quantùm reliqui digiti ſimul iuncti. Sunt tamen, qui Antichira dictum velint, quòd cæteris digitis oppoſitus ſit, & ex aduerſo ſitus.* Hactenus Henricus. Et Macrobius ibidem: *Pollex nomen ab eo, quòd polleat, accepit.* Litteris hieroglyphicis robur, validáſque indicat vires, apud Pierium Hieroglyphicorum lib. 36. *Antidotos*, contradatum, contrarium remedium. *Antipathia*, contrapaſſio, ſeu repugnantia. *Antipodes*, qui contraria nobis vrgent veſtigia. *Antiproſopos*, oppoſitam faciem habens, ſeu obuerſam. *Antidoron*, donum dono relatum, contradonum, remuneratio. *Antigramma*, contra ſcriptum, contrarium ſcriptum. *Antiſtrophos*, oppoſitus, obuerſus. *Antilogia*, contradictio, refragatio, reclamatio. *Antinomia*, lex contraria. *Antipalos*, contrapugnator. *Antirrhiſis*, altercatio, refragatio, controuerſia, contradictio. *Antichoria*, oppoſita chori pars. *Anticleiſhron*, contraclauis, ſeu adulterina clauis. *Antiphraſis*, contraria locutio. *Antitheſis*, contrapoſitio, oppoſitio. *Anticharis*, gratia, quæ viciſſim confertur in aliquem; gratia, quæ refertur, ſeu rependitur pro accepto beneficio.

Antipeponthos, ius quoddam, cuius meminit Ariſtoteles 2. Politicorum, cùm quis factis perfert æqua, æquale repenſum. Budæus in Pandectas, pag. 62. talionem Latinè dici ait: Cœlius tamen Lectionum antiquarum libro 23. c. 17. repaſſum, ſiue contrapaſſionem; Latiniùs, talionem. *Antipelargin*, verbum vſurpatum adagiis Græcorum, quod eſt promerentibus gratiam in tépore referre, gratum eſſe, beneficium rependere: & *Antipelargia* eiuſmodi gratię relatio, à ciconia dicta, quæ Græcè *Pelargos* appellatur: ciconiæ enim magna pietate parentes ſenio iam confectos alis ſuis impoſitos vehunt, alúntque: nec ſolùm genitricum ſenectam inuicem educant, ſed etiam duces feſſos ad terga recipiunt, eis infantię ſuæ vices rependentes, vti Ariſtophanes in auibus, Plinius lib. 10. c. 23. Ælianus lib. 3. cap. 42. S. Baſilius homil. 8. in Hexaëmeron, S. Ambroſius lib. 5. in Hexaëmeron, cap. 16. Sed de verbo, *Antipelargin* Suidas in Hiſtoricis, Eraſmus in Adagiis, Budæus in Pandectas, pag. 50. Henricus Stephanus in Appendice Theſauri.

Antiſtrategos, inquit Henricus, *qui eſt loco Imperatoris, vicem gerens Imperatoris, qui locum Imperatoris obtinet: exponitur etiam Proprætor, Legatus Prætoris, Legatus Conſulis.* Budæus in Commentariis linguæ Græcæ: *Antiſtrategos, Legatus Conſulis, vel Prætoris, apud Demoſthenem.* Bellarminus verò: *Antiſtrategos non ſignificat vicarium Ducis, ſed ordinariè contrarium ducem, & interdum eum, qui eſt loco Ducis, nõ vt illi ſubiectus; ſed vt æqualis: quomodo apud Latinos Proprætor, vel Proconſul non ſignificat Vicarium Prætoris, vel Conſulis: ſed eum, qui eſt in aliqua Prouincia, id, quod eſt Prætor, vel Conſul in Vrbe.* Gloſſæ veteres ab Henrico Stephano, & Bonauentura Vulcanio editæ: *Ἀντιστράτηγος, Prolegatus. Ἀντιταμίας, Proquæſtor. Ἀντιστράτηγος, Proprætor.* Sed de officio & authoritate Proprętorum multa collegit Ioannes Roſinus, Antiquitatum Romanarum lib. 7. cap. 43. Addit verò Henricus: *Antiſtrategos dicitur etiam contraria partis Imperator, hoſtium Imperator apud Thucydidem.* Sed exemplorum iam ſatis. Sententia Bellarmini eſt: *Vox, ἀντὶ, apud Græcos propriè ſignificat oppoſitionem: & quoniam opponi dicuntur non ſolùm ea, quæ pugnant inter ſeſe; ſed etiam ea, quæ æquipollent; inde factum eſt, vt, ἀντὶ in compoſitione interdum ſignificet contrarietatem, interdum æquiualentiam; nunquam autem ſubordinationem.* Sed de particula, ἀντὶ, videquoque Fungerum in Etymologico, verbo, *Antichriſtus.*

Antichriſtus propriè ſignificat contrarium, aduerſarium Chriſto.

CAP. VI.

SEnſus communis omnium Orthodoxorum ſemper fuit, Antichriſtum propriè ſignificare contrarium, ſeu aduerſarium Chriſto. S. Hilarius libro ad Catholicos Epiſcopos contra Arianos, vel Auxentium Mediolanenſem: *Nominis Antichriſti proprietas eſt, Chriſto eſſe contrarium.*

S. Hieronymus epiſt. 151. ad Algaſiam, quæſtione 11. *Ipſe eſt enim vniuerſorum peruitio, qui aduerſatur Chriſto, & ideò vocatur Antichriſtus.*

S. Auguſtinus tractatu 3. in 2. Ioannis Epiſtolam: *Latinè Antichriſtus contrarius eſt Chriſto: non quomodo nonnulli intelligunt, Antichriſtum ideò dictum, quòd ante Chriſtum venturus ſit, id eſt, poſt eum venturus ſit Chriſtus: non ſic dicitur, non ſic ſcribitur: ſed Antichriſtus, id eſt, contrarius Chriſto.*

S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 8. Originum, cap. 11. *Antichriſtus appellatur, quòd contra Chriſtum venturus eſt: non quomodo quidam ſimplices intelligunt, Antichriſtum ideò dictum, quòd ante Chriſtum venturus ſit, & poſt eum veniat Chriſtus: non ſic; ſed Antichriſtus Græcè dicitur, quod eſt Latinè contrarius Chriſto: ἀντὶ enim Græcè in Latinum, contrà ſignificat.*

S. Ioannes Damaſcenus lib. 4. Fidei orthodoxæ, cap. 27. *Veniet, non pro Chriſto, ſed aduersùs Chriſtum: qua etiam de cauſa Antichriſtus dicitur.* Ambroſius Ansbertus in 13. Apocalypſis: *Nam & Antichriſtus Chriſto contrarius interpretatur.* Sed in re nimiùm perſpicua nihil opus eſt pluribus teſtibus. Duos tantùm adiungo à Romana Eccleſia alienos. Henricus Stephanus in Theſauro: *Antichriſtus, qui Chriſto ſe opponit, Chriſti aduerſarius.* Bartholomæus Vueſthemerus in Phraſibus ſacræ Scripturæ: *Nihil enim aliud eſt Antichriſtus, quàm aduerſarius Chriſti.* Vide Ioannem Fungerum in Trilingui Etymologico, verbo, *Antichriſtus.*

Cæterùm, quemadmodum nomen Chriſti interdum generale eſt in Scriptura, vniuersè complectens omnes Deo conſecratos homines, & ad publicam functionem ritu ſolenni ſacri olei, & vnguenti inunctos, vt Sacerdotes, Prophetas, Reges: cuius appellationis exempla non pauca ſunt obuia in ſacris Litteris: quo ſenſu conſtat dictum Pſal. 104. 5. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Aliquando verò propriè, & ſingulariter quendam eximium, & magnum Chriſtum, ſeu Vnctum deſignat, cuius alij Chriſti extiterint typi, & veluti præcurſores; nempe, per antonomaſiam Ieſum Nazarenum, Marię Virginis Filium, verum Deum, & hominem, Seruatorem noſtrum, & Propugnatorem,

generis

generis humani Monarcham ſempiternũ, ſupremum ac maximũ Sacerdotem, Regem, ac Prophetam; quem adumbrauerint, ac pręcucurrerint omnes pij & optimi Sacerdotes, Reges, Prophetæ veteris Teſtamenti, vnctum, & delibutum diuinitùs oleo lætitiæ prę conſortibus ſuis, quem Hebræi κατ' ἐξοχὴν, appellare ſolent מלך המשיח *Melech ha Maſſiach.* Regem illum vnctum, vt notat Mercerus in Theſauro. Pari quoque ratione, ſi generalem nominis rationem ſpectemus, Antichriſti appellatio in eos omnes competit vniuersè, qui quauis ratione Chriſto Domino aduerſati ſunt, & peculiariùs in illos, qui ſe veros Meſſias, & Chriſtos mendacio confinxerunt: ſic Apoſtoli, & ſancti Patres, hæreticos, qui Chriſtum oppugnarunt, eiúſque ſacram œconomiam ſuis erroribus conuellere conati ſunt; atque eos in primis, qui ſe Chriſtos eſſe mentiti ſunt, Antichriſtos vocare conſueuerunt. 1. Ioan. 2. 18. *Nunc Antichriſti multi facti ſunt.* Tertullianus de præſcriptionibus aduersùs Hæreticos, cap. 4. *Qui Antichriſti interim, & ſemper, niſi Chriſti rebelles? Hoc erunt hæreſes, non minùs doctrinarum peruerſitate Eccleſiam laceſſentes, quam tunc Antichriſtus perſecutionum atrocitate perſequetur: niſi quòd perſecutio & Martyras facit, hæreſis apoſtatas tantùm.* S. Cyprianus epiſt. 76. ad Magnum: *Beatus Ioannes Apoſtolus vniuerſos, qui de Eccleſia exiſſent, quique contra Eccleſiam facerent, Antichriſtos appellauit. Vnde apparet, aduerſarios Domini Antichriſtos omnes eſſe, quos conſtet à charitate, atque ab vnitate Eccleſiæ Catholicæ receſſiſſe.* Didymus Alexandrinus in 1. Ioan. 2. *Illi ſint Antichriſti, qui ab Eccleſia Saluatoris abſceſſerint, vt etiã præſidere videantur hæreſibus. Conſequens eſt enim, quòd qui ſemetipſos à collegio fidelium ſegregarunt, Antichriſti ſunt: quomodo enim non ſunt Antichriſti, qui contraria ſapiunt, quàm Chriſti confitetur Eccleſia?* S. Hieronymus in Nahum 2. verſ. 11. *Audiſtis, inquit Ioannes, quia Antichriſtus veniet: nunc autem Antichriſti multi ſunt: tot enim Antichriſti ſunt, quot dogmata falſa.* S. Epiphanius Hæreſi 26. *Et nunc Antichriſti multi ſunt, nimirum cùm ij Antichriſti ſint, qui Chriſtum in carne veniſſe non confitentur.* S. Hilarius lib. contra Auxentium: *Antichriſtos plures eſſe, Apoſtolo Ioanne prædicante, cognouimus. Quiſquis enim Chriſtum, quem ab Apoſtolis eſt prædicatum, negauit, Antichriſtus eſt.* S. Iſidorus Originum lib. 8. c. 11. *Sed & ille Antichriſtus eſt, qui negat eſſe Dominum Chriſtum: contrarius enim Chriſto eſt: omnes enim, qui exeunt de Eccleſia, & ab vnitate fidei præcidantur, & ipſi Antichriſti ſunt.* Et nihil frequentiùs in Patribus reperitur, quàm Hæreticos, Eccleſiæ hoſtes, & perduelles, Antichriſtorum nomine cenſeri.

At verò Antichriſtus, per antonomaſiam, & nequitiæ exceſſum, illum propriè ſignificat certum, & peculiarem hominem, qui veri, & vnici Chriſti Domini acerbiſſimus, & infeſtiſſimus omnium, quotquot fuerunt, vel erunt, hoſtis & aduerſarius futurus eſt: qui cum legitimo Chriſto Seruatore humani generis de dignitate, de Diuinitate certabit: quem in fine mundi venturum vniuerſus Orbis magno jam metu formidat: quem vaticinia, & oracula Prophetarum, Apoſtolorum prædicta, ſanctorum Patrum perennis traditio, Theologorum ſcripta, Chriſtiani Orbis conſenſio magnis ſermonibus loquuntur: qui ſe Deum, & verum Chriſtum eſſe, palam affirmabit: qui dictis, factiſque Ieſum Chriſtum Dei Filium impudenter abnegabit, & Chriſtianam Religionem crudeliſſimâ poſt omnium ſæculorum memoriam perſecutione radicitùs extirpare conabitur; quem omnes alij inſigniter peſſimi Antichriſti figurauerint, & adumbrauerint: de quo ſolo ingens hoc Opus integrè à nobis inſtitutum eſt. S. Ioannes Damaſcenus lib. 4. orthodoxæ fidei, cap. 27. *Omnis, qui Filium Dei, ac Deum in carne veniſſe, ac Deum perfectum eſſe, atque hominem perfectum minimè confitetur, Antichriſtus eſt. Cæterùm peculiari, ac præcipuo modo Antichriſtus ille dicitur, qui ſub mundi cataſtrophen venturus eſt.*

De hoc Antichriſto proculdubiò locutus eſt Ioannes Epiſtol. 1. cap. 2. 18. *Filioli, nouiſſima hora eſt: & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit.* Vbi verbum, *venit*, præſentis temporis eſt è Græco, poſitum pro futuro, more prophetico, propter rei certitudinem, vt Caietanus annotauit: quaſi dicat: Certiſſimè venturus eſt in fine mundi. Vatablus: *Audiſtis, quòd Antichriſtus venturus ſit.* Qua etiam ratione legit S. Auguſtinus in hunc locum, & de Ciuit. Dei, lib. 20. c. 19. S. Hieronymus in Nahum 2. verſ. 11. habet: *Audiſtis, quia Antichriſtus veniet.* Felicianus Oecumenij Interpres: *Audiſtis Antichriſtum venire. Venit*, præſenti tempore, dicere ſolemus, quod iam vel vt in proximo acceſſu eſt, & quaſi breui capitibus noſtris imminet. Sic dicimus, mundi finis venit, bellum venit, peſtis venit. Diſertè Oecumenius: *Confirmat autem eſſe extremam horam, ſiue peſſimam, ſiue vltimam intelligas, ex Antichriſto. Si enim, inquit, Antichriſtum in extremis temporibus, atque vltimis expectamus; nunc verò Antichriſti multi extiterunt; (de Cerintho autem, & ſimilibus intelligit;) tempus extremum mundi conſummationis impendere perſpicuum eſt, cùm multi Antichriſtiani illi præeant.*

Atqui Ioannem hîc de Antichriſto antonomaſticè locutum, S. etiam Auguſtinus, S. Beda, Strabus Monachus, Lyranus, Eraſmus, Caietanus, Gagnæius, Guillaudus, Titelmannus, omnes in hunc locum conſentiunt: & ex recentioribus, qui ſcripſerunt de Antichriſto, innumeri. Et 1. Ioan. 4. 3. *Hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit.* Eſt quoque, *venit*, ex Græcis præſentis temporis. In S. Auguſtino tractatu 6. duplex eſt lectiò: *De quo audiuit, quòd futurum ſit.* Vel, *de quo audiſtis, quòd venturus ſit.* Poſteriorem hanc lectionem habet quoque Dydimus Alexandrinus. Sed & hîc ſermonem eſſe de vero Antichriſto in fine ſæculi venturo, omnes intelligunt. Quod autem addit Ioannes: *Et nunc in mundo eſt.* in eundem ſenſum Patres exponunt: Didymus: *Figuraliter itaque dicit de Antichriſto, quem venire audiuimus, quia iam in mundo eſt, hoc eſt, per Pſeudoprophetas, & Spiritus errorum.* S. Beda: *Venit, imminente die Judicij, nato in mundum homine illo cæteris amplius nefando, filio iniquitatis. Et nunc iam in mundo eſt, habitans in mentibus eorum, qui Chriſto, vel in profeſſione, vel opere ſine remedio pœnitendi repugnant.* Oecumenius: *In mundo eſſe iam Antichriſtum inquit, non corporaliter, ſed per falſos Prophetas, & falſos Apoſtolos, & Hæreticos, qui prauij ipſi ſunt.* Eadem Anſelmus Laudunenſis, & recentiores, Caietanus, Gagnæius, Guillaudus, Titelmannus. Porrò illa loca 1. Ioan. 2. 22. *Quis eſt mendax, niſi is, qui negat, quoniam Ieſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium.* Et 2. Ioan. 1. 7. *Qui non confitentur Ieſum Chriſtum veniſſe in carnem: hic eſt ſeductor, & Antichriſtus.* intelligenda eſſe de vero Antichriſto, impiorum Capite, lib. 8. c. 2. docebimus.

Quòd verò Antichriſti nomen in ſacris Litteris,

tis, & apud Patres, cùm illum indicat maximum & primarium Antichriſtum, de quo propriè tantùm Opus ordimur, nihil aliud proprie ſignificet, niſi ſæuiſſimum Chriſti aduerſarium, & hoſtem omnium truculentiſſimum, qui ſe verbis, & factis verum Chriſtum conſtituat, abnegato, & repudiato Ieſu Chriſto Dei Filio; & Scripturæ, & Patres, & totius Chriſtiani Orbis certiſſima traditio tam perſpicuè docent, vt delirium ſit ambigere. Paulus 2. Theſſal. 2.4. *Homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut colitur; ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquàm ſit Deus* Daniel. 11. 36. *Et eleuabitur, & magnificabitur aduersùs omnem Deum; & aduersùs Deum Deorum loquetur magnifica.* & ver. 37. *Et Deum Patrum ſuorum non reputabit, nec quenquam Deorum curabit: quia aduersùs vniuerſa conſurget.* Chriſtus Ioan. 5.43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit,* Antichriſtus, *in nomine ſuo,* ſe Chriſtum aſſerens, *illum recipietis.* Sed ſunt nobis hæc loca in progreſſu Operis exquiſitè explananda.

Lucifer libro de non parcendo in Deum delinquentibus: *Nihil Antichriſtus acturus eſt, niſi vt negetur vnicus Dei Filius.* S. Hieronymus epiſt. 151. ad Algaſiam, quæſt. 11. *Ipſe eſt enim vniuerſorum perditio, qui aduerſatur Chriſto: & ideò vocatur Antichriſtus.* S. Iſidorus lib. 8. Originum, c. 11. *Antichriſtus appellatur, quòd contra Chriſtum venturus eſt: Chriſtum enim ſe mentietur, dum venerit, & contra eum dimicabit, & aduerſabitur Sacramentis Chriſti, vt veritatis eius Euangelium ſoluat.* Rabbanus Tractatu de Antichriſto: *De Antichriſto ſcire volentes primò notabitis, quare ſic vocatus ſit: ideò, ſcilicet, quia Chriſto in omnibus contrarius erit, & Chriſto contraria faciet.* S. Anſelmus in 2. Theſſal. 2. *Qui ſcilicet, homo peſtifer aduerſabitur Chriſto, ideò vocatur Antichriſtus, id eſt, contrarius Chriſto.* Sed nihil opus eſt, ſententias de hac re Patrum plures coaceruare, cùm in toto hoc noſtro Opere nihil magis ex Scriptura, & Patribus ſimus demonſtraturi, quàm Antichriſtum futurum omnium, quotquot ante ſe fuerunt, crudeliſſimum & truculentiſſimum Chriſti Filij Dei hoſtem, & aduerſarium.

Attamen quemadmodum Angelus Gabriel ſuauiſſimum ſacri nominis IESV etymon dilucidè Ioſepho, ſponſo Virginis, explicauit, Matth. 1. 21. *Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* ita quoque Ioannes, cùm in 1. Epiſt. 2. 22. ait: *Qui negat, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, hic eſt Antichriſtus.* nihil aliud proculdubiò voluit indicare, quàm propriam, & genuinam Antichriſti notam eſſe negare Ieſum Chriſtum, & Chriſto in omnibus eſſe contrarium, & aduerſarium.

Hebraicum Antichriſti nomen.

CAP. VII.

NOn eſt dubium, quin Antichriſtus Hebraicè nuncupari rectè poſſit עַל־מָשִׁיחַ *Al Maſſiach*, id eſt, contra Meſſiam, vel aduersùs Chriſtum: quæ vox extat Pſal. 2. 2. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius.* Hebraïce, עַל־מְשִׁיחוֹ *Al Meſſicho.* Sanderus exiſtimat poſſe quoque commodè appellari שָׂטָן *Satan*: nimirum שָׂטָן לְמָשִׁיחַ *Satan le Maſſiach*, id eſt, hoſtis, oſor, aduerſarius, impeditor Meſſiæ. Quid verò Meſſias, Hebraicè ſignificet, notum eſt, & abundè docent, Sanctes, Forſterus, Auenarius, Mercerus, Marinus, Schintlerus in Lexicis Hebraïcis, & Caninius de vocibus Hebraïcis noui Teſtamenti, cap. 13.

Sed nullum Hebraïcum vocabulum ita exactè vim, & notionem nominis Antichriſti exprimere putamus, vt בְּלִיַּעַל *Beliaal*, ſeu, vt Latini enuntiant, *Belial.* De qua voce, quid in hac lingua ſudauerimus, nonnullum ſpecimen edamus, rogatâ priùs lectoris patientiâ. Inuenitur hoc nomen vicies & ſepties in Hebraïco cõtextu veteris Inſtrumenti, & ſemel 2. Corinth. 6. 15. Vulgatus Interpres tredecim locis ininterpretatam reliquit. Deuteron. 13. 13. *Egreſſi ſunt filij Belial.* Septuaginta, *filij exlegum,* tranſgreſſorum. *Viri iniqui.* Chaldæus, *filij impietatis.* Deuteron. 15. 9. *Ne forte ſit verbum cum corde tuo Beliaal.* Lxx. *in corde tuo iniquitas.* Chaldæus, *cum impietate.* Noſter, *impia cogitatio.* Iudicum 19. 22. *Venerunt viri ciuitatis illius filij Belial.* Lxx. *filij iniquorum.* Noſter, *filij Belial, id eſt, abſque iugo.* Iudicum 20. 13. *Et nũc date viros filios Beliaal.* Lxx. *filios iniquorum.* Noſter, *qui hoc flagitium perpetrarunt.* 1. Reg. 1. 16. *Quaſi vnam de filiabus Belial.* Lxx. *filiam peſtilentem.* Chaldæus, *filiam impietatis.* Theodotion, *vnam indiſciplinatarum.* 1. Reg. 2. 12. *Filij Heli, filij Belial.* Lxx. *peſtilentes.* Chaldæus, *filij improbi.* S. Ephrem Apologia Heli Sacerdotis, *filij perditi.* 1. Reg. 10. 27. *Filij verò Belial dixerunt.* Lxx. *filij peſtilentes.* 1. Reg. 25. 17. *Ipſe eſt filius Belial.* Lxx. *filius peſtilentiæ.* & verſ. 25. *ad virũ Belijaal iſtum.* Lxx. *peſtilentem.* Noſter, *iniquum.* Chaldæus, *ſtultum.* 1. Reg. 30. 22. *Reſpondénſque omnis vir malus, & Belijaal.* Lxx. *peſtilens.* Noſter, *iniquus.* 2. Reg. 16. 7. *Et vir Belial* Lxx. *iniquus.* & cap. 20. *Vt ibi eſſet vir Belial.* Lxx. *Vir iniquus, vel peſtilens.* & cap. 22. 5. *Torrentes Belial.* Lxx. *iniquitatis.* Chaldæus, *peccatorum.* & cap. 23. 6. *& Belijaal quaſi ſpina.* Lxx. *Iniquus.* Noſter. *preuericatores.* 3. Reg. 21. 10. *Duos viros, filios Belial.* Lxx. *filios iniquorum.* & verſ. 13. *Filij Belijaal.* Lxx. *filij iniquorũ.* Noſter, *filiis Diaboli.* Eodem verſ. *homines Belijaal.* Lxx. in Complutenſi & Regia editione, *Viri apoſtaſiæ.* Noſter, *Viri diabolici.* 2. Paralip. 13. 7. *Filij Belial.* Lxx. *Filij iniqui.* Iob 34. 18. *Qui dicit Regi, Beliaal.* Lxx. in Cõplutenſi, & Regia editione, *Iniquus.* in Romana verò, *iniuſtè agis.* Noſter, *Apoſtata.* Pſal. 17. 5. *Torrentes Belijaal.* Lxx. & Noſter, *Iniquitatis.* Pſal 40. 9. *Verbum Belijaal.* Lxx. & Noſter *Iniquum.* S. Hieronymus, *Diaboli.* Pſal. 100. 3. *Verbum Belial.* Noſter, & Lxx. *Rem iniuſtam.* Prouerbiorum 6. 12. *Homo Belijaal.* Lxx. *Inſipiens.* Chaldæus, *Calumniator.* Noſter, *Apoſtata.* Cap. 16. 27. *Vir Belijaal.* Noſter, *Impius.* Lxx. *Imprudens.* Aquila, *Apoſtaſiæ.* Symmachus, *Intolerabilis.* Chaldæus, *Calumniator* & cap. 19. 28. *Teſtis Belijaal.* Lxx. *Imprudentem.* Aquila, Theodotion, & Noſter, *Iniquus* Nahum, 1. 11. *Conſulens Belijaal.* Lxx. *Cogitans contraria.* Noſter, *Mente pertractans præuaricationem.* & v. 15. *Pertranſeat in te Belial.* Lxx. *Vt pertranſeat in veteſtatem.*

S. Hieronymus in Iſaiæ 27. initio: *Belial, id eſt, Apoſtata, præuaricator, & abſque iugo. Vnde & Apoſtolus: Quæ, inquit, communicatio Chriſti ad Belial? Et vbicunque* Lxx. *ponunt, filios peſtilentiæ, in Hebraïco ſcriptum eſt, filij Belial.* Et in 4. ad Galatas: *Diabolus, Græcum verbũ eſt, quod Latinè dicitur, criminator; lingua verò Hebraïca Satan appellatur, id eſt, aduerſarius, ſiue contrarius, & ab Apoſtolo Belial, hoc eſt, abſque iugo, quòd de collo ſuo Dei abiecerit ſeruitutem, quam Aquila Apoſtatam tranſtulit. Et ſciendum, vbicunque in veteri lege, filij peſtilentiæ ſcribantur, ſicut ibi.* 1. Reg. 2. 12. *Filij autem Heli, filij peſtilentiæ. Ibi in Hebraicis Voluminibus, Belial, hoc eſt, Diabolum, pro peſtilentia nominari. Licèt plurimi pro Belial corruptè*

in Apostolo Beliam legunt. Et in Nahum 1. *Belial interpretatur prauaricator, & Apostata.*

S. Ioannes Chrysostomus homil. 13. in 2. Corinth. 6. *Belial, sic appellat defectorem Hebraïca voce.*

S. Isidorus lib. 8. Originum, cap. 11. *Belial, id est, sine iugo* Accepit id ex Auctore Traditionum in lib. Regum, siue is S. Hieronymus, siue alius fuerit, qui in 1. Reg. 1. inquit: *Belial, interpretatur absque iugo.*

Theophylactus in 2. Corinth. 6. *Belijaal, quod significat desertorem, vel defectorem.*

Oecumenius in 2. Corinth. 6. *Belial Hebræorum lingua Apostatam significat.*

Suidas: *Beliar Hebræa voce desertorem, & transfugam significat.*

Ioannes Reuchlinus in Lexico Hebraïco: *Beliiaal, malum, iniquum. Inde nomen Damonis, qui est pater omnis mali. Vnde, qui ex patre Diabolo sunt, dicuntur filij Belial. Chaldaïca translatio exponit, filios malitiæ. Quidam Hebræorum compositum arbitrantur à beli, & iahal, id est, absque ascensu, quòd mentem nostram non patitur ferri sursum.*

Erasmus in Annotationibus in 2. Corinth. 6. *Belial, Græci legunt, Beliar, ob id, ni fallor, quòd Græcis nullum nomen desinit in, L. Græca scholia indicant Belial Hebræis significare desertorem, hoc est, Luciferum.*

Caietanus in 2. Corinth. 6. *Belial enim sonat absque iugo; vnde vir Belial appellatur, cui omnia licent, vtpote absque quocunque rectæ rationis iugo.*

Sanctes Pagninus in Thesauro: *Cum beli coniungitur iaal, & fit Belijaal, quod significat impium, aut impietatem, teste Rabbi Dauid in lib. Radicum. Et secundùm eundem Rabbi Dauid eodem in libro, vir impius dicitur Belijaal, ex beli, non, & jaal, ascendet, ab Alah, eò quòd non ascendat, id est, proficiat, & prosperetur. Quanquam Hieronymus deduxit à beli, non, absque, & ol, quod est iugum, quasi sine iugo, quòd impius diuinæ legis iugum ferre nolit.*

Alfonsus Camorensis in breui Dictionario Hebraïco: *Belijaal, Prauaricatio, vel absque iugo.*

Augustinus Steuchus Eugubinus in 13. Deuteronomij: *Hoc nomine Belijaal alij dicunt significari hominem inutilem, à beli, id est, non, & jaal, quod est, profuit. Alij nomen esse Dæmonis contendunt, deductum à beli, hoc est, non, & jaal, hoc est, ascendet: quia nos ascendere sursum non permittat. Editio verò Chaldaïca id interpretatur, malignitatem, quæ propria Diaboli est. Ex eo est effectum, vt ipsum Hebraïcum nomen posuerit Hieronymus, vt liceret cuique, quod vellet, super eo arbitrari. Interpretatur autem ipse interdum, filios Belial, filios Diaboli: in quo omnes ferè Hebræi consentiunt: homines, videlicet, malignos, pessimos, impiissimos, quibus tanquam suorum scelerum ministris vtitur Diabolus, eo nomine significari.* Et in Iob 34. *Belijaal, nomen dedecorosum, probri plenum, inutilis, malus,* πονηρὸς. Et in Psalm. 17. *Belijaal, nomen infame in sacris Litteris, nomen pessimorum, siue hominum, siue Dæmonum. Dicitur nomen, vt Hebræis placet, à bal, non, & jaal, profuit, inutilis, nempe, pestilens, pernicioſius.*

Isidorus Clarius in Scholiis Deuteron. 13. *Beliol Hebræi intelligunt hominem peruicacem, & qui est perfricta fronte, quasi absque iugo legis diuinæ.*

Vatablus in Deuteron. 13. scholio 20. *Belial, homo impius, & nihili.* Et in aliis Annotationibus editis in Officina Sanctandreana in idem cap. 23. Deuteron. ver. 13. *Hebræi ferè omnes consentiunt, hac dictione, Belijaal, significari hominem malignum, pessimum, impiissimum, quo tanquàm scelerum suorum ministro vtatur Diabolus.* Lxx. *verterunt,* παράνομον, *exlegem, peruersum, prauum, sceleratum.* Et in Iudic. 19. vers. 22. *Viri Beliiaal, id est, homines improbi, nebulones, homines nihili. Gallicè, gens qui ne valent rien.* Et in 1. Reg. 2. scholio 40. *Filij Belial, id est, improbi, destituti religione, pietate, & omni probitate.* & in Prouerb. 6. scholio 13. *Belijaal, id est, qui omni ratione, humanitate, religione, pietate, & omni probitate destitutus est: vel homo nihili, impius, & inutilis: aut apostata, & sui instituti desertor, qui nihil promouet.*

Leo Iudas Heluetius in noua Translatione, quæ cum Scholiis Vatabli edita est, Nahum 1. vers. 11. & 15. *Belijaal, id est, Deo, & hominibus infestus.*

Bartholomæus Vvesthemerus in Phrasibus sacræ Scripturæ: *Belijaal, dictio in Scripturis frequens Hebræis, dicitur significare malitiam, licèt ferè vbique iniquitas transferatur; idque impropriè: vnde filij Belial, id est, malitiæ Iudicum 19. nam Hebræi per Belial hominem peruicacem, & qui est perfricta fronte, quasi Beli-ol, absque iugo legis diuinæ. Etymologiam habet à beli, id est, non, & jaal, id est, proficit; vt qui ad nocendum alios tantummodo viuunt. Inde impositum est Diabolo nomen Belial. Sic Prouerb. 6. pro Belial, apostata legitur: nam in Hebræo est Belial, quod significat inutilis, qui caret timore Dei. Torrentes Belial, Psal. 18. sunt persecutiones, impetus, & exercitus Dæmoniorum, & quotquot iugum Christi detrahunt.* Eadem totidem verbis exscripsit Claudius Guillaudus in collationibus, ad 2. Corint. 6.

Idem Vuesthemerus, verbo, *Filius*, ait: *Belial, est res praua, scelus: Beliiaal enim dici putant, quasi beli jaal, id est, nihil prodest: vnde nihili, impiissimi, maligni, pessimi & perditi homines dicuntur viri Belial. Colligitur Belial significare scelestum, perditum, flagitiosum.*

Hieronymus Oleastrius in 13. Deuteronomij: *Variè tam Hebræi, quàm nostri sentiunt de nomine Belijaal. Hebræi dicunt, esse hominem peruicacem, & perfrictæ frontis, & sine iugo legis diuinæ. Alij sentiunt dici à beli, quod est, non, & jaal, id est, profuit, quasi non proficiens, seu vir inutilis. Mihi verò videtur dici à beli, quod est non, & al, super, quasi vir non ferens aliquid super se: hoc est, quod Hebræi dicunt significare hominem sine iugo diuinæ legis; nec solùm sine iugo diuinæ legis, sed non ferens super se aliquem. Alij eos viros Belial vocant, quibus Dæmon velut instrumentis ad malum vtitur.*

Cornelius Iansenius in 6. Prouerbiorum: *Belial, absque iugo, interpretari potest, à beli, quod est sine, & ol, quod est iugum: cùm alij interpretentur, sine honore, à beli, sine, & verbo, alah, quod est, ascendere: vel sine vtilitate, ab jaal, quod est prodesse. Significat autem ipsam impietatem, aut insigniter impium.*

Ioannes Mercerus in Thesauro: *Belijaal significat hominem nequam, summè sceleratum, profligatum, perditum, deploratum, vernaculè,* vn vaut-rien, ou vaut-neant. *Vel si sit substantiuum, nequitiam, & extremam improbitatem.*

Arias Montanus in Nahum 1. *Verbi Beliiaal significatio ad sacrilegos, nefariósque ausus, conatus, & inceptus propriè aptatur: ita vbicunque Belijaal est, Latinè nefarium, nefandum, sacrilegum aptè interpretabimur.* Idem in Commentariis Iudicum 19. *Ex pluribus verò, iisdémque affinibus verbi huius Beliiaal significationibus vnicam Interpres elegit, absque iugo: quippe qui Interpretem ageret, nõ Commentatorem. Sunt verò tria verba in sacra Lingua iisdem ferè notis, variè tamen concinnata, quorum singulæ significationes huiusmodi*

ueſtinoſi hominum figuram ſuis depingunt coloribus: iaal, vtilem eſſe, prodeſſe, Latinus vertit: alal, facere dolore afficere, illudere, inuoluere: vnde ol, iugum dictum. Aual, iniquè agere, peruertere. Omnia hæc pariter illi adſcribuntur, cui nomen Belial conuenit. Idem enim inutilis, idem temerarius, & dolore afficiens, illuſor, iugi ac diſciplinæ expers, vrbanitate, & modeſtia carens, omninò intemperans, nihil non permiſcens, & confundens cenſetur. Hæc Montanus: quæ curioſa, aliena, & remotiora iure cenſeri debent.

Nicolaüs Zegerus in 2. Corinth. 6. *Belial Hebræus iniquum, Dæmonem, Apoſtatam, abſque iugo, & prævaricatorem declarat.*

Ioannes Heutenius in Nota marginali ad Oecumenium in 2. Corinth. 6. *Beliaal, hoc eſt, abſque iugo, iniquus, malus, prævaricator.*

Marcus Marinus in Arca Noë: *Beliyahal nomen formæ maſculinæ ſine plurali, quod aſſerunt compoſitum eſſe ex Beli, & iaal, quaſi abſque vtilitate: & communiter in malum ſumitur: in abſtracto pro impietate, iniquitate: etſi aliquando etiam eleganter vſurpetur in concreto pro viro impio, ſicut & apud Latinos ſcelus pro ſceleſto viro poſitum inuenitur. Alij tribuunt ei diuerſas compoſitiones, vtputà a beli, & ol, vel alah.*

Ioannes Auenarius in Hebraïco Dictionario, in radice, *iaal: Beliyaal, inutilitas, ſine commodo pernicies. Compoſitus ex beli, ſine, abſque, non, & iaal, profuit: & ſignificat illum, qui nemini prodeſſe, ſed tantùm obeſſe ſtudet.*

Franciſcus Ribera in Nahum 1. num. 44. multa de hac voce differit, & inter alia: *Vocabulum Belihal valdè vſitatum eſt in Scriptura. Hieronymus idem valere docet, quòd prævaricator, & apoſtata. Hebraicè nunc ita ſcribitur,* בְּלִיָּעַל *Beliyal, dictúmque putant à Beli, quod eſt ſine, & iaal, id eſt, aſcendet, eò quòd non aſcendet, nec proſperabitur. At, vt in multis ſæpè demonſtraui, malè puncta poſuiſſe Hebræos, malè proferre, & malè ſcribere, ita in hoc vocabulo oſtendam. Prophetæ ſcripſerunt,* בליעל *quod ſonat, Belihal, id eſt, ſine iugo, à beli, ſine, & ol, iugum: ſed Hebræi inepte alterum i, & a, addiderunt proferentes Belyahal: proferendum autem eſſe Belihal, vel illud manifeſtiſſimè probat 2. Corint. 6. Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Neque enim vnquam legimus in vllo codice veteri, aut nouo vulgatæ editionis Belyahal, neque etymologia conuenit, neque ſignificatio.* Hæc ille: quæ nobis magnoperè non probantur: cur enim vbertatem fontis arctet?

Ioannes Pineda in Iob 34. v. 18. vbi multa de vocabulo confert: *Nemo eſt, neque ipſe Hieronymus, qui huic nomini perpetuam aliquam ſignificationem tribuat; ſed quam locus ipſe exigere videtur: quanquam omnes in eo conueniant, quòd ſignificet nefarium aliquem improbitatis gradum, & hominem inſigniter improbum, diuinæ legis deſertorem, & hoſtem impudentiſſimum: qui nunquam in melius, ſed in deterius proficit, contemptorem hominum, atque Dei.*

Nicolaüs Serarius in 19. Iudicum, quæſt. 7. *Belial, id eſt, vt expoſitionem adiecit Interpres noſter, abſque iugo: nam Hebraïcè beli eſt, abſque, & ol, iugum. Iudæus verò Radak (id eſt, Rabbi Dauid Kimchi) exponit eum, qui aſcendere non poteſt; qui ad altiorem gradum euehi nullum debet; qui aſcenſu, & proſperitate nulla dignus eſt: quaſi beli iahal, id eſt, non aſcendit. Eſt expoſitio vtraque non inepta, & inter ſe aut parum, aut nihil diſſentiens: qui enim Dei, humanæque rationis iugum abiicit, & aſſernatur, is proficere nunquam ſolet: quin deſcendere, ac ruere, potius quàm aſcendere, nimirum, gehennæ, cœlique reſpectu, & è contra. Súntque, vt breui dicam, homines impij, nequam, & ſcelerati, merique nebulones.*

Ioannes Fungerus in Etymologico: *Belial, nonnulli volentes hoc nomen hominem inutilem ſignificare, deriuant a beli, abſque, & iaal, profuit. Alij contendentes eodem Dæmonem intelligi, deriuant à beli, abſque, & al, Altiſſimo. Aquila vertit apoſtatam, Chaldæus interpretatur malignitatem. Hieronymus retinet nomen Hebræum, vt cuique pro arbitrio interpretari liceret. Quanquàm alias filios Belial idem filios intelligat Diaboli, homines quippe malignos: quapropter παρανόμους reddiderunt Septuaginta. Sed & idem Hieronymus alibi deducit à beli, & ol, quòd ſit abſque iugo. Sed primum etymon probat Kimchi Iudæus. Quod licèt maximè probem, vt & eodem Authore illud, Beli Mohil, quòd nulli ſit commodus; tamen cur reiici, & reprobari debeant notationes ſequentes, non video.*

Valentinus Schindlerus in Lexico Pentaglotto: *Beliyaal componitur ex beli, abſque, & iaal, vtilitas, à iaal, profuit, vtilis fuit, denotat hominem ἀχρεῖον, inutilem, qui ad rem nullam vtilis eſt, aut commodus, hominem nihili, & nequam, qui nec ſibi, nec alijs prodeſt. Transfertur ad res alias inutiles, noxias, impias.*

Ioannes Druſius in 1. Ioan. 3. verſ. 4. *Belial, quaſi abſque iugo, iniugis, vt iniuges boues dicimus, qui iugum non ferunt: item filij Belial, qui excutiunt iugum legis.*

Ioannes Buxtorfius in Lexico Hebraïco, themate, *alal: Beliyaal, nequitia, nequam, quaſi Beliol, abſque iugo, qui iugum laboris, pietatis, ac legis Dei excuſſit, ac proinde nihil boni agit. Vel quaſi Bal-iol, qui nihil prodeſt, qui nullius frugis, & vtilitatis eſt.* Vide quoque Guillelmum Eſtium, & Cornelium à Lapide in 2. Corinth. 6. v. 15.

Benedictus Iuſtinianus in 2. Corinch. 6. *Belial Hieronymus prævaricatorem, ſeu apoſtatam interpretatur. Si vim vocis ſpectes, propriè ſignificat abſque iugo: ideo Græci defectorem, ac deſertorem vocant. Filij Belial homines perditiſſimi dicuntur, quòd ipſi ita viuant, vt omni legis iugo ſoluti videantur, ac liberi.* Hactenus alij.

Adiicimus & nos alias notationes, Belial dictum à *beli*, & *al*, id eſt, non, abſque, ſuper: nimirum, hominem, qui nullum ſuper ſe ferat, ſuperbum, extremè impudentem, qui nullius reſpectu tangatur, improbum, contemptorem, nec homines, nec Deum verentem, nulli legi, nulli rationi ſubiectum, qui penitùs frontem perfricuerit. Vel, ſi eſt Belijaal, à beli, & jaal, ſiue Alah; id eſt, non aſcendet, hominem, cui nihil aſcendit, nihil eſt ſublime, nihil altum, omnia floccifacit, pedibus ſuis proſternit, calcat, nihil penſi habet: vt contemptorem Dei, & religionis, totiúſque probitatis deſignet. Nec dubito, quin cognationem habeat cum Baal, idolo deteſtando, quaſi dicas, idololatricum, atheon, idolum, hominem impiæ, & deteſtandæ religionis. Verùm, qui ſibi ante oculos poſuerit opes, & diuitias ſanctæ Linguæ, non dubitabit affirmare, tot ſignificata vocis *Belial*, quæ ex variis Authoribus produximus, iuſtè eo vocabulo comprehendi. Quod profectò quantunuis vniuersè in Scriptura dicatur de quouis inſigniter improbo, & ſceleribus cooperto: at propriè, & eximiè ſingulariter in Antichriſtum competit: in quem ampliſſima tot ſignificatorum colluuies, tanquàm in fœdiſſimam cloacam, impetu influit.

Ita quidem in Sibyllinis oraculis Antichriſtus nomine Belial exprimitur, lib. 2.

Et Belial veniet, faciétque inſignia multa

Inter

Inter mortales. Et libro 3.

Ex Sebastenis autem voluentibus annis
Adueniet Belial. Et inferiùs:
Verùm, quando Dei prædicta minacia magni
Aduenient, terràsque petet flammata potestas
Inflata, exuret Belier, hominésque superbos,
Omnes quotquot ei fuerint perfœdera iuncti.

Nec dubitamus, S. Epiphanium Antichristum nomine Beliar intellexisse, cùm in vita S. Danielis Prophetæ de illo hæc vaticinatum Danielem ait: *Quod si denique mons iste cruentus sanguine manat, stragem portendit ipsius Beliar in vniuerso Orbe terrarum.* Hæc refert S. Epiphanius Danielem prædixisse inter alia miranda, quæ prænuntiauit futura in montibus circa Babylonem.

Quod attinet ad nominis Belial enuntiationem, S. Hieronymus in 4. ad Galatas inquit: *Plurimi pro Belial corruptè in Apostolo Beliam legunt.* Tertullianus quidem de habitu muliebri, cap. 2. & de corona militis, cap. 10. disertè legit: *Quæ communio Christi, & Beliæ?* Non est probandum, quod Franciscus Iunius suspicatur in Tertulliano, Belial, non Belias legendum. Rectiùs Pammelius peculiare id Tertulliano esse obseruauit. In Græcis illis Pseudosibyllinis, quæ dudum citauimus duobus prioribus locis, *Belias* legitur: in tertio verò *Belier.* Sebastianus Castalio in Annotationibus ad Sibyllina ait: *Belial à Sibylla Belias vocatur, sicut à Græcis Annibas dicitur, qui est Annibal: quanquam Belier paulò pòst appellatur. Is est, qui in sacris Litteris vocatur Antichristus, & homo perditus: nam hoc significat Hebraïco sermone Belial.*

Erasmus in 2. Corinth. 6. *Belial, Græci legunt Beliar, ob id, ni fallor, quòd Græcis nullum nomen desinit in L.* Certè S. Epiphanius in vita Nathan Prophetæ, & in vita Danielis perspicuè legit, *Beliar,* vt etiam Suidas, & Author apud Iustinum Martyrem quæst. 82. ad Orthodoxos, in Græcis. Sed id parum refert, cùm semper idem nomen indicent.

Illud verò 2. Corinth. 6. v. 15. *Quæ conuentio Christi ad Belial?* tametsi omnes fermè de Diabolo interpretentur; & Syrus pro Belial Satanam substituat: at simplicissima, & aptissima hæc explanatio non est repudianda: *Quæ conuentio Christi cum Antichristo?* vt è diametro Christi apponat Belial, id est, Antichristum.

Antichristum futurum vnum certum, & singularem hominem: & non thronum aliquem, aut successionem Principum in vno Imperio, Christo aduersantium.

CAP. VIII.

CHristiana fides, & omnium Ecclesiarum certa consensio, traditio Patrum, & Theologorum, & omnium Orthodoxorum cõmunis sensus exploratissimum & constantissimum semper habuit, Antichristum non nisi vnum certum & singularem hominem futurum: & delirum prorsus, & insanum commentum esse fingere Antichristum regnum aliquod, & monarchiam, seu successionem multorum Principum Christo Domino, eiúsque regno, & Ecclesiæ è diametro oppositam, acriúsque illi aduersantem. Idque demonstrabimus primùm ex verbo Dei, deinde ex Patribus, demum ex traditione, & consensu Ecclesiæ.

Ioannes 5. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Cùm ait Christus, *alius*, & *illum*, ipsissimum intelligere Antichristum, consensus Patrum docet, vti lib. 6. c. 39. latè videbimus. Quibus verbis Christum disertè significasse Antichristum singularem vnum hominem futurum, multa euincunt. Primum, quia opponit sibi alium: & cùm ipse fuerit singularis homo, quis dubitet alium sibi singularem hominem opposuisse? Deinde voces illæ, *Ego*, *alius*, *me*, *illum*, *in nomine suo*, tam distinctè vnum certum hominem significant, vt apertiùs quidpiam dici non potuerit. Rogo, si Christus certum aliquem & vnum hominem sibi contrarium voluisset exprimere, poterátne illum magis perspicuis verbis demonstrare? Demum, cùm clarè affirmet Christus, Antichristum pro vero Messia à Iudæis excipiendum; certum est, Iudæos non nisi vnum certum & singularem hominem Messiam credere, & præstolari, & recepturos esse.

Paulus 2. Thess. 2. 5. *Et reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.* De Antichristo loqui, nullus, neque ex his, qui sunt extra Catholicam, vnquam dubitauit. Expressissimè Paulus vnum aliquem hominem, non regnum, aut thronum dicit: nam de regno, aut multorum sæculorum monarchia, quis potuisset tam absurdè loqui: *Et reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis?* Adde, quòd articuli Græcè præfixi hominem vnum singularem manifestiùs indicant, ὁ ἄνθρωπος, hoc est, *ille homo*, certus, ac singularis, ὁ υἱὸς, *ille filius perditionis*: qua etiam ratione vertit Montanus. Certè vim articuli Græci, ὁ, eam esse, vt certam quandam, & singularem in eiusmodi locutionibus denotet personam, Sancti Patres annotarunt, S. Epiphanius Hæresi 9. S. Chrysostomus in 7. Isaiæ, S. Cyrillus lib. 1. in Ioannem, cap. 4. Ex recentioribus Budæus in Commentariis linguæ Græcæ. Erasmus in Annotationibus ad 1. Ioan. Henricus Stephanus in Thesauro. Et quidem hoc loco Pauli Erasmus, quem vt oraculum suspicere solent Nouantes, hæc annotauit: *D. Ambrosius, vt explicaret vim articuli, legit, homo ille, vt acciperemus de certo homine dictum.* Sanctes, *homo ille peccator.* Vatablus, *homo ille sceleratus.* Pergit verò Paulus: *Et tunc reuelabitur ille iniquus,* Græcè cum articulo, ὁ ἄνομος, *quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* De regno, aut successione multorum Principum, ita loqueretur Paulus: *Quem Dominus Iesus interficiet?* Quis enim feret eiusmodi sermonis portentum, vt regnum interfici, & occidi dicatur? De vno & singulari homine hæc dici, sit luce meridianâ clarius.

Accedant Patres, S. Cyprian. lib. 3. Testimoniorum ad Quirinum, cap. 118. *Item, de Antichristo, quòd in homine veniat, apud Isaiam: Hic homo, qui concitat terram, & cõmouet Reges, qui ponit Orbem terræ torum desertum.* Citauit locum Isaiæ 14. 17. iuxta Lxx. translationem. Et licèt Patres fermè hæc verba de Diabolo interpretentur, de quo Vates, sub typo tamen Regis Babylonis loquatur: at de Antichristo quoque primario Diaboli membro, rectè à S. Cypriano accepta facilè quisque pius agnoscet.

S. Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 15. *Inducet* Diabolus *quendam magnum hominem* Antichristum *veneficiis, & incantationibus, & malis artibus instructissimum.*

S. Gregorius Nazianzenus in Carminibus Iambicis, Iambico 15. versùs finem:

Quid Antichristus? Bellua, venenum vomens,
Vir opibus amplis. Quid item defectio?
Apostata ille pessimus.

S.Ephrem Syrus Sermone de Antichristo: *Multi è populo, & plebe illum sibi in Regem eligent, dicentes ad invicem: Nunquid reperiri poterit alius vir tantus, adeóque benignus, ac iustus?*

S.Hieronymus in 7. Danielis: *Neque eum Antichristum putemus, iuxta quorundam opinionem, vel Diabolum esse, vel Dæmonem: sed vnum de hominibus, in quo totus Satanas habitaturus sit corporaliter.*

S.Chrysostomus homil.3.in 2. Epist.ad Thessalonic. *Quis verò is est Antichristus? an Satanas? Nequaquam: sed homo quispiam omnem Satanæ energiam adeptus. Est enim homo, qui extollitur super omnem, qui dicitur Deus, aut Numen.*

Theodoretus in 2. Thessal.2. *Et sicut ipse Seruator, humana susceptâ natura, nostram procurauit salutem; ita ille* Diabolus, *cùm eligit hominem Antichristum, qui possit eius omnem susc ipere operationem; per eum omnes homines decipere conabitur, seipsum Christum, & Deum nominans.*

S. Gregorius Magnus lib.32.in Iob,cap.12. *Antiquus hostis vas proprium illum perditum hominem ingreditur, qui specialiter Antichristus nominatur.* Et eodem capite enarrans verba Danielis de Antichristo,ait: *Quod, videlicet, cornu paruulum oritur: quia purus homo generatur.*

S. Ioannes Damascenus lib. 4. fidei orthodoxæ, cap. 27. de Antichristo: *Verùm homo ex fornicatione paritur.*

Theophylactus in 2.Thessalon.2.de Antichristo: *Quis autem ille est? Nunquid Satanas. Haudquaquam; sed homo quispiam omnem Satanæ operationem recipiens.*

Oecumenius in 1.Ioan.4. *Antichristus autem homo erit, qui Satanam circunferet.*

Sed,quid necesse est in re longè clarissima,& plures testes, & plura argumenta inducere; cùm totum hoc nostrum Opus luculentissimè ostendet, Antichristum vnum certum, & singularem hominem futurum; nimirum, omnia, quæ deinceps in tractandarum rerum decursu tradituri sumus de Antichristi ortu,parentibus,patria,regno,præliis,doctrinâ, moribus,miraculis,persecutione,morte denique,& aliis eiusmodi, ex verbo Dei, ex traditione Patrum, ex consensu orthodoxæ Ecclesiæ,ex omni probationum genere solidissimè firmata,hoc ipsum clarè, & perspicuè demonstrabunt. Romanæ Ecclesiæ aduersarij nonnulla obiiciunt ex Scripturis, vt persuadeant, Antichristum,non vnum singularem hominem fore; sed regnum quoddam apostaticum Christo contrarium, successione multorum Principum administratum. Sed sunt adeò leuia, & refutatu facilia, vt pigeat hîc referre, & refellere. Præstiterunt hoc ex Catholicis innumeri, & inter alios Sanderus lib.8. de visibili Monarchia Ecclesiæ, cap.3. & 4. Bellarminus lib.3.de Romano Pontifice,cap. 2. Lessius in Disputatione de Antichristo,demonstratione 3.Suarez lib.5.de Antichristo, cap.2.3. & 4. Guillelmus Estius in 4. Sententiarum,distinct.47. §.6.

INSIGNES ALIQVOT ANtichristi typi, & præcursores.

QVEMADMODVM Christus Dominus ab ipso statim mundi principio multorum sęculorum successu complures habuit typos, & figuras, nempe, Patriarchas, Prophetas, Sacerdotes, Reges, qui eximia vitæ sanctitate, aliisqué præclaris factis eum mirificè adumbrauerint, ac delineauerint,quasi quidam Christi venturi Præcursores; vt rectè dici queat, iam tunc ab Orbis initio mysterium pietatis agi cœpisse; cum tamen Christus ipse non venerit, nisi cùm carnem ex Virgine sumpsit: haud aliter Antichristus etiam ab ipsis mundi primordiis, multos ante se tulit, ferétque typos, & anteambulones, nimirum, tyrannos, pseudo-Christos, falsos Prophetas, impostores, Hæresiarchas, qui insigni improbitate, malitia, crudelitate, Ecclesiam dirè afflixerunt: in quibus, quod ait Paulus, iam peragatur mysterium iniquitatis: cùm tamen verus ipse Antichristus non nisi in fine sæculi venturus sit. Quorum tamen aliquos omnium nequissimos, ac deterrimos hîc referemus: quò facilius ex vmbris, ac lineis pessimum corpus ducere, & figurare possimus.

Antiochus Epiphanes.

CAP. IX.

HVnc sceleratissimum Principem singulariter sibi proposuit Daniel Propheta,sub cuius imagine,Antichristi res gerendas venturis sæculis vaticinaretur. S. Hieronymus in 11. Daniel. *Sicut Saluator habet, & Salomonem, & cæteros Sanctos in typum aduentus sui: sic & Antichristus pessimum Regem Antiochum, qui Sanctos persecutus est, templúmque violauit, recte typum sui habuisse credendus est.*

Fuit hic Antiochus octauus Syriæ, & Asiæ Rex post Alexandrum Magnum, vt ex Chronico Eusebij, & sacræ Historiæ lib.2. S. Seueri Sulpitij, & cunctis Chronologis liquet. Dictus est Antiochus Epiphanes, id est, illustris. Appianus in Syriacis, pag.117. *Quem Syri cognominauerunt illustrem, quòd alienis regnum vsurpantibus, ipse auitæ ditionis assertor exortus fuit illuxerit.* Cæterùm ob fœda facinora appellatus fuit per contumeliam Epimanes,id est, Furiosus. Athenæus lib.5. c. 4. de Antiocho: *Quem Epiphanem vocatum, ob res amenter gestas, Epimanem, id est, Furiosum nuncuparunt.* Et inferiùs: *Mirantibus, tum conuiuis Regis mentem, qui reuerà Epimanes, id est, Furiosus, potiùs esset, quam Epiphanes, id est, Splendidus.* Et lib. 10. c. 10. *Polybius libro vigesimo sexto Historiarum, eum vocat Epimanem,non Epiphanem, ob ea,quæ ab illo sunt acta.*

De eo 1. Machab. 1. 10. *Et multiplicata sunt mala in terra, & exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus illustris, filius Antiochi Regis, qui fuerat Romæ obses: & regnauit in anno centesimo tricesimo septimo. regni Græcorum. Radix peccatrix*, ita restitutus locus in editione Clementis VIII. cùm anteà non, *peccatrix*; sed, *peccati*, legeretur. Est enim Græcè, ῥίζα ἁμαρτωλὸς, *radix peccatrix.* Qua etiam ratione Suidas legit in Antiocho,non ῥίζα ἁμαρτίας, *radix peccati.* Noua Vatabli nomine translatio: *Scelerata*, vel *scelerosa stirps.* Exponunt fermè, quia ex ipso,tanquam à radice, & stirpe, infinita peccata pullularunt. Ita recentiores, Iosephus, Stephanus, Nicolaüs Serarius, Ioannes Drusius, ex Lyrano, aliíque. Scholia, quæ Vatabli nomine extant in editione Sanctandreana, hæc annotant: *Radix peccatrix, Antiochus ipse improbus, ac sceleratus, ab improbo genere ortus: tametsi radix hoc loco significat magis sobolem enatam, quàm radicem ipsam producentem: qua significatione stirps virilis dicitur.* Nec dubitauerim, Authorem libri Machabæorum imitatum illud Deuteron. 29. 18. *Ne sit inter vos radix*

germinans

germinans fel, & amaritudinem. Quem Deuteronomij locum expreſſiſſe Paulum Hebræorum 12. 15. *Contemplantes, ne quis deſit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.* Forſterus, & Mercerus in Theſauris Hebraïcis annotarunt. Sed priùs S. Ioannes Chryſoſtomus, & Theophylactus in eum Pauli locum.

Filius Antiochi Regis. id eſt, Antiochi Magni, qui Romana arma exercuit, & ab Scipionibus fratribus Aſiatico, Africanóque victus fuit. Hinc errorem eorum coarguas, qui filium Seleuci, Antiochum tradiderunt. Suidas: *Hic Epiphanes filius Seleuci Philopatoris.* Imò & 3. Hieronymus in 8. Danielis: *Antiochus Epiphanes, filius Seleuci, qui & Philopator appellatus eſt.* Sed non dubito, in S. Hieronymo pro, *filius*, legendum, *frater*, vt in editione Mariani Victorij rectè iam legitur: ſiquidem idem S. Hieronymus in 11. Daniel. verſ. 21. ait: *Antiochus, qui cognominatus eſt Epiphanes, frater Seleuci, filius Antiochi Magni, qui poſt Seleucum vndecim annis regnauit in Syria.* Et Appianus in Syriacis, pag. 116. *Antiocho magno defuncto in regnum ſucceſſit Seleucus filius, qui fratrem Antiochum obſidem à Romanis recepit, dato in eius vicem ſuo filio Demetrio.* Ioſephus Antiquit. lib. 12. c. 5. *Toto tempore, quo Seleucus regnauit in Syria: poſt cuius obitum Antiochus, eius frater, in regnum ſucceſſit, qui cognominatus eſt Epiphanes.*

Qui fuerat Romæ obſes. Liuius lib. 44. cap. 19. *Antiochus, Syriæ Rex, qui obſes Romæ fuerat.* Et Epitome lib. 41. *Antiochus, Antiochi filius, obſes Romanis à patre datus, mortuo fratre Seleuco, qui patri defuncto ſucceſſerat, in regnum Syriæ ab vrbe dimiſſus.* Iuſtinus lib. 34. Hiſtoriarum: *Nam coluerat inter cæteros P. Popilium Antiochus, cùm Romæ obſes eſſet.* Athenæus lib. 10. c. 10. *Fuit & bibax Antiochus Rex, Epiphanes cognomine, Romanis obſes datus.* Appianus in Syriacis, pag. 112. agens de conditionibus pacis inter Antiochum Magnum, & Romanos: *Móxque pars imperatæ pecuniæ adueĉta eſt, & adducti obſides, inter quos erat iunior filius Antiochus.* Et paulò inferiùs pag. 113. *Et vt tertio quoque anno mutet obſides, excepto Antiocho filio.*

Regni Græcorum. Seleucidarum, nempe, ab initio Regni Seleuci Nicanoris, qui primus poſt Alexandrum Magnum regnauit in Syria, vt Ioſephus 12. Antiquit. c. 7. Euſebius lib. 8. euangelicæ demonſt. cap. 2. S. Seuerus Sulpitius lib. 2. ſacræ Hiſtoriæ, S. Hieronymus in 9. Daniel. & omnes. Sed & Euſebius in Chronico num. 1705. *Machabæorum Hebræa Hiſtoria hinc à Seleuci initio Græcorum ſupputat Regnum.* Vide Euſebiana Scaligeri num. 1842. & 1845.

At crudeliſſimi tyranni ſupremæ ſæuitiæ patrata exempla in populum Dei 1. Machabæorum 1. & 2. & 2. Machab. 5. 6. & 7. cap. latè deſcribuntur: quæ quoque fusè proſecutus eſt Ioſephus lib. 12. Antiquit. cap. 6. 7. & ſeqq. & 1. Belli Iudaïci, cap. 1. & integro libro de Imperatrice Ratione, ſiue de Machabæis. Sed & 1. Machabæor. 1. verſ. 14. dicitur: *Et deſtinauerunt aliqui de populo, & abierunt ad Regem, & dedit illis poteſtatem, vt facerent iuſtitiam gentium. Et ædificauerunt gymnaſium in Ieroſolymis ſecundùm leges nationum, & fecerunt ſibi præputia, & receſſerunt a teſtamento ſancto.*

De Gymnaſio 2. Machab. 4. 9. *Si poteſtati eius concederetur, gymnaſium, & ephebiam ſibi conſtituere.* Verſ. 12. *Auſus eſt ſub ipſa arce gymnaſium conſtituere, & optimos quoſque epheborum in lupanaribus ponere.* Gymnaſium hoc loco ſcholam gentilitię ſuperſtitionis, & ethnicarum litterarum intelligunt S. Thomas, Lyranus in hunc locum, Genebrardus lib. 2. Chronographiæ, pag. 281. Alij locum publicum, vbi paleſtritæ, nudi exercerentur: ſicut ephebium pars illa, ſeu membrum paleſtræ, vbi ephebi, hoc eſt, puberes, exercebantur, authore Vitruuio lib. 5. cap. 11. ita Rupertus lib 9. de victoria verbi Dei, cap. 18. Nonnulli verò impudiciſſimarum libidinum officinam, & vtriuſque veneris palæſtram, vt Serarius, & Stephanus. Vide Petrum Fabrum Agoniſticon lib. 3. c. 28.

Et fecerunt ſibi præputia. Ioſephus lib. 12. Antiq. cap. 6. *Adduxerunt ſibi præputia, vt nudi quoque Græcis non eſſent diſſimiles.* Strabus Monachus ita citat hunc locum Ioſephi: *Circumciſionem ſuam velauerunt, vt non apparerent in denudatione Græcis eſſe diſſimiles.* S. Hieronymus in Iſaiæ 52. *Neque enim poteſtatis noſtræ eſt præputium adducere poſt circumciſionem, iuxta eos, qui in Machabæorum libro dicuntur ſibi feciſſe præputia: quod de naſcentibus filus, & non de patribus dicitur.* Origenes 4. Periarchon, cap. 2. *Certè fieri id omni ex genere impoſſibile eſt.* Idem ait Caietanus in 1. Corinth. 7. 18. Lyranus: *Fecerunt ſibi præputia, dimittendo filios ſuos incircunciſos.* Sà: *Fecerunt*, &c. *ſcilicet, non ſe circuncidendo, vel fortè medicamine aliquo.*

Sed probè lucem huic loco afferet S. Epiphanius lib. de Ponderibus, & Menſuris, vbi de Symmacho veteris Teſtamenti Interprete ait: *Accedit ad Iudæos, ac fit proſelytus, & circunciditur ſecunda circumciſione. Et ne mireris de hoc, optime auditor: contingit enim hoc. Qui enim à Iudæis ad Samaritas profugiunt, rurſus circunciduntur: ſimiliter, qui à Samaritis ad Iudæos transfugiunt. At hoc adhuc grauius eſt, quod etiam à circumciſione præputiati fiant, arte quadam medica per inſtrumentum attractorium ſpathiſterem appellatum, infernam membrorum cuticulam attrahi ſinentes, futurámque admittentes, & glutinatoriis circundatis, præputium rurſus ſuperinducunt. Habes & teſtimonium apud S. Apoſtolum, vbi hæc verba hoc modo dicit: Circunciſus aliquis vocatus eſt? Ne attrahatur ipſi præputium. In præputio aliquis eſt? Ne circuncidatur. Hanc autem traditionem diabolici inuenti Eſaü fratrem Iacob reperiſſe aiunt, ad abnegationem Dei, & ad deletionem characteris patrum ipſius: quapropter aiunt, Deum dixiſſe: Odio habeo ipſum Eſaü; Iacob verò dilexi.*

Theophylactus in 1. Corinth. 7. 18. *Fieri poterat, vt multi, quos deſectæ pellicula puduiſſet, medicamento appoſito, & hanc niterentur iteratò ſarcire, & obſepium illud conciſum in priſtinum ſtatum redigere.* Oecumenius: *Diuus Epiphanius ait, quòd per aliquam medicinalem curam poteſt quiſpiam eum, qui circunciſus eſt, facere præputiatum: & quod huius cõſilij primus inuentor fuit Eſaü: & propterea dixit Deus: Eſaü odio habui. Veriſimile eſt, aliqua cura fieri poſſe, vt reuertatur circũciſio in id, quod olim erat.* Eraſmus: Μὴ ἐπισπάσθω, *id eſt, ne aſciſcat, vt ſubaudias præputium. Subindicat Theophylactus, præputium reſectum pharmaco ſolere reduci. Rei huius artificium aliquod indicat Cornelius Celſus lib. 7. c. 25. Quomodo tegenda ſit glans, vel natura, vel amputatione nuda. Verùm, an hoc Paulus ſenſerit, neſcio. Certè Origenes libro Periarchon 4 putat, nullo modo reuocari poſſe ſemel amputatum præputium. Vtcunque habet, nos maluimus accerſere, quàm adducere, ob verecundiam.* Henricus Stephanus in Theſauro: *Paulus Epiſtola ad Corinthios 1. cap. 7.* Μὴ ἐπισπάσθω τὴν ἀκροβυστίαν, *ne accerſat ſibi præputium: vel etiam, ne attrahendum ſibi curet Chirurgi manu, cute, nimi-*

rum, ferro adducta, vt glandem rursus operiat, quemadmodum docet Celsus lib. 7. c. 25. & testatur Epiphanius lib. de ponderibus, & mensuris. Gagnæius in eundem Pauli locum: *Erant enim Iudæi, quos ob genes præfecta pellicula paderes, atque adeò medicamentis eam sibi sarciendam curarent: id, quod Theophilus, & Photius Græcus ex Epiphanio docent.*

Andreas Masius elucidans illud Iosue 5. vers. 2. *Fac tibi cultros lapideos, & circuncide secundo filios Israël, ex Hebræorum monumentis hæc commemorat: Aiunt enim illis temporibus fuisse multos, qui, etsi à suis parentibus fuissent in tenella ætate ritè circuncisi; tamen iterum circuncidi debuêre, si modò sacrorum communione consociari cæteris Iudæis vellent: nimirum, qui immanitate Ægyptiacæ seruitutis pressi, arte quadam medica, subducta, atque distenta pellicula nouũ sibi præputium comparauerant, glandémque eò iterũ contexerũt. Appellant autem eos tales Thalmudici* משוכים *Messuchim, quasi epispasticos dicas, ab attracta pellicula, scilicet. Similiter, inquiunt, atque cùm Romani, rerum in Iudæa potiti, templum fundit us iterum euertissent, plurimi Hebræi hostium iniurijs exagitati, & vexati, eadem illa ratione religionis suæ professionem dissimulauerunt: qui Barchuzibæ iussu postea denuò sunt circuncisi, cùm ille occupata vrbe Bitter annis duobus, & dimidio apud eam gentem dominaretur, & maxima libertatis spe omnium animos excitauisset.*

Ioannes Drusius in Annotationibus ad nouum Testamentum, 1. Corint. 7. 18. *Ne adducat præputium. Tales Hebræi Messuchim vocant, quasi Epispasticos, ab attractu pellicula, scilicet, quòd hic adducere præputium; siue, vt recentior editio habet, attrahere præputium. 1. Machabæor. 1. legitur: Et fecerunt sibi præputia de filijs Tobiæ. De quibus & Iosephus Antiquitat. lib. 12. cap. 6. Id fiebat arte medica, vt Epiphanius scribit. Quibus addo ex Ieremiæ 9. vers. 25. Animaduertam in omnem circuncisum in præputio, siue cum præputio. Vult dicere præputium habentem; hoc est, in omnem, qui, cùm circuncisus fuit, postea præputium attraxit. Author Lexici, quod Aruch vocant: Quid est circuncisus in præputio? Circuncidebantur, & attrahebant sibi præputium.*

Existimarunt aliqui Iudæos idcircò recutitos vocari solitos à Poëtis, quòd illorum nonnulli post refectum præputium, nouam cutem glandi attraherent. Persius Satyra 5.

Labra mouet tacitus, recutitáque Sabbatha palles.

Martialis libro 7. epigrammate in Cæliam:

Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum.

S. Apollinaris Sidonius Carmine 22.

Fert recutitorum primordia Iudæorum.

Apollonius Collatius lib. 4. de excidio Ierosolymitano:

Feciséque satis voto recutita iuuentus.

Quanuis alij, *recutitos*, quasi cute remota, & detracta dictos malint. Certum est fuisse generale Iudæorum nomen. At de his iam satis. Vide Serarium in 5. Iosuë quæst. 1. & in 1. Machab. 1. Baronium tomo 1. Annalium, anno Christi 57. num. 70. & seqq. Iosephum Stephanum, & Ioannem Drusium in 1. Machabæor. 1. Cornelium à Lapide, & Benedictum Iustinianum in 2. Corint. 7. v. 18.

Nec de Antiocho omittimus, quæ Diodorus Siculus in Excerptis libri 34. Bibliothecæ, apud Photium, scripsit: *Antiochus enim dictus Epiphanes, deuictis Iudæis, intrauit Sancta Sanctorum, adiit solis Sacerdotibus adeunda, & inuenit ibi lapideam statuam, viri barba promissa, tenentis manibus librum, insidentisque asino, quam putabat Mosis esse, qui vrbem & condiderit, & gentem fundarit, & odiosas illas omnibus gentibus leges tulerit. Ipse verò cupiens abducere odium omnium gentium, leges dissoluere conatus est. Quare statuæ conditoris, & altari Dei subdialis porcam ingentem sacrificauit, & sanguine illos perfudit, & carnem coquens iussit sacros eorum libros, qui leges continerent, iure illo corrumpi & obliterari: ignem nunquam deficientem, & semper, vt aiunt, ardentem in templo extinguí; & carnem suillam summum Sacerdotem, alióque Iudæos comedere coegit.* Hactenus Diodorus. Quibus subdit Photius. *Hæc Diodorus de Mosaïcis institutis, & legibus, de conditore Ierosolymorum mentitur.* Suidas in Antiocho: *Antiochus Iudaïcam gentem, quæ ob insolita tributa seditionem mouerat, rursus subegit, templique donarijs spoliatis, & omnibus penestigatis, sigillum inuenit, librum tenens manibus, promissa barba, cui & lucernula auro distincta adstabat. Hæc suillo inuncta sanguine in templo reliquit.* Hæc Suidas proculdubiò ex Diodoro. Affinia sunt, quæ Appion Grammaticus Alexandrinus, Cymbalum mundi, de Iudæorum templo impudenti mendacio confinxit, de quo Iosephus lib. 2. aduersùs eundem: *In hoc enim Sacrario Appion præsumpsit edicere, asini caput collocasse Iudæos, & id colere, ac dignum facere tanta religione. Et hoc affirmat fuisse deprædarum, dum Antiochus Epiphanes, & expoliasset templum, & illud caput inuenisset ex auro compositum, multis pecuniis dignum.*

Cornelius Tacitus Historiarum 5. *Effigiem animalis* (asini) *quo monstrante errorem, sitímque depulerant, penetrali sacrauêre.*

Suidas: *Democritus Historicus libros duos scripsit, De instruendis acicbus, de Iudæis: in quo ait, eos aureum asini caput adorare: & septimo quoque anno peregrinum exceptum sacrificare, carne eius minutatim dissecta.* Eadem habet in verbo, *Iudæi.* Fabulam mactati quotannis peregrini pluribus refert Iosephus lib. 2. in Appionem. Sed & Plutarchus de Iside, & Osiride, quædam huc facientia narrat: *Qui autem dicunt è prælio Typhonem asino vectum per septem dies fugisse, elapsúmque filios genuisse Ierosolymum, & Iudæum; facilè patet eos Iudaïcas res in fabulam hanc adscíscere.* Et in Symposiacis lib. 4. quæst. 5. *Asino suus est apud eos honor, quia fontem aquæ eis demonstrauit.*

Illud peius erat, quòd deliri quidam Gentiles impiam hanc calumniam etiam in Christianos vertebant. Tertullianus Apologetici cap. 16. *Nam, vt quidam somniastis caput asininum esse Deum nostrum. Hunc Cornelius Tacitus suspicionem eiusmodi inseruit. Is enim in 5. Historiarum suarum, bellum Iudaïcum exorsus ab origine gentis, etiam de ipsa tam origine, quàm de nomine, & religione gentis, quæ voluit argutatus, Iudæos refert Ægypto expeditos, siue, vt putauit, extorres, in vastis Arabiæ locis aquarum egentissimis, cùm siti macerarentur, onagris, qui fortè de pastu potum petituri æstimabantur, indicibus, fontibus vsos: ob eam gratiam consimilis bestiæ superficiem consecrasse. Atque ita inde, opinor, præsumptum, nos quoque vt Iudaïcæ religionis propinquos, eidem simulacro initiari.* Et apud Minutium Felicem Cæcilius Christianis obiectat: *Audio, eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum inepta nescio qua persuasione venerari.*

Sed quod ad Iudæos attinet, ipsimet gentiles Authores fabulam de asini capite à Iudæis culto perspicuè refellunt. Diodorus Siculus in Excerptis, lib. 40. Bibliothecæ, Laurentio Rhodomano Interprete: *At nullam omninò Deorum imaginem, statuámve fabricauit Moses: quòd in Deum minimè cadere formam humanam; sed cœlum hoc, quod terram circunquaque ambit, solum Deum esse, cunctáque in potestate habere iudicaret.*

Strabo

Strabo lib. 16. *Affirmabat enim, docebátque* Moses, *Ægyptios non rectè sentire qui bestiarum, ac pecorum imagines Deo tribuerunt: itémque Afros & Græcos, qui Dis hominum figuram affingerent. Id verò solum esse Deum, quod nos & terram, ac mare continet; quod cœlum, & mundum, & rerum omnium naturam appellamus, cuius profectò imaginem nemo sanæ mentis, alicuius earum rerum, quæ penes nos sunt, similem audeat effingere. Proinde omni simulacrorum effictione repudiata, dignum ei templum, ac delubrum constituendum, ac sine aliqua figura colendum.*

Dio Cassius lib. 37. *Nullum ex cæteris Diis colunt: vnum autem quendam summo studio venerantur Iudæi. Nec vllum simulacrum Ierosolymis vnquam habuerunt; nimirum, suum illum Deum ineffabilem, & formæ expertem existimantes.*

Et ipse Tacitus, tametsi oblitus veritatis, at non sui immemor, mendax esse debuit, vt rectè annotanit Vertranius, cùm postea hæc scripsit: *Ægyptij pleraque animalia, effigiesque composita venerantur. Iudæi mente solâ, vnúmque Numen intelligunt. Profanos qui Deûm imagines mortalibus materiis in species hominum effingant: summum illud, & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla simulacra vrbibus suis, nedum templis sunt.* Et post alia: *Romanorum primus Cn. Pompeius domuit, templúmque iure victoriæ ingressus est. Inde vulgatum, nulla intus Deum effigie vacuam sedem, & inania arcana.* Vbi ergo in penetrali effigiem asini sacratam? Acutè Tertullianus: *At enim idem Cornelius Tacitus, sanè ille mendaciorum loquacissimus, in eadem Historia refert, Cn. Pompeium, cùm Ierusalem cepisset, prætereáque templum adisset, speculandis Iudaïcæ religionis arcanis, nullum illic reperisse simulacrum. Et vtique si id colebatur, quod aliena effigie repræsentabatur, vsquam magis quam in sacrario suo exhiberetur: eò magis quia verebatur extraneos vana cultura: solis enim Sacerdotibus adire licitum, & conspectus cæterorum velo oppasso interdicebatur.*

Verùm eandem calumniam in Christianos deriuatam Octauius egregiè dispulit, cum Cæcilium compellit: *Sic est negotium dæmonum: ab ipsis enim rumor falsus, & seritur, & fouetur. Inde est, quòd audire te dicit caput asini rem nobis esse diuinam. Quis tam stultus, vt hoc colat? Quis stultior, vt hoc coli credat? nisi quod vos & vosmet ipsos in stabulis cum vestra vel Hippona consecratis.* Tertullianus: *Vos tamen non negabitis, & iumenta omnia, & totos cantherios cum sua Hippona coli à vobis.*

Non hìc se continuit impia audacia. Audi Tertullianum: *Sed noua iam Dei nostri in ista ciuitate proximè editio publicata est, ex quo quidem in frustrandis bestiis mercenarius noxius picturam proposuit cum eiusmodi inscriptione: Deus Christianorum Ononychites. Is erat auribus asininis, altero pede vngulatus, librum gestans, & togatus. Risimus & nomen, & formam.* Franciscus Iunius annotat: *Lego ex Vaticanis manuscriptis: Deus Christianorum Onocorsites: dicitur enim ἀπὸ τοῦ ὄνου κόρσης, ab asinino capite. Hanc veram esse lectionem, interpretationémque spondeo.* Recte Pammelius vtraque reiicit: nam Tertullianus non dicit, fuisse asinino capite; sed auribus asininis, & altero pede vngulatum, hoc est, ononychitem, id est, Asinúngulatum, vel Asinungulariam, vt Zephyrus interpretatur. Ex impurissimis Gnosticorum Commentis, quæ refert S. Epiphanius hæresi 26. nactos occasionem Gentiles tam absurda de Deo Asinino Christianis impingendi, Baronius coniectatur Annali 2. Anno Christi 201. num. 25.

Iam ad Antiochum reuertamur, cuius vitia Athenæus lib. 5. Dipnosophistarum, cap. 5. & lib. 10. cap. 10. ex Polybio, Suidas, S. Hieronymus in 11. Daniel. & alij prolecuti sunt. Hunc nomine Belial sæpiùs à Iosepho Ben-Gorion lib. 3. Antiquitatum Iudaïcarum, cap. 6. insignitum legimus. S. Cyprianus in exhortatione ad Martyrium, cap. 11. *Rex Antiochus infestus, imò in Antiocho Antichristus expressus.* Genebrardus lib. 2. Chronographiæ, pag. 281. appellat eum Antichristum veteris Testamenti: quem non semel in hoc Opere deinceps conueniemus.

Herodes, Antipatris filius.

CAP. X.

MAgnum hic se Antichristi typum exhibuit, cùm lumen illud diuinum mundo exortum, Christum Seruatorem, extinguere conatus est: & innumera sacrorum infantium corpora indiscreta cæde trucidauit. Hos quatuordecim millia fuisse, Græcorum Ecclesia in Kalendario festorum anni a Genebrardo conuerso, 29. Decembris, his verbis affirmat: *Sancti Innocentes in Bethlehem ab Herode occisi ad millia quatuordecim.* Et in Æthiopũ Liturgia, cùm Sanctorum solennis instituitur inuocatio, hæc inter alia dicuntur. *Et per preces maiorum Angelorum splendentium, Michaëlis, & Gabrielis, ac Raphaëlis, & Vrielis, & quatuor animalium sine carne, & vigintiquatuor seniorum cœli; & Patrum nostrorum sanctorum Patriarcharum Abraham Isaac, & Iacob, & omnium proborum Patrum priorum, ac quindecim Patrum nostrorum Prophetarum, ac S. Ioannis Baptistæ, & quatuordecim millium puerorum Bethlehem, & patrum nostrorum duodecim Principum Apostolorum.* Occisum tunc inter alios etiam infantem filium Herodis Philo Anianus lib. 2. Breuiarij tradit: *Itémque proprium filium, quem ex vxore eiusdem tribus Iudæ susceperat, interfecit: quod diceretur iam in lege promissus Christus natus.* Macrobius lib. 2. Saturnaliorum, cap. 4. *Cùm audisset Augustus, inter pueros, quos in Syria Herodes Rex intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait, Melius est Herodis porcum esse, quàm filium.* Nimirum, quòd Iudæi, nedum ab esu, sed etiam ab interfectione suum vehementer abhorrerent. Plutarchus in 4. Symposiacôn quæst. 5. *Nunc, tam interficere, quàm edere suem, iis est religio.* Et Iuuenalis Satyra 6.

Obseruant vbi festa mero pede Sabbatha Reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Ineptè veteres Glossæ: *Senibus, id est, maioribus porcis parcunt: nam minores manducant.* Nescierunt prorsus ritus gentis. Et Satyra 14.

Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit.

Primus hic Herodes externus, & alienigena, natus Antipatre, homine Idumæo, & Cypride, nobili Arabissa, regnum Iudæorum Romanis fauentibus inuasit: nam regnum illi ab Anthonio datum, Augustus firmauit, vti pluribus Iosephus prodit 14. Antiquit. cap. 25. & 1. belli c. 11. & 15. Assentiuntur externi quoque Scriptores, Strabo lib. 16. *Posteà Herodes, vir indigena, Sacerdotium consecutus, tantùm superioribus, maximè Romanorum, familiaritate præstitit, vt Rex quoque fuerit appellatus, Anthonio primũ, posteà Cæsare Augusto potestatem ei concedente.* Falsò Herodem indigenam, & Sacerdotem adstruit. Tacitus Histor. 5. *Regnum ab Anthonio Herodi datum, Victor Augustus sanxit.* Dio lib. 49. *Anthonius Herodi cuidam regnum Iudæorum concessit.* Appianus 5. bellorum ciuilium, pag. 715. *Reges quoque aliquot appellauit arbitratu*

bitratu suo Anthonius, Ponti Darium, Pharnazis, filium, Idumæorum, Samaritarumque Herodem, Amyntam Pisidarum,&c.

Huius scelera, & atrocis sæuitiæ exempla nefanda complura narrat Iosephus, qui eius res gestas accuratissimè prosecutus est libris 14.15.16.17. Antiquitatum,& 1. belli Iudaïci. Sed pauca alia recenseamus. Iulius Africanus epistola ad Aristidem,quæ extat apud Eusebium 1. Hist. eccles. cap.7. & apud Nicephorum lib.1. cap.11. hæc prodit: *Cùm familiæ,non Hebræorum solùm,verùm etiam eorum,qui vsque ad proselytos genus suum referebant,vt ad Achior Ammanitem,& Ruth Moabitidem,qui ex Ægypto elapsi commiscebantur cum Israëlitis, ad illud tempus scriptis prodita in tabulariis seruarentur; Herodes, quòniam illorum stirpem nihil ad se pertinere, nihilque ad suam dignitatem illustrandam afferre adiumenti animaduertebat, sua ignobilitatis, & obscuri generis conscientia exagitatus, Annales illos de generum & familiarum antiquitate incendit, arbitratus, se nobilem visum iri, cùm nemo suum genus ex publicis illis monumentis depromptum ad Patriarchas,vel ad proselytos, vel ad eos,qui ἐώραν,id est,terræ incolæ,qui cum Israëlitis permiscebantur, vocati sunt, omninò posset reducere.* Eadem habet S. Ambrosius lib.3. in Lucam, col.52.

Herodem insuper summum Iudæorum Sacerdotium venale prostituisse,S.Hieronymus in 9.Danielis refert: *Qui Pontificatum quoque nequaquam iuxta legem Moysi mortuis parentibus, tradebat liberis, sed alienis;& nec ipsis multo tempore, nisi ob gratiam, & pretium diuina legis iussa contemnens.* Nicephorus lib. 1.c.9. *Quibuscunque etiam vilissimis nundinari volentibus,hoc pacto Pontificatum venalem annuis redditibus,& pensionibus, prateritis, spretisque,qui generis vetustate celebres essent, proponens.* Cæterum Iosephus 20. Antiq.c.8. & Eusebius 1.Hist.c.6.& lib. 8. Demonstrationis euangelicæ,cap.3. cùm Sacerdotium ab Herode temporarium factum memorant, nihil de pretio, & nundinationibus tradunt.

Ad hæc,sustulisse Herodem celebre illud Concilium Sanhedrim,Synedrion septuaginta duorum seniorum è progenie Dauid, aliúdque nouum ex proselytis creasse, Pseudo-Philo Anianus in Breuiario lib. 1. scribit: *Anno verò trigesimo principatus sui tyrannici Sanhedrin ex domo Dauid deleuit: atque Sanhedrin ex proselytis suffecit, qui, nimirum, in lege videbantur eruditi.* Thalmudici in Baba Bathra, capite Hassuthaphin: *Surrexit ergo Herodes, & occidit vniuersos Rabbanam, id est, Magistros, reseruato sibi solo Baba,filio Bota,vt consuleret eum. Quodam verò die iussit eum accersiri ad se, & eruit ei oculos. Homo iste extinxit lumen mundi,id est,Rabbanam.* Hæc non inseruissem, nisi Eusebius in Chronico numero 2015. ista conscripsisset: *Herodes Scribas quoque, & Interpretes diuinæ legis pariter necat.* At de Herode satis Iosephus Scaliger in Eusebianis numero 1983. multis contendit,Herodem,nec alienigenàm, nec proselytum, nec obscuri & ignobilis generis fuisse; sed ex vetustissimis proselytis Idumæorum,qui iam verè Iudæi censerentur, claro, & præpotenti, ac prædiuite patre ortum. Refutauit hanc Scaligeri sententiam Nicolaüs Serarius integro libello,quem,*Herodes*,inscripsit:sed eam propugnant Augustinus Torniellus in sacris Annalibus,tomo 2. Anno mundi 4018.numero 7.8.9.& Isaacus Casaubonus exercitatione 1. in Baronium,sectione 3.

Herodiani qui.

CAP. XI.

MAtt.22. 15. *Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis.* Marci 3.6. *Exeuntes autem Pharisæi,statim cum Herodianis consilium faciebant aduersùs eum, quomodo eum perderent.* Marci 12.13. *Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, & Herodianis, vt eum caperent in verbo.* De his variè existimatum.

Primò,Herodianos dictos Herodis palatinos, domesticos, aulicos, Syrus noui Testamenti Interpres, Matthæi 22.16.*Cum his,qui erant de beth Hiraudis*,id est, de domo Herodis. Hebraïcum Euangelium à Mercero editum, *Cum seruis Herodis.* Ita ex Nouatoribus Beza, & Tremellius: ex Catholicis Franciscus Lucas in Matt.22. vers. 16.hæc habet:*Cum Herodianis. Syrus,cum his,qui de domo Herodis: cum domesticis,aut Officialibus, vel certè amicis, & fautoribus Herodis.* Et in Marci 3.v.6.*Cum Herodianis:cum his, qui Herodis partes agebant in iudicando populo, in puniendis publicè pacis perturbatoribus, & in cæteris ad Reipublicæ regimen pertinentibus: cum Officialibus, & ministris variis Herodis. Herodes à Romanis constitutus erat Galilææ Tetrarcha: Iesus autem Galilæus erat, atque in Galilæa hæc patrabat.* Atqui Herodiani non ab Herode Magno, sed ab eius filio Antipa, qui tempore Christi prædicationis viuebat, iam dicti erant.

Secundò, Herodis milites, vt olim dicebantur Pompeiani, Cæsariani.S.Hieronymus in Matth.22. *Mittunt igitur Pharisæi discipulos suos cum Herodianis,id est,militibus Herodis.* Eadem habet Strabus in Glossa, & Theophylactus. S. Chrysostomus hom.1. 71.in Matt. *Mittunt itaque discipulos suos cum militibus Herodis,sic interrogaturos*, &c. Victor Antiochenus in Marci 12. *Sunt tamen,qui per Herodianos Herodis satellites intelligant.* S. Beda in Marci 3. *Herodianos Herodis Tetrarchæ ministros dicit,qui propter inimicitias, quas dominus ipsorum aduersùs Ioannem exercebat,etiam Saluatorem,quem Ioannes prædicabat, insidiis insequebantur, & odiis.* Et in Matt. 22. *Mittunt igitur Pharisæi discipulos suos cum Herodis militibus.* Et in Marci 12. *Herodianos dicit milites Herodis Tetrarchæ:quia ipse tunc temporis erat Ierosolymis.* Eadem habet Anselmus Laudunensis. Hoc sequuntur Lyranus, & Erasmus in Matt.22.Vatablus in Marci 12. Bredembachius in Matt. 22.Iansenius cap. 38. in Concordiam euangelicam.Sed interest,quòd milites Herodis Magni intelligant S. Hieronymus,Strabus, Erasmus,Bredembachius:at milites Herodis Antipæ Tetrachæ, Beda, Lyranus,Iansenius.Sed vide, vti id refellat Maldonatus:*Herodes,non in Iudæa, sed in Galilæa dominabatur, aut Romanis potiùs seruiebat: quare eius milites, vt fingamus Herodianos vocatos fuisse,Ierosolymæ esse non potuerunt*, O quanta facilitas, & promptitudo carpendi! Conueniúntne bene ista cum illis Lucæ 23.11. *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo.*vel,vt Græca habent,*cum exercitibus suis?*

Tertiò,eos, qui ad mentem Herodis contenderent in populo tributa pendenda Imperatori Romano, contra opinionem Iudæ Galilæi,& Simonis,qui non esse reddenda,acerrimè tuebantur,peculiarem de suo nomine sectam condentes, de quibus Actor. 5.37. & fusè Iosephus 18. Antiq. cap.1.& 2. & Belli Iudaïci 2. c.7. Origenes tractatu 21.in Matt:*Qui autem erat in tempore illo* nempe,Iudę Galilæi, *Iere-*

sue-ere

ſuadere populo feſtinabat, vt ſtatui præſenti conſalrent, & non voluntarsè contra fortiores ſuſciperent bellum; ſed acquieſcerent dare tributum. Et paucis interiectis: *Forſitan enim in populo tunc, qui quidem dicebant oportere dare tributum Cæſari, vocabantur Herodiani ab his, qui hoc facere recuſabant.* S. Hieronymus in Matt. 22. *Cæſar Auguſtus Herodem, filium Antipatris, alienigenam, & proſelytum, Regem Iudæorum conſtituerat, qui tributis præeſſet, & Romano pareret Imperio. Mutant igitur Phariſæi diſcipulos ſuos cum Herodianis, id eſt, militibus Herodis; ſeu, quos illudentes Phariſæi, quia Romanis tributa ſoluebant, Herodianos vocabant, & non diuino cultui deditos.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Iſaiam cap. 11. *Acceſſerunt enim aliquando quidã Herodiani, vt vocantur: erant autẽ quaſi publicani, & vectigalium exactores.* Hanc ſententiã probabiliorem exiſtimauit Maldonatus, & ſequitur Titelmannus in 22. Matt. Videtur certè Herodiani iſti appellati ab Herode magno, vt Origenes, & S. Hieronymus voluêre, quòd is Romano Imperatori, Romaníſque vnicè faueret, à quibus regnum acceperat; mirificéque Romanorum tributa, & penderet, & curaret, vti indicat Ioſephus lib. 15. Antiquit. c. 5. & Appianus 6. Bellorum ciuilium, pag. 715. Equidem Ioſephus 1. Belli, cap. 15. *Eúmque* Herodem *præterea totius Syriæ Procuratorem conſtituit* Auguſtus, & *decimo anno reuerſus iterum in prouinciam, ne quid eo inconſulto Procuratoribus liceret adminiſtrare, præcepit.* Nicolaüs Zegerus in Notis ad 22. Matth. verſ. 16. hanc, & ſuperiorem de Herodianis ſententiam ex verbis penè S. Hieronymi coniungens ait: *Cum Herodiani, id eſt, militibus Herodis, vel ipſius fautoribus, & amicis, quos illudentes Phariſæi, quòd Romanis tributa penderent, Herodianos vocabant, quaſi diuino cultui haud deditos.*

Quartò, Sectam peculiarem fuiſſe apud Iudæos eorum, qui Herodem Magnum, Antipatris filium, Meſſiam in lege promiſſum Geneſ. 49. 10. exiſtimauerint. Cùm enim eo Oraculo prędictum foret, venturum Meſſiam, cùm ablatũ eſſet ſceptrum de Iuda; & Herodes primus externus, & alienigena id regnum occuparet; in eam inſaniam prolapſi ſunt, vt ipſum Herodem crederent eſſe Meſſiam venturum. Tertullianus de Præſcriptionibus Hæreticorum, cap. 45. *Taceo Iudaïſmi Hæreticos, Doſitheum, inquam, Samaritanum, qui primus auſus eſt Prophetas, quaſi non Spiritu ſancto loquutos repudiare. Taceo Sadducæos, qui ex huius erroris radice ſurgentes auſi ſunt ad hanc hæreſim etiam reſurrectionem carnis negare. Prætermitto Phariſæos, qui additamenta quædam legi adſtruendo à Iudæis diuiſi ſunt: vnde etiam hoc accipere ipſum, quod habent, nomen, digni fuerunt. Cum his etiam Herodianos, qui Chriſtum Herodem eſſe dixerunt.* S. Philaſtrius, Brixienſis Epiſcopus, de hæreſibus ante Chriſti aduentum, cap. 28. *Herodiani ſunt ab Herode Rege Iudæorum ita appellati: iſti reſurrectionem confitentur, legem, & Prophetas accipiunt. Herodem autem Regem Iudæorum percuſſum ab Angelo, ipſum vt Chriſtum ſperantes expectant,* (fortè, *expetunt.*) *Mira hallucinatio apud Philaſtrium,* inquit Scaliger cap. 1. Elenchi Trihæreſij: *nam ſi eſſet Herodes ille Agrippa, de quo Actuum 12. quomodo Euangelium potuiſſet eorum meminiſſe? Sed iam priùs id nos notauimus in priore huius noſtri Operis editione.*

S. Epiphanius hæreſi 20. *Poſt hanc* Oſſenorum, *& has ſectas rurſus ſeptima hæreſis erat Herodianorum appellata. Nihil autẽ habebant hi diuerſum: ſed toti ſunt Iudaï vani, & hypocritæ. Verùm, Herodem putabant hi Chriſtum Dominum, qui in omnibus Scripturis, legéque, ac Prophetis expectatur, & ob ipſum decepti Herodem jactabant: inducti ex dicto hoc, vnà cum hoc, quòd etiã in gratiam eius, qui tunc Rex erat, inaniter gloriabantur: Non deficiet Princeps ex Iuda, neque dux ex femoribus ipſius, donec veniat, cui reſeruatur, aut, vel, vt alia exẽplaria habent, donec veniat, cui reſtant, quæ reſeruantur ipſi.* Et poſt alia: *Quandoquidem igitur ex alienigenis hic regnauit: durauit autem regnum per ſucceſſionem à Iuda, & Dauid: itémque Principes ex Iuda, & Patriarchæ: tranſlatum verò fuit regnum ad alienigenam: credibile viſum eſt ſuſpicioni erroneorum, vt ipſum eſſe Chriſtum putarent, ac deciperentur ex relati dicti conſequentia; nempe, non deficiet Princeps ex Iuda, donec veniat, cui reſeruatur. Vt accipiamus, inquiunt, quod huic reſeruatum eſt. Defecerunt enim illi: & hic non de genere Iuda, imò neque omninò de genere Iſraël eſt; huic autem reſeruatum eſt eſſe Chriſtum.*

S. Hieronymus dialogo aduersùs Luciferianos, versùs finem: *Taceo de Indaïſmi Hæreticis, qui ante aduentum Chriſti legem traditam diſſiparunt: quòd Doſitheus, Samaritanorum Princeps, Prophetas repudiauit: quòd Sadducæi ex illius radice naſcentes etiam reſurrectionem carnis negauerunt: quòd Phariſæi à Iudæis diuiſi, propter quaſdam obſeruationes ſuperfluas, nomen quoque à diſſidio ſuſceperunt: quòd Herodiani Herodem Regem ſuſcepêre pro Chriſto.* Sed mirum, quòd hæc ſcripſerit tam diſertè S. Hieronymus: tamen in Matt. 22. iſta poſuerit: *Quidam Latinorum ridiculè Herodianos putant, qui Herodẽ Chriſtum eſſe credebant: quod nuſquam omninò legimus.* Victor Antiochenus in Marci 12. *Herodiani ætate illa, vt fertur, erant, qui Herodem Chriſtum in lege promiſſum eſſe contendebant.*

S. Damaſcenus lib. de Hæreſibus. *Herodiani omni ex parte Iudæi erant: Herodem autem vt Chriſtum approbabant, eúmque Chriſti, & honore afficiebant, & nomine appellabant.*

Theophylactus in Matth. 22. *Herodiani autem erant vèl milites Herodis, vel qui putabant Herodem Chriſtum. Quoniam enim deficientibus Principibus Iuda, regnaret Herodes, arbitrabãtur ipſum eſſe Chriſtum.* Et in Marc. 3. *Quinam enim Herodiani? Vel milites Herodis; vel hæreſis quædam nuper admodum orta, quæ docebat, Herodem ipſum eſſe Chriſtum: eò quòd in illo Iudaïcorum Regum ſucceſſio finem habuiſſet: ita enim exponebant prophetiam Iacob, quando defecturi eſſent ex Iuda Principes, tunc venturum Chriſtum. Cùm igitur Herodis temporibus nullus vſquam eſſet Iudaïcus Princeps, ſed regnaret Herodes alienigena; Idumæus enim erat; opinati ſunt quidam ipſum eſſe Chriſtum: & conſtituta quadam factione attentauerunt perdere Dominum.* Et in cap. 12. Marci: *Diximus etiam aliàs de Herodianis, quòd fuerit hæreſis quædam tunc nuper orta dicentium, Herodem eſſe Chriſtum: eò quòd in temporibus illius defeciſſet ſucceſſio Regum Iudaïcorum. Alij autem dicunt, Herodianos hoc loco dictos eſſe milites Herodis, quos Phariſæi in teſtes eorum, quæ Chriſtus dicturus erat, aſſumunt, vt conſequenter comprehendant illum, & abducant.*

Euthymius in 12. Matth. verſu 14. *Herodiani & ipſi genere quidem erant Iudæi: vehementer autem Herodem colebant, & ipſum eſſe dicebant Chriſtum à Prophetis promiſſum. Nam, quia prophetatum erat tunc venturum eſſe Chriſtum, quando deficeret, qui ex Iudæis imperaret: defecerat enim in diebus Herodis, qui infantes necauerat: primus ſiquidem hic alienigena Iudæus imperauit; ideò hunc eſſe ſuſpicabantur, qui venturus expectabatur: & coniuncti inuicem propriam fecerunt ſectam. Et quia Herodem plurimùm amabant, Herodiani cognominati ſunt.*

Nicetas Choniata lib. 1. Orthodoxiæ, cap. 44. *Herodiani ab Herode, Antipatris filio, nomen acceperunt,*

vum. Hic Herodes cùm Iulio Cæsari, Antonio, & Augusto innotuisset, Iudæorum regno præfectus est. Nonnulli ergo illum esse Christum arbitrabantur, Iacobi, scilicet, vaticinio adducti, quod ita canit: Non deficiet Dux, neque Princeps de femore eius, donec veniat, cui repositum est. Idcircò Herodiani nominabantur.

Sed non pigeat audire, quæ in eandem sententiam Nouantes scripserint.

Iosephus Scaliger in Eusebianis numero 1985. ad illud, *Non deficiet Princeps de Iuda, inquit:* Ἐκ τ τότε τ ἐντ ἀκολουθίας, *id est, ex huius dicti consequentia, inquit Epiphanius, quidam persuasum habebant, Herodem Messiam esse: imò illis ita persuasum esse voluit Herodes ipse. Vnde Herodiani dicti sunt, quæ non solùm fuit hæresis quædam hominum, sed & Corpus instar earum Societatum, quæ vulgò Confratriæ vocantur. Multa etenim vt in gratiam viui, sic in honorem mortui faciebant, & quotannis eius natalem sacrificiis, & diuinis honoribus prosequebantur. Durabat adhuc sub Nerone hoc genus. Persius: Herodis venêre dies. Ibi Glossæ veteres: Herodes apud Iudæos regnauit tempore Augusti in partibus Syriæ. Herodiani ergo diem natalem Herodis obseruabant, vt etiam Sabbatha, quo die lucernas accensas, & violis coronatas in fenestris ponunt. De hac hæresi Dominus sentit: Cauete vobis à fermento Herodis. Nihil præter hæresim Herodianorũ significat. Qui referunt ad Herodem Antipam, superioris filium, hominem nulli rei, & ne in minimis quidem cum patre conferendum, non leuiter peccant; atque tam falluntur, quàm Paraphrastes Syrus, qui Herodianos Herodis domesticos interpretatur, nimirum, huius vulpecula, vt eum vocat Dominus. Hieronymus in 22. Matthæi castigat eos, qui opinarentur, Herodianos fuisse genus hominum, quibus persuasum esset, Herodem Magnum Messiam fuisse: idque Latinorum quorundam commentum esse dicit. In quo fugit eũ ratio. Non enim Latini id prodiderũt:* (Sphalma Iosephi: prodidit id ex Latinis vetustissimis Tertullianus, vti vidimus, quẽ ab Hieronymo intellectum, inde sit perspicuum, quòd aduersùs Pelagianos ferè eius verba trãscribit.) *sed ex veteribus Græcis Epiphanius Græcus & ipse scriptor id retulit. Deinde sibi pugnantia dicit: qui non meminerit se olim alia in sententia fuisse: in Dialogo enim in Luciferianos ita scribit: Quòd Herodiani Herodem Regem susceperе pro Christo. Erant igitur Herodiani homines, qui nõ solũ Herodem pro Messia habebãt, vt Ismaëlitæ Muhammedem pro Summo Propheta: sed etiã quia societatẽ coirent, & sumptus ad sacrificia in honorem Herodis obeunda, & eius natalem colendum faciebant.* Hæc Scaliger.

Serarius in Herode cap. 22. extremo, multa in his commenta, & meros logos sine Authore vllo esse existimat. Non laudo Scaligerum hominem à Romana Ecclesia alienum. Sed alia alibi apud eum sunt, quæ iustiùs carpi potuissent, quàm quæ hîc Serarius: & quæ Serarius de loco Persij differit, nónne è Casaubono transcripsit? Sed quę ille non adeò probauit, Serario visa sunt meliora.

Isaacus Casaubonus in Commentario ad Satyram 5. Persij, enarrans versum illum, *Cùm Herodis venêre dies.* hęc scribit: *Sed præstat angustiùs interpretari de propria Iudæorum secta illorum, qui ab Herode Magno, pridem vita functo, Herodiani sunt dicti. E variis Iudaïcis sectis vna fuit istorum, vt scimus ex Euangeliis, Epiphanio Tertulliano, Hieronymo. Hi nihil admodum differebant à Iudæis, maximè quidem à Pharisæis, quibus semper coniunguntur in sacra Euangelistarum Historia: nisi quòd Herodem pro Christo colebant, decepti interpretatione praua prophetiæ Iacobi Geneseos cap. 49. tmemate 10. Isti ergo & Ierosolymis, & alibi, Herodis festum magna solennitate solebant. Dies Herodis appellat natalem diem Herodis, non quidem veræ geneseos, sed susceptі regni apud Iudæos: nam & illi dies vocabantur natales, vt dicebamus ad Spartianum: pleraque item alia festa sic nominabant, vt natalem terræmotus Alexandrini: de quo vide Sozomenum lib. 6. cap. 2.* Persij versus de Herodianis natalem diem Herodis celebrantibus sunt:

Herodis venêre dies; vnctáque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuêre lucernæ,
Portantes violas, rubrúmque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moues tacitus, recutitáque Sabbatha palles.

quos idem Casaubonus fusè interpretatur.

Ioannes Drusius in notis ad Matth. 22. vers. 16. ait: *In Lexico Iuris Hebraici vocantur* הרודוסיות *Herodosijoth, Herodiani, de nomine Herodis, &* דורסיות *Dorsijoth, Dorsiani, à loco, vnde adducti fuerũt. Erant autem natione Græci. Author Lexici, qui Baal Aruch Hebræus: Herodes Rex adduxit Græcos è deserto, & educauit eos in terra habitabili, fecerũtque* חרבות *tharbuth. Videtur hoc velle, instituerunt certum ritum. Quis ille ritus? Herodis, qui eos aluerat, natalem celebrabant: quo die etiam lucernas accẽsas, & violis coronatas in fenestris ponebant. Hoc primum. Deinde credebant eum Messiam esse. Vide de tribus Sectis lib. 1. cap. 3. Hieronymus aduersùs Luciferianos cap. 8. Herodiani Herodem Regem susceperе pro Christo. Notarunt hoc & alij.*

Et verò iam ante Drusium Genebrardus id annotauerat lib. 2. Chronographiæ, pag. 213. *Sic,* inquit, *falsi sunt Herodiani hæretici, qui Herodem Christum lege promissum esse dicebant, & posteris eius regni Iudaïci perpetuitatẽ pollicebãtur. Tertullianus de Præscriptionibus. Epiphanius in Panario, Hieronymus in Matth. Horum autẽ fit mentio in Baal Aruch: Herodes, inquit, Rex adduxit Græcos ex deserto, & educauit eos in loco culto, & fecerunt sectam, vocatique sunt de nomine ipsius,* הורדוסיות *Herodosijoth, Herodosijotæ. Quasi hi gente non fuerint Hebræi, sed Græci. Vt sint fortasse hi, quos Iustinus cum Tryphone vocat* Ἑλληνιανὲς, *quasi Græcanicos. Tharbuth, quod Drusius certum ritum.* Genebrardus, *sectam*, interpretatur; Dauid de Pomis in Tsemach, ait esse *consuetudinem, morem, educationem, discretionem.* Fortè hîc sumitur pro conuictu, seu conuictorio, vt vulgo vocant, seu Cœnobio. Casaubonus exercitatione 1. ad Apparatum Baronij, diatriba 5. hæc annotat: *Baal Aruch, vt obseruat doctissimus Drusius, Herodianos putauit esse Græcos, nescio, vnde è deserto ab Herode adductos, in cuius honorem instituerint Tharbuth consuetudinem aliquam, & institutiũ Religionis. (sic dicitur Religio Christiana, Tharbuth raah, vt apud Abraham Zachutum, pag. 23.) de quo instituto quædam obseruat Scaliger Notis Eusebianis ad numerum 1983. Genebrardus, quia legerat, Herodianos ex quorundam sententia fuisse Græcos, putauit eos esse, qui apud Iustinum dicuntur Helleniani, Græciani, vel Græcanici: errore manifesto, cùm ibi disertè scribat Iustinus, eos fuisse Iudæos; imò propterea tantùm horum mentionem faciat, quia erant Iudæi, & Abrahami filij.* Cæterùm locus Iustini de Hellenianis est in Dialogo cũ Tryphone Iudæo, pag. 239. *Dicat esse Sadducæos, aut persimiles hæreses, & sectas Genistarum, & Meristarum, & Galilæorum, & Hellenianorum sive Græciensium, & Pharisæorum, Baptistarum, & alios.* Non puto, hos Hellenianos, siue Græcienses, aut Græcissantes fuisse ipsos Herodianos. Scaliger Elenchi in Serarium cap. 13. *De Hellenianis, vt tuò pronũtiare possumus ab Authore, sive Hæresiarcha Hellenio dictos: ita quæ fuerit hæresis illa, cuius ille Hellenius pater fuerit, nulla coniectura assequi possimus.* Serarius in Mineruali lib. 3. cap. 3. istud Scaligeri improbat: vult ipse Hellenianos esse Helleniſtas,

sed

sed non intellexit, qui essent Helleniſtæ. Ego Hellenianos quidem existimo, esse illos, quos Lucas Actor. 6. 1. vocat *Helleniſtas*. Qui verò sint Helleniſtę, seu Helleniani, abundè docet Scaliger in Eusebianis, n. 1734. pag. 124. & lib. 3. Isagogicorum Canonum, in c. 1. pag. 278. & Drusius in Notis ad 6. Actuũ, vers. 1.

Cæterùm Herodianos Græcos fuisse, siue Gentiles, affirmat S. Chrysostomus homil. 25. in diuersos Matthæi locos. *Isti* Pharisæi *Christum expugnare cupientes, conuenientes non ad seruos Dei viros religiosos, sed ad Gentiles, id est, Herodianos, se contulerunt.* Eadem habet Author Operis imperfecti homil. 42. in Matthæum. Zacharias Chrysopolitanus lib. 3. in Concordiam euangelicam, cap. 126. *Per Herodianos intellige Gentiles, Herodi Tetrarchæ, qui Ioannem decollauit, famulantes, siue, vt alij, Herodi, Antipatris filio.*

Equidem Herodianos dictos homines alicuius peculiaris sectæ, qui Herodem magnum, Christum lege promissum crediderint, existimant quoque è recentioribus Gagnæius in 5. Marci, Sà in Matth. 22. Baronius in Apparatu Annalium. Singularem quidem sectam fuisse de nomine Herodis dictã, satis indicauit Dominus Marc. 8. 15. *Cauete à fermento Pharisæorum, & fermento Herodis.* Vbi non pauca Græca vetusta exemplaria habent, *& fermento Herodianorum.* Fermentum autem intelligi hîc doctrinam sectariam, scimus, interprete Matthæo 16. 12. *Tunc intellexerunt, quia non dixerit cauendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum.* His iam clarè perspicias, quàm rectè hunc immanem Christi persecutorem, sæuum infantum interfectorem, diriſſimum tyrannum, & à sui furfuris hominibus Christum existimatum, inter Antichristi præcursores coniecerimus.

Simon Magus.

CAP. XII.

ACtorum 8. 9. *Vir autem quidam nomine Simon, qui antè fuerat in ciuitate* Samaria, *Magus seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum: cui auscultabant omnes à minimo vsque ad maximũ, dicẽtes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebat autẽ eũ, propter quod multo tẽpore magiis suis dementasset eos.*

S. Iustinus Martyr Apologetico 2. pag. 54. *Cùm post ascensionem Christi, in cœlum iidem Dæmones in medium produxerint mortales, qui se ipsos Deos esse dixêre; tantùm abest, vt persequutione illi à vobis sint expetiti, vt honoribus quoque digni sint existimati. Simon, nimirum, quidam Samaritanus, in vico, cui Gitthon nomen est, natus: qui sub Claudio Cæsare efficacium Dæmonum arte, in imperiali Vrbe vestra Roma, propter magicas, quas exhibuit virtutes, Deus habitus est, & statua apud vos veluti Deus honoratus. Quæ statua in amne Tiberi inter duos pontes est erecta, Latinam hanc habens inscriptionem,* SIMONI DEO SANCTO. *Ac Samaritani propè omnes, ex aliis autem nationibus etiam perpauci, illum quasi primum Deum esse confitentes, adorant quoque: & Helenam quandam, profectionis eius eo tempore comitem, quæ priùs pudicitiam in propatulo habuerat, & in lupanari prostiterat, principem ab illo notionem, & intelligentiam factam esse narrant.* Et post multa pag. 71. *Nam apud vos, prout diximus, in imperiali Vrbe Roma, sub Claudio Cæsare, Simon fuit, & sacrum Senatum, Populumque Romanum eo perduxit stuporis, vt Deus haberetur, & statua, veluti alij, quos colitis Dij, cohonestaretur.* Et in Dialogo cum Tryphone, pag. 273. *Neque enim curam, aut rationem aliquam popularium etiam meorum, Samaritanorum dico, habui, scripto Cæsarem compellans, cùm impostoris seduci eos in errorem affirmarem, qui Simoni gentis suæ Mago parerent: quem Deum esse supra principatum, & potestatem, & virtutem omnem dicunt.*

S. Irenæus lib. 1. aduers. hæres. c. 20. *Et cùm adhuc Magus non credidisset Deo, & cupidiùs intendit contendere aduersùs Apostolos, vti & ipse glorioſus videretur esse: & vniuersam magiam adhuc amplius inscrutans, ita vt in stuporem cogeret multos hominum: quippe cùm esset sub Claudio Cæsare, à quo etiam statua honoratus esse dicitur propter magiam. Hic igitur à multis quasi Deus glorificatus est, & docuit semetipsum esse, qui inter Iudæos quidem quasi Filius apparuerit: in Samaria autem quasi Pater descenderit: & in reliquis verò gentibus quasi Spiritus Sanctus aduentauerit. Esse autem se sublimissimam virtutem, hoc est, eum, qui sit super omnia Pater: & sustinere vocari se quodcunque eum vocant homines. Simon autem Samaritanus, à quo vniuersæ hæreses subsiterunt, habet huiusmodi sectæ materiam. Hic Selenem (* fortè *Helenam) quandam, quam ipse à Tyro ciuitate Phœnices quæstuariam cùm redemisset, secum circunducebat, dicens, hanc esse primam mentis eius conceptionem, matrem omnium, per quam initio mente concepit Angelos facere, & Archangelos, &c.* Plura subdit de hæresibus Simonis, eiúsque sequacium, Tertullianus Apologetici c. 12. *Sed cùm Larentinam, publicum scortum, velim saltem Laydem, aut Phrynem, inter Iunones, & Cereres, & Dianas adoratis, cùm Simonem Magum statua, & inscriptione sancti Dei inauguratis,* &c. Et in libro de anima, c. 23. *Nam & Simon Samarites in Actis Apostolorum Redemptor Spiritus Sancti, postea cùm damnatus ab ipso cum pecunia sua interitum frustrà fleuit, conuersus ad veritatis expugnationem, quasi pro solatio vltionis, fultus etiam artis suæ viribus, ad præstigias virtutis alicuius Helenem quandam Tyriam de loco libidinis publicæ eadẽ pecunia redemit, dignam sibi mercedem pro Spiritu Sancto: & se quidem fingit summũ Patrem, illam verò iniectionẽ suam primam, qua iniecerat Angelos, & Archangelos cõdere,* &c. Et de Præscrip. c. 46. *Hic ausus est summam se dicere virtutem, id est, summum Deum.*

Eusebius Cæsariensis lib. 2. Hist. eccles. cap. 12. ea, quæ superiùs de Simone Mago ex S. Iustino, & S. Ireneo descripsimus, ad verbum ex eisdem Patribus, eorundem laudatis nominibus, in suã historiam contulit. Quod idem fecit Nicephorus lib. 2. Hist. c. 14.

S. Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 6. *Et omnis hæreseos auctor, & inuentor est Simon Magus. Hic autem cùm esset Romæ, post eaquàm ab Apostolis reiectus est, & Græcam Selenem quandam meretricem circunducens, ore nefando priùs ausus est dicere, se ipsum esse Deum, qui in monte Sina, tanquàm Pater, apparuit: ac deinde apud Iudæos, non in carne, sed in imagine, tanquàm Christus Iesus, visus est; atque posteà tanquàm Spiritum Sanctum à Christo mittendum se esse promissum. Et ita seduxerat ciuitatem Romanam, vt Claudius illi statuam erexerit cum ea inscriptione in lingua Romana,* SIMONI DEO SANCTO.

S. Epiphanius Hæresi 21. *Hic Simon præstigiator erat, & a Gittharum ciuitate in Samaria originem habebat, quæ nunc vicus existit. Incantationibus autem Samaritas decipiebat, fallebátque, & inescabat. Patrem verò dicebat se ipsum esse apud Samaritas; apud Iudæos verò se Filium esse dicebat: passim autem se non passum esse, sed solùm apparentia.* Et post alia: *Cùm autem natura esset lasciuus, vbi reperisset sibi ipsi mulierem circulatricem, Helenam nomine, à Tyriorum vrbe ortam, ipsam in vxorẽ duxit. Turpitudine mulieri permixtus ille præstigiator, coniugem scortatricẽ Spiritum Sanctum dicere ausus est.* Plura etiã narrat de erroribus Simonis.

S. Philastrius de hæresibus, quæ post Christum sunt ortę, cap. 1. *Simon Magus genere Samaritanus de villa, quæ est Citheus vocitata, qui magicis vacans artibus mul-*

tos fallebat, dicens, se esse virtutem quandam Dei, quæ super omnes virtutes esset. Qui & audebat dicere, mundũ ab Angelis factum: Angelos autem factos à quibusdã sensibus de cœlo præditis; eósque fefellisse genus humanũ. Et explicatis aliis eius hæresibus subdit: *Cùm constet, illam Helenam, quæ cum Mago erat, de Tyro meretricẽ fuisse: hánc que eundẽ Simonem Magum fuisse secutam, & cum eadem diuersas magias, diuersáque scelera perpetrasse.*

S. Hieronymus in 24. Matthęi: *Simon Samaritanus, quem in Actibus Apostolorũ legimus, qui se magnã dicebat esse Dei virtutem, hæc quoque inter cætera in suis voluminibus scripta dimittens: Ego sum sermo Dei, ego sum speciosus: ego Paraclitus, ego omnipotens, ego omnia Dei.*

S. Augustinus libro de hæresibus ad Quod-vult-Deum, cap. 1. Simonis hæreses accuratè percẽsetur: *Docebat autem detestandã turpitudinem indifferenter vtendi fœminis. Nec Deum fecisse mũdum. Negabat etiã carnis resurrectionẽ: & asserebat, se esse Christum: itẽque Iouem se credi volebat: Mineruam verò meretricẽ quandam Selenem,* (Σελήνη Luna) *quam sibi sociam scelerũ fecerat; imaginésque & suam, & eiusdem meretricis discipulis suis præbebat adorandas, quas & Romæ tanquàm Deorum simulacra authoritate publicâ constituerat. In qua vrbe Beatus Apostolus Petrus cũ vera omnipotẽtis Dei virtute extinxit. Dixerat enim, se in monte Sina legem Moysi in Patris persona dedisse Iudæis: tẽpore Tiberij in Filij persona putatiuè apparuisse: postea se in linguis igneis Spiritum Sanctum super Apostolos venisse: Christum autem nec venisse, nec à Iudæis quidquam pertulisse.*

Quod ad imagines attinet Simonis, & Helenæ, à Simonianis cultas, meminit earũ S. Irenęus lib. 1. c. 20. his verbis: *Imaginem quoque Simonis habẽt factã ad figurã Iouis, & Selenæ in figurã Mineruæ; & has adorant.*

Theodoretus lib. 5. hæreticarum Fabularum, c. 1. *Simon autem priùs Samaritanus Magus scelerati illius artificij administer extitit. Qui ex Gitthis profectus, (is est autem vicus Samariæ,) & ad summum præstigiarum gradum prouectus, venit Romam Claudio Cæsare imperante: Romanos autem suis præstigiis tanta admiratione affecit, vt etiam ânea columna honoraretur.* Atque eius deliria, & hæreses commemorans, hæc inter alia narrat: *Se ipsum autem nominabat infinitam potentiam, & se Iudæis quidem tanquàm Filium apparuisse; ad Samaritanos autem tanquàm Patrem descendisse: ad alias autem gentes, tanquàm Spiritum Sanctũ accessisse. Et cùm meretricem nescio quam, quæ stabat in prostibulo, vocabatur autem, Helena, secum habitare fecisset; eam esse suæ mentis primam comprehensionem dicebat: & matrem omnium nominabat: & se per ipsam Angelos, & Archangelos fecisse: ab Angelis autem mundum esse architectatum. Iubebat autẽ eos, qui in ipsum credebant, Prophetas non attendere, nec legis minas pertimescere; sed eos tanquàm liberos facere, quæ voluerint. Non enim per bonas actiones; sed per gratiam eos esse salutẽ cõsecuturos. Quocirca qui eius secta erant, se audacter omni libidini, & intẽperantiæ dedebant.* Et recitatis eorũ magiis subdit: *Et cùm eius quidem statuam in Iouis figuram construxissent; Helenæ autem in Mineruæ speciem; eis thura adolebant, & tanquã Deos adorabant, Simonianos se ipsos nominantes.*

Quod autem ait Theodoretus, Simonem docuisse, non per bonas actiones, sed per gratiam, salutem consequendam; refert id quoque S. Irenæus de Simone, lib. 1. cap. 20. *Secundùm enim ipsius gratiam saluari homines; sed non secundùm operas iustas.*

S. Ioannes Damascenus libro de hæresibus: *Simon Magus, Petri Apostoli temporibus ex vico Samariæ, qui Gittho dictus est, fuit. Hic cùm sibi Christi nomen tantùm vendicaret, concubitum passim sine delectu corporum docebat. Resurrectionem autem carnis reiiciebat; Deúmque mundi effectorem, & authorẽ negabat. Simulacrum suum pro illo Iouis, ac sorti sui, cui nomẽ erat Helenæ, pro Minerua, discipulis suis adorandũ exhibebat. Idémque se, & Samaritanorũ Patrem, & Iudæorũ Christum prædicabat.*

Nicetas lib. 4. Orthodoxiæ, c. 1. *Simon Gitthis ortus (is Samariæ vicus est) si quando cum Iudæis versaretur, se Dei Filium; si cum Samaritanis, Deum Patrem; si cũ reliquis nationibus, Spiritũ Sanctum esse profitebatur. Insuper meretrici cuidam Tyriæ genere, Helenæq; nomine, quam secũ circũducebat, prima notionis appellationẽ indiderat: & quemadmodũ se Deum Patrẽ; ita & illam aliorũ esse matrẽ dicebat. In huius gratiam cælo se descẽdisse subiungebat, vt eam à vinculis quibus detinebatur, assereret: hominibúsque in se ipsũ credentibus salutis author esset.*

Moses Bar-Cepha Commentario de Paradiso, parte 3. c. 1. *Porrò de Simone Mago illud scire operæ pretium est, esse, qui dicant, ipsum in specie quidem assensisse Mosis legi; sed plures interim Deos posuisse: quorum vnus sit imbecillus, atque impotens, is, qui Adamum finxit, fecitque: alter verò hoc superior, maior, potẽtior. Alios autẽ putare, Simonis Magi sententiã fuisse, mundũ à mala causa ortũ esse: atque ideo illum huiusmodi absurda, turpiáque dicta collegisse, quibus apud eos, qui in vera fide durarent, mũdi authorẽ Deũ suggillaret. Propterea à corporũ quoque resurrectionẽ perfidè illũ negasse. Verùm hæc omnia ex eo libro cognosci possũt, quẽ de multitudine, dfferẽtiáque Sectarũ conscripsimus.* Alios Simonis errores ibidẽ recensẽt.

Anastasius Nicænus q. 23. in sacram Scripturam, impij huius nebulonis præstigias, & magicas effectiones ita describit: *Simon, qui fuit Magus, tẽpore Apostolorum, quàm multa phantastica fecit signa? Statuas enim faciebat ambulare: & in igne volutatus non vrebatur: in aëre volabat: & ex lapidibus panes faciebat: serpẽs fiebat: & in aliquas alias bestias transformabatur: duas habebat facies: in aurum conuertebatur: fores clausas aperiebat: vincla ferrea soluebat: in conuiuiis exhibebat spectra formarũ omnis generis: vasa, quæ erant in ædibus, faciebat videri, tanquàm quæ sua sponte mouerentur ad ministerium, iis, qui putabant, non visis: efficiebat, vt multæ vmbræ eum præcederent, quas dicebat esse animas mortuorum. Multos autem tentantes eum dicere præstigiatorem, cùm eos esset allocutus, & deinde conuiuij prætextu bouem sacrificasset, & eos conuiuio excepisset, variis morbis, & Dæmonibus eos subiecit. Et à Cæsare aliquando quæsitus, & territus, aufugit, sua forma alij imposita.* Hęc Anastasius accepta proculdubiò ex Apocryphis apud Abdiã Babylonium, lib. 5. apostolicę Historię, vbi hęc, & alia his affinia legũtur: quæ quoque retulit Michaël Glycas 2. parte Annal. & Cedrenus in Annalib. pag. 173.

Hegesippus Iunior lib. 3. excidij Hierosolymitani, c. 3. *Erant tunc temporis Romæ Petrus, & Paulus Doctores Christianorum sublimes operibus, clari magisterio: qui virtute suorum operum Neronem aduersum fecerant, captum Magi Simonis delinimentis, quæ sibi animum eius conciliauerat. Cui adiumentum victoriæ, subiectionis gentium, vitæ longæuitatem, salutis custodiam feralibus artibus pollicebatur. Atque ille credebat, qui vim rerum nescìret examinare. Denique summum apud eum tenebat amicitiæ locum: quandoquidem etiam Præsulem suæ salutis, vitæque custodem arbitrabatur.* Hæc autem leguntur apud Abdiam lib. 1. Hist. apost. vnde quoque acceperunt S. Greg. Turon. Historiæ Francorum lib. 1. c. 25. & Nicephorus lib. 2. Histor. c. 36.

Fuisse Simonem Magum primum omnium Hæreticorum, & quasi omnium Hæresiarchatum parentem, & antesignanum, vno ore Patres affirmant. S. Ignatius Martyr epistola ad Trallianos: *Fugite malas soboles Diaboli, Simonem dico primogenitum sobolis eius, & Menandrum, & Basilidem, & totam illam ipsius malitiæ colluuiem.* Eusebius 1. Historiæ eccles. c. 12. *Simonem igitur primum cuiuscunque erroris authorem,*

&

& quasi caput extitisse accepimus. S. Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 6. *Omnis hæreseos author, & inuentor est Simon Magus.* S. Epiphanius hæresi 21. *Simonis Magi prima est hæresis, quæ à Christo initium accepit.* Theodoretus hæreticarum fabularum lib. 1. c. 1. *Simon autem primus, Samaritanus Magus scelerati illius artificij administer extitit.* Eadem Nicetas lib. 4. Orthodoxiæ, cap. 1.

Verùm S. Hegesippus Apostolorum temporibus vicinus haud obscurè tradidit, primum omnium Hæreticorum fuisse Thebulem quendam: agens enim de successione Episcoporum in Ecclesia Ierosolymitana, hæc apud Eusebium lib. 4 Hist. cap. 21 ait: *Et quoniam Ecclesia nondum erat falsa peruersæ Hæreticorum doctrinæ inanitate corrupta, idcirco Virgo appellata fuit. At Thebulis, propterea quòd in petitione Episcopatus repulsam tulerat, eam erroris labe ex occulto inficere exorsus est: qui quidem vnus erat ex eorum numero, qui ex septem sectis in populo Iudaico proseminatis oriebantur. Ex quibus sectis originem erroris duxit Simon, à quo Simoniani; & Cleobius, vnde Cleobiani, & Dositheus, vnde Dositheani; & Gortheus, vnde Gortheani; & Masbotheus, vnde Masbotheani.* Eadem extant apud Nicephorum lib. 4. Hist. cap. 7. Equidem vel S. Hegesippus de sola Ierosolymitana Ecclesia loquutus est; vel Thebulis ab aliis Patribus nulla ratio habita fuit, quòd obscurus fuerit, nec familiam duxerit.

Porrò Simonem se Christum, & Messiam esse, affirmasse, docent Patres. S. Hippolytus Martyr oratione de Antichristo: *Nam posteaquam ipse Saluator assumptus est ad Patrem, surrexerunt quidam, dicentes: Ego sum Christus, vt Simon Magus, & reliqui, quorum nomina referre non est huius temporis.* S. Augustinus de hæresibus, cap. 1. *Asserebat se esse Christum.* S. Maximus Episcopus Taurinensis Sermone 5. in Natali Apostolorum: *Cùm enim idem Simon se Christum diceret,* &c. S. Damascenus de hæresibus: *Hic cùm sibi Christi nomen vendicaret.* Theophylactus in cap. 8 Actuum: *Dicebat enim Simon, Iudæis quidem: Ego sum Pater. Samaritanis autem: Ego sum Christus.* Vt ex his iam dilucidè cernas, quàm aptè Simon vocari possit insignis Antichristi præambulo. Nicephorus lib. 2. Hist. eccl. c. 36. Simonem Antichristum vocat: agens enim de loco, vbi Simon ex aëre præcipitatus interiit, ait: *Locus sanè ipse, in quem luctuosum hoc spectaculum incidit, ad hodiernum vsque diem Simonium vocatur, etiamnum Simonis Antichristi perniciem, & interitum declarans.* Sed horrendum huius interitum opportunè dicemus.

Dositheus.

CAP. XIII.

ORigenes tractatu 27. in Matthæum: *Sicut autem manifestat Historia lectionum, non multi fuerunt homines in tempore Apostolorum, qui Christos se esse dixerunt, nisi fortè Dositheus Samareus: vnde & Dositheani dicuntur.* Et lib. 1. contra Celsum: *Quin etiam, & post Iesum deinceps volunt, & Samareus quidam Dositheus Samaritis persuadere, se Christum esse, quem Moses prædixisset futurum.* Hæc Origenes Christophoro Persona interprete. Sed Sigismundi Gelenij versio ita habet: *Post Iesu quoque tempora Dositheus Samarita conatus est persuadere suis ciuibus, se esse Christum à Mose prænuntiatum.* Et 14. tomo in Ioannem: *Nec sanè ignorandum est, vt Iesus se ipsum non solùm esse ex Iudæis Messiam dicebat, & demonstrabat: sic Dositheum etiam quendam extitisse ex Samaritanis, qui se ipsum diceret Messiam prophetatum, à quo vsque nunc Dositheini sunt, libros Dosithei circunferentes, & fabulas quasdam enarrantes de eo, perinde quasi ille non perierit; sed alicubi in hac vita degat.* Hæc idcircò Dositheani confinxisse videntur, vt tegerent præceptoris sui ignominiosum interitum, quem S. Epiphanius hæresi 13. ita describit: *Dositheus à Iudæis originem ducens Samaritarũ gentibus permixtus est; & cùm in doctrina legis processisset, & in expositionibus apud ipsos primas venatus esset, & ipsas assecutus non esset, & in nulla existimatione apud Iudæos haberetur, declinauit ad Samariticum genus, & hanc sectam produxit. Et cùm posteà ob propriæ sapientiæ excellentiam in speluncam secessisset, inaniterque simulata religione in ieiunio perstitisset; ita mortuus est, velut fama refert, ob inopiam panis, & aquæ, ex voluntario, nimirum, proposito. Post dies autem aliquot quosdam venisse ad ipsum visitandum, & reperisse corpus fœtidum, ita vt vermes ex ipso proreptarent, & nubes muscarum circa ipsum congregata esset.*

Sed ingens quæstio est, quo tempore Dositheus vixerit. S. Epiphanius disertè ante Christi tempora Dositheum, & Dositheanam sectam viguisse affirmat; & Sadducæorum hæresim ex Dositheo auulsionẽ quandam fuisse apertè adstruit hæres. 14. Idem quoque S. Philastrius sentit, cùm Sadocum, Dosithei discipulum facit; & Dositheanam hæresim inter alias, ante Christum exortas, reponit. Sed & vetustissimus Tertullianus de præscriptionibus Hæreticorum, cap. 45. *Taceo Iudaïsmi Hæreticos, Dositheum, inquam, Samaritanum, qui primus ausus est Prophetas, quasi non Spiritu Sancto locutos, repudiare. Taceo Sadducæos, qui ex huius erroris radice surgentes ausi sunt ad hanc hæresim etiam resurrectionem negare.* Vides, vt Sadducæos sobolem ex Dositheo enatam dicat. Et S. Hieronymus dialogo aduersùs Luciferianos: *Taceo de Iudaïsmi Hæreticis, qui ante aduentum Christi legem traditam dissiparunt, quod Dositheus, Samaritanorum Princeps, Prophetas repudiauit: quòd Sadducæi ex illius radice nascentes, etiam resurrectionem carnis negauerint.* Contrà tamen Origenes, vti initio huius capitis vidimus, post Christi tẽpora Dositheum, eiúsque sectam fuisse scribit. Cuius sententiam iam multò anteà S. Hegesippus, apostolicorum temporum vicinus, indicare visus est, cùm apud Eusebium 4. Hist. eccles. c. 21. ait, ex septem sectis in populo Iudaïco proseminatis, inter quas erant proculdubiò Sadducæi, originem erroris duxisse Simonem Magum, à quo Simoniani; & Dositheum, vnde Dositheani. Et Theodoretus lib. 1. hæreticarum Fabularum, cap. 1. *Ex hac etiam amarissima radice, nempe, Simonianis, exorti sunt Dosithiani.*

Scaliger in Elencho Trihæresij, cap. 15. *Mihi sanè Dositheus non ita vetustus esse videtur, vt ab eo deriuari potuerint Sadducæi, secta vetustissima, vt vult Epiphanius: quod valdè miror ab eo dictum, præsertim cùm Sadducæi resurrectionem negarent, Dosithei asserer̃. Et rectè Origenes post Christi tẽpora exortum ait Dositheum. Quare nihil alienius à vero, quàm illud: Sadducæi auulsi fuerunt à prædicto Dositheo. Itaque multa cum delectu, & iudicio legenda apud Epiphanium, cuius Panarium nos solemus vocare Christianæ antiquitatis scrinium: & sanè præstantissimum est Opus; & non omniũ hominum.* Mira hominis cæcitas, & superbia! In vnum Epiphanium inuehit, quasi conuictum à se crassissimi erroris, cùm nescierit, & Tertullianũ, & S. Philastrium, & S. Hieronymum idẽ tradidisse. Et certè is est Scaliger, vt si quæ interdũ acutè, & ingeniosè excogitarit, vna superbia, & temeritate omnia corrũpat. Is in eo fructus desertæ veræ religionis. Pãmmelius in notis ad c. 45. Tertulliani, de Præscriptionibus, & Serarius lib. 4. Minerualis, cap. 10. 11. & 12. vbi Scaligerum exagitat, plures Dositheos sectarum Authores fuisse putant, quorum aliquis ante Christum viguerit, de quo

Tertullianus, S.Epiphanius, S.Philastrius, S.Hieronymus:alius verò post Christum,de quo S.Hegesippus, Origenes, Theodoretus. Mihi istud non facilè persuadeo. Si quod Patrum in hac re dissidium, S. Hegesippi omnium vetustissimi sententiæ potiùs assentiar.Itaque hic, etsi Scaligeri iudicium non repudiem;typhum tamen,& superbiam respuo.Nec is mihi obtendat, illum esse Pseudo-Hegesippum, mendaciorum Scriptorem, quem ipse falsi peregerit in Eusebianis pag.178.187.188.nam nondum illi confecta hæc causa:& potiùs Eusebio,aliisque de Hegesippo crediderim,quàm Scaligero. Et quot sunt deliria in illa refutatione Hegesippiana?Sed non possum me continere, quin Manes Scaligeri pudore suffundam.Eusebianorum pag.187.col.2. refert Hegesippi hæc verba ex Eusebio lib.3.Hist. c.15. *Aly ex genere Domini Seruatoris orti nepotes Iudæ illius,qui secundùm carnem dicebatur frater ipsius.*Sed vide,quibus verbis ea refellat: *Mirum vero*, inquit, *istius Iudæ fratris Domini Euangelistas nuspiã meminisse.*Lege,si potes, Matthæi 13.55. *Nónne mater eius dicitur Maria,& fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas?* Marci 6.3. *Nónne hic est faber, filius Mariæ, frater Iacobi,& Ioseph,& Iudæ, & Simonis?* Estne hoc pudendum sphalma,Iosephe?Omitto,quæ pagina 178. col.1.disseris de voce *Oblias:*de qua multa te docere potuit Forsterus, vnus è Protestantibus,in Dictionario Hebraïco, in voce *Ophel*,& Caluinianus Mercerus in Thesauro.

Sed ad Dositheum redeõ,de quo Origenes lib.4. Periarchon hęc refert:*Sed & de Sabbathi opinatissima obseruatione ita dicit Moses,*(Exodi 16.vers.29.iuxta Lxx.interpretationem:) *Sedebitis vnusquisque in domibus vestris:nullus mouebitur de suo loco in die Sabbathorum.Quod vtique impossibile est obseruare secundùm litteram:nullus enim hominum potest tota die ita sedere, vt non moueatur de loco, in quo sederit. De quibus singulis ij quidem,qui ex circunciſione sunt, & quicũque in Scripturis nihil aliud intelligi volunt,praterquàm indicatur ex littera; fabulas quasdam inanes & friuolas commentantur,ex nescio quibus traditionibus proferentes de Sabbatho,dicentes,vnicuique locum suum reputari intra duo millia vlnarum. Alij verò,ex quibus est Dositheus Samaritanus, notant quidem huiusce modi expositiones: ipsi autẽ ridiculosius aliquid statuunt:quia vnusquisque, quo habitu,quo loco, qua positione in die Sabbathi fuerit inuẽtus,ita vsque ad vesperam debeat permanere,id est, vel si sedens,vt sedeat tota die;vel si jacens, vt tota die jaceat.Sed & quod ait,non leuare onus in die Sabbathi, impossibile mihi videtur. Ex his enim ad fabulas infinitas,sicut S.Apostolus dicit, Iudæorum Doctores deuoluti sunt,dicentes nõ reputari onus,si calceamẽta habeat quis sine clauis:onus verò esse,si caligulas quis cũ clauis habuerit. Et si quidẽ supra vnum humerum aliquid portauerit, onus iudicant:si verò super vtrunque,negabunt esse onus.*

Hæc Origenis imitatus S.Hieronymus epistola ad Algasiam 151.quæst.10.ait:*Præterea,quia iussum est, vt diebus Sabbathorum sedeat vnusquisque in domo sua, & non egrediatur,neque ambulet de loco,in quo habitat: si quando eos* Iudæos,*iuxta litteram cœperimus arctare, vt non iaceant, non ambulent,non stent; sed tantùm sedeant,si velint præcepta seruare:solent respondere,& dicere:Rabbi Akiba,& Simeon,& Hillet Magistri nostri tradiderunt nobis,vt bis mille pedes ambulemus in Sabbatho,& cætera istiusmodi,doctrinas hominum præferentes doctrinæ Dei: non, quòd dicamus sedendum semper esse in Sabbatho, & de loco,in quo quis fuerit occupatus non recedendum;sed quòd id,quod impossibile legis est,in quo infirmatur per carnem, spirituali obseruatione complendum sit.*

Facilè credi potest,secta Dositheanum fuisse Iudæum illum gubernatorem nauis, in qua nauigabat Synesius ille magnus Episcopus Cyrenes:qui obortа tẽpestate,extremo vitæ periculo, reliquit clauum, totúmque Sabbathum immotus perstitisset,nisi iam iam de vita actum iri animaduertisset. Rem gestam Synesius ipse epist.4. ad Euophum graphicè describit in hunc modum:*Erat tum dies,quam Iudæi Parasceuen vocant,cuius noctem cum sequenti die computant, qua die nulli manum licet operi admouere:sed in primis eam veneratione prosequentes ab omni labore feriantur. Dimisit ergo clauum è manibus gubernator,simul vt occidisse Solem coniectatus est, ac prostratus cuilibet se vectorum calcandum præbuit. Nos veram rei causam non statim intelligebamus; sed desperationem hoc ipsum esse rati,orauimus,ne vltimam spem proderet.Nam & decumani fluctus instabant, tumultuante secum ipso mari. Postquàm igitur,quid sibi claui abiectio vellet,intellexissemus:rogantibus enim nobis,nauem vt præsentibus periculis criperet, librum quendam legebat: persuaderi posse desperantes,adhibere vim cœpimus.Ac generosus quidam miles (nauigant autem nobiscum Arabici plerique ex Equitum Ordine) eductо gladio caput homini se se amputaturum minatus est,nisi scapham gubernaret. At ille ipsissimus Machabæus in dogmate suo nihilominùs perstiturus videbatur. Media tandem nocte, suapte sponte ad gubernacula se se admouet. Nunc enim,ait,lex facere istud permittit,quoniam planè de vita periclitamur.* Memorabile sanè superstitionis exemplum.

Barchozba.

CAP. XIV.

NEfandi huius impostoris res gestas, qui se Iudæis pro vero Messia venditarit,eisque ingentium calamitatum causa fuerit sub Hadriano Imperatore;Hebræi ipsi fusè in litteras retulerunt.Rabbi Abrahã Leuita in Cabbala historica, interprete Genebrardo,hæc narrat:*Illis diebus steterit quidam Cozba nomine,qui contendebat,se esse Christum,Danidis filium. Is misit manũ in Domitianum Romanum Imperatorem, interfecto eius Præfecto,qui Prouinciam Iudæam administrabat.Cum Domitianus Imperator adhuc esset puer, non roboratus est ante eum.Itaque regnauit Cozba iste in Bither annis quinquaginta duobus post excidium templi, atque in suo regno mortuus est, successorem relinquens filium Ruffum nomine, qui similiter mortuus est relicto regni hærede filio suo Romulo.Collecti autem sunt ad Cozbam,& filios eius multi Israëlitarum populi,qui in captiuitate versabantur, è cunctis suis regionibus, & locis. Huius Romuli, qui filius erat Russi, Cozba filij, tempore firmauit se Hadrianus, ascendénsque in terram Israël, cepit Bither nono Iulij, anno septuagesimotertio post tẽpli euersionem, interfecit Romulum, percussit Israëlem insigni clade,cuiusmodi non fuerat audita, neque diebus Nabuzardan,neque Titi.*Rectè annotatum est ab Interprete,Romulum hunc illum esse,quem nostri vocarunt Barchozbam, eiusdem cum auo cognominis apud Hebræos; sed apud gentes Romanam Romuli appellationem vsurpantem.Videtúrque vterque, & ille auus Chozba,& hic nepos Barchozba sibi Messiæ nomen rapuisse,vti latè demonstrat Galatinus lib. 4.Arcanorum catholicę veritatis,cap.21.Sed de ipso nepote Barchozba nunc nostra erit oratio: de quo Thalmudici in libro Sanhedrin, cap. Helec: *Barchozba annis triginta cum dimidio regnauit: dixit enim Magistris: Anna Messiach; hoc est, Ego sum Messias.* Rabbi Mosech, Maimonis filius, in Sententiis Regum: *Rabbi Akiba sapiens fuit, & quidem*

dem de ſapientioribus Thalmud: ipſéque ferebat arma Barchozbæ Regis, & dicebat, ipſum eſſe Meſſiam. Ipſe enim ſic arbitratus eſt, omnéſque ſapientes generationis ſuæ putabant, eum eſſe Meſſiam: quouſque ob ſcelera ſua fuit interfectus. Et non petierunt ab eo Sapientes ſignum, neque miraculum. Et in Thalmud Ieroſolymitano, in libro, qui *Thaanith*, id eſt, de ieiunio dicitur: *Rabbi Akiba ſcripturam illam, Orietur ſtella ex Iacob. ita exponebat: Orietur Barchozba ex Iacob. Et cùm videret ipſum Barchozbam, dicebat: En hic eſt Rex Meſſias.* Et in *Echah Rabbthi*, id eſt, Expoſitione Threnorum Ieremiæ: *Rabbi Iuda, filius Elai, dixit, quòd Rabbi Akiba exponens dictum illud, Orietur ſtella ex Iacob. dicebat non eſſe legendum*, כוֹכָב *Chochab, id eſt, ſtella; ſed* כּוֹזָב *Chozab, quod ſuis Meſſiæ nomen erat.*

Salmanticenſis Rabbinus lib. Tuchaſin, fol. 142. pag. 2. *Benchozba rebellauit in Romanos, abiitque in Cyrenem, quæ eſt in Africa. Et ſurrexerunt Iudæi, qui erant illic, occiderúntque omnes Romanos & Græcos, populum magnum, ſicut eſt arena maris: inde abiit in Ægyptum, & fecit ſimiliter. Iudæi autem, qui erant in Cypro, eo audito ſurrexerunt, & occiderunt omnes gentes, adeò vt non relinquerent eis reſiduum. Quod cùm Traïano nunciatum eſſet, miſit Hadrianum contra eos, qui ſubegit eos: decretúmque eſt Romæ, ne vllus vnquam Iudæus Cyprum intraret. Imperauit Hadrianus anno quadrageſimo quinto poſt caſum templi: qui duplo plures Iudæos in hoc bello trucidauit, quàm egreſſi ſunt ex Ægypto, anno quinquageſimo ſecundo poſt excidium Templi.*

In Hebraïco Commentario de Romanis Imperatoribus, quem nactum ſe ait Druſius in Notis ad Ioan. 5. hæc leguntur: *In diebus Domitiani ſtetit Chozïba: & in diebus Hadriani regnauit Chozïba, & filius eius, & filius filij eius, qui præliis magnis decertarunt cum gentibus, præualuerúntque Ægypto. Tandem victor Hadrianus aſcendit contra terra Iudæam, percuſſitque filium Chozibæ, & occidit eum. Idem interemit populum multum èx Iſraël. Non ſic afflixit eos Nabuchodonoſor, neque Titus, ſicut Hadrianus Imperator.*

De exercitibus Barchozbæ, de obſidione Bither, atque Pſeudo-Meſſiæ interfectione Hebræi in *Bereſcit Rabba*, hoc eſt, Magna expoſitione Geneſis, ad illud, *Vox quidem, vox Iacob*, &c. iſta produnt: *Dixit Rabbi Iohanan: Octoginta millia parium canentium tuba erant in Bither, & vnuſquiſque, eorum multis præerat exercitibus, qui ibi cum Barchozba erant. Cui & ducenta millia eorum erant, qui abſciſſum digitum habebant: qui, ſcilicet, vnum de digitis ſibimet, quando probabantur, abſciderant, volentes hoc indicio ſuam audaciam, animoſitatémque oſtendere. Quare ad ipſum Barchozbam Sapientes miſerunt, dicentes, Quouſque filios Iſraël mutilatos facies? Qui reſpondens ait: Et quonam pacto periculum de eis faciam? Dixerunt ei: Quicunque ſuper equum ſuum inſidens, cedrum de Libano non euulſerit, tyrocinio tuo non adſcribatur. Fuerunt igitur ei & ducenta alia millia ſic probatorũ. Cúmque ad pugnam egrederetur, dicebat: Domine mundi, non fulcias nos, neque præſies audaciam nobis. Nónne enim tu, Deus, repulliſti nos? Non ergo egrediaris in exercitibus noſtris.*

Et in *Echah Rabbethi*, in 2. Threnorum Ieremiæ: *Tribus annis cum dimidio obſedit Adrianus Bither. Capta autem ciuitate interfectus eſt Barchozba. Et allato capite eius coram Hadriano, dixit Hadrianus. Quis hunc occidit? Ait miles quidam: Ego eum occidi. Dixit ei Hadrianus: Vade, & adduc ad me eius truncum. Iuit ille, & ſerpentem collo eius inuolutum inuenit. Quo allato, ait Hadrianus: Niſi Deus ſuus hunc occidiſſet, quis aliquid contra eum potuiſſet? legitur enim de eis: Nónne, quia Deus eorum vendidit eos, & Dominus concluſit illos? Neque interficientes ceſſabant, quouſque equus vſque ad os per ſanguinem iret. Sanguiſque tantus erat, vt lapides maximos voluens duceret: fluebátque vſque ad mare, quod quatuor paſſuum millibus ab vrbe Bither diſtabat. Eratque Hadriano vinea duodeviginti millia paſſuum habens longitudinis, totidémque latitudinis, quam ſepiuit ex cadaueribus in Bither cæſorum. Sepis autem altitudo, hominis ſtatura erat, quantum pedibus, manibúſque ſe poterat attollere. Duranit autem Bither poſt domus ſecundæ ſanctæ deſtructionem annis quinquaginta duobus, & deſtructa eſt.*

In libro quoque, qui *Maſſecheth Guitthim*, id eſt, Tractatus de diuortiis, inſcribitur, capite, *Hammazikin*, id eſt, de damnis: *Trádidit Rabbi Eliezer duo flumina eſſe in regione Iericho, quorũ vnum hinc, & alterum inde protenditur. Æſtimauerunt illa ſapientes, & erat tertia pars eorum ſanguis effuſus. Per ſeptem quoque annos populi gẽtium vindemiauerunt vineas ſuas, & fumo ſanguinis Iudæorum fumantes eas abſque alio fumo.* Additur ibidem, interfectorum ſanguinem in mare magnum, à quo vrbs Bither diſtabat milliari Italico, defluxiſſe. Habetur præterea ibidẽ, quòd Hadrianus interfecit ex Iudæis in Alexandria quidẽ Ægyptiorum ſeptuagies decem millia, id eſt, duplo plures iis, qui tẽpore Moſis de Ægypto egreſſi ſunt. In Bither verò quadragintaquinque millia, (aliàs, *Quadrageſies centena millia.*) Quidam tamẽ aiunt, quater milleſies decem millia interfectorũ in Bither fuiſſe. Hæc igitur, & alia, quæ pro maiori parte accepta referimus Hieronymo à Sancta Fide lib. 1. contra Iudæos, cap. 2. & Petro Galatino lib. 4. Arcanorum Catholicę veritatis, c. 21. Vide quoque Valentinũ Schindlerum in Pentaglotto, in verbo, *Cacab.* Hebræi de ſuo Pſeudomeſſia Barchozba tradunt multa quidem in his falſa, & fabuloſa veris permixta, inſito gentis more: quæ prudẽs Lector ad normas veræ Hiſtoriæ facilè diſcernet.

Nec illud omittimus, quod Maſius in 5. Ioſuë, verſ. 2. ex Thalmudicis Tractatu Iebamoth, cap. 8. & ex capitulis Eleazaris refert: *Similiter, inquiunt, atque cum Romani rerum in Iudæa potiti, templũ funditùs iterum euertiſſent, plurimi Hebræi hoſtiũ iniuriis exagitati, & vexati, arte quadam medica, ſubducta, atque diſtenta pellicula, nouum ſibi præputium comparárunt, glandémque eo iterum contexerunt: atque ea ratione religionis ſuæ profeſſionem diſſimularũt; qui Bar-Chuzba iuſſu poſteà denuò ſunt circunciſi. Cùm ille occupata vrbe Bither, annis duobus, & dimidio apud eam gentem dominaretur, & maxima libertatis ſpe omnium animos excitauiſſet. Erat autem id nomen impudentiſſimæ audaciæ nebulonis, qui Meſſiæ ſibi nomen aſſumebat, atque arrogabat, cùm ſuo appoſitiſſimo nomine, Bar-chuziba, mendacij filius diceretur. Sed dedit miſer temeritatis ſuæ pœnas Helio Hadriano, qui expugnata Bither, quadragies centena Hebræorum millia cecidiſſe memoratur, apud Thamuldicos in Tractatu Guitthim, id eſt, de diuortiis, cap. 5.* Vide ſuprà, cap. 10. His cõſonat, quod de hoc bello Hadriani ſcribit Spartianus: *Mouerunt ea tempeſtate & Iudæi bellum, quòd vetabantur mutilare genitalia.*

Porrò de Rabbi Akiba, armigero Barchozbæ, in Hebræorum Kalendario edito à Ioſepho Scaligero in V. Tiſri, qui noſtro Septembri reſpõdet, ita habetur: *Ieiunium. Moriuntur xx. Iſraëlitæ. Rabbi Akiba filius Ioſeph coniicitur in vincula, vbi moritur.* Vbi Scaliger hoc affigit Scholion. *An in carcere mortuus ſit dubitare meritò poteſt: nam videtur propter confeſſionem Iudaiſmi poſt expugnatam Bither fidiculis excarnificatus fuiſſe. Scribunt enim Thalmudiſtæ fabulatores, Meſſi in viſione prophetiæ Deum oſtendiſſe Rabbi Akibæ carnem in macello ad exagium appendi, & fidiculis fulcari.*

Dixit Mosi Deus: Conuerte te retrò. & ostendit illi, quòd appendebant carnem eius (Allibæ) *in macello, & lacerabant carnem eius fidiculis ferreis. Dixit: Hæc est lex, atque hæc merces eius.*

Quod ad nomen nebulonis nequissimi spectat, constat ipsum à Iudæis vocari *Bar-Chozba*, vel *Bar-Chazeba*; vel ab auo, qui dictus est *Chozba:* vel ignominiæ causâ, quòd Iudæis imposuerit, cósque deluserit, quasi filius mendacij. Apud Christianos Scriptores vocatur passim *Bar-Chochaba*, vel contractè, *Chochaba*, id est, filius astri, seu sideris, aut stellę: quòd vel ipse, vel eius sectarij in eum detorquerent vaticinium illud, *Orietur stella ex Iacob.*

Iam, quæ de Barchochaba tradiderunt Christiani Patres, reddamus. S. Iustinus Martyr Apologetico 2. pag. 56. *Iudæi pro inimicis nos, & hostibus habentes, itidem vti vos, cùm possunt, occidunt, & excruciant: quemadmodum vel ex eo persuaderi potestis: proximo nanque Iudaïco Bello Barchochebas defectionis Iudæorum Dux, & Princeps solos Christianos ad grauia supplicia, nisi Christum abnegarent, & maledictis incesserent, protrahere iussit.* Viuebat hoc ipso tempore belli S. Iustinus, & è proximo, nempe, Samaria, vbi degebat, potuit intueri.

Eusebius in Chronico num. 2149. anno Christi 134. *Chochebas, Dux Iudaïcæ factionis, nolentes sibi Christianos aduersùs Romanum militem ferre subsidium, omnimodis cruciatibus necat.* Et 4. Histor. cap. 6. *Quo quidem tempore*, belli Hadrianici, *Iudæorum Dux erat Barchochebas, (quod quidem nomen, si lubet interpretari, astrum significat,) vir quanquam reliqua vitæ ratione cruentus, ac prædo nefarius; ipsa tamen appellatione tanquàm sidus aliquod è cælo delapsum, se illis, qui velut homines ex mancipiorum numero, graui seruitutis iugo oppressi, atque miseriis ærumnosis afflicti, affectique erant, lucem, ac spem salutis allaturum falsò commentus est. Iam verò cùm decimooctauo anno Imperij Hadriani bellum iuxta vrbem Bethithera nuncupatam (quæ erat rerum omnium præsidiis munitissima, neque adeò longè à ciuitate Ierosolymorum sita) vehementiùs accenderetur; cúmque extra vrbis mœnia longinquiore temporis spatio continuaretur obsidio, & rerum nouandarum authores fame, ac siti essent ad extremam propè perniciem detrusi, & caput illius temeritatis debitas pœnas persoluisset: Aristopellæus narrat*, &c. Eadem habet Nicephorus lib. 3. Histor. cap. 24. De Bitther autem, seu Beththera vrbe nihil ampliùs habeo: nisi quod Eusebius, & Nicephorus tradunt. Adrichomius eam in Tribu Benjamin collocat. Schindlerus putat esse Betheron.

S. Hieronymus in Daniel. 9. ad finem:: *Quando Cochebas Dux Iudæorum oppressus est; & Ierusalem vsque ad solum diruta est.* Scaliger: *Imò Bithar, non Ierusalem.* Sed de hac re dicemus suo loco. Idem S. Hieronymus de Scriptoribus ecclesiasticis in Agrippa Castore: *Moritur est autẽ Basilides, à quo Gnostici in Alexandria temporibus Hadriani: qua tempestate, & Cochebas Dux Iudaïcæ factionis Christianos variis suppliciis enecauit.* Paulus Orosius lib. 7. c. 13. *Vltúsque* est Hadrianus *Christianos, quos illi Cocheba duce, quòd sibi aduersùs Romanos nõ assentirẽtur, excruciabant.* Paulus Diaconus in Historia Miscel. libro 10. editionis Henrici Canisij: *Vltus est* Hadrianus *Christianos, quos illi Chozbéa duce, quòd sibi aduersùs Romanos non assentirentur, excruciabãt.* Editio Gruttheriana pro *Chozbea* habet Cotheba. Vt etiam, teste Grutthero, Orosius manuscriptus meliotis notæ: sed Codex Palatinus in Miscella, *Chocheba:* quæ proculdubiò est melior lectio. Sed de hoc bello Iudaïco plura dicemus lib. 11. c. 6. Mirum profectò, quòd de præstigiis huius plani refert S. Hieronymus, cùm Rufinum Apologia 2. ita compellat: *Tu, videlicet, flammeus, imò fulmineus, qui in eloquendo fulminas, & flammas ore conceptas tenere non potes, atque vt ille Barchochabas author seditionis Iudaïcæ stipulam in ore succensam anhelitu ventilabat, vt flammas euomere putaretur.* Quid in mente habebat Marianus Victorius, quando id scholium adiecit, *Historia est apud Iosephum?* Reuocant hæc nobis in memoriam admiranda illa, quæ ex Damascio in vita Isidori Philosophi, Photius in Bibliotheca num. 242. refert: *Seueri equus (qui Romanus erat, spem faciente Anthemio, Romam euersam, iterum per ipsum erigendam Romam, hac spe cùm priùs discessisset, reuersus Consulatum adeptus;) huius igitur equus, quo multùm vsus est, tractatus scintillas è corpore multas, & magnas eiecit, donec illi portentum hoc ad consularem dignitatem Romæ illum euexit. Sed & Tiberio asinus, vt refert Plutarchus Cheronensis, adhuc iuueni, & in Rhodo operam danti eloquentiæ, Imperium eodem euentu præsignificauit. Sed & Balemerin, vnum ex Attilæ aulicis, de suo corpore iecisse scintillas. Hic Balemeris pater fuit Theodorici eius, qui nunc summum totius Italiæ imperium tenet. Dicit autem etiam de se ipso Author: Vt etiam mihi, cùm & induor, & exuor, etsi id rarò admodum accidit; accidit tamen, vt scintillæ ingentes exiliant, aliquando cum sonitu, interdum etiam flammæ integram vestem illustrent; nihil tamen exurant: & se ignorare, quò hoc portentum tenderet. Vidisse se ait & hominem quendam è capite scintillas euibrantem, & flammam, cùm vellet, è capite veste asperiore attrito excitantem.*

Athenæus lib. 1. cap. 15. *In admiratione fuit & Xenophon, præstigiator, cuius discipulus fuit Cratisthenes Phliasius. Emicantem sponte ignem hic eliciebat, & aliis id genus multis spectris, quæ ingeniosè machinabatur, hominum obstupentium iudicia perstringebat, ac ludificabatur.* Eustathius in 4. Odysseæ: *Cratisthenes Phliasius spontaneum ignem existere faciebat, aliáque monstra per artem procudebat, quibus hominum animi extra se raperentur.* Athenæus lib. 4. cap. 1. *Hîc, silentibus, ac quietis omnibus, irrumpunt chytrorum Athenis ministri, deinde Ithyphalli, pòst scelerepectæ, (Casaubonus mauult, Psephopectæ;) ac mulieres quædam præstigiatrices in caput se prouoluentes per erectos pugionum mucrones, & ignem efflantes ore.* At de eiusmodi præstigiatorum miraculis plura collegerunt Iulius Cæsar Bulengerus lib. 1. de Theatro, cap. 30. & Isaacus Casaubonus lib. de venatione amphitheatrali: vt mirum adeò non sit, Barchochabam flammas ore vomuisse. Cuius nominis occasione inteximus hic, quæ S. Epiphanius de quodam Gnosticorum Propheta scribit Hæresi 26. *Barcabbam quendam Prophetam introducunt dignum ipsorum nomine: Cabba enim Syriaca lingua scortationem significat: Hebræa verò occisionem.* קבה *Kubah*, Hebræi pro lupanari, & prostibulo; קובה *Kobah*, pro pudendis, & genitalibus muliebribus capiunt, vt etiam noster Interpres Numerorum 25. 8. Idémque significat Chaldaïcè, Syriacè, Arabicè, vt videre est in Pentaglotto Schindleri. Quæ idcircò notamus, vt hinc coniectura Ambrosij Moralis, aliorúmque nostræ gentis Authorum illustretur, filiam Iuliani Comitis, qui Hispanias Mauris prodidit, à Ruderico Rege constupratam, Cauam, vel Cabbam appellatam; non quidem nomine proprio, sed ignominioso, quod scortum Arabicâ lingua significet. Nam Florindam ei nomen fuisse nonnulli tradidêre.

Impostores

Impostores alij, qui se Christos mentiti sunt.

CAP. XV.

SAnctus Seuerus Sulpitius de quodam suorum temporum Pseudo-Messia hæc narrat in vita S. Martini, cap. 25. *Animaduersum est tamen, eodem ferè tempore fuisse in Hispaniis iuuenem, qui cùm sibi multis signis authoritatem parauisset, eò vsque elatus est, vt se Eliam profiteretur. Quod cùm plerique temerè credidissent, addidit, vt se Christum esse diceret. In quo etiam adeò illusit, vt eum quidam Episcopus, Rufus nomine, vt Deum adoraret. Propter quod eum postea ab Episcopatu deiectum vidimus. Plerique etiam nobis è fratribus retulerunt, eodem tempore in Oriente quendam extitisse, qui se Ioannem esse iactaret. Ex quo coniicere possumus, istiusmodi Pseudoprophetis existentibus, Antichristi aduentum imminere: qui iam in istis mysterium iniquitatis operatur.*

De alio simili impostore in hunc modum scribit S. Gregorius Turonensis lib. 10. Historiæ Francorum, c. 25. *Dominus ait in Euangelio: Exurgẽt Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa, & prodigia in cælo, ita vt electos in errorem mittant, sicut præsenti gestum est tempore. Quidam enim ex Biturico, vt ipse postmodum est professus, dum saltus siluarum ingressus ligna cæderet ad explendam operis cuiusdam necessitatem, muscarum eum circunsedit examen: qua de causâ per biennium amens est habitus: vnde intelligi datur, diabolicæ emissionis fuisse nequitiam. Post hæc transactis vrbibus propinquis Arelatensem prouinciam adiit, ibique indutus pellibus quasi Religiosus orabat: ad quem illudendum pars aduersa diuinandi ei tribuit facultatem.*

Ex hoc, vt in maiori proficeret scelere, commotus à loco, prouinciam memoratam deserens, Gabalitanæ regionis terminum est ingressus, proferens se magnum, ac profiteri se non metuens Christum, assumpta secum muliere quadam pro sorore, quam Mariam vocitari fecit. Confluebat ad eum multitudo populi exhibens infirmos, quos contingens sanitati reddebat. Conferebant enim ei aurum, argentúmque, ac vestimenta ý, qui ad eum conueniebant. Quod ille, quò facilius seduceret, pauperibus erogabat: prosternens se solo, effundens orationem cum muliere memoratâ, & surgens, se iterum à circunstantibus adorari iubebat. Prædicebat enim futura, & quibusdam morbos, quibusdam damna prouenire denunciabat, paucis salutem futuram. Sed hæc omnia diabolicis artibus, & præstigiis nescio quibus agebat.

Seducta est autem per eum multitudo immensa populi, & non solùm rusticiores, verùm etiam Sacerdotes ecclesiastici. Sequebantur enim amplius quàm tria millia populi. Interea cœpit quosdam spoliare, ac prædari, quos in itinere reperisset: spolia tamen non habentibus largiebatur. Episcopis, ac ciuibus minas mortis intentabat, eò quòd ab his adorari despiceretur. Ingressus autem Vellauæ vrbis terminum, ad locum, quem Anicium vocant, accedit: & ad Basilicas propinquas cum omni exercitu restitit, instruens aciem, qualiter Aurelio ibidem tunc consistenti Episcopo bellum inferret: mittens etiam ante se nuntios, homines nudo corpore, saltantes, atque ludentes, qui aduentum eius annunciarent.

Quod stupens Episcopus, direxit ad eum viros strenuos, iniquirentes, quid sibi vellent ista, quæ gereret. Vnus autem ex his, qui erat senior, cùm se inclinasset, quasi osculaturus genua eius, ac discussurus viam illius, iussit eum apprehensum spoliari. Nec mora, ille euaginato gladio in frusta concîdit: cecidítque Christus ille, qui magis Antichristus nominari debet, & mortuus est; dispersique sunt omnes, qui cum eo erant. Maria autem illa supplicijs dedita, omnia phantasmata eius, ac præstigias publicauit. Nam homines illi, quos ad se credendum diabolica circunuentione turbauerat, nunquam ad sensum integrum sunt regressi: sed hunc semper quasi Christum, Mariam autem illam partem Deitatis habere profitebantur. Sed & per totas Galliæ emerserunt plerique, qui per has præstigias adiungentes sibi mulierculas quasdam, quæ debacchantes Sanctos eos confiterentur, magnos se in populis præferebant: ex quibus nos plerosque vidimus, quos obiurgantes reuocare ab errore nisi sumus. Hactenus S. Gregorius. Eandem historiam breuiùs contractam Sigebertus suo Chronico inseruit ad annum Domini 593.

Landulphus Sagax in Historia Miscella, lib. 21. cap 16. *Anno quinto Imperij Leonis* Isaurici, *apparuit quidam Syrus Pseudochristus, & seduxit Hebræos, dicens, se esse Christum.* Cedrenus in Annalibus: *Quinto anno* Leonis Isaurici, *extitit quidam Syrus, falsò Christum sese iactans esse Filium Dei, Hebræósque decepit.* Incidit is annus, secundùm accuratiores Fastos, in Christi 722.

Benjamin Tudelensis, Iudæus, qui temporibus Alexandri III. se per varias orbis regiones peregrinatum scribit, in suæ peregrinationis Itinerario, Interprete Aria Montano, pag. 82. memorabilem quandam historiam narrat, his verbis: *Duodecimus nunc annus agitur, ex quo vir quidam nomine Dauid Elroi, ex vrbe Ghamana surrexit, qui Capitis captiuitatis illius Hhasdai, & Capitis Synedrij Leui Iacob Decentis discipulus fuerat in metropoli Baghdad, euaserátque doctissimus in lege Mosis, & in Doctrinalibus libris, & in omni etiam externa sapientia, & in Ismaëlitica lingua, atque scriptura, atque in Magorum, & incantatorum libris. Hic igitur eam sibi mentem induit, vt aduersùs Persarum Regem arma moueret: & collectis Iudæis iis, qui in montibus Hhaphthon habitabant, bello gentibus omnibus illato, Ierosolymam vsque expugnaturus peteret. Id autem vt Iudæis persuaderet, mendacibus signis vsus est, affirmans, à Deo se se esse missum Ierosolymam expugnandi, atque ipsos ex gentium iugo soluendi causa: adeò vt apud multos ex Iudæis fidem sibi conciliarit, & nomen obtinuerit Messiæ ipsorum.*

Eius rei fama audita, Persarum Rex ipsum ad colloquium vocauit, quem ille intrepidus omninò adiit: & rogatus, an ipse Iudæorum Rex esset, constanter ita esse respondit: atque extemplò à Rege comprehendi, & in carcerem intrudi iussus est, quo qui regia sententia includuntur, per totam vitam continentur. Est autem carcer ille in Debasthan vrbe, Gozen flumini maximo proximæ. Post triduum verò Principum, & Ministrorum Concilio per Regem coacto, in quo de eiusmodi nouarum rerum molitione à Iudæis inita consultari, agíque decretum fuerat; repentè Dauid ille existens affuit, è carcere sua sponte nullo homine conscio solutus. Quem cùm Rex vidisset, admiratus rogauit. Quisnam te huc adduxit, aut è carcere liberauit? Cui ille respondens, Sapientia, inquit, mea, & industria mea. Nihil enim ipse vel te, vel seruos tuos metuo. Tum verò vociferatus Rex, Apprehendite, inquit, hominem. Cui Principes, atque Ministri responderunt, illius vocem audiri quidem ab omnibus; speciem verò à nemine prorsus conspici. Quamobrem illius sapientiam vehementer admiratus Rex, obstupuit. Ille verò aduersùs Regem ait: En ego viam meam facio. Et præcedere cœpit subsequentem se Regem: Proceres verò, atque Ministri omnes Regem sequebantur. Cùm autem ad fluminis ripam deuentum

esset, Dauid, extenso, quod gestabat, sudario, super aquas insiliens traiecit, atque eodem tempore ab omnibus est conspectus, traiectionis spectaculum admirantibus: quem exiguis lintribus insequi, & capere frustrà tentatum est; ab omnibusque proclamatum, neminem in terrarum Orbe incantatorem illi posse comparari.

Ille verò eadem die dierum decem via confecta in Elghamaraian (ininterpretabilis Nominis יהוה Iehveh virtute perueniens, quæ sibi accidissent, Iudæis narrauit, hominis sapientiam admirantibus. At verò Persarum Rex Almirum Almunadinum, Ismaëlitarum Calipham Sammum, nuntiis in Bagdad missis, huius rei certiorem fecit: orauitque, vt Dauid Elroi per summum captiuitatis Caput, & Synedriorum Proceres ab huiusmodi ausis auertendum curaret: aliàs nisi huius rei caueretur, Iudæis omnibus in Persiæ regno degentibus publicum exitium comminatus. Eius rei omnes Vniuersitates regionis Persarum ingenti metu perculsæ, epistolas ad summum illum virum, qui captiuitatis Caput habebatur, atque ad Synedriorum omnium Capita, quæcunque in Bagdad erant, miserunt in hanc sententiam: Cur nam moriemur in oculis vestris, tam nos, quàm Vniuersitates omnes huic regno subditæ? Compescite, obsecramus, virum hunc, ne innocens sanguis effundatur. Igitur captiuitatis Caput, atque Synedriorum Primores huiusmodi litteras ad Dauid conscripserunt: Scias, volumus, liberationis nostræ tempus nondum venisse, neque signa nostra fuisse adhuc spectata: non enim venio fortis efficitur vir: quamobrem prædicentes iniungimus tibi abstinere omninò ab istiusmodi Conciliis, ausis, & conatibus: sin minùs ab omni Israël eiectus esto.

Monuerant etiam per nuntios Zachaï Hanassi, qui erat in regione Assur, & Iosephum Videntem cognominatum, Burhan Alpelech, illic agentem, vt epistolis à se scriptis Dauid Elroi compesceretur. Id, quod ab illis diligenter est curatum. Frustrà tamen: quippe ille eam, quam instituerat, viam pessimam deserere noluit, donec Rex quidam Turcarum Togarmim surrexit, Zinaldin dictus, qui Persarum Regi paret: atque hic decies mille aureis nummis Dauidis Elroi socero missis, huic malo finem, occiso clam genero, imponere persuasit. Quod ille cùm se facturum recepisset, Dauidem domi suæ in lecto cubantem gladio confodit: atque Conciliorum, & calliditatis illius vanæ hic exitus fuit. Hactenus Benjamin, quæ cùm dicat contigisse duodecim annis, antequàm ea litteris mandaret: séque initio Operis affirmet scripsisse anno à condito mundo quatermillesimo, nongentesimo trigesimo tertio, ipsíque Hebræi annos ab ortu mundi ad Christum supputent 3760. certum est tragœdiam Elroi incidisse in annum Christi 1161. anno 2. Pontificatus Alexandri III.

Anno salutis 1500. Iudæus quidam nomine Lemlem imposuit aliis Iudæis in Germania, se verum esse Christum tandiu ab illis expectatum. Rem gestam fusè describit Ioannes Isaac Leuita ex Iudaïsmo ad Christum conuersus, super epistolam Rabbi Mosis filij Maimonis, à se ex Hebræo in Latinum conuersam. Retulítque in suam Chronographiam Genebrardus lib. 4. pag. 732.

Auctor Didacus Stella in Commentar. 17. Lucæ, in nobili Lusitaniæ vrbe Setubal non multis retrò annis simílem impostúram exercuisse recutitum quendam nebulonem, vt tantùm non à miseris Iudæis receptus fuerit.

Continuatio Chronici Matthæi Palmerij hæc habet: *Anno Domini 1530. Iudæis per totam fermè Europam, Africámque nescio quæ spes Messiæ sui affulsit, adeò vt Rufforum Indæorum (quos Magog in Caspiis montibus inclusum vocant) præsidio, non modò Terram sanctam à Gentibus se recepturos; sed & regnum Israël restitutum iri, iam plurimorum quidem, verùm vano successu adseruerint.*

Aliorum Pseudo-Christorum exempla horrenda.

CAP. XVI.

IAcobus Augustus Thuanus Historiarum lib. 22. *Dauid Georgius Delfis in Batauorum insula natus ignobilibus parentibus, patre quippe ludione, & matre vilis conditionis fœmina, de cætero litterarum rudis, & linguarum, præter vernaculam, qua plura scripsit, omninò ignarus: sed ingenio præfracto, & tamen in speciem moderato, vt virum bonum, & candidum eum omnes crederent. Nam erat in eo pulchra oris, ac liberalis in vultu dignitas, & totius corporis motus, & status, & incessus decens, & qui ad omnem probitatem videretur compositus. Igitur ille perniciosæ sectæ apud suos Batauos iam Anabaptistarum præstigiis præoccupatos Author, cùm tanquàm in solo ad pestiferam sementem excipiendam egregiè præparato monstrosæ doctrinæ virus summa arte, ac silentio sparsisset, contractis inde ingentibus opibus: veritus, si diutius in prouincia, in qua natus erat, & veluti principatum in sectarios suos vsurpauerat, moreretur, ne quod tegi volebat, cunctis innotescere, secedendum à patria sibi existimauit. Itaque cum suis aliquos Sectariis, & splendida admodum familia, iam proprio mutato, & assumpto Ioannis Brukij nomine, Basileam Rauracorum Kalendis Aprilis, anno huius sæculi 44. venit.* Deinde pluribus exponit, vt Basileæ vndecim annis se, suámque sectam dissimulauerit: ac tandem ex desperatione rerum suarum in morbum coniectus 8. Kal. Sept. anno 56. decesserit. Subditque: *Hic exitus præstigiatoris fuit, qui se Christo diuiniorem, & maiorem, atque adeò immortalem finxerat. Præcipua eius dogmata hæc fuêre: Doctrinam hactenus per Mosem, Prophetas, ipsúmque Christum Iesum, eiúsque Apostolos, ac Discipulos promulgatam imperfectam esse, & inutilem ad veram, perfectámque felicitatem consequendam: suam verò perfectam esse, & efficacem ad hominem, qui eam sedulò conceperit, beandum: se verum Christum, ac Messiam esse, Patris dilectissimum Filium, non ex carne, sed ex Spiritu Sancto & Spiritu Iesu Christi susceptum: qui spiritu (fortè, Spiritus) Christi carne eius in nihilũ redacta, quodam in loco Sanctis omnibus ignoto hactenus seruatus, nunc Dauidi Georgio totus est traditus, & in eius animam infusus. Se eum esse, qui domum Israëlis, verósque Leui filios, (eos autem intelligébat, qui dogmata sua sincera fide amplectebantur) vnà cum vero tabernaculo sit spiritu instauraturus, non cruce, rebus aduersis, aut morte, quemadmodum alter ille Christus, qui à Patre missus in carnem venit, vt homines veluti pueros, ac paruulos, neque dum perfectæ doctrinæ capaces, vmbratili doctrinâ, ac sacramentorũ cæremoniis in officio contineret: verùm clementiâ Spiritus Sancti, amore, ac gratia, qui sibi à Patre sit datus. His addebat, quo maiorem Diuinitatis opinionem sibi arrogaret, & se Christo digniorem, ac præstantiorem probaret, omne peccatum in Patrem, ac Filium admissum condonari: quod autem in Spiritum Sanctum perpetratum fuerit, hoc est, in Dauidem Georgium, nunquam neque in hoc, neque in altero sæculo remitti. Erat & hoc ipsius dogma ad fallendos licentiæ dulcedine animos ex Catabaptistarum officina ingeniosè confictum: nimirum, matrimonium liberum*

berum esse, eóque neminem vni mulieri obligari: proinde liberorum procreationem cõmunem esse debere iis, qui Dauidis spiritu renati sint. Refert deinceps, vt ossa defuncti publico Magistratus iudicio exhumata, in ignem coniecta, atque in cineres redacta fuerint. Sed enim totam Dauidis Georgij tragœdiam multò fusiùs & accuratiùs conscriptam dedit Surius in Commentario Rerum in orbe gestarum, anno Domini 1543. & 1556.

Petrus Canisius in Præmonitione de nouis Sectis: *De Dauide Georgio impiorum huius ætatis omnium, qui Christo aduersantur, quondam veluti primipilo non possum non meminisse. Is post hominum memoriam, horresco referens! veri Messiæ personam, doctrinam, spiritum, & officium in Germania sibi sumpsit. Is filium se illum à Patre dilectum, se Regem Israël, hominum Saluatorem, & totius Orbis extremum Iudicem esse iactauit. Is Ioanni Baptistæ, & sanctis Prophetis omnibus, adeóque Christo Domino, & Redemptori nostro suo veluti Ministro, & Præcursori, se longè anteponere, & mortalium salutem omnium ad se vnum reuocare veritus non est.*

At de Dauid Georgio multi plura tradiderunt. Iodoccus Coccius tomo 1. Thesauri catholici, lib. 8. art. 7. num. 6. Robertus Bellarminus in Chronico, & alij. Sequitur Canisius: *Tantundem verò dementiæ, plúsque barbaricæ tyrannidis, & flagitiosæ obscœnitatis fuit in Ioanne Leidensi, qui ex Hollandico sartore Coryphæus Anabaptistarum, & fastuosus Rex Monasterij factus, nónne, sicut Apostolus quidam fore prædixit, dominationem spreuit, & maiestatem blasphemauit, ac se quoque Christum esse arrogantissimè simulauit? Potest de illo etiam verè dici, quod Mahometo alij tribuunt: Non veni per miracula, sed per gladium. Inuenit tamen vterque fanaticus homo, quem dixi, sui similes, qui pessimis magistris crederent, illósque duces sequi vellent, ac pro ipso Messia colerent, quos constat ex omni propemodum impietate fuisse conflatos.*

Neque his dissimilis fuit Augustinus Vveber, Augustanus pellio, qui vt, prætextu Euangelij, ad regnum sibi muniret aditum, coronam regiam, sceptrum, gladium, & quod ad regias vestes attinebat, egregiè apparauit, suísque nescio quam reuelationem attulit, qua confirmaret, se Regem terræ diuinitùs constitutum, & mille annos regnaturum esse.

Parem dominandi libidinem Ioannes Fette præsetulit „ in quem Senatus Brunsvicensis animaduertit. De vtroque narrat Vrbanus Rhegius lib. de restitutione regni Israëlitici. *Eiusdem classis, & farinæ fuit Ioannes Vvilhelmi, arte sartor, ac religione Anabaptista, qui non ita pridem ab impiis sociis in principem delectus fuit, vt quod Rex ille Monasterienſis ante annos 40. in Vvestphalia cœperat, idem iste Vesaliæ, qua ciuitas est Cliuensium in arripiendo, & ministrando regno aggrederetur. Accepit igitur conditionem tam superbus atque nefarius, vt velut alter Dauid, ac Dauidis filius se Regem iactarit. Nec modò ius gladij, verùm etiam totius mundi gubernationem ad se voluerit pertinere; multáque leges, sed execrandas suis præscripserit, Cyclopicus planè contemptor veteris Ecclesiæ, quam inde à morte Apostolorum interisse fingebat, ac Sacramentorum simul omnium abrogator.* Hucvsque Canisius.

Memorabile quoque illud est, quod ex Polonicis Annalibus Martinus Delrius refert lib. 2. magicarum disquisitionum, quæst. 8. *Tempore Sigismundi Primi Regis Poloniæ Iacobus Melstinki, Prætor oppidi Brezniy, leuitate quadam animi authoritatem, noménque Christi sibi asciuit; Petrúmque Zatorski Cracouiensem, cæterósque sibi similes latrones duodecim elegit, singulíque nomina Apostolorum imposuit; se verò Iesum Christum appellauit. Qui per villas vbique ambulantes prodigia, morionum & præstigiatorum more, exercebant, sycophantásque alios, & latrones, veluti mortuos, subornantes, suscitabant: pisces in paludes lutosas primò impositos, vbi nunquam eos nasci possibile erat, in nomine Christi suis manibus capiebant: panes in fornaces imponebant, in nomínéque Christi sui, cùm illic anteà non essent, depromebant, cum ingenti simplicis vulgi admiratione.*

Quodam tempore ad Cestochouiam Monasterium, Diuæ Virginis imagine celebre, cum suis Apostolis venit: cúmque illic aliquot diebus morarentur, vnum ex suis quasi obsessum à Dæmone subornauerunt, cuius opera victum acquirebant. Ille enim per hospitia ambulans carnes de coquina rapiebat, in suósque proiiciebat, qui cruce illas munientes, carnes comedebant. Cúmque illic ingens esset concursus populi ad Diuæ Virginis imaginem, sycophantæ illi obsessum suum ad altare ducunt, duplici veste indutum, in cuius intercapedinem necessaria imponere posset: lapillos verò intra indusium ei imposuerunt. Cúmque ad altare deduceretur, ille è manibus deducentium furibundus sese proripens, in altare donariis onustum irruit, pecuniásque rapiens, in vestis duplicatæ intercapedine eas abscondit. Monachus ab altari, diuino intermisso officio aufugit: cæteri Monachi accurrentes cingulum eius soluunt: ibi lapilli duntaxat in terram ceciderunt: pecunia verò in veste duplicata remansit. Monachi pecuniam arte Dæmonis in lapillos transformatam putantes exorcismis eam in pristinam formam transformare nitebantur: sed cùm lapilli permanerent, Monachus librum sacrum indignabundus in terram projecit, dicens: Similem Dæmonem nunquam habuimus: abite eum eo ad omnes Diabolos.

Sycophantæ illi cum pecunia rectà in Silesiam fugerunt. Ibi apud matronam nobilem, in quodam pago diuertentes, cùm illa, viro absente, eos recipere nollet, saltem mappam, vel telam ad sacrificandum petierunt. At mulier fasciculum telæ illis obtulit. Tunc illi: Hanc nobiscum accipiemus, & Christus tibi benedicet, vt tibi linum abundantiùs crescat. Ostende aliam, si habes. Quam cùm similiter accipere vellent, mulier recusauit, maritum timens. Illi autem frustulum fomitis cum igne in telam clam inuoluentes, mulieri reddiderunt. Itaque cista à tela, à cista verò domus accensa conflagrauit. Viro demum reuerso, vxor, ob Christum cum Apostolis malè tractatum hoc sibi iustè contigisse dixit. At vir ira excandescens, Latro hic, inquit, nequissimus, & non Christus fuit. Itaque cum vicinis eos insequitur, & in quadam villa assequitur. Tum Pseudochristus ad illum, qui vocabatur Petrus, dixit: Iam mea Passio, calixque, quem bibiturus sum, appropinquat. Cui Petrus, Et mihi, vt video, Domine, imminet. Ille verò dixit: Petre, ego aliter non possum, nisi per fenestram hinc euadere. Tum Petrus: Et ego te, quoad viuam, non derelinquam: sed quocunque fugeris, sequar. Ergo per fenestram aufugit: cæteri quoque Apostoli, qua potuerunt, euaserunt. Rustici eos sequuti baculis, fustibusque cecidêre dicentes: Prophetiza nobis, Christe, cum tuis Apostolis, qua in sylua baculi isti creuerint. Ergo plagis emendati vitam suam posteà emendarunt, dicentes: Difficile est nobis, Christi Passionem, & Apostolorum tormenta subire. Hactenus Polonorum Annales.

Apollonius Tyaneus.

CAP. XVII.

EXtant Apollonij Tyanei res gestæ octo voluminibus à Philostrato Sophista conscriptę. Eusebius hunc Philostratum Athenienſem vocat. Photius Tyrium; Eunapius, Suidas, & Zonaras Lemnium. Sed de ipsius Philostrati Authoris rerum Apollonij fide primùm pauca dicamus. Eusebius Cæsarienſis libro aduersùs Hieroclem: *Damis igitur, qui cum Tyaneo plurimùm vixit, peregrè eum de Assyria comitatus, vbi & illi primùm congressus est, ex illo captam inter se amicitiam in historiam confert. Nam Maximus quidem particularia quædam hominis huius facta parcè admodum, breuitérque perstringit. Athenienſis Philostratus, & vtrunque complexus, & aliorum quoque se scripta collegisse affirmans, exactissimam sanè ab incunabulis inde orsus, obitu quoque tenus historiam texit.* Et post alia, de Hierocle ait: *Colligere est de ipso Philalethis Authore, eruditione quidem magna referto, veritatem ipsam probro afficiente. Huius enim notæ Philostratus ipse est cum aliis omnibus apud illum Scriptoribus. Ex quo nobis planè constare potest, cæteros quoque, quos ille Authores habet, cognitione quidem multa rerum, magnáque fuisse; minùs tamen in eo laborasse, vt Apollonij vitam fideli historiæ commendarent.* Equidem toto eo libro Eusebius Philostrati mendacia præcipua coarguit. Photius in Bibliotheca numero 44. cùm octo librorum Philostrati breuem quandam summam contraxisset, subdit: *Talia de ipso Apollonio Philostratus comminiscitur. His similia, dementiæ plena, & alia plurima prodigiosè confingit. Itaque libris octo omnis ab illo vanissimi laboris opera consumitur.*

Cælius Rhodiginus Lectionum antiquarum lib. 17. cap. 13. *Qui Magum fuisse Apollonium ambigit, Philostratum legat, quanuis omnium, qui vnquam historiam conscripserunt, mendacissimum* Gilbertus Cognatus in Annotationibus ad Pseudomantem Luciani: *Ego librum illum Philostrati, omnémque Apollonianæ vitæ scenam fabulosam arbitror, à fidei Christianæ hostibus confictam, vt haberent, quem Soteri nostro opponerent. Guillelmus Philander Castilonius in suo in Vitruuium Commentario hanc Apollonij vitam Luciano adscribere videtur.* Delirium, cùm Eusebius, Eunapius, S. Hieronymus, S. Isidorus Peluſiota, Photius, Suidas, Zonaras, & omnes Philostrati Sophistæ eam esse confirment. Sed conficta esse omnia, quæ Damis, & Philostratus miranda de Apollonio tradidêre, annotarunt quoque Victorius Scholio 58. in epist. 61. S. Hieronymi, & Scaliger in Eusebianis numero 2078. Baronius Annali 1. anno Christi 68. numero 31.

Omissis interim, quæ Philostratus de Apollonio tradit, quæ sunt planè innumera, & Author ad manum est; quæ sparsim apud alios de insigni Mago reperimus, hîc reddamus. Lucianus in Pseudomante agens de præceptore Alexandri nequissimi nebulonis ait: *Porrò Doctor ille, & idem amator natione Tyaneus erat, videlicet, ex eorum numero, qui cum egregio Apollonio Tyaneo illo erant versati, totámque illius tragœdiam pernouerant. Vides, quanam è schola tibi hominem refero?* Et anteà de præceptore illo dixerat, *fuisse præstigiatorem ex eorum numero, qui magiam, & diuinas incantationes profitentur.*

Dio Cassius lib. 67. Historiæ Romanæ: *Mihi omninò admirabile est, quòd Apollonius quidam Tyaneus eo ipso die, & hora, qua Domitianus occidebatur, (nam id exactè posteà rescitum est ex his, qui vtrobique fuerunt,) cùm in præcelsum, atque editum saxum, siue Ephesi, siue alibi conscendisset, multitudine hominum conuocata, in hunc modum dixit: Rectè, Stephane, euge, Stephane: percute homicidam. Percussisti, vulnerasti, occidisti. Quæ etsi plerisque videantur esse incredibilia, tamen ita facta sunt.*

Ioannes Zonaras tomo 2. Annalium in Domitiano: *Apollonius verò Tyaneus, Pythagoricus Philosophus, & Magus insignis, tum Ephesi ad populum verba faciens ea hora, qua Domitianus cædebatur, (vt postea ex iis, qui vtrobique acciderunt, certò compertum est,) cùm aliquandiu attonitus extitisset, tandem exclamauit: Euge, Stephane: rectè, Stephane: feri sceleratum. Percussisti, vulnerasti, occidisti. Hoc Philostratus Lemnius in Apollonij vita refert.* Et quidem diffusè lib. 8. cap. 10.

Item Dio lib. 77. de Anthonino Caracalla Imperatore: *Magis, & præstigiatoribus ita delectabatur, vt Apollonium Cappadocem, qui floruerat Domitiani temporibus, laude, & honore affecerit, (hic præstigiator fuerat solers, & Magus,) eique monumentum heroïcum faciendum curauerit.*

Ælius Lampridius de Alexandro Seuero Imperatore, cap. 29. *Matutinis horis in larario suo (in quo & diuos Principes, sed optimos, electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantùm Scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum, & huiusmodi deos* (ita legit Casaubonus: at Gruterus coniectatur, *& huiusce heroas,*) *habebat, ac maiorum effigies, rem diuinam faciebat.*

Flauius Vopiscus in Aureliano, cap. 21. *Tacerì non debet res, quæ ad famam venerabilis Viri pertinet. Fertur enim Aurelianum de Thyanæ ciuitatis euersione vera dixisse, vera cogitasse. Verùm Apollonium Thyaneum, celeberrimæ famæ, authoritatisque sapientem, veterem Philosophum, amicum verum Deorum, ipsum etiam pro Numine frequẽtandum recipienti se in templo in ea forma, qua videtur, subitò adstitisse; atque hæc Latinè, vt homo Pannonius intelligeret, verba dixisse: Aureliane, si vis vincere,* (Gruterus, *viuere*) *nihil, est, quod de ciuium meorũ nece cogites. Aureliane, si vis imperare, à cruore innocentium abstine. Aureliano clementer te age, si vis vincere,* (fortè, *viuere.*) *Notat vultum Philosophi venerabilis Aurelianus, atque in multis eius imaginem viderat templis. Denique statim attonitus, & imaginem, & statuas, & templum eidem promisit, atque in meliorem rediit mentem. Hæc ego à grauibus viris comperi, & in Vulpiæ Bibliothecæ libris relegi, & pro maiestate Apollonij magis credidi. Quid enim illo viro sanctius, venerabilius, antiquius, diuiniúsque inter homines fuit. Ille mortuis reddidit vitam, ille multa vltra homines & fecit, & dixit: quæ qui velit nosse, Græcos legat libros, qui de eius vita conscripti sunt. Ipse autem, si vita suppetat, atque ipsius viri fauori vsquequaque placuerit, breuiter saltem, tantì viri facta in litteras mittam: non quòd illius viri gesta munere mei sermonis indigeant; sed ea, quæ miranda sunt, omnium voce prædicentur.* Hæc Vopiscus, miser Ethniculus, labentem Deorum religionem hoc infelici tibicine sustinere tentans.

Quod Vopiscus ait, Apollonium mortuis vitam reddidisse, id nihil aliud est, quàm quod Philostratus narrat lib. 4. cap. 16. *Aliud prætereà ab Apollonio miraculum tale factum est. Puella quædam ipso nuptiarum tempore mori visa est: quam feretro impositam sponsus lugens sequebatur, de nuptiis imperfectis multùm conquerens, & grauiter dolens: vnà etiam cum eo Roma lamentabatur. Habitabat autem puel-*

la in domo conſulari. Huic igitur funeri occurrens Apollonius, Deponite feretrum, inquit: ego enim veſtras pro puella lacrymas ſedabo. Et ſimul quodnam puellæ nomen eſſet, interrogauit. Plerique igitur illum orationem habiturum putabant, qua mœrentium lacrymas, dolorémque ſedaret: ipſe verò puellam attrectans, atque aliquid illi ſecretò admurmurans, ab ea, quæ videbatur, morte reuocauit. Quæ ſtatim etiam loqui incipiens in paternam domum rediit: ſicut Alceſte quondam ab Hercule in vitam reſtituta. Cúmque puellæ parentes drachmarum millia quindecim Apollonio donarent, ipſe pro dotis acceſſione puellæ pecunias largiri dixit. Virùm verò ſcintillam animæ in ipſa inuenerit, quæ miniſtros, Medicóſque latuerit; ſiue decidens fortè pluuia diſperſam, & penè iam extinctam animam calefaciens, in vnum congregauerit, difficile coniectatu eſt, non mihi ſolùm, verùm etiam iis, qui rei videndæ interfuerunt. Id autem ſatis conſtat, dum funus efferretur, fortè pluiſſe, & puellæ faciem rore irrigatam fuiſſe. Vides, vt Magus impoſtor imitari tentauerit clariſſimum Chriſti miraculum, quo filium viduæ Naïm in vitam reduxit.

Sed quid Euſebius Hierocli, hoc tantum Apollonij miraculum iactanti reſponderit, audiamus: *Nam quòd præterea puellam Romæ defunctam ab obitu reuocarit, cùm ſit factum hoc vel ipſi Philoſtrato incredibile, nos quoque à nobis peniùs excludamus. Ratiocinatur enim dubitando Philoſtratus, num vitalis auræ ſcintilla intra puellam compreſſa, Medicos delituerit, quæ mox pluuia ingruente reuiuiſcens, atque excitata, in vultu reſpirantis puellæ prodita ſit. Aiunt enim, cùm puella ad ſe rediret, cœlo pluuio leniter irroraſſe. Neque enim, ſi verè puellam hanc Apollonius vitæ reſtituiſſet, tam egregium facinus non Imperatori primùm ipſi innotuiſſet, aliiſque ſubinde Primoribus apud illum diuerſantibus viris, præſertim verò Philoſopho Euphrati, qui ea tempeſtate Romæ agebat, móxque Apollonio infenſus, eundem magiæ accuſaſſe narratur. Quin etiam factum hoc, ſi modo conſtitiſſet, cæteris quoque calumniis, quibus Apollonium vrgebant, proculdubiò adiunxiſſent accuſatores.*

Porphyrius lib. 3. de Sacrificiis: *Si credendum ſit antiquis, atque illis, qui Patrum noſtrorum, & noſtro tempore extiterunt, ſunt, qui dicant, ſe audire ſermonem animalium, atque intelligere: ſicuti apud veteres Melampus, & Tireſias, ac Thales: nuper verò Apollonius Tyaneus, quem dicunt in amicorum cœtu cùm audiret hirundinem aliis nuntiare aſinum prope vrbem onuſtum cecidiſſe, triticúmque humi diffuſum; declaraſſe audita, idque ita fuiſſe compertum.* Rem geſtam Philoſtratus lib. 4. c. 1. ita narrat: *Cùm aliquando de communi concordia diſputaret, docerétque oportere Epheſios ſe ſe mutuò nutrire, atque nutriri; paſſeres fortè in arbore quadam taciti conſidebant: vnus autem ex ipſis, tanquàm alicuius rei nuntius, vocem emiſit, qua viſus eſt aliquid cæteris prædicere. Eo audito, cæteri clamorem tollentes, poſt ipſum volarunt. Tunc aliquandiu tacitus Apollonius, ſciens quidem, quam ob cauſam paſſeres volitaſſent; nondum tamen auditoribus id narrabat. Vbi verò omnes in ſe conuerſos, & quaſi portentum aliquod admirantes aſpexit, tunc rupto ſilentio ſic eſt loquutus: Puer quidam lapſus effuſum frumentum in aream demiſit, cùm negligenter illud collegiſſet, abiit multa grana paſſim in Angiporto ſparſa relinquens. Quæ cùm paſſer ille inueniſſet, cæteris, vt vidiſtis, nuncians inuentum cibum communicauit. His verbis permulti commoti ad hoc viſendum concurrêre. Ipſe verò iis, qui manſerunt, cœptum ſermonem de communi ſocietate ſeruanda proſecutus eſt. Poſtquàm verò qui viſum ierant cum clamore, atque admiratione ſumma reuerſi ſunt, Videtis, inquit Apollonius, quo pacto paſſeres mutuam de ſe curam habent.*

Eunapius Sardianus Præfatione in vitas Philoſophorum: *Apollonius Tyaneus, non iam Philoſophus, ſed media inter Deos, ac mortales naturæ particeps: quippe qui Pythagoreæ diſciplinæ ſectator, illius diuinitatis famam, dignitatémque adauxit: de quo enucleatè perſcripſit Philoſtratus Lemnius editis libris, quibus titulum fecit, Vitam Apollonij, cùm debuerit inſcripſiſſe veriùs, Acceſſum Dei ad homines.* Sed non pudet effrontem Sophiſtam de exploratiſſimo Plano ita loqui? En quibus ſubſidiis gentiles ruenti, & pereunti ſuperſtitioni fulcra ſubiiciebant.

Ammianus Marcellinus lib. 23. cap. 19. *Apud Asbamei quoque Iouis templum in Cappadocia, vbi ampliſſimus ille Philoſophus Apollonius traditur natus apud oppidum Tyana.*

Cælius Rhodiginus lib. 17. antiquarum Lectionum, cap. 16. *Sunt, qui monumentis prodant, nec tacuit Platonicus Olympiodorus, Tyaneum Apollonium eorundem poteſtate ſenſuum, cùm in vrbe ageret, tanquàm de illuſtriori ſpecula, quæ in Ægypto fierent, proſpectaſſe, atque item enuntiaſſe.*

Iam quæ Patres de Apollonio tradiderint, reddamus. Arnobius lib. 1. aduersùs Gentes, Apollonium inter famigeratiſſimos Magos enumerat: *Apollonius Damigero, & Dardanus, Velus, Iulianus, & Babulus, & ſi quis eſt alius, qui principatum, & nomen fertur in talibus habuiſſe præſtigiis.* Euſebius in Chronico numero 2111. *Apollonius Tyaneus, & Euphrates inſignes Philoſophi habentur.* nempe, ſub Domitiano. Eadem Caſſiodorus in Chronico.

S. Ambroſius tract. in Symbolum Apoſtolorum, cap. 29. *Dicent autem homines ſæculi huius, quòd Apollonius Magus, cùm ante Domitianum Imperatorem in Conſiſtorio ſtaret, repentè non comparuit.* S. Hieronymus epiſt. 2. ad Pammachium aduersùs errores Ioannis Hieroſolymitani: *Quod Magus licet, hoc Domino non licet? Apollonius Tyaneus ſcribitur, cùm ante Domitianum ſtaret in Conſiſtorio, repentè non comparuiſſe. Noli potentiam Domini Magorum præſtigiis adæquare.* Rem totam latè deſcribit Philoſtratus lib. 8. cap. 2. 3. 4. & 5. ſed egregiè refellit Euſebius in Hieroclem.

S. Hieronymus epiſt. 103. ad Paulinum: *Apollonius, ſiue ille Magus, vt vulgus loquitur, ſiue Philoſophus, vt Pythagorici tradunt, intrauit Perſas, pertranſiuit Caucaſum, Albanos, Scythas, Maſſagetas, opulentiſſima Indiæ regna penetrauit, & ad extremum latiſſimo Phiſon amne tranſmiſſo, peruenit ad Brachmanas, vt Hiarcham in throno ſedentem aureo, & de Tantali fonte potantem inter paucos diſcipulos, de natura, de motibus ſyderum, ac dierum curſu audiret docentem: inde per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Aſſyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæſtinos reuerſus Alexandriam, perrexit Æthiopiam, vt Gymnoſophiſtas, & famoſiſſimam Solis menſam videret in Sabulo. Inuenit ille vir vbique quod diſceret, & ſemper proficiens, ſemper ſe melior fieret. Scripſit ſuper hoc pleniſſimè octo voluminibus Philoſtratus.*

S. Chryſoſtomus oratione 2. in Iudæos: *Quàm multa fertur Apollonius ille Tyaneus feciſſe: verùm vti ſcires illa omnia eſſe conficta, vana, nihil habentia veri, extincta ſunt, & finem acceperunt.*

Author apud Iuſtinum Martyrem quæſt. 24. ad Orthodoxos: *Dæmonis autem ipſius, in illius Apollonij ſtatua inſidentis, & homines oraculis edendis in errorem, vt Apollonium, ſicut Deum honorarent, & colerent inducentis, os* Chriſtus *obturauit, reſponſis*

eius

eius abolitis. At, quod ad eiusmodi statuam attinet, Andreas Cæsariensis Episcopus in Apocalyp. c. 37. hæc scribit, *Narrat Apollonius, & alij confirmant, Dæmones incantationum, & præstigiarum vi per imagines, & statuas, per arbores rursum, & aquas, perque alia huiusmodi sæpenumerò locutos.* Et Aretas c. 37. in Apocalypsim: *Quòd simulacra locuta fuerint, ex historia discere possumus, quòd scriptum sit per præstigias, & arbores, & aquas locuta fuisse per Apollonium, aliósque Poëtas.*

5. Apollinaris Sidonius lib. 8. epist. 3. ad Leonem: *Apollonij Pythagorici vitam, non vt Nicomachus senior è Philostrati, sed vt Tascius Victorianus è Nicomachi schedio exscripsit, quia iusseras, misi.* Et post alia: *Historiam flagitatam tunc recognosces opportunè, competentérque, si cum Tyaneo nostro nunc ad Caucasum, Indúmque, nunc ad Æthiopum Gymnosophistas, Indorúmque Brachmanas, totus lectioni vacans, & ipse quodammodo peregrinere. Lege virum, fidei Catholicæ pace præfata, in plurimis similem tui, id est, à diuitibus ambitum, nec diuitias ambientem, cupidum scientiæ, continentem pecuniæ, inter epulas abstemium, inter purpuratos linteatum, inter alabastra censorium, concretum, hispidum, hirsutum, in medio nationum delibutarum, atque inter Satrapas Regum tiararatorum myrrhatos, pumicatos, malobatratos, venerabili squalore pretiosum, cúmque proprio nihil esui, aut indutui de pecude conferret, regnis ob hoc, quæ pererrauit, non tam suspicioni, quàm fuisse suspectui: & fortuna Regum sibi in omnibus obsecundante, illa tantùm beneficia poscentem, quæ magè sit suetus oblata præstare, quàm sumere.* Existimauit Ioannes Sauaro in Notis ad Sidonium, & Ioannes Meursius in Notis ad Hesychium, Nicomachum seniorem, & Tascium Victorianum Scriptores fuisse rerum Apollonij, vt Philostratum: sed rectiùs Iacobus Syrmundus fuisse tantùm viros clarissimos, qui codices Philostrati mendosos, per otium castigarant. Ipsum vide.

Nebulonis improbi falsa miracula Nicephorus Callistus lib. 3. Hist. c. 11. ita percenset: *Eius ætate*, nempe, Neronis, *Apollonius quoque Tyaneus vixit: quem historiæ produnt Roma Byzantium veniisse, atque ibi dæmoniacis quibusdam præstigiis, atque incantationibus magnam vim serpentum fugasse: & præterea ferocissimos quosque equos frænasse, aliáque multa prodigiosa fecisse. Hunc, quòd Neruæ charus esset, Domitianus cùm priùs totundisset, mox coniecit in custodiam.* De tonsione Apollonij plura Philostratus lib. 7. cap. 14. Cedrenus etiam in Annalibus author est, Apollonium Byzantij, & Antiochiæ miranda multa magicæ artis experimenta dedisse. Ipsum adi. Sed & Suidas in Apollonio, & in Timasione non pauca de hoc Mago prodit: verùm omnia fermè ex Philostrato accepta. Hesychius quoque Illustris in libro de his, qui eruditionis fama claruêre: *Apollonius Tyaneus: huius mater ventrem ferens, vnum ex his, quos Dæmonas, Geniósve nominant, dicentem sibi conspexit, se esse, quo grauida foret, nimirum, Protea Ægyptium: vnde mansit posteà suspicio, Proteos fuisse filium.* Philostratus lib. 1. cap. 3. *Prægnanti matri vmbra quædam adstare visa est Protei Ægyptij Dei, qui vt ab Homero traditur, varias se se in formas vertere consueuerat. Cuius visu haudquaquam exterrita mulier, quidnam paritura esset, interrogauit. Cui Proteus. Me, inquit, es paritura. Illa verò, quisnam ipse esset, interrogante, Sum, inquit, Deus Ægyptius.* At fabulam irridet Eusebius nullo Authore traditam. Idem Hesychius de rebus Constantinopolis: *Per idem tempus infestabant vrbem plurimi dracones, & perniciem ciuibus afferebant: quos Neptuni, vt ferunt, ope, inductis ciconiis, sustulerunt. Posteà cùm infensæ factæ hæ aues, & mortis causam præberent, serpentibus, quos ex aquis extraxerant, in plateas publicas proiectis, incerto planè consilij populo vir quidam Tyanis, Apollonius nomine, è lapide polito ciconias inter se tres obuersas erexit, quæ etiam nunc permanent; neque id genus aues vrbem intrare permittunt.* Consule Notas Meursij ad Hesychium.

Paulus Diaconus Miscellæ lib. 8. cap. 9. *At verò Vespasianus, postquàm apud Palæstinam Imperator creatus est, in Græcium venit, gaudens, vt Græci fatentur, in his, quæ audiebat a Tyanensi Apollonio de tempore Imperij sui, ac cæteris bonis futuris, loquens cum eo apud Ægyptum ab Indis, & Brachmanis, & Gymnosophistis illic degentibus redeunte.* Et superiùs cap. 3. *Huius* Claudij *temporibus Apollonius ex Tyanensibus Italiæ ortus, Pythagoricus Philosophus, Romæ pollebat: ita vt hunc ipso quoque Pythagora Philostratus, & alij, acrioris ingenij fuisse describant.* Tam verum est, Apollonium ex Tyanensibus Italiæ ortum, quàm tempore Claudij Romæ fuisse. De congressu verò Apollonij cum Vespasiano scribit Philostratus lib. 5. cap. 10.

Anastasius Nicænus quæst. 23. in sacram Scripturam miranda hæc de Apollonio scribit: *Apollonij autem in hodiernum vsque diem in nonnullis locis peraguntur sacra: alia quidem ad auertendas bestias quadrupedes, & volucres, quæ possunt homines tædere: alia autem ad sistendos fluxus fluminum, quæ cursu feruntur inordinato: alia autem ad auertenda alia, quæ sunt in perniciem, & interitum hominum comparata. Non solùm autem in vita eius hæc per ipsum fecerunt Dæmones; sed etiam post eius mortem, ad eius monumentum manentes, quædam fecerunt signa in eius nomine, ad eos decipiendos, quos Dæmon facilè seducit, & furtim pellicit ad res eiusmodi. Quid verò dixerimus de magicis Manethonis operibus, qui in hac deceptione magica tantus extitit, vt sæpè rideret Apollonium Tyaneum, vt qui non accuratè tenuerit hanc experientiam artificiosam? Oportebat enim, aiebat, eum, sicuti ego, verbo solo facere, quæ volebat: & non quibusdam sacris permittere ea, quæ ab ipso dicebantur, & fiebant.* De monumento heroïco facto Apollonio ab Anthonino Caracalla sæpiùs ex Dione diximus: quod verò Anastasius ait de Dæmonibus ad Apollonij monumentum manentibus, & signa in eius nomine facientibus, reuocat nobis in memoriam, quæ Palladius Galata ex S. Macario Monacho Alexandrino de sepulcro Iamnes, & Mambres, quod idem Macarius viderat, refert in Lausiaca, sectione 27. his verbis:

Is Macarius *cupiit aliquando, vt ipse nobis narrauit, quod in hortis erat, ingredi monumentum, quod dicitur Cepothaphios* (id est, hortense sepulcrum) *Iamne, & Mambre Magorum, qui erant tempore Pharaonis, vt id videret, vel etiam vt conueniret eos, qui illic sunt Dæmones. Dicebatur enim, plurimos, eósque ferocissimos in eo loco ab illis collocatos esse Dæmones per infamis artis eorum excellentiam. Hoc autem monumentum factum est à Iamne, & Mambre fratribus, qui propter magicæ artis excellentiam primas partes habebant illo tempore apud Pharaonem. Vt qui ergo illo vitæ suæ tempore maximam in Ægypto haberent potestatem, constituerunt illud opus ex lapidibus quatuor pedum magnitudine, & suum illic fecerunt monumentum: & cùm multum illic auri deposuissent, & omne genus arbores plantassent, maximum quoque puteum aquæ foderunt: est enim locus, qui cedit facilè. Hæc autem omnia fecerunt sperantes post suum hinc discessum,*

ceſſum, frui delicijs in illo ſuo Paradiſo. Tandem ergo, quoniam neſciebat viam, quæ ad eum ducit hortum, Dei ſeruus Macarius coniecturâ quadam ſequebatur aſtra: & ſicut nautæ, qui tranſmittunt maria, totam peruaſit Sanctus ſolitudinem. Et cùm aliquot etiam accepiſſet arundines, vnam ſtatuit in vno quoque milliari, vt per eam rediret. Cùm ergo intra nouem dies totam illam peruaſiſſet ſolitudinem, & eſſet prope illum hortum, ſuccedente nocte parùm dormiit. Immanis verò Dæmon, qui ſemper aduerſatur Chriſti athletis, cùm collegiſſet omnes illas arundines, dormiente Macario, & circiter ad vnum lapidem à monumento ad eius caput poſuiſſet, receſſit. Poſtquàm ergo ſurrexit, inuenit colligatas arundines; quas ipſe fixerat ſigni cauſa. Fortaſſe autem hoc quoque fuit Dei permiſſo ad maiorem eius exercitationem, vt non ſperaret in arundinibus; ſed in Dei gratia, quæ per columnam nubis deduxit Iſraël quadraginta annis in terribili illa ſolitudine. Dicebat autem Macarius: Cùm propiùs acceſſi ad illud monumentum, ex eo egreſſi mihi occurrerunt ad ſeptuaginta dæmones variis formis præditi, alij quidem clamantes, alij verò exilientes, alij verò cum magno fremitu in me ſtridentes dentibus; alij verò, tanquam corui volantes, audebant meo vultui inſultare, dicentes: Quid vis, Macari, tentatio Monachorum? Quid ad nos acceſſiſti? Annon nos quoque aliquem ex Monachis vexauimus. Quæ noſtra ſunt, tu cum tuis ſimilibus illic habes, nempe, ſolitudinem: & illinc noſtros cognatos fugauiſtis. Nihil eſt nobis tecum commune. Quid loca noſtra inuadis? Tanquàm Anachoreta contentus eſto ſolitudine. Qui hunc locum ædificarunt, eum nobis aſſignarunt: non potes hîc manere. Quid quæris ingredi in hanc profeſſionem, in quam nullus ex viuis hominibus eſt ingreſſus; ex quo fratribus, qui hoc condiderunt, ſunt à nobis hîc facta exequiæ. Et cùm multa adhuc facerent, & inſultarent Dæmones, dixit eis S. Macarius: Ingrediar tantùm, & videbo, & hinc recedam. Dixerunt autem Dæmones: Hoc nobis promitte in tua conſcientia. Dixit autem Chriſti ſeruus: Hoc faciam. Dæmones autem euanuerunt. Ingrediente autem eo in paradiſum, ei occurrit Diabolus ſtricta romphæa ei minitans. Ad quem hanc vocem reſpondit S. Macarius: Tu venis ad me ſtricta romphæa, & ego contra te ingrediar in uomine Domini Sabbaoth, in acie Dei Iſrael. Ingreſſus autem contemplatus ſum omnia. In quibus inueni etiam cadum Æneum, catena ferrea pendentem ex puteo, iam tempore conſumptum, & fructum malorum punicorum, quæ nihil intùs habebant: fuerunt enim arefacta à ſole: & plurima aurea donaria. Cùm Sanctus ergo illinc receſſiſſet abſque tumultu, & citra omnem perturbationem, reuerſus eſt per viginti dies in ſuam cellam. Hactenus Palladius. Sed ad Apollonium redeamus.

Dici non poteſt, quantum nefarius hic impoſtor Chriſtianæ religioni tunc coaleſcenti damnum intulerit: nam eodem fermè tempore, quo Apoſtoli, Apoſtolicíque eandem in orbe, exemplo vitæ, miraculis, doctrina propagabant; impius hic nebulo è diametro ſpecie ſanctioris vitæ, fictis miraculis, præſtigiis vbique conuellere conabatur: aut, ſi id minùs poterat, ſaltem humanis mentibus inſtillabatur, miracula Chriſti, & Chriſtianorũ, atque Apollonij ex vno, eodémque fonte, hoc eſt, ex impoſtura, fraude, mendacio promanare. Hinc illa ſæpiùs à Gentilibus repetita jactatio, Apollonium paria Chriſto, vel certè maiora feciſſe. Hinc Hierocles impius libros duos Philalethis nomine auſus eſt in Chriſtianos ſcribere, quibus Apollonium Chriſto comparare non erubuit. De quibus Lactantius Firmianus agens de perſecutione Diocletiani in Chriſtianos excitata lib. 5. c. 2. ait: *Ego cùm in Bithynia oratorias litteras accitus docerem, contigiſſetque, vt eodem tempore Dei templum euerteretur; duo extiterunt ibidem, qui iacenti, atque abiecta veritati, neſcio vtrùm ſuperbiùs, an importuniùs inſultarent.* Nimirum, anno 19. Diocletiani, & Chriſti 302. cùm edictum de diruendis Chriſtianorum Eccleſiis promulgatum eſt, vt ex cunctis eccleſiaſticis Annalibus liquet. Et cùm plura de priore illorum duorum Chriſtianæ religionis hoſtium commemoraſſet; de altero ſubdit Lactantius: *Alius eandem materiam mordaciùs ſcripſit, qui erat tum è numero Iudicum, & qui auctor imprimis faciendæ perſecutionis fuit. Quo ſcelere non contentus, etiam ſcriptis eos, quos afflixerat, inſecutus eſt: compoſuit enim libellos duos, non contra Chriſtianos, ne inimicè inſectari videretur; ſed ad Chriſtianos vt humanè, ac benignè conſulere putaretur: in quibus ita falſitatem Scripturæ ſacræ arguere conatus eſt, tanquam ſibi eſſet tota contraria: nam quædam capita, quæ repugnare ſibi videbantur, expoſuit, adeò multa, adeò intima enumerans, vt aliquando ex eadem diſciplina fuiſſe videatur.* Et cùm multa huius ſceleſtiſſimi Scriptoris impiè dicta cõfutaſſet, addit: *Item, cùm facta eius* (Chriſti) *mirabilia deſtrueret, nec tamen negaret; voluit oſtendere Apollonium, vel paria, vel etiam maiora feciſſe. Mirum, quòd Apuleium prætermiſit, cuius ſolent & multa, & mira memorari. Cur igitur, ô delirum caput! nemo Apollonium pro Deo colit? niſi fortè tu ſolus, illo, ſcilicet, Deo dignus, cum quo te in ſempiternum verus Deus puniet. Si Magus Chriſtus, quia mirabilia fecit, peritior vtique Apollonius, qui, vt deſcribis, cùm Domitianus eum punire vellet, repentè in iudicio non comparuit; quàm ille, qui & comprehenſus eſt, & cruci affixus. Atenim ex hoc ipſo fortaſſe inſolentiam Chriſti voluit arguere, quòd Deum ſe conſtitueret, vt ille verecundior fuiſſe videatur, qui, cùm maiora faceret, vt hic putat; tamen id ſibi non arrogauerit. Stultum eſt, id putare Apollonium noluiſſe; quod optaret vtique, ſi poſſet: quia nemo eſt, qui immortalitatem recuſet, maximè cùm eum dicas, & adoratum eſſe à quibuſdam, ſicut Deum; & ſimulacrum eius ſub Herculis Alexicaci nomine conſtitutum ab Epheſiis, etiam nunc honorari. Non potuit ergo poſt mortem Deus credi, quia & hominem, & magum fuiſſe conſtabat: & ideò alieni nominis titulo affectauit Diuinitatem: quia ſuo nec poterat, nec audebat.* Et poſt alia, in deteſtabilem authorem diſertè prolata, ita in eodem perorat: *Cùm igitur talia ignorantiæ ſuæ deliramenta fudiſſet, cùm veritatem excidere connixus eſſet, auſus eſt libros ſuos nefarios, ac Dei hoſtes, φιλαληθεῖς annotare. O cæcum pectus! ô mentem Cymmeriis, vt aiunt, tenebris atriorem! Diſcipulus hic fortaſſe Anaxagoræ fuerit, cui niues atramentum fuerunt: atqui eadem cæcitas eſt, & vero falſitatis, & mendacio veritatis nomen imponere. Videlicet, homo ſubdolus voluit lupum ſub ouis pelle celare, vt fallaci titulo poſſet irretire lectorem.* Hactenus Lactantius. De ſtatua ſub Herculis nomine Apollonio ab Epheſiis erecta agit Philoſtratus lib. 4. cap. 3. At non dubium eſt, ſacrilegum hunc Philalethis ſcriptorem, in quem Lactantius diuinè inuectus eſt, fuiſſe Hieroclem: de quo Euſebius: *Hierocles paradoxè iactabat, magiſtro, ac Saluatori noſtro Tyaneum componens. Nam, ſi reliqua ipſius Philalethis deliria contemplemur, (pulchrè enim veritatis inſcriptione ceſſurum putat ſuis contra nos libris) aut ita magnum opera nunc pretium fuerit.* Et interiectis aliis: *Agè ſolum: hoc tempore*

contemplemur ex Philalethe ipso Dominum nostrum Iesum Christum Apollonio comparatum. Etverò egregiè Eusebius Hieroclem directo in eum scripto commentario confutauit: Philalethes verò veritatis amatorem significat. Fuit autem hic labor necessariò Eusebio subeundus, quòd, vt ipse ait, *Vnus hic omninò, præter cæteros omnes, qui contra nos stili aciem distrinxerunt, singulare malum inuexit, impuri, scilicet, hominis ad Saluatorem nostrum commissionem.*

Existimauit Baronius Annal. 2. anno Christi 302. num. 59. hunc Hieroclem esse illum, quem S. Epiphanius hæresi 68. sub initium, ait, in persecutione Diocletiani Præsidem Alexandriæ fuisse; cuiúsque fit mentio in Actis Ædesij Martyris. Suidas Hieroclis Philosophi Alexandrini multa cum laude meminit, atque hunc esse, in quem Eusebius scripserit, Simlerus in Bibliotheca putauit. Æneas Gazæus Dialogo Theophrasto: *Hierocles Scriptor ille, qui miracula quædam refert.*

Ceterùm ad ea, quæ ex Apollonij factis, Christianis opponerentur, Auctor apud Iustinum Martyrem accuratè respondit, proposita, & dissoluta quæstione. 24. ad Orthodoxos: *Quæstio. Si Deus conditor est, & Dominus creaturæ, quomodo Apollonij effectus in partibus creaturæ potentes sunt? Nam impetum maris, & ventorum vim, & murium, bestiarúmque incursiones, vt videmus, prohibent: Et si quæ à Domino edita sunt miracula, ea sola commemoratione feruntur: illius autem plurima ipsis quoque rebus ostenduntur; quomodo ea in errorem non seducunt spectatores? Atqui, si hoc diuina est factum permissione, quomodo non dux fuit ad paganismum eiuscemodi permissio? Sin minùs, quomodo non Dæmonum potentia illa facta sunt? E diuerso verò, si illo quod factum est tanquam bono delectatus Deus, opem, & operam suam contulit: quare talia per Prophetas, aut Apostolos præstita non sunt? Sin ei veluti malum displicuit, quánam gratia malum aut illicò non impediit, aut paulò pòst non aboleuit, sed vsque ad sæculum dierum creaturæ obtinere permisit?*

Responsio. Siquidem Apollonius, vt vir naturalium virium peritus, & rerum quæ in eis sunt tum repugnantiæ, tum cognationis sciens, eiusmodi scientia effectiu edidit, non diuina id potestate fecit. Quapropter in effectibus omnibus opus illi fuit congruentis materiæ assumptione, ad id quod efficiebat complendum, ipsum opera sua adiuuantis: Saluator autem noster Christus miracula diuina potentia sua exhibens, haudquaquam materiæ indigens fuit, sed iussiones, atque prolocutiones eius consequebantur, & consequuntur res ipsæ. Et Apollonij effectus præstitos, quia naturalium virium scientia ad corporalem hominum vsum facti sunt, Dominus non euertit: Dæmonis autem ipsius, in illius statua insidentis, & homines oraculis edendis, in errorem, vt Apollonium sicut Deum honorarent & colerent, inducentis, obturauit, responsis eius abolitis. Simul verò, & reliquorum Dæmonum, sub deorum nomine à Græcis cultorum, abrogauit potentiam, quemadmodum ex ipsis rebus apparet. Cùm autem in hisce diuinæ Christi potestatis teneamus significationes, dicere non oportet, Christi miracula in nuda sita esse narratione. Huc vsque auctor ille, quem non esse S. Iustinum consentiunt eruditi.

Marcellinus vir clarissimus S. Augustino epist. 4. ex ore Gentilium hanc proposuit quæstionem: *Apollonium siquidem suum nobis, & Apuleium, aliósque magicæ artis homines in medium proferunt, quorum maiora contendunt extitisse miracula.* nimirum quàm Domini. Respondet S. Augustinus epist. 5. *Quis autem vel risu dignum non putet, quòd Apollonium, & Apuleium, ceterósque magicarum artium peritissimos conferre Christo, vel etiam præferre conantur?* Et epist. 49. quæst. 6. *Et tamen si hoc quod de Iona scriptum est, Apuleius Madaurensis, vel Apollonius Tyaneus fecisse diceretur, quorum multa mira nullo fideli auctore iactitant, quos Magos, vel Philosophos laudabiliter nominant, non iam buccis creparet risus, sed Typhus.*

Vanitatem quoque Apollonij sugillat Æneas Gazæus in Theophrasto: vbi in transmigrationem animarum Pythagoricam inuectus, inquit: *Eiusdem impudentis arrogantiæ deinceps Apollonius ille Cappadox factus imitator, Græcis hominibus referebat, de his qui apud Indos essent sapientibus, quòd illi nossent quinam olim ipsi fuissent. Rectè sanè homo vanus ad eos, qui extra orbem degunt, testes confugiebat. Sed nihilominus falsi conuincitur, quando ne Etesias quidem qui multa alioquin de Indis fabulosa conscripsit, harum illius næniarum vspiam mentionem facit. Neque verò Arrianus qui verè magis quàm fabulosè historiam scribit, dogmatis huius vspiam meminit, etiam cum Brachmanum cum Alexandro congressum refert. Itaque si illi neque veterum, neque recentiorum quisquam vel vno verbo testimonium dicit, solus ipse relictus Apollonius, ac testibus omnibus destitutus, conuincitur falsum tradidisse.*

Cum tot tantísque Patrum iudiciis vanitatem, & impostura nequissimi ardelionis, & improbissimi alastoris coarguerimus, mirum planè cur S. Isidorus Pelusiota eius patrocinium susceperit, lib. 1. epist. 398. *Quidam nouis sermonibus homines deceperunt, Tyaneum Apollonium inducentes, qui multa pleriſque in locis, tutæ habitationis causa, vt aiunt, effecerit. Ac nihil quod ab illo factum sit, ostendere queunt: nam alioqui ij qui nudos etiam ipsius sermones litteris mandarunt, totámque ipsius vitam accuratè conscripserunt, actiones eas quæ vulgi sermonibus celebrantur, non omisissent. Habes autem Philostratum, qui vitam ipsius magna cura & diligentia in lucem edidit. Ex quo intellige, quàm perspicuam huiusmodi præstigiarum calumniam viri illius hostes, vt vero consentaneum est, concinnarint.*

Julianus Apostata.

CAP. XVIII.

QVibus magistris & educatoribus iste impietatem imbiberit, ipse in Misopogone Antiochenses alloquens, scribit: *Vultis illius nomen præceptoris & genus proferam? Homo barbarus, mehercle, & genere Scytha is erat, eodem nomine cum illo qui Xerxem ad bellum in Græciam, nobilésque Argiuos induxit, nempe Mardonius.* Hunc Mardonium eunuchum fuisse ait Socrates lib. 3. c. 1. & Paulus Diaconus lib. 11. Miscellæ cap. 24. & Nicephorus lib. 10. c. 1. Et post pauca: *Is ab eo tempore cùm me ad magistros duceret, vnicam bene viuendi viam esse mihi persuasit: Cúmque ille aliam neque scire vellet, neque mihi ingredi permitteret, effecit vt omnium vestrum odium incurrerem.* Nimirùm ob desertam Christianam Religionem. Habuit quoque Maximum Ephesium Philosophum, & insignem magum, præceptorem. Eunapius Sardianus in Maximo: *Vnus fuit eorum quos Ædesii doctrina imbuit, Iuliano Imperatori delectus magister solus, ceteris omnibus à Constantio sublatis.* Socrates lib. 3. Hist.

Eccles.

Eccles.c.1. *Vbi in Rhetorica permultùm profecisset, fortè fortuna Maximus Philosophus Ephesius Nicomediam aduentat, quem Imperator Valentinianus magicas præstigias exercentem posteà è medio tolli mandauit. Apud hunc Iulianus primùm Philosophiæ præcepta degustare: mox religionem præceptoris, qui dominandi cupiditatem eius animo injiciebat, imitari cœpit.* Sozomenus lib.5.cap.2. *Maximus Ephesius Philosophus illum & Philosophiam docuit, & odium Christianæ religioni eius animo inseuit.* Eadem Paulus Diaconus Miscellæ lib.11.c.25.& Nicephorus lib.10. c.1. Viginti annos sectatum fuisse Christianismum, & duodecim posteà, eiurata diuina religione, idolorum cultui addictum permansisse, ipse testatur epistola ad Alexandrinos supremo vitæ, & Imperij anno conscripta, quam è Græco in Latinum conuertit Fridericus Metius: *Dum, Iulianum auscultaueritis, qui illa*, nempe placita Christianæ fidei, *viginti iam secutus fuit annos; nunc verò, deorum ope duodenarius agitur annus, hanc graditur viam.* Sed publicè non est ausus Deos colere, nisi extincto Constantio, cùm Imperium inuasit.

Adolescentulum adhuc, attonsa coma in Clericorum ordinem fuisse in Ecclesia coaptatum, S. Gregorius Nazianzenus, qui res Iuliani probè cognouit, oratione 1.in eundem, ita refert: *Quin etiam in Cleri ordinem seipsos coaptarunt*, nempe Gallus, & Iulianus fratres, *adeò vt diuinos quoque libros plebi lectitarent: non minùs id sibi amplum & honorificum esse existimantes, quàm aliud quiduis.* Et eadem oratione: *Quidni autem hæc apprimè nosset, qui diuinorum oraculorum Lector quondam fuerat, magnique sacrarij honore auctus, atque ornatus.* Theodoretus lib.3.hist.eccles.c.2. *In Lectorum numerum adscriptus est, & sacros libros in ecclesiasticis conuentibus perstegit.* Socrates lib.3.c.1. *Palàm autem sacra Christianorum perlegit eloquia, atque adeò in Ecclesia Nicomediensi Lector designatus est.* Eadem Paulus Diaconus in Miscella lib.11.cap.25.& Nicephorus lib.10.cap.1.

Monachi quoque institutum Iulianum professum, Socrates lib.3.cap.1.affirmat: *Postquam ipsa*, minirum Iuliani cum Maximo Philosopho commercia, *ad aures peruenêre Imperatoris Constantij, Iulianus quasi inter spem, & metum positus, quò suspicionem vitaret, qui iam dudum verè Christianus erat, tum specie, quam adesse præse tulit: abrasáque cute vitam monasticam simulauit.* Sozomenus lib.5.c.2. *Timore perculsus, cutem abrasit, & vitam monasticam simulauit.* Eadem Paulus Diaconus lib.11.Miscellæ cap.25. & Nicephorus lib.10. c.1. Vide triplicem Iuliani Apostasiam, à fide, ab ordine, à monachatu.

Sublato Constantio, & adepto Imperio, detracta larua primùm se deorum cultorem superstitiosissimum palàm, & apertè professus est. Ipse epist. ad Maximum: *Atque hæc quidem fortasse melius erit dicere quàm scribere: puto tamen abs te libentissimo animo auditum iri: Deos publicè, & palàm colimus, & totus meus exercitus pietatem amat. Nos apertè boues immolamus, diis gratias agimus multis hecatombis. Me iubent dij purè, & castè quoad potero, viuere. Ego verò iis pareo, & quidem libenti animo. Magnos fructus laborum pollicentur, nisi segniter agamus.* Ammianus Marcellinus lib.22.c.7. *Et quanquam à rudimentis pueritiæ primis inclinatior erat erga numinum cultum, paulatimque adolescens, desiderio rei flagrabat, multa metuens, tamen agitabat quædam ad id pertinentia, quantum fieri poterat occultissimè: vbi verò abolitis quæ verebatur, adesse sibi liberum tempus faciundi quæ vellet, aduertit, sui pectoris patefecit arcana: & planis absolutisque decretis aperiri templa, arisque hostias admoueri, & reparari deorum statuit cultum. Vtque dispositorum roboraret effectum, dissidentes Christianorum Antistites, cum plebe discissa, in palatium intromissos monebat, vt ciuilibus discordiis consopitis, quisque nullo vetante, religioni suæ seruiret intrepidus. Quod agebat ideò obstinatè, vt dissentiones augente licentia, non timeret vnanimantem posteà plebem: nullas infestas hominibus bestias, vt sunt sibi ferales plerique Christianorum.* Hæc gentilis Græculus, & impius. Similia Zozimus comes lib.3.æquè paganus.

S. Gregorius Nazianzenus orat.1. in Iulianum: *Vix enim Imperij hæreditatem adire cœperat, cùm impietatem palàm liberéque profitetur, perinde atque hoc quoque nomine erubescens, quòd Christianus aliquando fuisset, aut ea de causa Christianis succensens, quibus nominis societate iunctus fuerat. Atque hinc quidem facinora sua auspicatur, quemadmodum narrant, qui ipsius arcanis gloriantur, (proh in quos sermones incurrere cogor!) impuro, & nefario sanguine lauacrum extergit, initiationi nostræ execrabilem initiationem opponens, sus videlicet in cœno proluta, sicut est in prouerbio: manúsque suas prophanat, vt nimirum eas ab incruento sacrificio, per quod nos Christo, ipsiúsque passionibus & Diuinitati communicamus, elueret, ac repurgaret. Per incisiones autem & sacrificia imperialem aulam constituit, malis mali Imperij consiliarijs vtens.*

Vides execrandum Iuliani facinus, vt sacrum Baptismum impuro victimarum sanguine fœdauerit, & manus, quibus, pro veteri Christianorum more, Eucharistiam sumpturus, attrectabat, abominabili sacrificiorum cruore conspurcarit. Incisionibus, & sacrificiis aulam impio ritu initiauerit. Quid autem Gregorius per *incisiones* intelligat, Billius Scholiastes in hunc modum exponit: *Cyrillus lib.2.tom.3.comment.in Isaiam exponens hæc verba 15.cap.* iuxta LXX. Interpretes; *Erunt omnia brachia excisa: Plangendo, inquit, & lamentando: vel, quòd idolorum cultoribus solemne fuerit, Entomidas quas vocant, & incisiones, tum genis, tum brachiis inferre. Hæc ille. Qui hunc morem fortasse collegit ex eo quod scribitur 18.c.3. Regum de Sacerdotibus Baal. Atque ipse Gregorius infrà, hac eadem oratione moris fuisse Iuliano scribit euocandarum animarum causa pueros ac virgines incidere.* Hæc Billius. At ego potiùs crediderim de his incisionibus quando à summo pectore ad imum ventrem corpus humanum dissecabatur, extorum inspiciendorum gratia, quam de incisionibus genarum & brachiorum S.Gregorium locutum. Vnde Elias Cretensis in Comment. eiusdem orationis: *Quænam autem erant quæ per incisiones peragebantur? Excisis eorum qui mactabantur visceribus, quædam quæ ad diuinationem spectabant, significari existimabant. Atque hæ erant incisiones.* Ceterùm de publicis, & apertis impietatis ritibus, quibus Iulianus initia Imperij sui auspicatus est, pluribus agunt Socrates lib.3. c.1. Sozomenus lib.5.c.3. Paulus Diaconus lib. 11. Miscellæ cap.28. Nicephorus lib.10.cap.3.

Persecutionem autem in Christianos exercuit atrocissimam, de qua S.Gregorius Nazianz. in funebri oratione de Cæsario: *Furebat aduersum nos infandus Imperator: & cùm in seipsum primùm per Christianæ fidei repudiationem insanisset, iam aliis quoque intolerabilis erat, ne ceterorum quidem Christi hostium in modum magno animo impietatem profi-*

tens, verùm humanitatis obtentu persecutionem celans: atque instar flexuosi illius serpentis, qui ipsius animum obsidebat, omni machinarum genere in voraginem suam miseros callidè pertrahens. Ac ne eos honores qui Martyribus haberi solent, consequeremur, (hos enim Christianis vir egregius inuidebat) primum illius artificium hoc fuit, vt qui Christi causa patiebantur, tanquam sontes, & facinorosi cruciatu afficerentur. Altera, quòd huic rei non tyrannidis, sed persuasionis nomen imponebat: quo scilicet maior eorum infamia, quàm periculum esset, qui sponte ad impietatem se conferebant. Cúmque alios pecuniis, alios dignitatibus, alios promissis, alios variis honorum generibus (quos ne regiè quidem, sed per quàm seruiliter in omnium adspectu deferebat) omnes denique verborum præstigiis ac suo exemplo ad se alliceret, &c. Persequitur hæc ipsa quoque fusiùs, & accuratiùs sanctus Gregorius orat. 1. in Iulianum.

S. Chrysostomus oratione aduersus Gentes de S. Babyla: *Aliunde autem paruulis præliis & velitationibus nos petens Iulianus (aperto enim marte nos adoriri tum differebat) primùm atque præcipuè quòd persuasus planè esset, frustrà se id tentaturum: deinde quòd nullam nobis ansam relinquere volebat per quam martyrij corona redimi possemus. Ferre enim haud quaquam poterat, idque illi quauis calamitate indignius erat, si quis in medium productus pro veritate vel ad mortem vsque tormenta sustineret: vsque adeò ex animo inimicitias se nostras suscepisse declarabat. Nouerat enim, nouerat, inquam, apertè futurum, vt si id ipse attentasset, omnes pro Christi nomine suas animas proderent.* Et sermone in SS. Iuuentinum & Maximum: *Erat rex quidam etiam nostro æuo, omnes qui se præcesserunt, impietate vincens. Qui cùm videret res nostras martyrum morte clariores fieri, & ea causa non solùm viros, sed & teneros pueros, virgínésque nondum nubiles, & in summa ex omni sexu, & ætate quosdam pro religione ad mortem prosilire, cruciabatur, & dolebat: ceterùm mouere bellum manifestè nolebat: omnes enim, dicebat, ad martyrium quasi ad aluearium apes volabunt. Neque horti aquis irrigati ita germinant, & fœcundi sunt, vt Ecclesiæ, si martyrum irrigentur sanguine. Hæc omnia, atque plura cùm Rex ille sciret, meticulosior erat, quàm vt manifestè cum nostris confligeret. Non inquit, triumphos & victorias, & coronas mutuò parabimus.*

Rufinus lib. 1. hist. Eccles. c. 32. *Iulianus callidior ceteris persecutor, non vi, neque tormentis, sed præmiis, honoribus, blanditiis, persuasionibus maiorem penè populi partem, quàm si atrociter pulsasset, elisit.* Eadem Socrates lib. 3 c. 10 Sozomenus lib. 5 cap. 4. Nicephorus lib. 10. c. 4.

Ecclesias bonis & thesauris spoliabat, amaro adiecto ioco, se Christianos facere expeditiores ad cælum, quandoquidem in eorum Euangelio scriptum est, *Beatos esse pauperes spiritu, quoniam ipsorum esset regnum cælorum.* Ipse Epistola ad Esebolium Sophistam 45. *Equidem de Galilæis omnibus adeò clementer & humaniter statui, vt nemini vis inferatur, neque in templum trahatur, neque alia de re vlla prater voluntatem suam contumeliâ afficiatur. At qui sunt de Ecclesia Arianorum, luxuriantes opibus in Valentinianos inuaserunt, eáque apud Edessam perpetrarunt, qua nunquam in ciuitate benè instituta accidissent. Quare quod ipsis à lege admirabili (sic vocat Euangelium) imperatum est, quo facilius in regnum cælorum veniant, nos ad id hominibus opem tulimus, eorúmque pecunias omnes ab Edessenorum Ecclesia tolli iussimus, vt militi diuidantur, & facultates, vt nostris priuatis tribuantur: quò illi pauperes facti sapiant: neque regno cælesti, quod nunc etiam sperant, priuentur.* S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum: *Vt enim edicta ea præteream, quæ aduersus ædes sacras, tum publicè proponebantur, tum priuatim explebantur, & votiuorum donorum, ac pecuniarum expilationem non magis ab impietate, quàm ab auaritia manantem, & sacrorum vasculorum quæ profanis manibus petulanter & contumeliosè tractabantur, direptionem, &c.* Vide Socratem lib. 3. cap. 11. Sozomenum lib. 5. c. 5. Nicephorum lib. 10. cap. 5.

Edicto vetuit Christianos, Medicos, milites, Orates, & litterarum professores fieri. S. Chrysostomu serm in SS. Iuuentinum, & Maximum: *Vide, oro, malignitatem. Medicos, & milites, & Oratores omnes, vel à professionibus suis discedere, vel fidem suam abiurare iubet. Excitauitque in hunc modum contra nostros bellum, tela eminùs mittens, vt si à fide desisterent, ridiculè vincerentur, vt potè qui fidem opibus non præferrent: sin generosè perseuerarent, & vincerent, neque sic egregia foret victoria, neque insignis triumphus: nihil enim magnum, artem, vel professionem pro pietate contemnere.*

Militiam quidem Christianis interdictam à Iuliano, scribit etiam Rufinus lib. 1. cap. 32. *Militiæ cingulum non dari nisi immolantibus iubet.* Eadem Socrates lib. 3. cap. 11. Theodoretus lib. 3. cap. 7. Quòd verò ad Oratores, & scientiarum professores spectat, Ammianus Marcellinus lib. 22. c. 26. ait: *Illud autem inclemens obruendum perenni silentio, quòd arcebat docere Magistros Rhetoricos & Grammaticos ritus Christiani cultores.* Et lib. 25. c. 15. *Inter quæ erat illud inclemens quòd docere vetuit Magistros Rhetoricos & Grammaticos, Christianos, ne transirent à Numinum cultu.* Agit ea de re pluribus idem Iulianus epist. 42. Eunapius Sardianus in Proæresio, agens de Musonio Philosopho, inquit: *Idem Iuliano imperante excluſus à docendi munere quòd Christianus haberetur.* S. Hieronymus in Chronico: *Proæresius Sophista Athenienſis, lege data, ne Christiani Liberalium Artium Doctores essent, & sibi specialiter Iulianus concederet, vt Christianos doceret, scholam sponte deseruit* S. Augustinus 18. de ciuit. Dei cap. 52. *An ipse* Iulianus, *non est Ecclesiam persecutus, qui Christianos liberales litteras docere ac discere vetuit?* Orosius lib. 7. cap. 30. *Aperto tamen præcepit edicto, ne quis Christianus docendorum liberalium studiorum professor esset. Sed tamen sicut à maioribus nostris compertum habemus, omnes vbique propemodum præcepti conditiones amplexati officium, quàm fidem deserere maluerunt.*

Sanè S. Augustinus, vt vidimus, Rufinus lib. 1. c. 32. Socrates lib. 3. c. 10. Theodoretus lib. 3. c. 87. Sozomenus lib. 5 cap. 17. Zonaras tomo 3. Annalium, Nicephorus lib. 10. cap. 25. Acta S. Anthemij Martyris aperte affirmãt Christianis interdictum à Iuliano, non solùm ne docerent scientias liberales, sed neque etiam discerent. Baronius Annal. 4. anno Christi, 362. num. 189. & seqq. miratur hunc tantorum auctorum lapsum, cùm extet ipsum Iuliani edictum epist. 42. quo Christianos à docendo tantùm arcet, non addiscendo. Sed non dubito vtrumque eis fuisse prohibitum: nam ea truculentissima persecutione, tametsi edicta in speciem mitiora essent, re ipsa tamen dirissimè exequebantur. Certè S. Gregorius Nazianzenus cùm hanc Iuliani immanitatem proscindit, Orat. 1. hæc ait: *Vnde igitur*

igitur hoc tibi in mentem venit, homo omnium leuiſſime, & maximè inexplebilis, vt ſermonis & doctrinæ humanioris ſtudia Chriſtianis auferres ?

Ad hæc vetuiſſe Iulianum Chriſtianos, vllos in Republica gerere magiſtratus, S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in eundem tradit: *Conſtituebat Chriſtianos omni fiducia ſpoliare, eóſque ab omnibus rebus arcere, conciliis, foro, publicis cœtibus, ipſíque adeò tribunalibus. Neque enim fas eſſe quenquam his vti, qui aris antè poſitis thura non adoleuerit.* Rufinus lib. 1. cap. 32. *Procurationem prouinciarum, iuríſque dicendi Chriſtianis ſtatuit non debere committi, vt pote quibus etiam lex propria gladio vti vetuiſſet.* Eadem Socrates lib. 3. cap. 11. Sozomenus lib. 5. cap. 17. Nicephorus lib. 10. cap. 24.

Inſuper quoſcunque ſciret hæreticos, eiectos ab Eccleſia, hoſtes apertos, in exilium ob facinora pulſos, hos reuocabat, vt eo pacto incendia Eccleſiarum aleret, foueréque diſſidia S. Chryſoſtomus oratione in S. Babylam: *Vafer ille & callidus quos intelligebat ob peccatum aliquod Chriſtianorum conuentuum principibus pœnas dediſſe, & à præfectura quam gerebant, amotos, omnes liberos eſſe ſiuit: hoc modo peſſimis quibúſque licentiam largiens, Eccleſiæ leges ſubuertens, denique omnes inter ſe commiſcens: fore enim ſperabat, vt poſtea minori negotio debellarentur, ſi priùs bello inter ſe conflictati fuiſſent. Quin etiam quendam (huic Stephano nomen erat,) tum ob doctrinæ peruerſitatem, tum ob vitæ improbitatem ab Eccleſiaſtico principatu amotum, iubet de integro magiſterij ſedem occupare.* Eadem Sozomenus lib. 5. cap. 5. & Nicephorus lib. 10. cap. 5.

Flagrauit impius parabata immortali odio in crucem Chriſti: cuius hæc ſunt verba apud S. Cyrillum lib. 6. in Iulianum: *O miſeri homines, cùm ſeruentur arma, quæ magnus demiſit Iupiter,* (nimirum ancilia) *hoc eſt, pater Martis, pignore dato, non verbo, ſed re, quòd ciuitatem vëſtram perpetuò protecturus ſit, ceſſatis adorare, & colere: & interim Crucis lignum adoratis, imagines illius in fronte, & ante domos pingentes. Igitur dignè quis veſtros prudentiores odio habebit, vel miſericordia dignabitur imprudentiores, qui vos ſequentes in eam perueniunt calamitatem, vt etiam relictis æternis diis, ad mortuum Iudæum tranſeant.* Hæc blaſphemus. Vnde nihil mirum quòd de eo hæc prodiderit Suidas: *In Milio,* (locus eſt Conſtantinopoli) *cum quatuor igneis equis currus volitans fuit iuxta duas columnas ab antiquis temporibus. Cùm autẽ is currus in Hippodromum delatus eſſet, ſigillum nouum à Conſtantino eſt paratum, quod à Sole ferretur: fortuna vrbis in os ingrediebatur, & coronatum exibat. Collocabatur autem in Senatu vſque ad natalem vrbis. Sed quia in capite illius Crucem ſculpſerat Conſtantinus: Iulianus id in foſſa obruit.*

Chriſtianos per contumelias Galilæos appellari iuſſit. S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum: *Atque illud ſanè perquàm iuuenile, & leue, atque ne vllo quidem alio homine, vel mediocri animi grauitate prædito, nedum Imperatore dignum, quòd ſimul cum nominis mutatione, animorum quoque noſtrorum mutationem ſecuturam eſſe arbitratus, aut certè nobis id pudori fore, quaſi turpiſſimi cuiuſdam criminis accuſatos, nouandum nobis cognomentum cenſuit, Galilæos pro Chriſtianis nominans, atque vt ita vocaremur publica lege decernens. Ex quo perſpicuè oſtendit Chriſti appellationem perhonorificam eſſe, maximique ad gloriam momenti, quoniam eam nobis eripere cogitauit. Niſi fortaſſè hoc ea ratione fecit, quòd huiuſce nominis vim & poteſtatem inſtar Dæmonum reformidaret: ac proinde ad alterum nomen minùs notum, & vulgare tranſierit.*

Sanctus Chryſoſtomus orat. aduerſus Genges; *Atque adeò Chriſtianum nomen tunc vt extingueretur, quoad eius poterat, elaborabat, Galilæos pro Chriſtianis nos in edictis ſuis tum ipſe appellans, tum principes, vt idem facitarent, adhortans.* Eadem habent Rufinus lib. 1. cap. 35. Theodoretus lib. 3. cap. 7. & 18. Sozomenus lib. 5. cap. 4. Paulus Diaconus, Miſcellæ lib. 11. cap. 33. Nicephorus lib. 10. cap. 4.

Scripſit ex profeſſo libros contra Chriſtianam Religionem, de quibus Libanius Sophiſta apud Socratem lib. 3. hiſt. cap. 19. hæc prodit: *Hyeme cùm noctes ſunt paulo longiores, Imperator libros illos qui hominem à Palæſtina oriundum Deum & Dei filium eſſe confirmant, diligenter euoluens, longa diſputatione, & firmis argumentis conuincebat eſſe ridiculos: religionémque ab illis excultam, & magno in honore habitam, nugis redundare. Et ſe in illis Tyrio illo ſene* (Porphyrio) *ſapientiorem oſtendit. Igitur Tyrius ille ſit animo placato, & dicendi facultate ſuperatus, æquo animo ferat, quod in eum dictum à filio.* Eadem referuntur apud Nicephorum lib. 10. cap. 36. Sed vaniſſimi ſophiſtæ deliria Socrates egregiè confutauit. S. Hieronymus epiſt. 84. ad Magnum Oratorem: *Iulianus Auguſtus ſeptem libros in expeditione Parthica aduerſus Chriſtum euomuit: & iuxta fabulas poëtarum ſuo ſe enſe laceraui.* S. Cyrillus Præfatione lib. orum in Iulianum: *Cùm igitur potentiſſimus Iulianus linguam ſortitus eſſet diſertam, acuit eam contra noſtri omnium Dominum Saluatorem Chriſtum, & tres ſcripſit libros aduerſus ſancta Euangelia, & contra piam Chriſtianorum religionem, quibus multos commouit, & haud mediocriter offendit: etenim leues, faciléſque mobiles in eius laqueos citò cadunt, ſiúntque Dæmoniis dulcis eſca. Turbantur autem interim nonnihil etiam ij qui in fide profecerunt: credunt enim ipſum ſanctas diuinas litteras noſſe, quandoquidem ex ipſis varia teſtimonia in libris ſuis accumulat, quamuis ignoret quæ dicat.* Et ſanè idem S. Cyrillus præclaros decem libros edidit, quibus Iuliani obiecta in Chriſtianam religionem mirabiliter diſiecit.

Profecturus in expeditionem Perſicam, impium in Chriſtianos concepit votum, de quo S. Gregorius Naziãzenus orat. 2. in Iulianum: *Porrò votiua victima, quàm magna, quàm eximia! ô Chriſte, & Verbum, & impatibilis paſſionis, totiúſque orbis myſtèrium! Vniuerſam Chriſtianorum gentem Dæmonibus ſiſtere ac ſubijcere, ſi propoſiti compos exiſteret.* S. Hieronymus in Chronico: *Iulianus in Perſas profectus, noſtrum poſt victoriam diis ſanguinem vouerat.* S. Chryſoſtomus orat. aduerſus Gentes: *Idem Iulianus contra Perſas bellum ſuſcepturus, tanto cum faſtu cùm deſcendiſſet, vt ſi omnem barbarorum gentem deleturus eſſet: identidem nobis comminabatur cùm diceret, omnes ſe poſt ſuum à Perſis reditum funditus perditurum. Hoc enim bellum ſibi eſſe Perſico grauius, atque adeo oportere minore illo confecto, tum demum ad hoc quod maius foret, deſcendere. Et hæc quidem nobis nunciabant, qui illis à conciliis erant.* Oroſius lib. 7. c. 30. *Iulianus autem bellum aduerſus Parthos parans, cùm Romanas vires contractas vndi-*

que ad destinatam secum traheret perditionem, Christianorum sanguinem diis suis vouit, palam persecuturus Ecclesias, si victoriam potuisset adipisci. Nam & amphitheatrum Ierosolymis extrui iussit, in qua reuersus à Parthis, Episcopos, Monachos, omnésque eius loci sanctos bestiis etiam arte sauioribus obiiceret, spectarétque laniandos. Addit Theodoretus lib. 3. c.18. *Atque Oraculorum commentis fidem adiungens, minabatur se in Ecclesiis Christianorum Lasciuæ Deæ simulachrum collocaturum.* Quid etiam minatus fuerit maximo & diuinissimo templo Constantinopolitano, Cedrenus in Annalibus ita prodidit: *Id templum cùm Iulianus postmodum vidisset, dixit: Iam templum habent Christiani: sed ego vbi à Persico bello rediero, medium eius fœno reponendo, partes ab vtroque latere stabulum equorum parabo, vt videam vbinam spem suam collocent.*

Non esset finis si omnia atrocia, truculenta, & dicta & facta Iuliani in Christianam religionem percensenda essent: memorabimus alia deinceps in hoc opere suis locis.

Arius Hæresiarcha.

CAP. XIX.

PRimordia huius cùm adhuc Diaconus Alexandriæ esset, & schisma Meletij sectaretur, ob idque ab Ecclesia à S.Petro Episcopo Alexandrino pulsus fuisset, atque pro eo intercederent Achillas, & Alexander sanctissimi presbyteri; idem S. Petrus diuina reuelatione, vt in actis Martyrij eius extat, edoctus, explicatè exposuit. Sic enim Acta referunt: *Paululum eos Petrus segregauit à cæteris, & clauso eorum sermone, dixit ad eos: Nolite me, fratres, tanquam inhumanum ac rigidum accipere: reuera enim & ego homo sum sub lege peccati degens, sed credite meis sermonibus: Latens est Arij dolus, omnem supergreditur impietatem. Et hoc non à me ipso afferens, eius sancio segregationē. Hac enim nocte dum solemniter preces ad Dominum funderem, adstitit mihi quidā puer quasi duodecim annorum, cuius faciei claritatem ferre non poterā: nam tota hæc cella in qua stamus, immenso lumine radiabat. Ipse autem linostimum erat indutus cōlobium, scissum in partes, vtrasque à collo vsque ad pedes; tenénsque gemina manu colobij scissuras, applicabat eas pectori suo, quatenus propriam tegeret nuditatem. Ad hanc quidem visionem ego miratus obstupui: mox vbi data est mihi loquendi facultas, exclamans dixi: Domine, quis scidit tibi indumentum? Et ille: Arius mihi scidit: sed præcaue omninò ne eum in communionem recipias. Ecce enim crastina die venturi sunt qui te pro eo postulabunt: vide ne suscipias, acquiescens illis: quin potiùs iubeto Achillæ, & pariter Alexandro presbyteris, qui post tuum exitum recturi sunt Ecclesiam meam, ne aliquatenus illum recipiant. Tu autem futurus es martyr, mortem velociùs expleturus.* Profecto mirabilis hæc visio non tantùm præsens tunc Arij schisma, sed etiam futuram mox eius horrendam hæresim præsignificauit.

Ambitione immensa præcipitatum Arium in impietatis barathrum Rufinus lib.1. hist. c.1. ita scribit: *Presbyter quidam apud Alexandriam Arius nomine, vir specie & forma magis quàm virtute religiosus: sed gloriæ laudisque & nouitatis improbè cupidus, praua quædam de fide Christi proferre, & quæ anteà in quæstionem nunquam venerant, cœpit: abscindere ac separare ab illa æterna & ineffabili Dei Patris substantia vel natura Filium conabatur.*

Theodoretus lib.1. hist. c.2. *Arius qui in numerum presbyterorum adscriptus erat, cuique sacrarum litterarum interpretatio concredita, cùm videret Alexandrum ad Episcopatus gubernacula designatum, inuidiæ flammam quæ incendebatur, minime reprimere, sed ea vehementius inflammatus materiam contentionis & discordiæ in dies aucupari laborauit. Ac tametsi in præstabilem, eximiámque Alexandri viuendi rationem aciem acriter intendendo, nihil ad falsam criminationem contra eum confingendam potuit omnino reperire: tamen æstus inuidiæ eum quiescere non siuit. Istum igitur cùm hostis veritatis Diabolus nactus esset, eius conatibus Ecclesiam procellis miscere, exagitaréque instituit. Nam persuasit illi, vt Apostolicæ Alexandri doctrinæ apertè resisteret. Itaque vt Alexander sacrarum litterarum disciplinæ obsecutus, Filium Patri honore parem, eandémque habere cum Genitore substantiam docuit: sic Arius palam contra veritatem pugnans, eum creatum & factum affirmauit. Quin etiam adiecit, tempus aliquando fuisse cùm non erat.* Et cap.3. *Alexander Alexandriæ Episcopus cùm videret Arium ambitionis æstu incensum furere, & eos quos pestifera in Deum blasphemia irretierat, in vnum cogere, conuentus præterea separatim celebrare, eius impiam blasphemiam Ecclesiarum Præsidibus per epistolas significauit.* Eadem habet lib.4. hæreticarum Fabularum cap.1. Nicephorus lib.8.cap.5. Nicetas Choniata lib.5. Thesauri Fidei Orthodoxæ cap.2.

De Arij forma, & habitu S.Epiphanius hæresi 69. hæc tradit: *Erat autem statura valde longus, subtristi specie, figuratus velut dolosus serpens, qui decipere posset omne innocens cor per versutum suum prætextum. Dimidium enim pallium hic semper indutus & stolam, dulcis erat in colloquio persuadens semper animas ac blandiens.* Nicetas: *Cæterùm Arius hic procera statura, vultu subtristi & obstipo, seu in terram demisso erat: semitoga, & colobio vtebatur. Sermo illi blandus erat, & qui audientium animos miro cum lenocinio subiret.* Subdit illico S Epiphanius: *Quapropter valdè citò septingentas virginitatem professas in vnum contraxit. Et fama est, ipsum etiam Presbyteros septem, & Diaconos duodecim a straxisse: & venenum ipsius statim vsque ad Episcopos peruenit: Secundum enim Pentapolis Episcopum, & alios persuasit, vt simul cum ipso abducerentur.*

Quod ad virgines autem ab Ario in hæresim illectas spectat, S.Alexander Episcopus Alexandrinus in epistola ad S. Alexandrum Byzantij Episcopum, apud Theodoretum lib.1. hist.cap.4. hæc de illis refert: *Seditiones porrò in nos quotidie concitare, graues ciere persecutiones, & interdum lites per mulierc ularum impurarum sermones, quas ipsi (Ariani) in fraudem impulerunt, intendere. Nonnunquam religionem Christianam, suas tenellas meretriculas per singulas plateas turpiter circumducentes, grauissimis contumeliis afficere.*

Arij hæresim multò antè fuisse à Sibylla Erythræa prænunciatam Constantinus Imperator epist. ad Arium testatur è Græco conuersa à Petro Morino, edita à Baronio Annal.3. anno Christi 319. *Tu verò Deus qui omnium curam habes, propitius esto sermoni, si fidem teneat. Ego enim homo tuus ô misericors, qui prouidentia tua defendor, ac è Græcorum, Latinorúmque vetustissimis scriptis insaniam Arij apertè demonstrabo ante tria millia circiter annorum ab Erythræa præsignificatam ac prædictam: sic enim fata est: Va tibi Libya in maritimis posita*

posita locis : tibi enim veniet tempus , quo vnà cum populis ac filiabus tuis graue certamen,& crudele,& perdifficile subire cogeris,ex quo fidei pietatisque iudicium in omnes dimanabit. Tu verò ad extremum vergis exitium : vos enim cælestium florum receptaculum conuellere, morsúque dilacerare ausi estis, atque adeò ferreis dentibus temeratis. Quid igitur versutissime, vbi nunc terrarum esse te fateris ? Vbi videlicet ? Tuas enim habeo litteras , quas ad me insano calamo exarasti , quibus affirmas omnem Libyæ populum tibi ad salutem scilicet assentiri. Sin hæc ita esse negabis, Deum iam testor , me quidem vetustissimos Erythræ pugillares Græca lingua scriptos Alexandriam mittere,quo citiùs pereas.

Conscripsit Arius librum impurissimum & turpissimum Thaleiæ nomine,ad imitationem Sotadis Aegypty poëtæ obscœnissimi , de quo S.Athanasius disp.2. aduersus Arianos : Pro Mose item & aliis sanctis, nescio quis Sotades reperitur,homo etiam apud Ethnicos ridiculus,& filia Herodiadis : huius enim fractos & effœminatos mores Arius in scribendo repræsentat, & ipse eius liber Thaleia,hoc est,conuiuialium nomine inscriptus,istius puellæ saltationem æmulatur, choreas ductitans,& blasphemiis in Christum lusitans. Et de sententia Dionysij Episcopi Alexandrini, aduersus Arianos, de Ario inquit : *Cùm ille nouæ hæreseos inuentor , ac deprauati animi index, hæresimque Thaleia effœminatis ridiculisque numeris,ad similitudinem Ægyptij Sotadæ conscripta in lucem promulgarit.* Et Epistola de synodis Arimini, & Seleuciæ celebratis de Ario : *Qui in Thaleia neminem prudentium imitatus,nisi solum Ægyptium Sotadem, ad eius indolem, & mollitiem numerorum multa conscripsit.* Et multò fusiùs disp.2. in Arianos: *Quomodo de numero Catholicæ Ecclesiæ habeantur , qui Apostolicam fidem excusserunt , & nouarum pestium inuentores se præbent ? Qui relictis Christi eloquiis Thaleias Arij, hoc est crapulas , titulo nouæ sapientiæ cohonestant,ac bono iure eum titulum vsurpant:nouam enim hæresim annuntiant. Quapropter non sine admiratione est , nusquam in multis multorum operibus & sermonibus tum in Vetus , tum in Nouum Testamentum conscriptis , inter titulos librorum Thaleias, hoc est crapularum nomen reperiri : imò nec apud Ethnicos quidem frugi & temperantes : sed apud istos duntaxat , qui istiusmodi res inter pocula ad risum captandum per plausum , iocum, lasciuiámque decantant. At eximius ille Arius , cùm nihil aut sanctum, aut graue imitandum desumeret;securus,negligénsque istiusmodi probitatis , depeculatis aliorum hæresibus, æmulum se in ridiculis vni Sotadæ præbuit. Quid enim aliud congruum illi,qui Christo Saluatori choreis suis insultare voluit , quàm vt miseras dictiunculas impietatis suæ , metris dissolutioribus,& elumbatioribus insonaret : vt quemadmodum Sapientia loquitur, ex eloquio verborum cognoscitur vir : ita quoque ex illis Sotadicis numeris animi eius effœminatio,& mentis putrilago deprehenditur.* Et post alia : *Fucatus & Sotadicus Arius simulat se quidem de Deo loqui, cùm interponat verba sacrarum litterarum ; deprehenditur tamen vndequaque atheos,dum Filium negat, & illum rebus conditis annumerat. Tale igitur exordium crapularum Arij, & vaniloquentiæ,moribus,numerisque effœminatum inuenies.*

Ceterùm Arij Thaleiam à Constantino Imperatore legi vetitam,& vbicunque inueniri posset, igni cremari iussam produnt Sozomenus lib.1. c.20. & Nicephorus lib.3.cap.18. sed de Sotade, eiúsque carminibus, vt eum noscas; hæc accipe: Strabo lib.14.Geographiæ: *Primus auctor Cinædici sermonis fuit Sotades. Eum secutus est Alexander Aetolus.* Athæneus lib.14.cap.4.*Ionico sermone Sotadis carmina in publicum prodierunt , & ante illum quæ Ionica dicebantur, & quæ ab Alexandro Aetolo, Pyrete Milesio,Alexe, & aliis eiusmodi poëtis edita sunt. Alexen Cinædologon vocant. In eo carminis genere floruit Sotades Maronites , vt ait tum Carystius Pergamenus in opere suo de Sotade , tum Apollonius Sotadis filius , qui librum scripsit de patris poëmatibus : è quo perspicitur importuna Sotadis in maledicendo libertas,qui Lysimachum Regem in Alexadriâ probris incesserit,& apud Lysimachum, Ptolemæum Philadelphũ,& alios reges in aliis ciuitatibus. Quamobrem meritas pœnas luit. Nam , vt refert Hegesander in Commentariis , cùm nauem iam soluisset ex Alexandria, & tutus à periculo videretur, ipsum occiderunt,quoniam in Ptolemæum insolentissimè debacchatus , Arsinoës potissimum sororis sic exprobrasset nuptias :*

Nefandum stimulo foramen pertundis.

Patroclus igitur vnus ex Ptolemæi ducibus in insula Cauno, eum captum, & in amphoram plumbeam coniectum in altum euexit,ac demersit. In Philenum Theodori patrem stilum acerbè distrinxit. Talia fuerunt eius carmina :

Foramen viæ posterioris angustiæ vbi detexit,
Ex frondosa valle ingentem clauam exprompsit,
Qualem arator senex laxat bos.

Hactenus Athenæus. Sed tu Christiane lector exhorre tam abominandam fœditatem vel legere vel audire.

Plutarchus tamen turpissimi nebulonis interitum aliter narrat lib.de educandis liberis : *Quum Ptolemæus Philadelphus sororem suam Arsinoem in vxorem duxisset , Sotades dixit : In non sanctum foramen trudis aculeum. Quo dicto , in vincula coniectus , multo tempore putridus intabuit : & intempestiuæ dicacitatis* haud *indignas vtique pœnas dedit : qui vt aliis risum moueret,in diuturnos collapsus est luctus.* Suidas : *Sotades Cretensis , Maronita.* Ita interpres Hieronymus Vvolfius; Giraldus verò,insania, vel furore agitatus. Græcè. *Dæmoniasthes à Dæmonio vexatus , Iambographus scripsit Phlyacas, siue Cinados lingua Ionica,vt Athenæus ait in Deipnosophistis.* Martialis lib.2. Epigrammate in Classicum :

Quod nec carmine glorior supino,
Nec retro lego Sotadem cinædum :
Non sum,Classice,tam malus poëta.

S. Athanasius Sotadem,Ægyptium ; Athenæus Maronitem, Suidas Cretensem Maronitam facit. Nodum non dissoluo. Maronea vrbs Thraciæ Plinio lib.4. c. 11. Pomponio Mela lib.2. cap.2. Ptolemæo lib.3.cap.11.Maronia item vrbs Syriæ in Chalcidice,Ptolemæo lib.5. cap.15. At de Sotade,& carmine Sotadæo, vel Sotadico plura Lilius Gyraldus Dialogo 9. de Poëtis , Ludouicus Viues in 17. de Ciuitate Dei cap.15.

Quam atrocia & ingentia mala Arij hæresis in Christianum orbem inuexerit , in diuina visione Antonio Magno ostensum fuit , quam S.Athanasius in eius Vita ita describit : *Lamentabilis sequitur visio,& omni lacrymarum fonte plangenda : cùm enim cum fratribus circa se considentibus operaretur, intentè fixit oculos in cælum,gemens, atque suspirans: & post aliquantum spatium reuelationis incœptæ , nimio dolore contremuit , & statim fixis genibus ante Dei vultum prouolutus orauit, vt clementia sua futurum scelus auerteret. Succedunt orationi lacrymæ, metus ingens inuadit præsentes , obsecrant vt tantæ*

calamitatis exponeret visionem. Singultus occupant vocem, lingua fletibus præpedietur, & in medio conatu sermo gemitu interrumpitur. Vix tamen cum vociferatione fluctuosa ait: Melius erat, ô Filioli, impendens periculum citâ morte lucrari: sic incipiens, rursum lacrymis vincitur, & inter ægra suspiria, tandem pectori commodans vocem: Magnum, inquit, quoddam, & vniuersis saculis inauditum imminet nefas: magno Fides Catholica turbine subuertetur, & homines iumentis similes Christi sancta diripient. Vidi enim altare Domini mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Hæc est causa gemituum meorum quos audistis, & facta est vox Domini, dicens: Abominabitur altare meum. Nec mora, visionem sequitur effectus. Nam post annos duos sæua Arianorum irrupit insania. Tunc Ecclesiarum fuerunt rapinæ, tunc diuinorum temeratio vasorum, tunc pollutis Ethnicorum manibus sacra polluta sunt ministeria, tunc paganorum opificum præsidia aduersus Christum comparata, cum assumptione palmarum quod Idololatriæ apud Alexandrinos insigne est, ad Ecclesiam pergere compelluntur Christiani, vt Arianorum populi crederentur. Proh scelus! horret animus replicare quæ gesta sunt. Virginum, matronarúmque ereptus pudor, sanguis ouium Christi in Christi templo effusus veneranda respersit altaria: Baptisterium pro voluntate Gentilium pollutũ est. Nihil defuit, visionis veritatem monstrauit effectus, quòd calcitrantium mulorum indisciplinatio Arianorum esset impietas. Hactenus S. Athanasius. Meminêre quoque eiusdem S. Antonij visionis S. Chrysostomus homil. 8. in Matthæum, Sozomenus lib. 6. cap. 5. Nicephorus lib. 10. c. 48.

Mira planè sunt & horrenda quæ S. Athanasius epist. ad Orthodoxos, & epist. ad solitariam vitam agentes, perscribit de sæuissima persecutione Ecclesiæ Alexandrinæ à Gregorio Ariano pseudo-episcopo, iussu Constantij Imperatoris, per Philagrium Ægypti Præfectum, & Arsacium eunuchum illata: de qua etiam Theodoretus lib. 2. hist. c. 4. & Sozomenus lib. 3. c. 5. Rursus & illa, quæ idem S. Athanasius de alia truculentiori eiusdem Alexandrinæ Ecclesiæ pressura tempore Georgij, qui post præfatum Gregorium Episcopatum eiusdem Ecclesiæ rapuerat, auctore Constantio per Syrianum Ducem, Heraclium Comitem, Cataphronium Ægypti præfectum, Faustinum Bythinum, Sebastianum Ducem excitatâ, lamentabili historia prosecutus est, Epistola ad solitarios, & Apologia ad Constantium, item Apologia de fuga sua. Quæ quoque magna ex parte litteris mandarunt Socrates lib. 2. cap. 23. Theodoretus lib. 2. cap. 13. & 14. Sozomenus lib. 4. cap. 9. & 29. Nicephorus lib. 9. c. 29.

Funestissima planè fuerunt tempora illa Ariminensis Concilij, quando, vt S. Hieronymus Dialogo aduersus Luciferianos, ait: *Tunc vsiæ nomen abolitum est, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est:* Lugubres sanè ac deplorandi Ecclesiæ casus tunc extitere: quos S. Hieronymus ibidem, Seuerus Sulpitius lib. 2. sacræ Hist. Rufinus lib. 1. cap. 22. Socrates lib. 2. cap. 29. Theodoretus lib. 2. cap. 18. & seqq. Sozomenus lib. 4. cap. 16. 17. 18. Nicephorus lib. 9. cap. 39. 40. 41. & ante omnes egregiè S. Athanasius epist. ad Africanos prodiderunt.

Quàm graues & intolerabiles Ecclesiæ fuerint Constantij, & Valentis Arianorũ principum persecutiones, suo loco abundè dicemus, vbi etiam & de Vvandalica persecutione memorabimus: vt meritò S. Hieronymus in 3. cap. ad Galatas dicere potuerit: *Arius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.*

Atqui quæ hactenus diximus, & multa alia quæ magnis auctoribus prodita præterimus, facilè euincunt Arium insignem fuisse Antichristi anteambulonem. S. Alexander Episcopus Alexandrinus epist. ad Orthodoxos, apud Socratem lib. 1. Hist. cap. 3. de Ariana hæresi inquit: *In nostra quidem prouincia prodierunt iam viri qui leges rescindunt, Christum ipsum impugnant, animos hominum ad defectionem, quæ quidem præuntia, & quasi præcursor Antichristi non sine causa & existimari, & appellari possit, docere nituntur.* S. Athanasius in vita S. Antonij: *Alexandriam descendit, ibique Arianos publico sermone condemnauit: Vltimam hanc esse hæresim, & præcursorem Antichristi affirmans.* Idem S. Athanasius Epistola ad Solitarios: *Quis igitur cùm ista fiant, cùm impietas tantam impudentiam sibi vendicet, ausit iam inde Constantium hominem Christianum appellare? Ac non potius Antichristi imaginem esse? Quid enim ex notis Antichristi huic deest? Aut quid est cur non omnibus modis Constantius Antichristus, & vicissim Antichristus Constantius habeatur?* Lucifer Calaritanus Episcopus lib. de non parcendo in Deum delinquentibus, ita Constantium compellat: *Vtique probas te aut esse Antichristum, aut certè eius præcursorem. Neque enim poteris alius esse intelligi, nisi aut præcursor Antichristi, aut Antichristus.* Et post pauca: *Non minor es Constanti, incredulitate ab Antichristo: nam dentibus ferreis Dei seruos deuorando non desinis. Quid pluribus? Nihil Antichristus acturus est, nisi vt negetur vnicus Dei filius: hoc agit stultitia saginatus immundissimus animus tuus.*

S. Hilarius lib. contra Constantium iam vitâ functum: *At nunc pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum.* Et post alia: *Sed temerarium me fortè quisquam putabit, quia dicam Constantium Antichristum esse.* Et inferiùs: *Christi nouus hostis es, Antichristum præuenis & arcanorum mysteria eius operaris.*

Romanum Pontificem, aut Pontificatum non esse Antichristum, nec Antichristi præcursorem.

CAP. XX.

VEtus hæc iam vox fuit omnium fermè Romanæ Ecclesiæ hostium, Romanum Pontificem vel Antichristum, vel Antichristi præcursorem esse. Lutherus, & qui post illum exorti sunt hæretici ad hanc vsque diem, ferè omnes summo consensu id ipsum affirmant. Si cupis huius delirij auctores, & sectatores cùm veteres tum recentioris scire, (nam pudet eos hîç percensere.) Vide Sanderum lib. 8. de visibili Ecclesiæ Monarchia, Bellarminum lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 1. Iodoccum Coccium tom. 1. Thesauri Catholici, lib. 7. ar. 6. & artic. 17. Martinum Becanum lib. de Antichristo reformato, Leonardum Lessium disp. de Antichristo, Franciscum Suarez in defensione fidei Catholicæ aduersus errores Anglicanæ

Anglicanæ sectæ lib.5. Florimundum Raymundum lib.de Antichristo,Ieremiam Ferrerium lib. de Antichristo, qui plures enumerant.Sed & in Classica Bibliotheca Georgij Draudij Nouantis, tit.de Antichristo, non pauci & Protestantes & Caluiniani referuntur, qui tractatus de Antichristo contra Romanam Ecclesiam composuerunt. Egregiè sanè quasi in infami materiâ neruos omnes ingenij & studij intenderunt. Extat Annal.10. Baronij, anno Christi 992. inuectiua atrox Gerberti Rhemensis Episcopi in Romanam Ecclesiam, quæ argumentum & copiam posterioribus perduellibus abundè suppeditauit, vt in Romanum Pontificatum essent extremè maledici. Vvilhelmus Aurifaber,teste Cæsario,dialog. 5.cap.22.dicebat quia Papa esset Antichristus, & Roma Babylon.

Atqui in hac causa ipse nec verbum addam, quòd eam pro parte, & fide Orthodoxâ egregiè confecerint præclari scriptores non pauci: & inter alios Sanderus,Bellarminus, Florimundus,Becanus,Lessius,Hagerus,Suarez,Andreas Eudæmo-Ioannis,Ioannes Gibonus, Ferrerius, & alij. Et ex toto hoc nostro opere, quo res Antichristi solidè omni probationum genere demonstramus, luce meridiana fulgentiùs appareat, Papam non esse Antichristum. Ergo nouatores contendunt Romanum Pontificem ipsissimum esse Antichristum: aliáque eiusmodi probra in eum coniiciunt: sed age iam honorum laudúmque digniſſimos titulos, quibus Græci, & Latini Patres per omnia fundatæ Ecclesiæ tempora Romanum Pontificem semper exornarunt,breuiter percurramus.

Canon. 39. Concilij Nicæni. 1. ex his qui ex Arabico conuersi, editi sunt à Francisco Turriano: *Ille qui tenet sedem Romæ,caput & princeps est omnium Patriarcharum. Vt qui sit Vicarius Christi Domini nostri super vniuersam Ecclesiam Christianam.*

Maximianus Constantinopolitanus Episcopus Epistola ad Orientales: *Omnes Catholici veram fidem confitentes, in potestate Romanorum Pontificum tanquam in solem respiciunt: & ex ipsa lumen Catholicæ & Apostolicæ fidei recipiunt.*

Theodoretus epist. ad S.Leonem Papam: *Ad solium Apostolicum accurremus: siquidem vobis conuenit in omnibus rebus primas tenere: vestra enim sedes multis prærogatiuis ornata est:* Et Epistola ad Renatum Presbyterum: *Tenet enim sancta ista sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum,cùm propter alia, tum quia semper hæretici fœtoris expers mansit: nec vllus vnquam qui contrarium sentiret, in ea sedit: quin potius Apostolicam gratiam puram custodiuit.*

Valentinianus Imperator epist.ad Theodosium Imperatorem,quæ extat ante Concilium Chalcedonense: *Quatenus beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat & facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare.*

Concilium Chalcedonense actione 1. *Beatissimi atque Apostolici viri Papæ vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus.* Et actione 16. in relatione ad S. Leonem Papam: *Contra ipsum, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, Dioscorus extendit insaniam, id est, contra tuam Apostolicam Sanctitatem.*

Archimandritæ & Monachi secundæ Syriæ epistola ad Hormisdam Papam: *Sanctissimo & Beatissimo vniuersi orbis terræ Patriarchæ Hormisdæ, Continenti Sedem Principis Apostolorum Petri.* Extat inter Epistolas S.Hormisdæ.

Martianus Monachus Epistola ad Agapetum Papam: *Domino nostro sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo antiquæ Romæ,& Oecumenico Patriarchæ Agapeto, Martianus,&c.* Habetur in synodo. 2. Constantinopolitana actione 1.

Iustinianus Imperator Epistola ad Ioannem Romanum Pontificem: *Reddentes honorem Apostolicæ Sedi,& vestræ Sanctitati. Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus epistola ad Stephanum Episcopum: Ad Apostolicam Sedem, vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt.*

Sergius Cyprius epist. ad Theodorum Papam: *Sanctissimo, & beatissimo, à Deo honorabili, Domino meo,Patri Patrum, Archiepiscopo, & Vniuersali Papæ,Domino Theodoro. Sergius humilis in Domino salutem. Firmamentum à Deo fixum,firmum,& immobile, atque tituli formam Lucidissimam fidei vestræ Apostolicam fidem constituit. O sacer Vertex, Christus Deus noster. Tu profanarum hæreseon depositor existis, vt princeps & Doctor Orthodoxæ Fidei.*

Ioannes Constantinopolitanus Episcopus epist. ad Constantinum Papam: *Vos caput Sacerdotij secundùm Christum reputamus.*

Tharasius Episcopus Constantinopolitanus Actione 2. Synodi Nicænæ II. *Adrianus veteris Romæ Primas, & testatorum principum.* (Petri & Pauli) *successor.*

S.Theodorus Studites epist.ad Paschalem Romanum Pontificem: *Audi Apostolicum caput, Pastor ouium Christi, à Deo electe, clauiger regni cælorum, petra fidei, super quam ædificata est Ecclesia Catholica.*

De Ioanne Alexandrino Episcopo tempore Eugenij IV. Iacobus Nauarchus in epist. Asiaticâ hæc scribit: *Ioannes Alexandrinus Patriarcha Pontificem Romanum Sacerdotij perfectionem & omnium Ecclesiarum Apostolicum pastorem vocat, Sacerdotum principem.*

Gennadius Sholarius de primatu Papæ cap.16. *Pontifex Romanus est Petri successor,& vicarius Saluatoris nostri Iesu Christi.*

Leonardus Chiensis Episcopus Mithylinæus, de vrbis Constantinopolis iactura ad Nicolaum V. *Pater beatissime, qui vices Christi geris in terris.*

Petrus Patriarcha Maronitarum in monte Libano Epistola ad Leonem X. *Gratias Deo reuerenter agimus sub mundissimis pedibus patris nostri sanctissimi Christi vicarij, & Domini nostri Leonis X. qui vices beati Petri gerit in terris,sedétque super sedem Apostolicam.*

Moses Mardenus Assyrius in professione fidei, nomine Patriarchæ Antiocheni facta Romæ anno 2552. *Obtestor Patrem Patrum, & pastorem pastorum, benedictionem vniuersæ Reipublicæ Christianæ,portantem claues regni,fontem ex quo profluit suauitas,Pontificem Iulium III.*

Nestoriani in Seleucia Parthorum epistola ad Romanum Pontificem: *Patri Patrum, & pastori maximo,concinnanti mithras,vngentique Sacerdotes, & cingenti zonis,Petro temporis nostri,& Paulo dierum nostrorum, & singulo comprehendenti vniuersum cœtum Christianorum, qui es loco Christi Domini nostri: tu sedes in sede alta & sublimi Principis Apostolorum.*

Gabriel Patriarcha Alexandrinus epist.ad Clementem VIII. edita à Baronio ad finem annal.6.

Patri

Patri Domino, Patrum Patri, Patriarcharum principi, vertiodecimo Apostolorum glorioſi Domini noſtri Ieſu Chriſti, & quinto Sanctorum Euangeliſtarum, ſancti Petri Apoſtoli ſucceſſori, Petræ fidei, ſuper eius Cathedra in magna Roma ſedenti : Tu enim ſucceſſor es Petri, Pater noſter, & Dominus noſter, atque corona capitis noſtri, Dominus Papa Clemens. VIII.

Hypatius Protothronius Vvlodimirienſis Epiſcopus in Profeſſione Fidei coram Clemente VIII. facta nomine totius Eccleſiæ & nationis Ruthenorum : *Credo Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ſucceſſorem eſſe beati Petri principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiúſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere : & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Edidit Baronius ad finem Annal. 7.

Dauid Æthiopiæ Imperator epiſt. ad Romanum Pontificem Clementem VII. ſcripta, anno 1524. interprete Paulo Iouio, quam libello ſuo de Æthiopum moribus inſeruit Damianus Goes : *Pax ſit tibi, iuſte Domine, Pater ſancte, potens, pure, ſacrate, qui es caput Pontificum omnium, qui es vigilantiſſimus ſupra animas curator, conſecrate magiſter, & prædicator fidei.* Et in alia epiſt. eodem anno data : *Felix ſancte Pater, qui à Deo effectus es gentium conſecrator, & S. Petri Sedem obtines. Cupio autem ingenti deſiderio conſequi ſacroſanctam benedictionem à Vicario Domini noſtri Ieſu Chriſti : nam procul dubio Sanctitas veſtra Dei eſt Vicarius.* Sed & Latinorum aliquos audiamus.

Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 1. agens de Romano Pontifice : *Audio eſſe edictum propoſitum, & quidem peremptorium, Pontifex ſcilicet Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit.* Et cap. 14. *Bonum paſtorem & benedictum Papam*, Et cap. 21. *Apoſtolicum* appellat. Et nonne pudet Franciſcum Iunium, in Notis ad Tertullianum, hæc de alio quàm de Romano Pontifice interpretari ridiculè, vanè, ineptè : cùm aliter nunquam ab vllo ſint intellecta ? Et hoc pacto cui quantumuis fulgentiſſimæ luci tenebras non offundent ? ſcilicet nos pro fungis habent, quibus hæc tam abſurda putent ſe venditare.

Sanctus Cyprianus de Cathedra Romana, epiſt. 55. *Ad Petri Cathedram : atque ad Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt.*

S. Ambroſius epiſt. 81. ad Siricium Papam : *Recognouimus litteris Sanctitatis tuæ boni paſtoris excubias, qui pia ſolicitudine Chriſti ouile cuſtodias, dignus quem oues Domini audiant, & ſequantur.* Et Ambroſiaſther ad 1. in Timoth. 3. *Eccleſia eſt domus Dei, cuius hodie rector eſt Damaſus.*

Stephanus Mauritaniæ in Africa Epiſcopus epiſt. ad ſanctum Damaſum : *Beatiſſimo Domino, & Apoſtolico culmine ſublimato, ſancto Patri Patrum Damaſo Papæ, & ſummo omnium Præſulum Pontifici.*

S. Hieronymus epiſt. 57. ad S. Damaſum *Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior : ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio, Quicunque tecum non colligit, ſpargit : hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.*

Sanctus Auguſtinus epiſt. 162. *Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus.*

Philippus Preſbyter in Concilio Epheſino tom. 2. cap. 16. *Diui Petri ordinarius ſucceſſor & vicarius, ſanctus beatiſſimúſque Papa & Epiſcopus noſter Cæleſtinus.*

Cetetius, Salonius & Veranius Epiſcopi Galliæ epiſt. ad Leonem Papam, quæ habetur inter epiſtolas Leonis, poſt. 98. *Domine ſancte Pater, Apoſtolica ſede digniſſime Papa. Meritò illic principatum ſedis Apoſtolicæ conſtitutum, vnde adhuc Apoſtolici, ſpiritus oracula referentur.*

Epiſcopi Metropolis Arelatenſis ad S. Leonem epiſtola, *Apoſtolatui veſtro indicare curauimus. Sic per beatiſſimum Petrum Apoſtolorum principem ſacroſancta Eccleſia Romana tenet ſupra omnes totius mundi Eccleſias principatum.*

S. Proſper de ingratis cap. 2.

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis,
Relligione tenet.

& de Vocatione Gentium lib. 2. cap. 16. de Roma : *Quæ tamen per Apoſtolici ſacerdotij principatum amplior facta eſt arce religionis, quàm ſolio poteſtatis.*

S. Victor Vticenſis lib. 2. de perſecutione Vvandalica : *Et præcipuè Eccleſia Romana quæ caput eſt omnium Eccleſiarum.*

Epiſcopi Dardaniæ epiſtola ad Gelaſium Papam : *Domino ſancto Apoſtolico & beatiſſimo Patri Patrum Gelaſio.*

S. Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia Chriſti cap. 11. *Romana Eccleſia, quæ mundi cacumen eſt.*

S. Ennodius Ticinenſis Epiſcopus Apologetico pro ſynodo ſub Symmacho : *Sanctorum voce Pontificum dignitatem Sedis Apoſtolicæ factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium eſt vbique ſummittitur, dum totius corporis caput eſſe deſignatur.*

Ioannes Epiſcopus Nicopolitanus in veteri Epiro, epiſtola ad S. Hormiſdam Papam, quæ extat inter Hormiſdæ Epiſtolas : *Domino meo per cuncta ſanctiſſimo, & Beatiſſimo Patri Patrum, Principi Epiſcoporum Hormiſdæ Papæ.*

Libellus peruetuſtus de rebus S. Agapeti Papæ, qui extat in Vaticana Bibliotheca, editúſque eſt à Baronio Annal. 7. anno Chriſti 536. num. 59. & ſeqq. cuius auctor proculdubio fuit eorum temporum, hæc ait : *Agapetus verò Papa, vas Catholicum, Euangelij tuba, præco iuſtitiæ.*

Arator S. Rom. Eccleſiæ Subdiaconus Acta Apoſtolorum à te heroïco carmine condita Vigilio Papæ his verbis dedicauit : *Domino ſancto, Beatiſſimo, Apoſtolico, & in toto orbe primo omnium Sacerdotum Papæ Vigilio.*

Liberatus Diaconus Carthaginienſis in Breuiario cap. 22. *Papa eſt ſuper Eccleſiam mundi totius.*

S. Gregorius Magnus lib. 1. Dialogorum cap. 4. de Romano Pontifice : *Apoſtolicus Pontifex.*

Epiſcopi Africani epiſtola ad Theodorum Papam, quæ habetur in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. *Domino Beatiſſimo, Apoſtolico culmine ſublimato, ſancto Patri Patrum Theodoro Papæ, & ſummo omnium Præſulum Pontifici.*

Maurus Epiſcopus Rauennas epiſt. ad ſanctum Martinum Papam, quæ extat in eodem Lateranenſi Concilio : *Domino Sancto, & meritis beatiſſimo, totóque orbe Apoſtolico, & vniuerſali Pontifici Martino.*

Vvalfridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis cap. 22. *Nulla per orbem Eccleſia æquè vt Romana ab omni fœce hæreſeos cunctis retrò temporibus pura permaſit.* cap. 31. *Summus Pontifex in Sede Romana vicem*

vicem B. Petri gerens, totius Eccleſiæ apice ſublimatur.

Rabanus Maurus de laude S. Crucis ad Gregorium IV. Pontificem:

Sedis Apoſtolicæ Princeps, Lux aurea Romæ,
Et decus & Doctor plebis, & almus amor:
Tu caput Eccleſiæ es, primus Patriarcha per orbem.

Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus epiſt. ad Hadrianum II. Papam: *Domino ſanctiſſimo, & reuerendiſſimo Patri Patrum Hadriano, primariæ Sedis Apoſtolicæ ac vniuerſalis Eccleſiæ Papæ.*

Landramus Turonenſis epiſt. ad Nomenium Priorem gentis Britanniæ: *Vicarium B. Petri Leonem Apoſtolicum, cui dedit Deus primatum in orbe terrarum, ſpreuiſti.* Extat inter epiſtolas Lupi Ferrarienſis, 84.

Anaſtaſius Bibliothecarius præfat. in Vitam S. Ioannis Eleemoſynarij à ſe ex Græco conuerſam, ad Nicolaum I. Pontificem: *Non fas eſt abſque Vicario Dei, abſque Clauigero cœli, abſque curru, & auriga ſpiritualis Iſraëlis, abſque vniuerſali Pontifice, abſque vnico Papa, abſque ſingulari Paſtore, abſque ſpeciali Patre, abſque Te omnium arbitro aliquid conſummetur, aut diuulgetur. Vicem námque in terris poſſides Dei.*

Totius abſque orbis Papa beate vale.

Rothaldus Sueſſionenſis Appellatione ad Nicolaum I. Papam: *Apoſtolicum Præſulem, Vniuerſalis Eccleſiæ ſummum Prouiſorem appellare maturaui.*

Synodus Triburienſis, cap. 30. *Honoremus ſanctam Romanam & Apoſtolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat magiſtra Eccleſiaſticæ rationis.*

Rhegino Prumienſis in Chronico, anno 865. *Stultitiæ quodam elogio notandi ſunt, qui illam Petri Sedem aliquo prauo dogmate fallere poſſe arbitrati ſunt: quæ nec ſe fefellit, neque ab aliqua hæreſi falli vnquam potuit.*

Luitprandus Ticinenſis lib. 2. hiſtor. cap. 13. *Romanum Pontificem Sanctorum Apoſtolorum Vicarium* appellat.

Petrus Damianus lib. 1. epiſt. 6. ad Nicolaum II. *Tu autem Domine mi, venerabilis Papa, qui Chriſti vice fungeris, qui ſummo Paſtori in Apoſtolica dignitate ſuccedis.*

Lanfrancus Cantuarienſis Epiſcopus, de Euchariſtia aduerſus Berengarium: *Quotquot à primordio Chriſtianæ religionis, Chriſtiani nominis dignitate gloriati ſunt, Sedem ſancti Petri Apoſtoli magnificè honorarunt. Beati Doctores concorditer adſtruxerunt hæreticum eſſe omnem hominem, qui à Romana & vniuerſali Eccleſia in fidei doctrina diſcordat.*

Guitmundus Auerſanus Epiſcopus de ſacramento Altaris: *S. Leonem Papam, ſanctiſſimum illud & reuerendiſſimum Eccleſiæ ſpeculum.*

S. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus, de Incarnatione Verbi cap. 1. *Domino & Patri vniuerſæ Eccleſiæ in terra peregrinantis ſummo Pontifici Vrbano.*

Rupertus Tuitienſis Abbas in Ionam Prophetam lib. 2. c. 3. *Roma, eo quòd beati principis Apoſtorum Petri Sedes facta ſit, cunctis Eccleſiis caput altiùs extulit, latiúſque dominatur per omnes gentes ſacra Pontificum eius lingua, quàm dominata fuerit Cæſarum ſiue Auguſtorum eius purpura.*

Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacram. Eccleſiæ cap. 43. *Papa dicitur, quia Pater Patrum; Vniuerſalis dicitur, quia vniuerſæ Eccleſiæ præeſt; Apoſtolicus vocatur, quia principis Apoſtolorum vice fungitur; Summus Pontifex nuncupatur, quia caput eſt omnium Epiſcoporum.*

S. Bernardus lib. 3. de conſideratione ad Eugenium Papam, cap. 8. *Age, indagemus adhuc diligentiùs qui ſis, quam geras perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex: tu princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriachatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuël, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores & gregum paſtores, ſed tu tanto glorioſiùs, quanto & differentiùs vtrumque præ ceteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti, vni vnus. Nec modò ouium, ſed & paſtorum tu vnus omnium paſtor.* Et ſerm. de priuilegiis Ioannis Baptiſtæ: *Mater & magiſtra omnium Eccleſiarum Eccleſia Romana.*

Petrus Lombardus lib. 4. ſentent. diſt. 24. *Patriarcha Græcè ſummus Patrum interpretatur, quia primum, id eſt Apoſtolicum tenet locum, vt Romanus, Antiochenus, Alexandrinus: ſed omnium ſummus eſt Romanus Archiepiſcopus, princeps Epiſcoporum.*

Gratianus diſtinct. 93. *Nec in Eccleſia eſſe poterit, qui Romani Pontificis Cathedram deſerit.*

S. Hildegardis epiſt. ad Eugenium Papam: *Tu qui es vice Chriſti ſedens in cura Eccleſiaſticæ Cathedræ.* Et epiſtola ad Alexandrum III. *O ſumma & glorioſa perſona, quæ primùm conſtituta eſt per Verbum Dei. Tu quoque excellentiſſime Pater, materia omnium ſpiritualium perſonarum exiſtis, quæ tuba iuſtitiæ Dei ſonant in Eccleſia.*

Potho Prumienſis lib. 3. de ſtatu domus Dei: *Sancti Patres cum magna reuerentia ſanctam Romanam Eccleſiam tam in Generalibus Conciliis, quàm in ceteris ſcripturis, & geſtis ſuis vniuerſam matrem appellauerunt.*

Petrus Bleſenſis epiſt. 45. ad Rom. Pontificem: *Quod enim ſtipiti rami, quod capiti membra, quod ſoli radij, quod fonti riuuli, hoc Apoſtolicæ ſedis eminentiæ debent omnes Eccleſiæ, quas vbique terrarum religio Chriſtiana fundauit.*

Arnulphus Lexouienſis epiſtola ad Alexandrum III. de promotione ſua: *Vos Apoſtolum Chriſti, Petri vicarium, Paſtorem & Epiſcopum omnium qui Chriſtiano nomine cenſentur, agnoſco & vobiſcum Catholicam profiteor vnitatem.*

Hugo Etherianus lib. 3. de Spiritus ſancti proceſſione cap. 17. *Chriſtus Petrum, eiúſque ſucceſſorem Principem & caput, non modò Latinorum, Græcorum, Occidentis, ac Septentrionis vniuerſi: Verùm Armeniorum, Arabum, Indorum, Madianitarum, Amalechitarum, & totius Orientis, & Meridiani climatis in perpetuum conſtituit.*

Ioannes Sariſberienſis in Policratico lib. 8. c. 17. *Eccleſia Romana quæ parens, auctore Deo, & nutricula fidei & morum eſt, non poteſt ab homine iudicari Agni cæleſtis priuilegio munita.*

Gotfridus Viterbienſis in proœmio ſuæ Hiſtoriæ ad Vrbanum III. *Dum ſacroſanctæ matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ culmen inſpicio, & eius eminentiæ conſidero maieſtatem, illud ante omnia neceſſarium eſſe intueor, vt ſicut ipſa omnibus noſcitur præeſſe principibus: ita omnes reges & principes, & vniuerſi orbis Eccleſiæ doctrina eius & regimine adornentur, & ab ea tanquam à fonte iuſtitiæ, totius ſapientiæ, regulis inſtruantur.*

Guntherus Poëta in Ligurino lib. 1.

Sedis

Sedis Apostolicæ præsul, summúsque Sacerdos
Tunc Adrianus erat.

Dodechinus in Chronico, anno 1099. *Paschalis Pontifex in specula totius Ecclesiæ constitutus.*

Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 5. *Romana Ecclesia, quæ disponente Deo super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vt pote mater vniuersorum Christi fidelium & magistra.*

Abbas Vrspergensis in Chronico, anno 1107. *Paschalis Papa verè Christi discipulus, & Apostolorum vicarius, quotidianam sollicitudinem omnium Ecclesiarum gerens.*

Iacobus Vitriacus Orientalis Historiæ cap. 75. *Omnes qui ab Ecclesia Romana recedunt, absque fundamento ædificant, in vanum laborantes, acephali & monstruosi homines merito sunt reputandi.*

S. Thomas Aquinas de regimine Principum cap. 14. *Summo Sacerdoti, successori Petri, Christi Vicario Romano Pontifici, cui omnes reges populi Christiani oportet esse subditos, sicut ipsi Domino Iesu Christo.*

Henricus VIII. Angliæ rex cùm adhuc orthodoxus esset, Præfatione in librum de Sacramentis: *Lutherus Sanctissimi Pontificis nomen in Antichristum conuertit. O detestabilis arrogantiæ, contumeliæ, ac Schismatis buccinator.*

Non esset finis si cuncta præclara, honoris & dignitatis plena elogia, quæ Orthodoxi omnes Doctores Romano Pontifici summo iure tribuunt, hîc percensere tentauero. Collegêre complura insigni studio & diligentia, Sanderus toto fermè opere de visibili Ecclesiæ Monarchia, Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 31. Baronius passim in Annalibus Ecclesiasticis, Coccius tomo 1. Thesauri Catholici lib. 7. artic. 6. quorum opera, vt par erat, nos hîc vsos ingenuè profitemur.

O magnæ Britanniæ Rex Iacobe, cur hos & innumeros alios in cunctis probatos, & fidei & doctrinæ viros, in consilium non adhibuisti, cùm tuam de Antichristo conjecturam excogitabas? Conjectura demonstrare contendis Romanum Pontificem esse Antichristum? Hæccine res est conjecturæ? Conjectura agendum in grauissima fidei & religionis Christianæ causa? Pontificij, id est, nos Orthodoxi Romanum Pontificem esse verum Christi vicarium, Petri successorem, Monarcham Catholicæ Ecclesiæ, vniuersi gregis Dominici legitimum Pastorem & Episcopum, pro fidei articulo firmissimo, ineluctabili, inconcusso habemus: & illum conjectura labefactare & euertere te posse putas? Majora robora tibi argumentorum paranda sunt, quàm sint stipulæ conjecturarum. O quàm ex animo tibi à Deo meliorem mentem & optamus, & vouemus!

An Nero Romanus Imperator futurus sit Antichristus.

CAP. XXI.

CRedidere nonnulli Neronem illum sextum Romanorum Imperatorem, quem Gentilium & nostrorum omnes historiæ sceleribus & flagitiis supra modum infamem produnt, futurum verum Antichristum in fine mundi venturum. S. Hieronymus in 11. Danielis: *Vnde multi nostrorum putant ob sæuitiæ, & turpitudinis magnitudinem Domitium Neronem Antichristum fore.* Strabus in 1. Machabæor. *Vnde multi nostrorum putant ob sæuitiæ & turpitudinis magnitudinem Domitianum sine Neronem Antichristum fore.* Drusius in Notis ad lib. 2. sacræ Hist. Seueri Sulpitij, ex hoc Strabi loco putat, etiam Domitianum qui sæuitia & turpitudine Neronem aut æquauit, aut superauit, & conuitio populi caluus Nero dicebatur, à quibusdam existimatum Antichristum futurum: vt dicat Strabus opinione quorumdam, alterutrum Antichristum fore: nam ambo sæuitia insignes fuêre. Mirum acumen! non videt locum Strabi deprauatum: cùm eum verbatim exscripserit ex S. Hieronymo, legendúmque, *Domitium Neronem Antichristum fore:* nam quis vnquam id de Domitiano opinatus fuit?

S. Augustinus de Ciuit. Dei lib. 20. cap. 19. *Nonnulli ipsum* (Neronem) *resurrecturum & futurum Antichristum suspicantur. Alij verò nec eum occisum putant, sed subtractum potius, vt putaretur occisus: & viuum occultari in vigore ipsius ætatis, in qua fuit cùm crederetur extinctus, donec suo tempore reueletur, & restituatur in regnum.* Eadem habet Strabus in 2. Thessalonic. 2.

Quod ad priores attinet, fuit in ea opinione Victorinus: is enim enarrans illud Apocalyp. 13. v. 13. *Et vidi vnum de capitibus eius quasi occisum in mortem: & plaga mortis eius curata est.* Inquit: *Vnum autem de capitibus eius occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est, Neronem dicit: Constat enim dum insequeretur eum equitatus missus à senatu, ipsum sibi gulam succidisse. Hunc ergo suscitatum Deus mittet regem dignum dignis, & Christum qualem meruerunt Iudæi.* Et postea addit: *Fuisse autem eum* (Antichristum) *iam in regno* Romanorum, & fuisse inter Cæsares, & Paulus Apostolus *contestatur: ait enim ad Thessalonicenses: Qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat. Et tunc apparebit ille iniquus: cuius est aduentus secundùm efficaciam satanæ. Et vt scirent illum venturum qui tunc erat princeps, adiecit: Arcanum malitiæ iam oritur.* Hæc Victorinus. Cuius sententiam vt absurdam confutauit Ausbertus in 17. Apocalyp.

Quòd verò ad posteriores spectat, existimantes Neronem nondum mortuum seruari, vt in fine seculi verus adueniat Antichristus, fuit in his Seuerus Sulpitius lib. 2. Sacræ Historiæ, cùm ait: *Qui* (Nero) *non dicam regum, sed omnium hominum, & vel immanium bestiarum sordidissimus, dignus extitit qui persecutionem in Christianos primus inciperet: nescio an & postremus explebit: Siquidem opinione multorum receptum sit, ipsum Antichristum venturum.* Et post alia: *Interim verò iam etiam sibi pro conscientia scelerum inuisus, humanis rebus eximitur: incertum an ipse sibi mortem conscinerit. Certè corpus illius interemptum: vnde creditur etiamsi se gladio ipse transfixerit, curato vulnere eius, seruatus, secundùm illud quod de eo scriptum est: & plaga mortis eius curata est: sub sæculi finem mittendus, vt mysterium iniquitatis exerceat.*

Et in Oraculis Pseudo-sibyllinis lib. 5. de Nerone:

——*Sed funditus interimetur.*
Deinde reuertetur, seséque Deo æquiparabit.
Sed non esse Deum tandem Deus arguet ipse.

Item

Item lib. 4.

Tunc ex Italia Rex tanquam transfuga, magnus,
Perditus, Euphratis fugiet trans perfidus amnem.
Cùm scelus infandum patrarit matre necatâ:
Multáque prætereà, manibus confisus iniquis.
Et circum fanum Romanum sanguine multi
Fœdabunt terram, patrios cùm fugerit ille
Trans fines.

Et lib. 5.

* Roma. *Aufugiet Babylone * malus rex horribilisque*
Quem malè mortales omnes odêre, bonique,
Cùm tot ob occisos, tum casâ matre scelestum.
Et Medos autem reges, Persas & adibit
Inuisæ genti mala commentando per illos.

Et rursus:

Nam cùm ter gemina voluendo stamina Parcæ
Nentes deducent fallaciter aufugientem,
Ad sortes Isthmi sublimem, dum videatur
Omnibus is ferro qui rupem ruperit olim:
Vastabitque tuas latè fataliter oras:
Nam Deus huic vni vires dedit efficiendi,
Quæ potuit regum cunctorum nemo priorum.

Forsan alludit ad 13. Apocalyp. *Et vidi vnum de capitibus eius quasi occisum.*

Primum quidem è tribus capitibus cum falce radicis insistens eximiè aliis dabit euellere.

Eodem libro.

Sub lunæ finem postremo tempore bellum
Ingruet insanum, fallax, ac insidiosum:
Matris & occisor quidam de finibus orbis
Vir fugiens veniet, spirans immane, fremènsque:
Omnes qui terras vastabit, & omnia vincet.

Et lib. 8.

——Vt quando redibit
Extremo cæsor matris fugitiuus ab orbe.

Summam horum omnium carminum hisce verbis concepit Ioannes Obsopœus in Notis: *Atqui Sibyllarum ista est vaticinantium sententia: Nam scribunt illæ Neronem ex vrbe Româ profugum, vltrà Euphratem ad Medorum, & Persarum Reges peruenturum, & cum hisce de gentis suæ exitio deliberaturum: tandem maioribus quàm vllus vnquam Regum habuit, viribus & copiis instructum, ex vltimâ mundi plagâ rediturum, omnia sibi ferro & igni subiecturum, Isthmum quem olim frustrà tentauerat, Corintho euersâ perfossurum, ipsam Romam vastaturum, séque ipsum, quæ Antichristo nota est, Deo æquaturum, & in vxitium vniuersæ creaturæ natum.* Hæc Obsopœus.

Verùm S. Prosper in Dimidio temporis, cap. 8. hæc annotat: *Antichristum quidam Neronem intelligi volunt: vt ipse sit bestia quæ fuit, & non est, & iterum venturus est, Apocalyps. 17. Sed siue ipsius formam & speciem corporis sumat, & in eâ appareat, (sicut è contrario Angelus sanctus in Tobiæ libro speciem Azariæ, Ananiæ magni filij suscepit) siue in alterius speciem appareat Antichristus, ipsius tamen Neronis luxuriem, & spurcitiam, sæuitiámque morum habiturum Dauid Propheta testatur.*

Seuerus Sulpitius dialogo 2. de vita S. Martini, scribit non quidem Neronem futurum ipsum Antichristum; sed eodem tempore quo Antichristus, venturum: Neronem nempe regnaturum in Occidente, Antichristum verò in Oriente. Cuius sententiæ auctorem laudat S. Martinum magnum illum Turonensium Episcopum in hunc modum: *Ceterùm cùm ab eo* (sancto Martino) *de fine sæculi quæreremus, ait nobis: Neronem & Antichristum priùs esse venturos: Neronem in Occidentali plagæ regibus subactis decem imperaturum: persecutionem autem ab eo hactenus exercendam, vt idola gentium coli cogat. Ab Antichristo verò Orientale Imperium esse capiendum: qui quidem sedem & caput regni Ierosolymam esset habiturus: ab illo vrbem & templum esse reparandum: illius eam persecutionem futuram esse, vt Christum Dominum cogat negari: se potius Christum esse confirmans: omnésque secundùm Legem circumcidi iubeat: & ipsum denique Neronem ab Antichristo esse perimendum: atque sub illius potestate vniuersum orbem, cunctásque gentes esse redigendas: donec aduentu Christi impius opprimatur. Non esse autem dubium, quin Antichristus malo spiritu conceptus, esset etiam in annis puerilibus constitutus, ætate legitima sumpturus imperium. Quod autem hæc ab illo audiuimus, annus octauus est.* Hactenus Seuerus.

Neronis mortem Suetonius cap. 49. pluribus exequitur, tandémque subdit: *Iámque equites appropinquabant, quibus præceptum erat, vt viuum eum attraherent. Quod vt sentit, trepidanter effatus, Equorum celeripedum sonitus aures circumtundit: ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito, à libellis. Semianimis adhuc, interrumpenti Centurioni, & penula ad vulnus appositâ in auxilium se venisse simulanti, non aliud respondit, quàm, Serò. &, Hæc est fides. Atque in ea voce defecit, exstantibus, rigentibúsque oculis vsque ad horrorem formidinémque visentium. Nihil priùs, ac magis à comitibus exegerat, quàm ne potestas cuiquam capitis sui fieret: sed vt quoquo modo totus cremaretur. Permisit hoc scelus Galbæ libertus, non multo ante vinculis exsolutus, in quæ primo tumultu coniectus fuerat. Funeratus est impensâ ducentorum millium, stragulis álbis auro intextis, quibus vsus Kalendis Ianuarij fuerat. Reliquias Egloge & Alexandra nutrices cum Acte concubinâ gentili Domitiorum monumento condiderunt.*

Dio lib. 63. extremo: *Interim appropinquantibus equitibus, ipse sibi manus attulit, dixitque peruulgatum illud: Dij immortales, qualis artifex pereo! Cúmque ægrè moreretur, Epaphroditus eum confecit. Vixit annos triginta, menses nouem.*

Aurelius Victor in Cæsaribus: *Desertus vndique, nisi ab spadone, quem quondam exsectum formare in mulierem tentauerat, semet ictu transegit: cùm implorans percussorem diu ne ad mortem quidem meruisse cuiusdam officium.* Et in Epitome: *Desertus vndique noctis medio egressus vrbem, sequentibus Pharaone, Epaphrodito, Neophytóque, & spadone Sporo, quem quondam Nero exsectum formare in mulierem tentauerat, sémet ictu gladij transegit, adiuuante trepidantem manum impuro, de quo diximus, Eunucho Sporo: cùm sanè priùs nullo reperto à quo feriretur, exclamaret: Itáne nec amicum habeo, nec inimicum! dedecorosè vixi, turpiùs peream. Periit anno ætatis trigesimo secundo.*

Eutropius lib. 7. *Ab omnibus simul destitutus, & à Senatu hostis iudicatus, cùm quæreretur ad pœnam, è palatio aufugit, & in suburbano liberti sui, quod est inter Salariam & Numentanam viam, ad quartum vrbis milliarium interfectus est. Obiit trigesimo secundo ætatis anno.* Atqui de morte Neronis, mortísque genere mirus est auctorum omnium consensus: quem Iosephus lib. 5. Belli, cap. 6. ita expressit: *De quo referre quemadmodum ab omnibus suis Senatoribus destitutus, cum quatuor libertis fidelibus in suburbanum fugerit, ibique sémet occiderit, &c. Hæc omnia recusaui narrare: confidens quòd à multis Græcorum, itémque Romanorum ea cuncta copiosè perscripta*

scripta sunt. Sed & posteriores omnes Scriptores mortuum Neronem prodidêre.

Sed mira & singularia sunt quæ de eius nece Egesippus lib.4.Excidij Ierosolymitani cap.20.perscribit: *Cùm se vrgeri imminentibus coniuratis, atque agmine aduerso videret, in suburbanum rus clanculò concessit: discissus & dilaceratus sentibus, dum formidat à quoquam videri, ne proderetur. Deinde cùm se circumseptum intelligeret, ne graues pœnæ exigerentur, manganum quoddam sibi de ligno parauit, & manibus composuit suis, quo se necaret. Et ad libertos conuersus, Qualis, inquit, artifex moritur! Itaque acerbissimus parricida dignum meritis suis vitæ exitum tulit. Verè bonus necis suæ artifex, qui commentus est, vt sic periret, ne vel mors suo scelere vacaret.* Quid verò sit maganum, vel manganum, abundè te docebunt Casaubonus in notis ad Suetonij Neronem cap. 49. & Lipsius in Poliorceticis lib.1. dialogo 3. & lib.3. dialogo 3. vno verbo, hîc est instrumentum illud quo Hispani ad detruncanda capita, vel iugulandas fauces damnatorum vtebantur, vulgò *Ballesta*. Sed vnde eiusmodi Neronis necis genus Egesippus acceperit, cùm nihil tale ab vllo sit traditum, diuinare non possum: nisi fortè ex illis Suetonij verbis cap.49. *Scrobem coram fieri imperauit, dimensus ad corporis sui modulum: componique simul, si qua inuenirentur fusta marmoris, & aquam simul ac ligna conferri, curando mox cadaueri, flens ad singula, atque idemtidem dictitans: Qualis artifex pereo!* At constat ligna hîc in alium vsum parata.

De rumore verò sparso, Neronem non mortuum, sed subductum, Suetonius cap. 57. *Obiit secundo & trigesimo ætatis anno, die quo quondam Octauiam interemerat. Et tamen non defuerunt qui per longum tempus vernis æstiuisque floribus tumulum eius ornarent: ac modò imagines prætextatas in Rostris proferrent: modò edicta quasi viuentis, & breui magno inimicorum malo reuersuri.* Tacitus 2. Historiarum, sub initium: *Vario super exitu eius rumore, eóque pluribus viuere eum fingentibus, credentibúsque.* Dio Chrysostomus orat. de Philosophia, de Nerone: *Qui circum ipsum erant, recesserunt ab eo, & adegerunt eum, vt quouis modo se perderet: neque enim & nunc hoc manifestum.* Et statim: *Et nunc ipsum adhuc omnes desiderant viuere: & plurimi arbitrantur.* Hæc Dio, qui sub Traiano vixit.

Sed & Rabbi Samuël Solem ad librum Ioasin, (citat Drusius in Notis ad lib. 2. Histor. Seueri Sulpitij,) inquit: *Commentarij de vitis Regum dicunt partim Neronem mortuum esse, partim fugisse: nec sciri locum quò fugerit: vsque adeò vt Augustinus Episcopus asserat ipsum adhuc viuere.* Mentitur Rabbinus: nihil tale vnquam dixit sanctus Augustinus.

Occasione vulgati rumoris Neronem adhuc viuere, plures illis temporibus Pseudonerones extitisse constat. Casaubonus de tribus annotauit. Primus fuit inter ciuilia bella Othonis, & Vitellij, de quo Tacitus 2. Histor. *Sub idem tempus Achaia atque Asia falsò exterritæ, velut Nero aduentaret: vario super exitu eius rumore, eóque pluribus viuere eum fingentibus, credentibúsque. Tunc seruus è Ponto, siue, vt alij tradidêre, libertinus ex Italia, citharæ & cantus peritus (vnde illi super similitudinem oris proprior ad fallendum fides) adiunctis desertoribus, quos inopia vagos ingentibus promissis corruperat, mare ingreditur: ac vi tempestatum Cythnum insulam detrusus, & militum quosdam ex Oriente commeantium adsciuit, & abnuentes interfici iussit, & spoliatis negotiatoribus, mancipiorum valentissimum quemque armauit: Centurionémque Sisennam dextras, concordiæ insignia, Syriaci exercitus nomine ad Prætorianos ferentem, variis artibus aggressus est: donec Sisenna clàm relictâ insulâ, trepidus & vim metuens aufugeret. Inde latè terror, multis ad celebritatem nominis erectis, rerum nouarum cupidine, & odio præsentium. Gliscentem indies famam fors discussit. Galatiam ac Pamphiliam prouincias Calpurnio Asprenati regendas Galba permiserat. Datæ è Classe Misenensi duæ triremes ad prosequendum, cum quibus Cythnum insulam tenuit. Nec defuêre qui trierarchos nomine Neronis accirent. Is in mœstitiam compositus, & fidem suorum quondam militum inuocans, vt eum in Syria aut Ægypto sisterent, orabat. Trierarchæ nutantes, seu dolo, alloquendos sibi milites, & paratis omnium animis reuersuros firmauerunt. Sed Asprenati cuncta ex fide nuntiata, cuius cohortatione, expugnata nauis, & interfectus quisquis ille erat. Corpus insigne oculis, comáque, & toruitate vultus in Asiam, atque inde Romam peruectum est.* Hactenus Tacitus.

De eodem Pseudonerone Zonaras tomo 2. *Annalium, in Othone: Intereà quidam ob lineamentorum corporis similitudinem se Neronem esse professus, totam penè Græciam conturbauit: & manu siccariorum comparata, ad Syriacas legiones properauit. Sed eum Calpurnius in traiectu Cydni amnis comprehensum interfecit.* Sed quid illud de Cydno amne? Sphalma Zonaræ, pro Cythno insula, vt ex Tacito vidimus. Xiphilinus verò in Othone: *Per idem tempus quidam captus est, qui se Neronem esse simulabat: cuius quidem nomen à Dione ignoratum est: sed is tandem supplicio affectus est.*

Secundus fuit tempore Titi Imperatoris, de quo Zonaras: *Sub eo Pseudonerone extitit, homo Asianus, nomine Terentius Maximus, Neroni, & facie & voce similis: nam ad citharam quoque canebat. Is comparata in Asia factione, & ad Euphratem progressus, manu longè maiore facta, denique ad Arthabanum Parthorum Regem confugit. Qui Tito iratus, illum receptum, Romam reducere instituit.*

Tertius sub Domitiano eandem fabulam desaltauit, de quo Suetonius in Nerone cap. 57. *Denique cùm post viginti annos, adolescente me, extitisset conditionis incertæ, qui se Neronem esse iactaret, tam fauorabile nomen eius apud Parthos fuit, vt vehementer adiutus, & vix redditus sit.* Cùm dicat id contigisse post viginti annos à morte Neronis, annotarunt Casaubonus, & Lipsius accidisse 14. Consulatu Domitiani, id est, Imperij eius septimo. De eodem proculdubio Tacitus sub initium 1. Historiarum: *Mota etiam propè Parthorum arma falsi Neronis ludibrio.*

Augurari non possum quem istorum trium Pseudo-Neronum intellexerit Lucianus, Dialogo, aduersus indoctum multos libros comparantem, cùm ait: *qui omnia credis, sicut illud nuper te vni cuipiam regi assimilem, quemadmodum Pseudoalexander quondam, ac Pseudophilippus, & superioribus annis Pseudonero, & si qui alij hoc modo mentiti sunt.*

Sit igitur extra omnem controuersiam Neronem reuera mortuum fuisse. Sed vnde in mentem venire potuit quibusdam ex Christianis Scriptoribus, sicut vidimus, vt putarint Neronem futurum Antichristum? Equidem, vt in Victorino, & Seuero superiùs annotauimus, ex duobus locis Scripturæ perperàm intellectis permoti videntur: Altero Apocal. 13.13. *Et vidi vnum de capitibus eius quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est.* Altero 2. Thes.

2.Theſſal.2.6. *Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore. Nam myſterium iam operatur iniquitatis: tantùm vt qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus.* In quibus ſuſpicati ſunt innui Neronem futurum Antichriſtum. Sed eos accuratè explicabimus ſuis locis, & partim ſequenti capite.

Nec magnopere mirandum ſi Neronem Antichriſtum fore crediderint: adeò enim illi moribus factis, & toto vitæ genere ſimilis fuit, vt facilè quemquam tam viua & ſpirans imago in errorem inducere potuerit, Neronem ipſum fore Antichriſtum. At qui vitam eius omni genere ſcelerum deprauatiſſimam noſſe cupit, habet Suetonium integro de vita eius commentario, Tacitum Annal. 13. 14.& 15.Dionem lib.61.62.63.Aurelium Victorē in Cæſaribus & in Epitome, Eutropiū lib.7.Ioſephum lib.20. Antiquitatum cap.5. Philoſtratum lib.4. de Vita Apollonij à cap.11.ad finem libri,& cap.2.& 3. lib.5.& innumeros alios. Illud nunc tantùm annotaſſe ſat eſt, fuiſſe Neronem primum qui perſecutionem in Chriſtianos excitauerit. Tertullianus Apologetici cap.5. *Conſulite commentarios veſtros,& illic reperietis primum Neronem in hanc ſectam tum maximè Roma orientem Cæſariano gladio ferociſſe. Sed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur. Qui enim ſcit illum, intelligere poteſt, non niſi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.* Et Scorpiaci cap.14. *Vitas Cæſarum legimus: orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit.*

Euſebius 2.Hiſt.cap.24. *Ceterùm qualis hic tandem fuerit quantáque improbitate nobilitatus, non eſt præſentis quidem otij & temporis præſcribere: ſed qui voluerit, poterit ex multis Scriptoribus, qui eius res geſtas hiſtoriis ſuis accuratiſſimè tradiderūt, hominis importunæ inſaniæ feritatem facilè cognoſcere. Qua quidem exagitatus, infinitorum penè hominum cædes, nulla habita ratione machinatus, eò crudelitatis proruit, vt ne ab interitu quidem maximè neceſſariorum, & ſumma ſibi amicitia coniunctorū, cruentas manus abſtineret. Nam matrem, fratres, & vxorem, cum aliis infinitis ſibi generis vinculo coniugatis, perinde atque hoſtes & inimicos, variis mortium generibus affecit. Verùm ad omnia eius ſcelera hoc vnum deeſſe videbatur, quo tanquam titulo inſigniri debuerat, quòd ſcilicet primus ex Imperatoribus Romanis religioſi cultus, qui ſacro numini tribuitur, hoſtis infeſtus declararetur. Cuius Tertullianus Latinus Scriptor, ſic ferè facit mentionem: Conſulite, inquit, veſtros commentarios, &c.* Deſcribit verba Tertulliani, quæ paulò ſuperiùs poſuimus. Eadem habet Nicephorus lib.2.Hiſt.cap.37.Idem Euſebius in Chronico: *Primus Nero ſuper omnia ſcelera ſua etiam perſecutionem in Chriſtianos fecit.*

Seuerus Sulpitius lib.2. Hiſtoriæ ſacræ, narratis Neronis flagitiis, addit: *Reliqua verò eius, incertum, pigeat an pudeat magis diſſerere. Hic primus Chriſtianum nomen tollere aggreſſus eſt.*

S.Hieronymus in Epiſtolam ad Philemonem: *Chriſtianum ſanguinē Neronis gladius dedicauit.* Oroſius lib.7.cap.7. *Auxit hanc molem facinorum eius temeritas impietatis in Deum: nā primus Romæ Chriſtianos ſupplicijs & mortibus affecit, ac per omnes prouincias pari perſecutione excruciari imperauit: ipſúmque nomen extirpare conatus.* Idem affirmant ferè omnes.

At quantumuis verè dixerimus Neronem fuiſſe typum Antichriſti, vt eum vocat S. Chryſoſtomus; at ex toto hoc opere quod molimur, nimis erit perſpicuum ipſum non futurū Antichriſtum. Vnde vaniſſimæ illæ opiniones, vel quòd reſurrecturus ſit, vel quòd adhuc viuus ſeruetur, vt in fine ſæculi venirus Antichriſtus aduenìat, à S. Auguſtino 20.de Ciuitate Dei, cap.19. vno verbo euertuntur: *Multum mihi*, inquit, *mira eſt hæc opinantium tanta præſumptio.* Venturum verò Neronem tempore Antichriſti, & ab eo perimendum quod ex ore S.Martini Sulpitius ſe audiuiſſe narrabat: tam verum eſt, quàm quod addit, Antichriſtum tempore S. Martini fuiſſe iam in annis puerilibus conſtitutum. Hæc niſi figuratè vera eſſe non poſſunt, & indigna ſunt refutatione.

Elucidantur verba 2. Theſſal. 2. verſ.7. Nam myſterium iam operatur iniquitatis.

CAP. XXII.

EX his verbis arripuiſſe quoſdam occaſionem exiſtimandi Neronem futurum Antichriſtum, ſuperiori capite vidimus: & S. Auguſt.20. de Ciuit. Dei cap.19. annotauit: vt hoc quod dixit: *Iam enim myſterium iniquitatis operatur, Neronem voluerit intelligi: cuius iam facta velut Antichriſti videbantur. Vnde nonnulli ipſum reſurrecturum & futurum Antichriſtum ſuſpicantur.* Sed variè hîc legunt. Tertullianus de Reſurrectione carnis, cap.24. *Iam enim arcanum iniquitatis agitatur.* Victorinus in Apocalyps. *Arcanum malitiæ iam oritur.* Interpres Chryſoſtomi: *Etenim iam myſterium iniquitatis agit.* Ita quoque Eraſmus, Caietanus, Sanctes, Vatablus. Syrus habet *Myſterium iniqui illius iam cedulo agere incipit.* Myſterium poteſt, eſſe accuſandi, vel recti caſus, vt annotarunt S. Thomas, Gagnæius, Eſtius: nimirum, vt Antichriſtus, vel Romanum imperium agat, vel perficiat, ſeu exerceat myſterium iniquitatis: aut ipſum myſterium operetur, ſeu vim ſuam exerat.

Operatur ἐνεργεῖται, eſt verbum anceps, ſnmíque poteſt & actiuè & paſſiuè: actiuè, agit, efficit, promouet, vim ſuam, energiam, operationem, efficacitatem exerit, profert, exercet: qua ratione capiunt S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Haimo, Strabus, Anſelmus Laudunēſis. S. Anſelmus, Eraſmus, Caietanus, Sanctes, Vatablus, Gagnæius, Guillaudus Cornelius à Lapide, Paſſiuè, agitur, efficitur, perficitur. agitatur, peragitur. Ita Tertullianus, Oecumenius, Iacobus Faber, qui pro *patratur*, ſumit: quod non probat Eraſmus. Nec abſurdè illud Vulgati, *Operatur*, paſſiuè accipi queat. Sic alioqui Noſter deponentia pro paſſiuis vſurpat, Pſalm.134.14. *Et in ſeruis ſuis deprecabitur:* id eſt exorabitur. Ezech. 18.24. *Omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur.* id eſt, non erunt in memoria. Pſalm.77.26. *Et virgines eorum non ſunt lamentatæ.* Eccleſiaſtici 24.3. *& in plenitudine ſancta admirabitur.* Matthæi 7.2. *remetietur vobis.* 1.Corinth.12.26: *ſiue gloriatur vnum membrum*, pro glorificatur. Hebræorum 13.16: *talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Vide Eſtium in hunc locum.

Ad Galatas 5.v.6: *Fides quæ per charitatem operatur:* eſt idem verbum ἐνεργεῖται, quod hîc: vbi paſſiuè exponunt, *Fides quæ per charitatem operatur*, id eſt, agitur, actuatur, mouetur, perficitur, vim & energiā accipit, Turrianus lib. 3. Pro Epiſtolis Pontificum cap.15. Bellarminus lib. 2. de iuſtificatione cap.4. Stapletonus oratione Academica 28. Eſtius ad Galatas 5.v.6. Tertullianus lib.5. contra Marcionem cap.4. *Fides quæ per dilectionem perficitur.* Syrus, *Fides quæ dilectione perficitur.* Vatablus & Montanus, *Fides per dilectionem efficax.* Ex paſſiuo *operatur* fecerunt Theologi celebre ſuum illud, *Ex opere operato.*

Nec malè hîc reddes: Nam mysterium iniquitatis iam in actu est.

Nullus vnquam dubitauit Paulum hoc loco de Antichristo loquutum: sed alias partes huius Oraculi, alibi in opere exponemus, nunc hæc tantùm verba excutiamus. *Nam mysterium iam operatur iniquitatis.*

Primò, Nondum Antichristus re ipsa adest, sed in hæreticis, in persecutoribus Ecclesiæ, tanquam in præcursoribus iam velitatur, iam mysteriũ iniquitatis exercet. Id est, occultè, rectè, arcanè, veluti in typo, aut figura seu mysterio vim, operationem, efficacitatem malitiæ promit: sunt enim eiusmodi pestes mysterium iniquitatis, id est, typi, & figuræ Antichristi, quasi quidam mystici & typici Antichristi, qui sua improbitate summam illam Antichristi nequitiam repræsentant. Passiuè idem est sensus, qui Hispanismo illustratur: Mysterium Antichristi, id est, tota scena Antichristi iam apparatur, efformatur, effingitur: *ya se labra, ya se fragua.* Ita hunc locũ interpretatur S. Augustinus 20. de Ciuitate Dei cap. 19. Sedulius, Theodoretus, Primasius, Strabus, Anselmus Laudunensis, S. Anselmus, Erasmus, Gagnæius, Guillaudus, Titelmanus, Sa, Iustinianus, Cornelius à Lapide, Estius, in hunc locum: Ausbertus in 13. Apocalyps. Lessius Demonstratione 14. de Antichristo, Acosta lib. 2. de Nouissimis temporibus, cap. 12. Viegas in 13. Apocal. commentario 2. sectione 17. & alij.

Secundò, Nondum Antichristus venit: quamuis alioqui mysteriũ iniquitatis, id est, Antichristi, nempe mysticus & typicus Antichristus, ipse videlicet Nero, sæuissimus Tyrannorũ, iam operetur, id est, vires & malitiam exerat, & præuisissima natura & improbitate Antichristũ præludat, ac repræsentet. Vel Antichristus iam agitar mysterium iniquitatis in Nerone, eius typo ac prodromo. Quasi dicat: Totus ipse Nero, tota eius vita, mores, & persecutio, sunt ipsissimum mysterium Antichristi, id est, typus, figura, pictura Antichristi. Lectio illa Tertulliani, iam enim arcanum iniquitatis agitatur, eundem fert sensum: Mimus & tota tragœdia Antichristi iam per Neronem, tanquam per personatum histrionem, veluti in scena agitatur. Quæ Antichristus suo tempore gesturus est, iam Nero mystice velut fabulam in theatro desaltat. Atqui de Nerone rectè Paulum hoc loco locutum plerique Patrum annotauêre.

Victorinus in Apocal. *Fuisse autem eum* Antichristum *iam in regno Romanorum, & fuisse inter Cæsares: & Paulus Apostolus contestatur: ait enim ad Thessalonicenses: Qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat, &c. Et vt scirent illum venturum, qui tunc erat Princeps,* nempe Nero, *adiecit: Arcanum malitiæ iam oritur.* Et quamquam Victorinus illud non rectè existimarit, Neronem futurum Antichristum: at in eo quod putat Paulum hîc de Nerone verba fecisse, consentaneè aliis Patribus sentit.

Auctor S. Ambrosij nomine in 2. Thessalonicens. 2. *Nam mysterium iam operatur iniquitatis, Mysterium iniquitatis à Nerone incœptum est, qui Zelo idolorum & Apostolos interfecit instigante patre suo Diabolo.*

S. Hieronymus epist. 151. ad Algasiam, quæst. 11. *Quodque sequitur: iam enim, mysterium operatur iniquitatis. Hunc habet sensum: Multis malis atque peccatis, quibus Nero impurissimus Cæsarum mundum premit, Antichristi parturitur aduentus: & quod ille operaturus est posteà in isto ex parte completur.*

S. Chrysostomus homilia 4. in 2. Thessalonicens. *Etenim iam mysterium iniquitatis agit. Neronem hîc dicit tanquam typum Antichristi gerentem: nam ille vel bat reputari Deus. Et bene dixit mysterium. hoc est, non apertè hoc agit, sicut ille acturus est, neque adeo perfricta fronte, & impudenter: si enim ante tempus illud inuentus est, inquit, qui non multùm Antichristo, quod ad malitiam attinet, inferior sit: quid mirum si iam citò futurus est? Apertum verò noluit eum facere: id quod non propter metum fecit: sed vt nos instrueret, vt non superfluas inimicitias in nos suscipiamus, si quando nihil est quod necessariò vrgeat.* Et serm. de eleemosyna & collatione: *Neronem mysterium iniquitatis vocat, dicens: Mysterium enim nunc agit iniquitatis.* Et hom. de præm. Sanctorum: *Nónne & Paulum audis dicentem, Qui pœnas perpetuò daturi sunt à facie Domini? Cuiusmodi & Nero fuit, quem idem Antichristi mysterium appellat, cùm inquit: Mysterium iam operatur iniquitatis.* Eadem habet homil. 31. in epistolam ad Romanos.

Sanctus Augustinus 20. de Ciuitate Dei cap. 19. *Quidam putant hoc quod dixit: Iam enim mysterium iniquitatis operatur. Neronem voluerit intelligi, cuius iam facta velut Antichristi videbantur.*

Theodoretus in 2. Thessal. 2. *Nam mysterium iam operatur iniquitatis. Nonnulli dixerunt Neronem esse vocatum iniquitatis mysterium, vt qui fuerit impietatis artifex.*

Theophylactus in 2. Thessal. 2. *Mysterium enim iam operatur iniquitatis. Neronem hîc intelligit, qui erat figura Antichristi: etenim immundus erat, ac Deus quærebat nominari. Pulchrè autem mysterium dicit: non enim palam Nero aduersus omnem Deum incedit, vt ille: neque citra ruborem & verecundiam. Quod autem dicit est huiusmodi: Priusquam instaret tempus Antichristi, inuentus est alius non multò inferior: quid igitur mirum si iam Antichristus est: Obscurè autem hoc de Nerone dixit: non metus sanè causa, verùm vt erudiat nos, ne superuacaneas inimicitias suscipiamus, si nihil vrgeat.*

Oecumenius in 2. Thessal. 2. *Nam mysterium iam peragitur iniquitatis. Mysterium iniquitatis dicit Neronem, vt qui sit typus Antichristi. Etenim Nero & peruersus erat, & Deus dici cupiebat. Mysterium autem vocat ipsum quod non absque pudore faceret Nero, quæ Antichristus facturus esset: sed parcè ac tectè, inquit, peragitur, nempe sub Satana: ipse námque Satanas per medium Neronem operatur, quæ sibi videntur. Ita autem obtectè dixit, non timore cohibitus: sed nos instruens ne inutiles ac superfluas inimicitias suscipiamus.*

Strabus ex Haimone in 2. Thessalon. 2. *Nam mysterium iam operatur iniquitatis. Iam Diabolus occultè per Neronem & alios occidebat Martyres: sicut per illum Antichristum tunc apertè facturus est.*

Rupertus lib. 13. de Victoria Verbi Dei cap. 12. *Iam, inquit, mysterium operatur iniquitatis: videlicet: maximè per sæuitiam Neronis.*

Sanctus Anselmus in 2. Thessalonic. 2. *Nam mysterium iam operatur iniquitatis. Multis malis atque peccatis quibus Nero impurissimus Cæsarum mundum premit, Antichristi parturitur aduentus: & quod ille operaturus est posteà, in isto ex parte completur. Sic ergo in Nerone, cuius opera velut Antichristi videbantur, & in cæteris similibus operatur aduersarius ille iam ab ipso tempore Apostolorum mysterium iniquitatis: quia Nero & ceteri tales perfigurant eum.*

Atqui Paulum hîc Neronem mysterium iniquitatis appellasse plerique recentiores interpretes etiam docent, Lyranus, Erasmus, Gagnæius, Guillaudus, Treius,

Treïus, Cornelius à Lapide, in 2. Thessal. 2. Martinus Cantapetrensis lib. 10. Hypotyposeō regula 44. Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia cap. 5. Pererius lib. 14. in Danielem, Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice cap. 2. & 21. Suarez aduersus Regem Angliæ cap. 4. & 10. Henricus Henriquez sum. theolog. lib. vlt. cap. 22. litt. R. in textu, & in commentario, Ioannes Ferdinandus in Thesauro Scripturarum, verbo, *Arcanum*, in fine.

Num per Mysterium iniquitatis, *Neronem Paulus intellexerit.*

CAP. XXI.

BAronius Annal. 1. anno Christi 70. num. 3. ex certa temporum ratione demonstrare se putat, Paulum illis verbis. *Nam mysterium iam*, (seu nunc) *operatur iniquitatis*, nullo pacto Neronem significasse. *Nam cum ex his*, inquit, *quæ superiùs dicta sunt, constet non sub Nerone, sed sub Claudio eam à Paulo scriptam fuisse epistolam* (nempe secundam ad Thessalonicenses) *nulla potuit esse suspicio Paulum illis verbis Neronem significare voluisse. Ex quo videas* (*quod sæpiùs inculcamus*) *quantum conferat exacta in his rebus perue*ſ*tigandis temporum ratio, sine qua interdum labi in portentosos errores necesse sit.*

Quòd verò Epistola secunda ad Thessalonicenses scripta sit sub Claudio Imperatore, idem Baronius anno Christi 53. num. 1. ita probat: Hanc haud multò pòst primam, scriptam à Paulo, sanctus Chrysostomus homil. 1. in 2. ad Thessalonic. & Theodoretus, præfatione in Epistolas Pauli affirmant: & ipsa inscriptio docet, quæ eadem omnino est cum illa prioris, *Paulus & Siluanus & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium, &c.* Primam autem ad Thessalonicenses epistolam datam tempore Claudij, multò antè quàm Paulus Romam veniret, (quem constat anno 2. vel 3. Neronis venisse) ostenditur ex verbis illis eiusdem epistolæ cap. 3. vers. 6. *nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis.* Certum est enim Timotheum à Thessalonica ad Paulum venisse, cùm Paulus ipse esset Corinthi, nimirum postquam egressus Athenis venisset Corinthum Act. 18. v. 1. & 5. *Post hæc egressus Paulus ab Athenis venit Corinthum.* Et posteà subdit: *Cùm venissent autem de Macedonia Silas & Timotheus, instabat verbo Paulus.* Vnde verisimile fit etiam secundam ad Thessalonienses Corinthi scriptam fuisse: (in qua vrbe mansit Paulus vno anno eum dimidio, teste Luca ibidem, vers. 11.) non Athenis vt S. Chrysostomus, Theodoretus & plerique alij crediderunt. Nam si haud multo Secunda post Primam missa est, cùm exploratum sit primam Corinthi conscriptam, vbi sesqui annum moratus est Paulus, postquam in eam vrbem Athenis discedens, peruenerat; necesse est affirmare secundam Corinthi quoque scriptam fuisse: cùm Paulus non ampliùs è Corintho Athenas reuersus sit, sed Ephesum abierit, vt Lucas refert, v. 19.

Porrò tempora illa quibus Paulus manens Corinthi, vtramque ad Thessalonicenses conscripsit epistolam, longè anteceſſisse imperium Neronis, & sub Claudio fuisse transacta, series temporum ex Actis Apostolorum, Annalibus Ecclesiasticis accuratè concinnata manifestè demonstrat. Quocirca cùm certior Chronologia primam ad Thessalonicenses epistolam in annum decimum Claudij conferat; Existimat Baronius secundam anno vndecimo Claudij fuisse missam: nimirū quadriennio antequam Nero auspicaretur imperium. Qua ergo ratione cùm in 2. ad Thessalonicenses ait Paulus, *Nam mysterium iam operatur iniquitatis.* De Nerone loqui potuit, cùm Nero nondum imperaret, sed penè puer, nec ea atrocia perageret, ob quæ meritò dici potuerit *Mysterium iniquitatis?*

Equidem de tempore & loco scriptæ vtriusque ad Thessalonicenses epistolæ assentiuntur Baronio Benedictus Iustinianus, præfatione in 2. ad Thess. & Iacobus Gordonus tom. 2. Chronologiæ, anno 10. & 11. Claudij. Quod verò ex tempore datæ secundæ ad Thessalonicenses, Paulus Neronem per *mysterium iniquitatis*, significare non potuerit, cum Baronio quoque senserunt Leonardus Coquæus in Notis ad lib. 20 S. Augustini de Ciuitate Dei, cap. 19. Guilielmus Estius in 2. Thessal. 2. Ergo cadet tot Patrum & recentiorum explanatorum auctoritas, asserentium Paulum illis verbis, *Mysterium iam operatur iniquitatis.* de Nerone locutum? Non planè. Primùm, vt demus secundam ad Thessalonicenses epistolam scriptam vndecimo anno Claudij, cùm nondum Nero rerum potiretur: rectè nihilominus potuit iam tunc Paulus Neronem *mysterium iniquitatis* appellare; siquidem, auctore Tacito, anno decimo imperij Claudij, ideſt, vno ante missam eam epistolam, Neronem fuisse à Claudio adoptatum, & in familiam Cæsarum insertum constat: cùm tunc Nero duodecim, vel tredecim tantùm annorum esset, teste Suetonio cap. 7. sed emendato & restituto à Torrentino, Casaubono, Lipsio. Tacitus Annal. 12. *C. Antistio, M. Suilio Coss. adoptio in Domitium auctoritate Pallantis festinatur, qui obstrictus Agrippinæ, vt conciliator nuptiarum, & mox stupro eius alligatus stimulabat Claudium, consuleret Reipublicæ, Britannici pueritiam robore circundaret. Sic apud Diuum Augustum, quanquam nepotibus subnixum, viguisse priuignos: à Tiberio super propriam stirpem, Germanicum assumptum: se quoque accingeret iuuene partem curarum capessuro. His euictus biennio maiorem natu Domitium filio anteponit, habito apud Senatum oratione, in eundem quem à liberto acceperat modum. Actæ Principi grates exquisitiore in Dimitium adulatione: Rogatáque lex, qua in familiam Claudiam & nomen Neronis transiret. Augetur & Agrippina cognomento Augustæ.* Ceterùm annum decimum Claudij incidisse in Consulatum Antistij & Suilij, Fasti omnes ostendunt: qui annus iuxta certiorem chronologiam est Christi ortus quinquagesimus secundus.

At si tempore scriptæ secundæ ad Thessalonicenses epistolæ, iam Nero in filiū Claudij, successorémque & hæredem imperij fuerat adoptatus, quid mirum potuisse tunc à Paulo *Mysterium iniquitatis* vocari, cùm iam destinatus imperio, ad peragendum iniquitatis mysterium accingebatur, & veluti dedicabatur: prodita iam tunc atroci & sæua natura magnis indiciis: nam audi Suetonium cap. 7. *Vndecimo ætatis anno à Claudio adoptatus est, Annæoque Senecæ iam tunc Senatori in disciplinam traditus. Ferunt Senecam proxima nocte visum sibi per quietē C. Cæsari præcipere: & fidem somnio Nero breui fecit, prodita immanitate naturæ, quibus primùm potuit experimentis.*

Prætereà possumus rectè affirmare secundam ad Thessalonicenses epistolam scriptā Romæ à Paulo, anno Neronis quarto: nā S. Athanasius in Synopsi ait: *Hanc è Roma misit.* Et cùm omnium consensu certum sit Paulum non venisse Romā, nisi secundo vel tertio Neronis anno, perspicuum est non ante Neronis tertiū vel quartum annū imperij eam missam epistolā: vt rectè de Nerone iam regnante Paulus dicere potuerit, *mysteriū iam operatur iniquitatis.*

Et quamuis Nero primū imperij quinquennium

ſpecimen optimi Principis ediderit: *Vnde quidam*, inquit Aurelius Victor, *prodidere Traianum ſolitum dicere: Procul diſtare cunctos Principes à Neronis quinquennio.* At cùm iam tum rerum potiretur,& priuatis vitiis iam ſe ad immaniora patranda veluti pararet, Paulúmque ferro onuſtum & catenis grauem teneret: meritò potuit ab eodem Apoſtolo *Myſterium iniquitatis* appellari. Nam etiam idem Paulus in prima ſua defenſione, quum primùm Romam vinctus perductus eſt,& ante Neronis tribunal cauſam dicere iuſſus fuit, eundem Neronem Leonem vocauit 2.Timoth.4.17. Liberatus ſum de ore leonis. Vt S.Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis,in Paulo,S.Chryſoſtomus,Theodoretus, Theophylactus,Oecumenius,& alij interpretantur.

His addimus,non prorſus exploratum eſſe quod S.Chryſoſtomus & Theodoretus affirmant, ſecundam ad Theſſalonicenſes epiſtolam non multò pòſt primam ſcriptam fuiſſe. Nam ſi verum eſt quod S. Athanaſius ſcripſit,è Roma miſſam: tempus aliquod ſatis longum interceſſiſſe oportuit: cùm prima ſcripta fuerit Corinthi, anno decimo Claudij, vti ſuperiùs dicebamus; & tamen Romæ Paulus non ſcripſerit, vel fuerit ante tertium vel ſecundum Neronis annũ: vt planè ſexennij interuallum ad minimum inter vtramque intercurrerit.

Et ſi quidem ſecunda ad Theſſalonicenſes Româ miſſa eſt,rectè potuit Timothei nomen inſcribi, vt in cæteris epiſtolis Pauli Romæ datis præfigitur: nam ad eum ſcripſerat Paulus,2.Timot.4.21.vt feſtinaret ad ſe Romam ante hyemem venire: quod ipſum feciſſe Timotheum non eſt dubium, & ipſe Baronius confirmat an.Chriſti 59 num.22.& Gordoni Chronologia eod. an. & 60.Siluani verò nomen poſitum quoque in eadem epiſtolæ epigraphe, arguit & ipſum quoque tunc Romæ fuiſſe, forſan cum Timotheo illuc profectum:& cauſa cur inſcribatur,eam arbitramur, quòd is tunc fuerit Theſſalonicenſum Epiſcopus, vti tradunt Hippolytus Thebæus(ita enim in Græcis exemplaribus Bibliothecæ S. Laurentij Scurialenſis vocatur)libello de ſeptuaginta duobus diſcipulis Chriſti, & Dorothæus in Synopſi. Nec his obſtare putamus quòd illis temporibus Ariſtarchus Pauli comes & concaptiuus dicatur in Romano Martyrologio 4. Auguſti à Paulo Theſſalonicenſium Epiſcopus ordinatus,vt etiam in Martyrologiis Bedæ, & Vſuardi. Nam obſeruo primò in veteri Romano Martyrologio quod nuper in lucem prodiit,opera Heriberti Roſueydi,nihil tale haberi de Epiſcopatu Theſſalonicenſi Ariſtarchi,vt nec in Adonis Martyrologio: vnde neſcimus à quo acceperint Beda & Vſuardus Ariſtarchum Theſſalonicenſium creatum Epiſcopum. Secundò, Apoſtolica illa ætate neceſſariis cogentibus cauſis pro Eccleſiæ vtilitate, ac præſertim Euangelij propagandi gratiâ Epiſcopos facilè mutari ſolitos. Sic ſanctus Dionyſius Areopagita à Paulo Athenienſium conſecratus Epiſcopus,poſtmodum à S.Clemente Romano Pontifice in Gallias miſſus,Pariſiorum vrbi præfuit Antiſtes: vt habetur in Romano Martyrologio 9. Octobris. Ita S.Publius à Paulo inſulæ Melitæ ordinatus Epiſcopus,poſteà Athenienſis,in locum S.Dionyſij eſt ſubrogatus Epiſcopus, vti conſtat ex S. Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo apud Euſebium lib. 4. Hiſt.cap.22.& ex Romano Martyrologio 21.Ianuarij,& Adonis etiam Martyrologio.Potuit ergo contingere vt Ariſtarchus poſt Siluanum breui temporis interuallo Theſſalonicenſium fuerit Epiſcopus.

Nec omittimus, non defuiſſe recentiores qui non ſingulariter de Nerone, ſed de ipſo imperio Romano verba illa: *Nam myſterium iam operatũ iniquitatis.* fuerint interpretati, vt Caietanus in 2. Theſſ.2 & Alcaſar in 14.Apocal.notatione 2.quod illud imperium typus & figura fuerit Regni Antichriſti. Vide lib.5. cap. 19 .Iſaacus Caſaubonus in exercitatione 16.in Baronium;Diatriba 43. cùm in hunc Pauli locum incidiſſet,hæc annotauit: *In poſteriore ad Theſſal. 2.7. dicitur,Conſummari in Antichriſto myſterium iniquitatis, hoc eſt, occulta quædam iniquitas,alta,profunda, & numeris omnibus abſoluta. Nam ea eſt vis eius locutionis,quã obſeruo etiam apud alios auctores. Ioſephus Iudaïci belli lib. 1. loquens de Antipatro filio Herodis,bipedum ſceleratiſſimo: Non errauerit qui dixerit, vitam Antipatri fuiſſe malitiæ myſterium.* Sed vt enodatio Hebraïſmi,ſeu Græciſmi non eſt abſurda,at vellet Caſaubonus iam tempore Pauli totam & plenam Antichriſti iniquitatem conſummari. Sed mi vir, quid iniquitatis relinques ſecuturis Romanis Pontificibus, quos tu, tuíque vultis ipſiſſimum eſſe Antichriſtum, ſi iam tempore Pauli fuit omnibus numeris abſoluta? Nihil igitur ipſi adiecerunt.

An Mahometes verus fuerit Antichriſtus.

CAP. XXIV.

DE tempore quo natus eſt Mahometes variant auctores: nobis potior eſt ſententia Ruderici Archiepiſcopi Toletani in Hiſtoria Arabum cap.1. qui ortum eius conſignat æra 618. id eſt, anno Chriſti 580.quam etiam rationem ſequuntur Ioannes Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ, Ambroſius Morales lib.11. hiſtor. Hiſpanicæ cap. 73. Ioannes Mariana lib.5.Rerum Hiſpanicarum cap.12.

Eius primordia ita narrat Rudericus: *Æra DCXVIII.in villa quæ Hiatrib dicitur,propè Mechũ, erat homo Aly nomine filius Abdelmutalib, & vxor eius Æmina:nomen patris Æminem Bayab,& matris eius Halima:quæ concepit & peperit filiũ,quem vocauit Mahomath. Et cùm Arabia & Africa inter Fidem Catholicam & hæreſim Arianam,& perfidiam Iudaïcam,& idololatriam diuerſis ſtudiis traherẽtur: Arabs prædictus Aly familiaritate cuiuſdam Iudei, qui erat geneaticus,inter Fidem Catholicam & Iudæorum perfidiam fluctuabat.Cúmque Æmina concepiſſet,facta eſt ſterilitas magna per totam Arabiam,adeo vt pane deficiente, herbis dumtaxat ſilueſtribus veſcerentur.Cùm autem tempus partus Æminæ adueniſſet, Iudæus ille, vt erat geneaticus, captauit conſiſtentiam Planetarum, & horam nativitatis infantis. Aly autem in ſanctam Ieruſalem iuerat ad orandum, & rediens inuenit filium ſuum natum: & quidquid ille geneaticus de infante perceperat, reuelauit & prædixit eum in regno, & lege mirabiliter exaltandum. Aly autem apud Hiatrib poſt tempus modicum vitam finiuit.*

Cùm autem eſſet infans annorum quatuor, vt ipſe mentitur,venerunt duo Angeli,& ſciderunt cor eius,& extraxerunt inde coagulum ſanguinis denigrati, quod poſtea niuis lauacro abluerunt: & ponderauerunt cor eius cum decem cordibus gentis ſuæ: pòſt,cum mille,& maioris ponderis eſt inuentum: & vnus Angelus dixit alteri: Si cum omnibus Arabibus in trutina poneretur, omnibus præualeret. Hæc mentitur in viſione ſe à Gabriële Angelo audiuiſſe. Cùm autem eſſet annorum quinque, mater ſua tradidit eum auiæ ſuæ Halimæ nutriendum.

Anno ſeptimo mater ſua recepit eum,& ſe tranſtulit ad propinquos:& poſt paucos dies ibi mortua fuit Æmi-

na

na mater eius,& ſuſcepit eum alia mulier,quæ Daymen dicebatur,& trãſtulit eũ in Mechã.Octauo anno mortuus eſt Abdelmutalib auus eius,& recepit eum Abutalib patruus eius in curã:& iſte tradidit eum prædicto gencatico inſtruendum:qui eum inſtruxit in naturalibus ſcientiis,& lege Catholica & Iudaïca perfidia documentis: inde & ipſe poſtmodum aliqua de Fide Catholica, aliqua de lege veteri in ſuæ ſectæ ſubſidium vſurpauit.

Cùm autem Mahomath eſſet annorũ tredecim, Abutalib duxit eum Ieruſalem,eo quod templũ ſanctimoniæ erat ibi. Mahomath autem cùm ad annos adoleſcentiæ peruenisſet, & in doctrina noui Teſtamenti ac veteris, & naturalis ſcientiæ profeciſſet, iterum fame Arabiam opprimente, ipſe ad cuiuſdam diuitis viduæ, quæ Hadeya dicebatur, familiam ſe conuertit, & circa operationes domeſticas induſtrior eſt inuentus: & ea quæ vehiculi onere abducebat, reduci fœnore ſibi gratiam, & viduæ diuitias cumulabat: & factus eſt in oculis viduæ gratioſus, adeò vt eum in filium adoptaret.

Cùm autem eſſet annorum viginti quinque, duxit vxorem quæ Abdiga: demum etiam viduam, quæ eum exhibuerat,ſuperduxit:& procedente tempore alias cumulauit: ita quod decem & octo vxorum libidine, imò adulterio fædabatur.

Prima autem cauſa ſuæ oſtenſionis in Arabia ſic euenit.Eccleſia nobilis apud Mecham inundatione fuit penitus diſſipata:in qua erant formæ argento & auro,& pretioſis lapidibus decoratæ: quam ſeniores Mechæ cupientes vnanimiter reparare,nauẽ regis Ægypti Chriſtiani, qui in Æthiopia eccleſiam cœperat ædificare, oneratam lignis in Arabiæ littore acceperunt:& ex iſtis lignis deiectam eccleſiam reparauerunt,quæ Alcahaba dicebatur. Et cùm eſſet eccleſia conſummata,erat lapis niger in angulo apponendus,(quem & hodie ob reuerentiam Arabes oſculantur)cúmque maiores populi diſſiderent, quis conſummationis lapidem adaptaret, vltimò conuenerunt,vt qui primus in porta,quæ Bayſſayba dicitur, appareret, ille lapidem collocaret. Accidit autem Mahomath per portam priùs ceteris aduenire,& conceſſerunt vt ipſe eſſet ſupradicti lapidis coaptator: & ipſe extendens chlamydem, texit petram, & vocatis ad ſe quatuor de Coraxinis,tulerunt lapidem ad ſtructuram: & ipſe vt cæmentarius collocauit. Et viderunt omnes,& miraculum reputarunt, & cùm omnes crederent eſſe Prophetã,inquit quidam:Cùm tot ſeniores,& viri probabiles in veſtro concilio habeantur, miror quare hunc adhuc iuuenem omnibus prætuliſtis.Et iurans,& interminans,Hic ſine dubio vos diſperdet.Erat autem Mahomath annorum triginta quinque.Poſt hæc Mahomath fecit moram per quinquennũ apud Mecham.Poſt quinque autem annos,cùm eſſet annorum quadraginta,Mechã intrauit,& ibi latuit per tres annos,nolens ſe oſtendere prophetam:& ibi mentitur ſibi datum ab Angelis librũ qui dicitur Alcoranus.Hactenus Rudericus:qui deinde bella eius & infanda dogmata fuſiùs narrat.

Landulphus Sagax in Hiſtoria Miſcella lib. 18. cap.51. *Anno decimo octauo imperij Heraclij Rex habetur Perſarũ Syroës:quando & Muhammath Arabum ſeu Saracenorũ princeps ſub Perſis degens,ſextũ agebat annũ,peruenturus ad nonum.*Et cap. 58. *Anno vigeſimo primo imperij Heraclij moritur Muhãmath Saracenorum qui & Arabũ princeps & pſeudopropheta,promoto Ebubeher cognato ſuo ad principatum ſuũ:ipſóque tempore venit auditio eius,& omnes extimuerunt. At verò decepti Hebræi in principio aduentus,æſtimauerũt illum eſſe qui exſpectatur ab eis Chriſtus:ita vt quidam eorum qui intendebãt ei,accederent ad ipſum,& eius religionẽ ſuſciperẽt,Moïſi lege inſpectoris Dei dimiſſã. Erant autem numero decẽ qui hoc faciebant:cum ipſo quoque degebant vſque ad cædẽ eius.Porrò cùm eum comedentem aſpicerent de camelo,cognouerunt quòd non eſſet quẽ æſtimabant,& hæſitabant quid agerent,& vtrũ religionem eius admitterent. Et formidantes miſeri,docent eũ contra nos Chriſtianos illicita,& conuerſabantur cum ipſo.*

Neceſſarium autem reor enarrandum de generatione huius.Ex vna generaliſſima tribu oriũdus erat,Iſmahelis videlicet filij Abrahæ.Nizarus enim Iſmahelis pronepos,pater eorum omniũ dicitur.Hic genuit filios duos, Muhdar ſcilicet, & Rabian: Muhdar genuit Curaſon & Kaiſon,& Theominem,& Aſadum,& alios ignotos. Hi omnes habitabant Madianiten eremum,& in ea nutriebant pecora, in tabernaculis conuerſantes. Sunt autem & his interiores,qui non ſunt de tribu ipſorum,ſed ex Ietran,videlicet hi qui vocitantur Ammonitæ,id eſt, Homeritæ: quidam ſanè eorum negotiantur in camelis ſuis.Cùm autẽ inops,& orphanus eſſet prædictus Muhammath,viſum eſt ſibi adquandam introire mulierem locupletem,& cognatam ſuã,nomine Chadigam, mercenarius ad negotiandum cum camelis apud Ægyptũ & Palæſtinam. Paulatim autem fiduciâ penes ipſam perceptâ mulierẽ,quæ vidua erat,& accepit eam vxorem, & habuit camelos illius atque ſubſtantiam.Cúmque veniret in Palæſtinam,conuerſabatur cum Iudæis & Chriſtianis.Capiebat autem ab eis quaſdam ſcripturas.Porrò habebat paſſionem epilepſiæ: quo comperto coniunx eius oppidò triſtabatur, vtpotè nobilis, & quæſe huiuſmodi copularit, egeno ſcilicet & epileptico. Procurat verò ipſe placare illam taliter dicens: Quia viſionem quandam Angeli Gabrielis dicti contemplor: & haud ferens huius aſpectum,mente deficio & cado. Ipſa verò cùm haberet adulterum monachum quendam,propter infidelitatem ibidem exulem habitantem, amicum ſuum, indicauit ei omnia, & Angeli nomen. At ille volens eam reddere certam,dixit ei: Veritatem locutus eſt:etenim iſte Angelus mittitur ad cunctos Prophetas.

Ipſa ergo prima ſuſcepto pſeudomonachi verbo,credidit ei, & prædicabat id aliis mulieribus contribulibus ſuis,prophetam eum eſſe.Et taliter ex fœminis fama peruenit ad viros:primò dumtaxat ad Ebubeher,quem & ſucceſſorẽ dimiſit.Et tenuit hæreſis eius partes Æthribi,(vicus,aut oppidum Arabiæ,vbi natus Mahometes,vt ex Ruderico vidimus ſuperius,) *Poſtremò per bellum: nam primùm quidem occultè decem annis, & bello ſimiliter decem,manifeſtè nouem.Docuit antẽ auditores ſuos,quod qui occidit inimicũ,vel ab inimico occiditur,in paradiſum ingreditur. Paradiſum verò dicebat carnalis cibi & potus, & commixtionis mulierum, fluuiúmque vini & mellis,& lactis,& fœminarum non præſentium,ſed aliarum commixturam multorum annorum futuram, & affluentem voluptatem: necnon & alia quædam luxuria & ſtultitia plena.* Huc vſque Landulphus. Quæ omnia ferè ad verbum extant apud Cedrenum, anno 21. Heraclij.

Anaſtaſius Bibliothecarius in Fragmento Hiſtorico apud Baroniũ Annal.8.an. Chriſti 630.num.3. *Cùm teſtimonium ei* (Mahometi) *daret quidam pſeudomonachus Arianus,qui ob malam fidem Conſtantinopoli è monaſterio Calliſtrati exterminatus erat cum turpitudine ſub imperio Heraclij:iſte ſceleſtus nebulo ſeduxit iſtam & reliquas mulieres huiuſmodi verbis:Venit, inquit,ille à viſione quadã Angeli qui dicitur Gabriel, & non ferens,ad ſpectaculũ concidit.*Et paucis interiectis:*Cùm diebus illis imperator Heraclius cũ victoria à Perſarum regno reuerteretur,& per Æthribum tranſiturus eſſet;obuiam illi iuit ille Dei exoſus Mahomet.ferens ei victoriales laudes, ſicut ipſum docuerat ſceleſtus ille pſeudomonachus: petitáque ab eo terra,quæ pecoribus ſuis alendis ſufficeret,petitionis compos factus eſt.*

Zonaras tomo 3. annal. *In eodem triumphali ex Perſia reditu Moametus Saracenorum princeps Imperatorem* (Heraclium) *conuenit. Ei principatus non ex nobilitate generis contigerat: nam cùm pauper eſſet,*

set, locupleti cuidam viduæ mercede seruierat: quam præstigiis quibusdam in amorem sui pellectam, vxorem duxerat. Sed quia comitiali morbo laborabat, & ex interuallis impetu illius mali prostratus, mente alienabatur, dominæ suæ vxorique & mœrori & pudori fuit. Ceterùm homo improbus, monachum se nequiorem nactus, ob peruersam religionem Bizantio exactum, illius instinctu, vxori ait, Archangelum Gabrielem de cœlo ad se descendentem, diuina quædam arcanáque sibi reuelare: cuius conspectum quia ferre non possit, se oborta ex metu vertigine, humi procumbere. Ea verba testimonio dolosi monachi confirmabantur, qui mulieri dicebat, omnino Gabrielem ad omnes prophetas mitti solere. Ex eo mulier abolito dedecore, ac potiùs prophetæ coniugio glorians, fabulam istam inter ceteras mulieres spargit. Sic impurus ille apud suos populares prophetæ nomen consecutus, & vxoris mortuæ hereditate locupletatus, Ismaëliticæ gentis princeps, doctor, & legislator est habitus: cùm alios verbis seduxisset, alios imperium detrectantes stricto gladio sibi cedere coëgisset: Iam enim manum non contemnendam fecerat. Is igitur ex Æthribo progressus, Imperatorem conuenit, & regionem ad habitandum petitam accepit. Cúmque omnes populares suos ad hunc modum deceptos subegisset, Syriam direptionibus vexauit: & multas Romanorum prouincias euastauit. Ex eo tẽpore gens Ismaëlitarũ Romanorum terram incursare & prædari nunquam destitit.

Cedrenus in Annalibus: *Apud Homeritas hunc siue in Arabia Felice, Hali parente Ismaëlita genitum, camelariámque exercuisse artem, pauperémque hominem suam operam mercede locasse tradunt: inhasisséque seruitio cuidam potenti viduæ, quæ nomine Tadiga dicta erat, eiúsque pascendos suscepisse camelos: & cùm vafer esset ingenio, insinuans se dominæ gratiæ, effecit vt eandem coniungeret sibi vxorem. Profectus verò in Palæstinam, ibi versatus cum Iudæis, & Christianis, ab eisdem aliquid est conatus addiscere: mentémque vanam prurigo cùm exagitaret honoris, ex occasione bene accepta nundinationem quandam exercuit, ex qua nomen prophetæ fuit adeptus. Cùm enim à Dæmone exagitaretur, & comitiali morbo laboraret, vxorem suam quæ grauem ex eo capiebat dolorem, quòd nobilis ipsa egeno homini & vexationibus obnoxio nupsisset, ita demulsit, quòd diceret ad conspectum Angeli Gabrielis sibi apparentis concidere. Erat amicus ei mulieri monachus quidam, qui ob falsam fidem ibi relegatus viuebat. Huic mulier totam rem aperit, Angeli etiam nomine propalato. Is autem monachus vti opinionem eam prorsus in animo mulieris confirmaret, verum Mahometum; prophetam dicere ait: eum enim Angelum ad quemuis Vatem mitti. Mulier verbis impostoris monachi illius fidem habens, aliis suis gentilibus mulieribus fabulam enarrauit: ab his porrò ad viros alios ea dimanauit. Vbi verò semel innotuisse sciisset, & creditum se esse prophetam, sibi ipsi per imaginem quædam effinxit, eadémque vt diuinitus accepta, curioso atque simplici populo facilè persuasit: ac volumen vanis figmentis plenum conscripsit, quod è cœlo sursum acceptum effinxit, suisque tradidit sectatoribus obseruandum: sicque factum est, vt ita error vanè conceptus, non miraculorum virtute, sed vi armorum magis magisque apud posteros, atque etiam exteros inualesceret.* Sequitur multa de erroribus eius explicare.

Euthymius in Panoplia part. 2. titulo 24. *Tunc autem* (temporibus Heraclij) *surrexit eis*, Saracenis, *falsus propheta Moameth. Hic maledictus, magus & insignis fuit. Genus autem duxit ab vna ex tribubus Ismaëlis. Hic admodũ pauper, parentibus orbatus, apud fœminam viduam educatus fuit, quæ illi sanguine coniuncta erat: sed cùm puerilem ætatem exuisset, cum ipsa concubuit, & palàm duxit eam in vxorem. Cúmque bonorum eius dominus effectus esset, sepè mercaturam exercuit: & aliquando profectus in Palæstinam, cum Hebræis versatus est: deinde Arianis, mox etiam cum Nestorianis: & gloriæ motus cupiditate, celeriter ab Hebræis quidem monarchiam didicit: ab Arianis autem Filium & Spiritum sanctum esse procreatos: à Nestorianis verò hominis adorationem compositámque sibi ex his religionem constituit.*

Verùm eo quondam solutione membrorum laborante, vxor illius vehementer angebatur, & mœrebat, quòd cum paupere, eóque paralytico matrimonio coniuncta esset. Erat his amicus monachus quidam hæreticus, qui illis in locis propter fidei prauitatem exulabat: hic ex consensu Moameth, vxorem ipsius admonuit, eum non communi morbo laborare, sed quotiescúmque videret Archangelum Gabrielem, non posse formidandum ipsius aspectum sustinere, atque ita in illum morbum incidere. Etenim Angelum illum solêre ad magnos mitti prophetas, qui Dei mysteria, & res futuras illis aperiret. Mittitur autem, inquit, & ad maritum tuum, qui est magnus propheta. Quibus illa verbis elata, gaudióque affecta, rem aliis quoque fœminis patefecit, virum suum Moameth magnum esse prophetam. Qua quidem ratione fama à fœminis ad viros delata, percrebuit. Atque ita impostor ille cœpit doctrinæ suæ morbum inter imperitos disseminare. Iste diuulgauit è cœlo scripturam ad se dormientem decidisse, quæ Theologiam eiusmodi contineret. Sequitur impios Mahometis errores, & cẽtum tredecim fabellas ab eo confictas, ex Euodij Monanachi scriptis percensere, quæ apud auctorẽ releges.

Lucas Tudensis in Chronico lib. 3. *Tunc*, (nempe sub Heraclio) *surrexit quidam iniquus concionator ortus in Arabia, nomine Mahumet, Qui pessimus seductor videns inter Orientales & Romanos ortam discordiam, se contra Deum erexit, & Christianorum imperium, seductoriè hortans genus Arabum, atque dicens, Non debere alterius gentis Domino subiugari: quia Dominus illis esset prouisurus de suo genere ducem beneuolum concedendo, quem haberent, vt fratrem, cum quo etiam Dominus loqueretur. Hæc & his similia cùm prædicaret illis verbis suasoriis, & virtutes quasdam simulatas, & miracula artibus magicis facere videretur. Extemplò Ismaëlitæ sicut bruta animalia, quibus nõ est intellectus, paulatim de bono in malum mutati, derelicta Fide Catholica, cœperunt ei credere, & eum in tanta veneratione habere, vt eum prophetam prædicarent à Deo missum, & sibi eligerent Regem, simulatis illius seducti miraculis, & facũdia decepti. Erat enim pulcher, facundus, & fortis, & magicis artibus valdè imbutus. Iste Mahometus Saracenorum & Arabum princeps, vt fertur, fuit de genere Ismaël filij Abrahæ. Qui cùm in adolescẽtia cœpisset esse mercator promptus, pergebat frequenter cum camelis suis apud Ægyptum & Palæstinam, & morabatur cũ Iudæis & Christianis, & maximè cum quodã monacho Antiocheno superstitionis amico, qui vocabatur Ioannes: à quo tam Nouum, quàm vetus superficialiter & superstitiosè didicit Testamentum.*

Et cùm hac illácque cũ diuersis speciebus aromatum & diuitiarum, causa lucri pergeret, contigit, vt Corrozatam ingrederetur prouinciam. Cuius prouinciæ Domina, quæ Cadiga vocabatur, vt vidit iuuenem, primò in illius pulchritudine & eloquentiâ mente capta, cœpit diuersas species, quas secum Mahomet attulerat contemplari, & ei familiarius adhærere. Quã Mahomet cautè incantationũ suarum perstrinxit phantasmate: & astutè paulatim cœpit ducere in errorem, dicens ei, quòd ipse esset Messias, quem venturum expectabant Iudæi. Auxiliabantur ei non solùm Regina Cadiga, quæ ab eo decepta erat, sed etiam multi Iudæorum, qui ad eum de diuersis partibus concurrebant. Omnes etiam Ismaëlitæ, & Arabes caterùatim confluebant aò eum, attoniti

tanta

tanta nouitate rei. Quibus cœpit nouas leges fingere, eiſque tradere, adhibens ipſis nefandis legibus de vtroque Teſtamento corrupta teſtimonia. Ideò diuinæ Paginæ auctoritates peruertit, vt tàm Chriſtianis quàm Iudæis cum Saracenis aditum præcluderet diſputandi. Dedit etiam ſuis edictum, vt quicumque alia quàm ea quæ ab illo acceperant, prædicaret, animaduerſione gladij puniretur. Huius ſacrilegas traditiones Saraceni Dei leges appellant: eúmque ſuum Legiſlatorem & nuntium Dei fatentur. Præfata quoque Cadiga, cùm videret illum Iudæorum & Saracenorum pariter contubernio vallatum, exiſtimabat in illo diuinam latere ſapientiam: & cùm eſſet vidua, accepit eum ſibi maritum: & ipſe Mahumet nomen Regis aſſumpſit, ſibi impoſito diademate regni.

Cœpit deinde ſe in armis gerere ſtrenuè, & Regis ac Prophetæ ſibi nomen & inſignia vſurpare. Poſt hæc verò cœpit cadere frequenter caduco morbo, & epileptica paſſione. Quod Regina Cadiga cernens, admodum triſtabatur: eo quod nupſiſſet homini, quem credebat arreptiono dæmonum laborare. Ille autem aſtutè leniendo decipiebat eam, dicens: Quia Angelum Domini Gabriëlem mecum loquentem contemplor: & non ferens ſplendorem vultus eius, vtpote carnalis homo, deficio, & cado. Hæc dicens quædam ſigna & miracula magicis artibus facere nitebatur. Veruntamen vt fertur, diabolus transfigurans ſe in Angelum lucis, quædam ei prædicebat futura. Vnde eſt vt in exordio ſuæ ſubdolæ prædicationis, adiret Hiſpaniam & Cordubæ ſuæ perditionis ſectã doceret. Dicebat enim Ieſum Chriſtum Dominum de Virgine eſſe natum operatione Spiritus ſancti, non tamen eſſe Deum. Quod cùm beatiſſimo patri Iſidoro nunciatum eſſet, qui tunc reuertebatur à Romana curia, confeſtim miſit miniſtros, qui caperent eum: ſed Diabolus Mahumeto apparuit, & vt quàm citiùs fugeret imperauit. Mahumetus autem poſt fugam in Africam, & Arabiam innumerabiles plebes ſeduxit: & regno adepto cum Iſmaëlitis, qui credebant eum ab ore Gabriëlis Archangeli leges quas ei tradebat recipere, Romanum imperium fortiter deuaſtabat. Et poſt alia de bellis eius & fœdis dogmatibus commemorata, ſubdit: *Decimo autem regni ſui anno, quia dixerat ſe morituru m, & tertia die reſurrecturum. Albimor diſcipulus eius volens experiri, vtrùm verè à morte reſurgeret, callidè Mahumeto efficaciſſimum venenum obtulit: quo ſtatim repentinâ mutatione Mahumet mortis ſuæ terminum ſenſit: vnde quibuſdam ſibi aſſtantibus dixit, quod per aquam remiſſionem accepperent peccatorum: & ſtatim mortuus eſt. Diſcipuli eius diligenter cuſtodiebant corpus ipſius, expectantes quod reſurgeret. Sed nimio erumpente fœtore, cùm iam ſuſtinere nõ poſſent, eis abſcedentibus, Albimor poſt vndecimam diem reperit corpus eius à canibus dilaniatum: & diligenter colligens oſſa illius, cum magno Saracenorum conuentu ſepeliuit eum in Medina Ruphul, quæ Latinè Ciuitas Nuntij dicitur.* Hactenus Lucas Tudenſis.

Sed quod attinet ad Mahumetem Cordubâ à S. Iſidoro fugatum, idem Lucas lib. 2. Chronici æra 653. ait: *Ipſo tempore Mahomet ab Hiſpania turpiter fugatus, in Africa nequitiam nefariæ legis ſtultis populis prædicauit.* Quibuſdam id incertum de ſancto Iſidoro videtur: ſed tempora non abnuunt, cùm ſanctus Iſidorus tradatur obiiſſe anno Chriſti 636. & Mahometes 630. vel 631.

Sigebertus in Chronico ann. Chriſti 630. *Hoc tempore Arabum, ſiue Saracenorum Princeps erat Muhammad, qui Pſeudopropheta ex orphano & inope per hæreſis ſuæ præſtigia ad regnum euectus eſt. Hic de progenie Iſmaëlis ortus, cùm eſſet pauper & orphanus, ad quandam cognatam ſuam prædiuitem nomine Chadigam, primò vt Mercenarius, deinde vt ſponſus ſe coniungens per eam ditatus eſt. Quæ cùm ægrè ferret epileptico, id eſt, caduco illum morbo vexari, ille dicebat, hoc non eſſe morbum, ſed viſionem Archangeli Gabrielis ſe interim videre: & quia aſpectum eius ferre non poſſet, mente defecta cadere. Hic communicabat Chriſtianis & Iudæis, ex eorum ſcripturis ſuam pſeudo-prophetiam in aliquibus confirmans. Hic dicebat, quia hi qui inimicum occidunt, vel qui ab inimico occiduntur, paradiſum ingrediantur. Paradiſum verò eſſe carnalis cibi & potus, ibique eſſe fluuium vini, lactis & mellis, & mixturam fœminarum, non præſentium, ſed aliarum multo tempore futuram, & affluentem voluptatem, & multa huiuſmodi. Hic eſt Muhanmad, cui Gentiles adhuc cultum deitatis exhibent. Hic in regno Saracenorum quatuor Prætores ſtatuit, qui Amirai vocabantur: ipſe verò Ammiras dicebatur, vel Protoſymbulus.*

Laonicus Chalcocondilas lib. 3. Rerum Turcicarum, agens de Arabiæ Felicis gente: *Gens illa non profana, verum Sacra ſanctáque creditur, quia edidit Mechmetem Legiſlatorem, qui illis ſtipatus, vt qui eius ſuſcepiſſent leges, progreſſus ſit ad Aſiæ imperium, cùm Arabes vbique plerúmque virtutis oſtenderent facinora. Aiunt Legiſlatorem Mechmetem fuiſſe filium Halis, Arabiam Felicem incolentis. Initio legiſlationis ſuæ nihil vi egit, ſed perſuaſoriè primùm Arabes, deinde Syros cepit. Poſteà in ſuam ſententiam traduxit Haliem regionis adminiſtratorem: qui cùm ipſi foret intima familiaritate coniunctus, facilè omnes terræ ſuæ incolas Mechmetis leges ſuſcipere coëgit.* Sequitur multa narrare de Mahometis legibus & prauis dogmatibus, quæ tu conſulas.

Sed multò accuratiùs res Mahometi S. Eulogius Martyr Cordubenſis ex antiquis monumentis deſcripſit in Apologetico Martyrum, in hunc modum orſus: *Cùm eſſem olim in Pamphilonenſi oppido poſitus, & apud Legerenſe Cœnobium demorarer, cunctáque volumina quæ ibi erant, gratiâ dignoſcendi incomperta, reuoluerem: ſubitò in quadam parte cuiuſdam opuſculi hanc de nefando vate hiſtoriolam abſque auctoris nomine reperi.*

Exortus eſt námque Mahomat hereſiarches tempore Heraclij imperatoris, anno imperij eius ſeptimo, currente æra DCLVI. In hoc tempore Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in Catholico dogmate claruit, & Siſebutus Toleto regale culmen obtinuit. Eccleſia Beati Euphraſij apud Iliturgi vrbem ſuper tumulum eius ædificatur. Toleto quoque Beatæ Leocadiæ aula miro opere, iubente prædicto Principe, culmine alto extenditur. Obtinuítque prædictus Mahomat nefandus Propheta principatum annis decem, quibus expletis mortuus eſt, & ſepultus in inferno. Exordia verò eius fuerunt talia:

Cùm eſſet pupillus, factus eſt cuiuſdam viduæ ſubditus: cúmque in negotiis cupidus fœnerator diſcurreret, cœpit Chriſtianorum conuenticulis aſſiduè intereſſe: & vt erat aſtutior tenebræ filius, cœpit nonnullas collationes Chriſtianorum memoriæ commendare, & inter ſuos brutos Arabes cunctis ſapientior eſſe. Libidinis verò ſuæ ſuccenſus fomite, cum patrona ſua iure barbarico in iràm congreſſus eſt. Móxque erroris ſpiritus in ſpeciem vulturis ei apparens, os aureum ſibi oſtendens, Angelum Gabrielem eſſe ſe dixit: & vt Propheta appareret, impetrauit. Cúmque repletus eſſet tumore ſuperbiæ, cœpit inaudita brutis animalibus prædicare, & quaſi ratione quadam, vt ab idolorum cultu recederent, & Deum incorporeum in cœlis adorarent inſinuauit.

Arma ſibi credentibus aſſumere iubet, & quaſi nouo fidei zelo vt aduerſarios gladio trucidarent, inſtituit. Occulto quoque Deus iudicio, ad arguendos fideles, &

terram

vertam in ſolitudinem redigendam, nocere eos permiſit. Primum námque fratrem Imperatoris, qui illius terræ ditionem tenebat, interimunt, & ouantes de triumpho victoriæ, glorioſi effecti, apud Damaſcum Syriæ vrbem regni principium fundauerunt. Pſalmos denique idem Pſeudopropheta in ore inſenſibilium animalium compoſuit, vitulæ ſcilicet rubræ memoriam faciens. Araneæ quoque muſcipulæ ad capiendas muſcas hiſtoriam texuit. Vpupæ præterea & ranæ cantus quoſdam compoſuit: vt fœtor vnius ex eius ore eructaret, garrulitas verò alterius in eius labiis non deſineret. Alios quoque ad condimentum ſui erroris in honorem Ioſeph, Zachariæ, ſiue etiam Genitricis Domini Mariæ ſtylo ſuo digeſſit.

Cúmque in tanto vaticinij ſui errore duraret, vxorem vicini ſui nomine Zeid concupiuit, & ſuæ libidini ſubiugauit. Quod ſcelus maritus eius ſentiens exhorruit: eámque Prophetæ ſuo, cui contradicere non valebat, permiſit. Ille verò quaſi ex voce Dominica in lege ſua illud annotauit, dicẽs: Cúmque mulier illa diſplicuiſſet in oculis Zeïd, & eam repudiaſſet; ſociauimus eã Prophetæ noſtro in coniugium, quod cæteris in exemplum, & poſteris fidelibus id agere cupientibus non ſit in peccatum. Poſt cuius tanti ſceleris factum, mors animæ & corporis illius, ſimul appropinquauit. At ille interitũ ſibimet imminere præſentiens, quia propria virtute ſe reſurrecturũ nullo modo ſciebat, per Angelum Gabrielem, qui ei in ſpecie vulturis apparere, vt ipſe aiebat, ſolitus erat, reſurrecturum ſe tertia die prædixit. Cúmque animum inferis tradidiſſet, ſoliciti de miraculo, quod eis pollicitus fuerat, ardua vigilia cadauer eius cuſtodiri iuſſerunt. Quẽ cùm tertia die fœtentem vidiſſent, & reſurgentem nullo modo cernerent, Angelos ideo non adeſſe dixerũt, quia præſentia ſuorum terrerentur. Inuento igitur ſalubri, vt putabant, conſilio, priuatũ cuſtodia cadauer eius reliquerunt: ſtatímque vice Angelica ad eius fœtorem canes ingreſſi, latus eius deforauerunt. Quod reperientes factum, reſidium cadaueris eius humo dederunt. Et ob eius vindicandam iniuriam, annis ſingulis canes occidere decreuerunt: vt meritò cũ eo habeant illic participium, qui pro eo dignũ meruerunt ſubire martyrium. Dignè ei quidem accidit, vt canum ventrem tantus ac talis Propheta repleret, qui non ſolum ſuam, ſed multorũ animas inferis tradidiſſet. Multa quidem & alia ſcelera operatus eſt, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: hoc tantum ſcriptũ eſt, vt legentes quantus hic fuerit agnoſcant. Hactenus ex opuſculo hiſtoriã de Mahomete retulit S. Eulogius.

Quòd vero ad æram ſpectat hîc deſignatam, hæc annotat Scholiaſtes Ambroſius Morales: *Annus Heraclij Imperatoris ſeptimus, idem fuit Chriſti ſexcenteſimus decimus ſeptimus. Annus æræ hîc notatus annum vnum ſuperadiicit. Neque vlla tamen eſt repugnantia: nam vnius anni diſcrimen inde potuit prouenire, quòd vnus Heraclij annos emergentes, vt aiunt, alius computet vſuales.* Videtur auctor eius opuſculi initium Hegiræ fixiſſe anno Chriſti 618. Heraclij ſeptimo: de qua re dicemus ſuo loco. Addit Morales: *Hæc autem quæ de Mahometi initiis, progreſſibus & fine ex eo codice Legerenſis Cœnobij Eulogius ſe refert habuiſſe: iiſdem verbis leguntur in paruulo eodémque vetuſtiſſimo codice, litteris Gothicis in membranâ deſcripto, qui eſt in bibliothecâ huius noſtræ Academiæ Complutenſis: quamquam abſciſſum folium aliquot lineas in principio abſtulit. Exemplar etiam Conciliorum ante ſexcentos annos ſcriptum, quod ex Monaſterio S. Æmiliani de la Cogolla in regium D. Laurentij del Eſcurial aduectum eſt, eandem hanc habet hiſtoriam.* Vt ex vetuſtate ſanè non parua ſcriptori auctoritas concilietur.

De vxore verò Zaïd à Mahomete marito abſtractâ S. Perfectus Preſbyter & Martyr apud eundem Eulogium lib. 2. Memorialis Sanctorum cap. 1. Hæc in faciẽ Mahometanis exprobrauit: *Nam quo pacto inter Prophetas reputabitur, aut quare non maledictione cæleſti plectetur, qui Zeïnab vxorem vernaculi ſui Zaïd ſpecie decoris eius obcœcatus, iure barbarico auferẽs, ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, adulterina ſibi copula nexuit: ſeſéque ex iuſſu Angeli hoc egiſſe prædixit?* Et S. Damaſc. in Fragmento de Hæreſibus quod Græcè & Latinè edidit Fronto Ducæus: *Socium habuit Mamed Zeïd nominatũ: huic erat vxor formoſa, quã deperibat Mamed. O talis, inquit, imperauit mihi Deus, vt tuam vxorem acciperem. Ille verò reſpondit: Apoſtolus es, fac ſicut dixit tibi Deus, vxorem meã accipe. Imò verò, vt rẽ à capite repetamus, ait illi: Mandauit mihi Deus, vt tuam vxorem dimittas. Tum ille dimiſit: & poſt alios dies, dixit: Mandauit Deus vt illam quoque mihi ſumerem. Deinde acceptã illam cùm adulterio polluiſſet, hanc legem tulit: Vxorem ſuam, qui volet, dimittat: ſin autem poſtquã eam dimiſerit, ad eam reuerſus fuerit, ducat eam vxorẽ alius: non enim licet eã accipere, niſi ab alio ducta fuerit. Quod ſi etiam frater eam dimiſerit, ducat eam vxorem frater eius, ſi voluerit.*

Equidem idem S. Eulogius lib. 1. Memorialis Sanctorum cap. 7. ex Speraindeo Abbate: & lib. 2. cap. 1. ex Perfecto martyre multa de abominandis & turpiſſimis Mahometi operibus & dogmatibus percẽſuerat: quæ magna ex parte ſuſtulit Morales in ſua S. Eulogij operũ editione: quod ſanè ab eo non ſatis recta ratione nobis factum videtur: quantumuis id ipſe excuſet: opera enim Patrum non ſunt eo modo attingenda, aut mutilanda; nam nec Gnoſticorum fœdiſſima & ſpurciſſima exempla à S. Epiphanij libris deraſa ſunt: & apud alios Patres & Scriptores antiquos eiuſmodi deteſtandæ & horrendæ hæreſes deſcriptæ reperiuntur: ſiquidem & eas noſſe non parum intererat, nec ſine valida & forti refutatione referebantur. At S. Eulogius acerrimè ſemper, vt tantum virum decebat, in prauos Mahometi errores inuectus eſt.

S. Ioannes Damaſc. lib. de Hæreſib. ad finem: *Ab Heraclij autem imperio ad noſtram ætatem falſus vates & propheta Saracenis exortus eſt, Mamedius nomine: qui cum in Veteri & Nouo Teſtamento verſatus eſſet, ſermonéſque cum Arianis habuiſſet, nouam ſectam, & diſciplinam condidit. Simulatione autem religionis, ac pietatis, cùm gentis fauorem conciliaſſet, ſcripta è cœlo ad ſe delata, & miſſa à Deo eſſe vulgauit. Quædam verò in ſuo libro ordine digeſta impreſſit, riſu digniſſima, quibus venerationem & cultum Dei genti hoc modo tradidit.* Pergit infanda Nebulonis dogmata deſcribere: quæ tu, ſi videbitur, apud eum releges. Nicephorus Calliſtus lib. 19. Eccleſiaſt. Hiſtoriæ ex profeſſo de rebus Mahometis diſſeruerat: at ille liber cum quatuor ſequentibus eiuſdem Hiſtoriæ non extat: ſed breuia tantùm eorum librorum argumenta.

In Regia Bibliotheca ſancti Laurentij Scurialenſis extant peculiares tractatus Græcè conſcripti, nondum editi, auctoribus Michaële Pſello, & Alexio Imperatore Comneno, de Mahomete Saracenorum ſectæ auctore: vt in indice eiuſdem Bibliothecæ vidimus. Atque hæc ex vetuſtioribus & melioribus Scriptoribus de Mahomete in vnum contulimus, vt meliores fontes in promptu habeat, qui res ſceleratiſſimi impoſtoris accuratiùs ſcire percupit: nam ex recentioribus innumeri propemodum ad manum ſunt. Et ſi quis adhuc vberiora de Plano deſiderat, reperiet in Epitome ſacrorum Bellorum, auctore anonymo, quam Tomo 6. Antiquarum Lectionum edidit Henricus Caniſius: & in epiſtola quadam Petri Cluniacenſis ad S. Bernardum

natdum de Tranſlatione Alcorani, & apud Iacobum de Vitriaco Hiſtoriæ Orientalis lib. 1. cap. 4. 5. 6. & 7. & apud Guilielmum Neubrigenſem lib. 5. de Rebus Anglicis, cap. 14.

Mahometem non fuiſſe verum Antichriſtum.

CAP. XXV.

IOannes Annius Viterbiẽſis peculiari edito opuſculo, quod Quæſtiones in Apocalypſim appellauit, & Xyſto IV. Principibúſq; Chriſtianis dedicauit, demonſtrare conatus eſt Mahometẽ ipſiſſimum fuiſſe Antichriſtum. Extat is Annij liber editus.

Annium proculdubio intellexiſſe videtur Iodocus Clichtoueus in Commentariis ad lib. 4. Sancti Damaſceni de Fide Orthodoxa cap. 27. cùm ait: *Id vnum hîc adiecerim, quòd nõnulli viri eruditiſſimi ſentiunt Mahumetem illum ſpurciſſimum, & abominabilis, execrandæque legis auctorem, eſſe verum in perſonâ Antichriſtum, à ſacris litteris prænuntiatum: quia vident ferè omnia quæ Scripturæ de Antichriſto prædicunt, in eo eſſe completa.* Et poſt alia: *Sed neque ſine ſcripturæ teſtimonio & auctoritate mouentur iſti ad ipſum de Mahumete aſſerendum, quòd verus ſit in perſona Antichriſtus, quódque poſt ipſum non ſit expectandus alius. Nam Apocalyp. 13. cap. deſcribit beſtiam aſcendentem de terrâ, &c. per quam quidem beſtiam omnium concordi ſententiâ deſignatur Antichriſtus, à Scripturis deſcriptus. Atqui per beſtiam illam proculdubio ad litteram intelligitur Mahumetes.* Hæc ille qui tandem nec iſtam ſententiam, nec oppoſitam definit.

Ioannes Hentenius Aretæ Commẽtariis in Apocalypſim præfixit Præfationem, quam inſcripſit Iudicium de Apocalypſi, & Antichriſto, vbi oſtendere nititur omnia quæ de vero Antichriſto produntur in Scriptura, Mahometi conuenire, & Mahumetem verum eſſe Antichriſtum. Quamuis id non nimis aſſeueranter, & decretoriè ſtatuat. Sic autem orditur: *Non admodum videtur abſurdum id quod ſentit Ioannes Annius Viterbienſis quòd beſtia, quam enterpretantur communiter Antichriſtum, de qua Apoc. 13. ſit Pſeudopropheta Mahometes, &c.* Sequitur in eandem ſententiam plura deſcribere.

Genebrardus lib. 3. Chronographiæ, pag. 472. de Mahomete: *Hunc facilè crediderim eſſe Antichriſtũ, aut ſaltẽ regni Antichriſti conditorem. Nam* Μαομέτις *reddit numerũ nominis beſtiæ 666. de quo Apocalypſis 13. Formæ πάρις. Deinde martius, ſanguinarius, legionarius rex ſuam legem non prædicatione, ſed vi & armis firmandum ſtatuit. Vt ſit alluſio ad Romanam Apoſtolici temporis legionem, quæ militibus 666. explebatur.* Et pag. 486. *Numerus 666. in Apoc. cap. 13. v. 17. notatus, numerus eſt Maometis veri Antichriſti, vel certè regni eius fundatoris, &c.* Et lib. 4. pag. 738. de Luthero: *Apparet, vt quãuis non videatur verus Antichriſtus, tamen nobile proximúmque eius ſit membrũ, qui Maometis veri Antichriſti regnum in has terras inducturus ſit.*

μ	40	Petrus Bulengerus in 13.
α	1	Apocalypſis: *Hunc certè ne-*
ο	70	*bulonem perditiſſimum, cum do-*
μ	40	*ctiſſimo Theologo Gilberto Gene-*
ε	5	*brardo facilè crediderim Anti-*
τ	300	*chriſtum eſſe, aut ſaltem regni*
ι	10	*Antichriſti conditorem. Et ſanè*
ς	200.	*nomen Maometis reddit nume-*
Summa	666.	*rum nominis Beſtiæ 666.*

Franciſcus Feu-ardentius in annotat. ad lib. 5. S. Irenei cap. 30. *Mihi ſententia doctorum & Catholicorum virorum Ioannis Annij, Ioannis Hentenij, Iodoci Clichtouei, ac D. Genebrardi valde grata eſt: qui Maometem impurum Pſeudoprophetam, vnà cum eius profligatam, ac perditam ſectam acriter tuentibus, vel ipſum definitè & verè Antichriſtũ, vel illius regni ſaltẽ maximum & ſtudioſiſſimum conditorem eſſe exiſtimarunt: quando omnes beſtiæ Apocalypſeos conditiones, & ſingula quæ à priſcis de Antichriſto ſcripta ſunt, in illo vel maiori ex parte iampridẽ completa, vel indies compleri, nullus eſt qui non videat. Coniecturas eorum, meáſque ſubiicio: 1. Conuenit in primis illius appellationi numerus Græcarum litterarum nominis Beſtiæ à Ioanne deſignatus: ſiquidem octo litteræ nominis huius μαομέτις, ſiue μοαμέτις, vt ſcribunt Euthymius, Zonaras, & Cedrenus, conficiunt numerum 666.* Subdit alias vndecim coniecturas: quas non tranſcribo, vide ſi libuerit in auctore. Tandem acriùs hanc tuens ſententiam, contẽdit nec falſam, nec periculoſam eſſe.

Gabriel Prateolus lib. 11. de vitis, ſectis, & dogmatibus Hæreticorum, verbo *Mahometes*, hæc habet: *Mahometes ille maledictiſſimus Arabs, adeò præ omnibus Antichriſtis, Antichriſtus verus eſt, vt propemodũ vnus ille omnium olim venturus ipſe credi queat. Nec quiſquam eſt, aut fuit aliquando, qui propiùs accederet ad Pauli prophetiam, atque ille homo, hominũ nequiſſimus: adeo vt niſi alius venerit, omnis prophetia in hoc Mahomete impleta exiſtimari debeat.* Deinde cùm dixiſſet Mahometem Antichriſti figurã & præcurſorem fuiſſe, addidit: *Proinde ſub imagine & exemplo huius Mahometis ſimul depinxit Daniel Antichriſtũ: & ſignificauit regnũ huiuſmodi fore, in quo affligerentur Chriſtiani, & ferè deleretur verbũ Dei.* Hæc Prateolus.

Ioannes Viguerius Inſtitut. Theologic. cap. 21. §. 3. Martinus Cantipratenſis lib. 3. Hypotypoſeon cap. 2. Claudius Guillaudus in 2. Theſſal. 2. citant & refellunt quorumdam opinionem Maometem verum eſſe Antichriſtum. Quam ſanè opinionem à ſenſu communi Patrum & Theologorum alienam, cum ſacris Scripturis pugnantem, nouam, paradoxam, temerariã, & nullo pacto ferendam iure cenſebit quiſque pius & eruditus. Et verò totum hoc noſtrũ de Antichriſto opus eam confutat: & vnum illud nũc tantùm adduxiſſe ſufficiat, quod Mahumetes nunquam ſe Deum, aut Chriſtũ palàm & publicè affirmauit, vt Antichriſtus: ſed tantùm Dei miniſtrum & prophetam. Atqui Annij ſententiam de Antichriſto Mahomete, ex profeſſo refellendam ſuſcepit Benedictus Pererius integro libro trium & viginti diſputationũ aduerſus Ioannem Annium & alios exiſtimantes Mahometẽ fuiſſe Antichriſtum.

Sit igitur extra omnem controuerſiam Mahometem non eſſe verum Antichriſtum: ſed ſi quis ante oculos ſibi proponat ingentia mala, quæ hic perditiſſimus homo in mundum intulit, conditâ exitiali ſectâ, quæ magnam orbis partem perdidit, vt cuncti loquuntur annales: iure fatebitur Mahometem magnum fuiſſe Antichriſti typum ac præcurſorem. Sanctus Eulogius Martyr in Apologetico ſanctorum Martyrum, de Mahomete inquit: *Qui ab ſpiritu immundo præreptus, iniquitatis myſterium vt verus Antichriſti præcurſor exercens, neſcio quam nouitatis legem, pro ſuo libito, & inſtinctu dæmoniorum, perdito vulgo inſtituit.* Sanctus Damaſcenus de Hæreſibus ad finem: *Valet & tenet his etiam temporibus Iſmaëlitarum, quæ in errorem plebem impellit, religio, quam Antichriſti quaſi præcurſorem appellare licet.* Quo etiam modo conſtat alios Mahometem nuncupaſſe.

Sed

Sed non sunt hîc prætermittenda quæ auctores de sepulchro Mahometis tradidêre. Laonicus Chalcocondilas lib. 3. Rerum Turcicarum, de Homure Mahometis successore hæc scribit: *Sepulchrum quoque pretiosum in honorem Mechmetis adornans, ibi manebat. Sacra quoque magna quotannis in honorem Mechmetis fieri procurauit: persuasit aliis plurimis, vt Mechmetem adorarent. Eos quoque iustos fieri asseuerabat, qui ipsius sepulchrum inuiserent. Etiam hodie non pauci ab Asia & Libya, Europáque Mechmetis sepulchrum adeunt, putantes se hinc magnam colligere religionem, & probiores fieri. Quidam ex ipsis istam peregrinationem ingrediuntur, quidam argentum numerant iis qui pro ipsis peregrinationem suscipiunt. Via autem quæ ad sepulchrum ducit, est asperrima & difficillima: eundum enim est per arenam, non citra camelorum alimenta portantium opera. Nec etiam aqua qua vtantur, ad manum prompta est sufficiens omninò. In hunc igitur modum necessaria præparantes, camelos conscendunt vtentes signis, quæ viam commonstrent, magnetis demonstrationibus.*

Colligentes igitur ab Septentrionali plaga, qua orbis parte eundum sit, eò viam coniectantes pergunt. Vbi autem accesserint loca, in quibus aquarum fuerint scaturigines, aquantes indè abeunt: transitáque arena, intra quadraginta dies ad Machmetis corpus perueniunt. Sepulchrum eius compertum habeo extructum esse ex lapidibus pretiosissimis, & sublime pendêre in medio templo. Hactenus Laonicus.

Sed & Munsterus lib. 5. Cosmographiæ, de Mahomete: *Moriens autem prædixit se iturum in cælum: quod diu expectantes, tandem tetro coacti odore, ferrea arca, quam sibi viuus pro monumento extrui iussit, sepelierunt: cùm homines, magnete lapide in thoro templi extructo, fallere cogitasset: vt videlicet eius sepulchrum è ferro pendere in aëre videretur. Sepulchrum eius in Mecha Persidis vrbe locatum ferreâ arcâ, inuisitur à Turcis. Sic quidem antiqui historici scripserunt. At recentiores, potissimum Vartomannus scribunt in Medina huius Pseudo-Prophetæ esse sepulchrum: quod totus Oriens colit ac veneratur.* Et plerique alij de arca Mahometis vi magnetis in aëre pendulâ prodidere: vt etiam Hugo Lintscotanus, 2. parte Indiæ Orientalis, in nauigatione sua ad Indiam, cap. 6. cùm ait: *Arabiæ ciuitas Mecha, vbi Magmedis cadauer ferreæ capsæ inclusum, sub fornice magnetino, in aëre pendet.* Et quamuis eiusmodi mirabilis artificij exempla non desint: nam in templo Serapidis erat Solis ferreum simulachrum in aëre suspensum, de quo Rufinus 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 23. S. Augustinus 21. de Ciuitate Dei cap. 6. & S. Prosper de Prædictionibus lib. 3. cap. 38. perscribunt: & idem tentasse Dinocratem architectum auctor sit Plinius lib 34. cap. 14. Vide lib. 7. infra, cap. 18. at quod ad Mahometis spectat sepulchrum, Guilielmus Baldensclius qui anno Domini 1337. scripsit Itinerarium Terræ sanctæ, de eo ait: *Quod verò pendeat in aëre per virtutem petræ, quæ ferrum trahit, id falsò diuulgatur. Est quidem aliàs in tumba eleuata & pretiosa ad maiorem ipsius mortui damnationem perpetuam positum.* Sed & Ludouicus Vartomannus, quæ coram vidit, ita narrat lib. 1. suæ Nauigationis cap. 11. *Sed tempus iam appetit vt eorum refellam opinionem, qui autumant Mahumetis viri impurissimi arcam apud Mecham in aëre absque adminiculo pensilem consistere. Ego longè aliter sentio, affirmóque ea nec vera, nec verosimilia esse: vtpotè qui coram hæc perpendi, vidique locum vbi humatus est Mahumetes in memoratâ vrbe Medinath-al-Nabi: moram enim inibi tridui fecimus, vt in horum omnium certissimam deueniremus notitiam.* Et cap. 12. describens Meschitam & sepulchrum Mahometis, inquit: *Delubrum eius testudinatum est, longitudine passuum centum, latitudine verò passuum octoginta patescit. Gemina porta ingressus adeuntibus patet. A latere triplici tegitur opere concamerato: fulcitur columnis quadringentis, ex lateritio opere albicantibus. Lychni pensiles accensi, lampades appellamus, plures admodum numero, quasi trium millium. Ab alterâ delubri parte in priori loco Meschitæ turris visitur ambitu quinque passuum, quaquauersum testudinata, pannóque contecta sericeo: ea crate ærea faberrimè facta fulcitur, distãtia duorum passuum, absque adeuntibus quasi per transennam conspicitur. Læuorsum angustâ porta itur ad turrim: & quum eò perueneris, rursum angustiore ianua admittendus es. Ostium huiusmodi hinc & hinc complures codices bibliothecæ instar honestant: alterum latus viginti, alterum verò quinque & viginti condecorant. Illi enim Mahumetis, sociorúmque traditiones fœdissimas, tenorémque vitæ eius continent. Intra dictam portam sepulchrum visitur, id est, defossus locus, vbi adstruunt conditum esse Mahumetem, sociósque eius: Nabi videlicet, Bubacar, & Othomar, Aumar & Fatoma.* Et tandem post alia cap. 13. subdit: *Id etiam exploratum vobis fiet, adiuratissiméque vobis adstruimus inibi ferrum, calybémve haud esse, minúsque magnetem, nec propius montem, quàm ad quartum lapidem esse.* Huc vsque Vartomannus. Sed & Nicolaus Ratziuilius Princeps, in sua Peregrinatione pag. 39. apertè asserit, *Mahometis sepulchrum non in aëre suspensum ope magnetis, sed in solo esse columnis non adeò crassis altius elatum.*

Mira sunt quæ de Alfonso Albuquercio clarissimo Imperatore Maffæius Rerum Indicarum lib. 5. perscribit: *Facinora duo apprimè glorioſa vasto dudum agitabat animo: Alterum, vt Nili fluenta nouo & spatij longè breuioris alueo Abassinis adiuuantibus in Arabicum Sinum auerteret, ac totam Ægyptum Turcis redderet prorsus infructuosam. Alterum, vt ab Armuzia vectos hippaginibus equites velocissimos ad trecentos, in intimum repente littus eiusdem Arabici Sinus exponeret. Qui antequam à vicinis regionibus concursus fieri posset, Mecham non amplius septendecim leucarum interuallo aduolarent, & ex inclyto apud eas gentes fano abominanda Mahometis ossa raptim aueherent: scilicet in perpetuam teterrimi impostoris & hæresiarchæ ignominiam Christiano ritu publicè concremanda. Talia meditanti, iniquorum obtrectatio primùm, deinde mors interuenit, vt seni matura, sic rei Christianæ, atque omnibus bonis acerba.* Equidem præclarum id extitisset facinus, si perfici potuisset. Sed & Sostratum Cnidium Nilum ad Memphim auertisse in alium alueum auctor Lucianus in Hippia, siue Balneo.

Martinus Lutherus à quibusdam creditus verus Antichristus.

CAP. XXVI.

GEnebrardus lib. 4. Chronographiæ pag. 718. *Aliqui eum Antichristum esse contendunt, quòd sit caput & patriarcha hæreticorum in Occidente, qui se toti armauerunt contra Christi doctrinam & beneficiorum eius memoriam. Addo ad illorum coniecturas, Luther, characteribus Hebraïcis לוטהר reddere numerum Antichristi 666. Apocalyp. 13. Ex quo apparet vt quamuis non videatur verus Antichristus, tamen nobile, proximúmque eius sit membrum.*

Lutherum

ל	30	Lutherum ex incubo dæmonio genitum, credidêre plerique, auctore Coclæo. Initia eius Laurentius Sutius ex eodem Coclæo, & aliis fideliſſimis teſtibus ita narrat: *Natus eſt Iſlebij, anno ſalutis* 1483. *pridie Diui Martini, cuius nomen accepit in baptiſmo. In Academia Erphordienſi anno ætatis vigeſimo Artium Magiſter creatus eſt. Inde cum Iuriſprudentiæ animum appuliſſet, ambulans cum ſocio in agro, repente fulminis ictu ſocium perdidit. Quare territus & conſternatus, multis ſtupentibus, relicto mundo, & ſpretis omnibus, D. Auguſtini inſtitutum Eremitarum complexus eſt.* Et poſt pauca: *& deinde palam profeſſus eſt monachum: atque annis quatuor non inſtrenuum ſe præbuit in exercitiis ſpiritualibus: licèt quædam in eo apparerent, quæ de mali dæmonis commercio ſuſpectum eum redderent: illud in primis quòd cùm aliquando in Miſſa diceretur Euangelium de expulſo ſurdo & muto dæmonio, ſubitò corruens exclamaret, Non ſum, Non ſum.*
י	10	
ל	30	
ת	400	
ר	200	
Sum.	666.	

At ingenium hominis, mores, doctrinam ex nullo meliùs quàm ex ipſo diſcemus, cuius proinde verba fideliſſimè hîc reddemus: de initio ſuæ defectionis ab Eccleſia, Præfatione ad Propoſitiones ſuas de viribus hominis, hæc refert: *Vnus eram, & per imprudentiam in iſtam cauſam lapſus, cùm non liceret referre pedem, in multis ac magnis articulis Papæ non ſolùm cedebam, ſed vltrò etiam adorabam. Ego verò tam confidens & certus non fui.* Et poſt alia: *Ita ventum eſt ad hanc neceſſitatem, vt cogerer extrema tentare & expectare.* Et Præfatione tom. 1. operum ſuorum: *Ego non amabam, imò odiebam iuſtum, & punientem peccatores Deum: tacitáque, ſi non blaſphemiâ, certè ingenti murmuratione indignabar.* Et poſt alia: *Furebam ſæua & perturbata conſcientia.* De auctore ſuæ doctrinæ hæc ipſe narrat libro de Miſſa angulari: *Contigit me ſemel ſub mediam noctem ſubitò expergefieri: vbi Satan mecum cœpit eiuſmodi diſputationem: Audi, inquit, Luthere, Doctor perdocte, noſti etiam te quindecim annos celebraſſe Miſſas priuatas penè quotidie? Quid ſi tales Miſſæ priuatæ eſſent horrenda idololatria? Quid ſi ibi non adfuiſſet corpus & ſanguis Chriſti: ſed tantùm panem & vinum adoraſſes, & aliis adorandum propoſuiſſes?* Subiungit deinde Diabolus quinque argumenta contra Miſſam priuatam. Scripſit Nicolaus Serarius duo integra opuſcula de Lutheri magiſtro Diabolo: quæ tu vide.

Epiſtola ad Electorem Saxoniæ: *Diabolus interdum per meum cerebrum meat, vt nec ſcribere poſſim, nec legere.* Et libello de tumultu quem Carlſtadius Vvittembergæ excitauit: *Crede mihi, bene, imo valdè bene Diabolum noui.* & in Colloquiis Menſalibus, pag. 274. *Quando cum hominibus ſum, non nocet mihi: cùm verò me ſolum deprehendit, tum docet me mores.* & fol. 275. *Mecum in dormitorio nonnumquam deambulat. Habeo vnum & alterum mirabilem diabolum, à quibus diligenter & admodum intentè obſeruor: ſunt enim non vulgares, ſed magni dæmones, imo inter Diabolos magni doctores in Theologiâ.* Et pagina 281. *Diabolus frequentius & propius mihi condormit, quàm mea Catharina.*

Superbiam ſuam ipſe prodit, âduerſus Regem Angliæ diſputans: *Certus ſum dogmata mea habere me de cælo. Dogmata mea ſtabunt, & Papa cadet. Deus viderit, vter primò feſſus defecerit, Papa, an Lutherus?* Eſt poſt alia: *Chriſtus mihi ſpiritum ſuppeditauit inſignem.* Et rurſum in Gloſſa contra edictum Imperiale: *Aio ego Doctor Martinus Lutherus Domini noſtri Ieſu Chriſti indignus Euangeliſta.* Et iterum: *Tanta eſt dignitas mea, quòd ad doctrinam & miniſterium mihi diuinitus datum attinet, vt velint nolint, debeant me, Deo ſic volente, pium ſanctúmque Dei organum agnoſcere.* Et Præfatione in Tractatum de excommunicatione, ſe Chriſtum appellauit: *Mei ſtudij erit, omnibus viribus ſudare vt Chriſtus* (Lutherus) *Chriſtum* (Ieſum) *annuntiet.*

Henricus Petrus Rebenſtock in Colloquiis Lutheri, tomo 2. pag. 28. & 199. refert Lutherum ſæpiùs de ſe dixiſſe: *Ego Iſaïas, Philippus Melanchton Ieremias.* Et quidem ipſe Lutherus in Colloquiis, cap. de morbis & periculis, id de ſe expreſsè jactauit. Ioannes Aurifaber in Colloquiis Lutheri Menſalibus hoc diſtichum de Luthero effutire non erubuit:

Chriſtus habet primas, habeas tibi Paule ſecundas:
Aſt loca poſt illos proxima Luther habet.

Idem Lutherus in Gloſſa contra edictum Imperiale: *Sanctus Ioannes* (Hus) *de me prophetauit, quando ex carcere Conſtantiâ in Boëmiam litteras miſit: Nunc aſſabunt quendam anſerem,* (*Hus enim anſerem dicunt*) *& poſt centum annos audient cantare quendam Cygnum, quem pati debent.*

Sanguinarium animum ipſe aperit lib. contra Silueſtrum Prieratem: *Si fures furca, latrones gladio, hæreticos igne tollimus: cur non magis hos magiſtros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam iſtam Romanæ Sodomæ colluuiem, quæ Eccleſiam Dei ſine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & in eorum ſanguine manus noſtras lauamus?*

Impietatem & maledicentiam in ſanctos Patres atrociter exercuit. In Colloquiis Conuiualibus, cap. de Scholaſticis Theologis: *Hieronymus inter Eccleſiæ Doctores numerari non debet: nam fuit hæreticus: puto tamen quòd per fidem in Chriſtum ſaluatus ſit. Nullum ſcio cui æquè infeſtus ſim.* Et in capite de Patribus Eccleſiæ: *Chriſoſtomum nullo loco habeo: non eſt niſi loquaculus. Libri eius ſunt tantùm chaos, & ſacci verborum: auctor eſt ſeditioſus & garrulus: Gregorius Nazianzenus in ſua Poëſi verſatus, nihil ſincerè de Deo ſcripſit. Baſilius nihil valet, totus eſt monachus: ne pilo quidem illum redimerem. Apologia Philippi omnes Eccleſiæ Doctores exuperat, etiam Auguſtinum. Cyprianus martyr infirmus eſt Theologus. Ambroſius ſex libros ſuper Moſe ſcripſit, ſed quam ieiunos!* Et in cap. 22. Genes. *Quinte Hieronyme conculcamus cum tua Bethleem, cuculla, & deſerto.* Et libro contra Regem Angliæ: *Quis eſt Auguſtinus? quis nos coget illi credere? Diuina maieſtas mecum facit, vt nihil curem, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani contra me ſtent.* Et in Colloquiis Germanicis fol. 499. *Gregorij conciones ne teruntium quidem valent: diabolus enim cum in Dialogo ſuo craſsè decepit.*

At jam noui Euangeliſtæ pudiciſſimam mentem inſpiciamus. tomo 5. operum Vvittembergæ 1557. editorum, fol. 119. *Vt non eſt in meis viribus ſitum, vt vir non ſim: tam non eſt etiam mei iuris, vt abſque muliere ſim.* Rurſum: *Vt in tua manu non eſt vt fœmina non ſis, ſic nec in te eſt vt abſque viro degas. Nec eſt libera electio, aut conſilium, ſed res natura neceſſaria, vt marem fœmina, fœminam mari ſociari oporteat. Tam neceſſarium hoc eſt, quàm edere, bibere, purgare, mucum emungere, ſomno & excubiis intentum eſſe.* Et tomo 2. Colloquiorum per Henricum Petrum Rebenſtok, pag. 160. *Cœlebs olim hoc apud me concluſeram, vt ſi mihi inſperatò moriendum fuiſſet, vel etiam in lecto mortis, mihi puella deſponſanda adhiberetur:*

retur : cui in teſtimonium duos ſcyphos argenteos dicaſſem. Et pag. 119. *Mallem me lenonem fuiſſe, quàm Chriſtum quindecim annis Miſſis ſacrificaſſe.* Et in ſerm. de Matrimonio tomo 7. operum, anni 1557. de marito parum obſequentem vxorem habente: *Hic opportunum eſt vt maritus dicat: Si tu nolueris, alia volet. Si domina nolit, veniat ancilla. Si tum renuat, repudia eam: & in vicem Vaſthi, Eſther ſurroga.* Et tomo 2. Colloquiorum pag. 125. *Quiſquis ſatanicas cogitationes, aliis cogitationibus, vt de puellâ pulchrâ pellere poteſt, huic ſuadeo.* Et pag. 18. *Habeo vxorem, & ſex liberos: anno 1525. in ſeditione ruſticorum 12. Iunij vxorem duxi.* Et pag. 125. *Nulla ego bona de vxore mea, atque Philippo Melanctone ſpero.* Fuit hæc Catharina Bora monialis, ex Monaſterio Nymicenſi rapta: vt omnes tradunt, & in primis Franciſcus Turrianus lib. 5. pro epiſtolis Pontificum cap. 1. Extat hiſtoria apud Sleidanum lib. 5.

Idem Lutherus in Colloquiis, cap. de Matrimonio inquit: *Sanctus Hieronymus multa ſcribit de tentationibus carnis. Ah parua res eſt: mulier domi habitans poteſt huic morbo mederi. Euſtochium hîc Hieronymo facilè ſubuenire potuiſſet.*

In aureolo libello ab orthodoxo quodam anonymo conſcripto, cui inſcriptio eſt, *Puritanus*, ſiue, Apologia pro Puritanis, &c. ad finem geminæ ſubiiciuntur epiſtolæ, altera Lutheri, altera vxoris eius quas integras hîc inſerere, magni intereſſe exiſtimaui.

Epiſtola exhortatoria Martini Lutheri ad Catharinam de Boir monialem, ſiue, Præparatio ad nuptias.

a Ioan. 3. 6.
b Iob. 41.
c Epheſ. 2.
d Pſal. 143.
e Epheſ. 5.
f 1. Petri 2.
g Cant. 1.
h Matth. 18.
i Geneſ. 41.
K 1. Ioan. 4.
l Iſaiæ 23.
m Philip. 1.
n Epheſ. 3.
o Epheſ. 3.
p Gal. 4.

PAx tecum. a *Spiritus vbi vult, flat.* b *Spiritus qui facit prunas ardere, & accendit candelabrum in vertice montium, ſit cum ſpiritu tuo, & meo: vt id ſis quod ego, & ego quod tu, in eo qui* c *facit vtraque vnum,* d *eructantia ex hoc in illud* c *Fuimus aliquando tenebræ, nunc autem ſumus lux in Domino.* f *Aliquando non populus, nunc autem populus, & ſi vis, ſemen populorum. Propterea* g *adoleſcentulæ diligent te, ô ſoror mea, & quia ſic placet Deo Iacob, ſponſa, participare te volo ex mea gratia, quoniam* h *pater omnem angelum tuum ſemper videt ante faciem ſuam. Locus autem meæ magnitudinis eſt in te: & tu non vocaberis ſterilis, quia* i *ſeptem vaccæ tenues, ſeptem anni ſunt ſterilitatis. Sed oportet nos in vnum conuenire, propter Sacramentum fidei, quæ fœcunda eſt in omnes generationes filiorum Sion. Quomodo eris ſponſa Chriſti, aut quomodo potes* k *Deum diligere, quem non vides, ſi non diligas me, quem vides. Sume à me gratiam, &* l *eme tibi citharã,* m *vt abundemus in omni ſenſu. Conſtitue in thalamo tuo ſemen luminis mei, vt* n *implearis à ſpiritu meo: vt homo tuus* o *interior ſit etiam meus. In quo poſſit* p *clamare poſt nos in ſpiritu dicens: Abba, pater.*

Reſponſio Catharinæ ad Martinum Lutherum.

a Pſal. 112.
b Matth. 20.
d Ioan. 5.
e Zachar. 8.
f. 2. Corint. 11.
g. Apocalyp. 2.
h Ioan. 5.
i Apocaly. 12.
K Pſal. 72.
l Marci 4.
m Ioan. 5.

DOleo me tandiu a *ſterilem in Domo Domini fuiſſe: ſed* b *qui circa horam vndecimam miſſi ſunt in vineam, acceperunt mercedem ſuam. Sæpè quidem* c *Angelus in piſcinam deſcendebat & mouebat aquas: ſed hominem non habebam, antequam tu es miſſus, vt liberares me* d *à timore nocturno: quia in otio* e *vinea mea non dedit fructum. Et nunc ſcio quia* f *propter inſtantiam tuam quotidianam ea paſſura ſum à te, ô Propheta Dei, quæ nulla vnquam virgo paſſa eſt, neque Romana, vſque Græca. Sed qui miſit te,* g *ſcit quid ſpiritus dicat Eccleſiis. Quoniam oportebit me* h *creſcere, & maiorem fieri, per labores tuos: &* i *clamabo quaſi parturiens, propter zelum verbi, & ſemen iuſtorum, quos prædeſtinauit Deus ante ſæcula in vtero meo, & ſpiritu virtutis tuæ. De reliquo quodcumque onus impones mihi, feram. Ego* K *quaſi iumentum apud te, & ero ſemper tecum: quia ſi* l *lucerna ſit ſub modio,* m *caro non prodeſt quidquam.*

Potuítne quidquam impudentius dici à Monacho & Moniali apoſtatis, ſacrilegis, libidine furentibus? & ſic per extremum propudium, ſacris ſcripturæ verbis ad ſummam turpitudinem abuti? O Chriſte Verbum magna eſt tua patientia.

Idem Lutherus in Colloquiis Menſalibus, fol. 454. & 445. agens de ſtatu Beatorum poſt vniuerſalem reſurrectionem, ait: *Deus nouam terram creabit, & nouum cælum: quin & noua creabit animalcula, & catellos, quorum cutis erit aurea, & pili de lapidibus pretioſis, vt cum his animi cauſa luſurè ſimus.*

Et libro de ſeruo arbitrio contra Eraſmum: *Nulli in manu ſua eſt cogitare quidquam mali aut boni, ſed Deus in nobis omnia bona & mala operatur.*

At iam ſatis de Luthero: nam horreſco referens tam nefanda. Fridericus Staphilus lib. de Concordiâ diſcipulorum Lutheri, Lindanus in Dialogo Dubitantio, Bellarminus lib. 4. de Eccleſia cap. 10. notant ex vno Martino Luthero emerſiſſe in Europa centum diuerſas ſectas, & capita hæreſum. Genebrardus lib. 4. Chronographiæ, anno 1534. inquit: *Tot támque pugnantes ſectæ & hæreſes hoc ferè tempore natæ ſunt, vt vix certus conſtet numerus. Quidam quinquaginta duas: alij ſexaginta quinque, alij nonaginta numerant. At Gaſpar Hedio Zuinglianus, epiſtolâ ad Melanchthonem, conqueritur emerſiſſe errores ferè centum viginti octo.* Enumerat complures idem Genebrardus ad annum 1555. ſed accuratiſſimè Sanderus lib. 7. de viſibili Eccleſiæ Monarchiâ, Iacobus Gaulterius in Chronographia. Ducentas ſectas è Lutheri hæreſi ortas annotat Florindinus Remundus lib. 2. de origine Hæreſeon, cap. 14. §. 2. Res & acta Martini Lutheri omni fide litterarum monumentis conſignarunt Ioannes Coclæus, & Laurentius Surius: vt alios innumeros omittam. Ergo non quidem verum Antichriſtum: ſed inter omnes hæreſiarchas à condita

condita Eccleſia Dei, hunc præ cæteris præcipuè fuiſſe magnum Antichriſti præcurſorem,& plurimi Catholici ſcriptores apertiſſimè demonſtrarunt: & id fateri res ipſa nos cogit.

At illud ſilentio minimè obruendum quod Tilmanus Bredembachius lib. 7. ſacrarum collationum c. 41. ex ſinceriſſimis teſtibus in hunc modum refert: *Cùm Maximilianus eius nominis Primus Imperator felicis recordationis, Augustæ Vindelicorum anno* 1518. *Imperialia comitia, eadémque vltima ſuæ Maieſtatis inſtituiſſet, ac patentibus valuis vti moris eſt, prandéret, ingreſſus eſt cum multis aliis triclinium prandentis Imperatoris, Martinus Lutherus. Maximilianus Imperator viſum Lutherum, cùm exactiùs paulò & diutiùs intueretur, tandem Baronem ex familia Schenck de Tophach Maieſtatis ſuæ aulicum & pincernam alloquitur his verbis: Vade, & aſpicias monachum à vertice capitis, vſque ad plantam pedis, & à planta pedis vſque ad verticem capitis diligentiſſimè, & quod videris, referto. Baro Imperatori interroganti reſpondit, ſe monachum cuculla indutum vidiſſe, quid verò pectori, & animo eius inſediſſet videre non potuiſſe.*

Imperator rurſus iiſdem quibus antea verbis mandat Baroni monachum denuò colluſtrare. Baro, etiamſi iterata vice adiret, refert ſe nihilo pluſquam antea videre poſſe. Imperator, phraſi ſibi familiari regerebat: Amore boni Dei, fac quæ iubeo. Baro obtemperans, vadénſque & rediens: eundem ſermonem Imperatori, vti ſuprà dictum, interroganti repetiit. Subiungit protinus imperator: Si tu nihil vidiſti, nec vides, dicam tibi quid ego videam: Video Cacodæmonem forma corporea humeris iſtius Monachi incubantem: & te quidem ſuperſtite, me verò defuncto, iſte monachus turbas, calamitates & miſerias grauiſſimas in Imperio concitabit. Hæc verba ex ore D. Maximiliani audiuit quidam præcipuus Germaniæ Princeps ſecularis, cuius nomen conſultò præterimus, qui eo ipſo tempore menſæ Imperatoris cum aliis Principibus, Comitibus, Baronibus, & Nobilibus adſtitit. Iſte vero Princeps hæc veraciter contigiſſe, filio ſuo retulit: qui filius Princeps & hæres hæc omnia & ſingula duobus Principum Electorum Conciliariis primariis fide dignis recenſuit: quem vtrumque probè nouimus: alter verò illorum adhuc ſuperſtes, hæc & voce & ſcripto nobis communicauit.

Non abſimile eſt quod refert Vvilhelmus Bibliothecarius lib. 3. de geſtis Anglorum; Cùm in extremis poſitum Epiſcopum Carnotenſem Fulbertum multi viſitarent, & ædium capacitas vix confluentibus ſufficeret, ille inter oppoſitas cateruas oculo longè conſpicatus Berengarium, niſu quo valuit expellendum indicauit: proteſtatus, immanem dæmonem propè ipſum conſiſtere: multóſque ad eum ſequendum blandiente manu, & illice anhelitu corrumpere. Hactenus, Bredembachius.

DE ANTICHRISTO LIB. II.

DE TEMPORE ADVENTVS ANTICHRISTI.

Rationes diuersæ annorum ab orbe condito ad Christum.

CAP. I.

HEBRÆORVM Chronicon Seder Olam Zuta, interprete Genebrardo hæc habet: *Anno centesimo tertio Regni Proselytorum, qui est annus quadringentesimus vigesimus a Templo restaurato: ter millesimus octingentesimus vigesimus octauus ab orbe condito, venit Vespasianus & solo æquauit Ædem.* Et Rabbi Abraham in Cabbala Historica: *Destructum est Templum sacrum ab orbe condito anno ter millesimo octingentesimo vigesimo nono*, at cùm iuxta certiorem chronologiam excidium Templi per Titum, in annum Domini septuagesimum secundum inciderit, perspicuum est, secundùm istos, inter mundi ortum, & Christi, effluxisse annos ter mille septingentos quinquaginta sex vel septem.

Xystus Senensis lib. 5. Bibliothecæ, annotatione 68. & Genebrardus lib. 2. Chronographiæ pag. 350. quasdam alias sententias Hebræorum percensent in hunc modum.

Rabbi Nahasson lib. de Cyclo Paschali. 3707. vel 3740.

Rabbi Leui in 12. Danielis. 3786.

Rabbi Moses Gerundensis. 4058.

Iosephus, annotantibus Genebrardo, Giselino, Drusio, 4192. menses 6. dies 10. Xystus tamen Iosepho dat 4103. Galesinius verò 4100. Ipse tamen Iosephus præfat. in libros Antiquitatum, ait: *Sunt autem innumera sacris litteris prodita, vt quæ quinque millium annorum historiam in se complectantur.* & lib. 1. contra Apionem, initio: *Quinque millium enim annorum numerum historiam continentem, ex nostris sacris libris Græco sermone conscripsi.* Nimirum in libris Antiquitatum.

Philo, vt notat Galesinius, 3960.

Talmudici, 3760. & quod excurrit à mense Septembri vsque ad 25. Decembris, quo natus est Christus: nam existimant Hebræi mundum Septembri creatum. Et hanc rationem vulgò sequuntur Iudæi in publicis scripturis & actis. v.g. Annus præsens Christi nati 1620. est illis conditi orbis MMMMMCCCLXXX. ad proximum vsque Septembrem.

Arabes, inquit Genebrardus, *annos 5188. præter eos qui Mahometem volunt sexto millenario venisse, vt Chronicis Saracenorum, post Alcoranum pag. 214.*

Græci in Horologio & Cyclo Paschali, atque in aliis publicis Græcanicæ Ecclesiæ indicibus, ab ortu rerum ad Christum numerant annos quinquies mille quingentos & octo, vt Christi primus natalis in 5509. currente statuendus sit. Et hæc est Æra qua hactenus Ecclesia Constantinopolitana vtitur, & ab Ecclesiis Orientis vocatur Computus Mundi, vt notat Scaliger lib. 3. Isagogicorum Canonum pag. 274. & 275. Vide Antonium Contium in Notis ad Chronicon S. Nicephori Episcopi Constantinopolitani. Sed cùm juxta LXXII. Interpretes à mundi initio ad Christum MMMMMD. tantùm numerentur anni, vt mox dicemus; quid est quòd Græci, qui LXXII. editione vti solent in consignandis mundi annis, octo ampliùs adiecerint? Scaliger id factum existimat ab eis, vt annorum orbis rationem ad computum Ecclesiasticum accommodarent: & Natalem Christi in I V. indictionem, quod postulabatur coniicerent: anno enim quinquies millesimo quingentesimo primo, non I V. sed X I. relinquebatur indictio: addendi ergo erant octò anni, vt Christi Natalis in I V. indictionem incurreret: qui erat creati mundi 5509. currens. Quin vt LXX. Editionem cum annis 5509. conditi orbis componerent Græci computatores, Genes. 11. vbi LXX. habent: *Et vixit Cainam centum & triginta annos, & genuit Sala.* pro eo quod Græcè est ϕλ. ἔτη, *centum triginta annos*, ipsi substituerunt ϕλθ. *centum triginta nouem annos*, quam lectionem in multis exemplaribus suo æuo extitisse scribit Georgius Monachus Syncellus Tharasij Patriarchæ Constantinopolitani, qui scripsit anno Domini 792. Eclogen Chronographicam, ex qua multa citat Scaliger in Eusebianis.

Idem annorum numerus ab Adam ad Christum 5508. notatur Canone 3. Trullano Pseudosynodi Constantinopolitanæ VI. cùm dicitur: *Vsque ad decimum quintum præteriti mensis Ianuarij, præteritæ quartæ Indictionis anni sex millesimi centesimi nonagesimi noni.* Nimirùm à rerum conditu. Est is annus Christi 691, aut 692. quo cõstat celebratam eam Synodum. Vide Baronium Annal. 8. anno Christi

Christi 692. & Binij Notas ad Canones Trullanos, tomo 3. Conciliorum.

Romana autem Ecclesia in Martyrologio Natalem Christi ita consignat: *Anno à creatione mundi, quando in principio creauit Deus cælum & terram, quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono, Iesus Christus in Bethleem Iudæ nascitur.* Sic etiam Vsuardi Martyrologium habet. Sed audi quid ad hæc annotet Scaliger in Eusebianis pag. 261. columna 1. *Eusebius Christum natum scribit anno à natali Abraham 2016. ab Adam 5200. hoc est secundùm Eusebium, ab Adam ad Natalem Messiæ, anni 5199. absoluti. Quæ planè Martyrologium Romanum sequitur: Anno à creatione mundi, quando in principio creauit Deus cælum & terram, quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono, &c.* Ibi commentarius: *Ita antiquæ Tabulæ Ecclesiarum secundùm supputationem LXXII. Interpretum, ex Eusebij Chronico, &c. Ex Eusebij quidem Chronico, verum est: sed ex LXXII. rationibus, falsissimum: secundùm quos annus Eusebianus 5200. est 5499. annus Christi Dionysianus secundùm Eusebianam rationem ab Adam est 5201. secundùm LXX. 5501. In Martyrologio hic error est, quòd qui est Eusebio 5200. is est annus qui antecessit Dionysianum. Alter in commentario longè absurdior, cùm iste annorum epilogismus attribuatur LXX. Interpretibus, qui est Eusebij: & quidem trecentis annis maior Eusebiano. Tamen auctor Commentarij pro LXX. pugnat armatus. Sed opus est libro non mediocri ad confutandam illam de Christi Natali diatribam, & insignes auctoris hallucinationes.*

Insignem hominis vanitatem! Iugulatus jacet miser Baronius festucâ Scaligeri! Et quis nescit epilogismum Eusebij maiori ex parte conflatum ex rationibus LXX. præsertim in annis ab Adam ad Abraham? Nonne tu Scaliger sæpiùs inducis Georgium Monachum querentem de Eusebio, eúmque vituperantem, & tuo judicio, meritò, quòd cùm se in annorum mundi ratione Hebræos sequi profiteatur, in partes Septuaginta Seniorum transeat? Nonne Eusebianorum pag. 13. in fine, sunt hæc tua verba? *Meritò igitur reprehenditur à Georgio Eusebius; quòd cùm minorem numerum sequi se profiteatur: tamen Septuaginta Seniores in his* (scilicet annis ab Adam ab Abraham) *sequitur. Certè rationes Eusebij partim à Septuaginta senioribus sunt, partim ab ipso Eusebio.* Memineris quæ scripsisti pag. 242. col. 2. Sed vide infrà cap. 8. Addo verba S. Iuliani lib. 3. aduersus Iudæos: *Diuus Hieronymus omnes annos ab initio mundi vsque ad Christum in Chronicorum libro Eusebij, quem de Græco in Latinum vertit, non de Hebræis, sed de LXX. Interpretum codicibus intelligere voluit.*

nos MMMMMDXIV. computasse.

Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum: *Anni ab Adam vsque ad mortem Commodi, MMMMMDCCXXXIV. II. menses XII. dies.* Ita in editione Gentiani Herueti Parisiensi 1612. At idem Clemens paulò inferiùs subdit: *Fiunt autem ex quo natus est Dominus, vsque ad mortem Commodi, anni omnes CXCIV.* quæ est verior Chronologia: sícque secundùm Clementem, ab Adam ad Christum effluxerunt anni MMMMMDXL. In aliis Clementis codicibus ab Adam ad mortem Commodi ponuntur anni MMMMMDCCLXXXIV. vndè summa erit à mundo creato ad Christum MMMMMDXC.

De Iulio Africano Scaliger Prolegomenis ad Chronicon Eusebij pag. 3. ait: *Ab Adam ad annum primum Christi Dionysianum, Africanus tot putat annos, quot ex LXX. Seniorum rationibus colliguntur, MMMMMD.*

Origenes tractatu 29. in Matthæum: *Arbitror autem quatuor millia nongentos esse annos ab Adam vsque ad septuaginta annos post Dispensationem Christi.* Ergo si demas septuaginta annos diuinę Christi œconomiæ, sunt ab Adam ad Christum nascentem secundùm Origenem MMMMDCCCXXX.

Eusebius Cæsarienses, proœmio in lib. 2. Chronici: *Cùm diuinam Scripturam diligenter euolueris, à natiuitate Abrahæ, vsque ad totius orbis diluuium, inuenies retrorsum annos DCCCCXLII: item à diluuio vsque ad Adam, MMCCXLII.* Deinde in Chronico, in ortu Christi: *Colliguntur omnes ab Abraham vsque ad Natiuitatem Christi, anni MMXV.* Efficiunt omnes ab Adam ad Christum MMMMMCXCIX. Et hic est numerus Eusebianus, quem Martyrologia, Romanum & Vsuardi sequuntur. Ceterùm apud Anastasium Episcopum Nicænum, quæstione 93. in Sacram Scripturam hæc verbatim ex Eusebij Chronicis referuntur: *Nam postquam sunt impleti quinquies mille quingenti anni à mundi creatione, aduenit Dominus noster, & natus est secundùm carnem ex virgine Maria.* & post alia subiicit Anastasius, ex eisdem Eusebij Chronicis, hoc aliud fragmentum: *His autem sic dictis, est maximè necessarium notare etiam annum creationis mundi, in quo suscepit supramundanam in mundo Incarnationem ex sancta virgine Maria Dominus noster Iesus Christus. Erat ergo tunc quinquies millesimus quingentesimus annus, vt habet Scriptura in sacris litteris, annorum qui numerantur ab Adam. In eo enim fuit, & Annuntiatio Virginis, & castissimus ex ea partus.* Collegit hæc eadem Eusebij Fragmenta ex Anastasio Ioannes Curterius, atque à se è Græco in Latinum conuersa edidit, cum aliis eiusdem Eusebij fragmentis.

S. Epiphanius hæresi 66. colum. 555. *Christi verò aduentus decimo quinto Tiberij Cæsaris anno prædicationem incepit, post trigesimum natiuitatis ipsius annum: quod tempus incurrit in quinquies millesimum quingentesimum nonum creationis mundi annum, & trigesimum ætatis ipsius, trigesimum verò tertium vsque ad crucem.*

S. Anastasius Sinaïta Antiochenus Episcopus lib. 7. in Hexaëmeron: *Quinquies millesimo & quingentesimo anno mundi incarnatus apparuit Christus.*

S. Nicephorus Constantinopolitanus Episcopus in Chronico cap. 9. *Fiunt igitur vniuersi ab Adam ad Domini nostri Iesu Christi in carne œconomiam, exquisitissima ratione, anni quinquies mille quingenti.* Contius hîc hanc oppositit notam: *Ab Adam vsque ad Christum anni 5508. si omnes spe-*

Græcos, & Latinos Patres variè annotasse annos ab ortu mundi ad Natalem Christi.

CAP. II.

SAnctus Theophilus Episc. Antioch. lib. 3. ad Autolicum: *At vniuersum tempus à condito mundo vsque ad mortem Imperatoris* (Marci Aurelij) *Veri, habet annos MMMMMDCXCV.* cùm obitus Marci Aurelij juxta certiores Fastos in annum Christi CLXXXII. inciderit, satis apertè videtur sanctus Theophilus ab Adam ad Christum an-

ciales & vniuersas summas priùs (in S.Nicephori Chronico) *expositas, & à nobis restitutas in vnum collegerimus. Hæc quam collegimus exactissima est, & vsu à Græca Ecclesia recepta, vt ostendit Canon 3. Synodi in Trullo, & Horologium Græcorum Venetiis impressum, anno Christi 1535. & Cyclus Paschalis ibidem subiectus.* Vide quæ de hac re notauimus sup. cap. Ego retinendam quam descripsimus in S.Nicephoro summam 5500. iuxta LXXII.Interpretes, potiùs existimauerim.

Epiphanius Diaconus actione 6. Concilij II. Nicæni: *In primo enim & quinquies millesimo anno Christus Deus noster ad homines venit.*

Hesychius Serm.in Christi Natalem apud Anas..sium Episcopum Nicænum quæst.9.in sacram Scripturam, hæc scribit: *Nam in 42. anno Imperij Augusti, mensis decẽbris 25. die 2. hora tertia diei natus est Dominus noster Iesus Christus secundùm carnem ex Maria Virgine, anno secundùm Antiochenos à creatione mundi, vsque ad natalem Christi, & crucifixionem quinquies millesimo. Nam ab Adam vsque ad Phaleg filium Heber anni ter mille: & à Phaleg vsque ad quadragesimum secundum annum regni Augusti anni duo millia, & deinde conuersatus est Seruator cum hominibus annos triginta tres: adeò vt sint ab Adam vsque ad natalem Christi annorum quinque millia plena: quos quidem & Clemens, & Theophilus, & Timotheus Dei amantissimi Chronographi exposuerunt, consentientes quòd in quinto millenario annorum apparuit Dominus, & seruauit genus hominum. Alij autem dicunt venisse Dominum anno quinquies millesimo quingentesimo. Sed non multi in hoc conueniunt. In quinquies millesimo autem anno omnes accurati scriptores conueniunt apparuisse Christum. Nam etsi de eo nonnulli dissentiunt, vox tamen prophetica est vera quæ magis docet apparuisse Dominum anno quinquies millesimo.*

Hippolytus Thebanus in Chronico, quod Græcè & Latinè edidit Henricus Canisius tom.3. Antiquarum Lectionum, hæc habet: *Nascitur itaque Dominus noster Iesus Christus secundùm humanam naturam diebus postremis, sexies millesimo à creatione mundi anno, 42. Augusti Imperatoris anno, mense decembri, 25. noctis hora* 10. Et post alia agens de Patribus Concilij Nicæni, quomodo postulante Magno Constantino rationem celebrandi Paschatis constituerint, hæc scribit: *At illi disputatione, disquisitionéque facta, initáque, temporéque non modico illic commorati, à Deo per Angelum vix eiusmodi obtinere potuerunt oraculum. Id autem constat tredecim periodis, siue reuolutionibus, orsis à primi sæculi primordio, & in ipso sex millesimo decimo sexto anno desinentibus. Enumerando igitur has periodos, decima completa est anno quinquies millesimo trecentesimo vigesimo. De incœpta autem vndecima periodo centum octoginta sex anni abierunt, & humanam naturam induit Dominus noster Iesus Christus, vt Liber Nicomedienſis, & Metaphrastes habent. Magnus verò Basilius dicit: In ipso quinquies millesimo quingentesimo anno Dominus noster Iesus Christus nascitur. Itaque ex supradicta vndecima periodo supersũt anni sex. Reliqui Scriptores, vt Eusebius Pamphili, Eustathius, Georgius, Chronologi, & alij centum octoginta dumtaxat annos putant & statuunt.* Cæterùm his ab Hippolyto annotatis Canisius hoc affixit scholion: *Vt clariora fiant quæ hoc loco de periodis Hippolytus scribit, adscribere placet, quæ ad hunc locum Hippolyti annotauit nobilis & amplissimus dominus Ioannes Georgius Hervvardus, Bauariæ Cancellarius, vir omnis Chronologiæ peritissimus. Anni, inquit, 532. reddunt periodum, scilicet Lunarem. Decem tales periodi reddunt annos 5320. His annis ex vndecima periodo alij addunt solos 180. sicque illis natus est Dominus noster Iesus Christus 5500. anno mundi: quippe sex annis citiùs. Nam alij prædictis decem periodis, seu annis 5320. addunt annos 186. ita vt illis natus sit Dominus noster anno mundi 5506. sex annis tardiùs. Hæc dominus Hervvardus. Prioris opinionis est S.Basilius, Eusebius, Eustachius, & Georgius Syncellus, vt ait Hippolytus: posterioris autem, Metaphrastes & Nicomediensis.* Hæc Canisius.

Suidas in Adam: *Ferunt ab Adamo ad diluuium, annos esse 2200. A diluuio ad turris ædificationem, annos 522. Ab ædificatione turris ad Abrahamum, annos 425. Ab Abrahamo ad exitum Israëlitarum ex Ægypto annos 430. Ab exitu ad Salomonij templi ædificationem, annos 757. Ab ædificatione templi vsque ad captiuitatem Israëlitarum, annos 455. Quæ summa collecta in vnum facit annos 4880. A captiuitate ad Alexandrum Macedonum Regem, 318. Ab Alexandro ad Christum Deum nostrum, 303. Qui collecti omnes faciunt quinquies mille quingentos.* Hæc Suidas, Sed apparet numeros esse deprauatos, cùm subducta ratione, summa non constet.

Nicephorus Callistus lib.1.hist.cap.10. *Agebatur tum annus à mundo condito quinquies millesimus quingentesimus quintus; ab Augusti Imperio quadragesimus secundus, quum Saluator noster in Bethleem natus est.* Eandem summam init cap. 40. eiusdem libri. Cedrenus huic summæ vnum addit annum: nam Christum natum tradit anno mundi 5506.

De Panodoro Monacho peruetusto hæc notat Scaliger in Eusebianis pag.260. *Secundùm Panodorum Monachum veterem Ægyptium æqualem Isidori Pelusiotæ, ad annum primum Christi Dionysianum sunt anni 5490. Nam annus Christi 326. est Vicennaliorum Constantini, quem Panodorus ait esse 5816. ab Adam: de quibus deductis annis Christi Dionysianis 326. superest interuallum ab Adam ad annum primum Christi, 5490.* Subiicit Græca Panodori verba ex Proëmio illius Chronographiæ: deinde addit: *Sed quum ab Adam ad annum Christi vulgarem, collegerimus annos tantùm 5490. Georgius tamen Monachus tres amplius addit 5493.* Hæc Scaliger.

Sed iam Latinos Patres audiamus. Chronicon vetustissimum scriptum ab Anonymo auctore sub Alexandro Seuero Imperatore, editum ab Henrico Canisio tomo 2. Antiq.Lectionum, lib.1.cap.17. hæc habet: *Fiunt igitur omnium anni ab Adam vsque ad tertium decimum Alexandri Imperatoris, anni quinquies mille septingenti triginta octo.* Et cap.18. *Fiunt igitur omnes anni ab Adam vsque in hunc diem, anni quinquies mille septingenti triginta octo.* At cùm meliores Fasti annum tertiumdecimum Alexandri in annum nati Christi 236. coniiciant, videtur auctor Anonymus ab orbis initio ad Christum 5502. annos enumerasse.

S. Cyprianus præfatione libri de exhortatione ad Martyrium: *Sex millia annorum plenè* (aliàs penè) *complentur, ex quo hominem diabolus impugnat.* Annotauit Baronius eam Exhortationem scriptam ab auctore anno Christi 255. Vnde videtur S.Cyprianus existimasse à rerum conditu ad Christum elapsos 5745 annos. Sed Scholiastes Pamelius Lectionem, *penè*, præferens, ait: *Penè compleri itaque dixit sex millia annorum, eo quòd quinquies mille iam præteriissent, saltem secundùm LXX. Interpretes, quorum translatio tunc in vsu erat.*

Lactantius Firmianus lib.7.Diuinarum Institutionum cap.25. ea ductus opinione, mundum non

nisi

niſi ſex millibus annis duraturum, hæc tradit: *Quando tamen compleatur hæc ſumma, docent ij qui de temporibus ſcripſerunt, colligentes eam ex litteris ſanctis, ex variis hiſtoriis, quantus ſit numerus annorum ab exordio mundi. Qui licet varient, & aliquantulum numeri eorum ſumma diſſentiat: omnis tamen expectatio non ampliùs quàm ducentorum videtur annorum. Etiam res ipſa declarat, lapſum, ruinámque rerum breui fore.* At cùm Lactantius videatur ſuum opus in perſecutione Licinij conſcripſiſſe, nimirum à Chriſto nato 316. vt annales Eccleſiaſtici obſeruant: ab eóque tempore ad mundi finem ducentos dumtaxat ſuperfuiſſe annos affirmet; intelligimus Lactantium à mundi procreatione ad Chriſtum annos 5484. numeraſſe.

S. Philaſtrius Hæreſi 63. poſt Apoſtolos: *Ab Adam vſque ad Diluuium decem ſunt generationes, & annorum 2242. anni. A Diluuio vſque ad confuſionem linguarum ſub Heber ſancto, penè 600. anni. Exinde vſque ad Abraham Patriarcham, anni 540. Et ab Abraham vſque ad Moſen, anni 430. vt ait Beatus Apoſtolus. Et à Moſe vſque ad Samuël Iudicem, 629. anni. Et à Samuël & Dauid vſque ad captiuitatem Iudæorum in Perſide, anni penè 500. Et à captiuitate vſque ad Domini noſtri præſentiam anni penè 500.* Conſurgit hinc ſumma annorum 5441. ab Adam ad Chriſtum S. Ambroſij rationem habes infrà cap. 22.

Seuerus Sulpitius lib. 1. Sacræ Hiſtoriæ, ſub initium: *Mundus à Domino conſtitutus eſt ab hinc annos iam pene ſex millia, ſicut proceſſu voluminis iſtius digeremus. Quanquam inter ſe parum conſentiant, qui rationem temporum inueſtigatam ediderunt. Quod cum Dei nutu, vel vitio vetuſtatis eueniat, calumnia carere debebit.* Scripſit Seuerus primo Conſulatu Stiliconis, id eſt, anno Chriſti 400. vnde videtur ab initio mundi computaſſe ad Chriſtum annos 5600. Sed Scholiaſtes Druſius annotat: *Penè. Deerant anni 171. (potius 181.) nam ex ſupputatione ipſius colliguntur vſque ad Conſulatum primum Stiliconis, hoc eſt, vſque ad annum Chriſti 400. 5819.*

Sanctus Hieronymus comment. in Epiſt. ad Titum 1. *Sex millia necdum noſtri temporis implentur anni.*

Quintus Iulius Hilarion libello de Mundi duratione: *A fabrica Mundi vſque ad Paſſionem Chriſti Saluatoris noſtri, anni ſunt quinquies mille triginta.* Exiſtimat ipſe paſſum Chriſtum ætatis anno trigeſimo, relinquit ergo à mundi primordiis ad Chriſtum 5000. præcisè.

S. Auguſtinus 12. de Ciuitate Dei cap. 12: *Vt minùs quàm ſex millia ſint annorum, ex quo eſſe cœpiſſe (homo) in ſacris litteris inuenitur.* Et inferiùs: *Quapropter quod nos modò quærimus, poſt quinque millia, & quod ampliùs excurrit annorum, &c.* nempe à creato homine. Et cap. 10. *Cùm ex litteris ſacris ab inſtitutione hominis nondum completa annorum ſex millia computemus.*

Paulus Oroſius lib. 1. Hiſtoriarum cap. 1. *Sunt autem ab Adam primo homine vſque ad Ninum magnum, vt dicunt, Regem, quando natus eſt Abraham, anni tria millia centum octoginta quatuor, qui ab omnibus hiſtoriographis vel omiſſi, vel ignorati ſunt. A Nino autem vel Abraham vſque ad Cæſarem Auguſtum, id eſt, vſque ad Natiuitatem Chriſti, quæ fuit anno Imperij Cæſaris quadrageſimo ſecundo, cùm facta pace cum Parthis, Iani portæ clauſæ ſunt, & bella toto orbe ceſſarunt, colliguntur anni duo millia quindecim: in quibus ſe inter auctores Scriptoréſque omnium otia, negotiáque triuerunt.* Summa eſt 5199. quæ ipſiſſima eſt Chronici Euſebiani.

Caſſiodorus ad finem Chronici, agens de Conſulatu Eutharici Cilicæ, generi Theodorici Regis, & mariti Amalaſuinthæ, qui incidit in annum Domini 519. hæc ait: *Ac ſi totus ordo ſæculorum vſque ad Conſulatum veſtrum colligitur, anni ſunt 5721.* Ergo à mundi principio ad Chriſtum putat annos 5202.

Iornandes de regnorum ſucceſſione, in regno Græcorum: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus de ſancta Virgine natus eſt anno ab origine mundi VMD.*

S. Iſidorus lib. 5. Originum cap. 39. *Chriſtus naſcitur anno mundi quinquies milleſimo ducenteſimo vigeſimo.* Et ad finem capitis. *Colligitur omne tempus ab exordio mundi vſque ad præſentem annum decimum glorioſiſſimi Principis, qui eſt Heraclius, quinquies mille octingenti quinquaginta ſeptem anni.* Annus Heraclij decimus, eſt Chriſti 629. vnde iuxta S. Iſidorum, à mundo condito ad Chriſtum ſunt anni 5237. Et in Chronico ad finem quintæ ætatis ſæculi: *Finitur quinta ætas per annos quinquies mille centum quinquaginta quinque.* Nimirum à mundi initio ad Auguſtum: quibus ſi addas 42. Auguſti, quo anno natus eſt Dominus, erunt ab Adam ad Chriſtum ſecundùm Iſidorum 5197.

S. Iulianus Toletanus Epiſcopus lib. 3. contra Iudæos: *Etenim ſi quæramus annos à principio mundi, vſque ad natiuitatem Chriſti, ſecundùm codices Septuaginta tranſlatorum, ſubſequentibus etiam quibuſdam hiſtoriis gentium, reperiuntur ab Adam vſque ad Chriſtum anni, 5200.* Hic eſt numerus propriè Euſebianus.

S. Beda Libello de ſex ætatibus mundi, Primæ ætati tribuit annos 1656. Secundæ, 292. Tertiæ, 942. Quartæ, 473. Quintæ ad Chriſtum vſque naſcentem, 589. ſummámque colligit ab ortu mundi ad Chriſtum, 3952.

S. Ado Viennenſis Epiſcopus in Chronico, natum tradit Chriſtum anno mundi 4832.

Hermannus Contractus in Chronico: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus in Bethleem Iudæ naſcitur, tranſactis ab initio mundi ſecundùm Hebraïcam veritatem annis 3952. Secundùm Septuaginta Interpretes verò, 5199.* Hæc potiùs eſt ſumma Euſebiana.

Lambertus Schafnaburgenſis in Chronico, Primæ mundi ætati conſignat annos 1656. Secundæ, 292. Tertiæ, 942. Quartæ, 483. Quintæ vſque ad aduentum Saluatoris 588. Summa eſt 3961. Deinde annos Ætatum aliter concipit, Primæ dat annos 1656. Secundæ, 292. Tertiæ, 942. Quartæ, 453. Quintæ, 580. niſi error inſit numeris; conſtátque ſumma, 3923. Tandem ait: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus naſcitur completis ab Adam, iuxta Hieronymum, annis 5199.* qui eſt calculus Euſebianus.

Marianus Scotus lib. 2. Chronicorum, initio; *Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei naſcitur anno ab origine mundi 4193. Indictione 4.*

Otto Friſigenſis lib. 3. Chronici cap. 7. *Reuolutis ab Adam 5500. annis, Ieſus Chriſtus Filius Dei in Bethleem Iudæ naſcitur.* Eſt hic calculus iuxta LXX. Interpretes.

Gotfridus Viterbienſis in Chronico parte 15. *Reuolutis ab Adam 5500. annis, natus eſt Ieſus Chriſtus Filius Dei in Bethleem Iudæ.* Idem qui & ſuperior calculus.

Lucas Tudenſis in Chronico, Sexta mundi ætate: *Quandoquidem de intemerata Virgine Maria natus eſt Deus & homo Chriſtus, fluxerant ab Adam anni quinque millia ducenti, vno excepto, ſecundùm Septuaginta Interpretes: ſecundùm Hebræos verò longè pauciores.* Conuenit hic epilogiſmus 5199. cum eo qui eſt in Chronico Euſebiano, vti ſæpiùs diximus.

Martinus Polonus in Chronico lib. 4. ſub initium: *Fuerunt ergo vſque ad Natiuitatem Chriſti, completi anni ab Adam vſque ad Chriſtum quinque millia centum nonaginta nouem.* Et hic quoque eſt numerus Euſebianus.

Vvernerus Rolevvinkius in Temporum Faſciculo: *Æra Chriſtianorum principaliſſima, omnium Ærarum notiſſima, celeberrimáque: ipſe eſt annus Octauiani 42. Olympiadis centeſimæ nonageſimæ tertiæ: & ſecundùm Bedam annus mundi 5199. completus.*

Vnum tolle datum ad millia quinque ducentis, Naſcenti Domino Beda dat Protoplaſto. Item: *Ante Chriſtum ducentùm minus vno millia quinque.*

Non erit finis ſi omnes omnium rationes de annis conditi orbis ad Chriſtum naſcentem, hîc pergamus inſerere. Adductæ hactenus, abundè fidem faciunt, quanta varietate laboratum ſit antiquis Græcis, & Latinis ſcriptoribus in conſignando numero annorum ab orbe creato ad Chriſtum. Cauſas verò tantæ diuerſitatis ſi velimus eruere, magnũ nobis opus aliquod chronologicum condendum fuerit. Illud ſatis conſtat, auctores omnes, ſeu Græcos, ſeu Latinos qui annorum numerum ab Adam ad Chriſtum vltra quintum millenarium extenderunt, haud dubiè ſequutos eam annorum rationem, quam Septuaginta Interpretum editio in annotandis Sacræ Scripturæ annis repræſentat: iuxta quam multò maior annorum ſumma colligitur, quàm ex Hebraïca veritate, vt mox oſtendemus. Quòd verò iidem ipſi qui Septuaginta Seniorum tranſlationem hac in re amplexi ſunt, etiam inter ſe diſcordent dum alij quinto annorum millenario pauciora, alij plura ſæcula adiiciant, hoc factum, cùm ob alias cauſas, quarum nonnullas deinceps prodemus, tum ob diuerſa quæ nacti ſunt Septuaginta Interpretum exemplaria. De quibus ſanctus Hieronymus præfat. in lib. Paralipomenon: *Nunc verò cùm pro varietate regionum diuerſa ferantur* (Septuaginta Interpretum) *exemplaria: & germana illa antiquáque tranſlatio corrupta ſit atque violata, &c.* Et paucis interjectis: *Alexandria & Ægyptus in Septuaginta ſuis Heſychium laudat auctorem. Conſtantinopolis vſque ad Antiochiam, Luciani Martyris exemplaria probat. Mediæ inter has Prouinciæ Palæſtinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Euſebius & Pamphilus vulgauerunt: totúſque orbis hac inter ſe trifariã varietate compugnat.* Atqui eam quoque varietatem in Latinos dimanaſſe, non eſt dubium, cùm ex diuerſis Septuaginta Interpretum codicibus, diuerſæ quoque conflarentur Latinæ editiones.

***

In ratione annorum ab orbe condito ad Diluuium, quæ ponitur Geneſ. 5. magnopere diſcrepare Septuaginta Interpretum tranſlationem ab Hebraïca veritate & vulgata Latina editione.

CAP. III.

RAtio Septuaginta Interpretum in optimis quibuſque exemplaribus, præſertim in poſtremo, Romæ excuſis, eſt eiuſmodi:

Adam anno ætatis ſuæ 230. genuit Seth.	230
Seth 205. genuit Enos.	205
Enos 190. genuit Caïnan.	190
Caïnan 170, genuit Malaleel.	170
Malaleel 165. genuit Iared.	165
Iared 162. genuit Henoch.	162
Henoch 165. genuit Mathuſalem.	165
Mathuſalem 167. genuit Lamech.	167
Lamech 188. genuit Noë.	188
Noë 600. erat annorum quando cœpit Diluuium.	600

Summa conficitur duũm millium ducentorum quadraginta duorum annorum. 2242.

S. Theophilus lib. 3. ad Autolycum: *A condito mundo, vſque ad Diluuium numerantur anni* 2242.

Chronicum priſcum ſub Alexandro Seuero cap. 1. *Fiunt ergo ab Adam vſque ad Diluuium anni* 2242.

Euſebius lib. 1. Chronici: *Ab Adam vſque ad Diluuium anni ſunt* 2242. Et in Proœmio lib. 2. *A Diluuio vſque ad Adam inuenies retrorſum annos* 2242.

Seuerus lib. 1. Hiſtoriæ ſacræ: *Id* (Diluuium) *geſtum à mundi exordio, poſt annos, vt ego comperio, bis mille ducentos duos & quadraginta.*

S. Philaſtrius Hæreſi 63. *Ab Adam vſque ad Diluuium ſunt* 2242 *anni.*

Caſſiodorus in præfatione Chronici: *Ab Adam primo homine vſque ad Diluuium, colliguntur anni* 2242. Et ad finem Chronici: *Ab Adam vſque ad Diluuium, ſicut ex Chronicis Euſebij & Hieronymi collegimus, anni ſunt* 2242. Iornandes de Regnorum ſucceſſione: *Ab origine etenim orbis, primáque creatione tam hominum quàm elementorum, vſque ad orbis terræ Diluuium, ſecundùm veridici legiſlatoris verba Moyſi, duo millia ducentos quadraginta & duos annos colligimus.* S. Iſidorus in Chronico: *Finitur prima ætas per annos* 2242. Eadem habet libro 5. originum cap. 39. S. Iulianus Toletanus Epiſcopus lib. 3. aduerſus Iudæos: *Secundùm codices autem Septuaginta Interpretum ab Adam vſque ad Diluuium, anni* 2242. S. Beda de ſex Ætatibus Mundi: *Prima mundi Ætas ab Adam vſque ad Noë, continet annos, iuxta LXX Interpretes,* 2242. S. Ado Viennenſis in Chronico: *Hæc prima ætas ſæculi continet annos, ſecundùm LXX. editionem,* 2242. Vetus Auctor in Excerptis ex 1. lib. Chronici Euſebij, & Pentabiblo Iulij Africani, à Ioſepho Scaligero editus: *Fiunt autem ſimul anni ab Adam ad Diluuium* 2242. Zonaras tomo 1. Annalium: *Noë ab Adamo decimus numeratur, annis* 2242. *elapſis vſque ad Diluuium.* Et hanc eſſe annorum ſummam ab Adam ad Diluuium iuxta LXX. Interpretes, affirmant etiam Hermannus Contractus in Chronico, Marianus

rianus Scotus, Lucas Tudenſis, & innumeri alij: imò & recentiores eandem chronologiam ex Septuaginta referunt, Xyſtus Bibliothecæ lib.5. annotatione 68. Genebrardus lib.1. Chronographiæ pag.21. Vielmius de Sex diebus conditi orbis,lect.5.Pererius lib.7.in Geneſ.quæſt.2. Delrius in 5. Geneſ. & plures alij. Et hanc ſanè ſummam ſequuntur Martyrologia,Romanum, & Vſuardi: nam cùm ab Adam vſque ad Chriſtum numerent annos 5199. à Diluuio ad Chriſtum putant 2957. relinquunt ergo à Diluuio ad Adam retrorſum 2242.

S.Theophilus lib.3.ad Autolycum,ab Adam ad Diluuium ita annos conſignat:

Adam natus annos 330.*genuit filium nomine Seth.* 330.

Seth natus annos 205. *genuit filium nomine Enos.* 205.

Enos vixit annis 190. *& genuit filium nomine Cainan.* 190.

Cainan natus annos 170. *genuit filium nomine Malaleel.* 170.

Malaleel natus annos 165. *genuit filium nomine Iared.* 165.

Iared natus annos 192.*genuit filium nomine Enoch.* 192.

Enoch natus annos 175. *genuit filium nomine Mathuſala.* 175.

Mathuſala natus annos 187. *genuit filium nomine Lamech.* 187.

Lamech natus annos 188.*genuit filium nomine Noë.* 188.

Sub Noë, cùm annos natus eſſet 600. *contigit Diluuium.* 600.

*Itaque à condito homine vſque ad Diluuium reperiuntur anni,vt ex prædictis liquet,*2322.Hæc ſanctus Theophilus. Sed hæc ſumma non deducitur ex prædictis numeris: ſiquidem major ex illis accipitur, nempè, 2402. & nonne manifeſtè pugnat cum his quæ poſteà idem S. Theophilus ait; *A condito mundo vſque ad Diluuium numerantur anni* 2242.Sed ſunt inibi menda non pauca.

Suidas à vulgata LXX. ratione quadraginta duos annos detrahit, cùm ait: *Ferunt ab Adamo ad Diluuium annos eſſe* 2200.Hippolytus Thebanus in Chronico, ſi mendum non inſit, centenarium integrum aufert:*Vt à primordio ſecundùm Hebræam computationem mundi demonſtres originem,tolle atque aufer à protoplaſto Adam vſque ad Noë ſub quo Diluuium extitit,annos* 2142.Fortè 2242.

Maius negotium faceſſit S.Nicephorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus in Chronico:ait enim: *Anni vniuerſi ab Adam vſque ad Diluuium, ſecundùm Septuaginta Interpretes,ſunt* 2242.*Quem numerum teſtimonium veritatis, & veterum Eccleſiarum omnium traditiones comprobant.*Ita quidem Ioachimus Camerarius edidit, & alij legunt: ſed Antonius Contius in Notis exiſtimat in S.Nicephoro reſtituendum numerum deprauatum,& pro 2242. reponendum 2262. quòd nimirum S.Nicephorus in numeris ſingulorum Patriarcharum notandis conſentit quidem cum calculis illis,quos ex LXX. ſuperiùs poſuimus,niſi in Mathuſalem, cui,quando genuit Lamech,ætatis 187. tribuit,viginti amplius quàm in vulgatiore Editione LXX. vnde neceſſe eſt vt tota ſumma conſurgat annorum 2262. viginti major quàm illa, quæ vulgo eſt in LXX. Certè Græca LXX. Interpretum tranſlatio ab Aldo Manutio edita, & Baſileenſis Cephalæi, & ea quæ extat apud S.Chryſoſtomum homil.20. in Geneſim, Mathuſalæ 187.annos aſſignat.Equidem tempore S.Auguſtini quoſdam LXX. codices Mathuſalæ 187. tribuiſſe, ipſe ſatis ſignificat, cùm 15.de Ciuitate,cap.13. ait:*In quibuſdam etiam codicibus Græcis tribus, & vno Latino,& vno etiam Syro, inter ſe conſentientibus, inuentus eſt Mathuſalem ſex annis ante Diluuium fuiſſe defunctus.* Et quæſt.2. in Geneſim: *Etiam in Septuaginta interpretatione Mathuſalem in codicibus paucioribus, ſed veracioribus,ſex annos ante Diluuium reperitur fuiſſe defunctus.* Nimirum quia in codicibus illis Mathuſalem anno 187. genuit Lamech. Lamech anno 188. genuit Noë: Noë anno 600. fuit Diluuium. Fiunt ab ortu Mathuſalæ ad Diluuium anni 975. ipſe tantùm vixit 969. ſex igitur ante Diluuium obierat. Quin & Ioſephus lib.1. Antiquit.cap.4. S.Theophilus lib.3.ad Autolycum, S. Ado Viennenſis in Chronico Mathuſalæ eoſdem 187. quos S.Nicephorus tribuunt: qui eſt numerus veritatis Hebraïcæ.

Cernis perſpicuè cauſam,cur in quibuſdam LXX. codicibus Mathuſalæ 187. aſſignentur, ſeu quia hæc fuerit antiqua & vera lectio LXX. in aliquibus exemplaribus conſeruata: ſeu quia corruptis alioquin omnibus LXX. codicibus, Patres de induſtria quoſdam ad veritatem Hebraïcam reſtituerint: ſcilicet vt hoc pacto vitaretur abſurditas illa, qua videretur Mathuſalem Diluuio ſuperuixiſſe,vt rectè Contius annotauit. De qua re deinceps accuratè diſſeremus.

Ceterùm ipſe Contius tuetur in S.Nicephoro ſummam ab Adam vſque ad Diluuium ſecundùm LXX. Interpretes annorum 2262. quam etiam legi in manuſcripta Nicephori Chronologia apud Anaſtaſium Bibliothecarium,eidem Contio indicauit Pithæus. Garſias Loayſa in Notis ad Chronicon S.Iſidori, ait: *Eſt apud me Chronicon Græcè manuſcriptum anonymon, vbi anni* 2262.*referuntur: cuius hæc ſunt verba: Anno centeſimo Sem, ſexcenteſimo verò Noë, creationis autem mundi bis milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſecundo factum eſt diluuium ſuper terram.* Scaliger in Prolegomenis Euſebianis pag.3.inquit: *Ex rationibus Septuaginta Seniorum colliguntur anni MMCCLXII.non* MMCCXLII. *ab Adam ad Diluuium: vbi XX. annis amplior eſt epocha Africani, Chronici Caſauboniani, Nicephori Patriarchæ, & Honorij Auguſtodunenſis, quàm hodiernorum exemplarium editiones LXX.* Et in Notis ad Græca Euſebij omnimodæ Hiſtoriæ Sozomena, pag. 242. ad finem: *Epiphanius etiam ab Adam ad Diluuium putat annos MMCCLXII.quot Africanus.*& pag.243. *Nam,vt Georgius Monachus Syncellus ait, Africanus collegit ab Adam ad Diluuium, annos MMCCLXII. annis XX. pluſquam vulgus: quia eius ætuo adhuc intactus manebat locus de annis Mathuſalæ,quando Lamechum genuit,nimirum CLXXXVII.non autem, vt poſtea deprauatum eſt, CLXVII. Faſti quoque Siculi Caſauboni ab Adam ad Diluuium putant annos MMCCLXII.* Deinde ſubiungit verba Georgij. Vide ipſum lib. 3.Iſagogicorum Canonum,pag.280.281.

At illud mirum in Complutenſi & Regia, item in Roberti Stephani LXX. editione poni Mathuſalem natum annos 165. genuiſſe Lamech: biennio minùs quàm vulgò præferant aliæ Septuaginta editiones: quæ omnes,vt etiam nouiſſimæ Romanæ, item Chronicum Priſcum ſub Alexandro Seuero, Euſebius lib.1. Chronici, S.Hieronymus in Traditionibus Hebraïcis Geneſ.5., S. Auguſtinus 15. de Ciuitate Dei c.10.& 11. S.Iſidorus in Chronico,

Chronico, & lib.5. originum cap.39. S. Iulianus lib.3. contra Iudæos, S.Beda de Sex ætatibus,& alij,in Mathusalę 167.annis,iuxta LXX.Seniores, consentiunt: imò ipse S. Ado Viennensis, qui priùs Mathusalæ 187. dederat: posteà subdit: *Septuaginta ante natum Lamech centum sexaginta septem annos ponunt.*

Vide Loaisam in Notis ad Chronicon S.Isidori. Atque hæc de LXX. Interpretum Chronologia.

Anni ab Adam ad Diluuium, qui sunt in Hebraïca veritate,& Editione Latina vulgata,Geneſis 5.

Adam annos natus 130.genuit Seth.	130
Seth, 105.genuit Enos.	105
Enos 90.genuit Caïnan.	90
Caïnan 70.genuit Malaleel.	70
Malaleel 65.genuit Iared.	65
Iared 162.genuit Henoch.	162
Henoch 65.genuit Mathusalem.	65
Mathusalem 187.genuit Lamech.	187
Lamech 182.genuit Noë.	182
Noë,quando cœpit Diluuium 600.erat annorum. 600	Summa 1656.

Hebræi in Seder Olam Zuta: *Ab Adam vsque ad Diluuium anni sunt* 1656.Rabbi Abraham Leuita in Cabbala Historica: *Ab Adam vsque ad Diluuium anni sunt* 1656. Rabbinus Salmanticensis apud Drusium in Notis ad Seuerum, pag.42. *Diluuium accidit anno mundi* 1656. Et hæc concors sententia Hebræorum. Eusebius lib.1. Chronici: *Ab Adam vsque ad Diluuium, secundùm Hebræorum numerum, anni* 1656. & lib.2. *Apud Hebræos, vsque ad Diluuiũ,ab Adam,habent annos MDCLVI.* S.Iulianus lib.3. contra Iudæos: *Secundùm codices vestros, in illa primâ ætate inueniuntur ab Adam vsque ad Diluuium anni* 1656.S.Beda de sex Ætatibus mundi: *Prima ætas mundi ab Adam vsque ad Noë, continet annos iuxta Hebraïcam veritatem,* 1656.

Sanctus Ado Viennensis in Chronico:*Hæc prima ætas sæculi, secundùm Hebraïcam translationem continet annos MDCLVI.*

Hermannus Contractus in Chronico: *Prima est mundi huius ætas ab Adam vsque ad Noë, continens annos iuxta Hebraïcam veritatem* 1656.

Lambertus Schafnaburgensis in Chronico: *Prima ætas ab Adam vsque ad Noë,continens annos MDCLVI.*

Marianus Scotus lib.1. Chronici: *Prima ætas Mundi ab Adam vsque ad egressum Noë ex Arca, continet annos iuxta Hebraïcam veritatem* 1656.Eadem alij omnes: & quidem nimis perspicuè præfata annorum summa expressa habetur in Fonte ipso Hebraïco,in Chaldaïca Paraphrasi, & in vulgata Latina Editione, qua Ecclesia vtitur.

Vides immane discrimen inter Septuaginta Interpretes, & Veritatem Hebraïcam, vulgatámque Editionem: nempe quingentorum octoginta sex annorum, quibus supputatio Septuaginta Interpretum superat rationem Hebraïcam,& Latinam.

Non est omittendum, quòd Iosephus lib.1. Antiquit.cap.4.ab Adam ad Diluuium, annorum bis mille sexcentorum quinquaginta sex summam colligit, nimirum longè maiorum, quàm sit illa, vel Septuaginta Interpretum,vel Fontis Hebraïci, & vulgatæ editionis: sic enim scribit:*Vim imbrium cœpisse ait*,Moyses,*vigesima septima iam dicti mensis* secundi *post annum ab Adamo primo homine bis millesimum sexcentesimum quinquagesimum sextum.Hoc spatium temporis relatum est in sacros codices,diligenter annotantibus priscis,illustrium virorum tam natales quam obitus. Adæ siquidem,qui nongentos & triginta vixit annos, cùm esset triginta & ducentorum annorum, Sethus filius natus est. Sethus autem ducentesimo & quinto anno genuit Enosum, qui dum quinque & nongentis vixisset annis, Cainano filio suo rerum curam tradidit, quem genuerat anno centesimo nonagesimo. Hic vixit annis decem & nongentis.Caïnan cùm vixisset decem & nongentis annis, Malalehelem filium dereliquit, quem genuit ætatis centesimo septuagesimo.Iste Malalehel cùm vixisset quinque ac nonaginta, & octingentis annis, defunctus est,Iaredum filium derelinquens, quem genuit quum sexaginta duorum, & centum esset annorum. Cui nouem & sexaginta & nongentis annis viuenti,Enochus filius successit, natus cùm sexaginta duorum & centum annorum pater eius existeret. Qui exactis trecentis sexaginta quinque annis, discessit ad Deum: vnde finis eius non inuenitur esse conscriptus.Mathusala autem Enochi filius, quinto ei & centesimo natus anno, Lamechum filium habuit, quum esset annorum octoginta septem & centum. Cui tradidit principatum quem ipsè tenuerat annis nongentis sexaginta & nouem. Lamechus autem cùm habuisset principatum annis septingentis & septem, Noë filium suum rebus præfecit: qui de Lamecho natus est agente annum ætatis secundum & octogesimum supra centesimum, quique, quinquaginta & nongentis annis rerum administrationi præfuit. Hi anni in vnam summam contracti suprascriptum tempus efficiunt.* Hactenus Iosephus.In cuius supputatione perspicua cernitur deprauatio, vel in summa 1656. vel in designandis singulorum Patriarcharum annis,tempore quo quisque filium genuit. Illud certum, ex singulis Patriarcharum summis à Iosepho initis, non contrahi nisi 2193. annos.

Genebrardus lib.2. Chronographiæ pag. 350. *Miror autem Iosephum Græcum hîc quoque esse corruptum: alioqui enim locis aliis se corrigit, & vsque ad Christum non multò plùs numerat quàm Hebræi.* Pererius lib.7. in Genesim disputationis Chronologicæ quæst.2. & Gordonus in Quæstionibus Chronologicis cap.3. numero 5. Iosephi codices vitio librariorum corruptos restituunt ad veram rationem Hebraïcam, legendúmque in illo volunt 1656. pro 2656. qui perperam irrepserat. Certè Iosephus aliàs non obscura præbet indicia se in numero annorum conditi orbis rationes potiùs sectari Hebraïcas, vt cùm 10.Antiquit.cap.11. ait: *Ab Adamo item condito vsque ad hunc Templi casum* (nempe sub Nabuchodonosoro) *tria millia annorum elapsa sunt, & insuper quingenti tredecim, menses sex,dies decem. Tantus censetur annorum numerus.* Quæ summa Hebraïcæ potiùs, quàm Septuaginta supputationi consentit.

---

*In Chronologia à Diluuio ad ortum Abrahæ Genes.*11.*descripta plurimùm dissentire Septuaginta Interpretum versionem à Fonte Hebraïco, & Latina Vulgata.*

CAP. IV.

CVm exploratum sit Septuaginta Seniores singulis Patribus à Diluuio ad Abraham, non nisi

niſi certos & præfixos annorum numeros, quando quiſque ſuum filium genuit, tribuiſſe : mirum eſt, tantam inde varietatem exortam, vt iuxta LXX. Seniorum editionem diuerſas annorum ſummas in eo interuallo Patres collegerint.

S.Theophilus lib. 3. ad Antolycum : *Sem natus annos C. genuit filium nomine Arphaxat, ſtatim poſt diluuium.* (nempe biennio Geneſ.11.10.) *Arphaxat natus annos CXXXV. genuit filium nomine Sala.* (Caïnan) *Sala natus annos CXXX. genuit filium nomine Heber : ab hoc vniuerſum ipſorum genus Hebræi dicuntur. Heber natus annos CXXXIV. genuit filium nomine Phaleg. Phaleg natus annos CXXX. genuit filium nomine Rhageu. Rhageu natus annos CXXXII. genuit filium nomine Seruch. Seruch natus annos CXXX. genuit filium nomine Nachor. Nachor natus annos LXXIX. genuit filium nomine Tharra. Tharra natus annos LXX. genuit filium nomine Abraham* Summa conſurgit MLXXII. annorum. Sed addit S.Theophilus : *Itaque anni numerantur à condito homine vſque ad Abraham, MMMDXCII.* Et poſteà, *A Diluuio vſque dum gigneret liberos Abraham Patriarcha noſter, decurrunt anni MXXXVI.* Quæ ſummæ cum rationibus S. Theophili non conueniunt : & alioqui liber ille mendis eſt perturbatus, vt præcedenti capite diximus.

Iulius Africanus in fragmento de Genealogia Abraham quod edidit Scaliger in Græcis Euſebij Sozomenis, pag.9. hæc habet : *Poſt diluuium, Sem genuit Arphaxad. Arphaxad autem natus annos CXXXV. genuit Sala. Sala natus annos CXXX. genuit Eber. Eber natus annos CXXXIV. genuit Phalech. Phalech annorum CXXX. genuit Ragam. Ragam annos CXXXII. natus, genuit Seruch. Seruch CXXX. annorum, Nachor. Nachor LXXIX. annorum, Thara. Thara LXXX. annorum, Abraham.* Addito biennio poſt diluuium, quod ſanè Africanus intelligit, quando Sem genuit Arphaxad, conficitur ſumma DCCCCXLII. Verum ſubdit Africanus : *A Diluuio autem & Noë,* (nempe vſque ad Abraham) *generationes X. anni DCCCCXV.* Summa XXVII. annis minor ea quæ ex ſupradictis rationibus conflatur. Vides vt omittat Africanus generationem ſecundi Caïnan ; de qua poſteà dicendum.

Chronicon Priſcum ſub Alexandro Seuero, cap. 1. *Sem genuit Arphaxad anno ſecundo poſt Diluuium. Et vixit Arphaxad annos CXXXV. & genuit Caïnan. Vixit Caïnan annos CXXX. & genuit Sale. Vixit Sale annos CXXX. & genuit Heber. Vixit Heber annos CXXXIV. & genuit Phalech. Vſque ad hanc generationem anni DXXIX.* cap.13.addit : *Phalech anno CXXX. genuit Ragau. Ragau anno CXXXII. genuit Serach. Serach anno CXXX. genuit Nachor. Nachor anno LXXIX. genuit Thare. Thare anno LXX. genuit Abraham.* Emergit ſumma MLXXII.

Euſebius lib.1.Chronici : *Sem genuit Arphaxat ſecundo anno poſt Diluuium : Arphaxat cùm eſſet annorum CXXXV. genuit Caïnan. Sala cùm eſſet annorum CXXX. genuit Eber. Eber cùm eſſet annorum CXXXIV. genuit Phalech. Ragau cùm eſſet annorum CXXXII. genuit Seruch. Seruch cùm eſſet annorum CXXX. genuit Nachor. Nachor cùm eſſet annorum LXXIX. genuit Thara. Thara cùm eſſet annorum LXX. genuit Abraham. Ab anno Diluuij, vſque ad natiuitatem Abrahæ, ſunt anni MLXXII.*

Hæc eſt vulgaris Græcorum ſumma : ſed ea ex ſuprà poſitis rationibus non eruitur, ex quibus DCCCXII. tantùm emergit. Deinde omiſſa eſt generatio Caïnan, cauſa nota ; ſed Phaleg cur omiſſa ? Idem Euſebius Proœmio in 2. lib. Chronici : *Verùm in curioſitate ne ceſſes, & quum diuinam Scripturam diligenter euolueris, à natiuitate Abrahæ, vſque ad totius orbis Diluuium, inuenies retrorſum annos DCCCCXLII. Item à Diluuio vſque ad Adam MMCCXLII.* Et hic eſt propriè numerus Euſebianus.

S.Epiphanius Hæreſi 55. generationes Patrum à Diluuio ad Abraham, retrò percenſens, earum rationes in hunc modum init : *Tharra LXX. annum agens, Abrahamum genuit. Nachor autem genuit Tharra quum annorum LXXIX. eſſet. Seruch autem genuit Nachor, quum eſſet annorum CXXX. Ragan verò genuit Seruch, annos habens CXXXII. Phalec autem genuit Ragan, annorum exiſtens CXXX. Heber autem genuit Phalec anno CXXXIV. vitæ ſuæ. Sala verò genuit Heber CXXX. agens annum. Arphaxad autem annos natus CXXXV. genuit Sala. Sem genuit Arphaxad II. anno poſt Diluuium.* Summa, DCCCCXLII. ipſiſſima Euſebiana. Omiſit etiam generationem Caïnan.

Quintus Iulius Hilarion libello de Mundi duratione : *Ergo poſt Diluuium Sem vixit annos II. & genuit Arfexat. Arfexat autem anno CXXXV. genuit Salam. Salam anno CXXX. genuit Eber. Eber anno CXXXIV. genuit Phalech. Phalech anno CXXX. genuit Ragan. Ragan anno CXXXII. genuit Seruc. Seruc anno CXXX. genuit Nachor. Nachor anno LXXIX. genuit Thara. Thara autem anno LXX. genuit Abraham.* Summa eſt DCCCCXLII. nempe Euſebiana. Prætermiſit quoque Caïnan.

Seuerus lib.1. Hiſtoriæ Sacræ : *Abraham autem patre Thara natus eſt, poſt Diluuium anno M. & LXX. Omiſit,* inquit Druſius, *duos annos Semi, quos vixit poſt Diluuium, antequam Arphaxad procrearet, vt ſit, anno MLXXII. nam ea ſumma eſt annorum ſecundùm LXX. Interpretes, quos Græci Chronologi ſequuntur.*

S.Philaſtrius Hæreſi 63. *A Diluuio vſque ad confuſionem linguarum ſub Heber ſancto, penè DC. anni. Exinde vſque ad Abraham Patriarcham anni DXL.* ſumma, MCXL.

S.Auguſtinus 16.de Ciuitate Dei cap.10. *Secundo igitur anno poſt Diluuium, Sem genuit Arphaxad. Arphaxad autem cùm eſſet CXXXV. annorum, genuit Caïnan. Qui cùm eſſet CXXX. annorum, genuit Sala. Porrò etiam ipſe Sala totidem annorum erat, quando genuit Heber. Centum verò triginta & quatuor agebat annos Heber, quum genuit Phalec. Ipſe autem Phalec vixit CXXX. annos, & genuit Ragau. Et Ragau CXXXII. & genuit Seruch. Et Seruch CXXX. & genuit Nachor. Et Nachor LXXIX. & genuit Thara. Thara autem LXX. & genuit Abraham. Fiunt itaque anni à Diluuio, vſque ad Abraham. MLXXII. ſecundùm vulgatam editionem, hoc eſt, Interpretum Septuaginta.*

Oroſius Libro 1. c.1. *Sunt autem ab Adam primo homine vſque ad Ninum, quando natus eſt Abraham, anni MMMCLXXXIV.* Nimirum ab Adam ad Diluuium MCCLII. à Diluuio ad Abraham DCCCCXLII. omnes MMMCLXXXIV. qui eſt numerus Euſebianus.

Caſſiodorus in præfat.Chronici : *A Diluuio vſque ad Ninum, qui primus omnium apud Aſſyrios regnauit, anni DCCCXCIX.* Deinde initio Chronici : *Huius Nini Imperij anno XLIII. natus eſt Abraham.* Summa DCCCCXLII. ipſiſſima Euſebij.

S. Nicephorus Patriarcha in Chronico : *Poſt Diluuium anno ſecundo, Sem genuit Arphaxad. Arphaxad natus annos CXXXV. genuit Caïnam. Cainam*

natus

natus annos CXXX. genuit Sala. Sala natus annos CXXX. genuit Heber. Heber natus annos CXXXIV. genuit Phalec. Phalec natus annos CXXX. genuit Rhagau. Rhagau natus annos CXXXII. genuit Seruch. Seruch natus annos CXXX. genuit Nachor. Nachor natus annos LXXIX. genuit Tharra. Tharra natus annos LXX. genuit Abraham. A Diluuio vsque ad Abraham, anni MLXXII. Rectè ita emendauit Contius, pro MLXXXII. quod perperàm legebatur.

Iornandes de Regnorum successione: *Arfaxat filius Sem, nepos Noë, qui post Diluuium anno secundo est genitus, vixit annos CXXXV. & genuit Caïnan. Caïnan verò vixit annos CXXX. & genuit Sale. Sale autem vixit annos CXXX. & genuit Heber. Heber quoque vixit annos CXXX. & genuit Phalech. Phalech vixit annos CXXX. & genuit Ragau. Ragau vixit annos CXXXII. & genuit Saruch. Saruch autem vixit annos CXXX. & genuit Nachor. Nachor verò vixit annos LXXIX. & genuit Thare. Thare quoque vixit annos LXX. & genuit, Abraham.* Ita hunc locum restituit Gruterus. Sed addit Iornandes: *Simul ergo ab Adam vsque ad natiuitatem Abræ anni IIIMCCCVIII.* Summa non constat. Detrahit ipse annos IV. Heber, & supputat ab ortu mundi ad Abrahamum 2242. ergo tota summa ab Adam ad Abraham, secundùm Iornandem erit, IIIMCCCX. cui si addas quatuor Heber, resultabit vulgatior epilogismus IIIMCCCXIV.

S. Isidorus Hispalensis in Chronico: *Sem anno 2. post Diluuium, genuit Arphaxad. Arphaxad annorum CXXXV. genuit Sala. Sala annorũ CXXX. genuit Heber: à quo Hebræi nuncupati sunt. Heber annorum CXXXIV. genuit Phaleg. Phaleg annorum CXXX. genuit Rheu. Rheu annorum CXXXII. genuit Seruch. Seruch annorum CXXX. genuit Nachor. Nachor annorum LXXIX. genuit Thare. Thare annorum LXX. genuit Abraham. A Diluuio vsque ad natiuitatem Abrahæ, anni DCCCCXLII. Finitur secunda Ætas per annos MMMCLXXXIV.* Nempe ab Adam ad Abraham: qui est epilogismus Eusebianus. Eadem habet lib. 5. Originum cap. 39. sed vtrobique prætermisit generationem Caïnan.

S. Iulianus Archiepiscopus Toletanus lib. 3. aduersus Iudæos: *Secundùm codices autem Septuagintà Interpretum, reperiuntur ab Adam vsque ad Diluuium anni MMCCXLII. Et à Diluuio vsque ad Abraham, anni MLXXII. qui in duabus istis ætatibus computati sunt sub vno, anni MMMCCCXIV.* Et post alia: *Sem annorum duorum post Diluuium, genuit Arfaxat. Arfaxat annorum CXXXV. genuit Caïnan. Caïnan annorum CXXX. genuit Sala. Sala annorum CXXX. genuit Eber. Eber annorum CXXXIV. genuit Phaleg. Phaleg annorum CXXX. genuit Ragau. Ragau annorum CXXXII. genuit Seruc. Seruc annorum CXXX. genuit Nacar. Nacar annorum LXXIX. genuit Thare. Thare annorum LXX. genuit Abraham.* Summa, MLXXII.

S. Beda in Chronico: *Secunda Ætas à Noë, vsque ad Abraham, iuxta LXX. Interpretes, annos MLXXII. complexa.* Et post alia: *Cuius Ætatis tota serie recensita Beatus Augustinus in libro de Ciuitate Dei 16. cap. 10. hoc modo concluſit: Fiunt itaque anni à Diluuio vsque ad Abraham MLXXII. secundùm vulgatam editionem, hoc est, Interpretum Septuaginta.*

S. Ado Viennensis in Chronico: *Fiúntque anni à Diluuio, vsque ad Abraham MLXXII. secundùm vulgatam editionem, id est, Septuaginta Interpretum.* Eadem totidem verbis habent Hermannus Contractus, & Marianus Scotus in Chronicis, Otho Frisingensis lib. 1. Chronici cap. 6. Sed & Lucas Tudensis in Chronico, vulgatiorem Græcorum summam MLXXII. sequitur, Patriarcharúmque annos iuxta vulgatam LXX. Seniorum, vti S. Augustinus, & alij, enumerat.

Hippolytus Thebanus in Chronico: *A Diluuio vsque ad Abraham anni sunt* 1270. Sic Græcè ασο. Sed fortè locus corruptus, pro αοβ. 1072.

Suidas in Adam: *Ferunt à Diluuio ad Turris ædificationem, annos esse DXXV. ab ædificatione Turris ad Abrahamum, annos CDXXV.* Summa DCCCCL. octennio superans Eusebianam.

Annorum numerus à Diluuio ad Abraham Genes. 11. iuxta vulgatoria LXX. Seniorum exemplaria.

Sem biennio post Diluuium, genuit Arphaxad.	2.
Arphaxad natus annos 135. genuit Caïnan.	135.
Caïnan anno vitæ suæ 130. genuit Sale.	130.
Sale 130. genuit Heber.	130.
Heber 134. genuit Phaleg.	134.
Phaleg 130. genuit Ragau.	130.
Ragau 132. genuit Seruch.	132.
Seruch 130. geuuit Nachor.	130.
Nachor 79. genuit Thara.	79.
Thara 70. genuit Abraham.	70.
Summa est mille septuaginta duorum annorum.	1072.

Ita quidem disertè habent exemplaria LXX. Interpretum Aldina & Basileensia. Ceterùm Complutensia, Regia, & Roberti Stephani, & Romana iussu Xysti V. edita, consentiunt quidem in ceteris, præterquam in annis Nachor, cui tribuunt CLXXIX. totáque summa integro centenario major consurget, nempe MCLXXII. Ergo annorum à Diluuio ad Abraham, iuxta LXX. Interpretes, tres celebriores summæ, vt interim alias omittamus, inter se diuersæ apud Patres inueniuntur. Prima est, annorum MCLXXII. quam reddit editio LXX. Seniorum in codicibus Complutensibus, Regiis, & Romanis. Secunda est, annorum MLXXII. centenario minor præcedenti. Et hanc exprimunt Aldina, & Basileensia LXX. Interpretum exemplaria: & sequuntur S. Theophilus, Chronicon Priscum sub Seuero Imperatore, Seuerus Sulpitius, S. Augustinus, S. Nicephorus Patriarcha, S. Iulianus Toletanus, vti superiùs vidimus. Equidem hanc fuisse olim habitam illam quæ ex vulgata LXX. Seniorum Editione propriè eliceretur, S. Augustinus, S. Beda, S. Ado, Hermannus Contractus, & Marianus Scotus apertè testantur: nec id sanè in dubium reuocari potest, vt mox dicemus.

Tertia summa, est annorum DCCCCXLII. & hanc sequuntur Africanus, Eusebius, S. Epiphanius, Quintus Iulius Hilarion, Orosius, Cassiodorus, S. Isidorus, vti anteà annotauimus: Imò & Martyrologia Romanum & Vsuardi: nam dum natum Christum affirmant anno 2015. à natiuitate Abrahæ, & à Diluuio 2957. reliquunt à Diluuio ad ortum Abrahæ DCCCCXLII. qui est epilogismus Eusebianus. Et procul dubio hæc summa desumpta est ex vulgata olim Septuaginta Seniorum Editione, & ratione annorum quam ex illa dudum, vt frequentiorem, notabamus, vnâ tantum exceptâ genetatione Caïnan. Auctores enim qui hanc summam DCCCCXLII. conceperunt, nimis

mis perſpicuum eſt cur id fecerint: nimirum,quia abſtulerunt generationem ſecundi Caïnan, quæ conſtabat annis CXXX.quod in Hebraïca veritate non eſſet: ſícque ex Vulgata LXX. Seniorum ratione, quæ eſt annorum MLXXII. ſi detrahas annos CXXX. Caïnan: remanent DCCCCXLII. quæ eſt ipſorum ſumma; & ſi eos addas,conſurgit vulgata LXX.Interpretum ſumma MLXXII.Ergo in tollenda generatione Caïnan, ſecuti ſunt Hebraïcam veritatem,relicta LXX.Editione: in reliquis verò annis procreationis filiorum, ſpreta Hebraïca veritate,LXX.Editionem prætulerunt. Scaliger in Euſebianis pag. 252. colum. 2. *Secundùm LXX. Interpretes, à Diluuio ad natalem Abrahami, anni ſunt MLXXII.Euſebius autem præterito ſecundo Caïnan, qui natus eſt ſecundùm LXX. anno patris Arphaxad CXXXV. quo numero de MLXXII. deducto,remanebunt à Diluuio ad natum Abraham,anni DCCCCXXXVII. Atqui Euſebius putat annos DCCCCXLII. quinque annos amplius. Ita ſecundùm deductionem annorum pædopœias Arphaxad ab Adam ad natum Abraham fuerint tantùm anni MMMCLXXIX. Quare eſt alogiſtia Euſebij.* Eadem habet colum.1. eiuſdem paginæ.Sed eſt mira potiùs Scaligeri alogiſtia, qui non conſiderat Euſebium non deduxiſſe annos CXXXV. pædopœias Arphaxat,ſed CXXX. pædopœias Caïnan: ſícque ramanent anni DCCCCXLII.

Verùm de conſilio Chronologorum excluſa generatione Caïnan, à Diluuio ad Abrahamum DCCCCXLII. annos computantes audi,S.Bedam egregiè id expendentem in Chronico: *Arphaxad annorum XXXV. genuit Sale. Hìc LXX. Interpretes vna generatione pluſquam Hebraïca veritas poſuere, dicentes,quod Arphaxad quum eſſet annorum CXXXV. genuerit Caïnan. Qui cùm CXXX. annorum fuerit,ipſe genuerit Sale. Quorum tranſlationem Euangeliſta Lucas hoc loco videtur eſſe ſequutus. Verùm Chronographi Græcorum, quum generationum ſeriem ad auctoritatem Hebraïcam caſtigaſſent, ablata vna generatione Caïnan, nec tamen numerum annorum in generationibus,quas cum eis habuêre communes,ad eorum auctoritatem caſtigare curaſſent, propriam ſecuti auctoritatem, dederunt huic Ætati annorum ſummam, minorem quidem LXX. Tranſlatorum Editione annis CXXX. ſed Hebraïca veritate annis DC.& L. maiorem,id eſt,annis DCCCC.& XLII.* Hæc Beda,eadem totidem verba in ſuum Chronicon transfudit Hermannus Contractus.

Scaliger in Euſebianis pag.249. ad verba Bedæ hæc annotat: *Rectè hìc & Africanum & Euſebium tangit Beda, & reliquos Chronographos, qui cùm Hebræos in omiſſione poſterioris Kainan ſecuti ſint, in annis procreationis filiorum, ab illis diſſentiunt: quæ fuit ſumma alogiſtia, quam etiam non ſemel cum ſtomacho in Euſebio Georgius Monachus inſectatur. Itaque valde hìc neceſſarius erat locus Bedæ, quem ſtudioſis obſeruandum relinquimus.* Sed de generatione Caïnan agemus poſteà.

Illud tantùm hìc addimus, Nachor tempore quo genuit Thare, tribui LXXIX. dumtaxat annos,nedum in editione LXX. Interpretum Aldina & Baſileenſi, ſed etiam in ea quam inter Sozomena Euſebij edidit Scaliger: item & à S. Theophilo,Africano,Chronico priſco, Euſebio, S.Epiphanio,S.Auguſtino,S.Iſidoro, S.Iuliano, S.Nicephoro, S.Beda, S.Adone, Hermanno Contracto, Mariano Scoto, Luca Tudenſi, nimirum ſecundùm LXX. Interpretes.

Annorum ratio à Diluuio ad ortum Abrahæ,iuxta veritatem Hebraïcam, & vulgatam Editionem,Geneſ.11.

Sem genuit Arphaxad,biennio poſt Diluuium.	2.
Arphaxad anno ætatis ſuæ 35.genuit Sale.	35.
Sale 30. genuit Heber.	30.
Heber 34. genuit Phaleg.	34.
Phaleg 30. genuit Reu.	30.
Reu 32. genuit Sarug.	32.
Sarug, 30. genuit Nachor.	30.
Nachor 29.genuit Thare.	29.
Thare 70.genuit Abraham.	70.

Vides omiſſam generationem Caïnam & in Hebræo, & in Vulgata, ſine qua, ſumma exſurgit ducentorum nonaginta duorum annorum. 292.

Hæc etiam ſumma exprimitur in Chaldaïca Paraphraſi Geneſ.11. Hebræi quoque in Seder Olam Zuta: *A Diluuio vſque ad natiuitatem Abrahæ ducenti nonaginta duo anni.* Rabbi Abraham in Cabbala Hiſtorica: *A Diluuio vſque ad Abrahamum anni* 292. Rabbinus Salmanticenſis apud Druſium in Notis ad Seuerum, pag.43. *A Diluuio vſque ad natum Abrahamum, qui eſt caput generis, pater multitudinis gentium,anni ſunt* 292. Ioſephus lib.1. Antiquit.cap.6. *Abrahamus fuit decimus à Noë, & natus eſt poſt Diluuium anno ſecundo ſupra ducenteſimum & nonageſimum: ſiquidem Tharrus ſeptuageſimo anno genuit Abrahamum. Nachores cùm eſſet viginti & octo* (nouem) *annorum genuit Tharrum. De Serugo autem Nachores naſcitur circa annum trigeſimum ſecundum* (trigeſimum) *Ragaus factus eſt Serugi pater cùm eſſet annorum triginta duorum. Totidem verò* (imò, triginta) *annorum Phalegus genuit Ragaum. Heberus autem quarto & trigeſimo ætatis anno genuit Phalegum. Ipſe de Sale prognatus eſt, annum nato trigeſimum. Quem Arphaxades genuit quinto & trigeſimo ætatis anno. Semæ filius Arphaxades natus eſt poſt annos duos à Diluuio.* Emendandi numeri in Nachor, Serug, Phaleg ad Hebraïcam veritatem,alioquin in Ioſepho triennio maior ſumma diſſultabit, quàm ipſe præfigat.

Euſebianus initio Chronici:*Apud Hebræos vſque ad natiuitatẽ Abrahæ, cõputantur anni mille nongenti quinquaginta.Vſque ad Diluuium enim ab Adam habent annos MDCLVI. & inde vſque ad Abraham. CCXCIII.* Vbi annotat Scaliger:*Ergo erunt* 1949. *non* 1950. *Sed in Græcis CCXCII. quomodo ratio poſtulat. Ita erunt ab Adam ad Abraham MDCCCCXLVIII. Vt noſtræ quoque rationes poſtulant.*

S. Iulianus Toletanus Epiſcopus lib.3. contra Iudæos: *Secundùm codices veſtros, à Diluuio vſque ad Abraham, reperiuntur anni* 292.

S. Beda in Chronico: *Secunda Ætas à Noë vſque ad Abraham,iuxta Hebraïcam veritatem complexa annos CCXCII.*

S.Ado Viennenſis in Chronico: *Fiúntque anni à Diluuio vſque ad Abraham MLXXII. Secundùm Vulgatam Editionem, id eſt, LXX. Interpretum: ſecundùm verò Hebræorum codices, longè pauciores inueniuntur,ideſt,ducenti nonaginta duo.*

Zonaras tomo 1.Annal. *Gentis porrò Hebræorum auctor, & Patriarcha ſuæ nationis magnus iſte Abrahamus extitit, genere Chaldæus, à Noa decimus,annis CCXCII. elapſis, ex quo Deus terram vniuerſam vn-*

dis demerserat. Atqui eundem numerum sequuntur Hermannus Contractus, Lambertus Schafnaburgensis, Marianus, Scotus, & alij posteriores. Nisi quòd de inserenda generatione Caïnan posterioris, quàm nec Hebraica veritas, nec vulgata Latina Editio agnoscunt, grauissima exoritur quæstio, de qua mox opportunè. Nec dubium, quin S. Augustinus hos 292. Secundæ sæculi ætatis annos in mente habuerit, cùm 16. de Ciuit. Dei cap. 10. ait: *In Hebræis autem codicibus longè pauciores annos* (scilicet quàm iuxta LXX.) *perhibent inueniri: de quibus rationem aut nullam, aut difficillimam reddunt.*

Vidisti, Lector, quàm latum sit discrimen inter rationes LXX. Seniorum, & Hebraïcas, Vulgatęque Latinæ Editionis, in supputandis annis à Diluuio ad Abraham Genes. 11. nempe dissidium est DCCLXXX. annorum, quibus vulgatior LXX. Seniorum calculus superat rationes Hebraïcas, & Editionis vulgatæ.

Septuaginta Interpretum auctoritatem, cum aliis rebus, tum in rationibus annorum ab Adam ad Diluuium, & à Diluuio ad Abraham, magni olim in Ecclesia factam.

CAP. V.

PRæclara quidem sunt Patrum encomia de LXX. Seniorum Translatione, S. Ireneus lib. 3. Aduersus hæreses cap. 25. *Firma est autem, & non ficta, & sola vera quæ secundùm nos est fides, manifestam ostensionem habens ex his scripturis quæ interpretatæ sunt illo modo quo prædiximus,* (nempe à LXX. Interpretibus) *& Ecclesiæ annuntiatio sine interpolatione. Etènim Apostoli, cùm sint his omnibus vetustiores, consonant prædictæ interpretationi, & interpretatio consonat Apostolorum traditioni. Etenim Petrus & Ioannes, & Matthæus & Paulus, & reliqui deinceps, & horum sectatores Prophetica omnia ita annuntiauerunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet: vnus enim & idem Spiritus Dei qui in Prophetis quidem præconauit, quis, & qualis esset aduentus Domini: in Senioribus autem interpretatus est benè, quæ benè prophetata fuerant.*

Origenes Epistola ad Iulium Africanum, pro Historia Susannæ, de Septuaginta editione ait: *Vide ergo, ne imprudentes & inscientes abrogemus exemplaria quæ habentur passim in Ecclesiis, & legem statuamus fraternitati, vt deponant sacros, qui apud eos feruntur libros: assententur autem Hebræis, & persuadeant, vt nos puris impertiant, & qui nihil habeant figmenti. Annon prouidentia in sanctis scripturis dedit omnibus Christi Ecclesiis ædificationem? Non curam gessit eorum, qui empti sunt pretio, pro quibus Christus est mortuus?*

S. Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 4. cap. de Sacra Scriptura, de eadem LXX. Interpretatione agens, inquit: *Has tantùm studiosè meditare Scripturas, quas in Ecclesia confidenter legimus. Multo prudentiores te, & religiosiores fuerunt Apostoli, & primi Episcopi, veritatis duces, qui nobis eas tradiderunt. Tu itaque cùm sis filius Ecclesiæ, ne transgrediaris illius terminos.*

S. Hilarius Enarratione in Psal. 2. *Sed perfecta horum Septuaginta Interpretum auctoritas manet. Primum quòd ante aduentum corporalem Domini transtulerunt, nec adulatio interpretandi adhibita tempori arguitur, tanto anteriore interpretationis ætate: dehinc quòd illi ipsi principes, doctoréque Synagogæ, & præter scientiam legis, per Mosen quoque doctrina secretiori perfecti, non potuerunt non probabiles esse arbitri interpretandi, qui certissimi & grauissimi erant auctores docendi.*

S. Philastrius hæresi 90. post Apostolos: *Septuaginta verò duorum decreta atque consulta, ea legens Ecclesia Catholica semper habet, & detinet incunctanter: illius autem* (Aquilæ Pontici) *quasi superflua ita æstimat esse & iudicat.* Et hæresi 91. *Illam beatissimorum Septuaginta duorum, qui integrè, inuiolatéque de Trinitate sentientes, Ecclesiæ Catholicæ firmamenta certissima tradiderunt, interpretantes Scripturas:* & hæresi 93. *Illam beatissimorum priorum* (Septuaginta Interpretum Editionem) *quam Ecclesia Catholica colit ac prædicat.* & hæresi 94. *Cùm Catholica Ecclesia Septuaginta duorum Interpretationem legat, colat, ac prædicet: alia autem superuacua, & contraria tantæ editioni contemnit & abiicit.*

S. Chrysostomus in 1. Matthæi, hom. 3. *Primò quidem dicemus illud, quoniam ad faciendam veræ translationis fidem, omnibus aliis iure Septuaginta Interpretes sint digniores.*

S. Augustinus 18. de Ciuitate Dei, cap. 43. *Hanc tamen* (interpretationem) *quæ Septuaginta est, tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eáque vtuntur Græci populi Christiani: quorum plerique vtrum alia sit aliqua ignorant. Ex hac Septuaginta Interpretatione etiam in Latinam linguam interpretatum est, quod Ecclesiæ Latinæ retinent.*

Theodorus Antiochenus commentar. in 1. Sophoniæ: *Septuaginta viri litteras sacras vertere, patrij sermonis peritissimi, & diuinarũ Scripturarũ scientissimi: quorum interpretationem planè liquet accepisse Apostolos, & tradidisse iis qui ex nationibus crediderunt, ad quos antè vetus Testamentum non peruenerat: & ab Apostolis accipientes hanc Septuaginta virorum translationem habemus omnes qui ex gentibus credidimus, & in Ecclesiis legimus, & domi euoluimus.*

Olympiodorus in 1. Iob: *Itaque Interpretationem illam* (Septuaginta Seniorum) *tanquam ab omni suspicione vacuam, atque adeo à multis, senioribúsque nationis Israelitica effectam, illi principes sacrorum Ecclesiæ tradiderunt: vt superuacaneæ iam sint fabulantium Hebræorum praua interpretationes.*

Iustinianus Imperator Constitutione 146. *Qui Græcam Scripturam legunt, vtantur Interpretatione Septuaginta, quæ omnibus exactior est, & præter ceteras multa continet occulta.*

S. Isidorus Hispalensis Episcopus lib. 1. diuinorum officiorum, cap. 12. *Hæc fuit prima Interpretatio vera ac diuina: hos libros meditari omnium gentium Ecclesiæ cœperunt primùm: eos denique de Græco in Latinum interpretantes primi Ecclesiarum prouisores tradiderunt.* Prætermitto plures alias Patrum ea de re sententias, cùm exploratum sit apud omnes Ecclesiam ad tempora vsque S. Hieronymi, non alia magis quam ista Septuaginta vsam fuisse Editione. Sed de Septuaginta Seniorum Interpretationis præstantia, & auctoritate non pauci Recentiores ex professo disseruere, Ioannes Driedo lib. 2. de Translationibus Sacræ Scripturæ: Antonius Beuterius Annotatione 9. in Sacram Scripturam; Xystus Senensis lib. 4. Bibliothecæ; Andreas Masius præfat. in Græcam Editionem Iosue, Petrus Galesinius peculiari commentario de Bibliis Græcis

eis LXXII. Interpretum, Leo Castrensis disput.de Translationibus,præfixa Commentariis in Isaiam, & in Apologetico variis locis, Gilbertus Genebrardus præfatione commentariorum in Psalmos, Robertus Bellarminus lib.2. de Verbo Dei, cap.6.Cæsar Baronius Annal.2. anno Christi,231. Alfonsus Salmeron Prolegomeno 5. & 6. in Sacram Scripturam, Ascanius Martinengus prolegom.in Pentateuchum,capite de Editionibus Græcis, Antonius Possevinus lib.2. Bibliothecæ Selectæ, cap.18. 19. 20. & in Sacro Apparatu, verbo, *Septuaginta Interpretes*, Iodoccus Coccius tomo 1. Thesauri Catholici, lib.6. artic.2. Nicolaus Serarius in Prolegomenis Bibliacis, cap.17. quæstiuncula 19.

Sed quod propriè nunc ad institutum nostrum pertinet,hoc est,ad rationes annorum ab Adam ad Diluuium, & à Diluuio ad Abraham, quas LXX. Seniores Genes.5. & 11. in sua versione expresserunt,S.Augustinus 15. de Ciuitate Dei, cap.11. de his ex instituto differens, refert, *nonnullos nolentes derogare fidem codicibus, quos in auctoritatem celebriorem suscepit Ecclesia : & credentes, Iudæorum potius,quàm istos non habere quod verum est.*

S.Iulianus Toletanus Episc.lib.3.contra Iudæos, destinatò suscipiens patrocinium Codicum LXX. Interpretum in annorum rationibus ab Adam ad Diluuium, & à Diluuio ad Abraham, aduersus veritatem Hebraïcam; postquam descripsisset vtrasque Chronologias, & illam Hebraïcam, & eam quæ est in Codicibus LXX. subdit: *Et quia adstruximus,& de ipsis annis quid vtrique codices haberent: nunc restat vt consideremus, quibus codicibus maior debeatur auctoritas. Hic iam dicat vnusquisque quod sentit. Numquid breuitas ista annorum ex codicibus Hebraïcis ostensa,contemptis annis pluribus,qui in editione Septuaginta Interpretum continentur,præferenda vllo modo iudicabitur? Qui prophetandi potius munere,quàm transferendi officio diuinas Scripturas, reuelante sibi Domino, transtuleruut : apud quos etiam hæc suppitatio reperitur annorum. Ergo illa nobis & sola pro his annis est obseruanda auctoritas Septuaginta Interpretum, quæ meritò omnibus editionibus, & translationibus antefertur : quam etiam huc vsque omnes Doctores Ecclesiastici tenuerunt, & in hac præcipuè annorum supputatione sequuti sunt. De quorum etiam venerabilium Septuaginta Interpretum laude, atque prepollenti auctoritatis fastigio, quid vnusquisque Doctorum senserit, breuiter annotabo.* Pergit inducere elogia LXX. Interpretum à S. Epiphanio, & S. Augustino celebrata: Sed iam plura nuper audiuimus.

Antonius Contius S.Iuliani vestigiis insistens, nostris temporibus præfatus LXX. Seniorum annorum computationes præsidenter tueri conatus est: sic enim in Notis ad S.Nicephori Patriarchæ Chronicon differit: *Illud in primis tenendum est, Catholicam Ecclesiam Orientalem pariter & Occidentalem constanti & perpetua traditione in computatione temporum sequi longiorem & maiorem annorum numerum, qui in Editione Septuaginta Interpretum reperitur : non autem minorem, quæ in Hebraïcis voluminibus deprehenditur. Nam tametsi paulatim post Hieronymi tempora Ecclesia Occidentalis,relicta vetere Septuaginta Editione, qua semper sola vsa fuerat; Editione præfati sanctissimi viri vti cœperit: Psalterium tamen, & Chronographiam ex illa vetere Septuaginta Interpretum Editione mordicùs retinuit, vt testantur Beda, Isidorus, Auctor Fasciculi Temporum, Hugo, & alij passim auctores. Sed & argumentum huius rei euidentissimum præbent Tabulæ, quæ quotannis in Ecclesiis Cathedralibus Franciæ cum Cereo Paschali publicè proponuntur. Quare satis mirari non possum hominum nostri temporis, & eorum qui Chronologias scripserunt, vanitatem, ac nouandi studium: qui omnem Septuaginta Editionis auctoritatem longissimè reiiciunt, & nihil nisi quod in Hebræis codicibus hodie legatur, rectum putant : & hac præiudicata opinione freti, nihil in libris Græcorum edendis, aut transferendis non deprauant, vt ipsimet confessi sunt, qui alterius Nicephori Historiam Ecclesiasticam, & alios eiusmodi libros transtulerunt. Quibus omnibus explicata hac à nobis Chronologia,dabitur resipiscendi locus : & mecum fateri cogentur hanc esse certam & vulgatam totius Græcæ Ecclesiæ computationem, quæ ad vnguem ei congruit, quæ in Græcorum Horologio & Cyclo Paschali ibidem descripto notatur, & quam Cedrenus, Zonaras, Nicetas, Sexta Generalis Synodus sequuntur : &, vt vno verbo dicam, omnes Græci : qui cum frequentiùs per annos mundi, tempora computent, quàm per annos Christi, sine fructu ab iis leguntur,qui hanc Chronologiam ignorant.*

Et post alia,addit: *Nefas duxit tam Græca quàm Latina Ecclesia Hebraïcam sequi numerationem, ac non potiùs eam amplecti Septuaginta Interpretum. Eant nunc noui pseudochristiani, & Hebraïsantes molestissimi,qui Iudaïca obstinatione, & nuda litterarum atque apicum auctoritate freti,aduersus diuinam LXX. Interpretum Translationem, & cum Translatione cunctam Prophetiam, & Hebraïcorum codicum emendationem quotidie blasphemant.* Hactenus Contius: haud sanè nimis prudenter,vt cap.8.ostendemus.

Negari non posse,Septuaginta Interpretum Editionem in multis & olim fuisse, & nunc etiam esse deprauatam.

CAPVT VI.

SCribit Aristeas Ptolemæi Philadelphi regis Ægypti hyperaspistes in Historia LXXII. Interpretum ad Philocratem fratrem, maximam initio adhibitam curam, ne Editio Septuaginta vllo vnquam tempore alteraretur: sic enim refert: *Demetrius* (Phaleræus) *rebus ritè peractis, omnem Iudæorum multitudinem in eundem locum vbi interpretatio perfecta est, aduocat : rem omnem à principio edocet : vnà omnes obtestantur,rectè,sanctèque vnumquodque interpretatum esse, benèque se habere, si sic permaneat, neque in vno quidem permutetur. Approbantibus ea omnibus & rogationi applaudentibus,iubet Demetrius, vt pro eorum consuetudine imprecentur, si quis vel addere,vel mutare,transferre,delereue audeat quidquam ex his omnibus quæ scripta sunt. Cùm vniuersa hæc ritè expleuissent,vt perennis illa sit, sempérque seruetur, adiurat.*

Iosephus ex Aristea proculdubio describens, lib.12. Antiquitatum cap.2.ait: *Deinde & Sacerdos & Seniores Interpretum & magistratus populi postulauerunt,quandoquidem feliciter absoluta esset hæc Interpretatio, vt rata permaneat, nihilque ex ea mutari liceat. Quæ sententia cùm omnibus placuisset,iusserunt, vt priùs si quis aliquid deprehenderet,vel superesse Legi,vel deesse, diligentiùs inspectum & indicatum corrigeret : quando consultum esset, vt res semel approbata, rata esset in perpetuum.*

Non hic omittimus, Aristeam, vel Aristeum auctorem Historiæ de LXXII. Interpretibus, agnosci, eiúsque hunc librum citari, & adduci à Iosepho lib. 12. Antiquitatum cap. 2. Tertulliano Apologetici cap. 18. Eusebio lib. 8. Euangelicæ Demonstrationis cap. 1. & 3. S. Epiphanio lib. de Ponderibus & Mensuris, S. Hieronymo præfatione in Pentateuchum, Zonara tomo 1. Annalium, & innumeris recentioribus. At Ludouicus Viues ad lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 42. ait: *Circumfertur libellus Aristeæ nomine de LXX. Interpretibus, confictus, vt puto, ab aliquo recentiore.* Leo Castrius in disput. de Translationibus ab Iudæo aliquo conflatum existimat: in horum sententiam concedit Alfonsus Salmeron prolegomeno 6. in Sacram Scripturam. Sed & Scaliger in Eusebianis pag. 123. hæc scribit: *Aristeæ nomine à Iudæis Hellenistis confictus liber hodie in manibus omnium est, & ex quo nomine hoc negotium hausit Iosephus, & alij qui de hac re tractarunt.* Qui pluribus eam Aristeæ Historiam in crimen falsi adducere tentat. At non est huius loci argumenta eius expendere: qui semper vt noua, & inaudita dicat, flagrantissimo æstuat studio. Sed hoc ipsum opus, vt nunc extat, vero Aristeæ asserunt & vindicant Ioachimus Perionius in Obseruationibus ad S. Iustini Paræsim ad Gentes, Margarinus Bignæus tomo 7. Bibliothecæ Veterum Patrum, in Aristea, Robertus Bellarminus lib. 2. De Verbo Dei cap. 6. & libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Antonius Possevinus in Apparatu sacro, in Aristea. Vide Nicolaum Serarium in Prolegomenis Bibliacis cap. 17. quæstiuncula 1.

Quamuis initio, vti diximus, magna diligentia curatum fuerit, ne vllius vnquam manu Septuaginta Interpretum Editio violaretur; plus tamen temporum iniuria, & hominum oscitantia vel malitia potuit. S. Iustinus Martyr in Tryphone, pag. 231. de Iudæis queritur: *At quòd illi multos & integros prorsus locos illarum* (Scripturarum) *ex translatione eorum qui cum Ptolemæo fuêre Seniorum, sustulerint: in quibus clarè hunc ipsum Crucifixum, Deum & hominem esse, eúmque in cruce pendere, & mori, prænuntiatum esse ostenditur, scire vos volo.* Et pag. 232. Hic Trypho dixit: *Vt nobis primùm dicas, Quænam sunt, quas omnino inductas, abrogatásque esse scripturas asseueras, rogamus. Et ego respondi: Faciam vobis vt placet. Ex Psalmo 95. quem Dauid cecinit, perpauca hæc abstulerunt, A ligno. Cùm enim ad verbum ita fuisset dictum: Dicite in gentibus, Dominus regnauit à ligno; reliquerunt: Dicite in gentibus, Dominus regnauit.* Et pag. 242. *Vos autem in his quoque adulterare translationes Seniorum vestrorum, qui apud Regem Aegypti Ptolemæum fuerunt, audetis.*

Origenes homil. 12. in Ieremiam, enarrans illud cap. 17. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo.* ait: *Deinde alia sequitur prophetia, quam nescio quare apud Septuaginta non inuenientes, in ceteris editionibus, quæ cum Hebræo consentiunt sermone, reperimus.*

S. Hieronymus præfatione in Paralipomenon ad Chromatium: *Si Septuaginta Interpretum pura, & vt ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superfluè me, Chromati, Episcoporum sanctissime, atque doctissime, impelleres, vt Hebræa volumina Latino sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupauerat, & nascentis Ecclesiæ roborauerat fidem, iustum erat, etiam nostro silentio comprobari. Nunc verò cum pro varietate regionum diuersa ferantur exemplaria: & germana illa, antiquáque translatio corrupta sit atque violata: nostri arbitrij putas, aut è pluribus iudicare quid verum sit, aut nouum opus in veteri opere cudere, illudentibúsque Iudæis, cornicum, vt dicitur, oculos configere. Alexandria & Aegyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem: Constantinopolis vsque ad Antiochiam, Luciani martyris exemplaria probat: mediæ inter has Prouinciæ Palæstinos codices legum, quos ab Origene elaboratos, Eusebius & Pamphilus vulgauerunt: totúsque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.* Eadem, totidem verbis habet Apologia secunda in Rufinum.

Et alia Præfatione in Paralipomenon, ad Domnionem & Rogatianum: *Liberè enim vobis loquor, ita in Græcis & Latinis codicibus hic nominum liber vitiosus est, vt non tam Hebræa, quàm Barbara quædam & Sarmatica nomina conjecta arbitrandum sit. Nec hoc Septuaginta Interpretibus, qui Spiritu sancto pleni, ea quæ vera fuerant transtulerant: sed scriptorum culpæ adscribendum, dum de emendatis inemendata scriptitant, & sæpe nomina, substractis è medio syllabis, in vnum vocabulum cogunt: vel è regione vnum nomen propter latitudinem suam, in duo vel tria vocabula diuidunt.* Et aliàs sæpius S. Hieronymus queritur de Septuaginta Editionis deprauatione: nec ob aliam causam se tantam prouinciam transfundendi ex Hebræo in Latinum sacras Scripturas suscepisse, nisi ob LXX. vitiatos codices affirmat. Vide illum Præfatione in Pentateuchum, & epist. 89. ad Augustinum, & epist. 101. ad Pammachium, de optimo genere interpretandi, & epist. 135. ad Suniam & Fretellam, & passim in Commentariis Prophetarum.

De S. Luciano martyre, Presbytero Antiocheno, quem S. Hieronymus ait emendasse Editionem LXX. Seniorum, Acta eius sincera quæ edidit Simeon Metaphrastes 7. Ianuarij, hæc referunt: *Is ergo cùm vidisset sacros libros valde esse adulteratos, cùm & tempus multa in eis corrupisset, continuáque ab alijs in alia translatio, & quidam homines sceleratissimi, qui Gentilitati præerant, conati essent peruertere eorum intelligentiam, ipse omnes rursus sumpsit, & ex lingua renouauit Hebraïca, quam ipsam quoque sciebat accuratissimè, in eis corrigendis plurimum laboris conferens. Porrò autem diuinorum quoque dogmatum puritatem quis ab alio ex iis, qui fuerunt illo tempore, melius quam ab ipso fuisse seruatam inuenerit?*

Suidas haud dubiè ex eisdem Actis: *Lucianus Martyr, Samosatenus, Syrus, homo nobilis, prima ætate Macarij cuiusdam Edessæ degentis consuetudine vsus, sacrorum librorum Interpretis, pulcherrima quæque illius inuenta breui tempore edidicit.* Et paucis interiectis: *Cùm autem adulterina multa in sacros irrepsisse libros cerneret, ipséque tempore complura deprauata, & continenti ab aliis ad alia translatione; cùm etiam improbissimi homines, profanæ religionis præsides, sensum eorum aliò detorquere voluissent, & multas corruptelas inuexissent: ipse libros omnes ex Hebraïca lingua in integrum restituit, cuius erat callentissimus, maximo emendationis labore suscepto. Atque etiam puritatem diuinorum decretorum apud hunc ex omnibus illius ætatis pulcherrimè, summóque studio conseruatam reperies.*

Macaritus Logothetes in libro Metaphrasis: *Diuinus igitur Lucianus, conspicatus sacros libros multis corruptelis infectos, partim temporis longinquitate, partim continua ex aliis transpositione, & quidem nonnullis sceleratissimis, qui Græca litteratura excellebant, ipsorum sententiam peruertere tentantibus, & multas labes inferentibus: ipse eos omnes assumens, ex Hebraïca*

braïca lingua, quam perfectè callebat, renouauit, in emendatione magnum perferens laborem. Exemplaria LXX. Interpretum à sancto Luciano emendata, Lucianea dicta, auctor est, S. Hieronymus in Catalogo Virorum Illustrium, qui Lucianeæ quoque emendationis meminit Præfatione in Euangelia ad S. Damasum.

Etverò LXX. Seniorum Interpretationem, quamuis pura & sincera optimáque fide ab ipsis edita fuerit, deinde tamen successu temporum corruptam, & deprauatam, vel temporum iniuria, vel hominum inertia, vel Iudæorum nequitia, vel exscribentium vitio, multis illapsis mendis, & corruptelis temeratam ad nos peruenisse : & eiusmodi plurib⁹ vitiis contaminatam nostra ætate extare, tam perspicuum est, vt pigeat dubitare: nam iidem ipsi errores quos iam Patres olim in LXX. Translatione notauerant, in eadem deinceps propagati sunt, & etiamnum hodie perseuerant : & res ipsa apertissimè clamat, collatam Septuaginta Interpretum versionem cum Hebraïca Veritate, & Vulgatâ Latina Editione, cuius auctoritatem in Tridentino Concilio iam consecrauit Ecclesia, in multis locis è diametro inueniri discordem, & omninò contrariam : vt necesse sit affirmare LXX. Editionem, non Vulgatam Latinam esse deprauatam. Psalmos tamen perpetuò excipimus, quos ex LXX. Interpretatione integros, & incorruptos perenniter canit & seruat Ecclesia, de qua re non est hîc locus fusiùs disserendi.

Ceterùm menda & vitia in Translatione LXX. etiam nostro tempore extare, in Editionibus, Aldina, Basileensi, Complutensi, Roberti Stephani, Regia, Antuerpiana, & aliis ante Xystinam Romanam Editionem : vt etiam in locis & fragmentis quæ ex LXX. Interpretatione recitantur apud Patres, innumeri recentiores agnoscunt, ingenuè fatentur, vt pro compertissimo habent : eos tantùm annotabo, qui ea de re ex instituto tractarunt, Steuchum Præfatione in Recognitionem Veteris Testamenti, & in Tractatione, An Editio Vulgata sit S. Hieronymi, Xystum lib. 8. Bibliothecæ, Hæresi 13. ad 6. Obiectionem, Genebrardum lib. 2. Chronographiæ pag. 289. 290. Galesinium Commentario de LXXII. Interpretibus, Bellarminum lib. 2. de Verbo Dei, cap. 6. Baronium Annal. 2. anno Christi 231. num. 36. & 37. Possevinum in Sacro Apparatu, verbo, *Septuaginta Interpretes*, Serarium in Prolegomenis Bibliacis, cap. 17. 20. & geminas Præfationes, alteram præfixam Græcæ editioni Romanæ LXX. Interpretum, iussu Xysti V. confectæ ; alteram, quæ est ante Latinam translationem eiusdem Græcæ editionis, opera Flaminij Nobilij adornatam. Leo autem Castrius qui absolutam & integram LXX. Seniorum Translationis puritatem tuendam ex professo suscepit, suo fruatur ingenio : nam in re tam perspicua digladiari non est animus.

De Græca verò & Latina LXX. Interpretum editione Romæ postremo mandato & auspiciis Xysti V. Pontif. Maximi publicata, num ea pura & incorrupta prorsus censenda sit, meritò dubitant eruditi. Verùm hanc difficultatem non hîc fusiùs tracto : Videndi, Possevinus lib. 2. Bibliothecæ Selectæ cap. 18. initio, & in Apparatu Sacro, Serarius in Prolegomenis Bibliacis, cap. 17. quæstiuncula 21. 22. Delrius in Regulis quæ suis in Genes. Glossis præfixit, Regula 4. Petrus Lorca lib. 1. de Locis Catholicis disp. 6. memb. 3. Esse quidem ceteris quæ hactenus prodierunt saniorem & melliorem facilè credimus : sed omninò sinceram & integram fateri non possumus, vel illa, vt alias interim omittamus, singulari ratione quòd annorum numeri Genes. 5. & 11. in ea deprauati & corrupti maneant, eodem prorsus modo quo olim vitiatos questi sunt Patres, vt sequenti capite videbimus.

In annorum numeris à mundi conditu ad Diluuium, & à Diluuio ad Abrahamum Genes. 5. & 11. deprauatam esse LXX. Seniorum Interpretationem asserunt Patres.

CAP. VII.

SAnctus Hieronymus in Traditionibus Hebraïcis, Genes. 5. *Sciendum, quòd vsque ad Diluuium, vbi in nostris codicibus, ducentorum & quod excurrit annorum, genuisse quis dicitur : in Hebræo habeat centum annos, & reliquos qui sequuntur. Et vixit Mathusala annis centum septuaginta septem, & genuit Lamech. Et vixit Mathusala postquam genuit Lamech, annos octingentos duos, & genuit filios, & filias. Et fuerunt omnes dies Mathusala quos vixit, anni nongenti sexaginta nouem, & mortuus est. Famosa quæstio, & disputatione omnium Ecclesiarum ventilata, quòd iuxta diligentem supputationem, quatuordecim annos post diluuium Mathusala vixisse referatur. Etenim cùm esset Mathusala annorum centum sexaginta septem, genuit Lamech : rursus Lamech cùm esset annorum centum octoginta octo, genuit Noë : & fiunt vsque ad diem natiuitatis Noë, anni vitæ Mathusala trecenti quinquaginta quinque : sexcentesimo autem anno vitæ Noë Diluuium factum est. Ac per hoc habita supputatione per partes, nongentesimo quinquagesimo quinto anno Mathusala, Diluuium fuisse conuincitur. Cùm autem supra nongentis sexaginta nouem annis vixisse sit dictus, nulli dubium est quatuordecim eum annis vixisse post Diluuium. Et quomodo verum est, quòd octo tantum animæ in arca saluæ factæ sunt ?*

Restat ergo, vt quo modo in plerisque, ita & in hoc sit error in numero. Siquidem & in Hebræis, & Samaritanorum libris ita scriptum reperi : Et vixit Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit. Lamech. Et vixit Mathusala postquam genuit Lamech, septingentos octoginta duos annos, & genuit filios & filias. Et fuerunt omnes dies Mathusala anni nongenti sexaginta nouem, & mortuus est. Et vixit Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit Noë. A die verò natiuitatis Mathusala, vsque ad diem natiuitatis Noë, sunt anni trecenti sexaginta nouem : his adde sexcentos Noë, quia in sexcentesimo vitæ eius anno factum est Diluuium : atque ita fit, vt nongentesimo sexagesimo nono anno vitæ suæ Mathusala mortuus fuerit, eo anno quo cœpit esse Diluuium.

Hactenus S. Hieronymus, & sanè prudentissimè corruptelam editionis Septuaginta Seniorum ingenuè agnoscens, eámque manifestissima ratione ex Hebraïca veritate redintegrans. Eadem ipsa verba S. Hieronymi diserte exscripserunt & secuti sunt S. Eucherius in 5. Genes. Strabus in Glossa Ordinaria Genes. 5. S. Ado Viennensis in Chronico. Verùm vt clariùs lector aspiciat, quàm inextricabiles nodos vitiata LXX. Interpretum hoc loco Translatio genuerit, audiamus S. Augustinum de eadem molestissima vitæ Mathusalem quæstio-

ne differentem lib.15. de Ciuit. Dei, cap.11. cùm enim cap.10. accuratè expoſuiſſet diſcrimen quod eſt inter Hebræos & LXX. in annorum numero ab Adam ad Diluuium, quam nos ſuprà cap.3. deſcripſimus, in hunc modum orditur: *Per hanc autem diſcrepantiam Hebræorum codicum, atque noſtrorum exoritur illa famoſiſſima quæſtio, Vbi Mathuſalem quatuordecim annos vixiſſe poſt Diluuium computatur: cùm Scriptura ex omnibus qui in terra tunc fuerant ſolos octo homines in Arca exitium commemoret euaſiſſe Diluuij: in quibus Mathuſalem non fuit. Secundùm codices enim noſtros, Mathuſalem priuſquam gigneret illum quem vocauit Lamech, vixit annos centum ſexaginta ſeptem: Deinde ipſe Lamech antequam ex illo natus eſſet Noë, vixit annos centum octoginta octo, qui ſimul fiunt trecenti quinquaginta quinque: his adduntur ſexcenti Noë, quoto eius anno Diluuium factum eſt: qui fiunt nongenti quinquaginta quinque, ex quo Mathuſalem natus eſt, vſque ad annum Diluuij: omnes autem anni vitæ Mathuſalem nongenti ſexaginta nouem computantur: quia cùm vixiſſet annos centum ſexaginta ſeptem, & genuiſſet filium, qui eſt appellatus Lamech, poſt eum genitum vixit annos octingentos duos: qui omnes, vt diximus, nongenti ſexaginta nouem fiunt: Vnde detractis nongentis quinquaginta quinque ab ortu Mathuſalem, vſque ad Diluuium, remanent quatuordecim, quibus vixiſſe creditur poſt Diluuium.*

Propter quod eum nonnulli, etſi non in terra, vbi omnem carnem quam viuere in aquis natura non ſinit, conſtat fuiſſe deletam, cum patre ſuo, qui tranſlatus fuerat, aliquantulum fuiſſe, atque ibi, donec Diluuium præteriret, vixiſſe arbitrantur: nolentes derogare fidem codicibus, quos in auctoritatem celebriorem ſuſcepit Eccleſia, & credentes, Iudæorum potiùs quàm iſtos, non habere quod verum eſt. Non enim admittunt, quòd magis hic eſſe potuerit error Interpretum, quàm in ea lingua eſſe falſum, vnde in noſtram, per Græcam Scriptura ipſa transfuſa eſt. Sed inquiunt non eſſe credibile, Septuaginta Interpretes, qui vno ſimul tempore, vnóque ſenſu interpretati ſunt, errare potuiſſe: aut vbi nihil eorum intererat voluiſſe mentiri: Iudæos verò, dum nobis inuident, quòd Lex & Prophetæ ad nos interpretando tranſierunt, mutaſſe quædam in codicibus ſuis, vt in noſtris minueretur auctoritas. Hanc opinionem, vel ſuſpicionem accipiat quiſque vt putauerit, certum eſt tamen, non vixiſſe Mathuſalem poſt Diluuium, ſed eodem anno fuiſſe defunctum, ſi verum eſt quod de numero annorum in Hebraïcis codicibus inuenitur. De illis verò Septuaginta Interpretibus, quid mihi videatur, ſuo loco diligentiùs differendum eſt. Hæc ſanctus Auguſtinus.

Et differuit quidem diligentiùs ſequenti cap.13. in hæc verba: *Continuò referretur, illud Iudæorum eſſe mendacium: de quo ſuperiùs ſatis actum eſt. Nam Septuaginta Interpretes laudabiliter celebratos viros potuiſſe mentiri difficile eſt. Vbi ſi quæram, quid ſit credibilius, Iudæorum gentem tam longè latéque diffuſam, in hoc conſcribendum mendacium vno concilio conſpirare potuiſſe, & dum aliis inuideant auctoritatem, ſibi abſtuliſſe veritatem: an Septuaginta homines, qui etiam ipſi Iudæi erant, in vno loco poſitos, quoniam Rex Ægypti Ptolemæus eos ad hoc opus aſciuerat, ipſam veritatem gentibus alienigenis inuidiſſe, & communicato iſtud feciſſe concilio, quis non videat quid procliuius, faciliúſque credatur?*

Sed abſit vt prudens quiſpiam, vel Iudæos cuiuſlibet peruerſitatis, atque malitiæ, tantùm potuiſſe credat in codicibus tam multis, & tam longè latéque diſperſis: vel Septuaginta illos memorabiles viros hoc deuinidenda gentibus veritate vnum communicaſſe concilium. Credibilius ergò quis dixerit, quum primùm de Bibliotheca Ptolemæi Regis deſcribi iſta cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuiſſe in codice vno, ſcilicet primitus inde deſcripto, vndè iam latius emanaret, vbi potuit quidem accidere etiam ſcriptoris error.

Sed hoc in illa quæſtione de vita Mathuſalem non abſurdum eſt ſuſpicari: & in illo alio, vbi ſuperantibus viginti quatuor annis, ſumma non conuenit. In his autem in quibus continuatur ipſius mendoſitatis ſimilitudo, ita vt ante genitum filium, qui ordini inſeritur, alibi ſuperſint centum anni, alibi deſint, vt ſumma conueniat: & hoc in prima, ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſeptima generatione inuenitur, videtur habere quandam (ſi dici poteſt,) errorem ipſe conſtantiam: nec caſum redolet, ſed induſtriam. Itaque illa diuerſitas numerorum aliter ſe habentium in codicibus Græcis & Latinis, aliter in Hebræis, vbi non eſt iſta, centum annis priùs additis, & poſteà detractis, per tot generationes continuata parilitas: nec malitiæ Iudæorum, nec diligentiæ vel prudentiæ Septuaginta Interpretum, ſed ſcriptoris tribuatur errori, qui de Bibliotheca ſupradicti Regis codicem deſcribendum primus accepit. Nam etiam nunc, vbi numeri non faciant intentum ad aliquid quod facilè poſſit intelligi, vel quòd apparent vtiliter diſci: & negligenter deſcribuntur, & negligentiùs emendantur. Et poſt alia, tandem ſubdit: *Sed quomodolibet iſtud accipiatur, ſiue credatur ita eſſe factum, ſiue non credatur, ſiue poſtremò ita, ſiue non ita ſit: rectè fieri nullo modo dubitauerim, vt cùm diuerſum aliquid in vtriſque codicibus inuenitur: quandoquidem ad fidem rerum geſtarum vtrumque eſſe non poteſt verum; ei linguæ potius credatur, vnde eſt in aliam per interpretes facta tranſlatio. Nam in quibuſdam etiam codicibus, Græcis tribus, & vno Latino, & vno etiam Syro, inter ſe conſentientibus inuentus eſt Mathuſalem ſex annis ante Diluuium fuiſſe defunctus.* Huc vſque S. Auguſtinus.

Qui etiam quæſt.2. in Geneſim, inquit: *Quæri ſolet, quomodo Mathuſalem ſecundùm annorum computationem viuere poſt Diluuium potuerit, cùm omnes, præter eos, qui in arcam ingreſſi ſunt, periiſſe dicantur. Sed hanc quæſtionem plurium codicum mendoſitas peperit. Non ſolum quippe in Hebræis aliter inuenitur, verum etiam in Septuaginta Interpretatione, Mathuſalem, in codicibus paucioribus, ſed veracioribus, ſex annis ante Diluuium reperitur fuiſſe defunctus.* Nimirum in codicibus illis Septuaginta Interpretum, qui habent Mathuſalem natum annos 187. genuiſſe Lamech; Lamech annorum 188. genuiſſe Noë, vti iam annotauimus cap.3.

S. Beda in Chronico: *Mathuſalem annorum centum octoginta ſeptem, genuit Lamech, cui ſuperuixit annis ſeptingentis octoginta duobus, ideſt, vſque ad Diluuium. LXX. Interpretes ante natum Lamech, centum ſexaginta ſeptem ponunt annos, poſteà octingentos & duos, qui numerus, vt lector facillimè videbit, iuxta Hebraïcam veritatem, viginti annis, iuxta ipſorum verò auctoritatem, quatuordecim annis Diluuij tempora tranſit. De qua famoſiſſima quæſtione doctiſſimi Patres Hieronymus in lib. Quæſtionum Hebraïcarum. Auguſtinus in lib. de Ciuitate Dei 15. pleniſſimè diſputant.* Eadem habet totidem verba S. Ado Viennenſis in Chronico, & Hermannus Contractus in Chronico. Ioſephus Scaliger Euſebianorum pag. 243. hæc annotat: *Hìc quoque hallucinatio eſt. Nam ſecundùm Hebraïcam veritatem XX. annis minor eſt ille numerus annorum Mathuſalæ, non autem viginti annis tranſit tempora Diluuij. Mira alogiſtia!* Mira ſanè Scaligeri, qui diligentiſſimum & accuratiſſimum

mum ſcriptorem Bedam tam bardum facit : eſt perſpicuum mendum in Adone, Beda & in Hermanno, facilique lapſu potuit abeſſe vocula, *maior*, legendúmque, *iuxta Hebraïcam Veritatem, viginti annis maior, iuxta ipſorum verò auctoritatem, quatuordecim annis, &c.* Et quando Scaliger ſcribebat, *XX. annis, minor*, (niſi error ſit typographi) quid habebat in mente ?

Addit verò idem S.Beda : *Sanè de differentia annorum inter Hebræam & LXX. Interpretum auctoritatem, ne quis nos laceret nouas mouiſſe quæſtiones, legat præfatorum Patrum memorata opuſcula, & intelliget, hanc iam olim notiſſimam fuiſſe diſtantiam: cuius originem diſtantiæ cùm beatus Auguſtinus ſolertiſſimè quæſiſſet, dixit in libro ſuprà ſcripto, capitulo 13. inter alia ſic : Credibilius ergo quis dixerit, cùm primò de bibliotheca Ptolemæi deſcribi iſta cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuiſſe in codice vno, ſed primitus inde deſcripto, vnde iam latiùs emanaret, vbi potuit quidem accidere etiam ſcriptoris error : Et hoc in illa quæſtione de vita Mathuſalæ, non abſurdum eſt ſuſpicari. Et poſt aliquanta : Rectè fieri, inquit, nullo modo dubitauerim, vt cùm diuerſum aliquid in vtríſque codicibus inuenitur, quandoquidem ad fidem rerum geſtarum vtrumque eſſe non poteſt verum, ei linguæ potiùs credatur, vnde eſt in aliam per interpretes facta tranſlatio.* Hæc S. Beda. Eadem ad verbum Hermannus Contractus.

Marianus Scotus lib. 1. Chronici : *Mathuſala annorum CLXXXVII. genuit Lamech, & poſteà vixit DCCLXXXII. ideſt, vſque ad Diluuium. Septuaginta autem ante Lamech CLXVII. & poſtea DCCCII. annis, ideſt, XIV. annis poſt Diluuium. Quod nonnulli cum patre ſuo Henoch, qui tranſlatus fuerat, aliquantulum fuiſſe, donec Diluuium præteriret, falſa opinione exiſtimant. Quam famoſiſſimam quæſtionem B. Auguſtinus lib. 15. de Ciuit. Dei pleniſſimè diſputat. Hieronymus autem in lib. Hebraïcarum Quæſtionum, ſic : Tunc ſecundùm LXX. annis poſt Diluuium XIV. vixit Mathuſala, & non octo tantùm animæ ſaluæ fuerunt in Arca, iuxta diuinam Scripturam. Sed hic error eſt. Anno DCCCCLXIX. vitæ eius, quo cœpit Diluuium, obiit Mathuſala.* Et inferiùs ætate 2. pag. 13. agens de annis à Diluuio ad Abraham, ait : *Quòd verò Hebraïcæ veritatis potiùs auctoritatem, quàm LXX. Interpretum credamus, cùm originem diſtantiæ ipſarum beatus Auguſtinus ſolertiſſimè quæſiſſet in libro de Ciuitate Dei 15. capite 13. ita dicit : Credibiliùs ergo quis dixerit, cùm primùm de Bibliotheca Ptolemæi regis deſcribi iſta cœperunt, tunc aliquid tale erroris fieri potuiſſe in codice vno, ſed primitùs inde deſcripto, vnde iam latiùs emanaret : vbi potuit quidem accidere etiam ſcriptoris error. Sed & hoc in illa quæſtione de vita Mathuſalem, non abſurdum eſt ſuſpicari. Et poſt paulum : Rectè fieri, inquit, nullo modo dubitauerim, vt cùm diuerſum aliquid in vtríſque codicibus inuenitur, quandoquidem ad fidem rerum geſtarum vtrumque eſſe non poteſt verum, ei linguæ potiùs credatur, vndè in aliam per Interpretes facta eſt tranſlatio. Hæc Auguſtinus. Tranſlatio autem LXX. Interpretum vel minùs ſollicitè primò edita eſt, vt multi adſtruunt, vel poſteà à Gentilibus corrupta, vt B. Auguſtino videtur : ſeu certè ex vtríſque, commixto opere, codicibus, vt ſibi viſum fuerit, temporum curſum notauerit.* Hæc Marianus, inſignis Chronologus, qui, teſte Dodechino, obiit anno ſalutis MLXXXVI. Vide S.Bedam de Temporum ratione, cap. 66.

At hîc notandum, iuxta LXX. Seniorum exemplaria, & Patres ea ſecutos, quæ Mathuſalæ quando genuit Lamech, CLXVII. ætatis annos aſſignant, perſpicuè ſequi Mathuſalem XIV. annos produxiſſe vitam vltra Diluuium : at in Complutenſi, Roberti Stephani, & Regia, LXX. editionibus, Mathuſalæ duo minus anni tribuuntur, quando genuit Lamech, nempe CLXV. iuxta quos codices, XVI. annos eum poſt Diluuium vixiſſe oportuit. At cùm iam olim vetuſtiſſimi Patres tantùm incommodum animaduertiſſent, LXX. Interpretum exemplaria ad Hebraïcam Veritatem reſtituerunt, & Mathuſalæ CLXXXVII. annos, vt eſt in Hebræo, conſtituerunt : reliquóſque numeros, vt erant in LXX. codicibus reliquerunt intactos : ſicque Mathuſalem iuxta hos codices LXX. ſex annis ante Diluuium, è vita diſceſſit. Suſpicor auctorem eiuſmodi emendationis fuiſſe S.Lucianum martyrem, qui LXX. editionem ad Hebraïcam veritatem in multis emendauit, vti præced. cap. demonſtrauimus. Scaliger tamen exiſtimat, initiò LXX. Interpretationem rectè, & incorruptè cum Hebræo in Mathuſalem habuiſſe CLXXXVII. annos : poſteà factam deprauationem in CLXVII. Cuius rei non leue argumentum eſt, quòd Ioſephus qui ſingulorum Patriarcharum numeros in prima mundi ætate, conſentaneè LXX. Seniorum Editioni ſupputare videtur, Mathuſalæ quando genuit Lamech CLXXXVII. annos contribuit : totidémque ei dant S. Theophilus, & Iulius Africanus, qui vixerunt ante tempora S.Hieronymi & S. Auguſtini. Vide quæ ſcripſimus ſuprà cap. 3. & quæ Scaliger annotat lib. 3. canonum, pag. 280. 281. Sed mira ſunt quæ ſcribit Quintus Iulius Hilarion Libello de Mundi duratione : enumerans enim generationes Patriarcharum ab Adam ad Diluuium, inter alia inquit : *Mathuſalam anno CLXXXII. genuit Lamech. Hîc primos Mathuſalæ annos quos ſcriptorum error fecit, nullus vidit, nullus inſpexit, nullus diligenti inquiſitione correxit. CLXVII. annos eum vixiſſe quum genuit Lamech ; poſt vixiſſe DCCCII. annos : quod verum eſſe non poteſt, quia DCCCII. vſque trans Diluuium, XIV. annos plus eſſe monſtratur : Diluuium enim nemo euaſit, nemo præter arcam viuendo tranſcendit. Igitur Mathuſalam vixit annos CLXXXII. & ſic genuit Lamech, & poſt hoc vixit annos DCCLXXXVII. Sic enim diuinæ Scripturæ fides vera demonſtrat, quæ & Mathuſalam ante Diluuium & vixiſſe, & mortuum eſſe narrauit. Lamech anno CLXXXVIII. genuit Noë. Sexcenteſimo namque anno Noë factũ & conſummatum eſt Diluuium.* Hæc Hilarion. Mirati autem ſumus S.Iſidorum & Hiſpalenſem exiſtimaſſe viſum Mathuſalem vltra Diluuium vitam propagaſſe. Sic enim in Geneſ. 5. ait : *Quòd Mathuſalam ſecundum Septuaginta vltra Diluuium numerantur anni : vt quemadmodum ſolus eſt Chriſtus, cuius vita nullam ſenſit ætatem : in maioribus quoque illius non ſenſiſſe Diluuium videretur.* At ſunt diſertiſſ. verba Petri 1. cap. 3. 20. *in qua*, arca, *pauci, id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam*, quæ nulla tergiuerſatione eludi poſſunt.

Ergo habemus luce meridiana fulgentius ex ſententia S.Hieronymi, S. Auguſtini, S. Euſebij, S.Bedæ, S.Adonis, Strabi, Hermanni Contracti, Mariani Scoti, LXX. Seniorum Editionem in annorum numeris ab Adam vſque ad Diluuium Geneſ. 5. & à Diluuio vſque ad Abraham, Geneſ. 11. corruptam & deprauatam eſſe : potiúſque amplectendam & retinendam eſſe eam annorum rationem quam Hebraïca Veritas perpetuò exhibuit & conſeruauit. Georgius Monachus Syncellus in Chronographia quam habuit Scaliger, conatus eſt LXX. Interpretum codices, reiecta Hebraïca veri-

tate in his annorum numeris asserere : causásque stultissimas comminiscitur cur in singulis ferè Patriarcharum generationibus centenarium vnum minùs ponant Hebræi quàm LXX. Sed sunt vanissima quæ differit : & iam à SS. Hieronymo & Augustino confutata. Vide Scaligerum in Eusebianis pagina 249.

In annorum enumeratione ab Adam ad Diluuium, Genes. 5. & à Diluuio ad Abraham, Genes. 11. potiùs standum Hebraïcæ Veritati, & Vulgatæ Editioni Latinæ, quàm LXX. Interpretum translationi.

CAP. VIII.

NVlli non notum, vulgatam istam Latinam Editionem, quam Ecclesia iam longo sæculorum vsu probauit, quámque Concilium Tridentinum authenticam & irrefragabilis auctoritatis esse decreuit, eam omnino habere annorum rationem ab Adam ad Diluuium Genes. 5. & à Diluuio ad Abraham, Genes. 11. quam Veritas Hebraïca continet. Quapropter cùm, vt prudentissimè dicebat S. Augustinus, *ad fidem rerum gestarum vtrúmque esse non possit verum*, nimirum, & quod LXX. translatio, & quod Hebraïcus Textus, & vulgata nostra Editio Latina in præfata annorum ratione habent, cùm immaniter inter se discordent; rogo quempiam eruditum & pium, Vtri potiùs credendum, & assentiendum censuerit, LXX. ne Interpretum versioni, quæ tot Patrum auctoritate, & ratione perspicua vitiosa & corrupta deprehenditur: an Hebraïcæ Veritati, & huic prorsus consentienti Editioni Vulgatæ authenticæ, quam nullus, quouis prætextu, iubente sacro Concilio, reiicere ausit? Alterum enim è duobus hîc necessariò eligendum: vel reiecta Editione Vulgata, LXX. translationem præferendam: vel hac repudiata, Editionem Vulgatam amplectendam.

Equidem innumeri recentiores, doctrina & pietate præstantes, qui controuersiam hanc de Chronologia ab Adam ad Abraham ex instituto versarunt, summo consensu in eam abiêre sententiam, Septuaginta Seniorum Interpretationem in ea tota ratione mendosam & deprauatam haberi: Veritatem autem Hebraïcam, & Vulgatam nostram Editionem integram & incorruptam esse: & sine dubio explosa annorum ratione, quam LXX. præferunt, eam solam pro vera & legitima excipiendam & approbandam annorum summam, quam Fons Hebraïcus, & Vulgata Editio ab Adam ad Diluuium, Genes. 5. & à Diluuio ad Abrahamum Genes. 11. commendant. Ita sanè Alphonsus Tostatus Comment. in Genes. 5. Ludouicus Viues Commentariis ad lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 11. & 13. Augustinus Steuchus in notis ad Genes. 5. & 11. Ioannes Lucidus lib. 1. de Emendationibus temporum, cap. 6. & 7. Xystus Senensis lib. 5. Bibliothecæ, annot. 68. & 88. Gilbertus Genebrardus lib. 2. Chronographiæ, pag. 550. Robertus Bellarminus lib. 2. de verbo Dei, cap. 6. Flaminius Nobilius in Notis ad Editionem Latinam LXX. Interpretum, Genes. 5. Benedictus Pererius lib. 7. in Genes. Disputationis Chronologicæ, quæst. 2. & 3. & lib. 16. in Genes. disp. 12. Franciscus Suarez tom. 1. in 3. partem S. Thomæ, disp. 6. sect. 1. Ascanius Martinengus Prolegomenis in Pentateuchum, cap. de Editionibus Latinis, Martinus Delrius Annotationibus in Genes. 5. & 11. Augustinus Torniellus in Annalibus ab orbe condito, anno mundi 131. num. 4. & seqq. Iacobus Gordonius in Quæstionibus Chronologicis, cap. 3. & 5. Leornadus Coquæus in Annotationibus ad lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 11. & 13. Nicolaus Serarius in Prolegomenis Bibliacis, cap. 17. quæstiunc. 20. His adiungo, sed non eodem elogio, hominem ab Ecclesia alienum Scaligerum in Eusebianis pag. 243. col. 1.

Et hæc procul dubio est Ecclesiæ sententia, quum in Concilio Tridentino Latinam Vulgatam Editionem, authenticam esse confirmauit. Quæ quidem sententia quàm firma, fixáque stare debeat, inde magis perspicuum redditur, quòd Index Expurgatorius Romanus ad tom. 4. Bibliothecæ veterum Patrum editionis Parisiensis anni 1589. in S. Iuliani Archiepiscopi Toletani opere contra Iudæos, lib. 3. colum. 243. c. ad verba illa S. Iuliani, quibus patrocinium LXX. Interpretum aduersus Hebraïcos codices in annorum rationibus ab Adam ad Diluuium, & à Diluuio ad Abraham suscipit, quæ nos quoque superiùs, cap. 5. descripsimus: hanc censuram apponi imperat: *Expunge glossam marginalem, Codices Septuaginta Interpretum Hebraïs præferendi, & scribe: Cautè lege: Nam certum est Ecclesiam Catholicam in Editione vulgata approbare eam annorum rationem, quæ est in codicibus Hebraïcis Genes. 5. & 11. cùm Vulgata egregiè Hebraïco Fonti consentiat in ætatum enumeratione, atque supputatione temporum. Vide lib. 1. supradicti Theologi Dominicani Thomæ Maluendæ de Antichristo, cap. 14. & 16.* Hæc Index Expurgatorius. Atqui hæc ipsa Nota addita est in margine eisdem verbis operis S. Iuliani, in editione posteriori Parisiensi Bibliothecæ Patrum, anno 1610. Et in nouissimo Indice Expurgatorio Hispano, ad eadem verba S. Iuliani, in Bibliotheca Patrum, margini iubetur affigi hæc animaduersio: *Cautè lege.*

Ad hæc, idem Expurgatorius Index Romanus ad Tomum 7. Bibliothecæ Patrum impressionis Parisiensis, 1589. in Chronographia S. Nicephori Patriarchæ, colum. 973. Et ad verba illa Notarum Antonij Contij, *Quare satis mirari non possum, &c.* quibus quoque LXX. Seniorum rationes ab Adam ad Diluuium, & à Diluuio ad Abraham aduersus Hebræos propugnat, quæ nos etiam suprà cap. 5. posuimus, eiusmodi censuram adiici statuit: *Contius dum nimio studio Septuaginta Interpretum translationis chronologiam tuetur, non videt se incautè Hebraïci Fontis, & vulgatæ Editionis chronologiam labefactare, quæ cum illa Septuaginta Interpretum perspicuè pugnat: & Patres corruptelam LXX. Interpretum exemplarium ingenuè profitentur. Vide librum 1. de Antichristo P. Thomæ Maluendæ Theologi Dominicani, cap. 14. 15. 16.* Hæc Index.

Augustinus Torniellus in Annalibus, anno mundi 131. num. 7. eundem Contium castigans, ait: *Nam quemadmodum meritò sanè Index expurgandorum Romæ nuper editus, ibidem* (nimirum ad Contij præfata verba) *affigendum præcipit; Dum nimio Contius studio Septuaginta Interpretum translationis chronologiam tuetur, non videt se incautè Hebraïci Fontis & Vulgatæ Editionis chronologiam labefactare, quæ cum illa LXX. Interpretum perspicuè pugnat: & constat Patres corruptelam LXX. Interpretum exemplarium ingenuè profiteri, vt tum ex his quæ à nobis iam dicta sunt, tum etiam ex illis, quæ apud Patrem Thomam Maluendam Theologum Dominicanum lib. 1. de*

de Antichriſto, cap. 14. 15. & 16. in eodem Indice citatum, habentur, ſatis euidenter apparet. Hæc Torniellus.

Et in Hiſpano Indice ad eadem Contij verba, in Bibliotheca Patrũ, adſcribi iubetur in margine: *Cautè lege.* Quin & Genebrardus lib. 2. Chronographiæ, pag. 350. inquit: *Ita nihil neceſſe eſt aliud reſpondere Antonio Contio, qui vulgatam totius Eccleſiæ Græcæ numerationem laudat, tanquam ei congruentem, quæ in Græcorum Horologio, & Cyclo Paſchali ibidem deſcripto notatur, & quam Cedrenus, Zonaras, Nicetas, Sexta Synodus in Trullo, Nicephorus ipſe Chronologus, quem luculentis Notis illuminauit, & vno verbo, Græci omnes hodie ita ſequuntur, vt frequentiùs per hos mundi, quàm per Chriſti annos tempora conſignent. Nam eam examinat ad corruptiſſima Septuaginta Interpretum exemplaria. Plurimum tribuo Septuaginta Interpretibus, ſed incorruptos eos nobis exhibeant: corruptos enim negare non poſſunt, ſiue quia res ipſa cum Hebraïco comparata loquitur, ſiue quia Eccleſia Editionem D. Hieronymi, vt ipſemet Contius fatetur, præfert, in his, & aliis ab hac Græca Editione mirabiliter diſcrepantem.* Hactenus Genebrardus: ſanè prudenter.

Quocirca ſatis miramur Hieronymum Vielmium lib. de Sex diebus Conditi orbis, lectione 5. numerationem annorum ab Adam ad Abraham quæ in Codicibus LXX. Virorum habetur, conatum aſſerere. Nec valdè probanda ſunt quæ de his diſſerit Ioannes Azorius tomo 1. Inſtitutionum Moralium lib. 6. cap. 58. quæſt. 3.

Sed maiorem difficultatem nobis creat Baronius, qui in Notis ad Martyrologium Romanum 25. Decembris, recitatis Martyrologij verbis, quibus à creatione mundi ad Chriſtum naſcentem computantur anni MMMMMCXCIX. ait: *Ita antiquæ Tabulæ Eccleſiarum, ſecundùm ſupputationem LXXII. Interpretum, & Euſebij Chronico: quam quidem tam Occidentalem, quàm Orientalem Eccleſiam conſtat eſſe ſecutam.* Et poſt alia: *Satis tibi ſit, candide lector, nos hîc demonſtrare eiuſmodi annorum ſupputationem poſitam eſſe more maiorum, ſimúlque oſtendere Catholicam Dei Eccleſiam in ſupputando annorum numero LXX. Interpretes ſequi conſueuiſſe.* Et inferiùs: *Satis ſit modò declaraſſe, Catholicam Dei Eccleſiam in ſupputatione annorum ab origine mundi dictos Interpretes eſſe ſecutam: quod & antiqua Martyrologia, ex quibus hæc ſunt deſcripta, teſtantur.* Et Apparatu Annalium, num. 118. *Illud tamen non omninò prætermittendum videtur, Sanctam Dei Eccleſiam antiquitus conſueuiſſe ſupputare annos ab origine mundi, non ſecundùm Hebraicam Editionem, ſed ſecundùm LXXII. Interpretes.* & num. 119. *Profitetur & Romana Eccleſia in ſuo Martyrologio, ſe annos ſupputare ſecundùm eoſdem Interpretes.* Confirmat hæc Baronius auctoritate S. Auguſtini, & S. Iuliani, quas nos ſuprà cap. 5. deſcripſimus. Et in eandem rem numero 118. ait: *Adiicimus & Græci hominis inſigniter eruditi de eadem re teſtimonium, videlicet Anaſtaſii Synaïtæ Epiſcopi Antiocheni, æqualis Magno noſtro Gregorio, qui ſic ait: Sciendum eſt quòd aliter computant Hebræi, & aliter Romana Eccleſiæ traditio.* Hæc Baronius. De Græca Eccleſia notum eſt: & ſatis nobis dictum. Ceterùm nullum hactenus publicum Romanæ Eccleſiæ monumentum profertur, in quo Eccleſia in annorum mundi computatione LXX. Seniorum editionem ſe ſequi profiteatur, niſi Romanum Martyrologium, quod hodie extat, XXV. Decembris, vbi dicitur Chriſtus natus anno à creatione mundi 5199. &c. At vetuſtiſſimum Romanum Martyrologium, quo Eccleſia Romana olim eſt vſa, quódque S. Ado Viennenſis Epiſcopus habuit, ſuóque Martyrologio præfixit, quod videt & habuit Iacobus Moſander, quod Baronius nunquam vidit, quod nuper anno Domini 1613. Heribertus Roſuveydus primus in lucem protulit; 25. Decembris, nihil omnino habet de annis mundi, ſed tantùm: *Natiuitas Domini ſecundùm carnem.* Item antiqua Martyrologia S. Bedæ, S. Adonis, Rabbani, nihil prorſus meminêre de annis mundi qui fluxerunt vſque ad Natalem Chriſti, ſolus Vſuardus in ſuo Martyrologio 25. Decembris orſus eſt: *Anno à creatione mundi, quando in principio Deus creauit cœlum & terram, quinto milleſimo centeſimo nonageſimo nono, &c. Ieſus Chriſtus in Bethlehem Iudæ naſcitur, &c.* Atqui ex Vſuardo in recentius Romanum Martyrologium transfuſam omnem illam annorum mundi Chronologiam, non eſt dubium.

At illud eſt nimis exploratum, non quidquid eſt in Romano Breuiario aut Martyrologio, id tanquam omnino certæ & indubitatæ fidei proponi ab Eccleſia credendum, cùm in Sanctorum Actis, tum in aliis ad hiſtoriam aut Chronologiam pertinentibus: cùm quidem, & non ſemel factæ ſint, & Breuiarij & Martyrologij nouæ correctiones, & in his nonnulla ad veritatem hiſtoricam vel Chronologicam reſtituta: & ſuperſint forſan non pauca quæ reſtitui mereantur. Id quod ipſe Baronius ingenuè etiam profeſſus eſt Annal. 2. anno Chriſti 302. num. 104. Edit. Colonienſis.

Facilè crediderim Romanam & Occidentalem Eccleſiam ante tempora S. Hieronymi, ſecutam eam annorum rationem, quæ in codicibus LXX. Virorum erat, quod nimirum Eccleſia tunc vteretur Latina veteri quadam Editione ex illa LXX. Seniorum maiori ex parte conflata, in qua illa LXX. Virorum ſupputatio etiam inueniretur, vt ex his quæ ex S. Hieronymo, & S. Auguſtino cap. 7. notauimus, intelligi poteſt: ſed poſtquam relicta priſca illa Latina Tranſlatione, hanc noſtram vulgatam, à S. Hieronymo, vel nouam ex Hebræo factam, vel ad Hebraïcam veritatem magna ex parte reſtitutam, amplecti cœpit, quis non videt eam quoque annorum rationem approbaſſe, quæ in eadem Vulgata Geneſ. 5. & 11. expreſſa contineretur?

Addo eam Chronologiam, quam nunc Martyrologium Romanum 25. Decembris habet, non propriè, & integrè ex LXX. Editione acceptam, ſed ex Euſebio: Epilogiſmus enim LXX. propriè eſt ab Adam ad Abraham, MMMCCCXIV. annorum: at Euſebianus MMMCLXXXIV. centum triginta annis minor illo LXX. Virorum, propter ſuppreſſam ab Euſebio generationem ſecundi Cainan. Atqui epilogiſmus Martyrologij & ipſiſſimus Euſebianus.

Sed & qui nuper Chronologiam ſacram ex profeſſo tractauit Iacobus Gordonus, annotat: *Imò conſueuiſſe antiquitus Eccleſiam tantùm putare annos ſecundùm LXX. Interpretes, concedunt adhuc non pauci, ac inter alios Baronius in fine Apparatus ad Annales. Nihilominus Hebraïcam ſcripturam eſſe præferendam, quantum ad Chronologiam attinet, ſententia eſt, non modò recentiorum omnium, ſed etiam plurimorum veterum.*

Porrò teſtimonium S. Anaſtaſij Sinaïtæ lib. 7. Exaëmeron, quod adducit Baronius ad confirmandum, Romanam Eccleſiam ſupputare annos mundi, iuxta LXX. Interpretes, profectò erubui cùm illud

illud inſpexi: verba S. Anaſtaſij ſunt: *Secundò autem eſt ſciendum, quòd aliter computant Hebræi annum, & aliter Romanæ Eccleſiæ traditio: nam illi quidem trecentorum quinquaginta quatuor ſolùm dierum, annum numerant.* Et quæ mens erat Baronio cùm hunc locum induxit?

Ergo illud fidenter nobis aſſerendum, Eccleſiam Romanam ab eo tempore quo Vulgatam Latinam Editionem recipere cœpit, eam quoque procul dubio annorum rationem approbaſſe, & amplectendam ſtatuiſſe, quæ Geneſ. 5. & 11. perſpicuè in eadem Vulgata deſcripta extat. Non igitur hoc tempore integrum iam erit in annotandis annis ab orbe producto ad Abrahamum, vllum ſcrupulum aut difficultatem ex LXX. Seniorum rationibus ciere, propter Eccleſiæ ſacratam auctoritatem, Vulgatam Editionem authenticam decernentis: excepta tamen generatione Caïnan poſterioris, de qua ſtatim accuratè dicemus. Quòd verò in Romano Martyrologio relicta ſit ea Chronologia, quæ ex LXX. Virorum editione ab Euſebio vtcunque accepta fuit; id quidem non ideò factum videtur, quòd eam Romana Eccleſia vt veram & legitimam, præ ea quæ eſt in vulgata Editione, laudet aut comprobet: cùm illi è diametro aduerſantem, illam quæ eſt in Vulgata vt genuinam & ſinceram omnibus recipiendam proponat: ſed tantùm ſalubri temperamento cauit, vt vetus aliquod venerandæ vetuſtatis monumentum, tametſi lacerum, & pannoſum conſeruaretur: palámque faciat, quam rationem ſecuti fuerint antiqui Patres in enumeratione annorum mundi ad Chriſti ortum: Solent enim priſcæ antiquitatis veſtigia quantumuis corroſa & deformata, gratum aſpectantibus intuitum præſtare.

Vnde, aut quando orta LXX. Seniorum Editionis, cùm in annorum rationibus, tum in aliis deprauatio.

CAP. IX.

SAtis conſtat, perfecta abſolutáque à LXX. Viris celebri illa Sacrorum Librorum Interpretatione, iuſſu Ptolomæi regis in clariſſima illa quam Alexandriæ inſtruxit bibliotheca fuiſſe repoſitam, & magna diligentia conſeruatam. Ariſteas: *Tum Rex adiurat, iubétque, vt in ſeruandis cuſtodiendiſque ab omni macula libris, ſumma exhibeatur cura.* S. Epiphanius de Ponderibus & Menſuris: *Et ſic libri in linguam Græcam tranſlati, repoſiti ſunt in prima bibliotheca in Bruchio ædificata. Poſtea verò etiam altera facta eſt Bibliotheca in Serapio minor priore, quæ & filia ipſius nominata eſt: in qua repoſitæ ſunt Aquilæ & Symmachi, & Theodotionis ac reliquorum Tranſlationes, poſt ducenteſimum ac quinquageſimum annum.*

Inclytam illam Ptolemæi bibliothecam Cæſariano ciuili bello arſiſſe certum eſt. Seneca De Tranquil. animi, cap. 9. *Quadringenta millia librorum Alexandriæ arſerunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum alius laudauerit, ſicut Liuius, qui elegantiæ regum, curæque egregium id opus fuiſſe ait.*

Plutarchus in Cæſare, agens de bello Alexandrino: *Deinde cùm inſiſterent ei adimere claſſem, compulſus eſt periculum propulſare incendio: quo magna bibliotheca ex naualibus depaſcente, deflagrauit.*

Gellius lib. 6. cap. 17. *Ingens poſteà numerus librorum in Ægypto à Ptolemæis regibus, vel conquiſitus, vel confectus eſt, ad millia fermè voluminum ſeptingenta. Sed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea ciuitas, non ſponte, neque opera conſulta, ſed à militibus forte auxiliariis incenſa ſunt.* Non hæc ſatis conueniunt cum illis Plutarchi, qui nihil de direptione.

Dio lib. 42. referens quoque bellum Alexandrinum Cæſaris: *Exinde multa prælia interdiu, noctúque committuntur, multa incendia fiunt, inter quæ naualе etiam, penúſque, frumentaria, bibliothecáque, plurimis, vt fertur, optimiſque referta libris conflagrauit.* Hæc cum illis Plutarchi conueniunt.

Ammianus lib. 22. cap. 41. *His accedunt altis ſublata faſtigiis templa, inter quæ eminet Serapium, quod licet minuatur exilitate verborum, atriis tamen columnariis ampliſſimis, & ſpirantibus ſignorum figmentis, & reliqua operum multitudine ita eſt exornatum, vt poſt Capitolium quo ſe venerabilis Roma in æternum attollit, nihil orbis terrarum ambitioſius cernat. In quo bibliothecæ fuerunt inæſtimabiles: & loquitur monimentorum veterum concinnens fides, ſeptinginta voluminum millia, Ptolemæis regibus vigiliis compoſita, bello Alexandrino, dum diripitur ciuitas, ſub Dictatore Cæſare conflagraſſe.* At nec cum Dione, aut Plutarcho, ſed cum Gellio conſentit Ammianus.

Sub Cleopatra vtcumque reſtitutam eam Bibliothecam, Lipſius in Syntagmate de Bibliothecis cap. 2. Inde ſuſpicatur, quòd Plutarchus in Antonio ſcribat: *Caluiſius Cæſaris neceſſarius hæc quoque commiſſa in Cleopatræ gratiam exprobrauit Antonio crimina, donaſſe eum illi Bibliothecas quæ Pergami erant, in quibus ducenta millia erant ſimplicium voluminum.* Ex quibus Cleopatra ſuam Alexandrinam inſtruxerit.

Non eſt dubium poſt incendium Cæſarianum reſtauratum Serapium, & in eo Bibliothecam, tametſi non parem magnitudine & elegantia illi priori. Nam ſub Commodo etiam Serapium atſiſſe, Euſebius auctor eſt, in Chronico, cùm ait: *Anno II. Commodi, Chriſti CLXXXII. Templum Serapidis Alexandriæ incenſum.* De quo incendio putat Scaliger intellexiſſe Clementem Alexandrinum in Adhortatorio: *Ignis & Romæ ſæpe depopulatus eſt Capitolium: ſed nec abſtinuit à templo Serapidis Alexandriæ.* Sed forte mox refectum: ſiquidem tempore Seueri Imperatoris ſcribebat Tertullianus, qui Apologetici cap. 18. de LXX. Seniorum Interpretatione ait: *Hodie apud Serapium Ptolemæi Bibliothecæ cum ipſis Hebraïcis litteris exhibentur. Sed & Iudæi palam lectitant. Vectigalis libertas vulgò aditur Sabbatis omnibus.* Dio lib. 78. in Fragmentis vitæ Caracallæ, alterius incendij Serapij ſub Caracalla, ſed ſine noxa, meminit his verbis: *Paulo ante mortem ipſius Caracallæ ingens Alexandriæ ſubitò coortus ignis, vt equidem audire memini, totum Serapidis fanum interius occupauit: & aliud tamen omninò nihil damni dedit, niſi quòd gladius ille, quo fratrem iugulauerat, flammis ſolus abſumptus fuit.* Ætate Valentis Serapium extitiſſe, paulò anteà ex Ammiano vidimus. Theodoſius maior demoliri iuſſit, vti Eunapius Sardianus in Ædiſio Philoſopho, Rufinus lib. 2. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 26. 27. 29. 30. Socrates lib. 5. cap. 16. 17. Theodoretus lib. 5. cap. 22. Sozomenus lib. 7. cap. 15. Nicephorus lib. 12. cap. 25. & 26. fusè narrant. Vide lib. 5. Pſeudoſibyllinorum.

S. Ioannes Chryſoſtomus contra Iudæos, inquit: *Ptolemæus Philadelphus cùm omnes vndique libros congregaret, & intellexiſſet eſſe apud Iudæos libros qui de Deo, & de optimo reipublicæ ſtatu philoſopharentur, viris à Iudæa accerſitis, per eos tranſtulit, repoſuitque has ſcripturas in Templum Serapidis: erat enim*

enim gentilis vir. Et nunc vſque libri Prophetarum ibi tranſlati habẽtur. Hæc S.Chryſoſtomus in Græco Fragmento quod citat Steuchus in Diſſertatione, *An vulgata editio ſit D. Hieronymi.* Viderunt illud quoque Galeſinius libello de LXX. Interpretibus, pag. 40. & Martinengus Prolegom. in Pentateuchum, cap. De editionibus Græcis. Non viderunt Baronius & Serarius. Et Baronius quidem affirmat, non potuiſſe vel ſomniare S. Chryſoſtomum ſuo tempore libros Prophetarum à LXX. tranſlatos in Serapidis templo aſſeruari : cùm iam antequam S.Chryſoſtomus ſcriberet, ſub Theodoſio Seniore Serapidis templum dirutum eſſet. Templum quidem tunc dirutum prodidere auctores, ſed non appendices, & porticus, aliáque coniuncta ædificia, vbi Bibliotheca potuit conſeruari : nam quædam ibi vel relicta, vel paulò pòſt inſtaurata, vbi Monachi introducti, & Eccleſia erecta, Eunapius, Rufinus, Sozomenus teſtantur. Et cur ibi vel ſupereſſe, vel mox inſtrui Bibliotheca non potuit? Adeò ſæuũ vel Theodoſiũ, vel Theophilũ Epiſcopũ Alexandrinũ exiſtimabimus, vt ſaltẽ Bibliothecæ Serapij in tẽpli illa demolitione nõ pepercerint?

Facilè crediderim incendium illud ſub Dictatore Cæſare, aut ſub Commodo, magnam extitiſſe cauſam deprauationis LXX. Seniorũ Editionis, dum abſumpta igni vel archetypa, vel ectypa, iterũ noua & imperita manu deſcribuntur: vel ante hęc tẽpora, ſeu poſt, à Iudæis Helleniſtis indoctis, quia LXX. Tranſlatione vtebantur, admiſſam corruptelam. S. Auguſtinus 15. de Ciuit. Dei, cap. 13. *Credibilius ergo quis dixerit, cùm primùm de Bibliotheca Ptolemæi deſcribi iſta cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuiſſe in codice vno, ſcilicet primitus inde deſcripto, vnde iam latiùs emanaret, vbi potuit quidem accidere etiam ſcriptoris error.* Eadem Beda in Chronico.

Ludouicus Viues lib. 1. de cauſis corruptarum Artium. *Aliàs corrupti ſunt codices caſu aliquo, vt ferunt Sacros, qui à Septuaginta verſi ſunt in Græcum, pugione fuiſſe perfoſſos, vt quædam verba nullo modo legi potuerint.* De archetypis planè intelligo loqui Viuem : ſed nihil tale mihi vnquam lectum, vellem indicaſſet auctorem. Vide Serarium in Bibliacis Prolegomenis cap. 17. quæſtiun. 25.

Cauſſæ ob quas, qui Hebraicam veritatem, & vulgatam editionem ſequuntur, in annorum enumeratione ab exordio mundi ad Chriſtum etiam inter ſe diſſentiant.

OCcurrunt in Scriptura ſacra etiam iuxta Fontem Hebraïcum & vulgatam Latinam noſtram Editionem difficultates non paucæ, nec exiguæ in conſignandis annis mundi membratim per ſingulas ætates, & epochas temporum, vt non mirum ſit, eos quoque qui in re chronologica explicanda laudem meruêre præclaram, in ſtatuendis rationibus temporum ab Adam ad Chriſtum, nondum conuenire potuiſſe. Hîc præcipua nodorum & ſcrupulorum capita attingemus, reliqua ad eos amandabimus, quibus hæc eſt cura præcipua : breuiter interim innuentes, in vno quoque dubio quænam nobis magis ſententia probetur.

Prima difficultas de generatione ſecundi Caïnan.

CAP. X.

VVlgata noſtra Editio ex Hebræo fideliſſimè reddita, Geneſ. 11. verſ. 12. ita habet : *Porrò Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale. Vixitque Arphaxad poſtquam genuit Sale, trecentis triginta annis, & genuit filios & filias. Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber.*

At verò Septuaginta Interpretes vnam generationem ampliùs inter Arphaxad & Sale præter Hebraïcam veritatem interſeruerunt, in hunc modum : *Et vixit Arphaxad centum triginta quinque annos, & genuit Caïnan. Et vixit Arphaxad poſtquam genuit ſibi Caïnan, annos quadringentos triginta, & genuit filios & filias, & mortuus eſt. Et vixit Caïnan annos centum triginta, & genuit Sala. Et vixit Caïnan poſtquam genuit ipſe Sala, annos trecentos triginta, & genuit filios & filias & mortuus eſt. Et vixit Salas annos centum triginta & genuit Heber.*

Vides perſpicuè à LXX. Senioribus integram vnam Caïnan generationem adiectam, quam nec Hebraïca veritas, nec ipſa vulgata Editio quam magnifacit Eccleſia, agnoſcit. Sed quod magnum momentum meritò in cauſa iſta præfert, S. Lucas Euang. cap. 3. verſ. 36. LXX. Interpretum probat & ſequitur Editionem in hac re, generationémque Caïnan ſuo Euangelio inſeruit : *Qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Caïnan, qui fuit Arphaxad.*

Ingens ſanè quæſtio quæ magnorum virorum ingenia validè exercuit. Quocirca prudenter equidem S.Beda Præfat. Comment. in Acta Apoſtolorum exclamat : *Maximè miror, & propter ingenij tarditatem vehementiſſimo ſtupore perculſus, neſcio perſcrutari, qua ratione cùm in Hebraïca veritate à Diluuio vſque ad Abraham, decem generationes inueniantur, ipſe Lucas qui Spiritu ſancto calamum regente nullatenus falſum ſcribere potuit, vndecim generationes, iuxta Septuaginta Interpretes, adiecto Caïnan, in Euangelio ponere maluerit ?* Tota igitur quæſtio exiſtit, an reuera extiterit in rerum natura ille poſterior Caïnan, & an ſit eius generatio inſerenda inter Arphaxad, & Sale. Quam ſi interiicimus, Fontem Hebraïcum, & receptam ab Eccleſia Editionem vulgatam reſpuere videmur : ſi reiicimus, Lucam Euangeliſtam, & LXX. Seniores erroris manifeſtè arguimus : quæ aduerſus Lucam eſſet intoleranda blaſphemia.

Etverò huius Cainan generationem in mundi chronologia omittunt diſertiſſimè, Ioſephus, Iulius Africanus, Euſebius, S.Epiphanius. Quintus Iulius Hilarion, S.Iſidorus Hiſpalenſis, vti ſuperiùs cap. 4. abundè vidimus : Imò & qui Euſebianum Epilogiſmum à mundi conditu ad Diluuium, & à Diluuio vſque ad Abrahamum ſequuntur, vt Oroſius, Caſſiodorus, Martyrologia, Romanum recens, & Vſuardi, proculdubio intelliguntur generationem Caïnan prætermiſiſſe, dum à Diluuio ad Abraham ſupputant annos DCCCCXLII. quæ eſt ipſiſſima LXX. Seniorum ratio, exclusâ generatione Caïnan, vti eodem cap. demonſtrauimus. Et Procopius Gazæus in 11. Geneſ. *Hebraïca Veritas habet Selam genitum eſſe ab Arphaxad : quæ enim in medio ponuntur, obeliſco ſignata viſuntur.* Omittit quoque eandem S. Hieronymus Epiſt. 126. ad Euagrium. Nec defuere recentiores qui exiſtimarint generationem Caïnan in LXX. Interpretibus, & in Luca Euangeliſta ſuperfluam & redundantem eſſe, nec inter Arphaxad & Sale vllum Caïnan reuerà interceſſiſſe. Steuchus Annotationibus in Geneſ. 11. ait : *Error quoque eſt apud Septuaginta, in eo quòd ſcribant Arphaxad genuiſſe Cainan, cùm genuerit Sala, ſicut & noſtra habet Editio. Hinc factum, vt idem error ſit Lucæ 3. 1. vbi Genealogiæ cenſentur : ſequebatur enim Septuaginta, qui iam erant toto orbe receptiſſimi.*

Caietanus in 3. Lucæ. *Cõfer tam cum vulgata editione*

tione, quàm cum Hebraïca veritate, & inuenies hanc generationem Caïnan superfluam esse: nam inter patrem Heber, & Arphaxad nulla est media generatio, sed Arphaxad genuit Salech, qui fuit pater Heber. Excusatur tamen Lucas, quia recensuit genealogias vt inuenit eas scriptas à Septuaginta, apud quos scripta legitur hæc genealogia superflua: & meritò excusatur, quia tunc temporis interpretatio Septuaginta erat magnæ auctoritatis apud Græcos, & nationes alias: prouiditque per hoc Spiritus sanctus ne sanctis Doctoribus imputaretur, quod exposuerunt textum Sacræ Scripturæ, iuxta interpretationem communiter receptam, & vsu communi probatam: quandoquidem Lucæ Euangelistæ hoc idem facere licuit absque proprio errore. Et hæc dixerim, si verè ista generatio abundat. Posset namque dici Textus Hebræos modernos esse mancos, & Textum interpretatum a Septuaginta fuisse integrum. Et hoc credibilius est, præsertim quòd apud Septuaginta scribuntur etiam anni quibus vixit Caïnan medius inter Arphaxad, & Salech patrem Heber, tam antequam genuit Salech, quàm post. Rationi siquidem consentaneum est, vt credantur potius manci moderni codices, quàm vt tot viri insignes studuerint ad figmentum hoc construendum.

Xystus Bibliothecæ lib. 5. annotat. 88. *Septuaginta in præsenti Genealogiâ Sem geminum habent errorem, alterum in numero generationum, quibus genealogia contexitur: alterum in numero annorum, quibus vixerunt auctores harum generationum. Primus est, quòd cùm Moses nouem tantùm numeret generationes à Sem vsque ad Abraham, Septuaginta recensent decem generationes, adiecta Caïnan generatione statim post Arphaxad filium Sem, hoc modo: Et vixit Arphaxad ad annos centum triginta quinque, & genuit Caïnan. Et vixit Caïnan annos centum triginta, & genuit Sela: Et vixit Cainan postquam genuit ipse Sela, annos trecentos triginta, & genuit filios & filias, & mortuus est. Quæ omnia redundant, & Hebraïca Veritas prorsus ignorat, ponens ipsum Arphaxad genuisse Sela, & non Caïnan. Atque hic idem error irrepsit in Genealogia Saluatoris nostri, descripta in 3. capite Euangely apud Lucam: qui vt in ceteris, ita etiam in hoc secutus est editionem LXX. suis temporibus toto orbe receptissimam.*

Iansenius cap. 14. commentar. in concordiam Euangelicam: *In huius generationis narratione secutus est Lucas LXX. Interpretes: nam in vulgata nostra editione, & Hebraïca veritate hæc generatio non ponitur: sed Arphaxad dicitur pater Sale, qui genuit Heber. Quamuis autem hæc generatio abundet, excusetur tamen Lucas, quia recensuit genealogias, vt inuenit eas descriptas à LXX. quorum illo tempore apud omnes summa erat auctoritas.*

Genebrardus lib. 1. Chronographiæ pag. 30. *Corruptè apud LXX. Interpretes, Arphaxad dicitur genuisse Caïnan, & Caïnan Selam: nam nullum exemplar Hebraïcum hoc loco huius mentionem facit: Quin etiam vetustissimi Hebræi nominatim notant, à Noë ad Abraham tantùm decem esse generationes, quot erant ab Adam ad Noë. Beatus quidem Lucas cap. 3. vndecim numerat, ac Caïnan infert in hunc ordinem: sed id Græcorum ad quos scribebat, & quibus sola exemplaria LXX. nota erant, causâ. Possit etiam dici, Arphaxad genuisse Selam per intermedium Caïnan: nam sæpe Hebræis gignere, tam maioribus reliquis, quàm proximis parentibus tribuitur. Sic cùm non meminisset Caïnan Moses, id Beatus Lucas posuit, siue è veterum Hebræorum Historiis, siue è Spiritus sancti afflatu, siue ex opinione LXX, non sua. Neque enim est nouum scripturarum loqui ex aliorum sensu, & opinione, non rei veritate.*

Christianus Massæus in Chronico lib. 2. expungendam quoque censet generationem Caïnan. Omittit eam etiam Adrichomius in Chronico. Ioannes Lucidus lib. 1. De Emendationibus Temporum, cap. 6. *Augustinus autem in 16. De Ciuit. Dei, cap 10. inter Arphaxad & Sale, ponit Caïnan: & dicit ipsum Caïnan genuisse Sale, cùm esset centum triginta annorum, secundùm codices è Græco traductos, quibus tunc vtebatur Augustinus. Sed hoc tantùm in Græcis superadditum est, cùm in genealogia ipsius Sem post diluuium nullus inueniatur nomine Caïnan, non solùm secundùm codices Hebræos, sed secundùm Berosum, qui eandem genealogiam Sem fideliter describit, & nullum nominat Caïnan. Vnde patet eum à Græcis ibidem superflue adiectum. Dicunt autem aliqui inter quos est Hermannus Schedel, & Ioannes Nauclerus in suis Historiis, quòd Sale cognomine dicebatur Caïnan, & idem est Sale & Caïnan post Diluuium. Aliqui ergo putantes eos duos viros, cùm in quibusdam codicibus inueniantur duo nomina diuersa, descripserunt in eis duplicem generationem, eiusdem tum numeri annorum, scilicet centum triginta cuilibet ipsorum: & sic error inoleuit in codicibus quos legit Augustinus, qui ad nos vsque peruenerunt. In genealogia etiam Christi, quæ scribitur Lucæ 3. in codicibus Græcis idem Caïnan superadditus est. Ideóque, vbi dicitur ibidem, Qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Caïnan. Sic fieri debet emendatio: Qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui & Caïnan, scilicet alio nomine cognominabatur: & vbi scriptum est verbum, fuit, scribatur copula, &, vt dicernantur ea esse duos eiusdem viri nomina: sic enim existimamus Lucam Euangelistam scripsisse. Non ergo necesse est addere centum triginta annos, qui ipsi Caïnan superflue attribuuntur à Græcis.* Hoc ipsum quoque secutus est Hieronymus Rua controuersia 57. positiua.

Iacobus Naclantus in Medulla Sacræ Scripturæ, ait, Arphaxad & Caïnan fratres fuisse, & defuncto Caïnan sine liberis, Arphaxad ex vxore fratris defuncti genuisse Sale, qui secundùm naturam fuit filius Arphaxad, secundùm verò legem, Genes. 38. vers. 8. & Deuteron. 25. vers. 5. fuit filius Caïnan. Sed hoc delirium sumpsit ex Alberto Stadensi in Chronico, qui illud quoque delirauit, Caïnan fratrem fuisse Arphaxad. Peius multò est quod Hieronymus Rua priori parte controuersiarum, controuers. 5. positiua differit, in hæc verba: *Cùm Lucas ait qui fuit Sale, qui fuit Caïnan, qui fuit Arphaxad, eius institutum non est addere vnam generationem, quam malè addiderunt LXX. Interpretes: sed voluit vnum è duobus innuere, vel quòd Sale habuerit fratrem nomine Caïnan, vel coniugem; ita vt sit sensus: Qui fuit Sale, qui Sale fuit Caïnan frater, vel vir, Et forsan Lucas Spiritus sancti motionem id posuit, vt notaret obiter, & LXX. Interpretum errorem, & eius occasionem: qui cùm deberent Caïnan tanquam fratrem vel coniugem Sale addere, tanquam eum posuerunt, in quo alia distincta & ponens in numerum generatio explicaretur.* Caïnan verò coniugem fuisse Sale? Et iste qui tale scripsit quales se habiturum lectores putauit? fungos? aut stipites?

Matthæus Beroaldus nouator in Chronico disertè contendit generationem Caïnan non esse interserendam, nec eam aut à LXX. aut à Luca Euangelista proditam, sed temerè & mendosè ab aliquo LXX. editioni adiectam, indéque pari deprauatione in Euangelij Lucæ aliquot codices irrepsisse. Id ipsum etiam pluribus conatur ostendere Cornelius à lapide in Genes. 11.

Iosephus

Ioſephus Scaliger æquè nouator in Prolegomenis ad Chronicon Euſebij pag. 3. *Ab Adam ad annum primum Chriſti Dionyſianum Iulius Africanus tot putat, quot ex LXX. Seniorum rationibus colliguntur, quinquies mille quingentos: cùm tamen apertè ab iiſdem diſſentiat in altero Caïnan, quem ipſi aduerſus fidem Hebraïci codicis, tam Iudæorum, quàm Samaritarum, inter Arphaxad & Sale inſeruerunt. Hoc igitur inſititio Caïnan omiſſo, quum diſſimulandi fuerint CXXX. anni, quot Septuaginta Seniores illi attribuunt, quum Sela generaret, hanc lacunam vt expleret, placuit eos Chronographio Iudicum infindere, quæ fuit ſumma alogiſtia. Nam ſi ſuperuacaneus eſt ille Caïnan, vt certè eſt, ſequitur & annos quóque illos CXXX. ſuperuacuos eſſe: & proindè ab Adam, ad annum primum Chriſti, minus centum triginta annis interuallum eſt, quàm ex LXX. Seniorum editione colligitur. Sed quia in vetuſtiſſimis Exemplaribus Euangelij ſecundùm Lucam, illum Caïnan non extare animaduerteret, & ſciret, neque in Iudæorum, neque in Samaritarum Hebraïco legi, hac in parte conſenſui veterum, qui illum Caïnan non recipiebant, ſatisfacere voluit: rurſus quòd omnes vno ore ab Adam, ad Chriſtum, quinquies mille quingentos annos putarent, huic quoque parti deeſſe noluit: quod non potuit facere, niſi illos CXXX. annos Iudicum temporibus infindendo: cùm meminiſſe debuerit, deductis illis CXXX. ab Adam ad Chriſtum, tantùm quinquies mille trecentos ſeptuaginta intereſſe. Itaque non minori licentia illos annos de loco Caïnan depulſos in Iudicum tempora diſtulit, quàm ipſi Septuaginta Caïnan illum interiecerunt, & annos Patriarcharum paidopoïias ſingulis annorum centuriis auxerunt.*

Et in Euſebianis pag. 248. *Neque Africanus, neque Euſebius poſteriorem Caïnan recenſent in poſteritate Sem, quem præter auctoritatem Hebraïci tam Iudæorum, quàm Samaritarum codicis, Editio Septuaginta Seniorum poſuit: quòd nemo ſcire, neque vnde hauſerint, neque cur poſuerint, hactenus cauſam reddere potuit. Extat quoque in Genealogia Meſſiæ apud Lucam. Quare eſt locus, qui valde Interpretes tum veteres, tum nouos torſit. Poteramus & nos omnia illorum conuaſare, ſi tanta ambitione æſtuaremus, quanta ij, qui nullum librum bonum putant, niſi centonibus farctum. Hæc fuit cauſa, cur toties in Euſebium ſtomacharetur Georgius, quem puto pluſquam quinquies cum contumelioſa obiurgatione hoc illi obieciſſe.* Deinde ſubdit verba Græca Georgij Monachi, quibus Euſebium, & Africanum obiurgat propter omiſſum ſecundùm Caïnan: & poſteà addit: *Atqui neque Africanus, neque Euſebius ſoli hoc fecerunt: Exemplo enim vel eorum, vel antiquiorum, Chronologi hunc Caïnan, quem Iudæi & Samaritæ ignorant, omiſerunt, neque Epiphanius agnoſcit, Hæreſi Melchiſedecitarum.* Et pag. 252. ita Euſebium alloquitur: *Pamphili contubernalis, qui profeſſus te LXX. dinumerationem proponere, eam non ſequeris, CXXX. annis Caïnan ſecundi omiſſis. Inde toties in ius vocaris à Georgio, vt per eum neque quieto tibi eſſe, neque vadimonium deſerere liceat, propter omiſſionem illius Caïnan, quem LXX. in genus Sem infindentes, & centenis annis τῆς παιδοποιΐας ſingulorum Patriarcharum tempus ab Hebraïca veritate definitum augentes, auctoritatem Iudaïci codicis in dubium reuocarunt apud eos, qui non ſolùm Hebraïcè neſciebant, ſed etiam ipſum contextum Hebraïcum propter odium Iudæorum ſuſpectum habebant. Neque deſunt hodie capitones, qui Helleniſtarum Alexandrinorum editionem Moſaïcæ Veritati præferant, & eos Nouatores, qui aliter ſentiunt, vocent.* Hæc Scaliger.

Sed iam, credo tædet pudétque pium & eruditum lectorem, tot abſurdiſſimarum de ſecundo Caïnan ſententiarum: quas ſolùm propalaſſe confutaſſe eſt: indignæ enim ſunt maiori alia refutatione, tametſi innumeri recentiores eaſdem ex inſtituto confecêre. Verùm ſciendum generationem Caïnan non ſolùm Geneſ. 11. verſ. 12. Sed etiam 1. Paralip. 1. verſ. 18. & 24. abeſſe in Hebraïco, & in vulgata Editione, & in Chaldæo Paraphraſte: nec vllum extare Hebræum Interpretem, vel Chronologum qui eam agnouerit, & pro vera receperit.

Ceterùm eſſe reuera inſerendam, & admittendam, nullus iam abſque ìnſigni temeritate infieias ire poterit. Agnoſcunt enim eam & probant ſanctus Theophilus lib. 3. ad Autolycum, Excerpta ex Euſebio, & Africano, quæ edidit Scaliger, Chronicon Priſcum ſub Alexandro Seuero, cap. 1. S. Epiphanius Præfatione Panarij, ait: *Sem itaque genuit Arphaxad, Arphaxad Cena,* (Caïnan) *Cena Hala,* (Sala) *Hala Heber pium & religioſum: Heber Phalec.* Et hereſi 66. aduerſus Manichæos, ad finem: *Sem enim genuit Arphaxad, Arphaxad Cinna,* (Caïnan) *Cinna Sala, Sala Heber, Heber Phalec.* Et in Anchorato: *Sem verò gennit Arphaxad, Arphaxad Cena, Cena Sala, Sala Heber, Heber Phalec.* Recipit etiam ſanctus Auguſtinus 16. de Ciuit. cap. 10. Sanctus Nicephorus Patriarcha in Chronographia: Sanctus Iulianus Toletanus Epiſcopus lib. 3. aduerſus Iudæos inquit: *Hæc ſecunda ætas quam per denas generationes diximus currere, vnam minùs habet ſecundùm codices Hebræos, quæ hìc ponitur, id eſt, illam quæ dicitur Caïnan: quam tamen generationem & ſeptuaginta Interpretes memorant, & Euangelium ſecundùm Lucam confirmat.* Sanctus Beda in Chronico *Arphaxad annorum XXXV. genuit Sale. Hìc LXX. Interpretes vna generatione pluſquam Hebraïca Veritas poſuêre, dicentes, quòd Arphaxad cùm eſſet annorum CXXXV. genuerit Caïnan. Qui cùm CXXX. annorum fuerit, ipſe genuerit Sale. Quorum tranſlationem Euangeliſta Lucas hoc in loco videtur eſſe ſecutus.* Hæc ipſa totidem S. Bedæ verba exſcripſerunt S. Ado Viennenſis, & Hermannus Contractus in ſuis Chronicis.

Marianus Scotus lib. 1. Chronici, ætate. 2. cap. 14. *Arphaxad igitur, iuxta Euangeliſtam Lucam, annorum CXXXV. genuit Caïnan, & poſt natum Caïnan vixit annis trecentis triginta, ſecundùm LXX. quorum tranſlationem S. Lucas Spiritu ſancto inſpiratus in hoc loco conſequutus eſt.* Otho Epiſcopus Friſingenſis lib. 1. Chronici, cap. 4. *Septuaginta inter Sale & Arphaxad medium Caïnan ponunt, eique CXXX. annos tribuunt: quos Lucas Euangeliſta in genealogia ſua ſecutus, Qui fuit, inquit, Sale, qui fuit Caïnan, qui fuit Arphaxad.*

Zonaras Annali 1. *Arphaxadi filius fuit Caïnan, Caïnanis Sala: is Eberis pater. Eber Phalecum genuit.*

Et quid multis verbis opus eſt? nónne Lucas diſertiſſimè ponit Caïnan? Nam aſſerere in vetuſtiſſimis Lucæ exemplaribus non extare, aut ab aliquo ex LXX. Editione in Lucæ codices inſertum, temeritatis & inſaniæ fuerit. Vbi, magne Scaliger, illa vetuſtiſſima exemplaria Euangelij ſecundùm Lucam à quibus Caïnan exulat, vnquam ſunt viſa, aut fando audita? Sed hic ſemper inſigni vanitate indicta, inuiſa, inaudita venditat. Syrus quoque Interpres Lucæ Cainan habet.

Sed quomodo Caïnan ab Hebraïcis exemplaribus & Vulgata Editione abeſt? Vidimus iam ſuprà Caietanum cauſantem Hebraïcos codices hìc man-

cos & diminutos extare. In cuius sententiam non ynus aut alter concessêre. Hieronymus Vielmius lectione 5. de sex diebus conditi orbis. *Probabilius ergo est LXX. habuisse meliora exemplaria Hebræa, quàm nunc illa sunt quæ moderni Hebræi habent : quomodo quoque Cardin. Cajetanus in Lucæ cap. 3. scribit.* Sà in Notis ad Genes. 11. vers. 12. *Notandum, quòd LXX. inter Arphaxad & Sale ponunt Caïnan, magnúmque annorum numerum. Vide Lucæ 3. Itaque cogimur dicere, deesse aliquid in nostra Editione : quod mirum non est, cùm Matthæus in Christi Genealogia aliquos omiserit. Quanquam dici potest, Hieronymum, cuius est nostra Editio, secutum Hebræa, quæ hic diminuta, vt alibi etiam. Vide Exodi 12.* Et Exodi 12. vers. 10. ad verba illa, *Nec remanebit ex eo quidquam vsque manè.* Annotat : *Hic LXX. addunt, & os non confringetis, seu comminuetis ex eo, quod citatur Ioan. 19. Vnde apparet Hebræa nunc non esse integra.* Canit Ecclesia Romana in Lectione Paraseues hunc locum Exodi, vt est in Editione LXX. sed est ridiculum inde arguere, Hebræa non esse integra: sunt integerrima; nam ea verba habent infrà vers. 46. vnde etiam in versum 10. attraxerunt LXX. Interpretes, explicationis, vel paraphrasis gratia. Sed ad Caïnan.

Toletus in 3. Lucæ, annotat. 61. *Existimarem potiùs dicendum esse, in Hebræo deesse illam generationem Caïnan, quæ reuera legebatur, & à Septuaginta conuersa est in Græcum: non enim est credibile, Septuaginta non solùm numerasse Caïnan, sed etiam annos vitæ eius, si non legissent in Hebræo. Legerunt ergo, & exemplaria illa ita habebant: nec nouum est illos alia etiam tunc legisse, quæ nunc non habentur vitio scriptorum : quod etiam in Vulgato dicendum est : credere enim debemus Euangelistæ id affirmanti: minúsque periculum est dicere, exemplaria Hebraïca ea in parte non haberi perfecta, quàm asserere in Euangelio errorem, seu mendacium, vel minimum reperiri.* Hæc Toletus, cui subscribit Torniellus anno mundi 1694. Et quis illud de Vulgato ferat ? Ergo is vel secutus est Hebraïca exemplaria vitio scriptorum diminuta : vel ipse vitio quoque scriptorum diminutus in consensu omnium Codicum habetur ? Apagè ista. Gordonus in Quæstionibus Chronologicis, cap. 5. num. 6. *Quid si, quod non pauci affirmant, illud etiam respondeamus, fuisse in Hebræis codicibus illam generationem Caïnan, quo tempore à LXX. vertebatur in Græcum, & excidisse vitio librariorum?* Idem docet Ioannes Mariana in Genes. 11. vers. 12. *Argumento*, inquit, *certissimo, codices Hebraïcos hac quidem parte esse vitiatos.* Atqui hæc affirmant, non vident se incautè auctoritatem, integritatem, puritatem Latinæ Vulgatæ Editionis quam consecrauit Ecclesia, labefactare : & scimus eos à plerisque refutatos, præsertim à Pererio, & Coquæo.

Et quid opus est lectorem per asperos tot sententiarum & opinionum anfractus longiùs circumducere, cùm iam eruditiores omnes in eam sententiam conspirauerint : Nec codices Hebræos, Vulgatámque Editionem in tacenda, nec LXX. Interpretes, Lucámque Euangelistam in dicenda generatione Caïnam haberi falsos, aut deprauatos: Exploratúmque esse debere Caïnam generationem re ipsa fuisse in rerum natura, sed Moïsen eam generationem non posuisse, nec eam vnquam in codicibus Hebraïcis extitisse, neque in Editione Vulgata, quæ ex Hebræis fidelissimè expressa fuit: Ad hæc LXX. Interpretes, Lucámque vel ex sinceriss imis Hebræorum monumentis, seu traditionibus, vel peculiari Spiritus sancti afflatu, eam, quæ reuera fuit in rerum natura, inseruisse : Certissimum quoque esse Mosen nos sine causa, nec sine Spiritus sancti instinctu eandem generationem silentio præteriisse. Ergo vtrumque verè, vtrumque prudenter, vtrumque non sine numine factum, & quod Moses tacuerit, & quod LXX. & Lucas expressêrint generationem Caïnan. Causæ autem, cur Moses siluerit, & cur LXX. & Lucas eam descripserint, nos hactenus latent, quamuis à multis cum cura perquisitæ. Hîc vel ingenij tarditatem cum S. Beda, vel consilij diuini arcanas rationes confiteri oportet. Cura non deesset si qua ad causas via inquirentem ferret. Igitur in Hebræo & in Vulgato Genes. 11. 12. cùm dicitur Arphaxad genuisse Sale, intelligendum, per intermedium Caïnan : vt Matth. 1. 8. *Ioram genuit Oziam*, per intermedios, Ochoziam, Ioram, Amasiam. Atqui de inserenda Caïnan generatione, qui plures differentes inuisere velit, adeat Aloysium Lippomanum in Catena Genes. 11. Melchiorem Canum lib. 2. de Locis Theologicis, cap. 18. ad 6. obiectionem, Xystum Senensem lib. 7. Bibliothecæ hæresi 4. ad vltimam obiectionem, Martinum Cantapetrensem lib. 3. Hypotyposeon, cap. 4. colum. 270. Leonem Castrium lib. 6. Apologetici, loco 285. Hieronymum Vielmium de sex Diebus conditi vrbis, lect. 5. Franciscum Lucam annotatione 4. in Genes. & in commentariis ad Lucæ 3. vers. 36. Gilbertum Genebrardium lib. 1. Chronographiæ, pag. 30. Benedictum Pererium lib. 16. in Genesim, disput. 11. Ioannem Azorium tomo 1. Institutionum Moralium, lib. 6. cap. 58. quæst. 2. Sebastianum Barradium tomo 1. Commentariorum in Euangelicam Historiam, lib. 5. cap. 29. Franciscum Suarez tomo 1. in 3. part. sancti Thomæ, disput. 6. sect. 1. Martinum Delrium in glossis ad 11. Genes. vers. 12. Iacobum Gordonum in Quæstionibus Chronologicis, cap. 5. Franciscum Toletum in 3. Lucæ, annot. 61. Augustinum Torniellum in Annalibus orbis, anno mundi 1694. Leonardum Coquæum in Commentariis ad 16. de Ciuit. Dei, cap. 10.

At hîc opportunè monemus quòd LXX. Seniores diserte habent generationem Caïnan Genes. 11. vers. 12. in omnibus quotquot extant, & sciri potuerunt, exemplaribus. Ceterùm 1. Paralipomenon 1. vers. 18. & 24. in Bibliis Græcis LXX. Interpretum editis à Roberto Stephano, additur etiam Caïnan : In Complutensibus verò, & Regiis, versu tantùm 18. ponitur Caïnan : versu tamen 24. omittitur : In Romanis autem Græcis, & Latinis iussu Xysti V. excusis, toto eo capite Paralipomenon nulla fit mentio Caïnan.

Constituto iam Caïnan extra omnem controuersiam, de annis eius accipiendis, & statuendis noua exoritur difficultas LXX. expressè tribuunt CXXX. annos, quum genuit Sale. Genebrardus lib 1. Chronographiæ, pag. 30. existimat nullos addendos mundi Chronologiæ Hebraïcæ ex generatione Caïnan, neque inserendos illos CXXX. quos LXX. Caïnan assignant : sic enim disputat : *Si verè Arphaxad genuit Caïnan, deinde Caïnan Sela, genuit Caïnan anno decimo octauo, & Caïnan Sela anno decimo septimo : qua ratione Sela natus est ipsi Arphaxad, quum Arphaxad ageret trigesimum quintum annum. Sic numeri tantum in LXX. erunt corrupti, vt totis his sæculis.*

Alij verò, quòd LXX. in annis Patriarcharum

rum pædopoïias, integro centenario præter Hebraicam Veritatem redundantes habeantur, detrahunt à LXX. Editione centum annos vitæ Caïnan, quum genuerit Sale, trigintáque ſolùm ei relinquunt, ad normam, & analogiam aliarum pædopoïiarum Hebraïcæ Scripturæ: hóſque Hebraïcæ mundi Chronologiæ adiiciunt. Ita Pererius lib. 11. in Danielem quæſt. 5. Suarez tomo 1. in 3. partem, diſputatione 6. ſect. 1. Barradius lib. 8. Hiſtoriæ Euangelicæ cap. 9. Torniellus in Annalibus, anno mundi 1694. ad finem, Gordonus in Quæſtionibus Chronologicis, cap. 5. num. 7. & alij: quæ ſententia potior. Sícque, ſecundùm ea quæ hactenus diximus, à Diluuio vſque ad naſcentem Abraham colligentur anni CCCXXII.

Secunda difficultas de ortu Abrahæ.

CAP. XI.

SOlus ortus Abrahæ turbat hunc Epilogiſmum: nam quidam volunt natum Abraham annis patris ſui Thare, non LXX. vt hactenus ſumpſimus, ſed CXXX. vnde diſcrimen eſt LX. annorum, quos oportebit addi præfatæ ſummæ, ſi verum eſt, Abraham natum CXXX. anno patris ſui. Etverò Abraham ortum anno Thare CXXX. inde euinci poſſe videtur, quòd Abraham quando egreſſus eſt de Haran, erat LXXV. annorum, Geneſ. 12. verſ. 4. at inde non eſt egreſſus niſi poſt mortem patris ſui Thare, vt ſanctus Stephanus dixit Actor. 7. verſ. 4. Thare autem vixit annos CCV. Geneſ. 11. verſ. 32. vnde ſequitur, Abraham natum CXXX. anno patris ſui Thare.

Sed è diametro ſtant verba illa Geneſ. 11. verſ. 26. Vixítque Thare ſeptuaginta annis & genuit Abram, & Nachor, & Aran. Perplexa ſanè & moleſta difficultas. Sanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraïcis; ad verba illa Geneſ. 12. 4. *Erat autem Abram ſeptuaginta quinque annorum, quando egreſſus eſt ex Charra*, inquit: *Indiſſolubilis naſcitur quæſtio. Si enim Thara pater Abrahæ, cùm adhuc eſſet in regione Chaldæa, ſeptuaginta annorum genuit Abraham, & poſteà in Charran ducenteſimo quinto ætatis ſuæ anno mortuus eſt, quomodo nunc poſt mortem Thare, Abraham exiens de Charra, ſeptuaginta quinque annorum fuiſſe memoratur, cùm à natiuitate Abrahæ, vſque ad mortem patris eius centum triginta quinque anni fuiſſe doceantur?* Et ſanctus Auguſtinus 16. de Ciuit. Dei, cap. 15. de hac ipſa difficultate ait: *Erit quippe ſi ita eſt, indiſſolùbilis quæſtio, &c.*

Equidem Abraham natum anno CXXX. vitæ patris ſui Thare, diſertè affirmant, Theodoretus in Græca Catena Geneſ. 12. Lyranus, & Caietanus, Immanuel Tremellius, & Franciſcus Iunius, quo Druſius inclinat, in Geneſ. 11. verſ. 32. Et cap. 12. verſ. 4. Matthæus Beroaldus lib. 3. Chronici, cap. 2. Sebaſtianus Barradius tomo 1. Hiſtoriæ Euangelicæ lib. 8. cap. 9. Auguſtinus Torniellus in Annalibus mundi, anno 2039. Et ſanctum Auguſtinum non prorſus ab hac ſententia abhorruiſſe quæſt. 25. in Geneſim, nimis eſt perſpicuum: ex qua neceſſariò ſequitur Abraham non fuiſſe primogenitum Nachor.

Ceterum fixa, & certa maneant verba Geneſ. 11. verſ. 26. *Vixítque Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran*, quæ nulla eluſione aliò auerti rectè poterunt, quin intelligamus Abraham natum anno LXX. parentis ſui Thare; quæ ſententia communior, & melior conſenſu omnium ferè recepta eſt. Ioſephus lib. 1. Antiquit. cap. 6. *Tharrus ſeptuageſimo anno genuit Abrahamum.* Hebræi in Seder Olam Zuta. *Thare agens annum ſeptuageſimum genera-uit Abraham*: Idem affirmat in Seder Olam Rabba cap. 1. idémque eſt ſenſus omnium Hebræorum. Hoc ipſum quoque adſtruunt ſanctus Theophilus lib. 3. ad Autolycum, Iulius Africanus in Genealogia Abraham, quam edidit Scaliger, Chronicon priſcum ſub Alexandro Seuero ſcriptum, cap. 13. Quintus Iulius Hilarion libello de mundi duratione, Euſebius lib. 1. Chronici, ſanctus Epiphanius hæreſi 55. Sanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraïcis in Geneſim 12. ſanctus Auguſtinus 16. de Ciuitate Dei, cap. 10. & 15. Iornandes de regnorum ſucceſſione, ſanctus Iſidorus in Chronico, & libro 5. Originum, cap. 39. ſanctus Iulianus Archiepiſcopus Toletanus lib. 3. aduerſus Iudæos, ſanctus Nicephorus Patriarcha, ſanctus Beda, ſanctus Ado, Hermannus Contractus, Lambertus Scafnaburgenſis, Marianus Scotus, Otho Friſingenſis, Lucas Tudenſis, & innumeri alij. Vide ſuperiùs cap. 4.

Nodum verò in contrarium obiectum, quo oſtendebatur Abrahamum natum anno parentis ſui Thare CXXX. variè diſſoluunt, vel ſcindunt ſanctus Hieronymus, & ſanctus Auguſtinus locis nuper citatis, & ex Recentioribus, Antonius Honcala Commentariis in Geneſ. 11. ſub finem, & initio, cap. 12. Andreas Maſius in 24. Ioſuë verſ. 3. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ pag. 39. Pererius lib. 16. in Geneſim, diſp. 13. Sa in Geneſ. 12. verſ. 4. Delrius in 12. Geneſ. verſ. 1. Cornelius à Lapide, & Mariana in Geneſim 11. verſ. 16. 32. & Geneſ. 12. verſ. 4. Lorinus in Acta Apoſtolorum, cap. 7. verſ. 4. Gordonus in Quæſtionibus Chronologicis, cap. 5. numero 8. Coquæus in Commentariis ad 16. de Ciuit. Dei, cap. 15. His adde, ſi audire libet, Druſium in Notis ad Sacram Seueri Hiſtoriam, pag. 40. & 41.

Ergo certus fixúſque maneat Epilogiſmus à diluuio ad naſcentem Abrahamum, annorum CCCXXII. quem ſi adiungas Summæ ab Ortu mundi ad diluuium, quam ſuperiùs ſtabiliuimus eſſe annorum MDCLVI. diſſultant anni ab Adam ad Abraham MDCCCCLXXVIII. in quibus, minutias vnius anni, vel biennij, quæ ſcrupulum ciere poſſunt Chronologis excutiendas relinquimus.

Tertia difficultas, De annis quibus Iſraëlitæ manſerunt in Ægypto.

CAP. XII.

PErſpicua ſunt verba Exodi 12. verſ. 40. *Habitatio autem filiorum Iſraël, qua manſerunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egreſſus eſt omnis exercitus*

eitus Domini de terra Ægypti. Finis horum CCCCXXX. annorum disertè figitur extra omnem controuersiam, ipso die Exodi Israëlitarum ex Ægypto: de initio est ingens disceptatio. Steuchus in Exodi 12. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ pag. 63. & 64. Ludouicus Ystella Magister sacri Palatij Apostolici, præceptor noster, vir optimus, in Commentariis ad 12. Exodi, existimant præfixè ab ingressu Iacob cum filiis in Ægyptum computandos eos CCCCXXX. in eóque introitu Iacob figendum esse propriè initium horum annorum: quòd id verba Exodi clarè, & perspicuè affirment. Nam si Moses expressè voluisset asserere Israëlitas cum Iacob descendentes in Ægyptum, mansisse ibi ipsos, & posteros integros, & completos quadringentos triginta annos, potuissétne clarioribus, & magis perspicuis verbis, quàm istis Exodi 12. edisserere?

Ceterùm hîc vincimur auctoritate & consensu, cùm omnes initium istorum CCCCXXX. annorum statuant in anno LXXV. vitæ Abrahæ, quando ipsi facta est Repromissio à Deo de possidenda Terra Chanaan, & de Benedictione seminis, & quum primùm egressus de Haran, venit in Terram Chanaan, Genes. 12. à versu 1. ad 4. inclusiuè, Iosephus lib. 2. Antiquitatum, cap. 6. initio: *Reliquerunt autem Israëlitæ Ægyptum mense Xantico, Luna quinta decima, anno quadringentesimo trigesimo, postquam Abraham pater noster in Chananæam venit: & post Iacobi migrationem in Ægyptum anno ducentesimo decimo quinto.*

Chronicon Priscum tempore Alexandri Seueri editum, cap. 13. *Abraham autem erat annorum LXXV. quo tempore dixit illi Deus, vt exiret de terra sua, & de domo patris sui, & veniret in terram Chanaan: conuersatus est autem Abraham in terra Chanaan annis XXVI. & genuit Isaac. Isaac autem anno LX. genuit Iacob. Iacob autem LXXXVIII. genuit Leui. Leui anno XL. genuit Gad. Gad anno LX. genuit Amram. Amram anno LXX. genuit Aaron. In LXXXIII. anno Aaron egressi sunt filij Israël de Ægypto. Fiunt igitur omnium anni CCCCXXX.* Deest triennium in subductione, cùm ex ea non colligantur à LXXV. Abrahæ ad Exodum, nisi CCCCXXVII.

Eusebius lib. 2. Chronici: *Abraham quum LXXV. esset annorum, diuino dignus habetur alloquio, & ea repromissione, quæ ad eum facta est. Primus annus Repromissionis Dei ad Abraham: à quo vsque ad Moysem, & egressum gentis Hebræorum ex Ægypto supputantur anni CCCCXXX. quorum meminit Paulus ita dicens: Testamentum confirmatum à Domino quæ post quadringentos, & triginta annos facta est Lex, non infirmat ad euacuandam promissionem. Ipse quoque in Exodo Moyses his congruens loquitur: Habitatio autem filiorum Israël, qua habitauerunt in Ægypto, & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, anni quadringenti triginta.* Eadem ad verbum habet lib. 1. Chronici, quæ omnia in solidum transcripsit in suum Chronicon Marianus Scotus.

Sanctus Epiphanius in Ancorato, *Cùm enim CCCCXXX. annorum peregrinatio ipsi Abraham & semini eius esset decreta, ad quem dicit, Peregrinum erit semen tuum in terra aliena: id quod decretum erat, perfectum erat. Proinde Deus per misericordiam suam annos peregrinationis ipse diuisit. Et statim quidem CCXV. annis adhuc existentibus in terra Chananitide suscepit ipsum, & alios CCXV. annos distribuit iis, qui Ægyptum inhabitabant.* Et post multa in eandem sententiam disputata, subiungit: *Fiunt igitur à septuagesimo quinto anno magni Abraham, vsque ad Mosem & filiorum Israël in Palæstinam reditum, anni quadringenti triginta. Si quis verò ambigit non ita enumerare annos, audiat Mosem dicentem: Habitatio autem filiorum Israël in Chanaan & in Ægypto, anni quadringenti triginta.*

Quintus Iulius Hilarion libello de mundi duratione: *A peregrinatione Abrahæ, vsque ad profectionem filiorum Israël ex Ægypto ad eremum, anni sunt CCCCXXX. Ideo sapientissimus Legislator Moyses ita ait: Habitatio autem filiorum Israël, qua habitauerunt in terra Ægypti, & in terra Chanaan ipsi & patres eorum, annis CCCCXXX.*

Sanctus Philastrius hæresi 63. post Apostolos: *Ab Abraham vsque ad Mosen, anni CCCCXXX. vt ait Beatus Apostolus.* Seuerus Sulpitius lib. 1. sacræ Historiæ: *Ita populus egressus dies suis copiis, & Ægypti spoliis cumulatior: ab eo autem quo primum Abraham terram Chananæorum accesserat, anno triceſimo, & quadringentesimo.*

Sanctus Hieronymus in 3. caput ad Galatas: *Supputandi in hoc loco anni ab eo tempore quo Dominus ad Abraham locutus est, dicens: Et in semine tuo benedicentur omnes gentes, vsque ad Legislatorem Moysen, vtrum quadringenti triginta sint, vel quomodo in Genesi ipsi Abrahæ Dominus polliceatur, quòd post quadringentos annos de terra seruitutis filij eius exituri sint: non enim parua res est, & à multis quæsita, nescio an ab aliquo sit inuenta.*

Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 37. in Genesim, elucidans verba illa Genes. 15. *Scies quòd peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & redigent eos in seruitutem, & affligent, & humiliabunt eos annis quadringentis,* ait: *Verùm hîc meritò quis addubitet, quomodo quadringentis annis dicit seruire eos, quamuis neque dimidium eorum fuerint ipsi in Ægypto. Et propterea non dixit, quòd in Ægypto futuri sint annis quadringentis, sed in terra non sua: itavt possit connumerari cum annis in Ægypto & tempus Patriarchæ, ex quo ei imperatum est, vt ex Charran egrederetur. Ab illo enim tempore, tempus annorum manifestum nobis facit Scriptura, quæ dixit, quòd septuaginta quinque annorum fuerit Abram, quando exiuit de Charran: ex eo igitur tempore vsque ad exitum de Ægypto, inueniet quis numerum saltuum & integrum.*

Sanctus Augustinus quæst. 47. in Exod. *Proinde illa nimirum computatio, quam secutus est Eusebius in Historia sua Chronica perspicua veritate subnixa est. Ab illa enim promissione computat quadringentos triginta annos, qua vocauit Deus Abraham, vt exiret de terra sua in terram Chanaan: quia & Apostolus, cùm Abrahæ laudaret, & commendaret fidem, in ea promissione qua Christum vult intelligi prophetatum, id est, qua promisit Deus Abrahæ, quòd benedicerentur in eo omnes tribus terræ: Hoc autem dico, inquit, quia testamentum confirmatum à Deo, post quadringentos, & triginta annos facta Lex non infirmat ad euacuandas promissiones. Ex illa ergo promissione, qua vocatus est Abraham, & credidit Deo, post quadringentos & triginta annos factam Legem dicit Apostolus, non ex tempore quo Iacob intrauit in Ægyptum. Deinde etiam ipsa Scriptura Exodi satis hoc significauit: non enim dixit: Incolatus filiorum Israël, quem incoluerunt in terra*

terra Ægypti, anni quadringenti triginta: sed apertè dixit: Quem incoluerunt in terra Ægypti, & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum. Ac per hoc manifestum est, computandum esse tempus etiam Patriarcharum Abrahæ, Isaac, & Iacob, ex quo peregrinari cœpit Abraham in terra Chanaan: id est, ex illa promissione, in qua eius fidem laudat Apostolus, vsque ad illud tempus, quo ingressus est Israël in Ægyptum. Toto quippe isto tempore peregrinati sunt Patres in terra Chanaan: & deinde semen Israël in Ægypto; ac sic completi sunt quadringenti triginta anni à promissione vsque ad exitum Israël ex Ægypto: quando facta est Lex in monte Sina, quæ non infirmat Testamentum ad euacuandas promissiones.

Et 16. de Ciuitate Dei, cap. 16. *Non solùm quia Eusebius in Chronicis ab anno huius Promissionis computat, & ostendit post quadringentos & triginta annos exitum esse de Ægypto, quando Lex data est: verum etiam quia id commemorat Apostolus Paulus.* Et cap. 24. *Computantur enim sicut superiùs iam diximus ab anno septuagesimo & quinto Abrahæ, quando ad eum facta est prima promissio, vsque ad exitum Israël ex Ægypto, quadringenti & triginta anni: quorum Apostolus ita meminit: Hoc autem dico, inquit, Testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non infirmat ad euacuandam promissionem.* Hæc Augustini verba ex vtroque loco lib. 16. de Ciuitate Dei, integra transcripsit in suum Commentarium Auctor nomine sancti Eucherij lib. 2. in Genesim, cap. 12. & 20.

Idacius lib. 2. cap. 1. Chronici editi ab Henrico Canisio tomo 2 Antiq. lectionum: *Abraham cùm esset annorum LXXV. à Deo accepit repromissionem. De illo tempore vsque ad Egressionem Hebræorum de Ægypto, supputantur anni CCCCXXX.*

Iornandes de Regnorum successione: *Facta est promissio ad Abraham, quum esset annorum LXXV.* Et posteà: *Moyses CCCCXXX. anno repromissionis populum Hebræorum in signis & virtutibus educit de Ægypto.*

Oecumenius in 3. ad Galatas exponens verba illa: *Lex quæ post annos 430.* cœpit, ait: *Quadringenti & triginta anni hoc modo colliguntur: A septuagesimo quinto anno Abrahæ vsque ad centesimum (quo natus est Isaac) numerantur anni viginti quinque. Isaac anni septuaginta (quum ei natus est Iacob) anni Iacob nonaginta quinque (quum genuit Ioseph.) Anni Ioseph centum decem. Anni in Ægypto transacti centum quadraginta quatuor (à morte Ioseph, idque secundùm translationem LXX. Interpretum, vt patet Exodi 12.)* Quatuor parentheses addidit Interpres Hentenius maioris perspicuitatis gratia.

Sanctus Beda in Chronico: *Habitatio filiorum Israel qua manserunt in Ægypto, fuit CCCCXXX. annorum, quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti, vt Scriptura testatur Exodi: quorum tamen summam annorum chronographi à LXXV. anno natiuitatis Abraham, quando terram repromissionis intrauit, computant, sequentes Editionem LXX. Interpretum, quæ dicit: Habitatio autem filiorum Israël, qua habitauerunt in Ægypto, & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, anni CCCCXXX. Quam necessariò sequendam, & ipsa Hebraica Veritas ostendit, quæ narrat, Chaat filium Leui, quem natum esse constat, in terra Chanaan, vixisse annos CXXXIII. & filium eius Amram patrem Mosis annos CXXXVII. & ipsum Moysen LXXX. fuisse annorum, tempore egressionis de Ægypto. Quia nimirum horum summam annorum constat CCCC. & XXX. implere non posse. Annuit autem horum translationi, & Apostolus cùm ait: Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo, quæ post CCCC. & XXX. annos facta est Lex, non irritum facit ad euacuandas promissiones Patrum.* Hæc ipsa integra verba sancti Bedæ inseruerunt suis Chronicis, sanctus Ado Viennensis, & Hermannus Contractus.

Sanctus Nicephorus Patriarcha in Chronico, cap. 3. *Abraham agens annum LXXV. dignatus fuit oraculo diuino, & facta ipsi Repromissione. A qua, vsque ad iter ex Ægypto, cuius dux fuit Moyses, sunt anni CCCCXXX. quemadmodum & Apostolus testatur, inquiens: Testamentum Dei, Lex post annos quadringentos triginta lata, non facit irritum, vt aboleat promissionem. Et ipse in Exodo concordat Moyses cùm ait: Habitatio autem filiorum Israël, qua habitauerunt in Ægypto, & in terra Chanaan, ipsi & fratres eorum, anni quadringenti triginta.*

Suidas in Adam: *Ab Abrahamo ad exitum Israëlitarum ex Ægypto, anni CCCCXXX.* Et in Moyse: *Anno huius octogesimo egressi sunt filij Israëlis ex Ægypto in qua inquilini fuerant annos CCXV. Quomodo igitur dicit Abrahamo Deus: Semen tuum inquilinum erit annos CCCC. Sed apertum est, ab ascensu Abrahami è Charran populi inquilinatum esse numerandum. Is enim non in Ægypto tantùm fuit, sed & in terra Chanaan. Moses enim dicit, inquilinatum filiorum Israëlis in terra Chanaan, & in Ægypto fuisse annorum CCCC XXX.*

Rabbanus apud Strabum in Glossa Ordinaria, Actor. 7. enarrans verba illa Stephani: *Quia semen tuum accola in terra aliena, & seruituti eos subiicient, & malè tractabunt eos annis quadringentis triginta*, inquit: *Sic est iungendum, Accola annis CCCCXXX. ex quo enim Deus promisit Abrahæ, vsque ad descensum Iacob in Ægyptum anni fuerunt CCXV. à descensu Iacob in Ægyptum, vsque ad egressum Israël ex Ægypto anni fuerunt CCXV.* Strabus Monachus in Exod. 12. ad verba illa. *Habitatio autem filiorum Israël, qua manserunt in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum*, ait. *Vera ergo videtur computatio Eusebij in Chronica Historiarum: ab illa enim promissione computat CCCC. & XXX. annos, qua vocauit Deus Abraham; vt exiret de terra sua in terram Chanaan: quia & Apostolus cùm fidem Abrahæ commendaret in ea promissione qua promisit ei Deus, quòd benedicerentur in eo omnes tribus terræ: Hoc autem dico, inquit, testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non irritum facit. In Exodo quoque satis hoc significatur: non enim dixit, Incolatus filiorum Israël, quem incoluerunt in terra Ægypti, anni quadringenti triginta: sed apertè dixit, quem incoluerunt in terra Ægypti, & in terra Chanaan ipsi & patres eorum. Patet ergo etiam computandum esse tempus Patriarcharum Abraham, Isaac, & Iacob, ex quo peregrinari cœpit Abraham in terra Chanaan, id est, ab illa promissione, in qua fidem eius laudat Apostolus, vsquequo ingressus est Israël in Ægyptum: toto enim illo tempore peregrinati sunt patres in terra Chanaan, & posteà semen Israël in Ægypto: & sic completi sunt CCCCXXX. anni à promis-*

sione vsque ad exitum Israël de Ægypto, quando facta est Lex in monte Sina, quæ non facit irritum Testamentum Dei. Hæc Strabus, ex Augustino ad verbum transcribens.

Anselmus Laudunensis ad eadem Exodi verba: *Habitatio autem filiorum Israël, &c. fuit CCCCXXX. annorum*, annotat: *Ex quo Abraham exiuit de terra sua, vt habitaret in terra Chanaan, vsque ad exitum de Ægypto, quando facta est Lex in monte Sinai.*

Zonaras Annal. 1. *Egressi sunt Hebræi ex Ægypto mense Xantico, die quintadecima, oriente Luna, annis CCCC. & XXX. postquam Abrahamus in Chananæam peruenerat, post Iacobi in Ægyptum migrationem annis CC. & XV. Mose tunc annos LXXX. nato.* Atqui eadem est expressa sententia Ruperti in 12. Exodi, Lucæ Tudensis in Chronico, sancti Thomæ in 3. ad Galatas, Petri Comestoris in Historia Scholastica Exodi, c. 27. Recentiorum etiam, Lyrani, Tostadi, Dionysij Carthusiani, & Caietani in 15. Genes. & in 12. Exodi, Isidori Clarij in Daniel. 9. Honcalæ in 15. Genes. Hadriani Fini lib. 5. Flagelli aduersus Iudæos, cap. 5. Driedonis lib. 3. de Dogmatibus Ecclesiasticis, tract. 3. cap. 5, conclus. 4 Naclanti in Medulla sacræ Scripturæ, initio tertiæ ætatis mundi, Gagnæi in 7. Actorum, Lippomani in 12. Exodi, Caietani, Guillaudi Luisij Legionensis, Iustiniani, Cornelij, Estij in 3. ad Galatas, Lucidi lib. 2. de Emendationibus Temporum, cap. 7. Sà in 12. Exodi, Adrichomij in Chronico, Contij in Notis ad Chronicon sancti Nicephori, cap. 3. Pererij in 12. Genes. disput. 2. & in 15. Genes. disput. 6. & in 12. Exodi disput. 19. Martini Cantapetrensis lib. 6. Hypotyposeon c. 4. sub initium, Suarez tom. 1. in 3. part. disp. 6. sect. 1. Galesinij in Notis ad sacram Seueri Historiam, Azorij tomo 1. Instit. Moral. lib. 6. cap. 58. quæstione 1. Garsiæ Loaysæ in Notis ad Chronicon sancti Isidori, in 3. Ætate mundi, Vbbonis Emmij in Canone Chronico, Barradij tomo 1. Euang. Historiæ lib. 5. cap. 20. Delrij in Glossis Genes. 15. vers. 13. Lorini in 7. Actorum, vers. 6. Tornielli in Annalibus orbis, anno mundi 2329. Gordoni in Quæst. Chronologicis, cap. 7. Coquæi in Commentariis ad 16. de Ciuitate Dei, cap. 16. & 24. Et vt vno verbo dicam, est communis sensus omnium Interpretum, & Chronologorum: quam sanè rationem Martyrologia Romanum & Vsuardi perspicuè sequuntur: nam cùm aiunt natum Christum, à Moyse & egressu filiorum Israël de Ægypto, anno MDX. & à natiuitate Abrahæ, MMXV. apertè significant, ab ortu Abrahæ vsque ad Exodum: intercessisse annos DV. quorum LXXV. tribuendi sunt Abraham tempore quo promissionem à Deo de Benedicto semine accepit, reliqui CCCCXXX. erunt à Promissione ad Exodum.

Scaliger in Eusebianis pag. 17. col. 1. ad verba Chronici Eusebiani, quibus ait CCCCXXX. illos annos quos Moses dixit mansisse filios Israël in Ægypto, supputandos à Promissione Abrahæ, hæc annotat: *Igitur à LXXV. anno Abrahami tam veteres, quam recentiores annum primum horum CCCCXXX. ordiuntur, Paulus Apostolus, Iosephus, Eusebius, omnes Iudæi hodierni, omnes magistri Iudæorum. Extiterunt tamen, qui à descensu Iacob in Ægyptum eorum initium faciunt, quod, ne quid tergiuersemur, sequitur ex 12. 40. 41. Exodi. Sed quum annus Mosis Caath fuerit ex iis, qui vnà cum Iacob in Ægyptum descenderunt, omniuo à Caath, etiamsi infans in cunis fuisset, vsque ad tempus Exodi, tantum interuallum intercedere non potest, vt complectatur annos CCCCXXX. Itaque hæc interpretatio non demonstratione nititur, sed auctoritate, qua modesti homines contenti esse debent.*

Et lib. 3. Isagogicorum Canonum, pag. 322. *Vetustissimi Iudæi tam ante, quam post Christum, item Paulus Apostolus ad Galatas, Iosephus, Interpretes Christiani, omnes vno ore, ab anno Promissionis, qui est LXXV. Abrahami, illos CCCCXXX. annos ordiuntur. Aduersus tot sententias aliter pronunciare, id fuerit, vt Lyricus dicebat, ὁμόσε χωρεῖν τῷ χρόνῳ, cum rationibus temporis manum conferere: ne addam, hoc facto verbum diuinum contumeliæ exponi, & libidini furiosorum, stolidorum, impudentissimorum interpretum, vexandum obiicere. Quare contenti simus hac simplicissima interpretatione, quæ auctoritate, non demonstratione nititur. Qui negant Paulum Apostolum in illo celebri ad Galatas loco interuallum annorum CCCCXXX. ab anno Promissionis deducere, ne, quo digni sunt, audiant, fruantur suo sensu. Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei, 1. Corinth. 11. vers. 16.* Vtinam sic semper errasset Scaliger. Vide eundem pag. 270. & 271. Cuius hîc quoque sententiam amicus eius Drusius laudauit in Notis ad lib. 1. Historiæ sacræ Seueri, & in 3. ad Galatas, vers. 17.

Vides Patres omnes & Recentiores, qui initium CCCCXXX. annorum habitationis Israëlitarum in Ægypto, Exodi 12. 40. fixerunt in Promissione Abrahæ, anno LXX. vitæ eius, potissimum nixos geminis auctoritatibus Pauli & Mosis. Et quidem verba Pauli Galat. 3. vers. 16. expressa sunt: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in vno, Et semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, Testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem.* Quæ nulla tergiuersatione eludi queant, sed simplicissimè accepta sint à Patribus & recentioribus, Legem latam fuisse CCCCXXX. anno à promissione facta Abrahæ, cùm ipse LXXV. annos natus esset. Genebrardus qui solus hæc Pauli verba aliò detorsit, & iure ab omnibus refutatus est, & meritò ab omnibus obiurgatus. Moses verò Exodi 12. vers. 40. iuxta LXX. Seniorum editionem habet: *Habitatio autem filiorum Israël quam habitauerunt in terra Ægypti & in terra Chanaan ipsi & patres eorum, anni quadringenti triginta.* Ita legunt Eusebius, Quintus Iulius Hilarion, S. Nicephorus Patriarcha, sanctus Beda, sanctus Ado, Hermannus Contractus, & alij. Sanctus Augustinus quæst. 47. in Exodum, legit: *Incolatus autem filiorum Israël, quem incoluerunt in terra Ægypti, & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, anni quadringenti triginta.* Editiones verò Aldina, Basileensis, Roberti Stephani, Complutensis, Regia: *Habitatio autem filiorum Israël, quam habitauerunt ipsi, & patres eorum in terra Ægypti, & in terra Chanaan, anni quadringenti triginta.* Xystina autem Græca, & Latina Exemplaria: *Habitatio autem filiorum Israël, quam habitauerunt in terra Ægypti, & in terra Chanaan, anni quadringenti triginta.* Omittunt partem illam, *ipsi & patres eorum.*

Maxima Lectoris interest scire annotationem quam hîc apposuit Scaliger in Eusebianis pag. 17. col. 2. initio: *Postrema verba,* & in terra Chanaan, *addita sunt in editione LXX. ab Interpretibus ipsis,*

an

an à Christianis, nescio, quæ si extarent in Hebraïco, nullus quidem locus dubitationi relictus fuisset: sed tamen imperuium, impertransibile, ἄπορον illud quod iam tetigimus, declinari non potest. Quidam ex recentioribus ridiculè verba hæc interpretantur ex Hebraïsmo, in quo relatiuum, siue, vt Græci Grammatici vocant, articulus, potest referri tam ad habitationem, quàm ad filios Israël, Habitatio autem filiorum Israël quam habitauerunt in Ægypto. Quæ est recta interpretatio. Potest etiam exponi, Habitatio autem filiorum Israël qui habitauerunt in Ægypto. Hanc duplicem interpretationem patitur Hebraïsmus. Sed non video quid inde anxiè curiosi οἱ περιεργοι consequantur. Nam tam hoc, quàm illo modo filij Israël manserunt in Ægypto, & illa mansio fuit CCCCXXX. annorum. Ita sophisma eluditur, quod alioquin ex multis Hebraïci contextus testimoniis confutari poterat. Insignem planè & necessariam annotationem! Iste est ille magnus Scaliger, qui aliorum libros traducit, quòd centonibus sint farcti. Sed is eius cento ex pura puta purpura. Sed erat scilicet, magnum pretium operæ confutare Hugonis Brougthoni vanissimam vanitatem, qui in Concentu sacræ Scripturæ, pag. 39. cùm locum Exodi ita expressisset: *Peregrinatio filiorum Israël, qui commorati sunt in Ægypto, fuit annorum* 430. Exodi 12. 40. adiecit margini hoc Scholion: *Vetus Latina habet, qua præter mentem Spiritus sancti, frustrà reluctante Concilio Tridentino, Genebrardo, & aliis.* Potuítne vllum effutiri maius delirium? LXX. Patres omnes, & receptiores, immò & Nouantes, Munsterus, Pellicanus, Leo Iudas, Tremellius, Iunius, & quicumque rationem humanam nondum exuerunt, relatiuum Hebraïcum אשר *asser*, ad habitationem retulerunt: & quod potius est Concilium ipsum Tridentinum, & Vulgata quàm approbat Editio; & audet alius tor pleno ore iactare, esse id præter mentem Spiritus sancti? O Dei patientiam! Et queruntur Nouatores, nos Pontificios esse, qui Scripturas deprauamus? ergo vnus Brougthonus plus omnibus sapit.

Steuchus qui illud, *& in terra Chanaan*, in LXX. editione cancellat, meritò ab omnibus reprehenditur. Ergo stabilis sit annorum summa à LXXV. Abraham, ad Exodum filiorum Israël ex Ægypto, CCCCXXX. tanto consensu fixa: quamuis in ea demonstranda singillatim per partes, dubia & difficultates insint, quæ Chronologis enodanda relinquimus: de quibus, è veteribus consulendi sanctus Epiphanius, Quintus Iulius Hilarion, sanctus Augustinus, S. Nicephorus, Suidas: ex recentioribus penè omnes illi quos suprà hoc ipso cap. citauimus: nec enim nostri instituti est longiùs in his immorari. Iam si summæ à conditu mundi ad Abrahami ortum, quæ est MDCCCCLXXVIII. annorum, adiicimus LXXV. vitæ Abrahæ, & deinde CCCCXXX. à LXXV. Abrahæ ad Exodum, colligentur ab Adam ad exitum Israëlitarum ex Ægypto, anni IIMCCCCLXXXIII. sic computandi;

Ab Adam ad Diluuium,	1656
A Diluuio ad Abraham,	322
Abrahami LXXV. facta promissio,	75
A promissione ad Exodum,	430
Summa	2483.

Quarta Difficultas, De Interuallo ab Exodo, ad fabricam Templi Salomonici.

CAP. XIII.

CLarissimè 3. Regum 6. vers. 1. dicitur: *Factum est ergo quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio, (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israël, ædificari cœpit domus Domino.* Eodem prorsus modo in Hebræo & in Chaldæo. At LXX. Interpretes in Romana editione: *Et factum est in quadragesimo & quadringentesimo anno exitus filiorum Israël de Ægypto, &c.* Qua ratione legitur in sacra Historia Seueri à Drusio edita, & in ea quæ est in Bibliotheca Patrum, tomo 7. vt etiam à Georgio Monacho Syncello in Chronographia, & à Zonara Annali 1. In Aldinis verò & Basileensibus LXX. exemplaribus: *Et factum est in sexagesimo & quadringentesimo anno exitus filiorum Israël de Ægypto.* Sic etiam in Seuero Galesinij. Ceterùm Complutenses Codices, & Regij, atque etiam Roberti Stephani, cum Hebræo & Vulgata: *Et factum est in octogesimo & quadringentesimo anno exitus Israël de terra Ægypti.*

Eusebius in Chronico num. 984. *Salomon Templum ædificare cœpit in Ierosolymis, consummauitque annis octo. Colligitur omne tempus à Moyse, & egressu Israëlis ex Ægypto, vsque ad Salomonem, & ædificationem Templi in principiis annorum CCCCLXXX. vt Regnorum liber tertius testimonio est.*

Idacius in Chronico lib. 2. cap. 10. *Colligitur autem omne tempus à Moyse, & egressu Israël, secundùm tertium librum Regnorum vsque ad Salomonem, & ædificationem Templi computantur anni CCCCLXXX.*

Sanctus Beda in Chronico: *Salomon quarto regni sui anno, mense secundo, Templum Domino ædificare cœpit in Ierusalem, collectis ab egressu Israëlis ex Ægypto annis CCCCLXXX. vt Regum quoque liber testimonio est.* Eadem habent sanctus Ado Viennensis, Hermannus Contractus, Lambertus Schafnaburgensis, Marianus Scotus, Albertus Stadensis in Chronicis.

Atqui in eodem numero CCCCLXXX. annorum ab Exodo ad inchoatum Templum consentiunt Hebræi in Seder Olam, c. 15. & in Seder Olam Zuta, & in Cabbala Historica Rabbi Abraham Leuitæ, item Rabbinus Salmanticensis, apud Drusium in notis Seuerianis. Constétque hic numerus expressè in Verbo Dei præfixus: nullâque subtilitate, aut curiositate conuellatur.

Cæterum in subductione membratim demonstranda per tempora Iudicum Israël, ac Samuëlis & Saülis, tam magnæ atque arduæ existunt difficultates, vt non defuerint qui locum 3. Regum 6. vers. 1. de CCCCLXXX. annis sollicitauerint, credentes fortè errorem in numerum illapsum. Seuerus Sulpitius lib. 1. Hist. Sacræ: *Salomon Templum Domino immensi operis facere aggressus, paratis per triennium impendiis, quarto ferè imperij anno primum fundamentum iecit: à profectione Hebræorum ex Ægypto anno ferè octauo & octogesimo & quingentesimo. Licet libro Regnorum*

tertio CCCCLXXX. fuisse referantur: quòd nequaquam conuenit. Siquidem per seriem superiùs comprehensam facilius fuerit, vt minùs fortassis annorum, quàm ampliùs annotarim. Sed non dubito librariorum potiùs negligentia, præsertim tot iam saeculis intercedentibus, veritatem fuisse corruptam, quàm vt Propheta errauerit. Nec clam est, vt Canus lib 11. de locis, cap. 5. ad 12. argumentum, conatus fuerit eum numerum deprauatum ostendere.

Iosephus lib. 8. Antiquit. cap. 2. *Exorsus est Salomon fabricam hanc anno regni sui quarto, secundo mense, quem Macedones Artemisium vocant, Iiar verò Hebræi, annis DXCII. postquam Israëlitæ Ægypto excesserant.* Et lib. 10. cap. 11. *Incensum est autem Templum annis ex quo extructum fuerat, elapsis CCCCLXXI. mensibus sex, & diebus decem additis: exactis à transmigratione ex Ægypto annis MLXII. mensibus sex, diebus decem.* Interuallum à Templi fabrica retrò ad Exodum, DXCII. annorum.

Et verò tempora Iudicum variè admodum à diuersis numerantur, quæ non est huius loci diligentiùs expendere. Videndi è recentioribus, qui de his ex instituto tractarunt, Ioannes Lucidus lib. 2. de Emendationibus Temporum, cap. 8. Canus lib. 11. de Locis, cap. 5. ad 12. Masius in Iosuë 24. vers. 31. Arias Montanus in Danielè, siue de Temporibus. Contius in Notis ad Chronicon sancti Nicephori, cap. 4. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ in Temporibus Iudicum, Ribera de Templi fabrica lib. 1. cap. 1. Galesinius in Notis ad Seueri Historiam, Torniellus in annalibus, anno mundi 2591. num. 12. & seqq. Azorius tomo 1. Institut. Moral. lib. 6. cap. 57. Gordonus in Quæst. Chronologicis, cap. 9. His adiunge, si placet, ex Nouatoribus Beroaldum lib. 3. Chronici, cap. 4. Reinerium Reineccium in Heroïco Syntagmate, parte 1. in Regno Israëlitico, Drusium in Notis ad 1. lib. Historiæ Seueri, Scaligerum lib. 2. Isagogicorum Canonum, pag. 155. & 323. Nec prætermittendi Interpretes libri Iudicum, Petrus Comestor, Lyranus, Tostadus, Dionysius, Caietanus, Montanus, Serarius. Ergo si Summæ ab Adam ad Exodum, quæ est annorum IIMCCCCLXXXIII. addantur CCCCLXXX. qui sunt ab Exodo ad Templum; erunt ab Adam ad inchoatum Templum IIMDCCCCLXIII. anni hoc pacto computandi.

Ab Adam, ad Diluuium,	1656
A Diluuio ad Abraham,	322
Promissionis,	75
A Promissione ad Exodum,	430
Ab Exodo, ad Templum,	480
Summa,	2963.

Quinta difficultas à Templi conditu, ad eiusdem, & Sedeciæ casum.

CAP. XIV.

A Templi primis fundamentis ad eiusdem exidium sub Sedecia, variè supputant annos. Iosephus CCCCLXX. sic enim ait lib. 10. Antiquit. cap. 1 *Incensum est autem Templum annis ex quo extructum fuerat, elapsis CCCCLXX. mensibus sex, diebus decem additis.* Eadem habet Zonaras Annal. 1.

Eusebius verò CCCCXLII. hæc enim sunt eius verba in Chronico, num. MCCCCXXVI. *Hebræorum captiuitas, & exterminium Templi, quod fuit in Ierusalem annis LXX. qui supputantur vsque in secundum annum Darij. Nabuchodonosor rex Chaldæorum Ierosolymis captis, Templum incendit, quod ab initio ædificationis suæ permansérat annis CCCCXLII.* Idacius lib. 2. Chronici, cap. 19. *Nabuchodonosor rex Chaldæorum, Ierosolymis captis, Templum incendit: quod ab initio ædificationis suæ transierant anni CCCCXLII.*

Rabbi Abraham Leuita in Cabbala Historica, ait Hebræos Templo tribuere annos CCCCX. se verò CCCCXXXIII. verba eius sunt: *Substructa est ædes illa ante excidium suum annis CCCCXXXIII. sed tamen CCCC. dumtaxat, & X. annos ipsi attribuunt, quoniam à principio transmigrationis Ioachim regnum nullum fuisse putatur.* Et post alia: *Sic existit summa CCCCXXXIII. annorum à fine anni tertij Salomonis vsque ad Templi excidium.* S. Isidorus in Chronico: *Templo incenso anno ædificationis suæ CCCCLIV.* Eadem Lucas Tudensis in Chronico. S. Nicephorus Patriarcha in Chronico, cap. 5. *Templum inflammatur, cùm stetisset ex quo conditum fuerat, annis quadringentis viginti quatuor.* Addit Scholion Contius huiusmodi: *Apud Anastasium* Bibliothecarium, qui è Græco in Latinum transtulit S. Nicephori Chronicon, *annis quadringentis triginta quatuor.* S. Ado Viennensis Episcopus in Chronico: *Secundùm LXX. Interpretes anni computantur ab adificatione Templi, vsquequo incensum est, CCCCLIIII.*

Ceterùm iam vulgatior & communior Chronologia singillatim ducta per tempora Regum Iuda, quæ Scriptura disertè exprimit; à Templo inchoato ad eius casum, cóputat annos CCCCXXX. S. Beda in Chronico: *Templum Dei incensum est anno ex quo fundari cœpit CCCCXXX.* S. Ado Viennensis in Chronico: *Templum Dei incensum ædificationis suæ anno CCCCXXX.* Hermannus Contractus: *Templum Domini incensum est anno ex quo fundari cœpit CCCCXXX.* Marianus Scotus: *Templum incensum est, ex quo ædificari cœpit, anno CCCCXXX.* Albertus Stadensis in Chronico: *Templum Domini incensum est anno ex quo fundari cœpit CCCCXXX.* Idem affirmant plerique alij Chronologi.

Scaliger tamen lib. 3. Isagogicorum Canonum, part. 2. ad cap. 1. num. 61. pag. 288. annotat: *Qui minimum interuallum à conditu Templi ad excidium eius ponunt, constituunt illud annorum CCCCXXX. aut CCCCXXXI. quos refellit exacta annorum Regni Iuda series: ex cuius contextu illud interuallum est præcisè annorum CCCCXXVII. quibus si adieceris interuallum ab Exodo ad conditum Templi, colligentur anni 907. absoluti. Itaque anno 908. labente, omnino contigit excidium Templi & casus Sedeciæ.* Eadem habet in Eusebianis pag. 82. vbi causas exquirit cur Eusebius interuallum à Templi conditu ad eius casum definierit CCCCXLII. annorum, metachronismo annorum XV. iuxta ipsum; iuxta nos verò, annorum XII. Eadem quæ Scaligeri est sententia Riberæ lib. 1. de Templi fabrica, cap. 26. de CCCCXXVII. annis à Templo condito ad euersum. Discrimen est triennij tantùm, quem nos cum vulgo Chronologorum adiicimus.

Existunt tamen nodi & scrupuli in singillatim enumerandis, & notandis annis Regum Iuda, atque iis ipsis conferendis cum annis Regum Israël: quos cùm Interpretibus, tùm Chronologis explicandos relinquimus: vt mirum non sit si Recentiores

centiores aliqui etiam in hac ſumma diſſenſerint: Lucidus, & Adrichomius CCCCXL. Torniellus CCCCXXIV. alij aliter numerant. Sed noſtrum non eſt omnia expendere. Videndi hac de re Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, in Temporibus Regum Iuda, & Iſraël, Azorius tomo 1. Inſtit. Moral. lib. 6. cap. 55. Gordonus in Quæſt. Chronologicis, cap. 10. & 11. Diximus ſup. capite ab Adam ad inchoatum Templum fluxiſſe annos MMDCCCCLXIII. quibus ſi adiungimus CCCCXXX. ab Exordio Templi ad eius caſum; diſſultabunt à mundo condito, ad Templi Salomonici euerſionem MMMCCCXCIII. Anni hæc ſerie numerandi.

Ab Adam, ad Diluuium,	1656
A Diluuio ad Abraham,	322
Promiſſionis,	75
A Promiſſione ad Exodum,	430
Ab Exodo, ad Templum,	480
A Templo ad eius caſum,	430
Summa,	3393.

Sexta difficultas, de LXX. annis deſolationis Templi, & vrbis Ieruſalem.

CAP. XV.

EST hæc planè ingens controuerſia, ex qua tanquam è cruce eruditorum ingenia, & ſtudia pependêre, multæ in ea variæque dictæ ſententiæ; ſed nos pro inſtituti noſtri ratione, prætermiſſis aliorum opinionibus, noſtram dicemus. Exiſtimamus cunctis probè excuſſis & perpenſis, ab euerſione Templi Salomonis, atque vrbis Ieruſalem, quæ incidit in vndecimum Sedeciæ annum labentem, ad primum Cyri regis Perſarum annum effluxiſſe LXX. annos deſolationis & vaſtitatis vrbis & Templi. Perſpicua ſunt Ieremiæ verba 25. verſ. 11. *Erit vniuerſa terra hæc in ſolitudinem & ſtuporem: & ſeruient omnes gentes iſtæ regi Babylonis ſeptuaginta annis. Cúmque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper regem Babylonis, & ſuper gentem illam, dicit Dominus.* Expendenda verba illa, *in ſolitudinem & in ſtuporem* pro ſolitudine, Hebraïcè eſt *Chorabah*, quæ propriè eſt *Ariditas, ſiccitas*, quæ ſole, vel igni, vel gladio fit? vt fuit illa vrbis & Templi: quum igni & gladio cuncta fuêre in ſiccitatem redacta. Vnde Hebræi in Seder Olam Rabba cap. 27. ex ſententia Rabbi Ioſeph, aiunt: *Septem* (lego, ſeptuaginta) *annis impleta eſt hæc Scriptura Deuteronom. 29. Sulphur & ſal & combuſtio totum ſolum eius, itavt vltra non ſeratur, neque virens quippiam germinet.* Pro *ſtupore* eſt, *hamah*, id eſt, *afflatus abominandus*, res digna abominabili afflatu propter deformem & turpem deuaſtationem, vel propriè ſtupenda deſolatio. Et Daniel. 9. verſ. 1. *In anno primo Darij filij Aſſueri de ſemine Medorum, qui imperauit ſuper regnum Chaldæorum: anno vno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam Prophetam, vt complerentur deſolationis Ieruſalem ſeptuaginta anni.* Vtitur Daniel eadem Hebraïca voce qua Ieremias, ſed plurali, *Chareboth*, id eſt, *ſiccitates*, quibus Ieruſalem incendio & gladio deuaſtata fuit, nimirum indicat pluralis numerus, extremam & maximam deſolationem Vrbis ac Templi

Et 2. Paralipomenon 36. verſ. 19. *Incenderunt hoſtes domum Dei, deſtruxerúntque murum Ieruſalem, vniuerſas turres combuſſerunt, & quidquid pretioſum fuerat demoliti ſunt. Si quis euaſerat gladium, ductus in Babylonem, ſeruiuit Regi & filiis eius, donec imperaret Rex Perſarum, & compleretur ſermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra Sabbata ſua: cunctis enim diebus deſolationis egit Sabbatum vſque dum complerentur ſeptuaginta anni. Anno autem primo Cyri Regis Perſarum ad explendum ſermonem Domini, quem locutus fuerat per os Ieremiæ, ſuſcitauit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum: qui iuſſit prædicari in vniuerſo regno ſuo, etiam per Scripturam, dicens: Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa: quis ex vobis eſt in omni populo eius? ſit Dominus Deus ſuus cum eo, & aſcendat.* Illud, *cunctis diebus deſolationis*, Hebraïcè ad verbum, *omnibus diebus ſtupendæ deſolari eius*, vel *eam.*

Haud obſcurè Ieremias, Daniel, Auctor Paralipomenon, Septuaginta annos appellant ſolitudinis, vaſtitatis, ſtupendæ deſolationis vrbis Ieruſalem & Templi: at nimis eſt exploratum, vrbem & Templum non niſi vndecimo Sedeciæ anno fuiſſe incenſa, deſtructa, deſolata, & habitatores in Babylonem abactos. Chriſtophorus Caſtrius in Ieremiæ 29. ait: *Ex nullo Scripturæ loco nobis conſtat, Ieremiam deſolationi, ſolitudini, aut omnimodæ Iudææ vaſtitati deſignaſſe annos illos ſeptuaginta.* Eludat quantum volet, Ieremiæ & Paralipomenon verba, quæ tamen non niſi violentè à noſtra Interpretatione abſtrahuntur: atqui poterit illa Danielis: *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam Prophetam, vt complerentur deſolationis Ieruſalem ſeptuaginta anni?* Apertè, dilucidè, ſine ambage pronuntiat, ſeptuaginta annos à Ieremia vaticinatos, fuiſſe deſolationis Ieruſalem. Et ſi noſtram ſententiam Daniel voluiſſet expreſsè proferre, potuiſſet ne clarioribus verbis quàm iſtis exprimere? Quòd verò LXX. illi deſolationis anni completi fuerint anno primo Cyri regis Perſarum, quando euerſo Babylonico Imperio, laxata captiuitate, exulibus redeundi in patrium ſolum, inſtaurandique Templi poteſtatem fecit: ne dum Ieremias, Daniel, & Auctor libri Paralipomenon, ſed etiam Eſdras 1. cap. 1. verſ. 1. perſpicuè affirmat: & quod eſt planè mirabile multò iam tempore antequam Cyrus naſceretur, Iſaias Cyri quoque nomine expreſſo, vaticinatus fuerat, 45. verſ. 1. & 13. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro: Ipſe ciuitatem meam ædificabit, & captiuitatem meam dimittet, dicit Dominus.*

Ergo ab incenſo & euerſo Templo, & Ieruſalem deſtructa per Chaldæos, anno vndecimo Sedeciæ, vſque ad primum Cyri, enumerandos LXX. annos, illos quos Ieremias, Daniel & Auctor Paralipomenon appellant ſolitudinis, vaſtitatis, ſtupendæ deſolationis, præter clariſſima Scripturæ verba, quæ nuper deſcripſimus, magni etiam auctores affirmant. Ioſephus lib. 10. Antiquit. cap. 10. agens de iamiam imminente vrbis & Templi deuaſtatione ſub Sedecia, ait: *At Ieremias adito Rege Sedecia, prænunciat, Babylonium copias ad Ieroſolyma reducturum, & quotquot oppugnationi & fami ſuperfuerint, captiuos abducturum: direptiſque omnium facultatibus, & exhauſtis Templi diuitiis, in vrbem ſimul, & Templum ferro, ac flammis ſæuiturum,*

nullo

nullo sacri aut profani discrimine. Et seruiemus, inquit, ei, posterisque eius, per annos LXX. à qua seruitute Persæ & Medi nos eripient, extincto Babyloniorum Imperio: quorum ope dimissi, & huc reuersi, Templum ædificabimus denuo, & Ierosolyma restituemus. Et cap. 11. *Rex verò Babylonius pro abductis duabus tribubus, nullam gentem in eam regionem reposuit: quo factum est, vt Iudæa cum Ierosolymis ac Templo, per LXX. annos deserta maneret.* Et lib. 11. cap. 1. *Primo autem anno Regis Cyri, qui fuit transmigrationis nostræ Babylonicæ septuagesimus, miseratus est Deus captiuitatem & calamitatem ærumnosi illius populi: & sicut illis per Ieremiam Prophetam ante dirutam vrbem prædixerat, quòd postquam seruierint Nabuchodonosoro, eiúsque posteris per annos septuaginta rursum eos restituturus esset in patriam, & ædificato Templo redituri essent ad felicitatem pristinam, ita eis omnia præstitit. Excitato enim ad id Cyri animo, effecit vt ille in hunc modum per vniuersam Asiam scriberet: Hæc dicit Cyrus Rex: Quoniam me Deus maximus orbis Regem constituit, hunc illum esse credo, quem Israëlitarum adorat populus. Is enim meum nomen per suos Prophetas prædixit, & quòd Templum eius ædificaturus sim Ierosolymis in terra Iudæa. Hoc autem Cyrus cognouit ex lectione libri, qui Isaiæ prophetias continet: ducentis & decem annis ante ipsius ætatem conscriptas. Hic enim secretum hoc Deum sibi indicasse dixit, quòd vellet Cyrum, quem multarum ac magnarum gentium regem declaratus esset, remittere populum suum in terram Iudæam, & Templum suum ædificare denuò. Hæc Isaïas prædixit centum quadraginta annis antequam Templum deuastatum est. Quibus lectis, Rex admiratus Vatis diuinitatem, correptus est cupidine exequendi quæ scripta legerat: conuocatisque clarioribus apud Babylonem Iudæis, ait, se illis permittere, vt proficiscantur in patriam, vrbémque Ierosolyma, & Dei Templum ædificent denuò.* Hactenus Iosephus: qui cùm dicat, Isaiam ducentis & decem annis ante Cyri ætatem, nimirum quando Regnum iniit, prophetiam de ipso conscripsisse: addátque eandem prophetiam scriptam ab Isaia centum quadraginta annis antequam Templum deuastatum est, apertè nimis docet, à deuastato Templo ad initium Regni Cyri, LXX. annos intercessisse. Et lib. 1. contra Apionem: *Nabuchodonosorus templum in Ierosolymis concremauit: cunctúmque generis nostri populum auferens, migrauit in Babylonem: vnde ciuitatem contigit desolari annis septuaginta vsque ad Cyrum Regem Persarum.*

Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum: *In vndecimo autem anno regni Sedekiæ, Nabuchodonosor septuaginta annis ante principatum Persarum, aduersus Phœnices & Iudæos bellum gessit, vt dicit Berosus in Historiis Chaldaïcis. Ioabas autem scribens de Assyriis, fatetur se à Beroso sumpsisse historiam, vera esse quæ ab eo dicuntur, testificans. Nabuchodonosor ergo excæcatum Sedechiam, abducit Babylonem, & totum facit populum transmigrare. Fuit autem hæc captiuitas septuaginta annis.* Manifestè Sedechiæ captiuitatem ait fuisse septuaginta annorum: Atque ex Beroso & Ioaba affirmat ab vndecimo Sedeciæ anno ad initium Cyri, qui Persicum Imperium fundauit, LXX. annos effluxisse.

Lactantius Firmianus lib. 4. Diuinarum Instit. cap. 5. *Vsque ad Sedechiæ regnum oppugnati à Rege Babyloniæ, captique Iudæi, diuturnum seruitium pertulerunt, donec septuagesimo post anno eos Cyrus maior terris, ac sedibus suis redderet.*

Eusebius in Chronico, num. 1426. initium 70. captiuitatis annorum fugit in vndecimo Sedecio, aítque: *Hebræorum captiuitas, & exterminium Templi, quod fuit in Ierusalem, annis LXX.* Et lib. 10. Præparat. Euangel. cap. 2. *Vrbe deinde ab Assyriis euersa, templóque cremato, in Babylonem populus abducitur: & post annos LXX. Cyrus Persarum Rex Iudæos libertate donauit.*

Egesippus lib. 2. Excid. Ierosolym. cap. 13. *Vrbe capta, Templóque exusto, LXX. annis in captiuitate fuit populus.*

Seuerus Sulpitius lib. 2. Sacræ Historiæ, disertè agens de captiuitate Sedeciæ, ait: *Vsque in primum Cyri regis annum, LXX. annos (tot enim per sacram Hystoriam à captiuitate vsque ad Cyrum fuisse referuntur) impleret.*

Sanctus Hieronymus in 4. Ezechielis: *Fuérúntque desolationis Templi anni septuaginta.*

Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 8. contra Iulianum: *Vbi autem capta est Ierusalem, deuastata Iudæorum regio à Babyloniis contra illos bellum gerentibus, abductus est captiuus Israël, vnà cum rege suo, Sedechia, inquam. Verum vbi septuagesimus annus præteriit, dimisit eos Deus à captiuitate per Cyrum.*

Idacius lib. 2. Chronici, cap. 19. *XLVIII. Olympiade captiuitas & exterminium Templi quod fuit in Ierosolymis, annis LXX.* Desumpsit ex Chronico Eusebij.

Quintus Iulius Hilarion libello de mundi duratione: *Post vndecimum ergo annum Sedechiæ, Ierusalem euersa à Rege Nabuchodonosor, Iudaicus populus in Babylonem transmigratus est: quæ captiuitas LXX. annos tenuit: qui completi sunt in Babylonia, vt impleretur visio, & prophetia Ieremiæ. Post quos annos Cyrus rex Persarum iubet populos ire ad Ierusalem, primo anno regni sui.*

Sanctus Isidorus Hispalensis lib. 5. Originum, cap. 39. *Sedechias annis XI. Templum Ierosolymis incensum, mundi IIIIMDCIX. Hebræorum captiuitas annis LXX. mundi IIIIMDLXXIX.* Eadem habet in Chronico.

Sanctus Beda in Chronico, recitatis verbis illis 2. Paralipomenon 36. vers. 19. quæ suprà posuimus, ait: *Quibus verbis ostenditur, quia vastata Chaldæi Iudæa, non vt Assyrij in Samariam alios misêre colonos, sed desertam reliquêre terram, donec ipsi post annos LXX. in eam redière Iudæi. Consentit his Iosephus in 10. Antiquitat. libro, scribens, Templum & Ierusalem, & omnem Iudæam LXX. annis permansisse desolatam.* Et post alia: *Ab euersione Ierusalem, vsque ad initium Cyri regis Persarum, Iulius Africanus LXX. annos computat.* Eadem omnino habent in suis Chronicis S. Ado Viennensis, & Hermannus Contractus.

Sanctus Nicephorus Patriarcha in Chronico, cap. 6. *Post captiuitatem autem Iudæorum abductorum Babylona, & solitudinem loci, anni sequuntur septuaginta.*

Nicephorus Callistus lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 6. *Quum Babylonius Nabuchodonosor bellicam contra Iudæos expeditionem sumpsisset vnà cum vrbe Templum est euersum, & populus Babylonem captiuus ductus, ad annos septuaginta.*

Cedrenus pag. 94. *Vrbe potitus Nabuchodonosor, eam totam incendio vastauit: populum quoque captiuum abduxit, qui in eo exilio annis septuaginta mansit.* Et pag. 95. *Templum cremauit, populúmque captiuum abduxit, annos LXX. ea conditione acturum.*

Zonaras

Zonaras Annali 1. *Nabuchodonoſor verò Iudæam vaſtam iacêre paſſus eſt, itáque manſit per annos ſeptuaginta.*

Marianus Scotus in Chronico initio Quintæ ætatis: *Primus annus captiuitatis, quæ ſecundum Ieremiam LXX. annis permanſit, in quo Templum Domini Nabuchodonoſor menſe Auguſti incendit.* Et poſt alia: *Septuaginta anni captiuitatis huc vſque iuxta Africanum & Ioſephum, id eſt, vſque ad Cyrum.*

Lucas Tudenſis in Chronico: *Hebræorum captiuitas annis ſeptuaginta permanſit. Annus ſeptuageſimus à deſtructione Templi vſque ad perfectam reſtaurandi licentiam eſt computandus.*

Albertus Stadenſis in Chronico: *Multis auctoritatibus probatur, quia vaſtata Chaldæi Iudæa, non vt Aſſyrij in Samariam alios misêre colonos, ſed deſertam reliquêre terram, donec ipſi poſt annos LXX. in eam rediere Iudæi.*

Lyranus in 25. Ieremiæ: *Numeratio tamen iſtorum ſeptuaginta annorum variè inchoatur à diuerſis. Expoſitores enim noſtri communiter incipiunt eam à deſtructione Ieruſalem vndecimo anno Sedechiæ.* Atqui eadem eſt Sententia Petri Comeſtoris in Hiſt. Scholaſtica Danielis, cap. 18. Toſtati in 1. Matthæi, Ioannis Lucidi lib. 2. de Emendat. Temporum, cap. 2. Cani lib. 11. de Locis Theologicis, cap. 5. ad 9. argumentum, Pererij lib. 10. in Danielem, Suarez tomo 1. in 3. part. diſp. 6. ſect. 1. Capellæ in cap. 52. Ieremiæ, Tornielli anno mundi 3447. & aliorum.

Hanc de LXX. annorum captiuitatis initio & fine tanto conſenſu proditam Chronologiam ægerrimè fert Scaliger in Euſebianis pag. 85. 87. & lib. 3. Iſagogicorum Canonum, num. 58. pag. 287. & num. 61. pag. 288. eiúſque ſectatores Theologaſtros, inſanientes appellat: Pererium ſingulariter acerbiſſimè, & indigniſſimè lancinat. Sed ſunt nobis, Scaliger, tuæ diſputationis præcipua robora accuratiſſimè conſiderata, expenſa: nec propterea à ſenſu communi nos auellunt. Nolo hîc plura verba conſumere, varias in hac diatriba opiniones, opinionum rationes, obiectiones, oppoſitiones, nodos, difficultates plurimi ex profeſſo tractarunt, præſertim Canus, Suarez, & Pererius locis dudum citatis, Ribera in 1. Zachariæ, num. 21. Capella in 52. Ieremiæ, Barradius tom. 1. Euang. Hiſtoriæ lib. 5. cap. 17. Azorius tom. 1. Inſtit. Moral. lib. 6. cap. 56. quæſt. 11. Caſtrius in Ieremiæ 29. Gordonus in Quæſtionibus Chronolog. cap. 12. & 13. Hos conſulat qui hæc pleniùs noſſe percupit. Adeat quoque ſi viſum fuerit, Scaligerum in libris de Emendat. Temporum, & in Euſebianis, & in Canonibus Iſagogicis, & Georgium Emmium in Canone Chronologico maiore. Nos in planiſſimis ſacræ Scripturæ verbis, & in tanto Veterum & Recentiorum conſenſu, quem demonſtrauimus, libenter conquieſcimus. Ergo ſummæ ab orbis conditu ad Salomonici Templi caſum, quam annorum IIIMCCCXCIII. præcedenti capite præfiniuimus, addantur LXX. Iudaicæ captiuitatis anni ad primum vſque Regni Cyri annum: erunt ab initio mundi ad primum Cyri annum, MMMCCCCLXIII. hoc modo.

Ab Adam, ad Diluuium,	1656
A Diluuio ad Abraham,	322
Promiſſionis,	75
A Promiſſione ad Exodum,	430
Ab Exodo, ad Templum,	480
A Templo ad eius caſum,	430
A Templi caſu ad Cyrum,	70
Summa,	3463.

Septima difficultas, vbi ſit figendum initium Septuaginta Hebdomadum Danielis.

CAP. XVI.

HAnc de Hebdomadibus Danielis vnam eſſe de maximis Scripturarum quæſtionibus ſciunt omnes: innumeræ in ea dictæ ſententiæ, validè altercatum: ſed noſtri inſtituti non eſt de his longiùs diſceptare. Breuiter ſententiam noſtram, aliis omiſſis perſtringemus.

Vertente iam ſeptuageſimo Iudaïcæ captiuitatis, & deſolationis vrbis & Templi Ieroſolymitani anno, cœpit orare Daniel Deum pro reductione captiuorum, & inſtauratione vrbis ac Templi: cap. enim 9. verſ. 1. ait: *In anno primo Darij filij Aſſueri de ſemine Medorum, qui imperauit ſuper regnum Chaldæorum: anno vno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam Prophetam, vt complerentur deſolationis Ieruſalem ſeptuaginta anni. Et poſui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari.* Sequitur, pro liberatione populi preces fundere. Magna eſt quæſtio quiſnam fuerit Darius iſte de ſemine Medorum, qui imperauit ſuper Regnum Chaldæorum, in cuius anno primo compleri LXX. deſolationis annos Daniel intellexit. Scaliger in Euſebianis pag. 85. & lib. 2. Canonum Iſagogicorum, pag. 135. & lib. 3. pag. 191. & 315. & in Appendice librorum de Emendat. Temporum, exiſtimat fuiſſe Nabonidum, qui interfecto Balthaſſare, regnum Chaldaïcum inuaſerit, tenuerítque XVII. annos. Sed eruditi fermè exploſis Scaligeri vanitatibus, quibus thraſonicè triumphos iactat, iam rectè arbitrantur fuiſſe Aſtyagis filium, Cyri auunculum, qui cum Cyro regnum Chaldæorum capta Babylone, euerteret, nec plus vno anno in imperio Chaldaïco regnauerit: quem Græci Cyaxarem indigitant. Vide Pererium lib. 7. & 10. in Danielem, Torniellum anno mundi 3454. & 3516. Gordonum in quæſt. Chronologicis, cap. 12. num. 14. Barradium tomo 1. Hiſtor. Euang. lib. 5. cap. 18. Azorium Inſtit. Moral. tom. 1. lib. 6. cap. 56. quæſt. 3. Maldonatum in 9. Danielis. Vnde ſanctus Hieronymus initio 9. cap. Danielis: *Hic eſt Darius, qui cum Cyro Chaldæos Babylonióſque ſuperauit: ne putemus illum Darium, cuius ſecundo anno Templum ædificatum eſt, (quod Porphyrius ſuſpicatur, vt annos Danielis extendat) vel eum qui ab Alexandro Macedone ſuperatus eſt.* Ergo ad extremum vitæ Darij Medi, cùm iam immineret Cyri Imperium, qui Dario ſucceſſit, anxio Danieli, & oranti pro liberatione populi captiui, & inſtauratione vrbis Ieruſalem ac Templi Domini, quòd videret iam fermè compleri LXX. annos captiuitatis, & deſolationis Ieruſalem à Ieremia prædictos; apparuit Angelus Gabriel, ac ampliſſimis verbis eum conſolatus, nedum pollicitus eſt populi reductionem, & vrbis ac Templi reædificationem, ſed venturi quoque Meſſiæ certum tempus præfiniuit, in hunc modum loquutus cap. 9. verſ. 24. *Septuaginta Hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur prauaricatio,*

ficatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur Visio & Prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum Ducem, Hebdomades septem & Hebdomades sexaginta duæ erunt: Et rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post Hedomades sexaginta duas, (& septem) *occidetur Christus: & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et ciuitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis Hebdomada vna: & in medio Hebdomadæ deficiet hostia & sacrificium: & erit in Templo abominatio desolationis: & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.*

Perspicuè Gabriel initium Hebdomadum auspicatur; *Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem*: quæ verba sunt expendenda. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, legit: *Ab exitu sermonis vt respondeas & ædifices Ierusalem.* Tertullianus aduersus Iudæos, cap. 8. *A profectione sermonis integrando & reædificando Ierusalem.* Iulius Africanus lib. 5. de Temporibus, Eusebius lib. 8. Demonstr. Euangelicæ cap. 2. Theodoretus in Danielem 9. *Ab exitu sermonis, vt respondeatur & ædificetur Ierusalem.* Zonaras Annal. 1. *Ab exitu sermonum, vt separatio fiat, & ædificentur Ierosolyma*, Sanctus Prosper de Prædictionibus Dei, part. 2. cap. 35. *Ab exitu sermonis in respondendo. Et iterum ædificabitur Ierusalem.* Eusebius in Chronico. num. 1983. *Ab initio sermonis restaurandi & ædificandi Ierusalem.* Quintus Iulius Hilarion libello de mundi duratione, *Et tu quiesce & intellige, de prouentu Sanctorum, siue præceptum respondendum & ædificandam vrbem Ierusalem.* LXX. Interpretes in editione Romana: *Ab exitu sermonis ad respondendum & ædificandum Ierusalem.* Nemo miretur Hebraicum *Leasib*, reddi à LXX. & Patribus, *ad respondendum*, vel, *vt respondeatur*: cum *Hasib*, propriè sit, *Redire-facere, reducere*, vel *reuertifacere*: nam etiam pro, *respondere*, ponitur 2. Regum, 3. vers. 11. *Et non potuit amplius ad redire-facere Abner verbum.* Noster, *Et non potuit respondere ei quidquam.* Minùs mirabitur qui à nostro vulgato per aduerbium, *iterum*, expressum videat, *vt iterum ædificetur Ierusalem.* Forsterus in Lexico: *Est autem hæc phrasis obseruanda, quòd quando verbum Sub, reuerti, cum alio immediatè verbo construitur, tum Hebræis idem valet, quod Latinis rursus, iterum, denuò; Iosuë 5. Et iterum circumcide filios Israël secundò. Iob. 7. Non reuertetur oculus meus videre bonum, id est, non iterum videbit bonum. Psalm. 85. Nónne tu reuertêris, viuificabis me? id est, rursum ædificabis me. Ezechielis 8. Adhuc reuerteris, videbis abominationes maiores, id est, iterum videbis. Zachariæ 8. Sic iterum cogitaui, &c.* Acceperunt hanc ex Forstero obseruationem, Mercerus, Auenarius, Marinus in suis Thesauris Hebraicis, Vatablus in hunc Danielis locum, Forerius in Isaiæ 6. vers. 13. Iam verborum istorum, *Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem.* cùm multæ ferantur interpretationes, quæ in diuersas auctores sententias abstraxerunt, illa nobis omnium appositissima, & simplicissima videtur, *Ab exitu sermonis*, siue vt Hebræa habent, *Ab egressione*, seu *egressu verbi*: nempe ab eo tempore quo egressum & promulgatum fuerit edictum, seu mandatum Cyri regis Persarum de soluenda Iudæorum captiuitate, & reædificanda vrbe Ierusalem & Templo. Hebræa ad verbum habent: *Ab egressu verbi ad reuerti-faciendum*, vel *redire-faciendum*, seu *reducendum*, & *ad ædificandum Ierusalem.* Qua ratione expressêrunt Sanctes, & Montanus, id est, à promulgatione mandati de reducendo populo captiuo in solum patrium, quo permittebatur populus Iudaïcus in Babylone captiuus reuerti in Ierusalem & eam reædificare. Noua Translatio Vatabli nomine in Bibliis Sanctandreanis, & Commelinianis paraphrasticè exposuit: *Ab exitu sermonis de reducendo populo, & ædificanda Ierusalem.* Sic verba proximè sequentia, *& rursus ædificabitur platea.* Hebræa habent: *& reuertetur*, seu *redibit*, *& ædificabitur platea.* vbi verbum, *reuertetur* est fœmineum, nempe captiuitas, seu populus infirmus, ac miserabilis.

Certè Daniel illud enixè. Dominum precabatur, vt tandem exactis iam septuaginta annis Captiuitatis & vastitatis vrbis Ierusalem, ac Templi ab Ieremia prædictis, Iudæis facultas daretur reuertendi in patriam, & vrbem, ac Templum postliminiò instaurandi: & hoc par est Angelum à Deo illi concessisse, vt quod solicitè rogabat Daniel, Gabriel promitteret certò statim euenturum, nempe Cyrum mox anno primo sui Imperij, edictum promulgaturum, quo Iudaïca captiuitas solueretur, & exules in Ierusalem redirent, vrbémque ac Templum reficerent. Equidem Cyrum anno primo regni sui, completis LXX. desolationis Vrbis Ierusalem annis, eiusmodi publicum edictum dedisse, de reducenda captiuitate & reædificanda Ierusalem & Templo, sup. capite abundè monstrauimus, & sunt expressa Scripturæ verba: Isaïæ 45. vers. 13. Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro: *Ipse ciuitatem meam ædificabit, & captiuitatem meam dimittet.* Et 2. Paral. 36. 21. *& compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ, cunctis diebus desolationis vsque dum complerentur septuaginta anni. Anno autem primo Cyri Regis Persarum ad explendum sermonem Domini quem locutus fuerat per os Ieremiæ, suscitauit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum: qui iussit prædicari in vniuerso regno suo, etiam per scripturam, dicens: Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: Dominus Deus cœli præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa: quis ex vobis est in omni populo eius? sit Dominus Deus suus cum eo, & ascendat.* Hæc eadem habet Esdras 1. cap. 1. vers. 1. vbi additur, *Ascendat in Ierusalem, quæ est in Iudæa, & ædificet Domum Domini Dei Israël.* Etverò hoc fuit primum & maximum verbum, seu edictum de laxanda captiuitate, & reædificando Ierusalem & Templum: & proximum rebus & statui illius temporis. Cupiebat Daniel, impletis iam LXX. captiuitatis annis à Ieremia prædictis, liberari populum exilio, redire in patriam, vrbem & Templum restaurari: spondet Angelus breui futurum, móxque initio regni Cyri exiturum edictum, quo Iudæi iuberentur restitui in patriam & vrbem, ac Templum instaurare. Hæc nobis cuncta penitiùs introspicientibus visa est aptior, & congruentior loci huius interpretatio. Sícque initium Hebdomadum proculdubio statuendum erit, primo anno Cyri regis Persarum, quando completis LXX. annis desolationis, exiit sermo, seu edictum Cyri, quo soluebatur captiuitas, & Iudæi permittebantur vrbem Ierusalem, & Templum reædificare: vt sanè LXX. annos captiuitatis,

& deso

& deſolationis vrbis ac Templi, proximè & immediatè excipiant Septuaginta Hebdomades Danielis.

Nec ab hac ſententia veteres abborruêre: Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum: *Impleta ſunt ergo à Captiuitate quæ tempore Ieremiæ prophetæ fuit Babylone, ea quæ à propheta Danièle dicta ſunt: quæ ſic habent: Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt, ſuper populum tuum, &c.* Sanctus Hieronymus in 9. Danielis: *Clemens vir eruditiſſimus, preſbyter Alexandrinæ Eccleſiæ, parui pendens annorum numerum: à Cyro Rege Perſarum vſque ad Veſpaſianum & Titum Imperatores Romanos, ſeptuaginta annorum hebdomadas dicit eſſe complectas, id eſt, annos quadringentos nonaginta.*

Euſebius lib. 8. Demonſtr. Euangelicæ, cap. 2. *Arbitror igitur, Ab exitu ſermonis, vt reſpondeatur & ædificetur Ieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duas, à regno Cyri vſque ad Romanum Imperium propagari.* Et multa ſequitur in eadem ſententiam diſſerere.

Theodoretus in Daniel. 9. elucidans verba illa, *Ab exitu ſermonis, vt reſpondeatur, & ædificetur Ieruſalem*, ait: *Quidam opinantur initium ædificationis, quod factum eſt regnante Cyro, principium eſſe numeri Hebdomadum.*

Nec piget verba Genebrardi lib. 1. Chronographiæ pag. 166. hîc inſerere. *Vertente captiuitatis ſeptugeſimo anno, orare cœpit Daniel 9. cap. Deum pro reſtauranda Ieroſolyma, & ab Angelo accepit, ab exitu verbi de reſtituendis captiuis, déque reficienda vrbe, vſque ad Chriſti ducis necem inter fluxuras Hebdomades ſexaginta nouem, vel ad ſummum ſeptuaginta, vt aliqui exponunt. Porrò exitus illius verbi fiebat tunc ab Angelo illud de cœlis deferente, & prolatum in cœlo, dum ipſe precaretur, denuntiante, vel (quod in idem recidit, nec annorum numerum auget) paulò pòſt factus eſt, anno ſcilicet primo Cyri, qui mox Dario, ſub cuius vitæ extremum Danieli iſta reuelata ſunt, ſucceſſit. Illo enim captiui primum dimiſſi ſunt, vt compleretur verbum quod dixerat Dominus ore Ieremiæ.*

Nec defuerunt qui initium Septuaginta Hebdomadum à primo anno Darij Medi ſumerent, nimirum ab eo tempore præfixè quo Angelus Gabriel Danieli loquebatur, & reuelabat Septuaginta hebdomadas; qui fuit primus Darij Medi annus, vt diſertè Daniel affirmat: vno, & forſan non integro anno, ante quàm Cyrus regnaret, quod interuallum eſt breuiſſimum, nec numerum annorum auget, vt Genebrardus annotabat. Tertullianus aduerſus Iudæos cap. 8. *Numerabimus autem* hebdomadas *à primo anno Darij* filij Aſſueri, de Semine Medorum, *quomodo in ipſo tempore oſtenditur Danieli viſio ipſa: dicit enim: Et intellige & coniice à profectione ſermonis, reſpondere me tibi hæc. Vndè à primo anni Darij debemus computare, quando hanc viſionem vidit Daniel.* Obſeruandum, ſanctum Hieronymum in 9. Daniel. & ſanctum Iulianum lib. 1. aduerſus Iudæos, quum referunt hæc ipſa Tertulliani verba, non legere, *à profectione*, ſed, *à prophetatione ſermonis*: qua ratione habere manuſcripta in Tertulliano, annotauit Pamelius.

De Origene hæc refert S. Hieronymus in 9. Danielis: *Origenes hæc in 10. Stromatum volumine breuiter annotauit: Studioſius requirenda ſunt tempora, à primo anno Darij filij Aſſueri, vſque ad aduentum Chriſti quot anni ſunt.* indicans LXX. hebdomadas à primo anno Darij Medi numerandas. S. Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi 12. initium quidem hebdomadarum à Dario Medo deducit, ſed confudit eum cum Dario Hyſtaſpis, quod non cohæret.

De Sententia Hebræorum, S. Hieronymus in Daniel. 9. hæc ſcribit: *Hebræi quid de hoc loco ſentiant, breui ſermone perſtringam. Dicamus igitur paraphraſticè, vt ſenſus manifeſtior fiat. O Daniel, ſcito, quòd à die hac qua tibi nunc loquor (erat autem annus primus Darij, qui occidit Baltaſſar, & regnum Chaldæorum in Perſas, Medóſque tranſtulit) vſque ad ſeptugeſimam annorum hebdomadam, hoc eſt annos quadringentos nonaginta, hæc populo tuo per partes accident.*

Octaua difficultas, Anni Hebdomadum fuerintne Solares, an Lunares.

CAP. XVII.

IVlius Africanus in lib. 5. de Temporibus, apud Euſebium lib. 8. Demonſtr. Euangelicæ, cap. 2. Lunares fuiſſe exiſtimat, in hunc modum diſſerens: *Ab Artaxerxe autem ſeptuaginta hebdomades ad Chriſti tempus perueniunt, ſi Iudæorum numeros ſequimur. Si quidem à Nehemia, qui vt ædificaret Ieruſalem eſt miſſus, anno Regni Perſarum centeſimo & quinto decimo, qui fuit ipſius Regni Artaxerxis viceſimus, atque idem octogeſimæ tertiæ Olympiadis quartus, ad illud tempus qui fuit Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ annus ſecundus, Imperij autem Tiberij Cæſaris ſextus decimus, anni numerantur quadringenti ſeptuaginta quinque, qui Hebraïca ratione fiunt quadringenti nonagenta: vtpote cùm illi ad curſum Lunæ annos computare conſueuerint, vt hac ratione annus ſit, quod dictu facile eſt, dierum trecentorum quinquaginta quatuor: cùm tamen ſolaris curſus dies conficiat trecentos ſexaginta quinque, cùm vnius diei parte quarta. Ex quo apparet lunares curſus duodecim, ab vno ſolari curſu vndecim diebus, & quarta vnius diei ſuperari. Idcirco & Græci & Iudæi ternos intercalares menſes octauo cuique anno adiiciunt. Etenim ſi vndenos cum vnius parte quarta octies repetiueris, trium menſium ſpatium conficies. Quadringenti igitur ſeptuaginta quinque anni, octennia reddunt quinquaginta nouem, & annos præterea tres. Cùm verò octauo cuique anno terni intercalantur menſes, conficitur annorum quindecim ſumma, paucis detractis diebus. Quos ſi ad quadringentos ſeptuaginta quinque addideris, hebdomadas ſeptuaginta conficies.* Hactenus quidem Africanus: eadem quoque ex Africano retulit ſanctus Hieronymus in 9. Danielis.

Theodoretus in Danielis 9. *Igitur à vigeſimo anno Artaxerxis filij Xerxis, vſque ad quintum decimum Tiberij Cæſaris, anni ſimul collecti quadringentorum ſexaginta nouem numerum conficiunt: & hi Hebraicos annos faciunt quadringentos octoginta tres: totidémque conficiunt ſeptem & ſexaginta duæ hebdomades. Sciendum eſt enim, quemadmodum Hebræi ſecundùm lunæ curſum numerantes annum, vndecim dies ſupereſſe domonſtrant, quos etiam nos intercalares vocamus: námque lunæ curſus viginti nouem diebus ac ſex horis conficitur, & ita numerantes, trecentorum quinquaginta quatuor dierum efficiunt annum. Cùm itaque Sanctus Archangelus, cum beato Danie-*

le viro Hebræo colloquens, ipsúmque docens annorum numerum, vſitatum omnino dixerit numerum, neceſſariò addendi ſunt anni illi, qui ex intercalaribus colliguntur; quibus additis, tres & octoginta ſupra quadringentos reperientur anni, totidémque colligunt ſeptem & ſexaginta duæ hebdomades.

S. Beda de ratione Temporum cap. 7. *Septima ſpecies, hebdomadis eſt, qua Propheta Danïel vtitur, more quidem legis, ſeptenis annis ſingulas complectens hebdomadas, ſed noua ratione ipſos annos abbreuians, duodenis videlicet menſibus lunæ ſingulos determinans: Emboliſmos verò menſes qui de annis XI. epactarum diebus adcreſcere ſolent, non lege patria tertio vel altero anno ſingulos adiiciens, ſed vbi ad duodecimum numerum augeſcendo peruenirent, pro integro anno pariter inſerens.. Hoc autem fecit, non veritatis cognitionem quærentibus inuidendo, ſed prophetiæ more ipſum quærentium exercendo ingenium: nalens vtique ſuas margaritas à filiis clauſas fructuoſo ſudore inueſtigari, quàm profuſas à porcis faſtidioſa deſpectione calcari.* Et poſt pauca: *Sed notandum quòd eaſdem hebdomadas non ſimpliciter annotatas ſiue computatas, ſed abbreuiatas aſſerit, occultè videlicet lectorem commonens, vt breuiores ſolito annos nouerit indicatos.* Et mox: *A vigeſimo anno regni Artaxerxis vſque ad Chriſtum ducem hebdomadas LXX. computa, hoc eſt annos duodenorum menſium Lunarium CCCCXC. qui ſunt anni ſolares CCCCLXXV.* Et ne quis exiſtimaret quòd Angelus peculiari ratione hîc numerarit ſeptimanas annorum lunarium, lunares annos Hebræis in vſu fuiſſe, addit: *Falluntur autem qui putant Hebræos annis talibus vſos, alioqui tota veteris Inſtrumenti ſeries vacillat, nec vllius ætas tanta, quanta ſcripta eſt, debet intelligi, ſed ad Lunæ curſum ſtringi.* Et hoc quidem pulchrè Beda.

Qui etiam lib. 3. in Eſdram cap. 17. ait: *Incipiunt ergo hæ hebdomadæ à vigeſimo anno Artaxerxis. Habent verò ſingulæ hebdomadæ annos ſeptenos, annos quadringentos & nonaginta, ſecundùm Lunæ curſum videlicet: ita dumtaxat vt vni ſinguli nouo & inſolito more, non amplius quàm duodecim menſes lunares habeant. Vnde conſultò Angelus ſeptuaginta hebdomadas non annumeratas, ſed abbreuiatas ſuper populum eius dicit: qui ſunt anni ſolares* 475.

Zonaras Annali 1. *A viceſimo anno regni Artaxerxis, vſque ad decimum quintum Tiberij Cæſaris ſumma conficit annos* 469. *qui quidem Hebraïca ſupputatione annorum conficiunt annos* 483. *Neque enim quemadmodum nos, ita & Hebræi annos ſupputant, ſed ad curſum lunarem diebus* 354. *abſoluunt, vt de quolibet noſtro anno dies vndecim redundent: qui dies redundantes in annos redacti, explent numerum* 483. *annorum Hebraïcorum. Quia verò cum Danïele Hebræo loquebatur Angelus, annos vtique illos notos nominauit.* Atqui de annis LXX. Hebdomadum lunaribus, eadem omnino eſt ſententia, Strabi Monachi in Gloſſa Ordinaria, & Anſelmi Laudunenſis in Interlineari Danielis 9. Ruperti in Danïelem cap. 6. Petri Comeſtoris in Hiſtoria Scolaſtica Danïelis 10. Brideferti Rameſienſis in Gloſſis ad cap. 7. Bedæ de Ratione Temporum, Alberti Magni, & Dionyſij Carthuſiani in Danielis 9. ex recentioribus, Pererij lib. 10. in Daniel. quæſt. 9. & lib. 11. 3. parte diſputationis de LXX. Hebdomadibus, Tornielli, anno mundi 3516. num. 6. Gordoni in Quæſt. Chronologicis cap. 15. num. 16. & ſequentibus.

Hebræos priſcos ab initio, & deinceps vſos anno Solari, & non Lunari ex ſancto Beda nuper vidimus, & magnis argumentis oſtendit Scaliger de Emendationibus Temporum lib. 2. pag. 79. & lib. 3. pag. 150. & ſeqq. editionis Francofurdienſis 1593. qui etiam exiſtimat Hebræos non niſi poſt Babylonicam captiuitatem annum lunarem in vſum recepiſſe. Vnde fortaſſis ſuſpicetur quis, Angelum cum Danïele loquentem annos lunares, qui tunc ab Hebræis vſurpari cœperant, Septuaginta Hebdomadum intellexiſſe: Sed Scaliger hæſitat, & poſt tempora potius Danielis vſurpatam lunaris anni formam Hebræis putat. Vide Torniellum, anno 2544. De anno lunari Hebræorum ſanctus Ambroſius lib. 4. Hexaëmeron cap. 5. *Luna per tricenos dies duodenis vicibus curſum conficiens, conſummat annum ſecundùm Hebræos, aliquibus diebus adiectis, ſecundùm Romanos, biſſexto ſimul intra quinquennium vnius diei adiectione celebrato.* Sanctus Anaſtaſius Sinaïta lib. 7. Hexaëmeron: *Hebræi quidem trecentorum quinquaginta quatuor ſolùm dierum annumerant.*

Quamuis exploratum ſit, in Scriptura ſacra, & apud Hebræos, menſes eſſe lunares, imò & lunationes dici, ex quibus lunaris annus exiſtit, at factam intercalationem, & adiectione, menſes lunares ad rationem anni ſolaris directos & conformatos tanquam ad amuſſim, ſolarem annum conficere & compleri ſolitos, vt etiam hoc tempore Hebræi obſeruant, non eſt dubium. Sanctus Baſilius homil. 6. in Hexaëmeron: *Luna quidem vbi duodecies curſum ſuum perfeceri, annum efficit: præterquam quod intercalari menſe ſæpè opus eſt ad exactiſſimum temporum agendum concurſum: quemadmodum Hebræi vetuſtiſſimo tempore, antiquiſſimique Græcorum olim annum metiebantur. Solaris autem annus eſt, cùm ad idem ſol punctum ſiue ſignum vnde profectus eſt ſuapte motione redierit.*

Quod ad Græcos attinet, Cenſorinus de Die Natali, cap. 15. hæc ſcribit: *Veteres in Græcia ciuitates, cum animaduerterent, dum ſol annuo curſu orbem ſuum circuit, lunam nouam interdum terdecies exoriri, idque ſæpe alternis fieri: arbitrati ſunt lunares duodecim menſes & dimidiatum, ad annum naturalem conuenire. Itaque annos ciuiles ſic ſtatuerunt, vt intercalando facerent alternos duodecim menſium, alternos tredecim.* Sed de Hebræorum anno Iunilius Afer in 1. Geneſis, hæc habet: *Luna quum duodecies ſpatia ſui curſus peregerit, annum facit communem dierum trecentorum quinquaginta quatuor: & vt anno ſolari poſſit concordare circuitus, tertio cuique vel ſecundo anno tertium decimum addit menſem, quem Emboliſmum vocant noſtri calculatores: & fit dierum trecentorum octoginta quatuor.* Hæc Iunilius, cuius quæ extant in Geneſim Commentaria, eius non eſſe, ſed potius Bedæ, cenſent Xyſtus, Bellarminus, Poſſeuinus.

Sanctus Beda de Ratione Temporum cap. 43. *Hebræi quidem qui ſolos Lunares in lege numerant, & obſeruabant menſes, iuxta naturalem Lunæ curſum tricenis, vndetriceniſque diebus communium annorum menſes terdenos explicabant, & tertio vel ſecundo vbi decebat anno, tertium-decimum in fine anni menſem triginta dierum opponebant Emboliſmum.*

At de ea intercalandi ratione apud Hebræos, vt lunaris annus ſolari æquaretur, egerunt pleniùs Galatinus lib. 4. Arcanorum cap. 4. aliqui recentio

rentiorum, vt Lilius Hyraldus lib.de Annis & menſibus. Carolus Sigonius lib. 3. de Republica Hebræorum, cap.1. Sa in 12. Exodi, verſ.2. Gordonus in Quæſtionibus Chronologicis cap. 19. num.9. & ſeqq. Ribera lib.5.de Feſtis Hebræorum cap. 2. Verum audi Genebrardum ad finem lib. 2. Chronographiæ, pag. 352. *Etſi enim menſes Scripturæ lunares ſint, eius tamen anni in ſolaribus haberi debent. Nam etiammum hodie Hebræi, tertio quoque anno, & interdum ſecundo, quando vſus expoſcit, vt ratio lunæ motui Solis reſpondeat, vnam lunam ſiue lunarem menſem intercalant, illúmque annum menſium tredecim, extremo (quem Adar nominant, & in noſtrum Februarium ferè incurrit) cum hac copula, Veadar, repetito, faciunt. Quanquam etiam primus poteſt repeti, vt menſis intercalaris ſiue inſititius ſit Veniſan, qui & Martius: ita enim ſolebant veteres dicere, vt Talmuditæ narrant. Sic Arabes Apud Ioannem Leonem in Deſcriptione Africæ, pag.42. nam ſex menſes habent triginta dierum, ſex, viginti nouem, qui reddunt dies 354. qui numerus à noſtro ſolari anno ſuperatur diebus vndecim. Qui quidem vndecim dies tertio quidem anno coniuncti conficiunt triginta tres, at eorum tres ſeruantur & reiiciuntur in ſequentes annos, quouſque luna & Sol decimo nono anno redeant ad idem punctum per ſex alios emboliſmos, ſiue per ſex alios menſes intercalatos, annis 6. 8. 11. 14. 16. 19. ſunt enim embolici. Atque ita Hebræi ſeptem emboliſmos ſingulis nouemdecim annis conſtituunt, nempe tres ſingulis octo annis. Nam in calculo decemnouennali Emboliſmus eſt ſeptem menſium.* Hactenus Genebrardus.

Addit his Torniellus in annalibus, an. mundi 2544. num. 9. *Sed qui exactius, clariúſque ſcire cupit quomodo iſta adæquatio anni lunaris cum ſolari fieret, ſcire debet, quòd cùm annus ſolaris maior lunari ſit vndecim diebus, Hebræi per annos decem & octo continuos, vnoquoque tertio anno lunari integram addebant lunationem, ſicque fiebat tertius quiſque annus tredecim menſium lunarium: & nihilominus aliqui ſemper reliqui erant dies. Nam in fine primi trienny (quoniam vndecim ter ducti faciunt triginta tres) relictis triginta pro illa lunatione addita, reſtabant dies tres: & in anno ſexto ſupererant dies ſex, & in nono nouem, & in duodecimo duodecim, & in decimoquinto quindecim, & in decimo octauo decem & octo. In decimo nono autem anno addebant aliam lunationem viginti nouem dierum, quæ reſultabat ex illis decem & octo diebus, qui in anno decimo-octauo remanſerant, & illis vndecim, qui in eodem anno decimo nono pariter exuberabant: Et ſic etiam annus decimus-nonus tredecim menſes continebat lunares: & in eius fine, ac initio vigeſimi deſinebant pariter, ſimulque inchoabant anni ſolares ac lunares. Et eadem ratione in ſingulis aliis decemnouennalibus cyclis, addito ſepties vno menſe lunari, modo proximè expoſito, anni lunares cùm ſolaribus æquabantur.*

Accedit his perſpicua ratio, quia niſi hæc fieret intercalatio, cùm per legem deberent Hebræi Verno tempore Paſcha celebrare, nempe quartadecima luna æquinoctij verni, neceſſe erat vt ſingulis annis vndecim ſemper diebus Phaſe ipſum anteuerterent; atque ita retrorſum verſus, Paſcha per omnes anni tempeſtates circumagerent, etiam hyeme, autumno, æſtate. Sed quòd ad annos LXX. hebdomadum attinet, eos accipiendos eſſe propriè ſolares, & non lunares, pleríque exiſtimant, Lyranus in 9.Danielis, Galatinus lib.4.Arcanorum Catholicæ veritatis cap. 14. Finus lib. 5. Flagelli Iudæorum, cap.5. Driedo lib.3. de Scriptur s Sacris cap.5. parte 4. Lucidus lib.7. de Emendat.Temporum, cap.3. Genebrardus ad finem lib. 2. Chronographiæ pag. 352. 353. 354. Veldius in Daniel. 9. Suarez diſp. 1. in 3. partem, ſect.2. Oſorius lib. 1. de vera Sapientia. Ergo diſcrimen erit quindecim annorum ſolarium: nam 490. anni lunares, ſunt 475. ſolares. Nos cunctis probè perpenſis, tametſi priorem opinionem non prorſus improbemus, magis tamen arbitramur LXX. Hebdomadas Danielis CCCCXC. annos ſolares comprehendiſſe: nam ſolares anni ſunt qui perpetuo tenore in reliqua chronologia Sacræ Scripturæ vſurpantur, & qui præcipuè in vſu apud Hebreos erant, vti diximus.

Nona difficultas, de termino Septuaginta Hebdomadum.

CAP. XVIII.

NVmquam dubitatum eſt apud Chriſtianos auctores LXX. hebdomades Danielis propriè ad Chriſtum pertinere, ac de ſalutari ipſius in mundum aduentu eſſe prænuntiatas: tamen vbi finis earum ſit iuſtè figendus, & quando prorſus completæ fuerint, variè à multis exiſtimatum. Duæ præ cæteris frequentiores ſunt opiniones, terminari LXX. Hebdomades vel in ipſam præfinitè mortem Chriſti, vel tertio aut quarto anno poſt mortem Chriſti: ſed cùm expreſsè dicat Angelus, vſque ad Chriſtum ducem futuras Hebdomades Sexaginta nouem, & poſt hebdomades Sexaginta nouem occidendum Chriſtum, & Chriſtum confirmatum pactum, hoc eſt, Euangelium, & Nouum Teſtamentum hebdomada vna, id eſt, illa vltima, & Septuageſima; & in dimidio hebdomadis defectura Sacrificia legalia, nimirum in ipſa morte Chriſti: quando prædicato & confirmato Euangelio à Chriſto per tres annos integros, & tres menſes, quod eſt dimidium Hebdomadæ Septuageſimæ, finem accêpere legalia ſacrificia Chriſto in Cruce expirante: videntur, iuxta ſinceriorem & meliorem Verborum Angeli interpretationem, terminari LXX. Danielis hebdomades, anno tertio poſt Chriſti mortem: Et cùm Chriſto, ſecuti meliores auctores & rationes, tribuamus vitæ triginta tres integros annos & tres menſes, quorum tres vltimi ſolidi, cum tribus menſibus aſſignandi ſint eius prædicationi, & confirmato pacto, relinquitur Chriſtum natum anno quinto completo Hebdomadæ LXV. labentis, quod & Romanum Martyrologium, & Vſuardi etiam habent, cùm aiunt, nam Chriſtum *Hebdomada iuxta Danielis prophetiam Sexageſima quinta.* Nimirum quinto eius anno expleto. Porrò cùm Hebdomadarum initium fixerimus anno primo. Cyri regis Perſarum, poſt euerſum Chaldaicum ſeu Babylonicum Imperium, diſſultant à primo Cyri anno ad Chriſti Natalem anni CCCCLIII. & ad mortem Chriſti CCCCLXXXVI. menſes I II. quæ fuit in dimidio Hebdomadæ Septuageſimæ, & vſque ad XXXVII. Chriſti, vbi finem accipiunt Hebdomadæ, CCCCXC. qui eſt numerus LXX. Hebdomadum.

Haud clam nos eſt, ductam à nobis chronologiam à caſu Templi, & Sedeciæ, ad Chriſti ortum per annos captiuitatis, & LXX. Danielis Hebdomadas, non carere magnis difficultatibus, & à

quibuſdam etiam irriſam & vltro deſpectam, quòd nec cum annis Regum Chaldæorum, Perſarum, Macedonum, Græcorum, Romanorum, nec cum Olympiadum rationibus vllo pacto componi & adaptari poſſit. Certè Scaligero audimus Prolegomenis in Canones Iſagogicos, & in Euſebianis pag. 85. & paſſim alias Cathari, Prophetæ, qui ſacram hiſtoriam temeramus, rationes temporum confundimus, cælum terræ miſcemus, cùm non ad humanæ hiſtoriæ, & exotica ſcripta ſacram Chronologiam conformamus. Quis neget id factu optimum eſſe, ſi fieri potuiſſet? Sed cùm annos Monarchiarum & Olympiadum inter ſe, & cum Sacræ Scripturæ rationibus componimus, tot exoriuntur nodi, perplexitates, ſcrupuli; imò & cùm annos ipſos exoticæ hiſtoriæ per ſe expendimus, verſamus, adeo incerta & nutantia omnia fluctuant, vt penè quiſque in deſperationem adducatur, certæ & exploratæ eruendæ chronologiæ. Ipſe Scaliger qui maiorem vitæ ſuæ & ſtudiorum partem in emendationibus temporum conſumpſit, potuítne hactenus vel ſibi, vel aliis ſatisfacere? Nec ſoli nos ſumus qui iterim ſepoſitis exoticis Monarchiarum & Olympiadum rationibus, nudæ & ſimplici Scripturæ Chronologiæ inhæſimus, eámque ex putis Scripturæ verbis iuxta appoſitiſſimam & ſimpliciſſimam interpretationem, collegimus. Fecit id Genebrardus, itidem & alij fecere: nec in tantis difficultatibus tutius aliud quidquam viſum; tentauiſſemus & nos ſacram cum externa, præſertim in hac parte, Chronologiam conferre: nam nec cura, nec labor, nec forte ingenium defuiſſet, ſi ſperauiſſemus operæ pretium aliquod laturos. Tantùm hîc ſubiicio verba Plutarchi in Numa, quæ ſunt: *Ceterùm ætates ad amuſſim exigere, haud promptum ſit, maximè ſi reducantur ad Olympionicas: quorum ſerò Breuiarium Elium Hippiam ferunt certis fultum argumentis edidiſſe.*

Fiximus initium Septuagenariæ Captiuitatis in caſu Templi, & undecimo Sedeciæ anno labente: finem poſuimus in primo anno Cyri; inde exorſi ſumus LXX. Danielis Hebdomades, nimirum vbi deſinerent LXX. Captiuitatis anni, inde exordium LXX. Hebdomadum ſumerent. Vtrumque validis ſacræ Scripturæ teſtimoniis, cum perſpicua, apta & cohærente interpretatione firmauimus. In abſtruſa, ac penè inextricabili controuerſia ampliùs præſtare non poſſumus. Illud ſaltem effecimus, ex noſtris rationibus haberi, ſacram Scripturam continuaſſe numerum annorum ab orbe condito ad Chriſtum naſcentem, ſine vlla interruptione per ſumma quædam & præcipua capita, ſeu epochas generales, vel periodos in ſacris litteris expreſſas: quamuis in ſubductione particulari per ſingulas partes, & ſingulari annorum enumeratione, & cum externis aliis Regum & Gentium Chronologiis collatione, aptatione, conciliatione ingentes & arduæ exiſtant difficultates: & nullibi magis quàm in ſupputatione LXX. Hebdomadum Danielis: de quibus ſi quis plura ſcire velit, adeat ex antiquis, Tertullianum libro aduerſus Iudæos cap. 8. Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromatum, Iulium Afticanum lib. 5. de Temporibus, Euſebium lib. 8. Demonſtrationis Euangelicæ, cap. 2. Seuerum lib. 2. Hiſtoriæ, ſacræ S. Cyrillum Ieroſolymitanum Catecheſi 12. S. Hieronymum in 9. Danielis, S. Chryſoſtomum oratione 2. contra Iudæos, Quintum Iulium Hilarionem libello de Mundi duratione, S. Proſperum de Prædictionibus Dei parte 2. cap. 35. S. Iulianum Epiſcopum Toletanum lib. 1. aduerſus Iudæos, Theodoretum in 9. Danielis, Zonaram Annali 1. S. Bedam de Ratione Temporum cap. 7. ex recentioribus innumeros, ſed qui præcipua cura diſſeruerunt, Ioan. Driedonem de Sacris Scripturis, cap. 5. parte 4. Ioan. Lucidum lib. 7. de Emendat Temporum cap. 3. Genebrardum lib. 1. Chronographiæ, pag. 166. Pererium in Danielem lib. 10. & 11. Suarez tomo 1. in 3. part. diſp. 1. ſect. 2. Torniellum in Annalibus Orbis, anno Mundi 3609. Gordonum in Quæſt. Chronologicis, cap. 15. num. 16. & ſeqq. Adde Scaligerum lib. 6 de Emendat. Temporum.

Contractæ igitur in vnum omnium partium ſummæ, quas accuratè per membra præcipua à mundi conditu ad Chriſti Natalem enumerauimus: nempe, Ab Adam ad Diluuium, anni MDCLVI. A Diluuio ad Abraham, CCCXXII. Ab Abraham ad Promiſſionem de Benedicto ſemine, LXXV. A Promiſſione ad Exodum Iſraëlitarum ex Ægypto, CCCCXXX. Ab Exodo ad inchoatum Salomonicum Templum CCCCLXXX. A Templo ad eius excidium, & Sedeciæ annum XI. labentem, CCCCXXX. A Templi & Sedecię Caſu ad primum Annum Cyri Regis Perſarum, euerſo Babylonico Imperio, LXX. A primo anno Cyri ad Chriſti Domini ſalutarem Natalem, CCCCLIII. reddunt à creatione mundi, ad Chriſti Natiuitatem, MMMDCCCCXVI. annos.

Ab Adam ad Diluuium,	1656.
A Diluuio ad Abraham,	322.
Promiſſionis,	75.
A promiſſione ad Exodum,	430.
Ab exodo ad Templum,	480.
A Templo ad eius caſum,	430.
A Templi caſu ad Cyrum,	70.
A primo Cyri ad Chriſtum,	453.
Summa	3916.

Atque hæc eſt noſtra epocha ab Adam ad Chriſtum, quantum ſtudio, cura, ingenio potuimus ex Sacra Scriptura perueſtigare.

Recentiorum Summæ diuerſæ annorum à mundi conditu ad Chriſtum.

CAP. XIX.

REcentiorum à procreatione mundi ad Chriſtum annorum rationes vtplurimùm non admodum inter ſe diuerſæ, nec immanibus interuallis diſtinctæ reperiuntur: vt magnum argumentum veri ſit, non admodum à vero diſtare. Percenſeam hîc aliquas, (nam omnes quî potero?) & eorum tantum qui in hac diatriba ſeſe exercuêre.

Onuphrius Panuinius,	6310.
Antonius Contius,	5508.
Lilius Gyraldus,	5200.
Franciſcus Georgius, Auguſtinus Steuchus, & Petrus Galatinus, Vulgatam Hebræorum rationem ſecuti,	3760.
Arias Montanus,	3766.
Gerardus Mercator, & Matthæus Beroaldus,	3928.
Ioſephus Scaliger, Vbbo Emmius,	3949.
Henricus Samerius & Cornelius à lapide,	3950.
Alexander Scutitetus,	3959.

Ioannes

Ioannes Lucidus, Christianus Adrichomius, 3960.
Antonius Beuter,& Ioannes Tilius, 3961.
Xystus Senensis, Christianus Massæus, Dauid Chythræus, 3962.
Ioannes Azorius, 3963.
Petrus Gallisardus, 3964.
Ioannes Functius, 3966.
Henricus Buntingus, 3967.
Cornelius Iansenius, Ioachimus Bucholzerus, 3970.
Leonhartus Krentzheim, 3971.
Petrus Galatinus aliàs, 3982.
Robertus Bellarminus, 3984.
Carolus Bovillus, 3989.
Iodoccus Coccius, 3998.
Paulus Palatius, Franciscus Suarez, Garsias Galarza,plus minusve, 4000.
Iacobus Gordonus, 4001.
Benedictus Pererius, Cæsar Baronius, Iacobus Gaulterius, 4022.
Augustinus Torniellus, 4051.
Sebastianus Barradius, 4085.
Arnaldus Pontacus, 4088.
Gilbertus Genebrardus, 4090.
Franciscus Ribera, 4095.
Nos vt prædiximus, 3916.

Aliorum alias,præsertim Nouatorum,summas recenset Samerius.

Num certò sciri possit annorum numerus à Creatione mundi ad Christi Natalem.

CAPVT XX.

SAnctus Basilius homilia 1.in Hexameron: *Etenim discere vtique possis, quo primum tempore constiterit mundi origo: siquidem ex hodierno die ad superiores retrogressus ætates, studio contenderis diem inuenire quo substitit primùm. Hoc enim pacto inuenies, vndè primaria illa motio accesserit tempori.* S. Philastrius hæresi 63. post Apostolos: *Alia est hæresis,quæ dicit,incertum numerum esse annorum ab origine mundi,& ignorare homines curricula temporum.* Non probant seueram hanc S.Philastrij censuram Alfonsus Castrus lib.1.de Hæresibus,verbo *Annus*, Ambrosius Catherinus in 1. Caput ad Hebræos, Hieronymus Vielmius lectione 5. de sex diebus conditi orbis. At Genebrardus lib.2. Chronographiæ,pag.551. *Mihi non displicet Philastrius, qui in hæreticis numerat eos, qui tempus annorum mundi ab orbe condito certò constare pronuntiant: perinde ac istos qui asserunt illorum numerum penitus esse incertum. Nam quòd parum distat, distare non videtur.*

Sed præcipuè difficultatem infert locus Ecclesiastici 1.vers.2. *Arenam maris,& pluuiæ guttas, & dies sæculi quis dinumerauit?* Lyranus interpretatur annos conditi orbis certò,& præfinitè,ac exactissima ratione citra controuersiam, sciri non posse: nam vidimus in his ingentes varietates, discordes sententias, diuersas penè omnium supputationes. Deinde in accipiendis & notandis Scripturæ annis, quis nouit num aliqui fracti, & diminuti pro integris sint numerati: num fracti omnino prætermissi: quæ res non parum Chronologiam turbat. Nihilominus coniecturis,& ratione probabili vtrumque sciri posse. Pererius initio cap. 1. Genesis, ait Ecclesiasticum dicere, dies, non annos: nam etsi anni sciri possint, quod conantur Chronologi, minutias tamen dierum,si forte qui in annis superant, aut deficiunt, quos solent negligere Chronologi, sciri non possunt. Sed *dies* hic non ambigo positum pro tempore, seu annis, phrasi Hebraïca peruulgata, quam exemplis illustrant Forsterus,Sanctes Mercerus,Marinus in Hebraïcis Lexicis, dictione *Iom.* Villavicentius, & Sà in Phrasibus Scripturæ.

Naclantus verò & Pererius aliam addunt interpretationem, Ecclesiasticum *dies sæculi*, intellexisse, non præteritos à creato sæculo: nam ij prodiți,etsi variè, Chronologis; sed futuros vsque ad mundi finem: quod tempus proculdubio mortalibus incognitum. Ego puto diuinum Auctorem, tantùm magnam difficultatem indicare voluisse perquirendi & statuendi numerum annorum mundi qui præterierunt, exemplo earum rerum quæ numeratu vel mensu difficillimæ sunt: nam sequenti hemistichio subdit: *Altitudinem cæli & latitudinem terræ & profundum abyssi quis dimensus est?* cùm tamen hæc certis se gradibus metiri quotidie demonstrent Astrologi & Cosmographi. Et sunt hîc expositiones Plinij lib.2.cap.102. & 108.

Existimo verò annorum mundi numerum certum omninò,& exploratum, citra peculiarem Dei reuelationem cognosci à nobis haud quaquam posse: at probabilem, & à vero & exacto calculo non plurimùm distantem rectè à nobis sciri & teneri, ac statui posse: vt sanè illum eruere in superioribus conati sumus.

Eruigij Hispaniarum regis temporibus feralis Iudæorum natio Christianis exprobrare ausa est, eos in annorum mundi supputatione falsos,plures multò numerare quàm iuxta Hebraïcam veritatem præterierint, ac proinde in tempore aduentus Messiæ deceptos,multo ante illud anticipasse, quàm reuera fuerit: & ante iustum & legitimum tempus Messiam recepisse, quum nondum aduenisset: Ad curtorum istam impietatem retundendam S.Iulianus Archiepiscopus Toletanus rogatu Eruigij regis singulare opus tribus distinctum libris conscripsit aduersus Iudæos: in cuius præfatione, ad eundem Eruigium ita disserit: *Horum igitur membrorum ad euitandam putredinem, linguas dixerim Iudæorum, qui promissum ex lege Christum Dei Filium, necdum adhuc natum fuisse putant, & alium adfuturum expectant, pestilentiosis obiectionibus garrientes,quod sumpta annorum supputatio ab initio mundi secundum Hebræorum codices quintam adhuc sæculi ætatem insinuent, & necdum adhuc Christum venisse, quem in sexta credunt ætate sæculi aduenire. Contra hunc, inquam, detestabilem impietatis errorem,manifestissimam cæcitatem, respondere me, Augustum caput,& mens serena tuæ Celsitudinis præcipit, breui admodum complexione libelli.* Et ad finem tertij libri, de annis conditi orbis hæc habet: *Ab initio itaque sæculi vsque ad tempus Natiuitatis Christi, quando quadragesimus primus annus Octauiani Cæsaris fuit,eueniunt anni MMMMMCCCXXV. Iam verò residuus annorum numerus,à tempore natiuitatis Christi vsque in præsens, in promptu est vnicuique, & scire si volet, & supputare si placet, assumptis videlicet annis secundùm æram ab ipsa Domini Incarnatione: æra enim inuenta est ante triginta & octo annos quàm Christus nasceretur: nunc autem acclamatur æra esse DCCXXIV. detractis igitur triginta & octo annis, ex quo æra inuenta est, vsque*

ad natiuitatem Christi, residui sunt DCLXXXVI. *anni. Reliquum igitur huius sextæ ætatis tempus, id est, à præsenti die vsque in horam ipsam finis sæculi, quot annorum spatiis protendatur, soli Deo est cognitum.* Et paucis interpositis : *Repetendum est igitur quod audistis : Ab initio enim mundi vsque ad Christum computatos diximus annos* VMCCCXXV. *quibus si addantur anni ab Incarnatione Domini* DCLXXXVI. *vsque in præsentem diem, id est, quando serenissimus Ernigius Princeps Imperij sui videtur habere annum septimum, computati sub vno* MMMMMMXI. *anni efficiuntur.*

Nec illud prætermittimus, iactasse quosdam Astrologos, annorum numerum à creatione mundi ad præsentem vsque diem, ex tabulis Astronomicis, cæleſtibúsque obseruationibus certò se posse deducere. Sed facilè vanitatis arguuntur. Primò, voluunt ac reuoluunt, plicant & explicant cælorum gyros tantùm pro suo cerebro ac phantasia. Secundò, Nulli magis inter se dissident quàm Astrologi. Tertiò, Tabulæ Astronomicæ non vnæ eædémque apud omnes : nec statui potest quænam sint aliis veriores, certiores. Aliæ sunt Ptolemæi, aliæ Daemdilud, Aliæ Dalmotabantij, Aliæ Alfonsi Regis, Aliæ Nicolai Copernici, &c. vt oporteat iuxta varias Tabulas, varias quoque fieri cæleſtium obseruationes. Quartò, Astronomicæ Tabulæ possunt esse falsæ, deprauatæ : quorsum enim sæpe correctæ, immutatæ ? Quorsum diuersæ apud diuersos ? Quintò, cur illum certissimum calculum ab orbe condito ad Christum, ex cælis Astrologi nondum deduxerint ? cùm ipsi magis quàm alij inter se dissentiant. Sed accipe quasdam summas à mundi initio ad Christum ab Astrologis obseruatas.

Albumasar,	5328.
Dionysius Exiguus Abbas,	4203.
Odiaton,	4320.
Aben Ragel,	5492.
Alfonsus Rex Hispaniæ,	6984.
Ioannes de Monte regio,	7000.
Petrus Aliacus,	5343.
Michaël Nostradamus,	3967.

Hebræorum traditio non nisi sex mille annis mundum staturum.

CAP. XXI.

CElebris semper apud Hebræos habita est Eliæ nomine traditio, totam mundi durationem sex millium tantùm annorum interuallo concludi : absolutóque sexto millenario, mundum finem accepturum. Rabbi Iacob filius Salomonis in collectaneis de Christo, è Thalmud, Tractatu Sanhedrin, capite Helec, interprete Genebrardo, hæc scribit : *Docet Domus* (id est, Schola, seu Academia, vel Secta) *Eliæ : Sex mille annis erit mundus : duobus mille inanitas : Duobus mille Lex : Duobus mille dies Messiæ. At propter iniquitates nostras, quæ multiplicatæ sunt, elapsi sunt ij quos præteriisse cernimus.* Scholion autem quod idem Rabbinus præfatæ traditioni adiecit, est huiusmodi : *Duobus mille inanitas, quoniam nondum Lex data erat, sed mundus erat veluti inanitas & chaos, à primo videlicet homine vsque ad quinquagesimum secundum Abrahæ. Sic enim numerari debent bis mille anni primi, quemadmodum ex Scriptura colligitur. Iam expletis illis duobus millenis annis occupauit se Abraham in Lege, quoniam legitur : Et animas quas fecerant in Haran. Quod Chaldaicè sic translatum legimus : Et animas quas Legi operati sunt in Haran. Præterea in vetustis Doctorum nostrorum scriptis hæc reperiuntur : Expletis in idolorum cultu duobus annorum millibus, illa ipsa hora Abraham agebat annum vitæ quinquagesimum secundum.*

Duobus mille Lex. Nempe ab hominibus quos Abraham & Sara Deo conuerterunt, vsque ad Christi aduentum. Quadraginta enim & octo anni vsque ad natiuitatem Isaac, & sexaginta donec nasceretur Iacob, efficiunt centum octo. Vixerat autem Iacob centum triginta annos cùm descendit in Ægyptum : ecce ducentos triginta octo. In Ægypto permanserunt nostri ducentis decem : ecce quadringentos quadraginta octo annos. Ab exitu eorum ex Aegyto, quousque ædificari cœpit Templum primum, quadringenti octoginta : sic quippe scribitur : Factum est anno quadringentesimo & octogesimo egressionis filiorum Israël de terra Aegypti, vt ædificare Salomon inciperet Domum Domini : sic existunt anni nongenti viginti octo. Hoc autem templum primum stetit annis quadringentis decem, vti Scripturæ ostendunt per numerum annorum Regum. Deinde Captiuitas durauit annis septuaginta : Templum secundum quadringentis viginti : exurgunt igitur anni nongenti : qui superioribus additi efficiunt duo annorum millia, demptis centum septuaginta duobus. Et certè totidem annis, id est, centum septuaginta duobus ante absolutum quartum ab orbe condito millenarium, diruta est à Romanis Ædes Domini. Itaque expletis illis centum septuaginta duobus, perfecta sunt duo annorum legis millia : de quibus hoc loco agitur. Non quòd alioqui desierit Lex post illum annorum numerum.

Duobus mille dies Messiæ. Debuit enim post expletos bis millenos annos Legis, aduenire Messias, & soluere captiuitatem Israëlis. At propter iniquitates nostras, quæ multiplicatæ sunt, Messias non adfuit ad extremum quarti illius millenarij, elabentibus vltra annis multis ; adhuc enim aduentus ipsius dilatus, retardatúsque est. Hactenus Rabbinus. Sed ô Messiam loripidem, & tardigradum, qui jam mille sexcentos viginti annos alumnis suis, suum differt aduentum ! ô verpi ter infelices, qui relicto vero Christo, falsum expectatis, recipietis falsum, nimirum Antichristum, quia verum repudiastis. Verum non vno tantùm loco, quasi rem ingentis alicuius momenti præfatam Eliæ traditionem Iudæi consignatam conseruant. Habent etiam eam in Thalmud, Ordine 4. Tractatu Sanhedrin, capite Helech, & Ordine 2. tractatu de Sabbato, & in Tractatu de Idololatria capite Libne : sed & nostri Recentiores plerique eiusdem traditionis vt celebris & peruagatæ apud Iudæos meminêre, Hieronymus à Sancta Fide lib. 1. aduersus Iudæos cap. 2. Galatinus lib. 4. Arcanorum cap. 20. Finus lib. 5. Flagelli contra Iudæos cap. 11. At hîc præterire non possumus ea quæ agens de hac ipsa Iudaïca traditione annotauit Matthæus Beroaldus lib. 2. Chronici, cap. 3. in hunc modum : *De qua traditione qui plura scire expetit, adeat Galatinum libro de Arcanis Catholicæ fidei quarto, cap. 20. Item legat Pugionem Martini Raymundi, cap. 10. secundæ Partis. Galatinus autem (vt hoc obiter moneam) Martini Raymundi scripta pro suis edidit, commutato rerum ordine, & argumento nonnihil variato, vt plagij possit accusari Galatinus, quod planum me facturum spero, si dederit Dominus, vt Pugionem ipsius Raymundi scriptum ad impiorum perfidiam iugulandam, maximè autem Iudæorum, in lucem*

profe

proferam. Is autem liber ſtudiis Hebraïcis maximè vtilis peruenit ad me ex Bibliotheca Franciſci Vatabli Mecœnatis mei, primi Hebraïcarum litterarum profeſſoris ſub Franciſco rege huius nominis primo, per quem Deus bonarum litterarum ſtudia reuocauit in Galliam. Ioſephus Scaliger.

Ceterùm cùm nomine Eliæ ea traditio circumferatur, diſquirendum eſt quiſnam fuerit iſte Elias auctor tam admirandæ ſententiæ. Exiſtimarunt aliqui fuiſſe Eliam prophetam illum Theſbitem, cuius præclara geſta diuina Scriptura prodit. Ita Stratonicus Cumarum Epiſcopus in Collectaneis, Franciſcus Georgius in Harmonia Mundi, Cantico 3. tomo 7. cap. 7. Lud. Viues in lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 7. Ioan. Picus lib. 7. Heptapli, cap. 4. Xyſtus Senenſis lib. 2. Bibliothecæ in Helia, & lib. 5. annot. 190. Hieronymus Vielmius Lect. 6. de ſex diebus conditi orbis, pag. 77. Sed poſtea pag. 85. rectè negat, ex Nouatoribus Ioannes Carion in præfat. Chronici, pag. 9. & lib. 3. Chronici, pag. 210. Alij verò non quidem Eliæ diuini Prophetæ vaticinium, ſed alterius cuiuſdam Eliæ Rabbini Cabbalici, aut Talmudici commentum illud de ſex mille annis durationis mundi fuiſſe contendunt, vt Dominic. Sotus 4. Sententiarum, diſt. 43. quæſt. 2. art. 2. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, initio. Guilielmus Fornerius in Notis ad Epiſt. 10. lib. 1. Caſſiodori, Leonardus Coquæus in lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 53. Hieronymus Magius lib. 3. de Exuſtione mundi, cap. 16. Martinus Delrius Commentariis in Senecæ Octauiam, num. 386. Matthæus Beroaldus lib. 2. Chronici, cap. 3. Pererius lib. 1. in Geneſim ferè extremo, Ioannes Bodinus in Hiſtorica Methodo cap. 8 extremo, Suarez tomo 2. in 3. part. diſp. 53. ſect. 4. Viegas in 1. cap. Apocalyp. Commentario 1. ſect. 2. & ex Nouantibus Reinerius Reineccius in Methodo Hiſtorica. At Hadrianu Finus lib. 5. Flagelli, & Petrus Coſtus in Typo Meſſiæ adſcribunt potius filio viduæ Sareptanæ ſocio ac diſcipulo Eliæ Prophetæ: hunc enim poſtquam ab Elia vitæ reſtitutus ex mortuo fuit, ſectatum Eliam ac Prophetam euaſiſſe produnt Hebræi: ex quorum quoque ſententia illud fertur, teſte S. Hieronymo in præfat. in Ionam, eundem ipſum fuiſſe Ionam Prophetam.

Vtcumque ſit, Vulgatæ huius traditionis apud Hebræos auctoritas, fidéſque in ſolidum in ipſum Thalmud refunditur, vbi deſcripta extat: quod opus eſſe omnium mendaciſſimum & blaſphemiſſimum nullus ignorat. Rationes verò & coniecturæ quibus ea traditio munitur, promuntur à Rabbi Iſaac in 1. Geneſ. Primò, Quia primus verſus Geneſis, qui continet ſummam totius fabricæ mundi, Hebraïcè ſexies litteram Aleph א continet, quæ in notis numerorum, mille ſignificat. Secundò, Sicut Deus ſex diebus mundum creauit, & ſeptimo requieuit: ita labor generationis humanæ, & mundi ſtatus, in ſex annorum millibus conſummetur, & ſeptimo millenario requieſcet: ſiquidem apud Deum mille anni, ſicut dies vnus. Tertiò, Senarius laboris & operis, ſeptenarius requiei & ſabbati tam in diebus, quàm in annis diuina lege ſtatuitur: ſex dies hebdomadæ ad opera exercenda conceduntur, ſeptimus requiei dedicatur: ſex anni agris colendis deſtinantur, ſeptimus Sabbaticus eſt: non mirum ergo ſi poſtquam ſex millibus annis mundus opere & labore exercetur: tandem in ſeptimo millenario ſabbatizet. Quartò, Sex primi parentes humani generis fundatores, Adam, Seth, Enos, Caïnan, Malaleel, Iared mortem obiere, ſeptimus verò Henoch viuit adhuc: ſic poſt ſex millenarios annorum, quibus labor & mors in mundo viguerit; ſeptimus millenarius erit vitæ, & beatæ ac immortalis quietis. Has coniecturas habet quoque Franciſcus Georgius loco citato, & retulit eas etiam Genebrardus.

Huc quoque ducere carmen Orphæi citatum à Platone, tametſi alio ſenſu

Ἑκτῇ ἐν γενέῃ καταπαύσεται κόσμον ἀοιδῇς.
Progenie in ſexta mundum cantare quieſcas.

annotarunt Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 2. & Reineccius in Methodo Hiſtorica.

Mundum ſpatio tantùm ſex millium annorum duraturum plerique Patres exiſtimaſſe videntur.

CAP. XXII.

EX Græcis, Auctor nomine S. Iuſtini Martyris, quæſt. 71. ad Orthodoxos: *Quandoquidem nonnulli de mundi ſtatu coniecturis ducti dixerunt, ſex mille annis tantùm illum duraturum eſſe: num verum hoc eſſe per argumenta euidentia, an ex diuinis litteris demonſtretur, atque etiam incertúmne id ſit, diſcamus. Reſponſio: Ex multis Scripturæ locis coniicere licet, veros eſſe qui dicunt, ſexies mille annorum eſſe præſentis mundi ſtatus tempora: cùm nonnunquam dicit; Extremis hiſce diebus locutus eſt nobis per Filium, quandoque: in quos termini ætatum inciderunt, aliquando: Vbi venit plenitudo temporis. Omnia enim dicta iſta, in ſexto prolata ſunt millenario annorum ordine.*

S. Ireneus lib. 5. aduerſus hæreſes, cap. 25. *Quotquot enim diebus hic factus eſt mundus, tot & millenis annis conſummatur. Et propter hoc ait Scriptura Geneſeos: Et conſummata ſunt cælum & terra, & omnis ornatus eorum. Et conſummauit Deus in die ſexto omnia opera ſua quæ fecit, & requieuit in die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis quæ fecit. Hoc autem eſt & antefactorum narratio, quemadmodum facta ſunt, & futurorum prophetia: Si enim dies Domini quaſi mille anni, in ſex autem diebus conſummata ſunt quæ facta ſunt: manifeſtum eſt quoniam conſummatio ipſorum, ſextus milleſimus annus eſt.*

Photius in Biblioth. num. 202. agens de S. Hippolyti Martyris Interpretatione Danielis, ait: *Ceterùm quòd Antichriſti aduentum (quando etiam mundi huius aſpectabilis interitus ſequetur) quem ne diſcipulis quidem rogantibus manifeſtauit Chriſtus, Hippolytus hic quingenteſimo poſt Chriſtum anno adſcribere auſus eſt: quaſi à prima mundi conſtitutione, ſex millibus annorum tum decurſis, eius interitus inſtaret: hoc ſanè calidioris quàm par ſit, animi eſt. Verùm hæc eius aſſertio humanam ignorantiam potius, quàm cæleſtem aliquam inſpirationem arguit.* Vide etiam ipſum Photium in Excerptis S. Methodij de creatis, num. 235. ad finem.

Andreas Cæſarienſis Epiſcopus in Apocalyp. cap. 54. enarrans verba illa cap. 17. *Et reges ſeptem ſunt, quinque ceciderunt, &c.* ait: *Beatus Hippolytus per hoſce reges ſæcula accepit: è quibus quinque iam præterierunt: ſextum in quo Apoſtolus hæc vidit, adhuc decurrit: ſeptimum autem, vt ille opinatur, poſt elapſa ſex annorum millia, tandem ſe prodet: vbi autem ſe prodiderit, parum durabit.*

S. Anaſtaſius Sinaïta lib. 7. in Hexaëmeron, initio: *Hinc nŏti quidam ex Antiquis Expoſitoribus,*

nempe ex eo quòd dixerit Moses, Deum cessasse die septimo, præoccupauerunt dicere, quòd ostendit fore, vt in septimo sæculo, hoc est, in septimo annorum millenario, fiat mundi consummatio. Ex Latinis verò.

Lactantius Firmianus lib.7. cap.14. *Cuius Iudicij propinquare tempus ostendam, vt & iustis merces digna soluatur, & pœna merita impiis irrogetur. Plato & multi alij Philosophorum, cùm ignorarent originem rerum, supremúmque illud tempus, quo mundus esset effectus, multa millia sæculorum fluxisse dixerunt, ex quo hic pulcherrimus mundi extiterit ornatus: sicut fortasse Chaldæi, qui (vt Cicero tradidit in libro de Diuinatione primo) quadringenta septuaginta millia annorum monimentis comprehensa se habere delirant: in quo quia se posse argui non putabant, liberum sibi crediderunt esse mentiri: Nos autem quos diuinæ litteræ ad scientiam veritatis erudiunt, principium mundi, finémque cognouimus. Sciant igitur Philosophi, qui ab exordio mundi sæculorum millia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum, quo numero expleto, consummationem fieri necesse est, & humanarum rerum statum in melius reformari. Cuius rei argumentum prius est enarrandum, quo ratio elucescat. Mundum Deus, & hoc rerum naturæ admirabile opus, sicut Arcanis Sacræ Scripturæ continetur, sex dierum spatio consummauit, diémque septimum, quo ab operibus suis requieuerat, sanxit. Hic est autem dies Sabbati, qui lingua Hebræorum à numero nomen accepit: Vnde septenarius numerus legitimus, ac plenus est. Nam & dies septem sunt, quibus per vicem reuolutis, orbes conficiuntur annorum, & septem stellæ quæ non occidunt, & septem sidera quæ vocantur errantia: quorum dispares cursus, & inæquales motus rerum, ac temporum varietates efficere creduntur. Ergo quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt: per sæcula sex, id est, annorum sex millia manere in hoc statu mundum necesse est: Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, sicut indicat Propheta qui dicit: Ante oculos tuos, Domine, mille anni tanquam dies vnus. Et vt Deus sex illos dies in tantis rebus fabricandis laborauit, ita & religio eius & veritas in his sex millibus annorum laborare necesse est malitiâ præualente, ac dominante. Et rursus, quoniam perfectis operibus, requieuit die septimo, eúmque benedixit, necesse est, vt in fine sexti millesimi anni malitia omnis aboleatur è terra, & regnet per annos mille iustitia, sitque tranquillitas, & requies à laboribus, quos mundus iamdiu perpessus est.* Et cap.25. *Iam superiùs ostendi, completis annorum sex millibus, mutationem istam fieri oportere, & iam propinquare summum illum conclusionis extremæ diem. Quando tamen compleatur hæc summa, docent ij qui de temporibus scripserunt, colligentes ea ex litteris sanctis, & ex variis historiis, quantus sit numerus annorum ab exordio mundi. Qui licèt varient, & aliquantum numeri eorum summa dissentiat: omnis tamen expectatio non amplius quàm ducentorum videtur annorum. Etiam res ipsa declarat, lapsum, ruinámque rerum breui fore.*

S.Hilarius can.17. in Matthæum, enarrans verba illa, *Et post dies sex transfiguratus est*, inquit: *Nam post dies sex gloriæ Dominicæ habitus ostenditur, sex millium scilicet annorum temporibus euolutis, regni cœlestis honor præfiguratur.*

S.Gaudentius Episcopus Brixianus serm.10. *Expectamus etiam illum verè sanctum diem septimi millesimi anni diem, qui aduenier, & post istos sex dies, sex millium videlicet annorum sæculi, quibus completis, requies erit veræ sanctitatis, & fideliter credentibus in resurrectione Christi.*

S.Hieronymus in Epistolari expositione Psalmi 89. ad Cyprianum, quæ est epistola 139. exponens versiculum, *Quoniam mille anni ante oculos tuos sicut dies externa quæ præteriit.* ait: *Ego arbitror ex hoc loco, & ex Epistola quæ nomine Petri inscribitur, mille annos pro vna die solitos appellari, vt scilicet, quia mundus in sex diebus fabricatus est, sex millibus tantùm annorum credatur subsistere, & posteà venire septenarium numerum, & octonarium, in quo verus exercetur Sabbatismus, & Circumcisionis puritas redditur.*

Quintus Iulius Hilarion libello de Durat.mundi: *Ac per hoc à fabricatione mundi, vsque ad passionem Christi Saluatoris nostri anni sunt VMDXXX. proinde ad conclusionem sex millium annorum, debentur anni CCCCLXX. Ergo à passione Christi, anni compleantur necesse est CCCCLXX. vt concludatur summa sex millium annorum: & septimo millesimo anno incipiente, fide vera credentes liberabuntur è mundo: tunc erit resurrectio prima omnium Sanctorum. De CCCC. & LXX. annis à passione Domini, in Consulatu Casarij & Attici, die IX. Kalend. Aprilis anni transierunt CCCLXIX. restant itaque anni CI. vt consummentur anni sex mille. Non antè complebuntur, nisi priùs propè vltimum Reges decem exierint in mundum, &c.*

S.Isidorus Hispalensis comment. in Genesim, cap.6. *Transactis enim sex millibus annis facto etiam iudicio, & renouatis cælo & terra, transferentur sancti in vitam perpetuæ immortalitatis.* Et in Exodum, cap.29. *In sex dierum opere sex millium annorum operatio continetur: in septimo verò requies illius beati regni, & tempus ostenditur.* Et lib.de Vocat. Gentium cap.15. *In opere enim sex dierum sex millium annorum opera demonstrantur. Mille autem anni apud Deum quasi vnus dies comparatur. Horum dierum sabbathum septimi millesimi anni tempus ac requies futuri regni ac sæculi est, vbi iam nulla erit operatio rerum, sed requies sola sanctorum.* Hæc S.Isidorus. Sed ista non esse sancti Isidori putat Ioannes Grialdus in Notis: assumenda potius existimat, nescio quam ob rationem.

Cassiodorus lib.1. Variarum, epist.10. *Sex millia denariorum solidum esse voluerunt: scilicet vt radiantis metalli formata rotunditas ætatem mundi, quasi sol aureus conuenienter includeret.* Satis indicat mundi ætatem sex millibus annis includi.

Ne ab hac sententia aliud S.Ambrosium deterruisse videtur, nisi quod iam suo tempore à mundo condito sex millia computaret annorum: sic enim ait in cap.9. Lucæ: *Sed Matthæus & Marcus post dies sex assumptos hos esse memorarunt. De quo possemus dicere, post sex millia annorum: mille enim anni in conspectu Dei, tanquam dies vna. Sed plures quàm sex millia computantur annorum.* Ambrosium scripsisse Commentarium in Lucam anno Domini CCCLXXVI. annotatum est Annalibus Ecclesiasticis Baronij: at cùm dicat iam computari suo tempore plusquàm sex millia annorum ab orbe creato, manifestè apparet sanctum Ambrosium ab exordio mundi ad Christum enumerasse VMDCXXIV. annos: quæ summa planè est immanis.

Iudicium

Iudicium de Sententia Patrum & Hebræorum, quæ volunt mundi totam ætatem non niſi ſex millium annorum eſſe.

CAP. XXIII.

SAnctus Auguſtinus eam ſententiam apertiſſimè redarguit, in Pſalm. 89. enarrans enim verſum illum : *Mille anni ante oculos tuos, ſicut dies heſterna quæ præteriit*; ita diſſerit: *Auſi ſunt homines præſumere ſcientiam temporum, quod ſcire cupientibus diſcipulis Dominus ait : Non eſt veſtrûm ſcire tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: & definierunt hoc ſæculum ſex annorum millibus, tanquam ſex diebus poſſe finiri : nec attenderunt quod dictum eſt, Tanquam dies vnus qui præteriit. Non enim quando hoc dictum eſt, ſoli mille anni præterierant. Et quod eos maximè debuit admonere, ne tempore luderentur incerto, illud eſt, Sicut vigilia in nocte : neque enim ſicut de ſex diebus aliquid veriſimile videntur opinati, propter ſex primos dies, quibus Deus perfecit opera ſua: ſic etiam ſex vigilias, id eſt, horas decem & octo poſſint illi opinationi coaptare.*

S. Iulianus Archiepiſcopus Toletanus lib. 3. contra Iudæos extremo, ita perfidos exagitat: *Reliquum igitur huius ſextæ ætatis tempus, id eſt, à præſenti die, vſque in horam ipſam finis ſæculi, quot annorum ſpatiis protendantur, ſoli Deo eſt cognitum. At nunc ſit gloria ipſi vnigenito Chriſto, Filio Dei, per quem repudiata interim manifeſtè pateſcit opinio illa veſtra vaniſſima, qua & ſextam adhuc ſæculi ætatem expectatis, & ſæculum iſtud in ſex millibus tantum annis ſtare confingitis, quos iam & ipſos tranſactos eſſe probabitis, ſi ſtudioſius attendatis. Repetendum eſt igitur quod audiſtis. Ab initio enim mundi vſque ad Chriſtum, computatos diximus annos 5325. quibus ſi addantur anni ab Incarnatione Domini 686. vſque in præſentem diem, ideſt, quando ſereniſſimus Eruigius Princeps Imperij ſui videtur habere annum ſeptimum, computati ſub vno, 6011. anni efficiuntur. Quos etiam ſi iuxta aliorum hiſtorias computare velitis, propenſiorem & maiorem fortaſſe annorum numerum comprobatis. Si, inquam, tranſactis ſex millibus annis, quid iam nunc Iudæorum falſitas agis? quando perdito regno, & ſacerdotio, traheris in errorem, & generationum neſciens ordinem, in ſolis annis tibi futuram collocas fidem.*

Et ſub initium libri 1. iſta iam dixerat : *Vbi iſta legiſtis quæ malitioſè confingitis? An forte ex illa opinione hoc dicitis, quæ in Pſalmo præſcribitur, vbi ait : Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies vna: vt ſicut ſex diebus factus à Deo mundus præſcribitur, ita quaſi ſex ætates in annis ſex millibus diſtinguãtur. Abſit. Dicimus quidem ſine errore, quòd ad inſtar ſex illorum dierum, ſex quoque ætates ſeculi diſtinguantur: ſed non dicimus, vt ipſæ ſex ætates, in ſex millibus annis determinentur, id eſt, vt vna quæque ætas millenario annorum tramite dirimatur. Dictum eſt enim, Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies vna. Quanquam etiam & ſecundùm numerum ſex dierum, ſex millibus annis ſecundùm iſtud à quibuſdam mundus ſtare credatur. Quod tamen & hoc ipſum, ſi ita eſſet, aut etiam ſi vnaquæque ætas millenis annis determinata fuiſſet, diſcipuli de fine ſæculi Dominum non quæſiſſent : ſcientes videlicet ſeculi finem certa annorum ſupputatione colligere, ac per hoc quòd ſupputatis annis ab initio mundi poſſent ſcire, nequaquam hoc à Domino conarentur addiſcere. Ceterùm videlicet apud ſe habentes, experimento retroactarum ætatum, quòd vnaquæque ætas per millenos annos decurreret. Quod etiam & Beatus Auguſtinus exequens, dicit : Auſi ſunt, inquit, homines præſumere ſcientiam temporum : quod ſcire cupientibus Diſcipulis Dominus ait : Non eſt veſtrûm ſcire tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate : & definierunt hoc ſeculum ſex annorum millibus, tanquam ſex Diebus poſſe finiri. Nec attenderunt quod dictum eſt, tanquam dies vna quæ præteriit. Non enim quando hoc dictum eſt, ſoli mille anni præterierant.* Hactenus S. Iulianus.

Aretas Cæſarienſis Epiſc. cap. 63. in Apocal. ex Commentariis Andreæ Cæſarienſis etiam Epiſcopi verba deſcribens, hæc ait : *Alij autem poſt ſex millium annorum expletionem, primam mortuorum reſurrectionem donari ſolis aſſeruerunt Sanctis : vt in hac terra, in qua tolerantiam oſtenderunt, deliciis & gloria mille fruantur annis, & poſt hoc vniuerſalem fore reſurrectionem, non iuſtorum tantùm, verùm etiam peccatorum. Quoniam igitur neutrum horum admiſit Eccleſia, ſuperuacaneum eſt etiam dicere.*

S. Beda de Ratione Temporum cap. 66. *Nullatenus tamen longiora vel breuiora quæ reſtant ſæculi tempora quis putet, memor ſemper Dominicæ ſententiæ. Quia de die vltima & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum, niſi Pater ſolus. Neque enim vllatenus ſunt audiendi, qui ſuſpicantur, huius ſæculi ſtatum ſex millibus annorum ab initio fuiſſe definitum : & ne contra ſententiam Domini venire videantur, addunt, incertum mortalibus quoto anno ſextæ millenariæ partis venturus ſit dies iudicij, cuius tamen aduentus, maximè circa terminum ſexti millenarij debeat ſperari. A quibus ſi quæris, vbi hæc putanda vel credenda legerint? mox ſtomachantes, quia aliud quid reſpondere non habent : Annon legiſti, inquiunt, in Geneſi, quia ſex diebus mundum fecerit Deus? Vnde meritò credi debet, eum plus minus ſex millibus annorum eſſe ſtaturum.*

Verùm ſanctus Auguſtinus eam de mundi ſex millium annorum duratione ſententiam non prorſus improbabilem exiſtimauit, lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 7. agens enim de Chiliaſtarum opinione, inquit : *Inter cetera, maximè numero annorum mille permoti ſunt, tanquam oporteret in Sanctis eo modo velut tanti temporis fieri ſabbatiſmum, vacatione ſcilicet ſancta, poſt labores annorum ſex millium ex quo creatus eſt homo, & magni illius peccati merito in huius mortalitatis ærumnas de paradiſi felicitate demiſſus eſt, vt quoniam ſcriptum eſt, Vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut vnus dies : ſex annorum millibus tanquam ſex diebus impletis, ſequatur velut ſabbati ſeptimus in annis mille poſtremis, ad hoc ſcilicet ſabbatum celebrandum reſurgentibus Sanctis. Quæ opinio eſſet vtcumque tolerabilis, ſi aliquæ deliciæ ſpirituales in illo ſabbato affuturæ Sanctis per Domini præſentiam crederentur : nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando.* Et poſt alia, addit : *Mille autem anni duobus modis poſſunt, quantum mihi occurrit, intelligi : aut quia in vltimis annis mille iſta res igitur, id eſt, ſexto annorum milliario tanquam ſexto die, cuius nunc ſpatia poſteriora voluuntur : ſecuturo deinde ſabbato quod non habet veſperam, requie ſcilicet Sanctorum, quæ non habet finem : vt huius milliarij tanquam diei nouiſſimam partem quæ remanebit vſque ad terminum ſeculi, mille annos appellauerit, eo loquendi modo quo pars ſignificatur à toto. Aut certè mille annos, &c.*

Recentiorum verò in hac re iudicia variant. Galatinus, Finus, Xystus nihil hîc temerè censendum in vtramuis partem existimant : sed rerum exitui ad posteritatem relinquendum , quodcumque temporum successio dabit : incerta enim in futurum seruari. Suarez putat eiusmodi opinionem esse incertam , nulla auctoritate & ratione probatam. Soto commentum nullius auctoritatis appellat. Petrus Tyræus de glorioſa Christi Apparitione iudiciaria , cap. 19. num. 9. temerarium iudicium vocat. Martinus Cantapetrensis lib. 3. Hyporypos. cap. 3. & Pererius eo argumento reiiciunt , quia si mundus sex millibus annis tantùm duraturus sit , computatis à rerum exordio annis ad præsentem diem , sciri etiam posset quantum temporis ad orbis consummationem reliquum sit. Bodinus coniecturam tantùm esse vult. Franciscus Georgius, & Paulus Palatius in 3. Habacuc, tametsi non vt vndequaque certam , at vt probabilem opinionem amplectuntur. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 3. ait : *Optima est moderatio D. Augustini , qui hanc sententiam probabilem putauit, & eam vt probabilem secutus est lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 7. Neque hinc sequitur nos scire tempus vltimæ diei : dicimus enim probabile esse mundum non duraturum vltra sex millia annorum , non autem dicimus id esse certum.* Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 4. *Definitam ergo & minutam annorum circumscriptionem reiiciamus : pronuntiatum autem Rabbini Eliæ vniuersè verum intelligamus : nam non carebit suo euentu in genere , præsertim cùm apud nos idem tradiderint Lactantius, &c.* Feu-ardentius in Notis ad S. Ireneum lib. 5. cap. 28. *Hæc Irenei sententia de mundi permansione , tot tantósque habet vindices , & confirmatores , ac plausibiles persuasiones , modò diuina, poteſtati nihil temerè præscribatur, vt in eam lubens descenderem.*

Equidem si affirmatè dicatur, mundum sex millibus annis tantùm duraturum, singulatim , membratimque distribuendo , vt duo millia sint Inanitatis, duo millia Legis, duo millia Messiæ : procul dubio sententia est falsissima , & prorsus intolerabilis, ac vt parcissimè censeam, temeraria : nam inde facilè præfiniri & sciri posset supremus annus mundanæ consummationis : neque enim vllus vnquam dubitauit à natali Messiæ ad hunc vsque annum quo hæc scribimus , præteriisse annos MDCXX. (nisi Iosephus Scaliger, qui duos amplius communi computationi , quam ipse Dionysianam vocat, adiicere voluit, insigni vanitate.) Restabunt ergo vsque ad finem rerum CCCLXXX. Attamen vniuersè sex millibus tantùm annis includi mundi ætatem, quamuis res sit incerta, propter auctoritatem nihilominus Patrum qui id scripserunt, non prorsus damnauerim : nam Ecclesiæ illa magna lumina ad eam dicendam sententiam nunquam existimauerim sine magnis rationibus accessisse. Nec inde certò sciri , cognoscíque potest mundi finis : cùm ratio annorum ab orbe condito adeo incerta & inexplorata hactenus sit, vt prædiximus. Quis verò neget probabili , quadam coniectura præsentiri vtcumque posse rerum occasum?

Illud monemus , debere quemuis eruditum & pium cumprimis cauere, ne præconcepta opinione de sex millibus mundi durationis annis , iuxta initam à se rationem annorum ab exordio rerum, audeat certò statuere præfinitum aliquod interitus mundi tempus : edoctus exemplo Lactantij Firmiani, & Quinti Iulij Hilarionis, qui in hac re insigniter delusi sunt : nam ille ducentis, hic centum & vno annis à mundi fine tantùm se abfuisse opinati sunt, vti cap. 22. Vidimus : quorum vanissimam opinionem tempus ipsum irrisit , quod plusquam mille annos vltra terminum ab illis præfixum, progressum iam est. Tentarunt id etiam nonnulli Recentiores, vt Steuchus in 24. Numerorum , Franciscus Georgius in Harmonia Mundi Cantico 3. tomo 7. cap. 7. Xystus lib. 5. Bibliothecæ, annotatione 190. & alij, sed doctrinæ duntaxat gratia , nihil decernentes. Etverò si ludere hîc libeat, iuxta summam nostram ab Adam ad Christum , quam diximus esse annorum 3916. ab hoc anno Christi 1620. quo hæc lucubramus , supererunt ad finem vsque sæculi 464. anni. Sed relinquantur hæc vt par est diuini pectoris arcano.

Non est hîc omittendum , quòd S. Germanus Constantinop. Episcopus in Theoria rerum Ecclesiasticarum, ad numerum illum sex mille annorum mundi ætatis à Patribus traditum, quingentos annos amplius adiecerit : sic enim scribit : *Quòd Pontifex obsignet populum id subindicat , futurum aduentum Christi anno sexies millesimo quingentesimo fore, ex supputatione digitorum, significante sexies millesimum quingentesimum. Id & Hippolytus è Roma, & S. Cyrillus dicunt in libris suis de Antichristo, anno sexies millesimo quingentesimo futurum aduentum fore : itemque Chrysostomus.* Vide quæ de his notauimus lib. 1. cap. 1. At quod ait Pontificem quum obsignat populum, digitos in supputationem numeri sexies millesimi quingentesimi conformare non facilè capio : puto tamen ex prisco more supputandi per digitos id esse acceptum. Verùm antiqui numerum sexies millesimum hoc digitorum positu indicabant : nimirum dextræ manus indice super mediam pollicis vertebram circumducto , expressa quadamtenus crucis effigie : quingentesimum verò, in eadem dextra, digitis minimo & annullari exporrectis ; medio verò , seu infami palmam versus inflexo. Quæ forma num solemnibus Episcopi benedictionibus satis aptetur , viderint alij. At de ratione supputandi, & figurandi varios numeros, ex vario digitorum gestu plures disseruere , S. Beda integro libello de loquela per gestum digitorum, & temporum ratione, qui habetur tomo 1. Operum eiusdem ; cui adiunctæ sunt Glossæ Bridferti Ramisiensis, & Notæ Ioannis Nouiomagi : ex recentioribus , Antonius Nebrissensis Tertia quinquagena cap. 15. & ad finem Quinquagenæ, Cælius Rodiginus Lectionum antiq. lib. 23. cap. 11. 12. 18. Pierius Valerianus lib. 37. Hieroglyphicorum, toto.

In Veteri Testamento solemnes benedictiones à Sacerdotibus fiebant extentis & eleuatis manibus , Leuit. 9. vers. 22. quem morem seruasse Christum, auctor est Lucas 24. vers. 50. Addunt Hebræi apud Galatinum lib. 2. Arcanorum , cap. 10. fieri consueuisse tribus digitis ambarum palmarum erectis & duobus depressis , ad significandum Sacræ Triadis mysterium. De qua re plenius egimus in libello de Nomine Dei Quadrilittero.

Audaces aliæ de mundi duratione sententiæ.

CAP. XXIV.

EXistimarunt aliqui mundum non nisi expleto anno illo, quem alij maximum, alij mundanum appellauêre , interiturum apud Paulum Riccium libello

libello de Motu octauæ Sphæræ, de Anno Magno. Macrobius lib. 2. in Somnum Scipionis, cap. 11. hæc annotat: *Annus verò qui mundanus vocatur, qui verè vertens est, quia conuersione plenæ vniuersitatis efficitur, largissimis sæculis explicatur. Cuius ratio est talis: Stellæ omnes & sidera, quæ infixa cælo videntur, quorum proprium motum nunquam visus humanus sentire vel deprehendere potest: mouentur tamen, & præter cæli volubilitatem, qua semper trahuntur, suo quoque accessu tam serò promouentur, vt nullius hominum vita tam longa sit, quæ obseruatione continua factam de cœlo permutationem, in quo eas primum viderat, deprehendat. Mundani ergo anni finis est, cùm stellæ omnes, omniáque sidera quæ aplanes habet, à certo loco ad eundem locum ita remeauerint, vt ne vna quidem cæli stella in alio loco sit, quàm in quo fuit: cùm omnes aliæ ex eo loco motæ sunt, ad quem reuersæ, anno suo finem dedere: ita vt lumina quoque cum erraticis quinque in iisdem locis & partibus sint, in quibus incipiente mundano anno fuerunt. Hoc autem, vt Physici volunt, post annorum quindecim millia peracta contingit. Ergo sicut annus Lunæ mensis est & annus solis duodecim menses, & aliarum stellarum hi sunt anni, quos supra retulimus: ita mundanum annum quindecim millia annorum, quales nunc computamus, efficiunt. Ille ergo verè annus vertens vocandus est, quem non solis, id est, vnius astri reditu metiuntur, sed quem stellarum omnium in quocumque cælo sunt, ad eundem locum reditus, sub eadem cæli totius descriptione concludit. Vnde & Mundanus dicitur, quia mundus propriè Cælum vocatur.*

Hæc Macrobius illustrans illa Ciceronis in Somno Scipionis: *Homines enim populariter annum tantummodo solis, id est, vnius astri reditu metiuntur. Cùm autem ad idem vnde semel profecta sunt cuncta astra redierint, eandémque cæli descriptionem longis interuallis retulerint, tum ille verè vertens annus appellari potest: in quo vix dicere audeo, quam multa hominum sæcula teneantur. Huius quidem anni nondum vigesimam partem scito esse conuersam.*

Sed & Censorinus de die natali, cap. 15. hæc habet: *Est præterea annus quem Aristoteles Maximum, potiùs quàm Magnum appellat: quem solis & lunæ, vagarúmque quinque stellarum orbes conficiunt, cùm ad idem signum, vbi quondam simul fuerunt, vna referuntur. Cuius anni hyems summa est Cataclysmos, quam nostri Diluuionem vocant: Aestas autem Ecpyrosis, quod est mundi incendium. Nam in his alternis temporibus mundus tum exigneſcere, tum exaqueſcere videtur. Hunc Aristarchus putauit esse annorum vertentium duûm millium quadringentorum octoginta quatuor. Aretes Dyrrachinus quinque millium quingentorum quinquaginta duûm. Herodotus & Linus decem millium octingentorum. Dion tredecim millium nongentorum octoginta quatuor. Orpheus centum viginti millium. Cassandrus tricies sexies centum millium. Alij vero infinitum esse, nec in se vnquam reuerti existimauerunt.*

Ioſephus tamen annum magnum ſpatio dumtaxat ſexcentorum annorum definiuit: agens enim lib. 1. Antiq. cap. 3. de diuturna vita primorum hominum, ait: *Tum propter ſtudium virtutis, tum propter vtilitatem inuentarum artium, vt Aſtronomiæ ac Geometriæ, Deus illis prolixiorem vitam largitus eſt, quarum certitudinem aſſequi non poterant, ſi minus ſexcentis annis vixiſſent: ex tot enim magnus annus conſtat.* Sexaginta alios adiicit Plinius Anno magno, lib. 10. cap. 2. vbi de Phœnice aue: *De eo prodidit Manilius, Senator ille, ſacrum in Arabia ſoli eſſe, viuere annis DCLX.* Et poſtea: *Cum huius alitis vita magni conuerſionem anni fieri prodit idem Manilius: iterúmque ſignificationes tempeſtatum & ſiderum eodem reuerti. Hoc autem circa meridiem incipere, quo die ſignum Arietis ſol intrauerit.*

Solinus in Polyhiſtore cap. 36. de eodem Phœnice: *Probatum eſt quadraginta & quingentis eum durare annis. Cum huius vita Magni anni fieri converſionem, rata fides eſt inter auctores, quamuis plurimi eorum, Magnum annum non quingentis & quadraginta, ſed duodecim millibus nongentis quinquaginta quatuor annis conſtare dicant.*

De vita Phœnicis Herodotus lib. 2. *Eſt & alia volucris ſacra, nomine Phœnix, quam equidem nunquam vidi, niſi in pictura: etenim perrara ad eos commeat, quingenteſimo quoque, vt aiunt Heliopolitani, anno: & tum demum cùm pater eius deceſſit.* Seneca Epiſt. 42. *Phœnix ſemel anno quingenteſimo naſcitur.* Pomponius Mela lib. 3. cap. 9. *Phœnix, vbi quingentorum annorum ævo perpetua dura'it, ſuper exaggeratam variis odoribus ſtruem, ſibi ipſa incubat, ſoluitúrque.* Tacitus Annal. 6. *De numero annorum varia traduntur; maximè vulgatum quingentorum ſpatium. Sunt qui aſſeuerent, mille quadringentos ſexaginta vnum interiici.*

Ælianus variæ hiſtoriæ lib. 6. cap. 58. *Phœnices alites abſque vlla calculandi arte numerum quingentorum annorum veluti ſapientiſſimæ naturæ diſcipuli computare norunt: neque vel digitis, vel alia re ad hanc cognitionem opus habent. Cuius autem rei gratia hunc numerum eos tenere oporteat, vulgatum eſt. At qui ex ipſis Aegyptiis, qui ſpatium quingentorum annorum confectum intelligat, aut nullus eſt, aut fortè vnus, vel quàm paucissimi, iique ex ſacerdotibus: nam inter hos quoque non facilè conuenit. Dúmque inter ſe contendunt, & alius ſacram hanc auem non nunc, ſed in poſterum aduenturam ait, alius iam aduenisse, vnus aliquis qui ſolus rectè intelligit, tanquam diuino ſpiritu ductus, ipſum temporis momentum, quo iam iam adeſt auis, demonſtrat.*

Aurelius Victor in Claudio: *Huius temporibus viſus eſt apud Aegytum Phœnix, quam ferunt volucrem anno quingenteſimo ex Arabia memoratos locos aduolare.* Philoſtratus lib. 3. de Vita Apollonij, cap. 14. *Auem quoque Phœnicem eſſe exiſtimamus, quæ quingenteſimo quoque in Aegyptum veniens, hanc ipſum Indiam ſuperuolat.*

Ouidius lib. 15. Metamorphoſeos:

Hæc vbi quinque ſuæ compleuit ſæcula vitæ, &c.

In quingentis vitæ Phœnicis annis conſentiunt etiam S. Clemens Apoſtolic. Conſtitutionum lib. 5. cap. 6. S. Cyrillus Ieroſol. catech. 18. S. Epiphanius in Anchorato, & in Phyſiologo, cap. 11. S. Ambroſius 5. Hexaëmeron, cap. 23. & de fide Reſurrectionis, paulò ante medium. Claudianus tamen in Carmine de Phœnice, mille annos viuere autumat.

Namque vbi mille vias longinqua retorſerit æſtas,
Tot fuerint hyemes, toties ver curribus actum, &c.

Auſonius epiſt. 20.

Nec quia mille annos viuit Gangeticus ales.

Portentoſa ſunt quæ de diuturna vita Phœnicis ſcribit Heſiodus apud Plutarchum de Oraculorum defectu, & Heſiodum imitatus Auſonius Edyllio 10. in ætatibus Animalium. Ioannes Tzetzes ex Cheremone Ægyptio tradit eum viuere ſex, & ſeptem mille annos.

Sed de Anno Magno plura Lilius Gyraldus lib. de Annis & Menſibus. Iam ad inſtitutum ſtylum reuocemus.

Apollinarius Daniëlis Hebdomadas interpretans, de

tans, de mundi duratione singularem protulit sententiam, quam S. Hieronymus in 9. Danielis ita describit : *Apollinarius Laodicenus omni præteritorum temporum se liberans quæstione, vota extendit in futurum & periculosè de incertis profert sententiam. Quæ si fortè hi qui post nos victuri sunt, statuto tempore completa non viderint : aliam solutionem quærere compellentur, & magistrum erroris arguere. Dicit ergo (vt verbum è verbo interpreter, ne calumniam videar facere non dicenti :) In quadringentis nonaginta annis, peccata & omnia quæ ex peccatis oriuntur vitia comprimenda : post quæ ventura sint, bona, & reconciliandum Deo mundum in aduentu Christi filij eius. Ab exitu enim Verbi, quando Christus de Maria generatus est virgine, vsque ad quadragesimum nonum annum, id est, finem septem hebdomadarum, Israëlis expectatam pœnitentiam. Postea verò ab octauo Claudij Cæsaris anno contra Iudæos Romana arma correpta. Tricesimo enim iuxta Euangelistam Lucam anno ætatis suæ cœpit in carne Dominus Euangelium prædicare : & iuxta Ioannem Euangelistam, per tria Paschata duos postea implenit annos. Et exinde sex Tiberij supputantur anni, & quatuor Caij Cæsaris cognomento Caligulæ, & octo Claudij, id est, simul anni quadraginta nouem, qui faciunt Hebdomadas annorum septem. Cùm autem quadringenti triginta quatuor anni post hoc fuerint euoluti, id est, sexaginta duæ hebdomadæ, tunc ab Elia (qui venturus est iuxta sermonem Domini Saluatoris, vt restituat cor patrum ad filios) in vltima hebdomada ædificandam Ierusalem & Templum per annos trés & semis, venturúmque Antichristum.* Sed tempus ipsum vanitatem Appollinarij confutauit, cùm à Claudio ad nostram ætatem plusquam mille & quingenti anni sint iam elapsi.

S. Philastrius hæresi 58. post Apostolos : *Putant ergo quidam, quòd ex quo venit Dominus, vsque ad consummationem sæculi, non plus, nec minus fieri annorum numerum, nisi trecentorum sexaginta quinque vsque ad Christi Domini iterum de cælo diuinam præsentiam. Quod contrarium inuenitur, si ita qui senserint : nam quadringentos iam plus annos transisse cognoscimus, ex quo venit Dominus, atque completos.* Si hæc genuina sunt S. Philastrij, cadant oportet quæ Latinius, & Baronius in Notis ad Martyrol. 18. Iulij, & Index Expurgatorius Romanus, pag. 132. & Scholium ad tom. 4. Biblioth. vet. Patrum, vltimæ editionis col. 32. annotant, S. Philastrium ante annum Domini quadringentesimum obiisse. Nec S. Gaudentius ait, migrasse superstite S. Ambrosio, quod est perspicuum Sphalma Baronij, sed Mediolani repugnasse Auxentio, priusquàm beatus eligeretur Ambrosius. Et cur post hæc non potuit superuiuere, & Ambrosio qui electus fuit anno 374. & vltra Domini 400.

S. Augustinus lib 18. de Ciuit. Dei, cap. 53. inanes alias de mundi duratione opiniones refert & refellit, in hunc modum disputans: *Frustrà igitur annos qui huic sæculo remanent computare, ac definire conamur ; cùm hoc scire non esse nostrum, ex ore veritatis audiamus. Quos tamen alij quadringentos, alij quingentos, alij etiam mille ab Ascensione Domini vsque ad eius vltimum aduentum compleri posse dixerunt. Quemadmodum autem quisque eorum astruat opinionem suam, longum est demonstrare, & non necessarium : coniecturis quippe vtuntur humanis, non ab eis certum aliquid de Scripturæ Canonicæ auctoritate profertur. Omnium verò de hac re calculantium digitos resoluit, & quiescere iubet ille qui dicit : Non est vestrum scire tempora quæ Pater posuit in sua potesta-te. Sed hæc quia Euangelistæ sententiæ est, mirum non est, non eâ repressos fuisse deorum multorum, falsorúmque cultores, quominus fingerent dæmonum responsis, quos tanquam Deos colunt, definitum esse quanto tempore mansura esset religio Christiana. Cùm enim viderent, nec tot, tantisque persequutionibus eam potuisse consumi, sed his potiùs mira incrementa sumpsisse, excogitauerunt nescio quos versus Græcos, tanquam consulenti cuidam diuino oraculo effusos, vbi Christum quidem ab huius tanquam sacrilegij crimine faciunt innocentem : Petrum autem maleficia fecisse subiungunt, vt coleretur Christi nomen per tercentos sexaginta quinque annos : deinde completo memorato numero annorum, sine mora sumeret finem. O hominum cordæ doctorum ! O ingenia litterata, digna credere ista de Christo, quæ credere non vultis in Cristum ! &c.* Multa quoque eiusmodi habet epist. 80. ad Hesychium, quæ tu consules. Et in Psalm. 6. ait : *Qui aduentus Domini ad iudicium computatis annis ab Adam, post septem annorum millia futurus creditur : vt septem annorum millia tanquam septem dies transeant : deinde illud tempus tanquam dies octauus adueniat.* Equidem octauũ diem Symbolum esse Resurrectionis, & perennis beatorum gloriæ, S. Beda lib. 1. in Lucam ita affirmat : *Octauus enim dies in Sacris litteris Resurrectionis gloriæ conuenit, quia Dominus octaua die, hoc est, post septimam Sabbati resurrexit : & nosipsi post huius sæculi ætates quasi in octauo die resurgemus. Vnde multi Psalmi* pro octaua, *scilicet die, inscribuntur : qui dies est vniuersalis resurrectionis.* Hæc S. Beda desumpsit ex S. Ambrosio lib. 5. in Lucam cap. 13. & lib. 7. cap. 2.

S. Vincentius Ferrerius epistola ad Benedictum XIII. *Secunda opinio est dicentium, tot annos futuros à Natiuitate Christi vsque ad finem mundi, quot sunt versus in Psalterio : ita quòd volunt dicere, quòd quilibet versus Psalterij est prophetia vnius anni à Natiuitate Christi vsque ad finem mundi : & sic primus versus scilicet,* Beatus vir, &c. *fuit prophetia pro primo anno Christi, & Secundus pro secundo, & sic deinceps.*

Simile huic delirium refert Pererius lib. 1. Commentariorum in Genesim, versùs finem, quorundam somniantium, sextam & vltimam mundi ætatem, hoc est, à Christo ad finem sæculi, tantum duratutam, quantum primam, ab Adam ad Diluuium, quæ fuit annorum MDCLVI. Quàm parum iam absumus à mundi occasu ! Vide Fridericum Lumnium de extremo Dei iudicio lib. 1. cap. 3.

Idem S. Vincentius ibidem scribit : *Opinio vna est dicentium, quod tantum temporis debet transire ab Incarnatione Filij Dei, vsque ad finem mundi, quantum præcessit à principio mundi vsque ad hanc ipsam Incarnationem. Et tales fundant suam opinionem super illud dictum Habacuc cap. 3. Domine, opus tuum in medio annorum, viuifica illud. In medio annorum notum facies.* Eandem opinionem refert Hadrianus Finus lib. 5. Flagelli aduersus Iudæos, cap. 8.

Nec illud tacemus, quòd Christianus Druthmarus Commentariis in Matthæi 16. prodit his verbis : *Maiores nobis scriptum reliquêre, quòd octauo Kalendas Aprilis fuit mundus factus, Dominus conceptus & passus : & similiter destruendus erit.*

Elucidatur vaticinium Habacuc 3. vers. 2. *Domine opus tuum in medio annorum, viuifica illud. In medio annorum notum facies.* cap. 25.

Aquila ; *In appropinquando annos viuifica ipsum.* Theodotion ; *In medio annorum viuifica ipsum.* Symmachus : *Intra annos reuiuiscere fac ipsum.* Chaldæus ; *Idcirco tu ostendes fortitudinem tuam in medio*

medio annorum in quibus dixisti te innouaturum orbem, vlciscendo impios, transgressores verbi tui : iustorum autem facientium voluntatem tuam cum miserationibus recordaberis. Hebræa totum locum ad verbum, *Iehueh opus tuum in interiori (intimo,* propriè *in propinquissimo) annorum viuere fac ipsum.(in vita conserua,* vel simpliciter, *serua reserua ipsum.) In interiori (propinquissimo) annorum scire facies.* Numeremus interpretationes.

Primò, *opus tuum,* id est, supplicium Chaldæorum,& euersionem Babylonici imperij, & translationem ad Medos & Persas per Darium & Cyrum *in medio annorum,* nimirum ab excidio Templi Salomonici,ad eius vsque instaurationem (nam Cyrum medio isto tempore,capta Babylone, Caldaïcum imperium ad se transtulit) *viuifica illud,* id est, opere comple,perfice.Ita Lyranus. Flagella & supplicia opus Dei vocantur,Isaïæ 28.vers.21.Monarchiarum & Regnorum euersiones opera Dei esse singulari eius concilio & prouidentia facta, docet Ecclesiasticus cap.10.vers.8.

Secundò,*opus tuum,* liberationem Israëlitici seu Iudaïci populi ab exilio Chaldaïco, quæ insigne Dei opus extitit, potenti eius manu patratum : *In medio annorum,* cùm tempus præstitutum aduenerit; *viuifica illud,* instaura,re ipsa exhibe. Ita Dionysius Carthusianus, Iansenius, Agellius, & Castrus.

Tertiò,*opus tuum,*ipsum Iudæorum populum, *in medio annorum,*captiuitatis Babylonicæ,dum captiuus manet, in annis quibus exulare cogitur, toto illo deportationis tempore : *aut in medio annorum,* quum subuertes Chaldæos per Cyrum, in medio tantæ deuastationis:*viuifica illud,* conserua in vita, saluum & incolumem : ne pariter ipse cum Chaldæorum cladibus abripiatur.Ita Kimchi, Sanctes, Vatablus, Clarius,Immanuel Tremellius,& Franciscus Iunius, Montanus, Gueuara,Figueirus, Castrus.Notum est Israëlem, seu Iuda populum Dei, in Scriptura dici opus Dei, opus manuum eius, Isaïæ 29. vers.23.45. vers.11.60. vers.21.64. vers.8. *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.* Verbum autem, חיה *Chiiah* in Pibel, conseruare in vita, saluum & integro rerum statu seruare,etiam significat.

Quartò,*opus tuum,* genus ipsum humanum : *in medio annorum,* in decursu temporum, post multos iam annos à sua conditione : *viuifica illud,* serua à morte peccati,& æterna libera, mitte liberatorem & seruatorem Christum.Ita Pintus in Danielem.2.& Ribera in Habacuc 3.

Quintò, *opus tuum,* humanæ redemptionis, vel Christum ipsum, *in medio annorum,* cùm venerit plenitudo temporis,*viuifica illud,* instaura, præsta, ede in lucem.Ita Eusebius Demonstr.Euang.lib.6. cap.15.S.Hieronymus in 3.Habacuc,S.Augustinus lib.18.de Ciuit.Dei,cap.32. & Recentiores, Titelmanus,Ribera, Sà, Agellius Castrus.

Sextò,*opus tuum,*passionem & mortem Filij tui, seu redemptionem humani generis, *in medio annorum.* Vitæ humanæ,nempe trigesimo quarto labente vitæ Christi, (nam humanæ ætatis sunt Septuaginta anni, teste Dauid,cuius fermè medium sunt triginta quatuor) *viuifica illud,* perficies, complebis.Ita Titelmanus.Hebræi promiscuè vtuntur Imperatiuis pro Futuris, & è contra, vt nos etiam Hispani.Exempla obuia,Ioan.21.vers.19 *Sequere me.* pro,sequeris me.Marci 14.vers.41. *Dormite iam & requiescite.* hoc est, dormietis postmodum & requiescetis:nam satis est quòd hactenus dormiistis.

Atqui Decalogi præcepta negantia constât Futuris pro Imperatiuis.Res est peruulgata,& à multis obseruata.Vide Sanctè in Hebraïcis Institut.li.3.c.12.

Septimò,*opus tuum,*Christum tuum,*in medio annorum,*trigesimo quarto ætatis eius,*viuifica illud,* à mortuis suscita.Vt sit vaticinium de Christi resurrectione.Ita S.Hieronymus,Strabus in 3.Habacuc, & Leo Castrus Apologetici lib.3.pag.283.

Octauò,*opus tuum,*id est,Ecclesiam tuam; *in medio annorum,*id est,in mediis tribulationibus,Antichristi præsertim; *viuifica illud,* id est, conserua. Ita Figueirus.

Nonò, *opus tuum,* Christum : *in medio annorum,* quia cùm mundus vti plerique dixêre,sex millibus annorum duraturus sit, omissis illis duobus millibus Inanitatis,quorum ratio nulla est habenda,nimirum quod inania sunt,Christus in fine duorum millium legis,& in principio duorum millium posteriorum,mundo se exhibuit.Nam natus putatur anno mundi quater millesimo:*viuifica illud,* facies eum viuere,nasci de virgine.Ita Paulus Palatius.

Huc referenda est illorum opinio, quam ex S. Vincentio præced.cap. recitauimus,asserentium ex hisce Habacuc verbis haberi, Christum venisse in medio annorum mundi,tótque præcessisse ab exordio rerum ad Christum nascentem, quot elapsuri sunt à Christi ortu ad mundi casum. Quid simile Maro innuisse visus est,forsan ex oraculis Cumeæ Sibyllæ mutuatus,cùm Augusto,cuius ætate Christus natus est,adulatur,Georgicorum 3.

Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæsaris,& nomen fama tot ferre per annos
Thitoni prima quot abest ab origine Cæsar.

Existimauit Bartholomæus Medina in 3.partem D.Thomæ, eam assertionem errorem intolerabilem continere : quod hinc sciri posset, quando futurus sit dies Iudicij. At iam superiùs ostendimus, non nisi coniecturis tantùm incertis id cognosci posse,propter incompertam adhuc annorum mundi rationem.

Quòd verò ait Propheta : *in medio annorum.* Sciendum, medium non semper in Scriptura sumi exactè & iustè pro æquali distantia extremorum; quod vocant medium Geometricum; neque medium in numeris ad regulas iustæ Arithmetices semper exigendum : sed Hebraïco idiotismo interdum poni pro,intra : vt Psalm.100.vers.7.*Non habitabit in medio domus meæ,qui facit superbiam,* id est, intra domum meam.Ieremiæ 50.vers.8.*Recedite de medio Babylonis.*4.Regum 4.vers.13.*In medio populi mei habito.*Genes.42.vers.5.*Et venerunt filij Israël ad emendum in medio venientium,* id est, inter alios venientes, vel simul cum aliis qui veniebant ad emendum. Annotarunt eiusmodi exempla Oleastrius in 1.Genes.Ribera in 3.Micheæ, Villauicentius in Phrasibus, verbo, *Medium.* Ita quoque, *in medio annorum,*id est,*intra annos,* vt Symmachus est interpretatus, in lapsu seu decursu annorum, cùm tempus opportunum aderit. Antonius Gueuara Commentariis in Habacuc exponit : *in medio annorum* cùm in præcipiti erunt mala,cùm ingruent vehementiùs pericula. Vult enim in Scriptura, in medio alicuius esse,interdum sumi,pro ab ipsa premi, & vrgeri maximè, vt circumfuso malorum æstu nullum euadendi superesit effugium.Sic Psalm. 22. vers.4 *Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis,non timebo mala.*Psalm.37.vers.7. *Si ambulauero in medio tribulationis.* Mentemque Habacuc hãc esse putat,vt Deum orer,suũ opus populũ Iudaïcum in mediis excidiis Chaldæorũ cinctũ vndiq; malis

conſeruet, ne ipſe quoque ſimul cum Chaldæis eodem calamitatum turbine proſternatur à Medis & Perſis. Sed parum ſolida nobis videtur explanatio illa particulæ, *in medio annorum*. Nam medium nihil eiuſmodi in Scriptura ſignificat, niſi cum adiuncto nomine calamitatum, aut malorum, quod hîc tamen non additur. Alienius eſt, quod Chriſtophorus Caſtrius interpretatur, in medio annorum. id eſt, in optimo annorum. *En lo mejor de los annos*: in optimis & deſideratiſſimis liberationis annis.

Scimus verò *eſſe in medio*, vel *habitare in medio*, duo interdum Hebræis ſignificare; Alterum, ex illis eſſe, illorum eſſe, vnum de cœtu illorum, vel familiarem, popularem eſſe. 4. Regum 4. verſ. 13. *in medio populi mei habitabo*. Exod. 29. verſ. 45. *Habitabo in medio filiorum Iſraël, eróque eis Deus*. Hoc eſt, ero eis popularis, familiaris. Alterum, regnare, rerum potiri, eſſe primarium, principem inter aliquos. Geneſ. 23. verſ. 10. *Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth*. Quòd ex Platonis etiam præſcripto princeps vrbem in qua degit, in medio regionis habere debet, vt ex æquo omnibus circumquaque poſſit occurrere. Vide Pierium lib. 15. Hieroglyph. & Villavicentium in Phraſibus. Sed hæ vſurpationes nihil ad inſtitutum. Liquet tamen Hebraïcum קרב *Kereb*. propriè eſſe, interius, intimum cujuſque rei, quaſi propinquiſſimum: atque, *in medio annorum*, fortè eſſe, in intimo ſeu in profundo annorum. Quaſi dicat, poſt multos annos elapſus, vel *in propinquiſſimo annorum*. Hoc eſt, ſtatim, quamprimum, proximis annis.

Explicantur Septuaginta Interpretes.

CAP. XXVI.

INterpretes initium Cantici Habacuc in editione Romana ita reddiderunt: *Domine audiui auditum tuum, & timui: conſideraui opera tua, & obſtupui. In medio duorum animalium cognoſceris: cum appropinquauerint anni, cognoſceris: cùm aduenerit tempus, demonſtraberis*. Duas poſteriores pericopes S. Ireneus lib. 3. aduerſus Hæreſes, cap. 18. ita effert: *in eo quùm appropinquauerint anni, cognoſceris: in aduentu temporis oſtendêris*. Tertullianus Aduerſus Marcionem lib. 4. cap. 22. *Domine, audiui auditum tuum, & extimui: conſideraui opera tua, & excidi mente. In medio duorum animalium cognoſcêris*. Euſebius lib. 6. Demonſtr. Euang. cap. 15. *Domine, audiui auditionem tuam, & timui: Domine, intellexi opera tua, & obſtupui. In medio duarum vitarum cognoſcêris: dum anni appropinquabunt, notus fies: dum aderit tempus, declaraberis*.

S. Hieronymus in 3. Habacuc: *Domine audiui auditum tuum, & timui: Domine conſideraui opera tua, & obſtupui. In medio duorum animalium cognoſcêris: cùm appropinquauerint anni, cognoſcêris: cùm aduenerit tempus demonſtraberis*. S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 32. *Domine audiui auditionem tuam, & timui: Domine, conſideraui opera tua, & expaui. In medio duorum animalium cognoſcêris: dum appropinquant anni cognoſcêris: in aduentum temporis oſtendêris*. S. Cyrillus Alexandrinus: *Domine audiui auditionem tuam, & timui, conſideraui opera tua, & obſtupui. In medio duorum animalium cognoſcêris: cùm appropinquauerint anni cognoſcêris: cùm aderit tempus demonſtraberis*. Theodoretus: *Domine, audiui auditum tuum, & timui: Domine, conſideraui opera tua, & obſtupui. In medio duorum animalium cognoſceris: cum appropinquauerint anni, cognoſceris: cùm aduenerit tempus demonſtraberis*. S. Iſidorus Hiſpalenſis libro de Natiuitate Domini, cap. 18. *Domine, audiui auditum tuum, & timui. In medio duorum animalium cognoſcêris: dum appropinquauerint anni, innoteſcêris: dum venerit tempus oſtendêris*. Iobius Monachus apud Photiũ in Bibliotheca, num. 298. *In medio duorum animalium cùm clamaueris, memoraberis: cùm appropinquauerint anni cognoſcêris*. Theophylactus: *Domine, audiui auditum tuum, & conterritus ſum; intellexi opera tua, & obſtupui. In medio duarum vitarum cognoſcêris: dum appropinquauerint anni, agnoſcêris: cùm aderit tempus demonſtraberis*: Euthymius: *Domine, audiui auditum tuum, & timui: Domine conſideraui opera tua, & ſtupefactus ſum. In medio duorum animalium cognoſcêris; dum appropinquant anni, cognoſcêris; dum aderit tempus, demonſtraberis*. Romanum Pſalterium: *Domine audiui auditum tuum, & timui; conſideraui opera tua, & expaui. In medio duorum animalium innoteſcêris: dum appropinquauerint anni, cognoſcêris; dum aduenerit tempus, oſtendêris*. Et ita quoque Eccleſia Romana legit in Tractu Paraſceues. Vocem. *Domine*, Secundo loco poſitam, *Domine conſideraui opera tua, &c.* Habent editiones, Cõplutenſis, Regia, & Roberti Stephani: item Euſebius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, Theodoretus, Euthymius: & S. Ephrẽ Paræneſi 43.

Et vt cetera omittamus, quæ noſtri inſtituti non ſunt, ſatis conſtat illud, quod Hebræa, & Vulgata habent, *in medio annorum viuifica illud*. LXX. diuersè admodum reddidiſſe. *In medio duorum animalium cognoſceris*. Seu, *innoteſcêris*. Cauſam diuerſitatis haud facilè eſt eruere: ſed hanc eſſe putamus, quod שנים *Sanim*, id eſt anni, vt nos habemus, LXX. eiſdem litteris, ſed aliis punctis legerint *Senaim*, id eſt, duo: & pro חייהו *Chaiyehu, viuifica illud*, traiectu litterarum, & ת *Tau*: ה *He*, legerint, חיזת Chaijoth, id eſt, beſtiæ; vel animalia: addidiſſe verò ad maiorem explicationem, per hypozeugma ex ſequenti hemiſtichio verbum. *cognoſcêris*: atque ita dixiſſe: *In medio duorum animalium cognoſceris*.

Sed procliuius eſt, quod Kimchius & Marinus annotant חייהו *Chaiyehu*, poſſe eſſe nomen cum affixo, pro חייו *Chaiyau*, hoc eſt, vitarum illius: nam ſimilis forma inuenitur Nahum 2. verſ. 3. hunc LXX. potuerunt accipere *Chaiyehu*, tanquam nomen cum affixo, in ſignificatu, vitarum, ſeu viuentium, vel animantium, aut animalium: omiſiſſe vero affixum, *eius*. vt ſolent omitti affixa, quæ vſu linguæ interdum abundant, vt etiam in Noſtro pronomen, *illud*; nam ad ſenſum non admodum neceſſarium erat. *In medio duorum animalium eius cognoſceris*.

Sciendum, Græcam LXX. Lectionem hoc loco geminam circumferri, quidam enim acuto accentu in prima legunt ζώων id eſt, animalium: alij accentu circumflexo in vltimâ, ζῶων id eſt, vitarum habent, quemadmodum Hebræa rectè exponi poſſe dudum ex Kimchio notabamus. Hanc poſteriorem lectionem ſequuntur Euſebius lib. 6. Demonſtr. Euang. cap. 15. Theodoretus & Theophylactus. Nec dubito quin ita legerit quoque S. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 12. quamuis Interpres Grodecius, *animalium*, interpretatus ſit, repugnante ſenſu Cyrilli, qui ita ait: *Audiſti rurſus Habacuc dicentem ad Dominum: Cùm appropinquabunt gentes, agnoſcetur. Et quod ſignum eſt, ô Propheta, venturi Domini? ille autem dicit deinde: In medio duorum animalium*

animalium cognoscetur. Hoc ad Dominum dicens manifestè, quia veniens in carne viues, & morieris, & resurgens à mortuis, viues rursus. Vides, vt ζωῶν, id est, vitarum legerit, & duas vitas Christi intellexerit, alteram qua primum homo natus est, alteram qua resurrexit, illam mortalem, hanc immortalem.

Ceterùm altera illa lectio, ζώων, id est, animalium, frequentior est, & magis vsu recepta, quam habent fermè omnes Græci codices LXX. qui nunc circumferuntur; præsertim nouissimi Romani: item Tertullianus, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Isidorus, Euthymius, Psalterium Romanum, & ipsa Romana Ecclesia in solemnibus precibus Natiuitatis, & Circumcisionis Domini, vt posteà ostendemus: item S. Prosper de Diuinis Promissionibus, parte 3. cap. 5.

Ribera existimat Septuaginta interpretes non aliter legisse aut intellexisse Hebræa, quàm nunc habent: sed spiritu diuino illustratos, quædam præter Hebraïca verba, indicandi alicuius mysterij causa adiecisse. Nam illud. *In medio duorum animalium cognoscêris.* Addiderunt ad indicandum mysterium, quũ Christus mox natus reclinatus fuit in præsepio, duorum animalium halitu confouendus. Pro illo verò Hebraïci contextus. *In medio annorum viuifica illud.* Ad sensum ipsi substituerunt, *Cùm appropinquauerint anni, cognoscêris.* Ad Christum scilicet apostrophantes. Sic alibi, cùm Dauid cecinisset Psalm. 95. vers. 10. *Dicite in gentibus quia Dominus regnauit.* Iidem LXX. diuino spiritu incitati, memorabilem illam atque adeò decantatam pericopem addidere, *à ligno.* At non dubitauerim, illud LXX. *Cùm appropinquauerint anni, cognoscêris.* Potiùs respondere illi Hebraïco. *In medio annorum notum facies.*

Leo Castrus lib. 1. Apologetici, pag. 282. existimat in hoc loco Habacuc duplicem esse lectionem & scriptionem Hebraïcam, alteram quam secuti sunt LXX. alteram quam Vulgatus noster expressit. Sed hic non alia ratione istud affirmat, quàm quòd sibi ita videtur, vana plerumque persuasione. Non est dubium Hebræa semper hoc loco eodem modo scripta, & fideliter ab Interprete vulgato reddita: LXX. verò Interpretes, aliis punctis, seu vocalibus ea legisse, vti prædiximus; & sensum adhibuisse mysterij plenum, quem Ecclesia & Patres suspiciant & laudent: nam ea est Scripturæ diuinæ fœcunditas, vt sub eisdem verbis diuersos sensus concipiat, non contrarios, sed eximios ac præclaros.

Iam cùm in LXX. duæ ferantur interpretationes, Et, *in medio duorum animalium.* Et *in medio duarum vitarum.* Vtramque elucidabimus. Quod ad primam attinet, Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem, cap. 22. de Christi Transfiguratione intelligit, sic enim interpretatur: *Domine audiui auditum tuum, & timui: quem magis quàm vocis cælestis illius? Hic est Filius meus dilectus, hunc audite. Consideraui opera tua, & excidi mente. Quo magis, quàm cum visa claritate eius, nesciit quid diceret Petrus? In medio duorum animalium cognoscêris. Moysi & Heliæ, de quibus & Zacharias vidit in figura duarum olearum, & duorum ramulorum oleæ. Nam hi sunt de quibus dictum est: Illi duo filij opimitatis assistunt Domino vniuersæ terræ.*

S. Hieronymus: *Quod dicit, In medio duorum animalium cognosceris, multi putant de filio intelligi & Spiritu sancto, eo quod Pater per Filium intelligatur & Spiritum. Quæ quidem & duo Seraphim in Isaïa, & duo Cherubim scribi interpretantur in Exodo, quæ contra se respiciunt, & in medio habent oraculum: & in Isaia, velantia caput & pedes Domini, in præsenti tantum sæculo valent: & alter ad alterum mysterium inclamet Trinitatis: & mittatur vnus de Seraphim (quod interpretatur ardens) & veniat in terram, & mundet Prophetæ labia & dicat: Ignem veni mittere super terram, & quàm volo vt ardeat! Hoc æstimant alij, & ad hanc interpretationem multis Scripturarum vtuntur testimoniis. Porrò simplex interpretatio, & opinio vulgi de Saluatore intelligit: quòd inter duos latrones crucifixus agnitus sit. Qui autem meliùs, hoc dicunt, quòd in prima Ecclesia, quæ de circumcisione fuit & de præputio congregata, duobus populis se hinc inde cingentibus, intellectus sit Saluator & creditus. Sunt qui duo animalia duo intelligant Testamenta, Nouum & Vetus: quæ verè animantia sint atque vitalia, quæ spirent, & in quorum medio Dominus cognoscatur.*

S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 32. *In medio duorum animalium cognosceris. Quid est nisi aut in medio duorum Testamentorum, aut in medio duorum latronum, aut in medio Moysi & Heliæ, cum eo in monte sermocinantium?* Eadem totidem verbis habet in oratione contra Iudæos & Paganos, cap. 13. tomo 6. operum.

Theodoretus: *In medio duorum animalium cognosceris. Hoc plerisque modis à quibusdam explicatur. Quidam duo animalia intellexerunt Angelos & homines: quidam incorporeas potestates diuinæ gloriæ vicinas Cherubim & Seraphim: alij Iudæos & Babylonios.*

S. Cyrillus Alexandrinus: *In medio duorum animalium cognosceris. Diuersa ratione quidam hæc interpretantur. Et alius quidem dixit, duo animalia vocari Spiritum & Filium, & in medio eorum cognosci Deum & Patrem. Quam ego interpretationem imperitam & deliram statuo. Quis enim dicere audeat ζῶον animal esse ζωὴν vitam, hoc est, Filium aut Spiritum S. potiùs enim vita est, quod viuificat: animal autem quod ab alio vitam accipit. Aliter quoque absurdum est, Patrem velut medium amborum intelligere, qui iuxta ordinem confessionis sanctæ & consubstantialis Trinitatis primus nominatur.* Et post alia: *Cognoscêris, inquit, ô domine, quid eris, nostrùm similis factus, nempe Propitiatorium, vt ex paradigmate seu exemplari in sancto Tabernaculo perspicuè cognoscêris: Stas enim in medio duorum animalium, hoc est, Cherubim, & nomen tibi Propitiatorium, & verus est sermo.*

Theophylactus: *Quidam hic non vitas, sed animalia per Prophetam dici intellexerunt, Cherubim videlicet gloriæ quæ obumbrabant Propitiatorium, alterum quidem à dextris, alterum à sinistris: è quorum medio diuina vox egressa, Principi Sacerdotum Dei voluntatem indicabat, quando in Penetrale ingrederetur. Est autem & Dominus Iesus assumpta humanitate Propitiatorium nostrum factus, vt Apostolus testatur, tanquam animam suam pro nobis ponens, nósque Deo Patri reconcilians. Quia verò Deus sub Cherubim stipatus manet; ideò dicit: O Domine, tu verò nostrùm Propitiatorium eris: te enim præsignificabat in medio duorum Cherubim stans legale illud Propitiatorium. Alij per duo animalia, Babylonios & Iudæos intellexerunt, quorum in medio iustitam facere cognitus est. Nouimus & alias allusiones, à quibus ob saturitatem abstinebimus.*

Euthymius: *In medio duorum animalium cognosceris: Per animalia, duo Cherubim intelligit, quæ ex vtraque parte Propitiatorij posita erant: in quorum medio Deus olim à Sanctis viris cognitus est, cùm ad eos loqueretur. Ait igitur, quòd Dominus ille, qui incarnandus est, cognoscetur interim in medio duorum Cherubim. Tu, inquit, in medio eorum cognoscêris, atque*

atque illic, tanquam Patri tuo æqualis, opportuna populo dabis responsa. Vel cognoscêris ab iis qui huiusmodi cognitione digni sunt. Et est futurum tempus pro præterito.

S.Isidorus lib.de Natiuitate, & Passione Domini,cap. 37. *Nam quòd inter duos latrones crucifigendus esset, longè ante per Isaiam prædicatum est. Et inter iniquos deputatus est. Et Habacuc propheta : In medio, inquit, duorum animalium cognoscêris : id est, in medio duorum latronum.*

At illa cum primis commendatur expositio, vt canat Habacuc magnum illud humilitatis exemplum,quo Christus recèns natus, & à sacra Virgine in præsepio reclinatus,inter duo animalia, bouem & asinum, quæ tunc ibi ad præsepe aderant, conspectus fuit. Ecclesia enim pia traditione à maioribus conseruat, Christum nocte suæ natiuitatis, in præsepio à Sanctissima Parente positum, vt Lucas testatur ; inter ora bouis,& asini,qui tunc ad præsepe pascebantur,infantulum iacuisse.Quam sanè traditionem haud obscurè Patres indicarunt, S.Cyrillus Ierosolymitanus catech.12.S.Gregorius Nazianzenus orat.de Christi Natiuitate,S.Gregorius orat. etiam de Christi Natiuitate, S.Hieronymus epist.27.ad Eustochium, S. Paulinus Nolanus Episcopus epist.11. ad Seuerum, Aurelius Prudentius in Cathemerinon,die VIII. Kalend. Ianuarij, S. Augustinus orat. aduersus Iudæos & Paganos, cap.13. S. Prosper de Promissionibus Dei, part.3. cap.5. S.Damascenus in Carmine de Christi Natiuitate, & alij. Atqui tunc impletum Isaïæ vaticinium,1.ver.3. *Cognouit bos possessorem suum,& asinus præsepe Domini sui*, iidem illi Patres annotarunt. Et quod maioris ponderis iure censeri debet, Romana Ecclesia eandem traditionem in sacris, solemnibus precibus consignauit : nam in festo Natiuitatis Domini canit : *O magnum mysterium, & admirabile Sacramentum! vt animalia viderent Dominum natum,iacentem in præsepio.* Et in Circumcisione Domini : *Domine,audiui auditum tuum, & timui : Consideraui opera tua,& expaui : in medio duorum animalium iacebat in præsepio, & fulgebat in cælo.* Hoc ipsum orthodoxus populus perenni consensione certum habet:hoc antiqua & noua pictura perpetuò exhibuit : vt de eo dubitare non sit integrum. Ex sensu igitur Ecclesiæ aptè recentiores, ita hunc locum interpretantur : *In medio duorum animalium cognosceris*,hoc est, bouis & asini in præsepio reclinatus nocte natiuitatis tuæ. Sic Titelmanus, Ribera in 3.Habacuc,Leo Castrus lib.3. Apologetici,pag.283.

Alteram verò LXX. Lectionem, *In medio duarum vitarum cognosceris*, variè multi exposuêre. Eusebius lib.6. Demonstr.Euang.cap.6. hæc disserit: *Saluator autem ac Dominus noster, ipsum vtique hoc Dei Verbum, in medio duarum vitarum cognitus est. Non enim duorum animalium est legendum, sed duarum vitarum. Duarum vna ergo vitarum, inquit, medius cognosceris. Cùm enim vna secundùm Deum sit vita, & altera secundùm hominem, & illa quidem mortalis, hæc verò sempiterna, meritò cùm vtramque expertus esset Dominus,atque eo modo venisset, in medio duarum vitarum esse cognitus dicitur, ex interpretatione quam Septuaginta ediderunt.Nam ex ea quam Aquila edidit, non item, sed sic : Dum appropinquant anni,viuifica illud.Sed quidnam est illud,nisi quod ait, opus tuum ? Theodotion verò ita ait : In medio annorum viuifica ipsum. Et Symmachus : Intra annos reuiuiscere fac ipsum, interpretatus est. Cùm igitur omnes, viuifica ipsum, dixerint : planè non de quibusdam veluti brutis, aut etiam ratione præditis animalibus, sermonem esse declararunt. Quapropter cùm apud Septuaginta sit dictum, In medio duarum vitarum cognosceris, non ex sententia eorum qui nos antecesserunt, hoc accepimus : sed duas eius, de quo prophetia loquitur, vitas significari diximus,vnam quidem diuinam,alteram verò humanam.*

S. Cyrillus Alexandrinus in 3. Habacuc : *Rursum alij duas vitas esse dixerunt (legentes ζωῶν, pro ζώων)Nouum & Vetus Testamentum,in quarum medio Christus cognoscitur.*

Theodoretus : *Mihi verò videtur non animalia, sed vitas Prophetam dixisse, præsentem & futuram: quarum medius Iudex iustus existit.*

Theophylactus : *In medio duarum vitarum cognosceris.Duæ vitæ sunt,& præsens & futura, quarum medius ipse Deus iustus Iudex demonstratur : alios quidem hic puniens, vel etiam glorificans, alios verò meritis suppliciis in futuro sæculo venturis, vel quietudinibus etiam recondens atque destinans.*

Euthymius : *Quidam vero dictionem Græcam ζώων, non accentu paroxytono,quæ, animalium, significat,sed circumflexo legentes ζωῶν, videlicet quæ, vitarum significat, per duas vitas, duas viuendi conuersationes, seu modos intelligunt : alteram nimirum iuxta antiquam legem, alteram verò iuxta Euangelium, in quarum medio Christus cognitus est : & tunc incarnatus, quando antiqua lex finem, & noua initium sumpsit.*

Antonius Agellius in Commentariis Cantici Habacuc nouam aliam affert explanationem, ait enim : *Solet Scriptura animalium nomine seu ζώων, castra & acies significare, vt 2. Reg.cap.23. Cùm in Hebraico sit, Animalia Philistinorum erant posita in valle gigantum. Beatus Hieronymus reddidit, Castra autem Philistinorum, & similiter Septuaginta, acies Allophylorum.Quin etiam ipsæ Hebraïcæ litteræ quod hoc loco dictum est,animalia Philisthinorum, in lib.1. Paralyp.cap.11.v.15. expositerunt per vocem* מחנה *Machaneh, quod est Castra. Duo igitur animalia duas acies seu congregationes intelligimus,inter quas Christus agnoscitur.* Deinde fusè demonstrat has duas acies, seu congregationes, fuisse Iuda, & Ephraim, nempe dissidium illud tribus Iudæ & Beniamin, à reliquis decem tribubus, quæ dictæ sunt Israël, & in ipsis figuratæ sunt gentes, inter quas Christus agnitus est,quod Iudæos & Gentes in vnam contraxit Ecclesiam,inter vtrumque populum ipse regnans.

Vocem חיה *Chaiah*, id est, Fera, animal, ζώων, interdum poni collectiuè, pro agmine, acie,exercitu, turma,quod in morem feræ deprædetur, annotarunt Mercerus, Marinus, Schinthlerus, in Lexicis 2. Reg. 23. v.13. Vulgatus *Castra* dixit : & vers.11. *Stationem.* Auenarius, *gregem* interpretatus est. Nec ambigo, vt est augusta Scripturæ fœcunditas, quin hoc loco reddi etiam possit ex Hebræo & LXX. *In medio duarum stationum,* vel, *In medio duorum gregum*, vel, *In medio duorum Castrorum, (agminum, acierum)*
Nempe aut Synagogæ & Ecclesiæ,
aut populi Iudaïci &
Gentilici.

***

Iam

Iam ipso Apostolorum tempore de fine mundi, & Antichristo instante à quibusdam trepidatum.

CAP. XXVII.

VIuentibus adhuc Apostolis & prædicantibus falsus tumor apud multos increbuit, finem sæculi, & Antichristum ipsum iamiam in proximo esse. Cui famæ occurrens Paulus 2. Thessal. 2. vers. 1. ita fideles præmonet: *Rogamus autem vos fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum: vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo. Quoniã nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c.* Subaudi, nõ veniet. Dominus ad iudiciũ.

In quem locum Theodoretus præf. in eandem. Epistolam: *Quoniam autem nonnulli etiam tentauerant Thessalonicensibus persuadere instare tempus consummationis, dicentes, hæc dixisse Paulum: de his quoque scribit, docens ea quæ conuenit.* Theophylactus: *Fuerunt enim nonnulli impostores, qui asseuerarent, iam instare tempus consummationis, aduentúsque Domini.*

Quòd verò Paulus ait, *Neque per epistolam, tanquã per nos missam.* De hac ipsa Epistola, hæc scribit Origenes in ea quam misit ad quosdam sibi charos in Alexandria: *Nihil mirum mihi videtur, si adulteretur doctrina mea ab inimicis meis, & tali adulterio corrumpatur, quali adulterio corrupta est epistola Pauli Apostoli. Quidam enim sub nomine Pauli Apostoli falsam epistolam scripserunt, vt conturbarent Thessalonicenses, quasi instaret dies Domini: & seducerent eos. Propter hanc epistolam in secunda epistola quam ad Thessalonicenses scripsit, hæc dixit: Rogamus autem vos, fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & per vestram congregationem in ipsum, vt non moueamini cito à sensu vestro, neque terreamini, neque per spiritum, neque per verbum, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Nemo vos seducat vllo modo. Talia ergo quædam video etiam nobis accidere.* Hanc Origenis epistolam à se Latinè conuersam, inseruit Rufinus libro suo de adulteratione librorum Origenis. Sed falsa interpretatione à Rufino deprauatam, queritur S. Hieronymus lib. 2. in Rufinum: qui inter alia ait: *Illa epistola tota Demetrium Alexandrinæ vrbis Pontificem lacerat, & in totius orbis Episcopos & Clericos inuehitur, & frustrà ab Ecclesiis excommunicatus se esse dicit.*

Obiter hîc notandum verba illa Pauli, *& nostræ congregationis in ipsum.* Græcè reddit posse, *Et nostram congregationem*, vel, *nostri aggregationem in ipsum.* Theodoretus optimè: *Hoc verò, nostræ congregationis in ipsum; significauit apertiùs in priori epistola: dixit enim fore, vt rapiamur in aërem, in nubibus cæli, in occursum Domini: & ita semper cum Domino erimus. Hoc autem dixit etiam Dominus in Euangeliis: Et mittet Angelos suos, & congregabunt electos à quatuor ventis, a summis cælorum, vsque ad terminos eorum.* Eodem modo interpretantur S. Chrysostomus, & omnes ferè recentiores. Erasmus, quem sequitur Iustinianus, annotat, *in ipsum*, non referri ad Christum, sed ad aduentum. Sed meliora exemplaria habent, ἐπ' αὐτὸν, & ad Christum referunt ferè omnes alij. Forsterus in Lexico, in Themate קחל *Kaal*, agens de significato vocis יקהת *Ikehah*, quæ ponitur Genesis 49. vers. 10. ait: *Hanc ego vocem à verbo* קחל *Kaal deductam, duo significare arbitror. 1. in Genesi 49. Ecclesiam, concionem, aggregationem populorum voce & prædicatione Euangelij ad Christum aggregandam. Quemadmodum & Paulus hac phrasi, ac voce delectatus est, & eam ad secundam & futuram ad Christum nostri aggregationem refert 2. Thessalon. 2. inquiens: Rogamus autem vos fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostri aggregationem in illum, &c.* Eadem verbatim transcripsit Mercerus in radice יקהת Iakah. Sed ad seriem redeamus.

Imperatore Tito Vespasiano, propter horrendam Vesuuij montis in Campania, flammis è terra erumpentibus, conflagrationem, metu omnibus conterritis, existimatum à multis cum Gentilibus, tum Christianis orbem iam supremo incendio consumi, finémque rerum adesse. Dio Cassius scriptor insignis affirmat, cuius verba lib. 66. è Xiphilino subiicio: *Per idem tempus accidêre in Campania horribilia quædam, quæ magnam admirationem habent. Nam sub autumni tempus ingens incendium repente excitatum est, eóque mons Veseuus conflagrauit. Vesuus autem mons mare spectat ad Neapolim, habétque fontes ignis perennes. Ac olim quidem ex omni parte pariter excelsus erat, & tunc ex medio eius ignis extitit. Nam ea parte tantùm exustus est: extrinsecus enim intactus integérque permanet ad hæc tempora. Ex quo fit, vt quum ignis externas partes non exurat, eáque quæ sunt in medio consummantur igni, redigantúrque in cineres; vertices qui circum sunt, vsque adhuc veterem altitudinem habeant, & quæ pars igni consumpta est, dum in se cõit, concaua facta sit: ita vt totus mons (si licet paruæ cum magnis conferre) formam habeat amphitheatri.*

Culmina montis eius multas arbores habent, vitésque: ipse interius circuitu propter ignem decliuis est, vtque fumum interdiu, ita noctu flammam reddit, ita vt in eo suffimenta cuiusuis generis fieri semper videantur. Quod cùm ita se habeat, nec semper eodem modo, id magis aliquando, interdum minùs facit. Ad hæc & cinerem nonnunquam proiicit, quoties simul aliquid subsidit, emittítque saxa, facto impetu ventorum: tum resonat, mugítque, quòd minimè densas atque constipatas, sed raras & occultas respirationes habet. Cùm igitur Vesuus eiusmodi sit, hæc in eo quotannis ferè fieri solent. Quæ cùm illis temporibus præter morem euenerint, magnáque adhuc esse videantur iis qui ea semper inspiciunt; tamen licet omnia simul cum cæteris quæ tum quoque euenerunt comparentur, parua habeantur necesse est.

Ita verò res acta. Viri multi & magni omnem naturam humanam excedentes, quales exprimuntur & pinguntur Gigantes, partim in ipso monte, partim in agro circumiacente, ac in proximis ciuitatibus, interdiu, noctúque terram obire, atque aëra permeare visebantur. Post hæc consequuta est maxima siccitas, ac repente ita graues terræ motus facti, vt & omnis ea planities feruore quodam succuteretur, & culmina, montium subsiderent. Ad hæc sonitus tum subterranei tanquam tonitrua, tum super terram mugitibus similes extiterunt. Dein mare simul fremere, omne cælum vnà sonare, ingénsque & repentinus fragor, quasi montes simul considerent, exaudiri. Tum exilire primùm immensi lapides, & ad summos vertices peruenire: Deinde magna copia ignis, fumique, ita vt omnem aërem obscuraret, occultarétque solem non aliter, quàm si defecisset. Igitur ex die nox & tenebræ ex luce factæ erant, putantibus nonnullis, gigantes

gigantes seditionem inter se facere, quòd multæ imagines eorum in fumo conspicerentur, quódque clangor tubarum audiretur.

Alij existimabant, aut mundum in chaos redigi, aut igni consumi: Ob eámque causam properabant alij ex ædibus in vias, alij de viis in ædes confugere, atque è mari in continentem, & ex continenti in mare se recipere. Alij conturbati, ea quæ nondum venerant, existimare tutiora rebus præsentibus. Tanta verò erat copia cineris, vt terram, maréque, atque adeò ipsum aërem compleret. Quæ res multa damna, vt cuique sors tulit, importauit: non solùm hominibus, prædiisque, ac pecoribus; sed etiam pisces, volucrésque omnes peremit, duásque integras vrbes Herculanum, & Pompeios, populo sedente in Theatro, penitus obruit. Postremò tantus fuit cinis, vt inde peruenerit in Africam, Syriam, & Aegyptum, introieritque Romam, eiúsque aërem compleuerit, & solem obscurauerit. Nec mediocris etiam Romæ trepidatio complures ad dies accidit, quum omnes ignorarent id quod factum erat in Campania, nec quid esset, coniectura assequi possent. Itaque etiam ij putare cœperunt, omnia sursum deorsum ferri, solémque in terram delapsum extingui, ac terram in cælum conscendere. Quamquam autem hic cinis non tunc statim attulit grauia incommoda Populo Romano, tamen posteà morbum pestilentem & grauem immisit. Hactenus Dio. Egerunt quoque de hoc Vesuuij incendio Suetonius in Tito, cap. 8. Plinius Iunior lib. 6. epist. 16. & 20. Aurelius Victor in Tito, Eusebius in Chronico, Orosius lib. 7. cap. 9. Paulus Diaconus lib. 9. Miscellæ, cap. 10. Periisse eo incendio Plinium magnum illum naturæ mystem, nepos eius ad Cornelium Tacitum accuratè describit.

Vides, vt visa tam horribili Vesuuij conflagratione crediderint plerique mundum in chaos redigi, aut igni consumi, & Plinius etiam lib. 6. epist. 20. *Multi ad deos manus tollere: plures nusquam iam deos vllos, æternámque illam & nouissimam noctem mundo interpretabantur.* Id quidem ex vetusta apud Gentiles opinione, mundum aliquando immensis ignibus conflagraturum, tandémque absumendum, quam vocarunt *mundi ecpyrosim*: de qua re testimonia Sibyllarum, Poëtarum, ac Philosophorum complura collecta sunt à Lactantio de ira Dei, cap. 23. & à recentioribus, Steucho de perenni Philosophia lib. 10. cap. 29. Xysto lib. 3. Bibliothecæ, Lipsio in Physiologia Stoica lib. 2. cap. 22. & 23. Delrio in Octauiam Senecæ, num. 382.

Aliud simile Vesuuij incendium contigit anno Domini CCCCLXXII. de quo Marcellinus Comes in Chronico: *Indictione X. Marciano & Festo Consulibus, Vesuuius mons campaniæ intestinis ignibus æstuans exusta euomit viscera, nocturnísque in die tenebris omnem Europæ faciem minuto contexit puluere. Huius metuendi memoriam cineris Byzantij annuè celebrant 8. Idus Nouembris.*

Procopius lib. 2. Belli Gotthici, cap. 4. *Per idem tempus & Vesuuius mons emugierat quidem, sed haud dum cineres eructarat, tametsi ex eius mugitu eructaturus iam credebatur, vnde & proximos accolas formidine ingenti affecerat. Hic mons a Neapoli stadiis abest septuaginta, in eámque vrbem vergit, & boream versus: sed præcisus ille vndique est, inferiora eius frequentibus siluis vmbrosa, superiora verò abrupta & penitus inuia. Huius in montis cacumine medio hiatus profundior patet, ita vt coniectari sat possit, in penitissima terræ hunc penetrare, ignémque ex infima parte existere quiuis poterit conspicari qui in eius voraginis supernum os procumbere ausit. Vnde & flamma in sémet fota altiùs excitatur, nulli tamen qui ea in regione sunt hominum negotium exhibet. Veruntamen vbi sonitum mugienti similem mons ediderit, non longè post cineris vim quandam ingentem emittit: & si quem fortè iter eâ habentem emissus cinis deprehenderit, nulla huic erit vitæ spes reliqua.*

Quod si in domicilia is forte sublatus cinis inciderit, & hæc quidem nimio degrauata onere collabuntur. Porrò si validior tum ingruerit ventus, sublimem adeò cinerem agit, vt spectari ab homine non amplius queat: & eò defertur, quò procliuior ventus abstulerit, in longinquam plerumque delatus regionem illabitur. Ferunt námque quum in Byzantium semel cinis hic recidisset, sic eius loci homines terruisse, vt ex eo tempore ad nostram ætatem annuis Deum supplicationibus placent. In Tripolique item Libyæ, altero & subsequenti anno illapsum affirmant, & ante centesimum annum eodem in monte mugitum factum, & hunc alterum paulò post subsequutum. His præterea mirificè factis affingunt, hoc ipso in Vesuuio monte, si ea rursum cinerum eructatio fieri contigerit, necessarium fore omnino, eâ in regione loca omnium frugum iacturam vt subeant. Eo in monte aër quidem nitidissimus est, & suapte natura omnium saluberrimus. Ad hunc montem & Medici diutina tabe affectos transmittunt. Hæc Procopius.

Cernis vt Marcellinus & Procopius conueniant de instituta Constantinopoli annua memoria metuendi cineris è Vesuuio monte in illam vrbem delapsi. Hodie periisse illius cultus instaurationem ex Menologiis Græcorum, annotauit Scaliger in Eusebianis, pag. 184.

De alia quoque Vesuuij conflagratione agit Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 4. variarum epist. 50. sic scribens ad Faustum Præpositum: *Campani, Vesuuij montis hostilitate vastati, clementiæ nostræ supplices lacrymas profuderunt: vt agrorum fructibus enudati, subleuentur onere tributariæ functionis. Quod fieri debere, nostra meritò pietas acquieuit.* Et posteà: *Laborat enim hoc vno malo terris defloratæ prouincia: quæ ne perfecta beatitudine frueretur, huius timoris frequenter acerbitate concutitur. Sed non in totum durus est euentus ille terribilis: præmittit signa grauia, vt tolerabilius sustineantur aduersa. Tantis enim molibus natura rixante, montis illius hiatus immurmurat, vt excitatus quidam spiritus grandisono fremitu vicina torrificet. Fuscantur enim ærea loci illius exhalatione teterrima, & per totam penè Italiam cognoscitur, quando illa indignatio commouetur. Volat per mare magnum cinis decoctus, & terrenis nubibus excitatis, transmarinas quoque prouincias puluereis guttis compluit. Et quid Campania pati possit, agnoscitur, quando malum eius in orbis alia parte sentitur.*

Videas illic quasi quosdam fluuios ire puluereos, & arenam sterilem impetu feruente velut liquida fluenta decurrere. Stupeas, subitò vsque ad arborum cacumina dorsa intumuisse camporum, & luctuoso subito calore vastata, quæ lætissima fuerant viriditate depicta. Vomit fornax illa perpetua puniceas quidem, sed fertiles arenas. Quæ licet diuturna fuerint adustione siccata, in varios fœtus susceptæ germina mox producunt, & magna quadam celeritate reparant, quæ paulò anteæ vastauerat. Quæ est ista singularis exceptio? Vnum montem sic infremere, vt tot mundi partes probetur aëris permutatione terrere; & sic suam substantiam vbique dispergere, vt non videatur damna sentire. Longè latéque pulueres rorat: vicinis autem quasdam moles eructat; & tot sæculis mons habetur, qui erogationibus tantis expenditur. Quis credat, tam ingentes glebas

vsque

vsque ad plana deductas, de tam profundis hiatibus ebulliſſe? & ſpiritu quodam efflante montis ore conſputas, quaſi leues paleas fuiſſe proiectas? Alibi cacumina magna terrarum localiter videntur ardere, huius incendia penè mundo datum eſt poſſe cognoſcere. Quemadmodum ergò non credamus incolis, quod teſtimonio poteſt vniuerſitatis agnoſci.

Atteximus hîc opportunè insigne miraculum S.Ianuarij Beneuentani Epiſcopi & Martyris, quod Romana Eccleſia in Precibus Matutinalibus eiuſdem S.Martyris, his verbis celebrat: *Sed illud eum primis memorandum, quod erumpentes olim è monte Veſuuio cinerum & flammarum globos, nec vicinis modò, ſed longinquis etiam regionibus vaſtitatis metum afferentes extinxit.* Sed de Veſuuio plura Munſterus lib. 2. Coſmographiæ. Ioannes Bodinus in Meth. Hiſtorica, cap.4. annotans vitia à Procopio in Hiſtoria commiſſa, hæc inter alia ait: *Sed illud fidem omnem ſuperat, cineres Veſuuij montis, qui citra Neapolim ſitus eſt, Byzantium vſque vento delatos: ac populum ita exterritum, vt annuis ſupplicationibus Deum placaret. Quæ prodigia ſapiunt Græcam vanitatem, & hiſtoricis non modo profanis, verumetiam Eccleſiaſticis fidem ſæpe derogarunt.* Futiliſſimum vaniſſimi hominis iudicium, & imperitia plenum. Si Dionem, Plinium iuniorem, Marcellinum, Caſſiodorum legit, potuítne reputare omnes cum Procopio mentitos? Sed Plinium ſeniorem audiat de incendio Aetnæ lib. 2. cap. 103. iſta prodentem. *Aetna flagrans in tantum, vt quinquagena & centena millia paſſuum arenas flammarum globis eructet.* Et lib. 3. cap. 8. *Mons Aetna nocturnis mirus incendiis. Crater eius patet ambitu ſtadiorum viginti, fauilla Taurominium & Catanam vſque peruenit feruens: fragor verò ad Maronem & Gemellos colles.*

Franciſcus Lopez Gomara part.1. Indicæ Hiſt. cap.126. deſcribens iter Petri Aluaradi in Quitenſem Prouinciam: *Pluit illis multis diebus cineres, quos eructabat Crater Quintenſis, vltra octoginta leucas eos ſpargens: qui etiam tantum flammarum eiaculatur, immenſo fragore cum feruet, vt vltra centum leucas collucentes globi conſpiciantur, & vt ferunt, magis quàm quauis tonitrua & fulmina metum incutiat.* Eadem habet Leuinus Appollonius de rebus Peruanis lib.3. Sed & Ioſephus Acoſta Hiſt. Naturalis Indiarum lib.3. cap.26. *Quiti ſuperioribus annis cùm eſſem in vrbe Regum, Crater vicinus vrbi, tantam vim cinerum iecit, vt per multas leucas cinere plueret, adeò vt diem tenebris obduceret: & Quitenſem vrbem pene obrueret, vt vix per vrbis vias & plateas incedi poſſet.* Verum Bodini leuitatem Baronius quoque annali 6. Anno Chriſti 471. confutauit.

Patres antiquos variis occaſionibus interdiu ſuſpicatos ſuo tempore iam proximè adeſſe Antichriſtum, & mundi conſummationem.

CAPVT XXVIII.

PRiſci Patres nonnulli videntes ſuorum temporum improbitatem, vel atrocitatem perſequutionum in Chriſtianos, vel horrendas hæreſum graſſationes, aut incendia vrbium, bellorum procellas, terræ motus ingentes, cæli, elementorúmque tetras immutationes, Imperiorum occaſus, & inſignes eiuſmodi humani generis clades, quæ generalia quædam aduentantis Antichriſti, & mundi finis imminentis anteludia viderentur; in eam ſuſpicionem, metum & trepidationem plerumque adducebantur, vt iam iam propè affuturum Antichriſtum & finem ſæculi cogitarent. Paucas hîc eorum de hac re ſententias deſcribemus.

Tempore M. Aurelij Imperatoris.

Eccleſiæ, Viennenſis & Lugdunenſis crudelitatem perſequutionis, quæ ſub M. Aurelio in Chriſtianos exarſerat, ad Aſiaticas Eccleſias in hunc modum narrant, Apud Euſebium lib.5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap.1. *Magnitudinem afflictionis, quæ hoc loco ingraueſcit, ingens Gentilium odium contra ſanctos incitatum, ſupplicia quæ beati martyres placidè ſuſtinuerunt, neque nos dicendo accuratè exprimere, neque ſcribendo à quoquam facilè comprehendi poſſunt. Nam aduerſarius noſter aduentum ſuum, in quo audacter & liberè Eccleſiam Chriſti oppugnaturus ſit, iam quaſi præluſione quadam, & proœmio breui futurum prænuncians, omnibus viribus, vt dicitur, Chriſtianos adortus eſt.*

De impoſtore eius temporis hæc refert Iulius Capitolinus in Marco: *Vano cuidam, qui diripiendæ vrbis occaſionem, cum quibuſdam conſciis requirens de caprifici arbore in campo Mantio concionabundus, ignem de cælo lapſurum, finémque mundi affore dicebat, ſi ipſe lapſus ex arbore in ciconiam verteretur: cùm ſtatuto tempore decidiſſet, atque ex ſinu ciconiam emiſiſſet: perducto ad ſe, atque confeſſo, Marcus veniam dedit.*

Tempore Septimij Seueri.

Euſebius lib.6. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.6. de Iuda Cyro, qui tempore Seueri Principis inter Eccleſiaſticos Scriptores claruit, hæc ait: *Iudas alius ſcriptor eodem tempore in LXX. Septimanas à Daniele deſcriptas commentarios edidit, inque illis temporum ordinem ad decimum annum Imperij Seueri tradidit. Quin etiam Scriptor propterea quod perſequutionis tumultus contra nos excitatus, multorum mentes tam grauiter perturbaret, Antichriſti aduentum, omnium ore, atque ſermone iactatum iam tum appropinquare arbitratus eſt.* Eadem habent. S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Nicephorus lib.4. Hiſtoriæ cap.35.

Conſtat anno X. Seueri promulgatam in Chriſtianos perſequutionem, vt Euſebius in Chronico, S. Hieronymus de Scriptor. Eccleſiaſt. in Origene, & omnes affirmant. Id fuit IV. conſulatu Seueri, quem cum filio Antonino iniuit in Syria: Spartianus: *In Syria pater & filius conſulatum inierunt: poſt hæc dato ſtipendio cumulatiore militibus, Alexandriam petiit. In itinere Palæſtinis plurima iura fundauit Iudæos fieri ſub graui pœna vetuit: idem etiam de Chriſtianis ſanxit.*

Tertullianus qui eiſdem temporibus viuebat, libro de Fuga in perſecutione, quem vltimo Seueri anno conſcripſiſſe Pamelius obſeruauit, neſcio quid iam de Antichriſto aduentante pertimuiſſe videtur, ſic enim cap.12. ait: *Cùm igitur nihil nobis Cæſar indixerit in hunc modum ſtipendiariæ ſectæ. Sed nec indici vnquam tale quid poſſit, Antichriſto iam inſtante, & in ſanguinem, non in pecunias hiante Chriſtianum, quomodo mihi proponere potes Scripturam eſſe, Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Itaque miſer Tertullianus Montanizans, aduerſus eos qui perſecutionem pecunia redimerent: cùm ſemper in eccleſia, vrgente perſecutionum turbine, licuiſſe Patres vno ore docuerint.

Tempore Persecutionis Decianæ.

S. Dionysius Alexandrinus Episcopus epist. ad Fabium Antiochenum Episc. apud Eusebium lib. 6. Historiæ, cap. 34. *Quapropter minarum formido in nos iactatarum vehementer accrescebat. Nam Decij edictum erat iam diuulgatum, illúdque tale profectò videbatur, quale Dominus prædixerat futurum, in quo terribilissima illa eius propemodum explebatur sententia, nimirum electos, si possibile esset, in errorem inducendos fore. Quin omnes certè metu perculsi obstupuerunt.* Vaticinium Domini de persecutione Antichristi Matth. 24. vers. 24. suo tempore, quum Decius in Christianos feralia sparsit edicta, propemodum impleri, suspicatus est S. Dionysius.

Tempore Galli, & Volusiani.

S. Cyprianus agens de persecutione Galli & Volusiani, fideléque ad martyrium præparans, epist. 56. ad Thibaritanos ait: *Nam cùm Domini instruentis dignatione instigemur sæpiùs, amplius & admoneamur, ad vestram quoque conscientiam admonitionis nostræ sollicitudinem perferre debemus: Scire enim debetis, & pro certo credere, ac tenere, pressuræ diem super caput esse cœpisse, & occasum sæculi, atque Antichristi tempus appropinquasse: vt parati omnes ad prælium stemus, nequidquam nisi gloriam vitæ æternæ, & coronam confessionis Dominicæ cogitemus. Nec putemus talia esse quæ veniunt, qualia fuerunt illa quæ transierunt: grauior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta & virtute robusta parare se debent milites Christi: considerantes idcircò se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, vt possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere.* Haud assentiar Pamelio, qui annotat, à S. Cypriano Antichristum vocari hîc tyrannum persecutorem. Nam cur dixisset *occasum sæculi appropinquasse*, si non de vero Antichristo intellexisset?

Et post alia subdit idem S. Cyprianus: *Neque aliquis ex vobis fratres dilectissimi, futuræ persecutionis metu, aut Antichristi imminẽtis aduẽtu sic terreatur, vt non Euangelicis exhortationibus & præceptis ac monitis cælestibus ad omnia inueniatur armatus. Venit Antichristus, sed & superuenit Christus: grassatur & sæuit inimicus, sed statim sequitur Dominus, passiones nostras, & vulnera vindicaturus.*

Et præfat. in Exhortationem Martyrij, ad Fortunatum: *Desiderasti Fortunate charissime, vt quoniam persecutionem & pressurarum pondus incumbit, & in fine atque consummatione mundi Antichristi tempus infestum appropinquare nunc cœpit, ad præparandas & corroborandas fratrum mentes, de diuinis Scripturis hortamenta componerem, quibus milites Christi ad cæleste & spirituale certamen animarem.* Et cap. 12. ad finem libri. *Minatur Antichristus, sed Christus tuetur, mors infertur, sed immortalitas sequitur.* Hæc S. Cyprianus, de crudeli persecutione sub Gallo & Volusiano orta, ac deinceps sub Valeriano aucta, vnde existimare quis posset Antichristum & mundi finem non longiùs abesse.

Sub Gallieno.

S. Augustinus epist. 80. ad Hesychium: *Nam vt nimis antiqua præteream, sub Imperatore Gallieno, cùm Romanas prouincias barbaries vsquequaque pernaderet, quam multos fratres nostros, qui tunc erant in carne, putamus propinquum finem credere potuisse, quoniam longè post Ascensionem Domini factum est.*

Tempore Valentis Imperatoris Ariani.

Funesta hæc Ecclesiæ tempora, Ariani grassante hæresi, contemplatus S. Hilarius libro contra Auxentium ita disserit: *Hanc nos* (pacem) *fratres dilectissimi, & amissam quærere, & turbatam componere, & repertam tenere curauimus. Sed huius ipsius fieri nos vel participes, vel auctores, nec temporis nostri peccata meruerunt, nec imminentis Antichristi prævij, ministrique sũt passi: qui pace sua, id est, impietatis suæ vnitate se iactant, agentes se non vt Christi Episcopos, sed Antichristi Sacerdotes.* Et post alia: *Quid autem illud sit, quod ignorandum vltra non sit, breuiter exponam. Secundùm placitam Deo plenitudinem coartata sunt tempora: incircumscripta enim ratio eorum cælestibus libris docetur: ac necesse est in ipsam nos ætatem Antichristi incidisse, cuius, secundùm Apostolum, ministris in lucis se angelum tranformantibus, ab omnium ferè sensu & conscientia is qui est Christus aboletur. Vt enim erroris affirmatio certa sit, incerta verò opinio antefertur: sitque Antichristi iam peruium, Christum eum esse se fallere, de quo nunc vsque dissensum sit. Hinc illæ variæ opiniones, hinc sub vnius Christi nomine prædicatio plurimorum: hinc Arij spiritus nuper ex Angelo diaboli, in lucis Angelum transfiguratus: cuius hereditas nominis ad Valentem, Vrsacium, Auxentium, Germinium, Caium, successióque defluxit. Nam ipsi nunc Christum nouum, per quem Antichristus subreperet, intulerunt.*

Sed de eadem Valentis persequutione S. Basilius epistola 71. ad Alexandrinos, ait: *Accessit autem ad hasce animi mei disceptationes, & ista cogitatio: An Ecclesias suas prorsus reliquit Dominus? An nouissima hora est, & hoc pacto initium sumit. Defectio, vt iam deinceps reueletur iniquus ille Filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omnẽ qui dicitur Deus, aut Numen? Attamen siue temporaria est ista tentatio, ferte eam vt boni Christi athletæ: siue omnimodè res nostræ traditæ sunt corruptioni, ne socordes simus ad ea quæ accidunt, sed reuelationem è cælis, & apparitionem magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi expectemus.*

Ad hæc quoque tempora respexisse visus est S. Ambrosius oratione in obitum Satyri fratris, cùm inquit: *Raptus est, ne totius orbis excidia, mundi finem videret.* Qui etiam lib. 9. in Lucæ 21. exponens signa venturi iudicij à Domino prænunciata, ait: *Verborum autem cælestium nulli magis quàm nos testes sumus, quos mundi finis inuenit.* Et paucis interiectis: *Ergo quia in occasu sæculi sumus, præcedunt quædam ægritudines mundi. Aegritudo mundi est fames, ægritudo mundi est pestilentia, ægritudo mundi est persecutio.*

S. Hieronymus qui eodem viuebat tempore epist. 11. ad Ageruchiam: *Verùm quid ago? fracta naui de mercibus disputo. Qui tenebat, de medio fit, & non intelligimus Antichristum appropinquare: quem Dominus Iesus Christus interficiet spiritu oris sui.* Seuerus Sulpitius ex ore S. Martini, vt ipse ait, hæc refert, Dialogo 2. *Non esse autem dubium, quin Antichristus malo spiritu conceptus, esset, etiam in annis puerilibus constitutus, ætate legitima sumpturus Imperium. Quòd autem hæc ab illo* (Martino) *audiuimus, annus octauus est. Vos autem æstimate, quo in præcipitio consistunt, quæ futura sunt.*

Tempore Arcadij & Honorij.

S. Chrysostomus qui ea ætate viuebat, Homilia 33. in Ioannem, prope finem, ita scribit: *Qui verò in rapinis viuunt, qui in deliciis, illud merito audiant: Dominus propè est, estote solliciti. Non enim longè à fine absumus, sed iam mundus properat: hoc bella, hoc afflictiones, hoc terræ motus, hoc extincta charitas significat. Quemadmodum enim corpus iam aduentante*

morte, innumeris malis afficitur, & domus propè casum in ruinas fatiscit, & priùs à tecto & parietibus multa decidunt: ita & orbis terrarum ad finem properans, tantis vndique malis conteritur. Nam si Pauli temporibus Dominus propè erat, nunc profectò propiùs: si ante trecentos annos finem temporum Paulus esse dixit, quid nunc dicendum? Sed idcirco quidam non credunt, cùm maximè sit credendum. Quo argumento homo finem appropinquare, & breui quæ prædicta sunt, euentura diffidis? Siquidem vt anni finem non vltimum dumtaxat diem, sed mensem postremum dicimus, etiamsi triginta dierum spatium contineat: sic tot annorum, etiamsi quadringentos annos finem dixerimus, non erabimus, quocirca tot iam temporibus finem prænuntiauit.

Tempore Iustiniani.

Agathias Smynæus describens horrendos terræ motus qui Constantinopolim Iustiniano rerum potiente, penè prostrarunt, lib. 5. Historiarum, cap. 3. refert: *Tum portenta mox quædam, & prædictiones absurdæ in vulgus temerè diuulgari, & mundi hanc machinam, prædicari quàm concitatissimè collapsuram. Nebulones præterea quidam, & deceptores, veluti diuini quidam & vates sponte sua circumire, & sibi visa prædicere, terroréque multis incutere, quibus facilè poterat vt antea territis, persuaderi. Hi itaque siue in cassum furere, & prauo exagitari dæmone se simularent, grauissima quædam passim iactabant, & tanquam ex adnata sibi prauorum dæmonum specie fuissent futura edocti, déque suis admodum furiis iactarentur. Alij præterea à astrorum decursus, figuráque animo agitantes, maiores calamitates, & perinde communem rerum euersionem fore significabant. Itaque terrore omnes percellebantur.*

Tempore Mauritij.

S. Gregorius Magnus retundens superbiam Ioannis Archiepiscopi Constantinop. qui sibi Vniuersalis titulum arrogabat, lib. 4. epist. 34. ad Constantiam Augustam, ait: *Triste tamen valdè est vt patienter feratur, quatenus despectis omnibus, prædictus frater & Coëpiscopus meus solus conetur appellari episcopus. Sed in hac eius superbia quid aliud nisi propinqua iam Antichristi esse tempora designat.* Et lib. 4. epist. 38. ad Ioannem Constantinop. Episcopum: *Certè olim clamabatur per Apostolum Ioannem: Filioli nouissima hora est: secundùm quod Christus prædixit, pestilentia & gladius per mundum sæuit, gentes insurgunt gentibus, terra concutitur, orbis cum habitatoribus suis, terra dehiscente, sorbetur: omnia enim quæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ propè est; & quod dici nefas est, sacerdotum est præparatus exitus.* Qui etiam homilia 1. in Euangelia, signa venturi iudicij à Christo prædicta interpretans, vicinum iam atque ingruentem sæculi finem pluribus ostendit.

Tempore Phocæ.

Eusebius qui & Georgius, in vita S. Theodori Siceorum Archimandritæ, apud Surium tomo 2. hæc narrat. *Cùm in oppidis finitimis* (regionis Galatiæ) *supplicationes fierent, & Cruces quæ gestari solent, horribili, miserandóque spectaculo, per se concuterentur, ac commouerentur, interrogatus vir dininus Theodorus, quid sibi id vellet, respondit: Deum ô filij, precibus placate, quoniam magnæ mundo imminent calamitates. Pergit deinde Eleucius exponere, vt Thomas Constantinopolitanus Episcopum ipsum S. Theodorum enixè rogauerit, vt ei aperiret quid illud crucium prodigium portenderet: ad quem S. Theodorus post multas preces respondent: Scito, ea crucium concussione multa nobis grauia, molestáque prænuntiari. Significat enim plurimos à religione nostra defecturos, & barbararum gentium incursiones, & magnam sanguinis effusionem, & ingens exitium, & in vniuerso orbe seditiones fore, & sanctas Ecclesias desertum iri, & diuini cultus, atque Imperij interitum, & Aduersarij aduentum appropinquare.* Existimauit Baronius Annali 8. an. Domini 606. numero 11. S. Theodorum de Mahomete mox venturo vaticinatum. Et vt id non negauerim, ita facilè adducor vt credam S. Theodorum fortè præuisa statim oritura Mahometana secta, suspicatum vt reliquos Patres verum Antichristum non longè post Mahometem adfuturum.

Tempore Constantis Principis Monotelitæ.

S. Martinus Romanus Pontifex, & martyr, animaduertens ferale huius Imperium, & truces in Ecclesiam persecutiones, bacchante vbique hæresi, hæc ad Eliterum epist. 15. scribit: *Nosse voluit beata vestra dilectio, qualiter de sede S. Petri Apostoli sicut vnus passer solitarius ab ædificio, raptus fuerim. Et miror quia super hæc me inquirere voluistis, cùm prædixerit Dominus de nequam temporibus istis, discipulis suis: Quia in diebus illis erit tribulatio, qualis non fuit ab origine mundi, vsque nunc. Et nisi quia abbreuiati sunt dies illi, non posset sustinere omnis caro: sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hoc in paucis de Antichristo dicitur: nam & S. Paulus secundùm datam sibi gratiam Spiritus, pronuntiauit dies istos Timotheo discipulo suo dicens: In nouissimis diebus discedent homines à fide, & à veritate auditum auertent, seipsos amantes, auari. Et crede mihi, desideratissime fili, non videndum tempus aliud nisi hoc manifestè, in quo sint initia dolorum: quemadmodum Dominus prædixit aduentum Antichristi. Etenim veritatem dicere, necessarium visum est, antequam in toto mundo præualeat Iudicium, & finem cursus accipiat.*

Tempore Basilij & Constantini Imperatorum.

Abbo Floriacensis Abbas, in Apologetico, quem ad Hugonem atque Robertum Francorum Reges conscripsit, cuius fragmentum Nicolaus Faber, ad Cardinalem Baronium misit, hæc habet: *De fine quoque mundi coram populo sermonem in Ecclesia Parisiorum adolescentulus audiui: Quo statim finito mille annorum numero* (nimirum ab ortu Domini) *Antichristus aduenirent, & non longo post tempore vniuersale Iudicium succederet. Cui prædicationi ex Euangelio, & Apocalypsi, & libro Danielis, quæ potui virtute, restiti. Denique & errorem qui de fine mundi inoleuit, Abbas meus beatæ memoriæ Ricardus sagaci animo propulit, post quam litteras à Lotharienfibus accepit, quibus me respondere iussit. Nam fama per totum mundum impleuerat, quod quando Annunciatio Dominica in Parasceue contigisset, absque vllo scrupulo finis sæculi esset.* Hactenus Abbo, cuius verba inseruit Baronius Annali 11. anno Christi 1001.

Tempore S. Bernardi.

S. Bernardus sæculi sui improbitatem considerans, quando eodem loco sacra & profana habebantur, Antichristum proximè affuturum minatus est, Sermone 6. in Psalm. 90. *Ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum & tenebrarum negotium transire: nec in his salus animarum, sed luxus quæritur diuitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant: pro Episcopatibus, & Archidiaconatibus*

impuden-

impudenter hodie decertatur, vt Ecclesiarum redditus in superfluitatis,& vanitatis vsus dissipentur. Superest, vt reueletur homo peccati,filius perditionis. Et epistola 56. refert S.Norbertum Ordinis Præmonstratensium fundatorem, credidisse Antichristum intra sæculum illud quod tunc decurrebat,aduenturum : sic enim ait : *Cùm ante hos paucos dies eius faciem videre,& de cælesti fistula,ore videlicet ipsius, plura audire meruerim : hoc tamen ab ipso non audiui. Verùm de Antichristo cùm inquirerem,quid sentiret ; durante adhuc ea quæ nunc est generatione,reuelandum illum esse , certissimè se scire protestatus est. At cùm eandem certitudinem vnde haberet,scisciranti mihi exponere vellet ; audito quod respondit,non me illud pro certo credere debere putaui. Ad summam tamen hoc asseruit,non visurum se mortem,nisi prius videat generalem in Ecclesia persecutionem.* Atqui satis iam de sententiis Patrum.

Explicantur præfatæ Patrum opiniones.

Nullus eruditus & pius tot Patrum sententias erroris iure arguerit, quòd secus multò quàm ipsi credidisse videntur , res euenerint : & Antichristi aduentus, quem ipsi iam iam suo tempori imminentem prædicauêre , ad hanc vsque diem adhuc differatur : incertum quando futurus.

Primum Patres non certum aliquem diem, aut annum assignarunt aduentus Antichristi & mundi finis : sed Apostolico more loquendi , Paulum & Ioannem imitati dixerunt , fines sæculorum deuenisse,nouissimam horam esse : quod nunc postrema mundi ætas decurrat , in qua venturus est Antichristus.

Secundò, Cùm multi vni illi vero Antichristo variis temporibus præcurrerint anteambulones, non absurdè suspicati sunt Patres haud longè subsequi ipsum Antichristum. Nec propterea culpandi sunt,quòd instar solertium exploratorum, oculis in aduentum Antichristi acriter prætentis , tetra aliqua è proximo conspecta persecutionis tempestate , animaduersísque agminis Antichristi antegressoribus , Antichristum in proximo iamiam adesse renuntiauerint.Suspiciones enim prudentes & cautæ fuêre,& quod sedulò in speculam inuigilantes , ad quemlibet rumorem & speciem aures & oculos arrigerent & intenderent:ne immanissimus Ecclesiæ hostis improuisus castra Domini inuaderet.

Tertiò, Patres interdum in concionibus ad populum , ex calore, vt fieri solet,dicendi , minis & terrore solerter populos in officio continere , & à vitiis abstrahere cupientes,potuisse rectè & absque mendacio dicere Antichristum & mundi finem imminere : ritu Prophetarum , qui futura & longè dissita,quòd accuratioribus oculis illa perspicerent, tanquam cominus posita,ac fermè præsentia prænunciabant.Terrores igitur & formidines,non falsæ opiniones Patrum de aduentu Antichristi fuêre. Pulchrè auctor apud S.Ambrosium in 1. Corinth. 7. *Finem mundo imminere significauit Paulus, quamuis sciret adhuc tempora supereſſe.Sed aliter scribere non debuit propter hos qui lecturi hæc nunc sunt, cùm perbreue supererit tempus , ne semper dum longè esse putaretur dies Iudicy , aut non timeretur,aut falsum esse existimaretur.Illud autem quod dicitur,quum adhuc longè sit, imminere multum proficit : terrorem enim incutit ad meliorem vitam agendam hominibus.* Vide Iosephum Acostam lib.1.de Nouissimis Temporibus,cap.2.5.6.& 7.Prudenter igitur S.Beda de Ratione Temporum, cap.67 ait : *Cuius quidem aduentus* (nempe Domini ad Iudicium) *horam meritò Sancti omnes diligunt,& citius adesse desiderant : sed periculosè satis agunt , si qui hanc propè an longè sit, putare,vel prædicare præsumunt.*

Ineptæ aliorum assertiones de tempore aduentus Antichristi , & mundanæ consummationis.

CAP. XXIX.

SIgebertus in Chronico , anno Christi 763. inquit : *Stellæ subitò visæ de cælo cecidisse,ita vt omnes exterruerint , vt putarent finem mundi imminere.* Et anno 848. hæc narrat : *Quædam prophetissa dicens instare diem Iudicy,Moguntiam solicitabat,ita vt etiam aliquos sacri ordinis ad se inclinaret. Quæ ab Archiepiscopo correpta,confessa est,se per suggestionem cuiusdam presbyteri,quæstus causa,hoc feciſſe.* Vide Genebrardum lib.4.Chronographiæ,pag.532.

Anno Domini 1105. habitum est Florentiæ à Paschali II.Romano Pontifice concilium trecentorum quadraginta Episcoporũ,aduersus Fluentinum Episcopum Florentinum, qui permotus quotidianis portentis atque prodigiis,quæ illis temporibus in orbe visebantur,affirmabat tunc iam natum esse Antichristum.Post diligentem autem erronei dogmatis discussionem,animaduersum est, Episcopum illum,leuitate quadam , vt scilicet alicuius magnæ rei auctor videretur , ita de Antichristi aduentu sensisse.Agunt de hac Synodo S.Antoninus 2.part. historiali , titulo 16. cap.1. Matthias Palmerius in Chronico,Platina,in Vita Paschalis II. Antoninus Sabellicus Enneadis 9.lib.3.Genebrardus in Chronographia lib.4.pag.594.Bellarminus lib.3.de Romano Pontifice , cap.3. Seuerinus Binius tomo 5. Conciliorum,pag.1305.colum.2. Meminisse etiam videtur eiusdem Synodi Anonymus auctor Vitæ Paschalis II.qui illis vixit temporibus,quémque ex Vaticana Bibliotheca Baronius protulit : Cùm enim agit de profectione Paschalis in Gallias , hæc scribit:*Dum in itinere positus Florentiam peruenisset, de aduentu Antichristi proximè futuro sparsam famam inueniens, Florentiæ substitit : quum verò audisset quæ ferrentur , vt nullius fidei & auctoritatis assertionem cõtempsit,& cœptum iter est prosequutus.* Hæc Auctor.

Vielmius lect.6.de sex diebus conditi orbis, inquit : *Abbas Ioachim floruit,si Vincentio Bellouacensi credimus,anno 1185.si vero Trithemio,1200.ita Apocalypsim interpretatus est , vt mundi terminum definiret,esse futurum intra annos sexaginta,* Ioachimus ait, *intra geminam generationem.* Fortè,intra 200 annos. Vide Trithemium de viris illustribus Ordinis S. Benedicti,lib.2. cap.117. & in Chronicis Hirsaugiensibus anno 1157.

S.Antoninus 3.parte hist.titulo 21.cap.2.§.8. ad finem hæc refert : *Eodem anno 1311.quidam Arnoldus de Villanoua Prouincialis,magnus Philosophus,Parisiis dogmatizabat,& per prophetiam Danielis,& Sibyllæ Erythreæ probare nitebatur aduentum Antichristi,& persecutionem Ecclesiæ futuram esse inter 1300. & 1400. Domini annum , quasi in 1377.anno. Super qua materia librum edidit intitulatum,de speculatione aduentus Antichristi.Sed fuit reprobatus,& quasi hæreticus reputatus. Vnde quia Magistri Parisienses tenebant contra eum,timens ipse, ne deueniret ad manus Inquisitoris, aufugit inde , & profectus est in Siciliam. Qui cùm missus fuisset à Friderico Rege Siciliæ orator*

ad Pa

ad Papam, in mari mortuus eſt. Non eſt veſtrûm noſſe tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, ait Veritas increata. Vnde omnes qui voluerunt determinatum tempus aſſignare aduentus Antichriſti, & finis mundi, reperti ſunt mendaces. Hæc S. Antoninus: eadem ad verbum habet Paulus Langius Monachus in Chronico Citizenſi, ad annum Domini 1320. qui etiam iſta addit: *Huius Arnoldi errorem taxat & ipſe ſapientiſſimus Ioannes Picus Comes Mirandulanus lib. 5. contra Aſtrologos, cap. 1. in hæc verba: Arnoldus Hiſpanus, nobilis quidam medicus, ſed ad ſuperſtitiones paulominus propenſior, ex Aſtrologiæ vanitate, pleriſque aliis adiectis Antichriſti nobis aduentum anno gratiæ 1345. comminabatur. Fluxere ab eo tempore anni iam ſupra centum quadraginta octo, & nullus adhuc Antichriſtus.* Sed de erroribus Arnoldi à Villanoua conſule Prateolum.

Nicolaus Eymericus in Directorio Inquiſitorum, part. 2. quæſt. 9. ſcribit: *Tempore Domini Vrbani Papæ V. Bartholomæus Ianoueſius de inſula Maioricarum, præfigebat certum tẽpus aduentus Antichriſti, ſcilicet in die Pentecoſtes de anno Domini MCCCLX.*

Vielmius de ſex diebus conditi orbi, ſect. 6. ait: *Ioannes Pariſienſis Dominicanus, anno Domini 1300. Tractatum de Antichriſto foras dedit, eruditum ſanè & accuratum, in quo (abſque aſſeueratione tamen) Iudicium ad annum 1569. ſua ſupputatione, vt mihi quidem viſum eſt, relegauit.* Neſcio vnde acceperit Delrius in Octauiam Senecæ, num. 386. hunc Ioannis Pariſienſis librum de Antichriſto, flammis traditum fuiſſe. Nam Leander, Vielmius, Antonius Senenſis, Eiſengrenius, Poſſeuinus nihil tale memorant: imò auctorem mirificè laudant. Vide lib. 1. cap. 2. huius operis. Non fuit hic ille Ioannes Pariſienſis, ſeu pungens aſinum, qui errorem de Impanatione docuit. Vide Dominicum Sotum in 4. Sentent. diſtinct. 9. quæſt. 2. artic. 2.

Pergit verò Vielmius: *Petrus Aliacenſis in Tractatu de concordia Aſtrologicæ veritatis, & narrationis hiſtoricæ, quem ſcribebat anno Domini 1414. ſicut in calce operis ipſemet aperit; ex aſtronomicis indiciis, & cumprimis ex octaua coniunctione maxime ſuſpicatur, fortè venturum eſſe Antichriſtum anno Domini.* 1789.

Nicolaus Cuſanus libello de diebus nouiſſimis, coniectatus eſt mundi finem & Antichriſtum venturum anno Domini 1700. vel 1734.

Ioannes Picus Mirandulæ Princeps in Concluſionibus Cabbaliſticis, aſſertione 9. conſummationem ſæculi anno Chriſti 1994. futuram arbitratur.

Franciſcus Meletus in Quadriuio Temporum Iudicium vniuerſale futurum exiſtimant intra annum Domini 1530. & 1540. ſed hi iam præteriere.

Hieronymus Cardanus lib. 2. de Varietate, cap. 2. an. Chriſti 1800. fortè venturum Antichriſtum credidit: & Iacobus Naclantus in Præludiis Medullæ Sacræ Scripturæ, cap. 4. à Chriſto ad finem mundi non ampliùs quàm 1656. interceſſuros ſomniauit. Horum omnium ſententias, ſeu potiùs delitia, fusè recenſent Hieronymus Vielmius lect. 6. de ſex diebus conditi orbis, & Martinus Delrius in Commentariis ad Octauiam Senecæ, numero 386.

Mammera Bruſchius apud Germanos auſus eſt affirmare, Antichriſtũ venturũ anno Domini 1589. vel 1643. Auctor Lindanus lib. 4. Panopliæ, c. 100.

Laurentius Surius in Commentario rerum in orbe geſtarum, hæc habet: *Hoc quoque anno 1533. Lutherani, vt propheticæ gratiæ opinionem ſibi conciliarent, multa ſpargebant in vulgus, non ſolùm de iam iamque impendente Iudicio extremo, ſed etiam de certa eius die: vt neque plerique ciues ædificare, neque agricolæ rus colere vellent: nobiles verò aliquam multi, tanquam certo, eodémque ſupremo mundi die morituri Euchariſtiam acciperent. At ea pſeudoprophetarum vana perſuaſio in riſum & ludibrium abiit, réſque ipſa docuit, quàm ſint iſti præclari prophetæ. Accidit hoc Vvittembergæ, & in aliis nonnullis oppidis.* Hæc Surius, ex Coclæo accepta in Actis Lutheri anni 1535.

Tilmannus Bridenbachius lib. 7. Sacrarum Collationum, cap. 32. rem geſtam accuratè in hunc modum narrat: *In Saxonia Vvittembergæ vicinus pagus nomine* Holtzdorff *ſitus eſt, in quo pago Michaël Stifelius, Euangelicus concionator populo docendo præfectus, ſibi ſuiſque ruſticis perſuaſit, tertio Octobris die, horam circiter decimam, extremum Iudicij diem futurum; idque ex ſupputatione quadratorum numerorum, tanquàm ex diuina Spiritus Sancti patefactione ſeriò confirmauit. Ruſtici & ciues plerique omnes per vniuerſam Saxoniam & Miſniam aruit & agris incultis relictis, negotiis otio poſt habitis, curæ præferentes ſecordiam, omnia ſua bona decoquebant, dies, noctéſque pergræcabantur, certò confidentes, quemadmodum prædixerat Stifelius, tertio Octobris die eiuſdem anni, qui erat à Chriſto nato 1533. mundum periturum, & extremi Iudicij diem aduenturum. Cùm autem prædictus dies adeſſet, Stifelius ſuggeſtum occupans, hortatur ſuos ruſticos, & bono iubet eſſe animo: tempus inſtare, quo, prout quiſque veſtitus aderat, cum ocreis ſimul & peronibus, omnes in cælum auferrentur.*

At verò hora prædicta Iudicij iam diu tranſacta, adeo vt ruſticis de vaticinio deſpectantibus, ipſe quoque dubitaret: fortè procelloſa tempeſtas orta fuit, quam cùm Stifelius audiuiſſet, de nouo ſuos ruſticos eſt hortatus: turbinem enim exorientem initium dare futuri Iudicij. Sed paulò poſt tempeſtate ſedata, cùm ruſtici cælum ſerenum eſſe conſpicerent, irati, Stifelium, è ſublimi cathedra deturbatum, manibus & pedibus acriter conſtrictis, in curru poſitum Vvitembergam traxerunt: vbi ipſum coram iudice de illata iniuria grauiter accuſarunt; aliquod ſibi emolumentum pro omnibus pecoribus, frugibus, & frumentis abſumptis ſperantes. Sed fruſtra illum accuſauerunt ruſtici: nam à ruſticis vindicatum, & vinculis redemptum Stifelium Lutherus veteri Eccleſiæ iterum præfecit. Similem prophetam ſe venditauit Andreas Oſiander de nouiſſimo die, edito quodam libello, vt videre eſt Centuria prima Veritatum Euangelicarum per Ioannem Naſum. Veritate. 2. Hactenus Bridembachius. Quam etiam hiſtoriam Stifelij ab Hanardo Gamerio heroïco carmine conditam, ibidem refert.

Sententia S. Vincentij Ferrerij de tempore aduentus Antichriſti, & mundi conſummationis explicatur.

CAP. XXX.

SAnctus Vincentius Ferrerius epiſtola ad Benedictum XIII. quam Valentiæ edidit anno 1591. Vincentius Iuſtinianus, & Scholiis illuſtrauit, mirabilem de tempore Antichriſti aduentus & ſæculi finis potulit ſententiam, in hæc verba: *Quarta concluſio eſt, Quòd tempus Antichriſti, & finis mundi erunt citò, & benè citò, ac valdè breuiter.* Quam concluſionem poſtquam tribus præcipuis argumentis confirmaſſet, ſubdit; *Quartò, eadem concluſio oſtenditur per aliam reuelationem mihi relatam, per quendam virum deuotum, vt mihi videtur, & ſanctum. Nam cùm ego prædicarem in partibus Lombardiæ prima vice (modo iam ſunt nouem anni completi) venit ad me de Tuſ*

de Tuscia ille vir, missus, vt dicebat, à quibusdam sanctissimis eremitis, in partibus Tusciæ, in maxima vitæ austeritate per magna tempora degentibus, annuntians, quòd eisdem viris expresse reuelationes diuinitus factæ fuerant, quòd Antichristus iam erat natus, & quòd istud debebat mundo denuntiari, vt fideles ad tam terribile prælium se pararent: & quòd propterea dicti sancti eremitæ ipsum ad me mittebant, vt hoc modo denuntiarem. Sic ergo patet ex huiusmodi reuelationibus, si veræ sunt, quod iam Antichristus est natus, & habet completè nouem annos suæ maledictæ ætatis.

Quintò, patet eadem conclusio per quandam aliam reuelationem expressam, quam in Pedemontis audiui, relatu cuiusdam mercatoris Venetiarum, valdè fide digni, vt credo, dicentis, quòd quum ipse esset vltra mare in quodam Monasterio Fratrum Minorum, & audiret Vesperas ibidem in quadam solemnitate: tandem in fine Vesperarum, duo parui Nouitij eiusdem Monasterij, cùm dixissent, Benedicamus Domino, iuxta morem, statim immediatè coram oculis totius populi, qui aderat, visibiliter rapti per magnum spatium temporis, tandem concorditer, & terribiliter clamauerant: Hodie hac hora natus est Antichristus, mundi destructor. Quod verbum & factum fuit valdè mirabile, & stupendum, cunctis videntibus & audientibus: inter quos dixit se præsentem fuisse videndo & audiendo. Venetus prædictus. Ego autem exquirens, & interrogans de tempore huius visionis, manifestè reperi, quòd iam sunt nouem anni completi: & sic sequitur idem quod prius.

Sextò, eadem conclusio patet per multas alias reuelationes factas diuinitus quam plurimis deuotis & spiritualibus personis. Nam mihi per mundum prædicando, discurrenti per diuersas regiones, prouincias, regna, ciuitates, villas, & castra, frequenter occurrerunt diuersæ personæ & spirituales, narrantes & referentes certitudinaliter de tempore Antichristi, & fine mundi diuersimodè, & multifariè suas reuelationes, iuxta ea quæ dicta sunt, vnanimiter concordantes.

Septimò, eadem conclusio patet per innumerabilem dæmonum coactam veritatis confessionem: nam cùm in pluribus partibus mundi viderim quam plurimos obsessos à dæmonibus, qui ducebantur ad quendam sacerdotem societatis nostræ, vt coniurarentur ab eo: tandem cùm coniurari inciperent per eundem sacerdotem, manifestè dicebant de tempore Antichristi, concordantes cum his, quæ suprà dicta sunt: terribiliter, & audibiliter omnibus circumstantibus acclamando, & dicendo, se coactos per Christum, vt contra eorum voluntatem, & malitiam, veritatem supradictam hominibus prædicarent: vt sic homines per veram pœnitentiam se pararent. Quibus sic clamantibus, omnes ferè Christiani, qui in maxima multitudine quotidiè confluebant, cum magnis fletibus & lamentationibus cordis compungebantur, & quam plures eorum ad veram pœnitentiam ducebantur. Veruntamen interrogati dæmones, ac plures coniurati de loco natiuitatis Antichristi, noluerunt vllatenus reuelare.

Octauò, ostenditur eadem cõclusio ex discursu nuntiorum Antichristi, iam incipientium prædicare per mundum contra doctrinam Euangelicam: quorum complures sunt dæmones in habitu eremitarũ, & religiosorum, ac honestarum personarum, hominibus apparentes: qui cùm à fidelibus creduntur capi, & teneri, subitò euanescunt: sicut frequentissimè in pluribus locis experimentaliter est repertum. Vnde ex omnibus supradictis, in mente mea colligitur opinio, & credentia verisimilis (licèt non scientia certa & prædicabilis) de natiuitate Antichristi iam transacta per nouem annos. Attamen prædictam conclusionem, quæ dicit. Quod citò, & benè citò, ac valde breuiter erunt tẽpus Antichristi, & finis mũdi certitudinaliter, ac secure prædico vbique, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.

Et post alia tandem epistolam claudit his verbis: *Hæc sunt Sanctissime Pater, quæ de tempore Antichristi, & fine mundi discurrendo per mundum prædico, sub correctione, & determinatione Sanctitatis vestræ, quam Altissimus conseruet feliciter, vt optatis. Amen. Scripta sunt ista primordialiter in Villa Alcæ nisij, die XXVII. mensis Iulij, anno Domini MCDXII.* Hactenus Sanctus Pater.

Videtur itaque S. Vincentius existimasse Antichristum natum iam fuisse anno Domini 1403. cùm dicat, anno 1412. quo eam epistolam scribebat, habuisse ætatis annos nouem. Non defuere, qui Apostolico vito calumniam struxerint, quòd iam suo tempore natum Antichristum crediderit, falsis impostorum quorundam reuelationibus ludificatus. Paulus Langius in Chronico Citizensi, ad annum Domini 1417. *Vincentius de Valentia, declamator verbi Dei famatissimus, & sanctæ opinionis. Fuit tamen deceptus, quòd Antichristum prædicauit venturum suis in temporibus.* Hic est Langius Magnus ille exorientis Lutheri prædicator: vt cernas non esse adeo mirum, si illi S. Vincentius deceptus fuerit. Excogitarunt alij non paucas apologias quibus Sanctum virum à calumnia vindicarent. Scholiastes eius Epistolæ Vincentius Iustinianus annotauit S. Vincentium intellexisse de Amurathe II. Turcarum Imperatore, quem appellarit Antichristum, quod magnum eius simulacrum extiterit. At neque ostendi potest Amurathem anno 1403. natum: & clarius est S. Vincentium de vero Antichristo loqui, quàm in dubium reuocari queat. Georgius Phranza Protouestiarius, qui illa vixit ætate, in Chronico de vltimis Orientalis Imperij temporibus, lib. 1. cap. 32. *Mortuo Amera Mahomete, qui Cyritzes cognominatus est, filius eius Amurathes adueniens, Imperij habenas capessit, anno mundi 6924. qui fuit annus Christi* 1416. *Indictione* 8. Atque eodem capite ait, regnasse annos quatuor & triginta, aut vt alij tradunt, duos supra triginta: & lib. 3. cap. 2. tradit mortuum anno mundi 6959. Christi verò 1451. Ergo cùm Amurathes inierit Imperium anno Christi 1416. iam tum rebus magnis par, ante annum 1403. eum nasci oportuit.

Sed vt interim alia omittamus, præstat Sanctum pro Sancto laborantem audire, nimirum S. Antoninum Archiepiscopum Florentinum, qui 3. Parte Historiarum, titulo 23. cap. 8. §. 3. pro Sancto Vincentio huiusmodi texit Apologiam: *Reperitur autem quædam epistola eius, in qua videtur dicere expressè Antichristum iam esse in mundo. Cùm tamen ab eo tempore quo ista scripsit, vel prædicauit, transierint iam anni quadraginta & vltra, & necdum apparet eum venisse: & sic videtur non vera determinatio seu prædicatio eius de Antichristo. Ad quod dicendum est, quòd ea quæ circa hoc scripsit, & prædicauit, si sua verba sunt, opinatiuè, & non assertiuè dixit: non quidem mendacium dicendo ad terrendum populos, quod pernicioſum esset, nec Deus eget nostro mendacio, sed prout sibi videbatur ex testimoniis Scripturarum, secundùm signa data, seu reuelatione sibi facta, seu ab aliis ei relata. Quæ reuelationes aliquando non ad plenum intelliguntur: & si intelligantur plenè. Sicut aliquando tempus determinatè datum hominibus ad pœnitentiam, Deus abbreuiat: ita & spatium vitæ abbreuiatum, propter demerita hominum, prolongatur, vt patet in Ezechia, cui additi sunt quindecim anni ad vitam suam. Nouit, inquit, Ambrosius, Deus mutare sententiam, scilicet comminatiuam, si tu noueris mutare delictum.*

Quòd verò scriberet, vel prædicaret: Aduẽtus Antichristi, & finis mũdi citò erit, & benè citò: nõ propter hoc deter

determinabat tempus istud: sed sub illo, citò, potest comprehendi tempus modicum, & multum. Nam cùm Deus dixit per Aggæum Prophetam: Adhuc vnum modicum, & ego mouebo cælum & veniet desideratus cunctis gentibus, quod de Christo intelligitur: tamen illud modicum fuit spatium quadringentorum annorum, & vltra. Et Ioannes ait: Antichristus venit. Et idem: Filioli, nouissima hora est. Et in Apocalypsi: Tempus prope est, ecce venio cito. Non ergo propter hoc calumniandus, vel minùs verax existimandus est, qui vir fuit doctrinæ & vita Apostolicus. Hæc sanctus Antoninus, sanè prudenter. Satis diserta sunt sancti Vincentij verba: *In mente mea colligitur opinio & credentia verisimilis, licèt non scientia certa & prædicabilis, de natiuitate Antichristi iam transacta per nouem annos.* Neque enim prudentis & cordati viri fuisset, tot, tantísque sparsis rumoribus, & reuelationibus vtcúmque in vulgus iactatis, non commoueri. Suspicio igitur tantùm & timor fuit aduenientis Antichristi. Et nónne ipse sanctissimus vir iudicio Ecclesiæ corrigendam suam de Antichristo doctrinam subiecit? Vide Iosephum Acostam lib. 2. de Temporibus nouissimis, cap. 2.

Antichristum non venturum nisi propè finem sæculi.

CAP. XXXI.

HIc fuit semper consensus Christiani populi: acceptus ex verbo Dei, & perenni traditione Patrum. Primus locus est Danielis 7. vers. 8. *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit.* Cornu illud paruulum esse Antichristum suo loco ex sensu communi Patrum ostendemus. Vides vt diserte astruat, mox post exortum Antichristum, futurum vniuersale Iudicium: & vt Antichristi regnum, cum fine rerum coniungat. Quod etiam apertiùs indicat, vers. 25. *Tradentur in manu eius, per tempus & tempora & dimidium temporis. Et iudicium sedebit.* Ait Antichristum sæuiturum in Sanctos, triennium cum dimidio: & statim futurum Iudicium.

Secundus locus, Matth. 24. vers. 29. *Statim post tribulationem dierum illorum,* (nempe persecutionis Antichristi, vt suo loco demonstrabimus) *sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ de cælo cadent, & virtutes cælorum mouebuntur: & tunc parebit signum Filij hominis in cælo.*

Tertius locus, 2. Thessalonic. 2. vers. 1. *Rogamus autem vos, fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum, vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo. Quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c.* subaudi, non veniet Dominus ad Iudicium. Vbi certissimum signum imminentis diei Domini, præstituit Antichristi aduentum.

Quartus locus, 1. Ioan. 2. vers. 18. *Filioli, nouissima hora est, & sicut audistis quia Antichristus venit: & nunc Antichristi multi facti sunt, vnde scimus quia nouissima hora est.* Quo sanè clarius nihil dici potuit. Vnde Oecumenius: *Si enim, inquit, Antichristum in extremis temporibus, atque vltimis expectamus; nunc verò Antichristi multi extiterunt,* (*de Cerintho autem & similibus intelligit*) *tempus extremum mundi consummationis impendere perspicuum est, cùm multi Antichristi vni illi præeant.* Pulchrè, nam si quis aduentum alicuius Principis præstoletur, vt primum animaduertit anteambulones ipsius præsentes adesse, statim intelligit Principem non longè abesse: ita sanctus Ioannes scitè argumentatur: Cùm certum sit Antichristum in fine mundi venturum, iámque videamus eius metatores, & antecursores in mundo versari, nempe hæresiarchas: facilè coniectamur finem mundi propiùs impendere.

Innumeræ quoque sunt Patrum sententiæ, Antichristum in fine mundi venturum: paucas tantùm transcribemus: sanctus Ireneus lib. 5. cap. 30. *Cùm autem vastauerit Antichristus hic omnia in mundo, regnans annis tribus, & mensibus sex; & tunc veniet Dominus de cælis, in nubibus, in gloria Patris.*

Tertullianus de Resurrectione carnis, cap. 27. *Nam & cùm legimus: Populus meus, introite in cellas promas quantulum, donec ira mea prætereat: sepulchra erunt cellæ promæ, in quibus paulisper requiescere habebunt, qui in finibus sæculi, sub vltima ira per Antichristi vim excesserint. Aut cur cellarum promarum potiùs vocabulo vsus est, & non alicuius loci receptorij: nisi quia in cellis promis caro salita & vsui reposita seruatur depromenda illinc suo tempore? Proinde enim & corpora medicata condimentis, sepulturæ mausoleis & monumentis sequestrantur, processura indè cùm iusserit Dominus. Quod cùm ita intelligi congruat, (& quæ enim ab ira Dei cellariorum nos refugia seruabunt?) hoc ipso quod ait, donec ira prætereat, quæ extinguet Antichristũ, post iram ostendit processuram carnẽ de sepulchris, in qua ante iram fuerit illata: nam vt de cellariis non aliud effertur, quàm quod infertur. Et post Antichristi eradicationem agitabitur Resurrectio.* Eruditè elucidat Isaïæ locum, quem nos in editione vulgata ex Hebræo ita conuersam habemus, c. 26. vers. 20. *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.* Sanctus Augustinus epistola 86. ad Casulanum, versus finem, eundem locum ita legit: *Plebs mea intra in cellaria tua, abscondere pusillum, donec transeat ira Domini.* & de Resurrectione interpretatur.

Sanctus Hippolytus Martyr, orat. de Consummatione Mundi & de Antichristo: *Diem etiam consummationis nobis Prophetæ significarunt, extremis temporibus Apostatam emersurum, qui homines seduceret: initium ac finem regni eius, Iudicis quoque aduentum.* Et post pauca: *Explicabo enim vobis hodierna die, omnis horroris, terroríque plenam narrationem, nempe de Consummatione, id est, totius mundi seductione, quam patietur ab hoste, & diabolo, quam sequetur secundus Aduentus Domini nostri Iesu Christi.* Et post multa: *Seductoris & Antichristi regnum citò tolletur: deinde in ictu oculi præteribit species mundi huius, & cuncta quæ cadunt sub oculos delebuntur.*

Sanctus Cyprianus epist. 56. ad Thibaritanos: *Scire enim debetis, & pro certo credere ac tenere, occasum sæculi, atque Antichristi tempus appropinquasse, vt parati omnes ad prælium stemus.* Et Præfatione in Exhortationem Martyrij ad Fortunatum: *Et in fine atque consummatione mundi Antichristi tempus infestum appropinquare nunc cœpit.*

Lactantius Firmianus lib. Diuin. Institutionum, cap. 17. *Imminente iam temporum conclusione, Rex orietur ex Syria malo spiritu genitus, euersor, ac perditor generis humani.*

Sanctus Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 15. *Veniet autem Antichristus cùm impleta fuerint tem-*

pora Imperij Romani, & mundi consummatio appropinquauerit.

Sanctus Ephrem Syrus in oratione de Mundi consummatione, & de Antichristo: *Postquam ergo tria tempora cum semi impleta fuerint potestatis, & operationis sceleſti illius Antichristi, consummatisque iam scandalis omnibus totius terræ, quemadmodum diuino Domini & Saluatoris nostri prænuntiatum est ore: tunc veniet sicut fulgur de cælo coruscans, sanctus, immaculatus, terribilis, & glorioſus, Deus noster & Rex, in nubibus cum gloria, &c.*

Sanctus Hieronymus in 7. Danielis: *Ergo dicamus, quòd omnes Scriptores Eccleſiaſtici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum deſtruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se diuidant: & vndecimum surrecturum regem paruulum.* Nempe Antichristum. Et in cap. 11. Danielis: *Nostri & melius interpretantur & rectius, quòd in fine mundi hæc sit facturus Antichristus: qui consurgere habet de modica gente, id est, de populo Iudæorum.* Vides vt affirmet, hanc esse receptam Christianorum sententiam.

Sanctus Chryſoſtomus hom. 78. in 24. Matthæi: *Sicut cùm arca fieret, apertè futurum prænuntiauit diluuium, illi autem non credentes, tanquam nullo malo venturo laſciuiebant: sic Antichristus apparebit, poſt quem consummatio & intolerabiles pœnæ ſequentur.*

Sanctus Auguſtinus lib. 20. de Ciuitat. cap. 30. *In illo itaque Iudicio, vel circa illud Iudicium, has res didicimus esse futuras, Heliam Thesbitem, fidem Iudæorum, Antichristum perſecuturum, Christum venturum, iudicaturum, mortuorum reſurrectionem, bonorum, malorúmque direptionem, mundi conflagrationem, eiuſdémque renouationem.* Et tract. 3. in 1. Ioannis: *Certè prius veniet Antichristus: & tunc veniet dies Iudicij.*

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Geneſim: *Nam vt ipse existimo, neminem alium doloris filium dixerim, quam populum illum, qui vltimis temporibus ſæculi oriundus est: eo etenim tempore Filius quoque iniquitatis erit, qui aduerſatur, ſuperbitque aduerſus omnem qui dicitur Deus, aut veneratur.*

Theodoretus in 2. Theſſ. 2. *Statuit enim vniuerſorum Deus, vt Antichriſtus appareret in ipſo tempore conſummationis.*

Paulus Oroſius Præfat. in libros Hiſtor. *Exceptis videlicet, ſemotiſque illis diebus nouiſſimis ſub fine ſæculi, & ſub apparitione Antichriſti, vel etiam ſub concluſione Iudicij: quibus futuras anguſtias, quales ante non fuerint, Dominus Chriſtus per Scripturas ſanctas, ſua etiam conteſtatione prædixit.*

Sanctus Proſper in Dimidio Temporis, cap. 9. *Hìc oſtenditur, quòd ex Iudæis, de tribu Dan, quæ hodiéque in Perſide eſt, veniat Antichriſtus, &c. Statímque verum Chriſtum Dominum venturum, &c.*

Olympiodorus in 4. cap. Eccleſiaſtæ: *Qui in fine ſæculi credent in Antichriſtum, &c.*

Sanctus Gregorius Magnus lib. 4. in Iob, cap. 12. *A ſancto viro* Iob *in fine mundi ventura Antichriſti perditio præuidetur.* Multa in eandem ſententiam habet lib. 32. in Iob, cap. 12.

Sanctus Beda de Ratione Temporum, cap. 68. *Duo ſanè certiſſima inſtantis diei Iudicij habemus indicia: Fidem videlicet Iſraëliticæ gentis, & Regnum perſecutionémque Antichriſti.*

Sanctus Damaſcenus lib. 4. de Fide Orth. cap. 27. *Peculiari ac præcipuo modo Antichriſtus ille dicitur, qui ſub mundi cataſtrophem venturus eſt.*

Sed piget iam in re exploratiſſima plura teſtimonia colligere, cùm id & Patres, & omnes Orthodoxi ſemper crediderint: & nos in hoc opere pluribus locis manifeſtiſſimè demonſtramus, Antichriſtum non niſi propè finem ſæculi venturum. Vide Sanderum lib. 8. de Viſibili Eccleſiæ Monarchia, cap. 15. Bellarminum lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 9. Leon. Leſſium diſput. de Antichriſto, cap. 8. Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 54. ſect. 2.

Certum tempus Antichriſti aduentus, & conſummationis ſæculi, eſſe hominibus prorſus incognitum.

CAP. XXXII.

Ecclesiæ Fides docet, nullum mortalium quantumuis excellentis meriti, & ingenij. Certum & præfinitum tempus, quo Antichriſtus venturus eſt, & mundus finiendus, exploratè ſcire potuiſſe. Matth. 24. verſ. 36. *De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum, niſi ſolus Pater.* Actor. 1. verſ. 7. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Zachariæ 14. verſ. 7. *Et erit dies vna; qua nota eſt Domino: non dies, neque nox.*

Sancti quoque Patres vno conſenſu, acriter inuehuntur in eos, qui temeritate, aut imprudentia prouecti, tempus Antichriſti aduentus, & mundi finis præſcribunt. Magnus ille ſanctus Iacobus Niſibenus Epiſcopus, qui Concilio Nicæno cum trecentis decem & octo Patribus interfuit, Ariúmque damnauit S. Ephrem Syri præceptor, peculiare opus condidit ad eorum coarguendam vanitatem, qui ſcire ſe poſſe arbitrantur quando venturus eſſet Antichriſtus, & Dominus ad Iudicium. De ſancto Iacobo enim hæc habet Gennadius in Catalogo: *Compoſuit & Chronicon minoris quidem Græcorum curioſitatis, ſed maioris fiduciæ, quia diuinarum Scripturarum auctoritate conſtructum comprimit ora eorum, qui præſumptuoſa ſuſpicione de aduentu Antichriſti, vel Domini noſtri inaniter philoſophantur.*

Origenes tract. 30. in Matth. elucidans verba illa: *De die autem illa, & hora nemo ſcit, &c.* ait: *Videntur hæc arguere eos qui promittunt de conſummatione & corruptione mundi ſe comprehendere, & pronunciant quaſi inſtet dies Domini: quales dicuntur fuiſſe quidam Theſſalonicenſes in tempore Apoſtoli, de quibus ſcribit: Rogamus autem vos fratres, per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtram congregationem in ipſo, vt non citò moueamini à ſenſu veſtro, neque conturbemini, neque per ſpiritum, neque per verbum, neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Fortè quoniam apud Iudæos erant quidam ſiue per Scripturas profitentes de temporibus conſummationis ſe ſcire, ſiue de ſecretis: ideo hæc ſcribit, docens diſcipulos ſuos, vt nemini credant talia profitenti.*

Sanctus Cyrillus Ieroſolymitanus Catech. 15. *Tempus nemo curiosè inquirat: non eſt enim noſtrum ſcire tempora, quæ Deus poſuit in poteſtate ſua: neque audeas determinare, quando hæc fiant.*

S. Chryſoſtomus homil. 9. in 1. ad Theſſal. *Nihil ita, vt apparet, curioſum eſt, & auidum ad rerum obſcurarum & reconditarum cognitionem, vt humana natura. Hoc autem illi contingere ſolet, quando tenuem, & nondum abſolutum intellectum habet. Properat itaque animus noſter ad multa quidem iam cognoſcenda & comprehendenda, maximè tamen ad ſcien-*

dum

dum Consummationis tempus. Et quid mirum si nobis hoc accidit? ipsi námque sancti illi omnium potissimi idem perpessi sunt. Audi igitur quæ idem beatus Apostolus dicat: De temporibus autem, ac temporum articulis, fratres, non opus habetis, vt vobis scribam, quod enim dicit: Non habetis opus, tanquam superfluum & velut inutile, non permittit vt quærant.

Sanctus Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 53. *Omnium verò de hac re calculantium digitos resoluit, & quiescere iubet ille qui dixit: Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.* Agit hac de re alibi sæpiùs idem S. Pater, vt in Psal. 6. & 89. & epist. 78. & 80.

Sanctus Isidorus Hispalensis in fine sui Chronici hæc attexit: *Residuum sæculi tempus humanæ inuestigationi incertum est: omnem enim de hac re quæstionem Dominus noster Iesus Christus abstulit, dicens: Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Et alibi: De die autem, inquit, illa & hora, nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi Pater solus.*

Sanctus Gregorius Turonensis lib. 1. Historiæ Francorum in Præfatione: *Sed diem illam omnibus hominibus ignorari, ipse Dominus manifestat, dicens: De die autem illa, & hora nemo scit.*

Sanctus Beda de Rat. temporum, cap. 66. *Ceterùm cunctis in communi suademus, vt siue quis ex Hebraica Veritate, quam ad nos per memoratum Interpretem* (Sanctum Hieronymum) *puram peruenisse etiam hostibus Iudæis, in professo est: siue ex LXX. Interpretum translatione, quæ vel minùs sollicitè primò edita est, vt multi adstruunt; vel post à gentibus corrupta, vt B. Augustino videtur: seu certè ex vtriusque commixto opere codicibus, vt sibi visum fuerit, temporum cursum notauerit: & siue prolixiora, seu breuiora transacti sæculi tempora signauerit, aut signata repererit: nullatenus tamen ex hoc longiora vel breuiora, quæ restant sæculi tempora putet, memor semper Dominicæ sententiæ: Quia de die vltima & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi Pater solus.*

In Concilio Lateranensi sub Leone X. extat Apostolicum eiusdem Leonis Decretum, Datum sessione 11. Anno Domini 1516. 4. Kalend. Ianuarij, cuius initium. *Supernæ maiestatis præsidio, &c.* Vbi inter alia hæc habentur: *Mandantes omnibus, qui hoc onus prædicationis sustinent, quique in futurum sustinebunt, vt tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem Iudicij prædicare, vel asserere nequaquam præsumant: cùm Veritas dicat: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: ipsósque qui hactenus similia asserere ausi sunt, mentitos, ac eorum causa, reliquorum etiam rectè prædicantium auctoritati non modicum detractum fuisse constet.*

Sed cur Deus diem illum supremi mundi casus ignotum hominibus esse voluerit, accipe ea de re paucas Patrum rationes. S. Hilarius can. 26. in Matt. *Desine autem temporum, curam sollicitudinis nostræ ademit, diem illum dicens nemini esse cognitum. Ideò extra definitionem dies posita est, vt largum licet Deus pœnitentiæ nobis tempus indulgens, incerti tamen metu super nos sollicitos detineret: & ipse nulli loquendo, voluntatem dandi huius diei, nulla dicti sui definitione cohiberet: quia secundùm diluuij tempus, in ipso vitæ nostræ cursu omnia agentibus, ac pœnitentibus, magnus ille dies aderit.* Et lib. 9. de Trinitate: *Cur autem diei scientia abscondita sit, non in obscuro est. Námque dum monet nos irremissa fide intentos semper manere, securitatem cognitionis ademit: vt pendulæ expectationis incerto mens sollicita festinans, & aduentus diem semper expectans, semper expectando speraret, curámque peruigilem incertum ipsum, non ambigendi tamen temporis detineret. Ignoratio non ad errorem fuit necessaria, sed ad perseuerantiam. Nec negatum id ad detrimentum est, quod ignoratum tribuit incrementum: ne scientiæ securitas negligentiam fidei dissimulatæ excitaret, sed præparationem irremissam expectatio indefinita retineret: quæ modo furis metuendo semper caueret, illo eligente omne tempus ad furtum, patre familias verò domus, damni semper timore vigilante.*

Sanctus Ambrosius lib. 5. de Fide, cap. 7. *Sed quærimus qua ratione designare momenta noluerit. Si quæramus, non ignorantiæ inueniemus esse, sed sapientiæ. Nobis enim scire non proderat. vt dum certa futuri Iudicij momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti, & in quadam virtutis spelunca collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat. Non enim prodest scire, sed metuere, quod futurum est. Nam si diem designasset expressè, vni ætati hominum quæ proxima esset Iudicio, videretur disciplinam præscripsisse viuendi, superioris temporis, aut iustus esset, remissior, aut peccator securior. Namque adulter nisi quotidianam pœnam metuat, non potest adulterandi cupiditatem relinquere: nec latro obsessorum saltuum secreta deserere, nisi sciat sibi momentis omnibus imminere supplicium. Plerumque enim quibus incentiuum est impunitas, timor tædium est. Ideo ergo dixi, quòd scire non proderat, imò proderat ignorare: vt ignorantes timeremus, vt obseruantes emendaremur.*

Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 117. *Quid enim, dic quæso, vtilitatis attulerit, finis mundi diem exploratum haberi? At verò eundem ignorare conducit, vt omnem diem illum esse existimantes, parati ad eum simus, vigilantes, ac Dominum nostrum expectantes.* Vide Iosephum Acostam lib. 1. de nouissimis temporibus, cap. 3. & 4.

Explicatur locus insignis, quo apud Matthæum & Marcum Christus ait: De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi solus Pater.

CAP. XXXIII.

ANtiqui, nouíque Ariani aduersus Filij consubstantialem cum Patre diuinitatem, hunc locum, ceu murum alienum opposuere: Siquidem aliquid non scit Filius quod Pater nouit, eiusdem omninò Deitatis cum illo esse non potest. Agnoïtæ verò, & nostrorum temporum Nouatores in Christi Domini humanitatem intorquent, cui ignorantiæ labem tribuere non verentur. Vide Canisium lib. 3. de B. Virgine, cap. 22. & Bellarminum lib. 4. de Christo, c. 1. & seqq. Sed omissis putidis istis hæresibus, quæ iam ab innumeris iugulatæ sunt: nos ex Patrum & magnorum Interpretum sensu, locum mirè difficilem elucidemus.

Ante omnia sciendum, particulam illam, *neque Filius*, quæ nunc in solis Marci codicibus, 13 vers. 32. legitur: olim etiam in Matth. 24. vers. 36. in Græcis codicibus, & multis Latinis extitisse S. Hieronymus in Matth. 24. *In quibusdam Latinis codicibus additum est, neque Filius: cùm in Græcis, & maximè Adamantij & Pierij exemplaribus hoc non habeatur scriptum:*

ptum: sed quia in nonnullis legitur, differendum videtur. Et proculdubio de loco Matthæi intellexisse videtur S. Ambrosius lib. 5. De Fide ad Gratianum, cap. 7. cùm ait: *Scriptum est, inquiunt, Ariani: De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nec Filius, nisi solus Pater. Primùm veteress non habent codices Græci, quòd nec Filius scit. Sed non mirum si & hoc falsarunt, qui Scripturas interpolauere diuinas. Qua ratione autem videatur adiectum, proditur, dum ad interpretationem tanti sacrilegij derivatur.*

Ceterùm videntur plerique Patres eam particulam, *neque Filius*, in Matthæo etiam diserte legisse, vt annotauit Erasmus, nimirum Origenes tract. 30. in Matth. S. Hilarius can. 26. in Matth. S. Chrysostomus homil. 78. in Matth. Auctor operis imperfecti homilia 50. in Matth. S. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 12. & serm. 21. de verbis Domini, S. Beda in Matth. 24. Christianus Druthmarus in Matthæi 24. Theophylactus in 24. Matthæi. Testatur Franciscus Lucas, vidisse se tres perantiquos Latinos codices, in quibus Matth. 24. adderetur, *neque Filius*. At Græca omnia Matthæi exemplaria quæ extant, Syriaca Interpretatio, S. Hieronymus, Strabus, Remigius, Anselmus Laudunensis, S. Thomas, Lyranus, & alij: insuper Latini codices typis excusi, & omnes ferè peruetusti manuscripti eam clausulam, *neque Filius*, in Matthæo non habent. In Marco verò in omnibus Græcis & Latinis exemplaribus, perpetuò scriptum & lectum fuisse, *neque Filius*, extra omnem controuersiam est.

Erasmus in annotat. in Matth. 24. Dominicus Sotus 4. sentent. distinct. 43. quæst. 2. art. 3. Corn. Iansenius cap. 123. Commentariorum in Concordiam Euangeliorum, suspicantur eam ipsam pericopem, *neque Filius*, in Matthæo quoque à principio extitisse: tum quòd Marcus nihil ferè addere soleat ad Matthæum, sed tantùm Matthæi epitomen contexere: tum quia, vt præfati sumus veteres Patres Græci & Latini plerique eam partem in Matthæo & legerunt, & interpretati sunt. Post modum verò à nonnullis subtractam, ne Arianis esset ansa confirmandi Filium esse Patre minorem, qui aliquid ignoraret.

Sed ego potiùs existimo, longè post scriptum à Matthæo Euangelium, ex Marco in aliquos Matthæi codices arrepsisse: Ecclesiámque re probè perspecta, vt non genuinam, & illapsam à Matthæi libris reiecisse: sícque sine ea legi Matthæum in purissima vulgata editione. Nam alioqui fateri cogeremur Matthæi Euangelium nunc ab Ecclesia non omnino integrum, illa particula omissa, legi. Et sanè puto plerósque Patres illud, *neque Filius*, apud Matthæum exposuisse, non quòd in Matthæo legerint, aut legendum crediderint: sed quòd interpretantes verba Christi apud Matthæum, particulam illam ex Marco ad vberiorem explanationem adiecerint explicandam. Sed iam qua ratione Filius Dei dicatur non scire diem Iudicij, exponamus.

Prima Interpretatio.

Vt illud, *neque Filius*, non de Filio Dei naturali Christo intelligatur, sed de Filio adoptiuo, id est, de populo Christiano, vel de quouis iusto, & sancto homine, & amico Dei. Hanc retulit S. Thomas 3. part. quæst. 10. artic. 2. ad 1. Sed nec probauit, nec improbauit. Ea est sancti Gregorij Turonici lib. 1. Historiæ Francorum, in præfat. qui ait: *Sed & hic respondebimus hæreticis, qui nos impugnant, asserentes minorem esse Filium Patre, qui hanc diem ignoret. Cognoscant ergo hunc Filium, Christianum populum nuncupatum, de quo à Deo prædicitur: Ego ero illi in Patrem, & ipsi erunt mihi in filios. Si enim hæc de Vnigenito Filio prædixisset, nunquam ei Angelos præposuisset: sic enim ait: Neque Angeli cælorum, neque Filius ostendens, non de Vnigenito, sed de adoptiuo populo hæc dixisse.* Sed reiicitur passim ab omnibus, argumentis perspicuis. Vide S. Thomam in Matth. 24. & Tyræum de Apparitione Christi Iudiciaria, cap. 19. num. 33.

Secunda.

Exposuerunt alij de ipso Christo, non in sua persona, sed in persona corporis sui mystici, id est, Ecclesiæ, quæ est Corpus Christi, & nescit diem Iudicij. Satis constat multa in Scripturis de Christo dici, quæ de Ecclesia sunt propriè intelligenda, ex peruulgato Tychonij Afri canone. Origenes tractat. 30. in Matthæum: *Alia expositio quæ famosior est, aliud dicit de eo quod scriptum est: Neque Filius, nisi solus Pater. Donec enim Ecclesia, quæ est corpus, nescit diem illum & horam, tamdiu nec ipse Filius dicitur scire diem illam & horam, vt tunc intelligatur scire, quando scierint, & omnia membra eius.*

Sanctus Gregorius Magnus cùm hanc interpretationem in libris sancti Eulogij Alexandrini Episcopi contra Agnoïtas, legisset, vehementer laudauit, atque hæc ad eundem sanctum Eulogium rescripsit lib. 8. epist. 42. *De eo verò quod scriptum est, Quia diem & horam neque Filius, neque Angeli sciunt: omnino rectè vestra Sanctitas sensit: quoniam non ad eundem Filium, iuxta quod caput est, sed iuxta corpus eius, quod nos sumus, est certissimè referendum. Qua de re multis locis idem B. Augustinus eo sensu vtitur.*

Photius in Bibliotheca num. 230. in Excerptis ex Orationibus vndecim sancti Eulogij Alexandrini Episcopi, hæc notat: *Aliam orationem componit contra Agnoïtas, siue ignorantes: Monachos autem quosdam ait ex Palæstina solitudine excitasse prauum dogma, qui Domino nostro Iesu Christo ignorantiam, ex iis quæ ipse dixit, assignare conati sunt: Nemo nouit illum diem neque Filius hominis. Atque item ex aliis hoc genus verbis. Docet etiam alia de Christo dicta per figuram, alia secundùm rei veritatem. Figuratè dicitur, illum pro nobis peccatum, & maledictum factum esse: neque enim fuit quidquam horum. Sed veluti sibi caput vendicat, ea quæ sunt reliqui corporis: ita Christus ea quæ corporis sunt, sibi assignat. Secundùm rei veritatem autem dicitur homo factus, & esuriisse, & sitiuisse, & hoc genus similia. Quòd si ergo quis velit dicere, eum figuratè, & anaphoricè aliquid ignorare, eo quod corpus non sit extra ignorantiam: aut humana vox, cuius ipse caput est: is non absurdè loquetur, neque interim Patris sapientiam ignorasse aliquid docebit.* Hæc ex sancto Eulogio Photius. Eadem expositio est Auctoris Commentarior. in Marcum, nomine sancti Hieronymi, & Anselmi Laudunensis in Interlinearì, & Zachariæ Chrysopolitani cap. 146. Harmoniæ Euangelicæ.

Tertia.

Quidam intelligunt, Christum dici nescire diem Iudicij, non quidem cognitione theorica, seu speculatiua; sed practica dumtaxat, quia nimirum nondum expertus est, nondum exercuit: non enim

venerat

venerat iudicare mundum, ſed ſaluare, Ioannis 3. verſ. 17. Qua etiam ratione 2 Corinth. 5. verſ. 21. *Qui non nouerat peccatum.* Iſaiæ 53. verſ. 3. *ſcientem infirmitatem.* Ita hunc locum interpretantur Origenes tract. 30. in Matth. ſanctus Epiphanius hæreſi 69. ſanctus Chryſoſtomus ſerm. de Trinitate, tomo 3. ſanctus Bernardus de duodecim gradibus Humilitatis. Sed aliorum nomine vnum Chryſoſtomum audiamus, qui ita ſcribit: *Nullus ſcit diem illam, vel horam, neque Angeli, neque Filius, niſi Pater. Et quomodo ergo æqualis eſt Patri, qui neſcit diem illam? Qui fecit illam, ignorabitne illam? Et quare igitur dicit, Neque Filius? Vide theoriam exquiſitiorem. Duas quis ſcientias & notitias in Scriptura inueniet: Vnam quidem quæ ex opere ſumitur, alteram verò ex cognitione. Filius, qui venit vt ſaluet mundum, & non vt iudicet, ſcit eam ſpeculatiua notitia: quia autem nondum iudicauit, ideo dixit: Ignorat diem, notitiam operatiuam ſignificans.* Et ſanctus Epiphanius: *Nondum verò nouit ipſam, ſecundùm actionem, hoc eſt, nondum iudicauit.* Scimus hanc & præcedentem interpretationem à quibuſdam recentiorum non probari: ſed nos magnum honorem Patribus tribuimus.

Quarta.

Plerique exponunt; Chriſtum non ſciuiſſe diem Iudicij, nimirum quà homo, hoc eſt, ſecundùm humanam naturam: non quòd humana Chriſti natura neſciuerit illum diem; ſciuit enim certiſſimè per ſcientiam creatam, tam beatam, nempe per claram Dei viſionem in Verbo, quàm per infuſam: ſed non ſciuit ex viribus naturæ humanæ, & ex notitia, naturali lumine humanitùs comparata. Sciuit itaque in natura humanitatis, ſed non ex natura humanitatis. Igitur cùm dicitur, Chriſtus, quà homo, non ſcit diem Iudicij, vocula illa, quà, non indicat ſpeciem, ſed cauſam. Atque ita haud dubiè intelligendi ſunt Patres, qui locum hunc explanantes, aiunt, Chriſtum quatenus homo neſciuiſſe Iudicij diem. Hi ſunt S. Athanaſius ſerm. 4. contra Arianos, ſanctus Gregorius Nazianz. orat. 3. & 4. de Theologia, quæ ſunt inter orationes Nazianzeni 35. & 36. ſanctus Ambroſius de Fide ad Gratianum, lib. 5. cap. 7. ſanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 9. Theſauri, cap. 4. Auctor diſputationis inter Arium & Athanaſium coram Probo, Theodoretus anathematiſmo 4. contra ſanctum Cyrillum, Auctor operis imperfecti homilia 49. in Matth. ſanctus Gregorius Magnus lib. 8. epiſt. 42. quem ceterorum nomine libet audire: *Vnde hoc intelligi ſubtiliùs poteſt, quia incarnatus Vnigenitus, factúſque pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis nouit diem & horam Iudicij, ſed tamen hunc non ex natura humanitatis nouit. Quod ergo in ipſa nouit, non ex ipſa nouit.* Probant hanc interpretationem plures recentiorum, Caietanus, Clarius, Gagnæius, Ianſenius, Lucas Brugenſis, in Matth. 24. & Marci 13. Bartholomæus Torres in 1. part. S. Thom. quæſt. 29. art. 1. diſput. 1. part. 3. Bañez, & Zumed ibidem, Suarez tomo 1. in 3. part. quæſt. 10. art. 2.

Exiſtimant tamen Bellarminus lib. 4 de Chriſto, cap. 5. Tyræus de Glorioſa Chriſti Apparitione Iudiciaria, cap. 19. num. 35. eiuſmodi expoſitionem non plenè cum verbis & inſtituto Chriſti conuenire: nam Apoſtoli cupiebant edoceri à Chriſto quando futurus eſſet dies Iudicij: ipſe verò reſpondit ſe neſcire, ac propterea non poſſe illis edicere. At ſi ſciebat diuinitus, & ſi non humanitus, certè poterat illum docere: nihil enim referebat ad dicendum, quo titulo, quáve ratione diem Iudicij ſciret: ſiquidem quocunque modo ſciret, poterat illum Apoſtolis reuelare, quod ipſi rogabant. Id ſemper præ me fero, non ob quaſcunque rationes, Patrum explicationes explodendas eſſe. Cur enim hîc rectè dici non poſſit? illud potiſſimùm Chriſto fuiſſe propoſitum, coërcere, & abigere Apoſtolos à curioſa illa & inutili interrogatione, ſimpliciter prætendendo diem illum Iudicij ſuapte natura eſſe occultiſſimum: ſuperare omnem captum humanæ cognitionis, & Angelicæ, nulla naturali vi, aut ingenij acumine cognoſci poſſe: proinde ceſſarent pertinaciùs inquirere, quòd Deus tam abſtruſum & reconditum eſſe voluerit: vt etiam naturæ ſuæ humanæ quantumuis omnium ſapientiſſimæ, ac præſtantiſſimæ innatas vires omnino excederet.

Quinta.

Illa tamen frequentior habetur interpretatio, Chriſtum neſcire diem Iudicij, quia non ſciebat ad dicendum aliis, hoc eſt, quia non faciebat alios ſcire, non illum ſciebat, vt aliis reuelaret. Et verò notus eſt Scripturæ canon, plerumque Deo tribui, quod in nobis efficit, inquit ſanctus Auguſtinus in Pſalm. 3. & ſimplicia verba quæ de Deo dicuntur, exponenda eſſe tranſitiuè adhibito verbo *faciendi*, vt ſanctus Gregorius annotat lib. 9. in Iob, cap. 19. Sic Geneſ. 22. verſ. 12. *Nunc cognoui quòd timeas Dominum*, id eſt, nunc cognoſcere te feci. Deuteronomij 13. verſ. 3. *Tentat vos Deus, vt ſciat*, (ſic enim verterunt LXX. Interpretes) *an diligatis eum.* Noſter, *vt palam fiat.* Hebræa, *ad ſcire.* Actor. 1. verſ. 18. *Hic poſſedit agrum de mercede iniquitatis*, id eſt, poſſidere fecit. Romanor. 8. verſ. 26. *Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id eſt, poſtulare nos facit. Vide de hoc canone Martinum Cantapratenſem lib. 10. Hypotypoſ. regula 3. Nec aliter hoc loco, *Nemo ſcit, neque Filius*, id eſt, *alios ſcire non facit.* Ita intellexerunt ſanctus Baſilius lib. 4. aduerſus Eunom. ſanctus Hilarius can. 26. in Matth. S. Ambroſius lib. 5. de Fide, cap. 7. S. Hieronymus in 24. Matthæi, S. Chryſoſtomus homil. 78. in Matth. S. Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 12. & lib. 83. Quæſtionum, quæſt. 61. S. Gregorius Papa lib. 8. epiſt. 42. S. Iulianus Epiſcop. Toletanus lib. 3. Prognoſt. cap. 1. S. Beda in 24. Matthæi, & in 13. Marci, Strabus Monachus, & Theophylactus in 24. Matth. S. Thomas 3. part. quæſt. 10. art. 2. ad 1. & ex recentioribus, Ianſenius, Bellarminus, Suarez, Tyræus, Sà, & alij. Sed omnium nomine, S. Auguſtinum audiamus: *Hoc enim neſcit Filius, quòd neſcientes facit: id eſt, quòd non ita ſciebat, vt tunc diſcipulis indicaret, ſicut dictum eſt ad Abraham: Nunc cognoui quod timeas Deum, id eſt, nunc feci, vt cognoſceres: quia & ipſe ſibi in illa tentatione probatus innotuit.*

At obiiciunt, quia hac ratione neque Pater ſciebat. Reſpondeo: Pater ſcit ad reuelandum Chriſto: at Chriſtus neſcit ad dicendum aliis. Rurſus opponunt, quia eo pacto rectè quoque poſſemus dicere, Angelos ſcire diem Iudicij, quamuis non ſciant ad manifeſtandum aliis. Reſpondeo: Hac in re non poſſe Angelos Chriſto æquari: vnde appoſitè ait Chriſtus: Nullus omnino ſcit, neque Angeli: Filius verò, etſi ſciat non tamen ad dicendum aliis.

Sexta.

Vt magis præcedens explanatio illuſtretur, notant aliqui, Chriſtum Dominum vſum hîc communi modo loquendi hominum prudentum, qui cùm ali-

quid secretò custodiendum accipiunt, importunè rogantibus, nescire se simpliciter fatentur: nimirum vt commissum arcanum persanctè celent, ac recondant, quod non est temerè efferendum. Dissimulant interea, ad modum nescientium se gerunt. Sic Christus, cùm secretissimè sciret Iudicij diem, simpliciter nescire se dixit: quia illud tantùm sciebat in forò quodam & iudicio Dei, quod quidem volebat Deus occultissimum esse: & nesciebat planè in eo iudicio & statu, quo dici nec debebat, nec poterat, in quo tamen Apostoli scire illum cupiebant. Nesciebat iure, vel eo modo, aut in eo, vt ita dicam foro, vt rectè dicere aut deberet, aut posset: ac propterea verissimè dicere potuit se nescire: quia erat interrogatio alterius iudicij ac fori, ad quam ipse respondere non poterat, quia in eo in quo interrogabatur foro simpliciter nesciebat. Sicuti Confessarius quæ in arcano confessionis foro audiuit, verè affirmare potest se nescire De qua re Theologi abundè differunt, & cum primis Dominicus Sotus de Tegendo secreto, membro 3. quæst. 3. conclus. 2. & 4.

Nec tamen modus iste loquendi, mendax, falsus, aut deceptorius censeri debet: immò quidem inter probos cordatósque viros, ita in more loquendi positum est, vt quod secretò scis, verè dicere possis, te nescire: nec proterea quisquam te mentiri, aut decipere putat: nam omnes concipiunt, & intelligunt, quod res est, te nescire, vt iure dicere debeas, aut possis: rectéque norunt in magni momenti secretis verbum illud, *Nescio*, tantùm significare secreti religionem: voces enim significant ex communi & recepto vsu loquentium, præsertim sapientium.

His addendum, verè & rectè potuisse Christum dicere, se nescire diem Iudicij, quòd non expediret illum Apostolis aut aliis manifestare, cùm non conueniret, vt homines illum scirent. Ioannis 15. vers. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Omnia nimirum quæ ipsum dicere, & eos audire oportebat, quæ eorum bono conducebant. Quasi nihil eos celauerit, omnium eorum quæ ita accepit à Patre, vt ipsis reuelari conueniret: ac cùm scire diem Iudicij eis non expediret, verè dicere potuit, se illum nescire: quasi dicat: Rogatis me vt diem Iudicij vobis aperiam: at ego non noui, quia non sic à Patre meo accepi, vt verè dicere debeam, aut scire vobis expediat. Est illud Actor. 1. vers. 7. *Non est vestrûm nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Vt ergo Apostolos à curiosa & inutili quæstione Christus repelleret, dixit simpliciter se nescire. Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 117. *Consummationis diem inquiunt, Dominus ignorauit. Absit: verum inutiles quæstiones explicare recusabat.* Et posteà: *Verùm, vt iam dixi, vanæ percunctationis explicationem, ac sententiam minimè declarandam duxit. Quid enim, dic quæso, vtilitatis attulerit, finis mundi diem exploratum habere? At verò eundem ignorare conducit, vt omnem diem illum esse existimantes, parati ad eum simus, vigilantes, ac Dominum nostrum expectantes.*

Victor Antiochenus in 13. Marci, explicans illam particulam. *Neque Filius*, inquit: *Cùm porrò addit, neque Filius, non modo ne hoc discere studeant, vetat, verumetiam ne anxiè inquirant. Quod enim propter hoc illud dixerit, ex iis cognoscere licet, quæ post illius Resurrectionem acciderunt. Nam cùm Apostolos aliquanto curiosiores videret, quò illorum curiositati silentium imponeret, diei illius ignorationem præ se ferre visus est: cùm tamen æquè certò, atque Pater illum compertum haberet.* Et post alia: *Cur diem illum prodere non voluit? Vt vigiles: huc enim spectat, quod mox subditur: Videte, vigilate, & orate.*

Theophylactus in Matth. 24. *Docet hoc loco discipulos, vt non quærant discere humanam naturam transcendentia: nam dum dicit, neque Angeli, admonet eos quòd discere attentant, id quod Angeli ignórant: & dum dicit, Pater solus, prohibet eos anniti, vt discant posteà. Quòd si dixisset eis, Scio quidem, vobis autem dicere nolo, contristati essent vtique, quasi despecti ab eo. Nunc autem cùm dicit, quod neque Filius nouit, nisi Pater solus, prohibet ne inquirant. Sicut & Patres sæpe continent quid in manibus, deinde autem dum quærunt hoc filij, & dare ipsi nolunt, occultant, dicentes: Non habemus quod quæritis; & sic plorantes filios compescunt. Ita & Dominus vt compescat Apostolos, ne discere velint de die illo & hora, dixit: Neque ego scio, nisi Pater solus. Scit enim ipse horam & diem illum: id quod ex multis aliis est manifestum.* Et in Marci 13. *Volens Dominus discipulos à dici & horæ illius interrogatione cohibere, dicit, quòd neque Angeli, neque Filius sciant. Si enim dixisset, Scio quidem, sed nolo vobis reuelare, mœrore illos affecisset: nunc autem prudenter rem agit, & eos omnino prohibet ne discere affectent, ac molesti sint, dicens: Neque Angeli scient, neque ego. Ab exemplo autem intelligas quod dicitur. Sæpe pueruli vident Patres suos tenere quiddam in manibus, & hoc petunt: patribúsque dare nolentibus, plorant, quòd non accipiunt: denique patres occultant illud quod tenent, & ostendentes manus vacuas pueris, fletum illorum sistunt. Sic & Dominus quasi pueros Apostolos alloquens, occultauit diem. Nam si dixisset, Scio: non dico autem; indoluissent, quòd ab illo non discerent. Quod autem Dominus sciuerit & diem & horam, manifestum, quia sæculi conditor est. Et quo pacto quod fecit, nesciret? Verum vtiliter abscondit Deus consummationem vitæ, siue omnium in communi, siue vnius cuiusque in singulari, vt dum incertus est finis, semper solliciti simus, ac anxij, expectantes illum, & timentes, ne impræparatus adueniat.*

Sanctus Ambrosius lib. 5. de Fide ad Gratianum, cap. 7. *Sed quæritis, qua causa non ita discipulis negauerit, quasi sciret, vt nollet dicere: sed neque Angelos, neque Filium scire memorauerit? Verum ea est in Scripturis consuetudo diuinis, sicut multa exempla testantur, vt Deus dissimulet se nescire quod nouerit. Et ego vt iam respondeam, qua ratione neque Angelos, neque Filium, sed Patrem scire memorauit; solemnem eius circa discipulos charitatem, etiam in hoc loco, & gratiam recognosco. Maulut enim Dominus nimio in discipulos amore propensus, petentibus his quæ cognitu inutilia iudicaret, videri ignorari quod nouerat, quàm negare: plúsque amat nostram vtilitatem instruere, quàm suam potentiam demonstrare.*

Zacharias Chrysopolitanus cap. 146. Harmoniæ Euangeliorum: *Hinc ostenditur quòd ipse sciat: sed non expediat Apostolis nosse, vt semper incerti de temporibus futuris, viuant cum timore.*

Septima.

Ioannes Maldonatus, cui nulla aliarum interpretationum placuit in Matth. 24. vers. 36. hanc nouam attulit, dicens: *Sed nisi fallor, eodem modo Christus hîc loquitur, quo suprà cap. 20. 23. Sedere autem ad dexteram & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Itaque indicat, quòd magis est, se non solùm, vt hominem, sed etiam vt Deum, modo quodam diem iudicij ignorare: non quòd ignoret: sed quòd non ipsius sit officium scire: sicut non*

dixit,

dixit, quibus paratum eſt à me, ſed, à Patre meo: non quòd non etiam ab ipſo paratum eſſet: ſed quòd regnum parare, id eſt, prædeſtinare, non ipſius, ſed Patris officium ſit. Sic etiam Patris eſt conſtituere, quando ſoluendus ſit mundus, quando dies Iudicij futurus ſit. Hoc eſt quod Apoſtolis dicit Actor. 1. 7. Non eſt veſtrûm noſſe tempora, vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Propterea ſolus ipſe ſcire ſignificatur. Atque hic, niſi fallor, verus eſt ſenſus. Hactenus Maldonatus. Cuius expoſitionem approbare videtur Tyræus de glorioſa Chriſti Apparitione Iudiciaria, cap. 19. num. 39.

Non ſum adeò moroſi ingenij, vt ſtatim mihi omnia diſpliceant: ſed hîc expendi velim, cùm Chriſtus dicat Ioann. 5. verſ. 22. *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio.* Et verſ. 27. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt.* Quibus verbis, munus & auctoritatem, atque officium iudicandi ſibi à Patre datum affirmat: qua etiam ratione non ſit officium ipſius Filij ſcire quando debeat ad iſtud vniuerſale Iudicium venire?

Inter omnes allatas perobſcuri loci explanationes, quartam, quintam, & ſextam magis probamus: ſecundam & tertiam in honore propter Patres habemus. Sed qui plura de his noſſe cupierit, præter veteres Patres quos hîc laudauimus, adeat Ianſenium in cap. 123. Concordiæ Euangelicæ, Bredembachium in 24. Matth. Caniſium lib. 3. de Maria Virgine, cap. 22. Bellarminum lib. 4. de Chriſto, cap. 5. Suarez 3. part. quæſt. 10. art. 2. ad 1. Maldonatum, & Franciſcum Lucam in 24. Matth. & 13. Marci, Tyræum loco dudum citato.

Ceterùm Chriſti animam à momento ſuæ in corpuſculum infuſionis, diem Iudicij certiſſimè cognouiſſe, cùm per ſcientiam beatam, id eſt, claram Dei viſionem, tùm per infuſam, mira eſt ea de re omnium Theologorum conſenſio. In VI. Generali Synodo Conſtantinop. act. 11. extat epiſtola S. Sophronij Archiepiſc. Conſtantinop. ab eadem Synodo approbata, in qua pronuntiatur anathema Themiſtius cum hæreſi ſua, de quo hæc ait ſanctus Sophronius: *Themiſtius qui fuit ignorantiæ pater, & genitor, atque ſeminator nefandiſſimus, qui Chriſtum verum Deum noſtrum diem Iudicij neſcire delirabat: neſciens quæ ipſe iam à Deo proiectus aſſereret, & non recognoſcens quæ ignorando loquebatur. Niſi enim ignoraſſet verborum ſuorum virtutem, non vtique letiferam ignorantiam peperiſſet, & ignorantiæ fœditatem feruenter defenderet, ignorare Chriſtum non ſecundùm id, quòd Deus erat ſempiternus, ſed ſecundùm quòd veraciter homo factus, diem conſummationis atque Iudicij, ex inſipientia mentis eructans, & purum eum efficiens hominem.* Eſt & manifeſtiſſima ratio, quòd Chriſtus quà homo diem Iudicij cognoſcat, cùm illi etiam quà homo, & quia filius hominis eſt, iure redemptionis conueniat iudicium facere, Ioann. 5. verſ. 27. ac ſubinde ſcire etiam ipſum tempus Iudicij.

Diſputant Theologi, an animæ Beatorum Deum clarè videntes, vel ipſi Angeli ſaltem excellentiores, vt Seraphini, vel etiam ſacra Dei Genitrix, diem illum, vel in Verbo, vel peculiari reuelatione cognoſcant.

De Beatis & Angelis pro certo tradiderim, non ſcire. Beatæ Virgini ſingulari priuilegio conceſſum, vt ſciat, non abnuerim. At quia de his pleniùs diſſerere, inſtituti noſtri ratio non fert, conſule Toſtatum in Matthæi 24. quæſt. 209. Caietanum in 24. Matth. Sotum in 4. ſentent. diſt. 49. quæſt. 2. art. 2. Suarez tom. 1. in 3. part. ſancti Thomæ, quæſt. 10. artic. 2. ad 1. & diſputat. 53. ſect. 4. Tyræum de Glorioſa Chriſti Apparitione Iudiciaria, cap. 19. num. 43. & ſeqq.

DE ANTICHRISTO

Liber Tertius.

DE ORTV, ET INITIIS ANTICHRISTI.

Falsæ quadam de Antichristi generatione opiniones.

CAPVT PRIMVM.

SANCTVS HIPPOLYTVS Martyr orat. de Consummatione mundi, existimauit, Antichristum non futurum verum hominem, nec verum corpus, aut veram naturam humanam habiturum: sed futurum ipsum diabolum in forma & specie humana assumpta, non veta, ac subsistenti, sed vana phantastica, apparente. Sic enim ait: *Primò, natiuitas eius* (Antichristi) *est exponenda, atque incrementum: tum sermo deducendus ad explicandum quo pacto, per omnia diabolus, & filius iniquitatis sit Saluatori nostro se exæquaturus. Cùm Saluator mundi genus humanum saluare decreuisset, ex immaculata Virgine Maria natus est, & in figura carnis hostem conculcauit, suæ Diuinitatis propria potentia. Ad eundem modum etiam diabolus ex impura muliere prodibit super terram, sed falsò nascetur ex virgine. Etenim Deus noster in carne versatus est nobiscum, nostræ non dispari, quam ipse fecit Adamo, posterisque eius omnibus, absque peccato. Sed diabolus licèt carnem assumat, hoc opinione tantùm. Quî enim carnem ferret, quam ipse non condidit, sed oppugnat quotidie? Hanc opinor, dilecti, carnis suæ substantiam phantasticam assumit organi vice. Propterea edetur ex Virgine veluti spiritus, qui quidem reliquis apparebit caro. Nam Virginem peperisse solam sanctissimam nouimus, quæ carnigerum verè genuit Saluatorem. Siquidem Moses ait: Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Hic autem nequaquam: sed quemadmodum hostis non aperiet vuluam: ita nec carnem veram assumet, aut circumcidetur, vt circumcisus est Christus.*

Haud longè ab hac sententia abesse videtur Iulius Firmicus Maternus libro de Errotibus prophanarum religionum, cap. 21. cùm ait: *Habet ergo diabolus christos suos: & quia ipse est Antichristus, ad infamiam nominis sui miseros homines scelerata societate perducit.* Eiusdem opinionis non paruam suspicionem præbuisse S. Ephrem oratione de Antichristo, qui eandem ex sancto Hippolyto accepisse videri possit, aliquæ eius sententiæ innuunt: nam de Antichristo, quasi de diabolo plerumque loquitur, ac inter alia agens de Antichristi regno, ait: *Et infestissimo hoc dæmone regnante.* Sed commodè eius verba in rectum sensum duci possunt, quasi Antichristus sit diabolus, non natura, sed malitia, & quia per Antichristum diabolus crudelissimum regnum exercebit.

Hanc sancti Hippolyti opinionem suppresso auctoris nomine sanctus Hieronymus in 7. Danielis refellit his verbis: *Et ecce quasi oculi hominis erant in cornu isto. Hoc propterea dictum est, ne putemus Antichristum, iuxta quorundam opinionem diabolum esse futurum: sed vnum de hominibus in quo Satanas habitaturus sit corporaliter.* Sed conuincitur erroris ea opinio ex verbo Dei expresso, 2. Thess. 2. vers. 5. *Et reuelatus fuerit homo peccati.* Quis dicat S. Paulum vmbram, & phantasma hominis, hominem appellasse? Deinde absurdissimum est, quæ Scriptura sacra de libidine, morte, & id genus aliis Antichristi prodit, ea non nisi fictitiè & phantasticè, nempe de diabolo dicta intelligere. Deinde communis sensus Patrum & Christianorum omnium, exploratum semper habuit Antichristum verum hominem futurum: vt in hac re nullus dubitandi locus esse queat.

Alij dixerunt, Antichristum verum quidem hominem futurum: sed simul etiam verum diabolum, nempè nefarium aliquem cacodæmonem in assumpta humanitate verè incarnatum. Vt enim Christus verus est Deus & homo per vnionem hypostaticam diuinæ & humanæ naturæ; ita quoque aiunt, diabolum in fine mundi, veram aliquam humanitatem per vnionem hypostaticam assumpturum: & in vna dæmonis persona duas futuras naturas diabolicam & humanam, vt verus Dæmon, & verus homo re ipsa existat. Hanc sententiam indicasse nonnulli ex Patribus videntur, nisi commodè alioqui eorum dicta interpretemur.

Auctor nomine sancti Ambrosij in 2. Thessal. 2. inquit: *Nouissimo enim tempore sciens diabolus imminere sibi interitum, (deficiente autem regno Romano, & ille de cælis mittetur deorsum proiectus in terram, sicut dictum est in Apocalypsi Ioannis Apostoli) subornabit sibi, in quo & per quem signa quædam virtutis, permissu iusti Dei faciens, se commendet, vt adoretur quasi sit Deus. Imitabitur enim vt sicut Filius Dei diuinitatem suam homo natus, vel factus signis & virtutibus demonstrauit; ita & Satanas in homine apparebit, vt virtutibus mendacij ostendat se Deum, sicut suprà dictum est.* Suprà verò hæc dixerat:

dixerat : *Ne poſſint ſeduci ad adorandum diabolum, qui idcircò hæc iactabit, vt ſub Saluatoris nomine apparens, ac fallens Sanctos, velit ſe adorari, vt decipiat credentes in Chriſtum.*

Sanctus Hieronymus in 7. Danielis : *Ne putemus Antichriſtum diabolum eſſe futurum : ſed vnum de hominibus, in quo totus Satanas habitaturus ſit corporaliter.* Non aliter loquitur Paulus de vnione Chryſti hypoſtatica : *In quo habitabat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Eadem verba ex ſancto Hieronymo mutuatus eſt S. Beda in 13. Apocalypſ.

Theodoretus in epitome diuinorum Decretorum : *Ante aduentum Domini veniet humanam naturam ſubiens, hominibus perniciosus, Deique aduerſarius dæmon, diuini nominis prædo : & ſicut olim hoc nomen, nempe, Deus, ſuffuratus id ſibi impoſuit : ita Chriſti Domini appellatione vſurpata, omnes quidem decipiet, multis quoque imponet ex iis, qui ſanctum & venerabile nomen accepere, dicens, ſe eſſe Chriſtum.*

Cæterùm poſſe diabolum humanam naturam ſibi hypoſtaticè vnire, non abſurdum exiſtimarent Tertullianus & Origenes, qui putant Angelos ſanctos, cùm apparent in corporibus humanis aſſumptis, vnire ſibi ea corpora humana hypoſtaticè, eáque verè eſſe humana corpora & viuentia. Tertullianus lib. 3. aduerſus Marcionem, cap. 9. *In iſta quæſtione, quî putaueris opponendos eſſe nobis Angelos Creatoris, quaſi & illi in phantaſmate putatiuæ vtique carnis egerint apud Abraham, & Lot, & tamen verè ſint & congreſſi, & paſti, & operati quod mandatum eis fuerat.* Et poſt pauca : *Dehinc ſcito, nec illud concedi tibi, vt putatiua in Angelis fuerit caro : ſed veræ & ſolidæ ſubſtantiæ humanæ. Si enim difficile non fuit illis, putatiuæ carnis veros & ſenſus & actus exhibere : multo facilius habuit, veris & ſenſibus & actibus veram dediſſe ſubſtantiam carnis, vel quà proprius auctor & artifex eius.* Similia habet libro de carne Chriſti, cap. 3. & 6. Vide Pamelium in Tertulliani Paradoxis, 2.

Origenes verò opinatus eſt Malachiam, Aggæum, & Ioannem Baptiſtam reuera fuiſſe Angelos incarnatos : nam de Ioanne peculiariter hæc ſcribit tomo 5. in Ioannem : *Et quoniam omnino in Ioannis ſermone verſamur, ipſius miſſionem inueſtigantes, non importunè opinionem noſtram, quam de ipſo habemus proponemus. Quoniam enim legimus prophetiam de ipſo : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te : annotamus, num fortè vnus ſanctorum Angelorum exiſtens, Præcurſor ad miniſterium immittatur Seruatoris noſtri. Et mirum profectò eſt nihil, Chriſti primogeniti omnis creaturæ ob amorem erga homines incarnati æmulatores, imitatoréſque aliquos extitiſſe, quibus dulce fuerit ei benignitati, quam in ipſos oſtendiſſet, inſeruire, eadem corporis ſimilitudine. Sed quemnam non moueret exultans in gaudio adhuc exiſtens in vtero matris ſuæ, perinde, ac communem hominum naturam excellens. Quòd ſi quis admittat precationem Ioſeph inſcriptam in his libris, qui apud Hebræos dicuntur Apocryphi, mox hoc dogma etiam apertè dictum inde ſumpturus eſt : perinde quaſi qui à principio eximium aliquid præ hominibus habuerunt, longè meliores cæteris animabus, cùm Angeli eſſent, ad humanam deſcenderint naturam. Inquit ergo Iacob : Ego qui ad vos loquor, Iacob ſum & Iſraël, Angelus Dei ſum ego, & ſpiritus primarius, & Abraham, & Iſaac, ante omne opus creati fuerunt. Ego autem Iacob, vocatus ab hominibus Iacob : nomen verò meum Iſraël, qui vocor Iſraël à Deo, vir videns Deum, quoniam ego primogenitus omnis animantis à Deo animati. Et ſubiungit : Cùm verò ego veniſſem à Meſopotamia Syriæ, exiuit Vriel Angelus Dei, & dicit ſe deſcendiſſe ad terram, & habitaſſe inter homines, & quòd vocatus fuiſſet nomine Iacob : æmulatúſque eſt, & pugnauit mecum, & luctatus eſt, mihi, dicens ; ſuum nomen primas habere ſupra nomen meum, & ante omnem Angelum. Interrogauíque eum de nomine ſuo, & quoties eſſet inter filios Dei. Nónne tu es Vriel octauus à me, & ego Iſraël Archangelus potentia Domini, & princeps tribunus militum inter filios Dei ? Nónne ego Iſraël in perſona Dei miniſter primus ? Et inuocaui nomine inextinguibili Deum meum?* Hactenus Origenes ex apocryphis, de Angelorum Incarnatione. Sed de apocrypho illo libro inſcripto, *Oratio Ioſeph*, agunt quoque Euſebius lib. 6. Præparat. Euangelicæ, cap. 9. & ſanctus Athanaſius in ſacræ Scripturæ ſynopſi.

Sed & ſanctus Hieronymus Origenis dogma de Angelorum Incarnatione in 1. Aggæi his verbis recenſet : *Quidam putant, & Ioannem Baptiſtam, & Malachiam, qui interpretatur, Angelus Domini, & Aggæum, quem nunc habemus in manibus, fuiſſe Angelos, & ob diſpenſationem, & iuſſionem Dei aſſumpſiſſe humana corpora, & inter homines conuerſatos. Nec mirum hoc de Angelis credi, cùm pro ſalute noſtra etiam Filius Dei humanum corpus aſſumpſerit : & ob hanc cauſam etiam de apocryphis præbent teſtimonium, vbi dicitur : quòd Iacob, qui poſteà vocatus eſt Iſraël, Angelus fuerit, & propterea ſupplantauerit fratrem in ventre matris ſuæ. Ioannem quóque ad vocem Mariæ Matris Domini, exultaſſe in vtero Eliſabeth : & omnium rationabilium vnam eſſe naturam, & ob hanc cauſam homines qui placuerunt Deo, æquales Angelis fieri. Hoc illi ſentiant, &c.*

Nicolaus Lyranus elucidans verba illa Ioſuë 2. verſic. 4. *Tollénſque mulier viros, abſcondit.* Quod Hebraïcè habetur : *Accepit duos viros, & abſcondit eum.* Hæc annotat : *Dicunt aliqui Hebræi, quòd iſti duo viri fuerunt Caleb & Phinees. Dicunt etiam quòd iſte Phinees erat Angelus in corpore humano, ideo poterat ſtare coram hominibus, & non videri ab eis, quando volebat ; & ideo non fuit abſconcitus a muliere, ſed Caleb tantùm. Licet autem hoc dictum ſit falſum, tamen ex hoc habetur argumentum contra Iudæos ex conceſſis, de poſſibilitate Incarnationis : quia ex quo concedunt Incarnationem Angeli, non poſſunt conuenienter negare poſſibilitatem Incarnationis diuinæ : quia Deus magis poteſt aſſumere, & ſuppoſitare naturam humanam, quàm Angelus.* Hæc Lyranus, quæ etiam repetit in Iudicum 2. verſ. 1.

At Hebræi in lib. Tanchumah aiunt, vt Calebum occultaſſet mulier, alterum Phineem ad eam dixiſſe : Ego Sacerdos ſum, Sacerdotes verò, quippe Angelorum ſimiles, ſi volunt, aſpectabiles ſunt, ſi nolunt, non cernuntur : ac propterea ſolum Calebum, non autem Phineem à muliere fuiſſe abditum : vnde Fons Hebraïcus habet : *& occultauit eum.* At quonam pacto iſtud ſit intelligendum, Lyranus, Montanus, Maſius, Serarius, Magallanus in Commentariis exponunt. Simplex ſenſus eſt, *eum* : id eſt, vtrumque.

Sed ſunt vaniſſima, & ab omnibus exploſa quæ de Angelorum incarnatione nonnulli commen

menti sunt. At illud est inter Theologos acriter controuersum, An Deus de absoluta sua potentia possit efficere, vt suppositum creatum simul in sua, & in aliena assumpta natura subsistat, per hypostaticam duarum substantialium naturarum vnionem in vno creato supposito. Sanctus Thomas inficias ire videtur 3. part. quæst. 3. artic. 1. ad 2. his verbis: *Hoc autem est proprium diuinæ personæ, propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundùm subsistentiam.* Affirmant contra alij. Vide Franciscum Suarez in eum Sancti Thomæ locum: nobis enim non vacat eiusmodi nunc ad viuum resecare.

Vtcumque sit, existimare, diabolum in fine mundi incarnandum, & hunc futurum ipsum verum Antichristum, est planè absurdissimum & prorsus erroneum. Sanctus Chrysostomus homilia 3. in 2. Thessalonic. *Et reuelatus fuerit homo peccati. Quis verò is est? an Satanas? Nequaquam: sed homo quispiam omnem Satanæ energiam adeptus.* Theophylactus: *Quis autem ille est? numquid Satanas? Haud quaquam, sed homo quispiam omnem Satanæ operationem recipiens.* Sanctus Ioannes Damascenus lib. 4. Fidei Orthodoxæ, cap. 27. *Neque verò quemadmodum Dominus humanitatem assumpsit, ita etiam diabolus homo efficietur: (absit enim hoc) verùm homo ex fornicatione parietur, atque omnem Satanæ afflatum suscipiet.*

Certè Antichristum purum hominem futurum semper ab Orthodoxis est creditum. Et quisnam prudens in animum inducat, Deum, (si id fieri esset possibile) adeò miraculosam in vna hypostasi duarum naturarum dæmoniacæ & humanæ vnionem conflaturum, non in alium finem quàm in perniciem & cladem Ecclesiæ maximam? Patres verò qui contrà existimasse visi sunt, possunt rectè interpretari, non quòd diabolus hypostaticè in Antichristo habitaturus sit, sed quòd in illo secundùm energiam & operationem improbitatis & nequitiæ magis, quàm in vllo hominum residebit: cùm ipse futurus sit aptissimum & maximum omnium Satanæ instrumentum ad cuncta flagitia.

Nec defuere qui crediderint Antichristum generandum in vtero matris suæ sine vllo semine aut operatione viri, & ex matre nimirum virgine nasciturum, virtute tantùm diaboli, conceptum & ortum eius præparantis: eo modo quo Christus satus & natus fuit de Virgine Matre opera Spiritus sancti, sine vllo virili semine. Rabbanus Opusculo de Antichristo: *Nascetur autem Antichristus, non, vt aliqui dicunt, ex sola virgine.* Equidem eiusmodi delirij facilis est refutatio: quia producere hominem sine semine viri, solius Dei opus est, nec Dæmon, nec Angelus id efficere possunt: nec vlla naturæ vis quantumuis excellens potest efformare corpus humanum, sine semine viri, atque ad eam aptitudinem dispositionémque perducere, vt animam rationis participem recipiat.

Possunt quidem Dæmones & Angeli interuentu naturalium causarum miranda multa, quàm celerrimè patrare, applicando nimirum, vt aiunt, actiua passiuis: at induere vel supplere vices & efficientias naturalium agentium, in naturæ operibus non possunt: cùm id sit proprium diuinæ virtutis, vt summo consensu Philosophi & Theologi docent. De qua re vide Franciscum Victoriam relectione de Magia, & Martinum Delrium lib. 2. Magic. Disquisitionum, quæst. 13. & 14. at stultissimus planè esset qui crederet, Deum singulari sua omnipotentia effecturum tam grande miraculum, vt Antichristus sine vlla humani seminis vi, sola efficientia diuina ex matre virgine concipe etur, & nasceretur ad tantam mundi perniciem. Adde, quòd iam non esset maximum illud, & singulare miraculum, Christum conceptum, & natum de Virgine: quod tamen sanctus Augustinus pia hyperbole tantum extulit epistola 3. ad Volusianum, vt non dubitarit affirmare, *Maius à Deo expectari non posse.*

Disseruit nuper Benedictus Iustinianus in 2. Thessalonicens. 2. versic. 10. posse dæmonem naturali sua vi sanguinem vel semen muliebre sine vllo semine viri, in muliebris vtero conformare, organizare in verum humanum corpus, aptè & probè dispositum ad suscipiendum animam, quam re vera inderet Deus. Sed nunquam id mihi persuadeat. Communem receptámque sententiam sequor: non libet altercari: nam harum concertationum non esset finis: natura ipsa docet, fouere, conformare, organizare, viuificare, animare fœtum ante infusionem animæ rationalis opus proprium esse efficientiæ, & operationis virilis seminis; quis igitur non dicet actionem esse vitalem, quam dæmon supplere, aut sufficere non possit? Aut quænam naturalis alia causa præter virile semen eam vim habere potest? Et si dæmon, vel alia causa habet; non erit miraculum hominem concipi, generari, nasci sine semine viri. Et sic natus, quæro, trahétne originale peccatum?

Vera, & verisimilia de Ortu Antichristi.

CAP. II.

ILlud in confesso iam est apud Christianum populum, Antichristum futurum verum, ac purum hominem, & communi more ex virili semine in vtero mulieris concipiendum, & generandum, quemadmodum cæteri homines. Rabbanus Opusculo de Antichristo: *Nascetur Antichristus ex copulatione patris, ac matris, sicut alij homines.*

Haud est absimile vero, Antichristum non ex iusto & legitimo matrimonio, sed ex muliere fornicaria & adultera longè impurissima, per summum libidinis flagitium nasciturum. Sanctus Hippolytus Martyr oratione de consummatione Mundi: *Ex impura muliere prodibit super terram.* Sanctus Ephrem Syrus serm. de Antichristo: *Apostata enim erit, nascetur autem perfectè illius* (diaboli) *organum, ex spurcissima, & salacissima muliere.* Sanctus Damascenus lib. 4. Fidei Orthodoxæ, cap. 27. *Verùm homo ex fornicatione parietur, atque omnem Satanæ afflatum suscipiet.* Dominicus Sotus 4. sententiarum, distinct. 46. quæst. 1. artic. 1. annotat, suspicatos aliquos, vel per incestum grauissimum, vt ex patre & filia, vel ex filio & matre, vel ex fratre & sorore, aut per immane sacrilegium ex sacris parentibus, vt ex monacho & sanctimoniali procreandum esse Antichristum. Et vulgus quoque istud iactat.

Sed

Sed nascituruṁ Antichristum ex monacho & moniali, arbitror esse fabulam temerè vulgatam, cùm certum sit oriturum Antichristum ex Iudæis genere & professione, apud quos nulli sunt monachi, aut moniales. Vnde meritò Acosta lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 6. fabulam vulgarem appellauit. Ludolphus Cathusianus Vitæ Christi, capite de Extremo Iudicio, ait, Antichristum ex parentibus senibus generandum: quod vnde acceperit, aut quanam ratione tradiderit, clam nos est: Fides ergo sit penes auctorem. Illud certius est, oriturum Antichristum ex vilissimis & sordidissimis parentibus, & obscurissimo genere, tanquam terræ filium. Quò referunt illud Danielis 7. vers. 8. cùm dicitur Antichristus, *Cornu paruulum.* hoc est, ex infimis & abiectissimis initiis ortum, & 11. vers. 21. *Stabit in loco eius despectus*, nimirum despicatissimus homuncio. Quæ loca opportunè inferiùs elucidabimus.

Num Antichristus generandus sit opera dæmonij incubi.

CAP. III.

QVidam apud Viguerium Institut. Theologic. cap. 21. §. 3. vers. 3. item Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. c. 12. Suarez tom. 2. in 3. part. sect. 1. disputat. 54. Viegas in 13. Apocalypsis, comment. 2. sect. 2. haud erroneum censent & improbabile esse, Antichristum generandum ex spurcissimo dæmonio incubo, & corruptissima muliere, medio tamen humano & virili semine: nam etsi dæmon per se: sine semine viri, hominem verum gignere non possit: at possunt & solent dæmones interdum acceptum semen alicuius viri, cum genitiuis spiritibus, & innato calore conseruare, atque in assumpto corpore mulieri incumbere, vel alia ratione in eius vterum semen illud virile infundere, ex quo concipiatur, & generetur verus homo: qui quidem homo, eo pacto genitus, non diaboli, sed illius hominis, cuius semen exceptum & infusum à diabolo fuit, filius propriè erit.

Peruetus & celebris quæstio est de Dæmonibus incubis, & succubis, an illi verè mulieribus concubitu venereo misceantur, & an ex semine virili ab his in muliebres locos eiaculato, verè homines interdum, eo quo prædiximus modo, nascantur: quæ quidem controuersia cùm habeat duas partes, & de concubitu, & de generatione: prior pars de concubitu minùs difficultatis habet, consentiúntque ferè omnes Theologi, dæmones interdum in assumptis corporibus re ipsa cum mulieribus congredi. Sanctus Augustinus lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 23. *Et quoniam creberrima fama est, multíque se expertos, vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant, Siluanos, Panes, & Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos sæpe extitisse mulieribus, & earum appetiisse & peregisse concubitum: & quosdam dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assiduè immunditiam, & tentare, & efficere, plures talésque asseuerant, vt hoc negare impudentiæ videatur: non hic aliquid audeo temerè definire: vtrum aliqui spiritus elemento aëreo corporati (nam hoc elementum etiam cùm agitatur flabello, sensu corporis, actúque sentitur) possint etiam hanc pati libidinem, vt quomodo possint, sentientibus feminis misceantur.* Eadem ad verbum habet S. Thomas 1. part. quæst. 51. art. 3. ad 6. & reliqui Theologi assentiuntur. Súntque eiusce rei tam multa, tam varia, certáque exempla, vt rectè cum sancto Augustino dixerimus, hoc negare impudentiæ esse: ea collecta inspicere potes apud Cæsarium dialogo 3. cap. 6. vsque ad 13. inclusiuè, Thomam Cantipratanum lib. 2. de Apibus, cap. 57. § 13. 14. 15. 16. 17. Ioannem Nyderum lib. 5. Formicarij, cap. 10. Et si recentiora cupis, suppeditant non pauca Nicolaus Remigius lib. 1. de Dæmonolatria, cap. 6. & Laurentius Ananias lib. 4. de natura dæmonum: & tomus secundus Colloquiorum Simonis Maioli, colloquio 3. Ioannes Filesacus in Dissertatione de Idololatria Magica, pagina 62.

Sed non est prætereundus insignis locus Bedæ, is enim lib. 3. in Lucam, cap. 32. hæc scribit: *Sed & nostri temporis Sacerdotes, qui per exorcismi gratiam dæmones eiicere norunt, solent dicere patientes non aliter valere curari, nisi quantum sapere possunt, omne quod ab immundis spiritibus visu, auditu, gustu, tactu, & alio quolibet corporis, vel animi sensu vigilantes, dormientésve pertulerint, confitendo patenter exponant. Et maximè quando vel viris in specie feminea, vel in virili habitu feminis apparentes, quos dæmones Galli Dusios vocant, infando miraculo spiritus incorporei corporis humani concubitum petere se, ac patrare confingunt. Et nomen dæmonis quo se teneri dixerint, & deierandi modos, quibus amoris sui fœdus alterutrum pepigerint, prodendos esse præcipiunt. Quæ mendacio simillima res, sed adeò vera, & plurimorum est attestatione notissima, vt quidam vicinus mihi presbyter retulerit, se quandam sanctimonialem feminam, à dæmonio curare cœpisse: sed quamdiu res latebat, nihil apud eam proficere potuisse. Confesso autem quo molestabatur phantasmate, mox & ipsum orationibus, ceterisque quæ oportebat, purificationum generibus effugasse, & eiusdem feminæ corpus ab vlceribus, quæ dæmonis tactu contraxerat, medicinali studio, adiuncto sale benedicto curasse. Sed dum vnum de vlceribus, quod altiùs lateri infixum, repererat, nullatenus posset, quin continuò panderetur, obducere: ab eadem ipsa, quam sanare volebat, concilium, quo sanaretur accepisse. Si, inquit, oleum pro infirmis consecratum, eidem medicamento asperseris, sicque me perunxeris, statim sanitati restituar. Nam vidi quondam per spiritum in quadam longiùs posita ciuitate, quam nunquam corporalibus oculis vidi, puellam quandam pari calamitate laborantem, taliter à Sacerdote curatam. Fecit vt illa suggesserat statímque vlcus remedium, quod ante respuerat, accipere consensit.* Hactenus sanctus Beda. Vide quoque auctorem Vitæ sancti Bernardi, lib. 2. cap. 6.

In re notissima pauca recentiora testimonia subiicio. Franciscus Vallesius in sacra Philosophia, cap. 8. inquit: *Multis etiam publicis testimoniis constat certissimò, hoc etiam sæculo deprehensas esse mulieres, quæ dæmonibus sub hominum specie familiarissimè vtebantur: qui cum illis rem habebant, congrediebantúrque frequenter, vt cum propriis vxoribus. Viros quoque, quibus feminea specie succumbebant dæmones: vocantúrque hanc ob causam tales dæmones, alij quidem incubi, alij succubi: quos quidem ego suspicor tam multis fabulis inter Gentes dedisse principium, & incubos quidem deorum, succubos autem dearum peperisse opinionem.*

Georgius

Georgius Coluenerius in Notis ad librum Thomæ Cantipratani de Apibus 2. cap. 57. §. 13. ait: *Hoc scelus ab hinc annis ferè tribus in veneficis vtriusque sexus in parte Orientali Flandriæ, atque Brabantiæ per Iudices seculares deprehensum est, & extremo supplicio punitum, confessique sunt occasione huius peruersissimæ voluptatis se ad veneficij crimen protractos: & quamuis essent coniugati, quòd tamen relicto thoro legitimo, alter succubo, altera incubo multo tempore scelerati simè permixti fuerint. Hæc habui ex his quæ eorum examini interfuerunt. Similia scribunt in Germania contigisse ante annos centum, Iacobus Sprenger, & Henricus Institor in Malleo Maleficarum, part. 1. quæst. 1. cap. 4. & Innocentius VIII. in epistol. Decretali aduersus Maleficas. Extat. in 7. Decretalium.*

Verba Innocentij sunt: *Non sine ingenti molestia ad nostrum peruenit auditum, complures vtriusque sexus personas, propriæ salutis immemores, & à Fide Catholica deuiantes, dæmonibus incubis, & succubis abuti.* Peculiariter de succubis Cæsarius, Dialogo 3. cap. 9. ait: *Sicut dæmones per formas virorum, vt dictum est, feminas ludificant, & corrumpunt: ita per species feminarum, viros seducunt & decipiunt. Lege vitas Patrum, & inuenies ibi quosdam viros perfectos, per phantasmata mulierum delusos, confractos, & deiectos. Dicam tibi & aliqua exempla, quibus cognosces viros à dæmonibus in speciem mulierum ludificatos.* Subdit verò eiusce rei duo exempla, quæ, si videbitur, consules. Sed & Succubarum singularia exempla aliquot notauit Nicolaus Remigius lib. 1. de Dæmonolatria, cap. 6. & Laurentius Ananias lib. 4. de Natura dæmonum, & tomus 2. Colloquiorum Simonis Maioli, colloquio 3. Nec dubitauerim Ægeriam succubam fuisse Numæ, apud Plutarchum in Numa, Philinnium Machatæ, apud Phlegontem Trallianum, de mirabilibus, & longæuis, Lamiam, seu Empusam illam Menippi, apud Philostratum de Vita Appollonij, lib. 4. cap. 8.

De puero formoso à dæmone adamato, miram historiam texit idem Philostratus lib. 3. cap. 12. qui etiam lib. 6. cap. 13. de Satyro lasciuiente in mulieres hæc scribit: *Post Catarrhactas, cùm in vicum Æthiopiæ non magnum admodum diuertissent, atque illic cœnantes quiescerent, feria iocis permista colloquentes; ecce subitus clamor in vico auditus est mulierum sese inuicem cohortantium, quarum aliæ insequi, aliæ telum capere clamitabant: viros quoque ad eiusdem operis communicationem cohortantes. Illi verò fustibus, aut saxis, & quidquid in manus venisset, arreptis, exclamabant se iniuria erga vxores affici: Venerat autem in vicum illum decimo iam mense antea Satyri spectrum furens erga mulieres: iamque duas interfecisse ferebatur, quas amare maximè visus fuerat.* Sequitur pluribus narrare vt Appollonius malum istud auerterit.

Maior verò difficultas est, an dæmon exceptum à viro aliquo humanum semen, vel incumbendo, vel alio modo possit in matricem alicuius feminæ infundere, vnde verus generetur homo. Nicolaus Remigius lib. 1. de Dæmonolatria, cap. 6. strenuè pernegat. Benedictus Pererius tomo 2. in Genesim, in cap. 6. disput. 3. vehementer ambigit num id fieri possit, eisdem omnino rationibus quibus Remigius pernegat: nimirum quòd præcipua vis & efficacitas generandæ prolis in semine humano, posita sit in spiritibus, qui cùm sint tenuissimi, quàm citissimè difflantur & euanescunt, vt nequeant vel per breuissimam morulam extra genitalia instrumenta à quibus fouentur, & continentur, conseruari.

At sanctus Thomas cum omni Theologorum schola, affirmare non dubitat, cum aliis locis, tum 1. parte, quæst. 51. art. 3. ad 6. vbi ait: *Si tamen ex coitu dæmonum aliqui interdum nascuntur, hoc non est per semen ab eis decisum, aut à corporibus assumptis: sed per semen alicuius hominis ad hoc acceptum, vtpotè quod idem dæmon, qui est succubus ad virum, fiat incubus ad mulierem: sicut & aliarum rerum semina assumunt ad aliquarum rerum generationem, vt Augustinus dicit, 3. de Trinitate: vt sic ille qui nascitur, non sit filius dæmonis, sed illius hominis, cuius est semen acceptum.*

Thomas Cantipratanus lib. 2. de Apibus, cap. 57. §. 16. *Incubos generare, Beda in Historia Britonum, & multæ aliæ scriptura testantur. Qua autem ratione hoc fieri possit, non video, nisi hac sola, quòd virile semen effusum, mox in vas muliebre, cum debita temperantiæ qualitate transfundant. Sed sic propriè generare incubum non dicemus.* Sed nolo in re quæ iam maiori consensu recepta est, plura addere; plures quidem ex antiquioribus eam compertam habuêre, sed ex recentioribus qui pleniùs excusserunt, videndi cum primis Franciscus Victoria Relectione de Magia, Franciscus Vallesius de sacra Philosophia, cap. 8. Laurentius Ananias lib. 4. de natura Dæmonum, Martinus Delrius Magicarum disquisitionum lib. 2. quæst. 15 Georgius Coluenerius in Notis ad lib. 1. Cantipratani de Apibus, cap. 57. §. 16. & in Notis ad 5. librum Formicarij Nyderi, cap. 10. Nicolaus Serarius in 6. cap. Tobiæ, quæst. 2. 3. 4. 5. 6.

At quæ Remigius & Pererius obiecere, facilè ita Serarius diluit: *dæmones insita mentis vi & acumine, in naturalium rerum procreatione & conseruatione, plures multò, quàm ingeniorum nostrorum tenuitas videat, modos perspiciunt: & multa planè mirabilia, de quibus nisi experientia, & sapientum hominum asseuerantia extaret, fieri à creatura vlla posse, quis putaret? Magna vitalium & animalium spirituum subtilitas est. Sed ea ne tam subitò exhalet, diligentissima custodia, circumsepire, & communire nequissimi, subtilissimique spiritus approbè norunt.*

Franciscus Lopez Gomara in Historia Generali rerum Americanarum, agens de religione Insulæ Hispaniolæ ait: *Idolum quod Carocotox appellabant, & pro Deo Cacicus Guamaretus colebat, frequenter ex Sacrario vbi ligatum attinebatur, dilapsum ad mulieres oppidi se recipiebat, cum eis vescebatur, & congrediebatur: quæ filios pariebant duabus coronis insigne, perspicuo argumento diuinæ originis, tanquam à Deo genitos.*

Iam ergo mirum esse non debet, si aliqui tradiderint Antichristum nasciturum opera & efficientia dæmonis alicuius incubi deprauatissimi, medio virili semine, vti initio dicebamus. Sed Iustinianus in 2. Thessal. 2. vers. 9. ait: *Antichristum incubantis dæmonis nisu concipiendum, absque auctore, & certa ratione traditur.* Ergo ruunt omnia nostra. In re probabili nemini præscribo: non omnes eodem modo sentiunt. Et auctores, & rationes adhibemus. Nec reticemus Henricum Henriquez de Fine Hominis, cap. 23. §. 1. hæc scripsisse: *Antichristum generandum ex dæmone incubo quidam Patres significant: quod licet falsum sit, non est impossibile.*

At hîc opportunè notandum quod est à Nicolao Remigio obseruatũ, duo genera hominum ex incubitu dæmonũ medio humano semine nasci solere: quosdam quos Adamaticos appellant, quasi ab Adamo

mo,vt ceteros homines perpetua ſerie propagationis deductos ac deriuatos : tum in infantia noctes diéſque vagire,plumbeos,maciéque deformes eſſe, etiam ſi nutrices quinque totas ſugant. Hæcque vitia eſſe adulterini , ac tranſlatitij illius ſeminis. Alios contra grandes, præualidos, robuſtos, pulchros, quaſi heroas, qui ſuſpicionem afferant admixtæ alicuius diuinitatis. At quánam ratione id dæmones efficere poſſint, Franciſcus Valleſius in ſacra Philoſophia cap. 8. cùm agit de procreatione gigantum initio mundi, ita ediſſerit : *Immittunt in vteros neque qualecumque, neque quantulumcumque ſemen, ſed plurimum, craſſiſſimum, calidiſſimum, ſpiritibus affluens,& ſeri expers:id verò eſt eis facile conquirere, deligendo homines calidos, robuſtos, & abundantes multo ſemine , quibus ſuccumbant : deinde & mulieres tales quibus incumbant : atque vtriſque voluptatem ſolito maiorem afferendo,tanto enim abundantius emittitur ſemen,quanto cum maiori voluptate excernitur. Poſſunt verò illi voluptatem augere, & titillando plurimum, & imaginationi plurima ad rem facientia repræſentando. Maxima enim pars venereorum motuum ab imaginatione fluit. Robuſti enim & grandes vt naſcantur, ita poſſunt dæmones procurare. Vt verò ſint peſſimi , poſſunt magica arte corrumpere ſemen, atque ad eam temperiem transferre , vt cum robore corporis , in omne vitiorum genus pariat propenſionem : nimirum receptiſſimum ab omnibus illud Galeni : Animi mores corporis ſequi temperaturam.*

Nec à ratione alienum exiſtimamus,dæmonem incredibili potentia qua pollet , ita permittente Deo, immiſſum à ſe in vterum mulieris , alicuius præualidi,& robuſti viri ſemen,ita temperaturum, & quantis viribus poterit , ita foturum & adiuturum naturam , vt inde naſcatur Antichriſtus validus, ſanus , cum pulchra & eleganti membrorum habitudine, & oris decore , ſenſibus quoque optimis , ingenio acutiſſimo atque acerrimo : ad hæc corporis temperatura in omnia vitia propenſiſſimus. Vide Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 54. ſect. 3. Non poteſt adduci vt iſta credat Iuſtinianus in 2. Theſſalon. 2. fruatur ſuo ingenio ; nec libet ſtatim digladiari cum his qui noſtra non probant. Malè dixi noſtra : alij priùs docuere, & nos doctiſſimorum virorum veſtigiis libenter inſiſtimus. Nec argumenta Iuſtiniani inde nos abſtrahent. Tota enim vis & efficientia dæmonis in corpus tantum Antichriſti , non in animum erit. Culpandáne erunt ſydera, quæ, vt multi volunt, propenſiones in vitia quibuſdam hominibus ingenerant ? nimirum ex corporis dumtaxat temperamento. Poſt Iuſtinianum ſcripſit Cornelius à Lapide,ex eadem Societate , qui in 2. Theſſal. 2. illa Suaris & noſtra probat.

His conſentanea admodum ſunt quæ à Rabbano Opuſculo de Antichriſto traduntur , in hanc ſententiam : *Naſcetur Antichriſtus ex copulatione patris ac matris,ſicut alij homines:non vt aliqui dicunt, ex ſola virgine. Sed tamen totus in peccato concipietur, in peccato generabitur, & in peccato naſcetur. In ipſo verò conceptionis initio diabolus ſimul introibit in vterum matris eius , & ex virtute diaboli confouebitur & contutabitur in ventre matris , & virtus diaboli ſemper cum illo erit. Et ſicut in matrem Domini noſtri Spiritus ſanctus venit,& eam ſua virtute obumbrauit,& diuinitate repleuit,vt de ſancto Spiritu conciperet , vt quod naſceretur diuinum eſſet & ſanctum: ita quoque diabolus in matrem Antichriſti deſcendet, & totam eam replebit,totam circumdabit, totam tenebit,& totam interiùs,exteriúſque poſſidebit, vt diabolo per hominem cooperante concipiat: & quod natum fuerit, totum ſit iniquum, totum perditum: Vnde ille homo peccati , & filius perditionis appellatur.* Hæc eadem ad verbum habet Rupertus in 13. Apocalypſis.

S. Anſelmus in Elucidario : *Antichriſtus de meretrice naſcetur : in matris vtero à diabolo replebitur.* Compendiũ Theologiæ, quod multi tribuunt Alberto Magno,lib. 7. cap. 7. *Antichriſtus ex parentum ſeminibus concipietur : ſed poſt conceptum , deſcendet ſpiritus malignus in matris vterum , cuius virtute & operatione deinceps puer naſcetur , aletur , adoleſcet: propter quod filius perditionis vocabitur.* Et hoc proculdubio eſt quod S. Ephrem ſerm. de Antichriſto ait : *Naſcetur autem Antichriſtus perfectè diaboli organum.*

S. Birgitta lib. 6. Reuelat. cap. 67. *Antichriſtus naſcetur de maledicta fœmina ſimulante ſe ſapere ſpiritualia,& de maledicto homine,de quorum ſeminibus permiſſione mea diabolus formabit corpus ſuum.* Ex ore Chriſti ſecum loquentis hæc retulit S. Birgitta.

Sed miranda planè ſunt quæ S. Hildegardis virgo, ſpiritu prophetico clara,in epiſt. ad Philippum Decanum, & Clerum Colonienſem, quàm Albertus Stadenſis ſuo Chronico anno MCLII. inſeruit, de ortu Antichriſti prodidit his verbis : *Interim & multæ hæreſes,& plurimæ turpitudines, cum aliis malis pullulabunt,quæ Antichriſtum in proximo adeſſe oſtendunt. Immunda quoque mulier immundum filium concipiet. Cùm enim tempus aduenerit , quo iſte nequiſſimus deceptor horribiliter apparebit , dicit virgo Hildegardis mater illa quæ iſtum fallacem in mundum eiiciet, à pueritia ſua in puellari ætate diabolicis artibus , vitiiſque plena, in deſerto abiectionis inter nefandiſſimos enutrita eſt, ibi parentibus ſuis eam neſcientibus , nec illis , cum quibus moratur , eam ſcientibus. Quoniam diabolus illuc eam ire perſuadet, & ibi eam ſecundùm voluntatem ſuam decipiendo componit quaſi Angelus Sanctus. Et ideo ab omnibus ſe ſeparat , vt tantò facilius celari poſſit. Vnde etiam aliquibus , ſed tamen paucis viris nequiſſimo latrocinio fornicationis occultè commiſcetur , & in tanto ſtudio turpitudinis cum illis ſe polluit , velut Angelus Sanctus feruorem prauitatis illius eam perficere iubeat. Et ſic feruentiſſimo ardore fornicationis iſtius filium perditionis concipiet , neſciens de quo ſemine virorum illorum eum conceperit. Sed Lucifer , ſerpens videlicet antiquus, turpitudine iſta delectatus , coagulationem hanc iuſto meo iudicio , artibus ſuis inflat, & eam omnibus viribus totam in ventre matris poſſidet. Sic illo proditore de ventre matris ſuæ,pleno diabolico ſpiritu, egrediente, deinde conſuetam fornicationem deuitat, & apertè ſtulto & inſipienti populo dicit, quia virum non habet, nec patrem infantis ſui ſciat, fornicationem quam perpetrauit ſanctam dicit: vnde populus illam ſanctam putat, & nominat. Sic filius perditionis diabolicis artibus vſque ad fortiorem ætatem nutritur.* Hæc S. Hildegardis: quibus Reineccius nouator opportunum ſcilicet affixit ſcholion: *Fabula de Antichriſto.* Quia nimirum cuncta quæ iſtorum palato non faciunt, pro fabulis ducunt,inſita cenſendi temeritate. Sed & Benedictus Iuſtinianus in 2. Theſſal. 2. inquit: *Apage igitur , vt antequam ſit mentis compos vllam in Antichriſto dæmonis actionem , effectionémue admittamus.* Apage igitur Rabbanum , Rupertum, S. Anſelmum, S. Birgittam, S. Hildegardim, & doctiſſimos quoſque recentiorum , quibus ſi malim credere, quàm Iuſtiniano, non ero impudens.

Clari aliquot apud Gentiles viri, quos proditum & creditum est diis, hoc est, Incubis dæmoniis genitos.

CAP. IV.

NE quæ de ortu Antichristi ex Incubo dæmonio diximus commentitia videantur, non ex Poëtis hîc heroas recensebimus: sed ex rerum magnis auctoribus quosdam memorabimus insignes & celebratos viros, quos ex diis, sed procul dubio ex Incubis procreatos fama tulit.

Homerus Poëtarum princeps.

Plutarchus lib. de Homero inquit: *Aristoteles tertio de Poëtica scribit, in insula Io, quo tempore Neleus Codri filius coloniæ in Ioniam ducendæ præfuit, puellam indigenam, à genio quodam, ex eorum numero qui cum Musis choros ducunt, compressam, cùm intumescente vtero facti pudore moueretur, deuenisse in quendam locum, cui nomen est Ægina: Ibi à prædonibus, qui eò excursionem fecissent, captam, Smyrnámque adductam, ab his Lydorum (Sub his enim tunc erat Smyrna) regi Mæoni socio suo dono datam: ab hócque pulchritudinis causa in matrimonium eam adscitam. Hanc cùm ad Meletem fluuium commoraretur, partus doloribus circumuentam, ad ipsum fluuium peperisse Homerum, statimque expirasse. Infantem à Mæone susceptum, filiique loco enutritum.*

Calasiris Ægyptius Sacerdos apud Heliodorum libro 3. Athiopicon, de Homero hæc narrat: *Homerus quidem ab aliis aliunde nominetur, & patria cordato sit vrbs quæuis viro: erat autem reuera nostras Ægyptius, & vrbs illi Thebæ centiportes: pater autem opinione hominum, Antistes, sed non mentitus, Mercurius. Atqui erat illius existimatus pater antistes, eo quod cum eius vxore celebrante quadam Sacra patria, & in templo dormiente coiuit Deus, & Homerum procreauit, ferentem notam incestæ consuetudinis: in vtroque enim femore, inde vsque ab ipso partu ingens longitudo crinium innatabat.* Hæc Calasiris. Herodotus verò libro de Homero, tantum è furtiuo concubitu editum prodit.

Remus ac Romulus Romæ conditores.

Ex matre Rhea Siluia Numitoris filia, quam alij Iliam vocant, cùm esset Vestalis, à Marte compressa & grauida, gemellos genitos fuisse Romanæ vrbis fundatores, plures tradunt auctores. Dionysius Halicarnasseus lib. 1. Rerum Romanarum, interprete Æmilio Porto: *Verùm quarto post anno Iliam in Sacrum Martis lucum profectam, vt Sacrorum causa quæ factura erat, aquam puram afferret, nescio quis in eo luco per vim stuprauit. Hunc autem nonnulli aiunt fuisse vnum de procis illius puellæ, qui virginis amore flagrabat. Alij verò tradunt ipsummet Amulium hoc fecisse, non tam libidinis, quàm insidiarum causa, corpúsque totum armis sepsisse, vt maximum spectanti terrorem incuteret: omnésque faciei manifestas notas, quàm maximè potuit, obscurasse, ne à quoquam agnosceretur. At plerique fabulosè dicunt, spectrum Dei, cuius is lucus erat, hoc fecisse: & ad rem meliùs probandam, eum multa alia diuinæ potentiæ facinora edidisse, tum etiam solem obscurasse, cælóque tenebras offudisse. Speciem verò quam id spectrum habebat, mortali hominum statura ac forma longè augustiorem fuisse. Quin etiam aiunt, eum qui stuprum virgini per vim intulit, puellæ dixisse, vt eius mœrorem consolaretur, (vndè manifestè apparuit eum fuisse Deum) ne factum illud, stuprumque iniquo ferret animo. Eam enim nuptiis coniunctam fuisse cum genio illius loci custode: atque ex hoc violento congressu duos filios pariturам, omnium hominum virtute bellica præstantissimos. His autem dictis, nube circundatum è terra sublatum, & per aërem cursu sublimi raptum.*

Quam igitur opinionem de rebus huiusmodi oporteat habere, vtrum hæc & humana facinora diis attributa sint contemnenda, quòd Deus nullum ministerium in corrupta à beata natura indignum patiatur: an verò has etiam historias admittere deceat, in quibus scribitur vniuersam mundi naturam permixtam esse, & inter diuinum ac mortale genus mediam quandam naturam esse, quam dæmonum natio tenet, quæ modò cum diis, modò cum hominibus se miscet, ex qua genus heroum sit procreatum, in præsentia non est quærendum, & quæ de his rebus à Philosophis sunt dicta, sufficiunt.

Liuius lib. 1. cap. 3. Pulso fratre, *Amulius regnat. addit sceleri scelus, stirpem fratris virilem interimit: fratris filiæ Rheæ Syluiæ per speciem honoris, cùm Vestalem eam legisset, perpetua virginitate spem partus adimit. Sed debebatur, vt opinor, fatis tantæ origo vrbis, maximique secundum deorum opes Imperij principium. Vi compressa Vestalis, cùm geminum partum edidisset, (seu ita rata, seu quia Deus auctor culpæ honestior erat) Martem incertæ stirpis patrem nuncupat.*

Velleius Paterculus lib. 1. *Romulus Martis filius, vltus iniurias aui, Romanam vrbem Parilibus in Palatio condidit.*

Strabo lib. 5. De Remo & Romulo loquens: *Hos Marte patre genitos fabulantur.*

Plutarchus in Romulo: *Vnde puerperæ maior habita fides ex Marte peperisse se asseueranti.*

Solinus in Polyhistore cap. 2. *Nam vt affirmat Varro auctor diligentissimus, Romam condidit Romulus Marte genitus, & Rhea Syluia, vel, vt nonnulli, Marte & Ilia.*

Lucius Florus lib. 1. cap. 1. *Primus ille & vrbis & Imperij conditor Romulus, fuit à Marte genitus, & Rhea Syluia. Hoc de se vestæ Sacerdos grauidæ confessa est: nec mox fama dubitauit.*

Polyænus lib. 8. Stratagematum, cap. 2. *Remus & Romulus Martis & Syluiæ filij, Amulium per insidias aggrediebantur.*

Messala Coruinus de progenie Augusti: *Rheæ geminos edidit, Remum scilicet & Romulum, à Marte compressa, vt traditur.*

Auctor Originis Gentis Romanæ: *At verò Fabius Pictor lib. 1. & Vennonius solito, institutóque egressam virginem, in vsum Sacrorum aquam petitum ex eo fonte qui erat in luco Martis, subito imbribus, tonitribúsque, quæ cum illa erant, disiectis, à Marte compressam, conturbatámque: mox recreatam consolatione Dei, nomen suum indicantis, affirmantisque ex ea natos, dignos patre euasuros.*

Auctor de viris Illustribus, cap. 1. *Amulius fratri imperium non dedit: & vt eum sobole priuaret, Rheam Syluiam filiam eius, Vestæ Sacerdotem præfecit, vt virginitate perpetua teneretur. Quæ à Marte compressa, Romulum & Remum edidit.*

Eutropius lib. 1. *Romulus Rheæ Syluiæ Vestalis virginis filius, & (quantum putatus est) Martis, cum Remo fratre vno partu editus est.*

Aristomenes Messenius.

De hoc clarissimo Imperatore Pausanias in Messenicis, lib. 4. in hunc modum scribit: *Eminebat verò inter omnes Aristomenes, qui apud Messenios adhuc inter heroas colitur: & eius quidem natales maximè*

ximè nobilitant. Cùm eius enim matre Nicotelea genium quendam seu Deum, sumpta draconis forma concubuisse memorant: quod ipsum de Olympiade Macedones, de Aristodama Sicyonios noui memoriæ prodidisse. Tantùm interest, quòd Aristomenem Messenij non Hercule, aut Ioue genitum prædicant, sicuti Ammone Alexandrum Macedones, Aratum Æsculapio Sicyonij.

Mirabile est quod de Aristomene ait Valerius Maximus lib. 1. cap.8. in Externis: *Admirabilius Aristomenis Messenij cor: quod Athenienses ob eximiam calliditatem exectum, pilis refertum inuenerunt: cùm eum aliquoties captum, & astutia elapsum cepissent.* Et Plinius lib. 11. cap.37. *Hirsuto corde gigni quosdam homines proditur, neque alios fortioris esse industriæ, sicut Aristomenem Messenium, qui trecentos occidit Lacedæmonios: ipse conuulneratus & captus, semel per cauernam latomiarum euasit, angustos vulpium aditus secutus. Iterum captus, sopitis custodibus somno, ad ignem aduolutus lora cum corpore excussit. Tertiò capto Lacedæmonij pectus dissecuêre, causa videndi, hirsutúmque cor repertum est.*

Seruius Tullius Sextus Romanorum Rex.

Huius nobili captiua Corniculana nomine Ocrisia orti natales Dionysius Halicarnasseus lib. 4. in hunc modum ex Romanis annalibus refert: *In huius tamen gentis annalibus aliter de eius natalibus est scriptum, ita vt quæ de eo traduntur, ad fabulas proximè accedant, quemadmodum in multis Romanis historiis comperimus, si modo tale quid de diis & geniis fas est dicere. Ex regia ara, supra quam Romani, cùm alia sacrificia faciunt, tum cœnarum primitias sacrant, aiunt membrum virile ex igne ipso exortum, atque hoc primam Ocrisiam conspexisse, dum afferret de more liba, quæ in ignem coniiceret, & confestim Reges adiisse, rémque illis indicasse. Tarquinium igitur audito & postea viso hoc prodigio admirabundum stetisse: Tanaquilem verò mulierem & alioqui prudentem, & artis diuinandi peritia nulli Etruscorum secundam, ei dixisse, fatale esse, vt ex regia ara proles humana natura præstantior ex muliere quæ cum illo spectro mixta fuisset, nasceretur. Cùm autem cæteri quoque prodigiorum coniectores idem affirmassent, aiunt Regi placuisse, mulierem, cui primùm apparuisset illud prodigium, cum eo cœire: & posteà mulierem ornatam ornamentis, quibus sponsæ nuptura ornari solent, solam inclusam fuisse in his ædibus, in quibus illud prodigium visum fuerat. Cùm autem quidam siue deorum, siue geniorum rem cum illa habuisset, & post cœtum è conspectu euanuisset, siue is Vulcanus fuerit, vt nonnulli putant, siue Lar familiaris, grauidam factam, legitimis mensibus exactis Tullium peperisse. Quamuis autem hoc quod de illo viro fertur, non admodum credibile videatur, tamen aliud quoddam prodigium, quod illi viro accidit admirandum, & omnem humanam opinionem superans, facit vt minùs de eo dubitetur. Nam quum aliquando sederet in regio cubiculo circiter meridianas horas, & somno correptus fuisset, flamma ex eius capite emicuit, & mater eius, & vxor regis dum per cubiculum ambularent, eam viderunt, & reliqui omnes qui tum fortè cum illis mulieribus aderant: nec priùs flamma totum eius caput collustrare desiit, quàm mater accurrens eum excitauit, & flamma vna cum ipso somno dissipata euanuit. Quæ igitur de illius genere feruntur, hæc sunt.*

Plinius lib. 36. cap.27. *Non prætеribo & vnum foci exemplum Romanis litteris clarum. Tarquinio Prisco regnante tradum, repente in foco eius apparuisse genitale e cinere masculini sexus, eámque quæ insederat ibi Tanaquillis reginæ ancillam Ocrisiam captiuam consurrexisse grauidam. Ita Seruium Tullium natum, qui regno successit. Inde & in regia cubanti puero caput arcisse visum: creditúmque Laris familiaris filium. Ob id Compitalia, & ludos Laribus primùm instituisse.*

Ouidius Fastorum 6.

Námque pater Tullî Vulcanus, Ocrisia mater
Præsignis facie Corniculana fuit.
Hanc secum Tanaquil sacris de more peractis,
Iussit in ornatum fundere vina focum.
Hic inter cineres obscœni forma virilis
Aut fuit, aut visa est, sed mage visa fuit.
Iussa foco captiua sedet: conceptus ab illa
Seruius è cælo semina gentis habet.

Arnobius lib. 5. aduersus Genes. *Sed & deos* (*Consentes* vult Meursius in Arbiano Critico lib.5. cap.7.) *Conferentis pari more ac dissimulatione taceamus, quos cum cæteris scribit Flaccus in humani penis similitudinem versos obruisse se cineri, qui sub ollula fuerat factus extorum: quem cùm Tanaquil dimoueret, Etruriæ disciplinarum perita, surrexisse deos, & neruis obduruisse diuinis: Corniculanæ inde imperauisse captiuæ, vt intelligeret & agnosceret, quid sibi res vellent: Ocrisiam* (*pudentissimam* Meursius) *prudentissimam fœminam diuos inseruisse genitali, explicuisse motus certos. Tum sancta & feruentia numina vim vomuisse Lucillij, ac regem Seruium natum esse Romanum.*

At quæ de ortu Seruij præfati produnt auctores, alij ad natales Romuli referunt, quorum sententiam Plutarchus in Romulo ita exponit: *Alij fabulosa planè de ortu eius referunt: Spectrum Tarchetio Albanorum regi, homini teterrimo & sæuissimo diuinum domi oblatum: Genitale ex foco eius masculi sexus extitisse, per multósque dies comparuisse, atque oraculo, quod in Hetruria Tethydis erat, responsum, vt virgo cum spectro coïret, ex qua filium virtute clarissimum, fortunáque & robore oriturum insignem. Hoc responsum Tarchetius cùm vni ex filiabus exposuisset, iussissetque cum genitali illo vt iungeret se, eam, quòd aspernaretur summississe ancillam. Tarchetium, vt resciuit, grauiter offensum, ambas in vincula coniecisse, morte vindicaturum. Sed cùm Vesta illi in somnio oblata deterruisset eum à cæde, telam in vinculis texere puellas iussisse, ea lege, vt ea detexta elocarentur: atque illas texuisse interdiu, nocte mandato Tarchetij alias retexere telam solitas. Cum ancilla ex genitali illo geminos esset enixa, Teratio cuidam Tarchetium necandos tradidisse. Illum ad fluuij ripam eos exposuisse: lupam inde accurrentem lactasse, auésque diuersi generis alimenta minuta ori indidisse: bubulcum tandem re cum admiratione conspecta, accedere ausum, infantes sustulisse. Ad hunc modum eductos euasisse eos Tarchetium, & superasse. Hæc Pronation quidam in Historia quam scripsit de rebus Italicis, retulit.*

Plato Philosophus.

Diogenes Laërtius lib.3. interprete Thoma Aldobrandino, hæc de Platone scribit: *Speusippus in Epulo Platonis funebri, & Clearchus in Platonis laudatione, & Anaxilides in secundo de Philosophis aiunt, Athenis famam fuisse, Aristonem Platonis patrem cum Perictionæ iam nubili vim afferret, frustra conatum esse: cúmque ab inferenda vi destitisset, Apollinis speciem sibi oblatam esse. Quocirca eam ab se integram ad partum vsque seruauisse: sicque Plato nascitur.* Hæc ille.

S. Hieronymus lib.1. in Iouinianum: *Speusippus quoque sororis Platonis filius, & Clearchus in Laude Platonis, & Anaxilides in secundo libro Philosophiæ,*

Perictionem matrem Platonis phantasmate Apollinis oppressam ferunt: & sapientiæ principem non aliter arbitrantur nisi de partu virginis editum.

Hesichius Milesius de Viris Illustribus: *Rumor erat matrem ipsius è numine grauidam, vterum tulisse, obiecto illi Apollinis viso, ac post editum Platonem, tum demum Aristonem maritum cum ea consuetudinem habuisse.*

Apuleius de Dogmate Platonis, initio: *Sunt qui Platonem augustiore conceptu prosatum dicunt: cùm quidem Apollinis figuratio Perictionæ se miscuisset.*

Suidas: *Memoriæ proditum est, ex visu quodam diuino matrem Platonis grauidam fuisse, cùm Apollo ei apparuisset: & cùm Platonem in lucem edidisset, eum demum maritus eius consuetudine vsus est.*

Magnus Alexander.

Plutarchus in Alexandro: *Visus est draco etiam ad dormientis Olympiadis corpus exporrectus: idque præcipuè Philippi erga eam amorem & familiarem consuetudinem aiunt extenuasse, vt rarò cubitum ad illam commearet: quòd vel timeret fascinationes eius & veneficia, vel consuetudinem eius, vt quæ consuesceret cum maiore, deuitaret.* Et post pauca: *Verum Philippo, qui post eam speciem, Megalopolitanum Charonem Delphos misit, sortes referunt fuisse ab Apolline allatas, iubente vt Ammoni sacra faceret, atque hunc Deum coleret in primis. Amisisse verò eum alterum oculum, quem rimæ ostij admouens, Deum conspexit serpentis figura cum vxore sua concubantem. Olympias, vt Eratosthenes est auctor, cùm euntem ad bellum prosequeretur Alexandrum, arcanum ortum eius soli detexit, hortata vt pro natalibus, gereret animos. Alij hoc illum aiunt detestari solitam, ac dicere: Non desinet Alexander in crimen me apud Iunonem vocare?*

Solinus cap. 15. *Philippus magnum procreat Alexandrum: quamlibet Olympias Alexandri mater nobiliorem ei patrem acquirere affectauerit, cùm se coïtu draconis consatam affirmaret.*

Iustinus lib. 11. *Namque mater eius Olympias confessa viro suo Philippo fuerat, Alexandrum non ex eo se, sed ex serpente ingentis magnitudinis concepisse.*

Hinc Draconigenam vocauit Alexandrum S. Appolinaris Sidonius Carmine 2.

Quæque Draconigenæ portas non clauserit hosti
Tum demum Babylon.

Vt Alexander perpetuò se Iouis filium appellauerit, vt credi voluerit, atque ea de re Ammonis oraculum consultum adierit, à quo filius audierit, Diodorus Siculus lib. 17. cap. 50. & 51. Strabo lib. 17. Curtius lib. 4. Plutarchus in Alexandro, Arrianus lib. 3. & alij fusè narrant. Excusat Arrianus hanc Alexandri vanitatem lib. 7. his verbis: *Quod verò ad Deum generis sui originem referebat, ne hoc quidem atrox delictum fuisse censuerim: quippe qui nihil aliud fortassis sibi propositum habuerit, quam vt eo figmento maiorem auctoritatem apud subditos conciliaret.* Sed inanem hanc excusationem irridet Lucianus Dialogo Alexandri & Philippi. Idem Lucianus in Alexandro seu Pseudomante, agens de impostoris cuiusdam Alexandri qui insignis erat planus, eam de Alexandro, Olympiade & Dracone, nato narrationem, fabulam appellat, & ex leui ortam initio tradit, sic scribens: *Nam illi,* plano, *patria erat Pella* (eadem quæ Alexandro Magno) *qui locus olim floruit sub Macedonicis regibus, nunc à paucis, i'sque obscuris & humilibus incolitur. Ibi quum inspicerent immani magnitudine dracones, placidos admodum ac mansuetos, adeò vt à mulieribus alerentur, & cum pueris vnà cubarent, & calcantes ferrent, neque commouerentur si quis strin-geret premerétque: denique perinde atque infantes lac è papilla sugerent (nam sunt id genus apud illos multi:) vnde verisimile est olim illam de Olympiade fabulam increbuisse, quum Alexandrum conciperet, huiusmodi dracone quopiam opinor cum ea concumbente) mercati sunt ex his serpentibus vnum, qui esset pulcherrimus.*

Equidem Olympiadem eiusmodi dracones alere solitam ad veneficia, Auctor Plutarchus, in Alexandro, cùm ait: *Olympias autem præ cæteris motum lymphaticum æmulans, & fanaticum peragens ritum, horridiore spectaculo, serpentes mansuefactos trahebat, thyasis ingentes, qui ex hædera subinde & mysticis cunis obiter prorepentes, thyrsosque & coronas mulierum circumiecti percellebant viros.*

Illud planè mirandum olim dracones placidos & mansuefactos viris & fœminis in deliciis fuisse. Suetonius de Tiberio, cap. 72. *Erat ei in oblectamentis serpens draco, quem ex consuetudine manu sua cibaturus, cum consumptum à formicis inuenisset, &c.* Martialis lib. 7.

Si gelidum collo vestit Gracilla draconem.

Seneca lib. 2. de Ira, cap. 31. *& repentes inter pocula, sinúsque innoxio lapsu dracones.* Lampridius de Heliogabalo: *Ægyptios draculunculos Romæ habuit, quos illi agathodæmones vocant.* Philostratus in Heroicis de Aiace Locrensi: *Fuisse autem ipsi & mansuetum, ac cicurem draconem, in septem cubitos porrectum, vnà cum Aiace, & bibentem & versantem, viásque præeuntem, atque vt canis consequentem.* Historiam Pindi, qui familiarem habuit draconem, fusè narrat Ælianus lib. 10. de Hist. animalium, cap. 48. item adolescentis à dracone adamati lib. 6. cap. 63. & lib. 13. Variæ Historiæ, cap. 46. Vide Casaubonum in animaduers. ad Suetonij Tiberium. Ceterùm Ioannes Monachus in vita Alexandri, vt fabulosum commentum explodit illud de Ioue Ammone specie serpentis cum Olympiade concumbente, atque Alexandrum generante. Ptolemæus Ephæstion Alexandrinus Grammaticus, qui sub Traiano & Adriano vixit, apud Photium in Bibliotheca, refert, Alexandri patrem non Philippum, sed Arcadem quendam cui Draconi nomen erat, fuisse: atque hinc ortam fabulam de Dracone.

Martinus Delrius Magicarum Disquisitionum lib. 2. quæst. 27. sect. 1. hæc annotat: *Nectanabus Ægyptius magus se in Iouis Ammonis effigiem transformans, Olympiadem Philippi vxorem decepit, & adulterino concubitu Alexandrum Magnum genuit: vnde illi orta opinio de Ioue parente. Narrat Iosephus Gorionides lib. 2. Historiæ Iudaicæ, cap. 6. & laudat auctores Titum Romanum, Strabonem Cappadocem, & Nicolaum Damascenum.* Et lib. 4. cap. 2. quæst. 6. sect. 4. *Glycas verò scribit parte Annalium 2. verum Alexandri patrem, Ægypti regem Nectanabum magiæ peritissimum, hac* lecanomantia, id est, diuinatione in pelui, *cognouisse, Ægyptum in hostium venturam potestatem.* Hæc Delrius. Cedrenus in Annalibus, pag. 124. *Rex Ægypti Nectanabo, Artaxerxis qui tunc Ægyptum occupabat, impetum non sustinens, tonsa coma, & regio habitu mutato, Pellam venit, quæ vrbs est Macedoniæ, non procul Thessalonica. Ibi præstigias quasdam & magicas Ægyptiorum artes exercens, ac futura prædicens, indéque Philippo & Olympiadi notus, creditus est quarundam præstigiarum ope cum Olympiade concubuisse, & ex ea Alexandrum genuisse.* Tota hæc fabula de Nectanabo cum Olympiade concumbente extat in libro Græco manuscripto de vita Alexandri Magni Auctore Callisthene, quem passim citat Cæsar

Bulen

Bulengerus : sed ego eum non vidi.

Atqui ementita specie Draconis magicis artibus Nectanabum Ægypti regem, quasi is esset Iupiter Ammon, concubuisse cum Olympiade, Alexandrúmque Magnum procreasse, tradunt quoque Gotfridus Viterbiensis in Chronico part. 11. initio, Martinus Polonus in Chronico lib. 2. cap. 4. Vincentius Bellouacensis, qui plura de Nectanabo memorat lib. 4. Speculi Historiarum, cap. 1. 2. 3. 4. 5. S. Antoninus parte 1. Historiarum, titulo 4. cap. 2. ante §. 1. Vuernerus Roleuuinchius in Temporum Fasciculo, anno Mundi IVMDCCCLIX.

At de Nectanabo Ægypti Rege, quem Artaxerxes Ochus Rex Persarum deuictum, occupato Ægypti regno, in Æthiopiam extruserit, agunt pluribus Diodorus Siculus lib. 15. num. marginali, 478. & 506. & lib. 16. num. 531. 535. 537. Plutarchus in Agesilao. Æmilius Probus, seu Cornelius Nepos, in Chabria & Agesilao, Plinius lib. 36. cap. 9. & 13. Diogenes Laërtius libro 8. in Eudoxo, Polyenus lib. 2. in Agesilao, cap. 22. Eusebius in Chronico, Olympiadis 107. anno 3. Hunc Nectanabum temporibus Philippi Amyntæ filij vixisse, ex eisdem auctoribus constat : sed quòd magus fuerit, Olympiadémque deluserit, nondum mihi apud veteres lectum.

Franciscus Iuretus in Notis ad lib. 10. Epistola 54. Symmachi hæc ait : *Æsopus in vita Alexandri Magni, Iulio Valerio interprete, quem manuscriptum habeo, secretim, pro secreto dixit : Nectanabus accipitrem secretim parat.* Forsan eo in libro Æsopi de Nectanabi Magiis scriptum. Sed puto fabulosa quæ de Nectanabi impostura in Olympiadem recentiores auctores prodidêre. De Nectanabi verò mago dicemus suo loco in Antichristi magicis, lib. 7. cap. 6. De Nectanabone Ægypti rege temporibus Cyri, aut Cambysis regum Persarum, plurima mentio apud Maximum Planudem in vita Æsopi, qui illo vixit tempore.

Seleucus Syriæ Rex.

Iustinus lib. 15. ex Trogo Pompeio : *Huius quoque & virtus clara, & origo admirabilis fuit. Siquidem mater eius Laodice, cùm nupta esset Antiocho, claro inter Philippi duces viro, visa est sibi per quietem, ex concubitu Apollinis concepisse, grauidámque factam, munus concubitus, annulum à Deo accepisse, in cuius gemma, anchora sculpta esset. Iussáque id donum filio, quem peperisset, dare. Admirabilem fecit hunc visum & annulus, qui postera die, eiusdem scalpturæ in lecto inuentus est, & figura anchoræ, quæ in femore Seleuci nata, cum ipso paruulo fuit. Quam ob rem Laodice annulum Seleuco eunti cum Alexandro Magno ad Persicam militiam, edocto de origine sua dedit. Vbi post mortem Alexandri, occupato regno Orientis, vrbem condidit, ibique geminæ originis memoriam consecrauit. Nam & vrbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vocauit, & campos vicinos vrbi, Apollini dicauit. Originis eius argumentum etiam posteris mansit : siquidem filij, nepotésque eius anchoram in femore, veluti notam generis naturalem habuêre.*

Appianus in Syriacis : *Fertur, matrem etiam eius in somnis admonitam, vt quem primum annulum inueniret, gestandum Seleuco traderet : regnaturum enim vbicumque is annulus ei fortè fortuna exciderit. Et inuenit illa ferreum cum insculpta anchora : amissus, est autem circa Euphratem. Quin & illud fertur quum posteà Babyloniam obiret, eum offendisse ad lapidem, quo effodi iusso, apparuisse anchoram. Cúmque vates terreret hoc prodigium quasi remorationem portenderet, Ptolemæum Lagi qui eum comitabatur, dixisse, securitatis id signum esse, non morarum. Quibus de causis Seleucus etiam regnum adeptus, anchora vtebatur in annulo signatorio.*

Scipio Africanus.

Liuius lib. 26. cap. 19. *Ex quo togam virilem sumpsit, nullo die priùs vllam publicam priuatámque rem egit, quàm in Capitolium iret, ingressúsque ædem consideret, & plerúmque tempus solus in secreto ibi tereret. Hic mos qui per omnem vitam seruabatur, seu consultò, seu temerè, vulgatæ opinionis fidem apud quosdam fecit stirpis eum diuinæ virum esse : retulítque famam in Alexandro Magno priùs vulgatam, & vanitate & fabula parem, anguis immanis concubitu conceptum, & in cubiculo matris eius persæpè visam prodigij eius speciem, interuentúque hominum euolutam repentè, atque ex oculis elapsam. His miraculis nunquam ab ipso elusa fides est, quin potiùs aucta, arte quadam, nec abnuendi tale quidquam, nec palàm affirmandi. Multa alia eiusdem generis, alia vera, alia assimulata, admirationis humanæ in eo iuuene excesserant modum, quibus freta tunc ciuitas ætati haudquaquam maturæ tantam molem rerum, tantúmque imperium permisit.*

Valerius Maximus lib. 1. cap. 2. *Scipio Africanus non ante ad negotia publica, vel priuata ibat, quàm in cella Iouis Capitolini moratus esset : & ideò Ioue genitus credebatur.*

Plutarchus in Scipione : *Imbuerat etiam animos multitudinis superstitione quadam, quòd singulis diebus ex quo virilem togam sumpserat, in Capitolium ascendere, ac sine arbitris ædem ingredi consueuerat, vt crederent homines, sicut iam multo ante Numam Pompilium ab Ægeria Nympha, sic etiam ipsum arcana quædam in templo doceri, quæ cæteris non essent communia. Præterea vt olim de Alexandro Macedonum rege, sic ea tempestate de Scipione quidam finxisse videntur, anguem in cubiculo matris frequenter visam.*

Auctor de Viris Illustribus, siue is Plinius iunior fuerit, siue Aurelius Victor, seu Cornelius Nepos : *Publius Scipio ex virtutibus cognominatus Africanus, Iouis filius creditus : nam antequam conciperetur, serpens in lecto matris eius apparuit. Et ipsi paruulo draco circumfusus nihil nocuit. In Capitolium intempesta nocte eunti nunquam canes allatrarunt. Nec hic quidquam priùs cœpit, quàm in cella Iouis diutissimè sedisset, quasi diuinam mentem accepisset.*

Aulus Gellius, vel, vt alij vocant, Agellius lib. 7. Noctium Atticanum cap. 1. *Quod de Olympiade Philippi regis vxore, Alexandri matre in Historia Græca scriptum est : idem de Publij Scipionis quoque matre, qui prior Africanus appellatus est, memoriæ datum est. Nam & Caius Oppius, & Iulius Hyginus, aliique, quæ de vita & rebus Africani scripserunt, matrem eius diu sterilem existimatam tradunt : Publium quoque Scipionem cum quo nupta erat, liberos desperauisse. Postea in cubiculo atque in lecto mulieris, cum absente marito cubans sola obdormisset, visum repente iuxta eam cubare ingentem anguem : eúmque, his qui viderant territis & clamantibus, elapsum inueniri non quisse : id ipsum Publicum Scipionem ad aruspices retulisse : eos sacrificio facto, respondisse, fore vt liberi gignerentur. Neque multis diebus posteà quàm ille anguis in lecto visus est, mulierem concepisse : concepti fœtus signa, atque sensum pati : exinde mense decimo peperisse : natúmque esse hunc Publicum Scipionem Africanum, qui Annibalem & Carthaginienses in Africa bello Punico secundo vicit. Sed & eum impendio magis ex rebus gestis, quàm ex illo ostento, virum esse vir-*

tutis diuinæ creditũ est. Id etiã dicere haud piget, quòd iidem illi, quos suprà nominaui, litteris mandauerint, Scipionẽ hunc Africanum sollicitauisse noctis extremo, priusquàm dilucularet in Capitolium ventitare, ac iubere aperiri cellam Iouis, atque ibi solum diu demorari; quasi consultantem de Republica cum Ioue: aditusque eius templi sæpè esse demiratos, quòd solum id temporis in Capitolium ingredientem, canes semper in alios sæuientes, neque latrarẽt in eum, neque incurrerent.

Cæsar Augustus.

Suetonius in Augusto, cap. 94. *In Asclepiadis Mendetis Theologumenõn libris lego, Acciam cùm ad solemne Apollinis sacrum media nocte venisset, posita in templo lectica, dum cetera matronæ dormirent, obdormisse: draconémque repente irrepsisse ad eam, paulóque post egressum, illámque expergefactam, quasi à concubitu mariti purificasse se: & statim in corpore eius extitisse maculam, velut depicti draconis: nec potuisse vnquam eximi, adeò vt mox publicis balneis perpetuò abstinuerit: Augustum natum mense decimo, & ob hoc Apollinis filium existimatum.* Mirum hîc quanta vanitate & temeritate de libris Asclepiadis, quos nunquam legit aut vidit, pronuntiet Casaubonus. Hoccine est prudentis hominis ita per somnium diuinare? Quanto prudentiùs & eruditiùs Beroaldus, Torrentius, & alij Suetonij Interpretes; quos tu consules. S. Apollinaris Sidonius Panegyrico ad Anthemium Imperatorẽ.

Magnus Alexander, necnon Augustus habentur
Concepti serpente Deo, Phœbúmque, Iouémque
Diuisère sibi: námque horum quæsiit vnus
Cynisia sub Syrte patrem: maculis genitricis,
Alter Phœbigenam sese gaudebat haberi,
Paonij iactans Epidauria Signa Draconis.

Adito Notas Ioannis Sauaronis.

Galerius Armentarius.

Aurelius Victor in Epitome, cap. 40. *Is insolenter affirmare ausus est, matrem more Olympiadis Alexandri Magni creatricis compressam dracone semet concepisse.* De Ioue in forma draconis cum mulieribus concumbente, nonnulla ex auctoribus excerpsit Thomas Dempterus in Paralipomenis cap. 5. lib. 2. Rosini de Romanis antiquitat.

Adiungendus his quoque Merlinus Anglus qui insignis vates est habitus, ac de dæmonio incubo natus proditur: de quo Cæsarius Dialogo 3. cap. 12. *Legitur etiam Merlinus propheta Britannorum ex Incubo dæmone, & sanctimoniali fœmina generatus. Merlinus verò homo rationalis & Christianus fuit, multa futura prædixit, quæ quotidie implentur.* Cetera de Merlini ortu ex incubo fusè versibus cecinit Gotfridus Viterbiensis in Chronico, parte 18. vbi multa de Merlino narrat: affirmant quoque illum ex Incubo genitum, Vincentius Bellouacensis lib. 20. Speculi Histor. cap. 30. Vuernerus. Roleuinchius in Temporum fascieulo, ad annum Christi, 424. Hermannus Schedelius in Chronico, Ioannes Naucletus volumine 2. generatione 17. Tostatus in Genes. 6. quæst. 6. & alij. Agunt de eo peculiariter proprij Anglorũ, & Scotorum Historici, Polydorus Virgilius, Hector, Boëtius, Ioannes Lesleus. Sed omnibus vetustior Sigibertus in Chronico, anno Christi 445. hæc habet: *Inuentus igitur Adolescens, cui nomen erat Merlinus, cum matre sua adducitur coram rege Vuortegirno, quæ professa est de spiritu in specie hominis se illum concepisse. Merlinus autem multa obscura reuelauit, multa prædixit ventura.* Multa sequitur narrare de Merlino fabulis propriora. Vide Genebrardum lib. 3. Chronographiæ pag. 452. ad annum Christi 498.

Lutherum etiam ex dæmonio Incubo genitum, Coclæus illémet in faciem obiecit. Martinus Delrius lib. 2. Disquisit. Magicarum, quæst. 15. plurium eiusce originis texens catalogum, ait: *Nec desunt qui in hanc classem Lutherum retulerint.* Citat in margine Pontanum in Historica sacra de statu religionis. Nicolaus Serarius in Tobiæ 6. quæst. 4. *Quid de Luthero ipso dicemus? quem ex Incubo sese in balneo, cui ancillabatur, concepisse propria mater professa est, quemadmodum in editis Lipsiæ libris Petrus Syluius testatur, nec ipse etiam Lutherus inficiatur.*

Quamuis haud clam nos sit, quæ de insignibus viris apud gentiles à diis progenitis referunt, à plerisque vt fabulosa repudiari: ab aliis verò existimari, fuisse prætextus nobilium fœminarum, quibus adulteria sua contegerent, cùm partibus suis tam splendidior parentes affingerent: Et Seruius ad vers. 322. Æneid. 6. *Deũm certissima proles*, inquit: *Multi ad gloriam generis simulant se numinum filios: vt Romulus ex Marte, Alexander ex Ioue Ammone*, & facilè creditu est Incuborum dæmonum opera fuisse, quibus & sibi diuinos honores, & aliis cælestes origines compararent ad idololatriam validiùs stabiliendam.

Verùm inspice, quales nam homines adminiculo & operatione dæmonum fuerint procreati, nimirum excellenti corporum & animorum indole, naturáque celsa, ignea, & ad magna quæuis siue in virtutibus, siue in vitiis habili: vt iam non sit absurdum reputare Antichristum efficientia dæmonum ingentem naturam educturum, sed ad vitia cum primis propensissimam.

Antichristum ex Iudæis oriturum.

CAP. V.

SAnctus Hippolytus Martyr orat. de Consum. mundi: *Ex Hebræis ortus est Christus, hic quoque, Antichristus, nascetur ex Iudæis.*

Auctor S. Ambrosij nomine in 2. Thessal. 2. *Quam ob rem ex circumcisione, aut circumcisum illum venire sperandum est.*

S. Hieronymus in Daniel. 11. *Consurgere debet Antichristus de modica gente, id est, de populo Iudæorum.* Et paulò inferiùs: *Nullus Iudæorum absque Antichristo in toto vnquam orbe regnauit.* Eadem ibidem habet Strabus Monachus, & alij.

Theodoretus orat. 7. in Danielem: *Antichristum paruum cornu vocat Daniel, vt à parua Iudæorum tribu natum.*

Oecumenius in 2. Thessalonicens. 2. *Hominem autem quempiam Hebræum dicit ipsum Antichristum.* Paulus nimirum.

Georgius Phranza in Chronico Orientalis Imperij, lib. 2. cap. 12. Futurum est, vt nascatur homo *execrabilis ex gente Hebræorum, vt quidam volunt, qui capiat omnem vim & operationem diaboli.*

Gregorius de Valentia tomo 4. disp. 11. quæst. 2. puncto 2. §. 2. *Illud autem est certum, Antichristum nasciturum ex gente Iudæorum.* Equidem Antichristum ex Iudæis nasciturum, Patres ferè omnes affirmant, cùm tradunt eum ex Tribu Dan, quam constat vnam esse ex duodecim Israëliticis seu Iudaïcis tribubus, oriturum: quorum sententias cap. sequenti abundè describemus. Et ratio est perspicua: quia cùm exploratum sit, Antichristum à Iudæis

dæis pro vero Messia recipiendum, vt suo loco dicemus, quis nescit Iudæos nullum vnquam pro Messia habituros, cuius originem non habeant compertam Iudaïci sanguinis esse: ipsi siquidem non alium, aut ex alia gente Messiam nisi Iudæum exspectant: cum Scriptura Messiam Iudæum fore disertè astruat.

Augustinus Steuchus elucidans vaticinium Balaam, Num.24.vers.17. *Orietur stella ex Iacob & consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* refert quosdam nomine Moab intellexisse Antichristum. *Quem*, inquit, *Moabitam futurum asserunt.* Sed locum exponamus, ac diligentiùs perquiramus num Antichristus futurus sit Moabita. *Orietur stella ex Iacob.* Hebræa reddunt, Forsterus & Marinus, *Calcauit stella de Iacob.* Sanctes, *Incessit stella ex Iacob.* Caietanus, *Direxit stellam de Iacob.* Possis exponere, *Tetendit, expandit*, subaudi radios, vel lucem. Oleastrius. *Extendit se stella*, aut, *tendet radios suos stella ex Iacob.* Iunius & Tremellius, *Procedit stella ex Iacob.* vel, *ingressa est, perrexit, iuit, & cõsurget.* Heb. propriè, *stabit, subsistet. virga*, id est, sceptrum, regnum, vt Genes.49.vers.10. ita Rabbi Scelomoh, Lyranus, Caietanus, Vatablus, Tremellius, & Iunius: & quidem Symmachus hîc disertè, *sceptrum*, interpretatus est. Marinus tamen mauult hîc vertere, *tribus*, quod *Scebet*, tribum quoque significet. LXX. habent, *exurget homo ex Israël.* qua etiam ratione legunt, Origenes homil. 18.in Numeros, S.Cyprianus lib.2.Testimonorium cap.10.Eusebius lib.9. Demonstr. Euang.cap.1. S. Basilius homilia de Humana Christi generatione, S. Ambrosius in 2. Lucæ, S. Hieronymus in 47. Isaïæ, S.Leo serm.4.de Epiphania, Auctor Operis Imperfecti homil.2.in Matth.S.Isidorus de Natiuitate Domini cap.15.Procopius in 24 Numer.

Ergo hîc Stellam, & Virgam historicè Dauidem regem intelligunt quidam Hebræi, & seorsim Rabbi Scelomoh, Lyranus, Oleastrius. At proprio & primario sensu de Messia seu Christo interpretantur Chaldæus Paraphrastes, Rabbi Moseh Gerundensis, Kimchius, Burgensis, Caietanus, Steuchus, Vatablus, Sà, & alij Christiani Interpretes. Tremellius & Iunius annotant: *Stellæ & Sceptri nomine regnum populi Dei intelligit cœptum in Dauide, completum in Christo.* Vide Petrum Galatinum lib. 8. de Arcanis Catholicæ veritatis, cap.1. Chaldæus Paraphrastes habet: *Surget*, vel stabit, *Rex de domo Iacob, & nutriet se*, vel, *magnificabit se*, seu, *augescet, crescet.* Interpres Latinus, Complutensis, & Regius, *vngetur. Messias de domo Israël.* Kimchius in libro Radicum annotat Regem Messiam ob magnitudinem suam & èximiam sublimitatem assimilari Stellæ hoc loco Numer.24.

Plerique Patrum Stellam hanc à Balaamo prædictam, illam prorsus interpretantur, quam in ortu Christi Magis in Oriente apparuisse, eósque ad Christum adorandum perduxisse Matthæus cap.2. refert: atque Magos illos hoc potissimum Balaami vaticinio apud eosdem à maioribus vulgato, non sideris exortu conspecto, fuisse permotos ad diuinum regem perquirendum, etiam iidem Patres affirmant, nimirum Origenes lib.1.contra Celsum & homil.13.& 18.in Numeros, S.Cyprianus serm.de Stella & Magis, Eusebius lib.9. Demonst. Euang. cap.1. S.Basilius homil.de humana Christi generatione, S.Gregorius Nyssenus orat.de sancta Christi Natiuitate, S.Ambrosius in 2.Lucæ, S.Hieronymus in 47.Isaïæ, & 2. Matthæi, S.Prosper de Promissionibus Dei, Parte 3.cap.6, S.Leo Papa serm.4.de Epiphania, S.Maximus homil.3.de Epiphania, Auctor operis Imperfecti homil.2. in Matth. S. Isidorus Hispalensis de Natiuitate Christi cap.13. Theophylactus, Euthymius, S.Anselmus in Matth.2. Procopius Gazæus in Num.24. & annotat ibid.Caiet.

Et percutiet duces Moab. Ita quoque LXX. in Romana editione: in Complutensi verò & Regia, *& confringet duces Moab.* Chaldæus, *& interficiet principes Moab.* Origenes, *& vastabit principes Moab.* Symmachus, *& cædet clima Moab.* Sanctes, *& transiget terminos Moab.* Forsterus, *& cruentabit terminos Moab.* vel, *& transiget duces Moab.* Sanctes in Thesauro, *& transfodiet angulos* (id est, duces) *Moab.* Ita quoque Schinthlerus. Oleastrius, *& transibit.* (vel penetrabit) *terminos Moab*, vel, *& percutiet extremitates Moab.* id est, vsque ad extremas partes regni Moabitarum. Tremellius & Iunius: *franget latera Moabitarum*, putántque vaticinari illud 2. Samuël.8.vers.2. Marinus, *& feriet angulos Moab.* vel, *& sauciabit angulos Moab.* Vatablus, *& confodiet angulos Moab.* Leo Iudas, *& confringet proceres Moab.* Auenarius, *& cruentabit angulares Moab.* id est, duces & capitaneos. Aiunt verbo *Machatz* hæc omnia subesse, *infecit*, scilicet *sanguine cruentauit, sauciauit, vulnerauit, transfixit, transfodit, contudit, confregit, conquassauit.* S. Hieronymus verbo *percutiendi* reddere solet. Hinc ductum annotant verbum μαστίζω, & μαστιγόω, id est, flagello.

Quos Hebraïcè *angulos* dixit, omnes ferè cum LXX. Vulgato & Chaldæo, metaphoricè intelligũt, principes, duces, proceres, optimates, qui populum sustinent. Rectè Sanctes: *Vnde & hodie Heluetiorum duces vocantur Anguli, vulgo Cantoni.* Sic 1. Regum, 14.38. *applicate huc vniuersos angulos populi.* Heb. *Pinnoth*, pinnacula, id est, Principes, qui aliis eminent. Sophoniæ 1.16. *super angulos excelsos.* Isaïæ, 19.13. *Ægyptum angulum populorum.* Vbi S.Hieronymus: *Idioma autem Scripturarum est, vt angulum pro regno ponat, eo quod populos contineat: quasi in tota domo fortissimum sit.* Nec alienè hîc Symmachus dixit, *clima*, vel *climata*: nam id quoque *Peah* Hebræis significare non est dubium. Vnde dicunt, *Arbah Peoth*, id est, quatuor orbis plagæ. Forsan hîc ducta est metaphora ab oppugnatione vrbium, quum latera seu anguli murorum, aut turrium tormentis verberantur, & quatiuntur, vt cornuant, quasi dicat: Feriet angulos Maob, vt eum disiiciat. Facile intellectu est, hîc nomine Moab, & Idumeæ Arabiæ regionum, vbi tunc Balaam vaticinia fundebat, vniuersè intelligi omnes gentes quas Christus Imperio suo & Religioni subiugaturus erat, euersis & dirutis idololatriæ arcibus, muris, propugnaculis, munitionibus, parietibus, vt etiam in hunc locum annotauit Procopius Gazæus: has tamen singulariter Balaamum nominasse, quòd ipse tunc in Arabia existens, vicinásque regiones oculis lustrans errorum barathro mersas, præsentium nomine, reliquas totius mundi significare voluerit pari impietate deprauatas. Quid si illud, *& cruentabit*, vel *inficiet* aut *intinget sanguine angulos*, seu *plagas*, aut *regiones Moab.* Indicet mysterium Sanguinis Christi in Cruce fusi, quo omnes nationes fuêre cruentatæ, tinctæ, purgatæ, lotæ, redemptæ? nam Ecclesiam Dei acquisiuit Sanguine suo, Actor.20. vers.28.

Vastabitque, LXX. *& prædabitur*, vel *captiuabit.* Ita quoque Origenes. Chaldæus, *& dominabitur* Symmachus, *& excutiet.* Verbũ geminatum סרסר, *Karkar*, à קיר *Kir*, id est, pariete, cõtraria significatione exponunt, perfodit, diruit, destruit parietem, propriè *exparietauit*, Pheuclinus. Sanctes, Forsterus,

Auenarius, Mercerus, Bertranus, Vatablus, Leo Iudas, Marinus, Forerius, Pomarius Schindlerus. Ceterùm Oleastrius potiùs exponendũ putat, *imparietabit*, id est, pariete claudet: cùm enim verbum dictum sit à pariete, potest retineri significatus affirmans parietis, id est, claudet, obsidebit, munitionibus & operibus cinget, vt indicet septa Ecclesiæ, quasi dicat, *imparietabit*, id est, intra parietes & septa Ecclesiæ recipiet. Si malimus *exparietabit*. Forsan est illud Pauli Ephesior. 2. vers. 14. *medium parietem maceriæ soluens*. Nimirum eum qui dispergebat gentes à Iudæis, vt fieret vnum ouile, & vnum septum. Noster Isaiæ 22. vers. 5. verbo, *scrutandi*, reddidit, quod hîc optimè quadret, *& scrutabitur*, id est, seliget, discernet, ex omnibus filiis Adam electos suos: *nam non omniũ est fides*, 2. Thessal. 3. vers. 2.

Omnes filios Seth. Rabbi Nathan apud Lyranum existimat, Seth hîc nomen esse proprium vrbis in terra Moab. Oleastrius ait, fuisse nationem, aut populos tunc temporis notos, nunc verò ignotos. At plerique omnes, generaliter. *Filios Seth*. Interpretantur omnes homines, siue vniuersum genus humanum, nimirum quia ex Seth filio Adam, omnes homines totius mundi propagati sunt, extincta, & deleta per diluuium omni posteritate Caïn. Noë verò à quo genus hominum & reparatum & conseruatum est, originem ducebat à Seth: quare filij Seth sunt sicut filij Adam, id est, omne genus hominum, quia omnes inde proueniunt. Chaldæus manifestè hîc dixit, *omnes filios hominum*. Ita quoque Strabus, Lyranus, Caietanus, Steuchus, Vatablus, Mercerus, Bertranus, Marinus, Schindlerus, Sà, Drusius. Et Procopius habet: *Quin imo omnes homines nomine Seth intelligi voluit*. Sed prior Origenes homilia 18. in Numeros: *Iste est ergo Seth, ex quo omne humanum in hoc mundo ducitur genus. Nam dè Caïn qui nati fuerant, diluuio perierunt. Filij ergo sunt Seth omnes homines, qui in hoc mundo sunt*. Theodoretus quæst. 43. in Numeros: *Filios Seth, omnes homines: Noë siquidem oriundus est ex Seth: ex Noë verò vniuersa hominum natura*.

Quocirca mirum quòd Oleastrius hunc communem sensum refellere tentauerit, hisce verbis: *Neque verum puto omnes filios Caïn diluuio periisse, quia nusquam hoc probatur in sacris litteris: & infrà hoc eodem cap. 24. Numeror. dicitur: Quia si fuerit ad remouendum Caïn, id est, semen Caïn*. At qua ratione possunt ista subsistere? cùm omnes homines diluuio extincti fuerint, Genes. 7. vers. 21. & 22. Solis illis seruatis qui in Arca fuerunt, nimirum Noë cum vxore, & tribus filiis, totidemque nuribus, hoc est, octo animalibus 1. Petri, 3. vers. 20. Noë verò non ex Caïn, sed ex Seth genus ducebat: nec ipse, nec filij vxores habuerunt nisi ex posteris Seth, cùm adeò olim infaustè cessisset, quòd filij Seth vxores sibi ex filiabus Caïn asciuissent: quæ coniugia Deus non probauit vnde orti sunt gigantes immane genus, & Deo inuisum. Nec quod Oleastrius adducit ex numeror. 24. vers. 22. *Quia si fuerit ad remouendum Caïn*. Quidquam in rem suam facit; nam hoc loco Caïn, siue vt Noster emolliuit, *Cin*. non est Caïn filius Adam: sed proprium nomen vrbis in tribus Iudæ montanis positæ, Iosuë 15. vers. 57. & Iudicum 4. vers. 11. vt annotauit Marinus: aut loquitur de Cineis gente in Scripturis notissima, de qua plura Scaliger in Elencho Trihæresij, cap. 23. & 24. Serarius lib. 5. Minerualis, cap. 14.

Sed hîc pro illo, *omnes filios Seth*. Possis quoque ex Hebræe reddere, *omnes filios fundamenti*. Ita quidem nonnulli ex Aben-Ezra, hîc dictas prouincias, seu regiones orbis interpretantur, quòd sint quasi filiæ mundi, & terræ, quæ mundi fundamentum dicitur, quæ expositio non admodum probatur Mercero, Bertramo, Marino. Aliter, *exparietabit omnes filios fundamenti*: id est parietes, ædificia, & extructiones omnes à fundamentis euertet, siquidem parieres & ædificia dicuntur filij fundamenti, quòd è fundamento vt à patre nascantur, & surrigantur: & Hebraïcè *Benim* filij, à *Banah*, ædificare, dicuntur. Nec alienè vertas, *omnes filios podicis*. Vide Drusium in hunc locum. Seth, Hebræis podicem, anum, nates, clunes etiam significat, Isaiæ 20. vers. 4. Hiscum apud Drusium, Moabitas & Ammonitas designatos putat, nimirum ex incestu filiarum Lot cum patre procreatos. Forsan vt indicet Philistæos, quos infami podicis ignominia, ac natium opprobrio, doloréque cruciauit Dominus, 1. Regum, 5. vers. 6. & 9. & Psalm. 77. vers. 66. Quid si innuat vniuersè nationes & gentes idololatricas, tanquam infames, pudendas, & propudiosas, tot vitiis & abominationibus fœdas? Quid si notet etiam earundem ingens illud naturæ saludibriũ præposteræ libidinis, & pæderastiæ, qua gentes turpissimè deflagrabant.

Tremelius & Iunius: *Et destruet omnes eos qui ponè sunt*, vel *omnes filios sedis*. Annotántque: *id est, Ammonitas, Madianitas, & Orientales populos cæteros ad Euphratem vsque pertingentes. Hos autem filios sedis, vel posticæ partis videtur appellare Bilham ratione situs sui. Nam castra habebant Israëlitæ ad Moabitarum campestria, Ierichuntem & Iardenem versus num. 22. 1. Sic Moabitæ respectu Israëlitarum versus Orientem erant, vt narrat Isphthach Iudicum 11. 20. Quum autem hæc omnia Bilham enunciauerit vultu ad Israëlitas conuerso: tum certè fuerunt ponè ipsum Orientales populi, quos Iudæi suo tempore subegerunt: itaque eos posteriorum partium filios appellauit, quæ partes honestè appellantur sedes, hîc, vt Isaiæ 20. 4. Quod si quis filios obsidionis interpretari malit, id est, infestos hostes, per quos Israëlitæ quasi perpetua obsidione pressi sunt, ducto nomine à verbo quod significat opponere castra, vt Psalm. 3. 7. per me licet. Omnino quod anteà vertimus, filios Seth, iam improbatur mihi*. Sed sunt ista curiosa & aliena.

Cæterùm ratione prorsus carere existimamus, quod quidam ex hoc loco arbitrati fuerint Antichristum gente Moabitam futurum: nam quamuis Moab in Scriptura ob superbiam & impietatem mysticè interdum Antichristum adumbret: at nihil hoc ad veros eius natales, genúsque propterea spectat: nisi forsan quis dixerit, admixtionem aliquam sanguinis Moabitici in Antichristo futuram, vt Dauid etiam ex Ruth Moabitide prognatus fuit. Sed de Antichristo incertum.

Antichristum ex Tribu Dan nasciturum.

CAP. VI.

MIrus est ea de re Patrum consensus. S. Ireneus l. 5. aduersus Hæreses c. 3. *Ieremias autem non solùm subitaneum eius aduentum, sed & tribum ex qua veniet, manifestauit, dicens: Ex Dan audiemus vocem velocitatis equorum eius, à voce hinnitus decursionis equorum eius commouebitur tota terra: & veniet & manducabit terram, & plenitudinem eius, & ciuitatem, & qui inhabitant in ea. Et propter hoc non annumeratur Tribus hæc in Apocalypsi, cum his quæ saluantur.*

S. Hippolytus orat. de Consumm. Mundi: *Attende verba Iacob ad Iudam dicta, in Domino esse impleta. Idem profectò clamat etiam de Antichristo Patriarcha.*

cha. Itaque sicut prophetiam emisit in Iudam, ita & in filium suum Dan. Et quid de illo clamauit? Occurrat ipsi Dan coluber in via, insidens in semita, mordens vngulam equi. Quis erat serpens nisi seductor ille ab initio dictus in Genesi seduxisse Euam, & Adamum supplantasse: Ille certò nasciturus est è Tribu Dan, & veluti rex tyrannus ex aduerso instructurus est, iudex seuerus ac diabolus, vt ait Propheta: Dan iudicabit populum suum, vt quauis alia tribus in Israël. Sed dicet quispiam, hoc de Samsone dictum esse, qui natus est è tribu Dan, iudicauit populum suum annos viginti. At in parte duntaxat illud à Samsone factum est, hoc verò vniuersè implebitur temporibus Antichristi. Inquit enim Ieremias in hunc modum: & Dan audiemus vocem acutissimam equorum eius. A voce hinnitus equitatus equorum eius, concussa est vniuersa terra. Et rursus Moses inquit: Catulus leonis Dan, & exiliet de Basan. Et ne quis dicat, dictum hoc ad Saluatorem pertinere, attendat animum: Dan, inquit, catulus leonis, perspicuum reddit propositum, nominata tribu Dan, de qua nascetur diabolus. Quemadmodum enim è tribu Iuda natus est Christus, ita nascetur è tribu Dan Antichristus. Hæc Hippolytus, in quibus illud perperam, Antichristum futurum diabolum, quod à nobis suprà c. 1. refutatum est: illud rectissimè, aliisque Patribus consentaneè. Antichristum nasciturum ex Tribu Dan.

S. Ambrosius lib. de Benedict. Patriarcharum, c. 7. *Dan iudicabit populum suum tanquam & vna tribus in Israël. Et factus est Dan ipsi serpens in via, sedens in semita, mordens calcaneum equi, & cadet eques retrorsum: salutem expectans à Domino. Simplex quidem intellectus hoc habet, quod etiam Dan Tribus Iudicem dederit in Israël. Etenim post Iesum Naue, Iudices fuerunt plebis de diuersis tribubus. Fuit autem & Samson de Tribu Dan, & iudicauit Israël viginti annis. Sed non hunc prophetia significat: sed Antichristum qui futurus est ex Tribu Dan, sæuus Iudex & tyrannus immanis, iudicabit populum suum: tanquam serpens in via, sedens in semita, decipere tentabit eos qui viam ambulant veritatis, supplantare cupiens veritatem: vt veneni suffusione equus saucius, & vulneratus dente serpentis, leuet calcaneum suum.*

Et in Psal. 40. enarrans illud, *Ampliauit super me supplantationum*, inquit: *Fiat Dan sicut serpens in via, sedens in semita, mordens calcaneum equi, & cadet eques retrorsum: salutem expectans à Domino. Legimus quidem quòd Samson de Tribu Dan Iudex fuerit in Israël. Sed alius hìc significatur futurus, qui ex ea Tribu progressus populum supplicijs sacrilegæ impietatis affliget, Antichristus ille, qui sedebit in templo, tanquam sit Deus.*

S. Augustinus quæst. 22. in Iosuë, *Verumtamen cùm Iacob filios suos benediceret, talia dixit de isto Dan, vt de ipsa Tribu existimetur nasciturus Antichristus.*

S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 9. *Hìc ostenditur, quòd ex Iudais, de Tribu Dan, quæ hodiéque in Perside est, veniat Antichristus, iuxta propheticam benedictionem Iacob Patriarchæ, dicentis: Dan iudicabit populum suum, sicut aliæ tribus. Fiat coluber in via. Cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. Statimque verum Christum Dominum venturum ostendit, dicens: Salutare tuum expectabo Domine.*

Theodoretus quæst. 109. in Genesim: *Quantum attinet ad Dan, quorundam opinione prædixit, quæ gesta sunt à Samsone: ex hac enim erat tribu, & connumeratus est inter Iudices. Propterea, inquit, Dan iudicabit populum suum tanquam vna tribus in Israël. Ego verò arbitror spiritum diuinum per Patriarcham vaticinatum esse, quæ spectabant ad Saluatorem nostrum, & eadem prophetia elocutum esse, quæ concernunt Antichristum. Nam illi valde conueniunt quæ scripta sunt. Quemadmodum enim ait, Saluator & Dominus noster exortus è Tribu Iuda, Saluaturus est orbem: ita serpens pernicioſus egredietur è Tribu Dan. Siquidem hoc dicit, Fiat Dan serpens in via residens, & in semita mordens vngulam equi. Et cadet eques retrorsum, expectans salutem Domini. Ob id enim quòd omnimodis circumuentionibus vtens, conatur prædari deceptos in exitium, assimilat ipsum serpenti cuidam iuxta semitam latenti, & transeuntes interficienti.*

S. Eucherij nomine Auctor lib. 3. in Genesim: *Nonnulli enim de Tribu Dan venire Antichristum ferunt, pro eo quòd hoc loco Dan, & coluber asseritur, & mordens. Qui non solùm coluber, sed etiam cerastes vocatur: cerata enim cornua dicuntur, serpénsque hic cornutus esse perhibetur, per quem dignè Antichristi aduentus significatur, quia contra vitam fidelium cum morsu pestiferæ prædicationis, armatus etiam venit cum cornu potestatis. Et quia Antichristus extrema mundi apprehendere nititur, cerastes iste equi vngulam mordere perhibetur: vngulam quippe equi mordere, est extrema sæculi feriendo contingere. Et quia Iudæa erroris sui laqueis capta, pro Christo Antichristum expectat, bene Iacob, dicit: Salutare tuum expectabo Domine, id est, non sicut infideles Antichristum, sed verum credo fideliter Christum.*

S. Anastasius Sinaïta. Homilia, seu libro 10. in Hexaëmeron: *Restat ergo vt nos ex Iacobi quoque prædictionibus conuenter ostendamus ex Tribu Dan procedere Antichristum, & serpentem mordentem calcaneum equi. Patriarcha enim sic dicit de Dan: iudicabit populum suum, sicut vna Tribus in Israël. Et fiet Dan serpens in via, sedens in semita, mordens calcaneum equi. Ecce habes apertè serpentem & calcaneum sumi de Antichristo.*

S. Gregorius Magnus lib. 31. in Iob, c. 10. *Nonnulli enim de Tribu Dan venire Antichristum ferunt, pro eo quòd hoc loco Dan, & coluber asseritur, & mordens: de quo & per Prophetam dicitur: A Dan auditus est fremitus equorum eius. Qui non solùm coluber, sed etiam cerastes vocatur: cerata enim Græcè cornua dicuntur, serpénsque hìc cornutus esse perhibetur, per quem dignè Antichristi aduentus asseritur, quia contra fidelium vitam cum morsu pestiferæ prædicationis, armatur etiam cornibus potestatis. Et quia Antichristus extrema mundi apprehendere nititur, cerastes iste equi vngulas mordere perhibetur: vngulas quippe equi mordere est extrema sæculi feriendo contingere. Et quia Iudæa erroris sui laqueis capta, pro Christo Antichristum expectat, benè Iacob dicit: Salutare tuum expectabo Domine, id est, non sicut infideles Antichristum, sed verum credendo fideliter Christum.*

S. Isidorus Hispalensis Episcopus in Genesim, cap. 31. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, &c. Alij dicunt Antichristum prædici per hæc verba de ista Tribu futurum.* Et postèa: *Alij verò hanc prophetiam ad Antichristum transferunt: de Tribu enim Dan venire Antichristum ferunt, pro eo quod in hoc loco Dan & coluber asseritur & mordens: de quo & per Prophetam dicitur: A Dan auditus est fremitus equorum eius. Qui non solùm coluber, sed etiam cerastes vocatur: Cerata enim Græcè cornua dicuntur, serpénsque hic cornutus esse perhibetur, per quem digne aduentus Antichristi asseritur: quia contra vitam fidelium cum morsu pestiferæ prædicationis, armabitur etiam cornibus potestatis. Et quia Antichristus extrema mundi apprehendere nititur, cerastes iste equi vngulas mordere perhibetur: vngulam quippe equi modere est extrema*

trema ſæculi feriendo contingere. Et quia Iudæa erroris ſui laqueis capta, pro Chriſto Antichriſtum expectat, benè Iacob dicit: Salutare tuum expectabo Domine, id eſt, non ſicut infideles Antichriſtum, ſed verum credo fideliter Chriſtum.

Primaſius lib. 3. in Apocal. ad c. 11. *Beſtia quæ aſcenſura eſt de abyſſo, id eſt, ex latebris nequitiæ cordis Iudæorum. De Tribu enim Dan Antichriſtus traditur naſciturus.* Et lib. 4. ad c. 16. *Iudæi, qui Antichriſtum qui de Tribu Dan dicitur naſciturus, ſuſcipiendo, atque ſequendo, eorum notentur eſſe complices in nota criminis, quorum participes erunt in pœna ſempiterna damnationis.*

Andreas Cæſarienſis Epiſcopus in Apocal. c. 9. *Obſeruandum eſt quoque, Tribum Dan, quòd Antichriſtus ex illa naſciturus feratur, cum reliquis tribubus hoc loco non recenſeri.* Nempe Apocalyp. 7. & cap. 50. *Quin verò quoque conſentaneum arbitramur, Antichriſtum ex Orientali Perſide, ad quam tribus Dan, è qua ortum ille ducturus dicitur, ablegata eſt, vnà cum aliis regibus & principibus regium nomen adeptis, Euphratem tranſmiſſurum.*

Aretas Cæſarienſis Epiſc. c. 19. in Apocal. *Notandum verò eſt, quòd Tribus Dan, ob id quod ex ea naſciturus ſit Antichriſtus, cum cæteris non recenſeatur: ſed loco eius Tribus Leui ponatur.* Et in *fine capitis*: *Verum Dan cognominationem, quamuis & ipſe princeps Tribus fuerit, cæteris non copulauit, ob id videlicet quod initio dictum eſt, quòd ex ipſius Tribu dubio procul naſciturus ſit Antichriſtus.* Et c. 51. *Putandum eſt quòd & ipſe Antichriſtus ab Orientalibus Perſidis regionibus proditurus ſit, vbi tribus Dan ex Hebræorum ſtirpe cõmoratur, vnà cum reliquis quoque regibus.*

S. Beda c. 48. in Geneſim: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, &c. Dicunt quidam Antichriſtum per hæc verba prædici de iſta Tribu futurum.* Et paucis interiectis: *Alij autem, vt prædiximus, hanc prophetiam ad Antichriſtum transferunt, pro eo quod hoc loco Dan & coluber aſſeritur, & mordens: de quo figuraliter Propheta dicit: A Dan auditus eſt fremitus equorum eius. Qui non ſolùm coluber ſed etiam ceraſtes vocatur: cerata enim Græcè cornua dicuntur: ſerpens ille cornutus eſſe perhibetur, per quem dignè Antichriſtus aſſeritur, qui contra vitam fidelium cum morſu peſtiferæ prædicationis, armabitur etiam cornibus poteſtatis. Et quia Antichriſtus extrema mundi apprehendere nititur, ceraſtes iſte equi vngulas mordere perhibetur: vngulas quippe mordere eſt extrema huius mundi feriendo contingere. Et quia Iudæi erroris ſui laqueis capti, pro Chriſto Antichriſtum expectant, benè Iacob dicit: Salutare tuum, Domine, expectabo. Id eſt, ſicut fideles, non Antichriſtum, ſed verum Chriſtum credam fideliter.* Et in 7. Apocal. *Dan prætermiſit, ex quo dicitur Antichriſtus eſſe naſciturus: ſicut ſcriptum eſt: Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita.*

Alcuinus in quæſtionibus in Geneſim, ad finem: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, &c. Dicunt quidam Antichriſtum per hæc verba dici de iſta Tribu futurum, pro eo quod hoc loco Dan & coluber aſſeritur & mordens: de quo figuraliter Propheta dicit: A Dan auditus eſt fremitus equorum. Qui non ſolùm coluber, ſed etiam cornutus ſerpens dicitur, per quem dignè Antichriſtus aſſeritur, qui contra vitam fidelium cum morſu peſtiferæ prædicationis, armabitur & cornibus contra poteſtates, &c.*

Ambroſius Anſbertus lib. 5. in Apocal. ad c. 11. interpretans verba illa *Beſtia quæ aſcendit de abyſſo, faciet aduerſus illos bellum*, ait: *Quòd ſi hoc de ſolo Antichriſto ſpecialiter dictum accipimus, aſcenſum eius de abyſſo, natiuitatem carnis ex profundiſſimo impietatis Iudæorum populo intelligere debemus. De Tribu enim Dan Antichriſtus docetur naſciturus, Patriarcha Iacob atteſtante, qui ait: Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, &c. Antichriſtus etenim coluber ſimul & ceraſtes vocatur, quia nimirum, & per occultam nequitiam venenum peſtiferæ prædicationis diffũdit, & & per apertam ſæcularem potentiam cornu ferit: ceraſtes enim cornutus ſerpens intelligitur. Et quia peruerſus ille homo, filius peccati ac perditionis extrema mundi apprehendere nititur, ceraſtes iſte vngulas equi mordere perhibetur: vngulam quippe equi mordere eſt extrema ſæculi feriendo contingere. Et quia Iudæa erroris ſui laqueis capta, pro Chriſto Antichriſtum expectat, bene Iacob dicit: Salutare tuum expectabo Domine. Id eſt, non ſicut infideles Antichriſtum, ſed eum qui in redemptionem noſtram iam venit, venturum quoque ad iudicandum viuos & mortuos expectabo.*

Rabbanus tract. de Antichriſto: *Non autem quod dico, ex proprio ſenſu fingo vel excogito, in libris diligenter relegendo hæc omnia ſcripta inuenio. Sicut ergo auctores noſtri dicunt, Antichriſtus ex populo Iudæorum naſcetur de Tribu Dan, ſecundùm Prophetam dicentem. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita.* Et lib. 2. de vniuerſo, c. 2. *Dan iuxta prophetiam Iacob, coluber in via, ceraſtes in ſemita eſſe dicitur. Dicunt quidam, Antichriſtum per hæc verba dici, de iſta Tribu futurum, pro eo quod hoc loco Dan & coluber aſſeritur & mordens, & de quo ſingulariter Propheta dicit: A Dan auditus eſt fremitus equorum. Qui non ſolùm coluber, ſed etiam ceraſtes vocatur: Cerata enim Græcè cornua dicuntur: ſerpens ille cornutus eſſe perhibetur, per quem dignè Antichriſtus aſſeritur, qui contra vitam fidelium, cum morſu peſtiferæ prædicationis, armabitur etiam cornibus poteſtatis, &c.*

Altercatio Synagogæ & Eccleſiæ, cap. 7. *Notæ quòd caſtra Dan ad Aquilonem poſita ſint, ex quo Antichriſtus futurus erat.*

Radulphus Flauiacenſis lib. 18. in Leuit. cap. 1. *Quòd autem ex Tribu Dan eſſe dicitur homo iſte, hic manifeſtius Antichriſtus deſignatus intelligitur, qui Scripturis hinc atque inde conclamantibus, ex Tribu Dan oriturus agnoſcitur. Recole prophetiam Patriarchæ Iacob: Fiat, inquit, Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, &c. Hoc quomodo ſuper Antichriſto intelligendum ſit, Papa Gregorius latiùs exponit.*

Haimo Alberſtatenſis in 2. Theſſalonicenſ. 2. *Naſcetur Antichriſtus in Babylone, de Tribu Dan, iuxta quod Iacob dicit: Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita.* Et in 7. Apocalyp.

Strabus Monachus in 49. Geneſis: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, &c. Alij ad Antichriſtum hæc transferunt, quem de Tribu Dan venturum aſſerunt, quia Dan & coluber & mordens dicitur. Vnde Ieremiæ 8. A Dan auditus eſt fremitus equorum eius. Qui non ſolùm coluber, ſed ceraſtes vocatur: cerata enim Græcè cornua dicuntur, & hic ſerpens cornutus etiam perhibetur, per quem dignè aduentus Antichriſti aſſeritur, qui contra ſanctos morſu peſtiferæ prædicationis, & cornu poteſtatis armabitur.* Et in Deuteron. 33. *Dan catulus leonis. Alij per Dan Antichriſtum ſignificari putant, quem de hac Tribu naſciturum æſtimant.* Et in 2. Theſſalonicenſ. 2. *Naſcetur Antichriſtus in Babylone de Tribu Dan, iuxta quod Iacob dicit: Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita.* Et in 7. Apocal. *Ex genere Dan naſcetur Antichriſtus, ideo hic prætermittitur: vt ex omni numero Sanctorum oſtendatur Antichriſtus reiiciendus.*

S. Anſelmus in Elucidario: *Antichriſtus in magna Babylonia de meretrice generis Dan naſcetur.* Et in 7. Apocalypſis: *Dan ſextum filium preteriit, quia ex progenie*

genie ipſius naſcetur Antichriſtus, ex quo innuitur ex omni numero Sanctorum eiiciendus Antichriſtus.

Anſelmus Laudunenſis in 11. Danielis ad illud verſus 37. *Et Deum patrum ſuorum non reputabit*, inquit: *Abraham, Iſaac & Iacob, de quorum progenie naſcetur Antichriſtus in Babylone, ſicut aiunt, de Tribu Dan.*

Matthæus Vveſtmonaſterienſis in Floribus Temporum, in quarta Ætate mundi, cap. 16. *In illo tempore ſurget princeps de Tribu Dan, qui vocatur Antichriſtus.*

Rupertus lib. 9. in Geneſ. c. 32. *Nonnulli de Tribu Dan venire Antichriſtum ferunt, pro eo quod hoc loco Dan & coluber aſſeritur, ceraſtéſque mordens: de quo per Prophetam dicitur: A Dan auditus eſt fremitus equorum eius. Qui non ſolùm coluber, ſed etiam ceraſtes vocatur: Cerata enim Græcè cornua dicuntur. Serpens hic cornutus eſſe perhibetur, per quem dignè Antichriſti aduentus aſſeritur, quia contra vitam fidelium cum morſu peſtiferæ prædicationis, armatur etiam cum cornibus poteſtatis. Et quia Antichriſtus extrema mundi apprehendere nititur, ceraſtes iſte equi vngulas mordere perhibetur: vngulas quippe equi mordere eſt extrema ſeculi feriendo contingere. Et quia Iudæa erroris ſui laqueis capta, Antichriſtum expectat, bene Iacob dicit: Salutare tuum expectabo Domine, id eſt, non ſicut infideles Antichriſtum, ſed credo fideliter Chriſtum.* Et in 7. Apocalypſis: *Sciendum quòd de Tribu Dan naſciturus eſt Antichriſtus, iuxta illud Iacob, Fiat Dan coluber in via, &c. Eiicitur itaque ex hoc loco Dan, vt oſtendatur Antichriſtus, ex omni numero eiiciendus Sanctorum.*

Richardus de S. Victore lib. 2. in Apocalyp. cap. 9. *Dan de cuius genere Antichriſtus naſcetur, in numero ſignatorum prætermittitur, vt per hoc oſtendatur quòd Antichriſtus de cœtu Sanctorum eiicietur.*

Beremgoſius Abbas libro de Myſterio ligni Dominici, & de luce viſibili & inuiſibili: *Hæc eſt illa lux, per quam Iacob futurorum illuſtratus ſcientia. Fiat, inquit, Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita: Antichriſtum ſcilicet ſignificans, qui contra electos Dei duplici quandóque debet ſæuire dementia, dum & coluber ex aſtutia, & ceraſtes vocatur ex potentia.*

Otto Epiſcopus Friſingenſis lib. 8. Chronic. c. 1. *Porrò de Tribu Dan, ſeruili ſcilicet conditione, ex illa quæ dicitur auctoritate: Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita: naſciturus creditur.*

Hugo Eterianus lib. de Regreſſu animarum ab inferis, c. 23. *Antichriſtus naſciturus eſt ex Tribu Dan, ſicut Iacob prophetauit: Fiat Dan, inquit, coluber in via, & ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, &c. Serpens ceraſtes cornutus eſſe perhibetur, per quem dignè ſignificatur Antichriſtus, qui contra vitam fidelium morſu venenoſæ prædicationis armabitur. Equus hunc mundum ſignificat, vngula verò equi finem mundi. Vngulam equi mordebit Antichriſtus, qui extrema vexabit feriendo.*

Petrus Comeſtor in Hiſt. Scholaſt. Geneſis c. 108. *Exponitur hoc etiam de Antichriſto, quem venturum de Dan aſſerunt, qui contra Sanctos morſu peſtiferæ prædicationis, & cornu poteſtatis armabitur: multos etiam qui aſcenderant, ad culmen virtutum deiiciet retrò: & tunc veniet Saluator ad Iudicium expectatus.* Eadem ſcribit in Hiſt. Danielis, cap. 6.

Vincentius Bellouacenſis lib. 32. Speculi Naturalis, c. 103. *Legitur Antichriſtus in Babylone de Tribu Dan naſciturus, iuxta id quod ait Iacob pater eius: Fiat Dan coluber in via, &c. Vnde hæc ſola tribus in Apoc. ſubticetur, vbi ex aliis tribubus ſignati numerantur.*

S. Th. Aquinas Opuſc. de Humanitate Dei, c. 19. *Naſcetur Antichriſtus in Babylone de tribu Dan, iuxta quod ait Iacob: Fiat Dan coluber in via, &c.*

Lyranus in 7. Apoc. *Tribus verò Dan hic omittitur, eo quòd de ipſa dicitur Antichriſtus naſciturus.*

Ioannes Gerſon in Summa lib. 6. de Gaudiis Paradiſi: *Naſcetur enim Antichriſtus in Babylone ex tribu Dan, ſicut dicit Gloſſa ſuper Apocalypſim.*

Ludolphus Carthuſianus Vitæ Chriſti parte 2. cap. 87. *Antichriſtus ex parentibus ſenibus concipietur, & naſcetur in Babylone de Tribu Dan.*

S. Antoninus 4. part. Theol. tit. 13. c. 4. §. 3. *Iſte Antichriſtus venturus eſt ſecundùm Doctores & Scripturas in fine mundi, qui, vt dicit Vincentius in Speculo Hiſtoriali, circa finem naſcetur in Babylone, de Tribu Dan, ex viro & muliere: ſed concepto & animato, vt dicit Magiſter in Hiſt. Scholaſtica, deſcendet diabolus in vterum matris ad implendum eum omni malitia, vt vaſe ſuo.* Et infrà: *De tribu Dan dicitur Antichriſtus naſciturus. Et in numero ſignatorum centum quadraginta quatuor millium, ex omni tribu Iſraël, ſcilicet in libro vita, non ponitur Tribus Dan, quia eius ſequaces reprobi ſunt.*

Non eſt dubium cùm Patres & poſteriores Theologi tanta conſenſione tradunt Antichriſtum ex tribu Dan oriturum, potiſſimum reſpexiſſe tria Scripturæ loca, quæ id vtcúmque indicare videntur. Primus locus eſt Geneſ. 49. verſ. 17. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, &c.* Secundus, Ieremiæ 8. verſ. 16. *A Dan auditus eſt fremitus equorum eius, &c.* Tertius Apocal. 7. vbi cum tribus Iſraëliticæ enumerentur, omittitur tribus Dan, nimirum in execrationem Antichriſti, ex ea naſcituri. Quę ſanè loca ſunt iam à nobis cum cura elucidanda.

Exponitur vaticinium Iacob, Geneſ. 49. verſ. 17. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò, Salutare tuum expectabo Domine.*

CAP. VII.

HEbræa ad verbum: *Erit Dan coluber* (ſerpens) *ſuper viam, Sephiphon*, ſuper ſemitam, mordens calcaneos equi, & cadet equitans eius retrò. Oleaſtrius, *currus eius.* Sed perperàm, reclamantibus exemplaribus, pro *Rochebo*, legit *Richbo*, Caietanus, *& iecit equitem eius retrò.*

De *Sephiphon*, quod Noſter *ceraſtem* expoſuit, non leuis eſt difficultas. Rabbi Abē-Ezra, & Rabbi Scelomoh exiſtimant eſſe à radice *Suph*, id eſt, percutere, frāgere, cōtundere: idémque eſſe quod *Nachaſ*, id eſt, ſerpens, anguis, coluber: dicíque ſatis ornatè *Sephiphon*, alluſione verborum Moſis Geneſ. 3. v. 15. *Ipſe Ieſupheca conteret tibi caput: & tu Ieſuphenu conteres illi calcaneum.* His adſtipulatur Marinus.

Kinchius ait eſſe à verbo *Saphaph*, contundere, conterere, quòd nimirum alia animantia conterat. Ita quoque Schindlerus. Rabbi Scelomoh, & Dauid de Pomis, à *Naſaph*, id eſt, fiare, ſufflare etiam deducunt, quòd ſerpens quando venit ad mordendum, ſufflet, id eſt, ſibilet. Forſterus: *Suph feſtinanter obruit afflatu ſeu anhelitu. Inde nomen Sephiphon, colubri ſpecies, qui obruit flatu. Geneſ. 49. & ceraſtes ſuper ſemita.* Idem alibi in radice *Saphah*: *Sephiphon ſerpentis ſpecies, qui præceps feratur. Geneſ. 49. ceraſtes in ſemita. Quamquam etiam à Soph deriuari poſſit, quòd ſit dictus, quòd obruat, ſeu opprimat, vt alludatur ad dictum Geneſ. 3.* Mercerus proculdubio Forſterum reſpexit, cùm ait: *Suph quidam exponunt afflatu obrucre, vt cum Naſaph affinitatem habeat: quo referunt*

& Se

& Sephiphon colubri genus flatu opprimens.

Buxtorfius: *Sephiphon masculinum, ceraſtes, vel, vt alij, Serpens Iaculus: vnde poſſit & ad Saphah referri, quòd ex excelſo loco præceps Iaculi inſtar feratur. Iaculi ſerpentis meminit Plinius lib.8.cap.23.*

Franciſcus Iunius & Immanuel Tremellius: *Acontias iuxta ſemitam, ſiue, vt Lucanus vocat, Iaculus, ſerpentis genus ſubiens arbores, & ex ramis earum, ſe vi maxima vibrans, cuius meminit Plinius lib.8. Nat. Hiſt. cap.23. Nã inde apud Hebræos nomẽ habet.*

S. Hieronymus in quæſt. Hebr. in hunc locum *Sephiphon*, Baſiliſcum ſeu regulum interpretatur, & quidem etymon, afflatu opprimens, ſeu obruens, aptiſſimè in Baſiliſcum competit, de quo Plinius lib.8.c.21. *Sibilo omnes fugat ſerpentes: necat frutices, non contactos modò, verùm & afflatos: exurit herbas, rumpit ſaxa.* Solinus c.30. *Extinguit herbas, necat arbores, ipſas etiam corrumpit auras, ita vt in aëra nulla alitum impunè tranſuolet infectum ſpiritu peſtilenti.* Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Leonis IV. Pontificis: *In primo quidem Pontificatus ſui anno iuxta Baſilicam beatæ Luciæ martyris, quæ in Orphea ſita eſt, in quibuſdam terris, abditiſque cauernis diri generis ſerpens, qui Baſiliſcus Græcè, Latinè Regulus dicitur, ortus eſt, qui flatu ſuo, ac viſione omnes qui ad eaſdem properabant cauernas, celeriter nacabat, mortiſque tradebat periculo: ita vt omnes ſtupor, ac timor inuaderet, ſerpentis virtutes mirantes & cladem.* Fusè narrat quomodo Sanctus Pontifex eum precibus ſuis fugauerit.

Subiicio locum Plinij qui mirificè illuſtrat quæ hîc Iacob de *Sephiphon* mordente vngulas equi, & ſeſſore cadẽte habet: ait enim Plin. de Baſiliſco: *Creditũ quondã, ex equo, occiſo haſta, & per eam ſubeunte vi, non equitẽ modò, ſed equũ quoque abſumptũ.* Ælianus lib.2. Hiſt. Animalium, cap.5. *Et ſi baculum quem quiſpiam teneat, momorderit, baculi Dominus necatur.*

Cererùm Chaldæus Paraphraſtes Onkelos, Leo Iudas, & Auenarius, *Sephiphon aſpidem* exponunt. Oleaſtrius, *Viperam*, Marinus, *anguem.* At Noſter, Lexicon Complutenſe, Alfonſus Camorenſis, Reuchlinus, Caiet. Sanctes, Vatablus, Schindlerus, *Ceraſtem* reddunt: quæ proculdubio melior eſt interpretatio. Suſpicor eſſe à *Saphan*, abſcondere, recondere, occultare, duplicatíque *Phe* litteram, quòd ſit ſerpens aſtutiſſimus, calliditſſimus, ſe ſe occultans, & abſcondens, vt ex inſidiis ſumma aſtutia perimat, qualis eſt re vera ceraſtes. Vel eſſe à *Saphah*, quod eſt eleuari, extare, eminere, emergere, ſeu præceps ferri, in præcipitium eminere. Etverò in Ceraſte cornicula eminent, ipſéque ex arenis emergit, præcépſque fertur in prædam. Plinius lib.8. c.23. *Vulgatum eſt ceraſtis corpore eminere cornicula, ſæpe quadrigemina, quorum motu, reliquo corpore occultato, ſollicitent ad ſe aues.* Solinus c.30. *Ceraſta præferunt quadrigemina cornicula, quorum oſtentatione, velut eſca illice ſollicitatas aues perimunt: nam reliqua corporis de induſtria arenis tegunt, nec vllum indicium ſui præbent, niſi ex ea parte qua inuitatis dolo paſtibus, necem præpetum aucupantur.*

Diod. Siculus lib.3. c.50. de Auſtrali Africæ regione: *Eo magis variæ magnitudinis & formæ ſerpentibus luxuriat, maximè his quos Ceraſtes vocant. Lethales ij morſus inferunt, eiuſdémque ſunt cum arena coloris; ideo cùm à ſubſtrato ſolo, ob coloris ſimilitudinem à paucis diſcernantur, euenit, vt plurimi calcantes illos ex errore, improuiſum mortis periculum incurrant. Hos fama eſt, impreſſione quadam in Ægyptum facta, magnam terræ partem habitatoribus deſtituiſſe.*

Ælianus lib.1. de Animalium natura, c.57. *Ceraſtes Serpens ferunt animal, colore album, gemina ſupra frontem gerit cornua, cochleæ cornibus ſimilia, non ſimiliter tamen atque illius, tenera. Longè verò alia ratione in ceteros Libycos homines, ac ergà nuncupatos Pſyllos ceraſtæ afficiuntur: illis enim infeſti ſunt, cum his fœdere deuinciuntur, pacémque ſeruant. Enimverò Pſyllorum gens ab eis ſi mordetur, non modò non ſentit morſum, ſed eos etiam qui in id mali inciderint, facillimè ſanat: ſi priuſquã totum veneno corpus imbutũ ſit, ex ipſis quiſpiã vel accerſitus, vel ſua ſponte veniens, os ſuũ aqua colluerit, & manus abluerit, alteri, & vtrãque potionẽ propinauerit morſo. Sic enim is ex veneno ſtatim tum conualeſcit, tum ab omni malo liberatur. Libyci item homines aiunt, virum cui ſua vxor venerit in ſuſpicionem adulterij, quique ex ea ſuſceptos liberos adulterino ſanguine natos ſuſpicetur, experimenti cauſa in dolium ceraſtarum plenum infantem puerum coniicere, ſicque iniiciendo, tanquam artificem aurum igni, ingenuitatem pueruli experiri: ceraſtas protinus inſultare, acerbóſque fieri, innatum malum puero minitantes: eos, vt puer attigit, remolleſcere, vnde Libycus ille, ſe legitimum patrem agnoſcit.* Meminit huius experimenti & Plinius lib.7.c.2. & Silius Italicus eo verſu.

Ac dubiam admoto ſobolem explorare ceraſte.

Idem Ælianus lib.16.c.28. *Callias lib.10. Hiſtoriæ, quam conſcripſit de Syracuſano Agathocle, Ceraſtas, inquit, peſtiferum morſum infligere ſolere, & beſtias ratione carentes, & homines interficere, niſi Libycus vir natione Pſyllus ad curandum acceſſerit. Hic ſanè ſiue euocatus, ſiue fortuitò aduenerit, & plagam adhuc tolerabiliter dolentem viderit, ſolam ſaliuam ictui, morſuíve inſpuens, dolorem mitigat, & perſtringit: ſin percuſſum offenderit ægerrimè dolentem, intra dentes permultam aquam hauſit, & os ſuum primum ex ea colluit, poſt verò eam in poculum iniectam vulnerato exſorbendam tradit. Quòd ſi veneni acerbitas acriùs inualeſcit, hic ægrotanti nudo nudus accumbit, & proprio ſuo corpore morbi vim frangit, & malo hominem liberat. Hoc autem ita ſe habere, idoneus teſtis etiam Nicander Colophonius fuerit.* Lucanus lib.9.

——Spináque vagi torquente ceraſtæ.

—Statius, Thebaidos 1.

Centum illi ſtantes vmbrabant ora ceraſtæ.

—Propertius lib. 3. Elegia 21.

At non ſquamoſo labuntur ventre ceraſtæ.

Prouerb.23. verſ.32. quod Noſter habet, *& ſicut regulus venena diffundet.* LXX. poſuerunt, *aut à ceraſte, cuius venenum latè mox ſeſe diffundit.* Vbi Græcorum Patrum Catena à Theodoro Peltano in Latinum conuerſa, & ab Andrea Scoto edita, hæc annotat: *Eſt autem ceraſtes peſſimum & calliditſſimum ſerpentis genus: etenim toto reliquo corpore ſub arena abdito, ſola cornua ſupernè prominere ſinit: hæc autem dum inſtar vermiculi ſubinde mouet & agitat, incautos volucres, alióſque animantes ad ſe allectat: Porrò autem vt primum ad cornua tanquam ad certam eſcam aduolauerint, vel adrepſerint, ſtatim illas intercipit, & interimit.* Hæc ibi. *Prima interpretatio.*

Iacob hîc prædixiſſe Daniticæ tribus inſignem aſtutiam & calliditatem bellicam, quæ ex inſidiis, & ſtratagematis hoſtes eſſet adoritura: vt eriã Moſes Deut.33.v.22. *Dan catulus leonis fluet*, Hebraïcè, *proſiliet, ex Baſan*, Nimirum erit Dan fortiſſimus & bellicoſiſſimus, ex inſidiis & aſtu bellico conſiliens, vt leones Baſan, qui erant fortiſſimi. Ita Vatablus, Oleaſtrius, Yſtella, & Nouatores Franciſcus Iunius, & Tremellius Emanuel. Sed vbi, aut quando tribus hæc vſa ſit tanta aſtutia, & calliditate bellica, nec proditur, nec facilè fieri poteſt. Theodoretus tamen quæſtione 109. in Geneſim: ait,

Non-

Nonnulli verò dicunt, illum prædixiſſe ea, quæ pertinent ad Laïſam, modò Paneada vocatam. Repentè enim quidam erumpentes ex hac Tribu, vrbem hanc aggreſſi, illam vi cœperunt, atque occuparunt, & ſuam illi dominationem indiderunt: vocarunt enim illam Dan. Hiſtoria extat Iudicum 18. Sanè Iacobi verba rectè in Danitas competunt, quòd reuera ſuoptè ingenio raptores, irrequieti, & alieni appetentes eſſent, ac planè bellicoſi, vti etiam annotauit Maſius in 19. Ioſuë, verſ. 47.

II. De Samſone propriè & hiſtoricè locutum Patriarcham, quem conſtat è tribu Dan ortum fuiſſe, Iudic. 13. verſ. 2. vnde dictus eſt Bedan 1. Regum 12. verſ. 11. quaſi filius Dan, vt omnes interpretantur. Idcircò enim præmiſiſſe Iacob videtur: *Dan iudicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus in Iſraël*; quia nimirum Samſon ex iſta tribu Iudex fuit in Iſrael viginti annis, & diſertè dicitur Iudicum 16. verſ. 31. & cap. 15. verſ. 20. Quo pacto probandum nullatenus eſt, quòd Maſius in Ioſuë 24. verſ. 31. Samſonem ex albo Iudicum Iſraëlis expunxerit. De qua re videndus Serarius in Iudicum 16. quæſt. 34. Commendat igitur ſenex Vates aſtutiam & calliditatem, atque egregiam Samſonis induſtriam, quòd is tectè, ac prudenter vndelibet occaſiones captaret perdendi Philiſthæos, vbique eis occurrens, vbique laſceſſens & vexans, propoſitis interdum obſcuris & ambiguis ænigmatibus, quibus eos caperet: nihilque omittens quod eis poſſet omnem perniciem afferre, vt latiùs in libro Iudicùm deſcribitur.

Onkelos Paraphraſtes Chaldæus: *E domo Dan eligetur & conſurget vir. In diebus eius redimetur populus eius, & in annis eius requieſcent ſimul tribus Iſraël. Erit vir qui eligetur, & ſurget de domo Dan. Huius terror irruet ſuper populos, & plaga eius inualeſcet in Philiſtheis. Velut ſerpens exitialis quieſcet in via, & velut aſpis inſidiabitur in ſemita. Occidet robuſtos è caſtris Philiſtheorum, equites cum peditibus: ſubneruabit equos, & currus, & dabit aſcẽſores eorum retrorſum.* De Samſone quoque locum interpretantur plurimi Hebræorum, quos citat Serarius in Iudicum 16. quæſt. 37. & peculiariter Rabbi Scelomoh.

S. Hippolytus Martyr orat. de conſum. mundi: *Sed dicet quiſpiam hoc de Samſone dictum eſſe, qui natus de tribu Dan, iudicauit populum ſuum annos viginti. At in parte dumtaxat illud à Samſone factum eſt: hoc verò vniuersè implebitur temporibus Antichriſti.*

Sanctus Ambroſius libro de Benedictionibus Patriarcharum, cap. 7. *Simplex quidem intellectus hoc habet, quòd etiam Dan tribus Iudicem dederit in Iſraël. Fuit autem & Samſon de tribu Dan, & iudicauit Iſraël viginti annis.*

S. Hieronymus in Traditionibus Hebraïcis *Dan iudicabit populum ſuum ſicut vnum de ſceptris Iſraël. Fiat Dan coluber in via, regulus in ſemita mordens vngulas equi, & cadet aſcenſor eius retrorſum. Saluatorem tuum expectabo Domine. Samſon Iudex Iſraël de tribu Dan fuit. Hoc ergo dicit: Nunc videns in ſpiritu comam nutrire Samſon Nazaræum tuum, cæſis hoſtibus triumphare, quòd in ſimilitudinem colubri, regulique obſidentis vias, nullum per terras Iſraël tranſire permittat: ſed etiam ſi quis temerarius virtute ſua, quaſi equi velocitate confiſus, eam voluerit prædonis more populari, effugere non valebit. Totum verò per metaphoram ſerpentis & equi loquitur. Videns ergo tam fortem Nazaræum tuum, quod & ipſe propter meretricem mortuus eſt, & moriens noſtros occidit inimicos, putaui, ô Deus, ipſum eſſe Chriſtum Filium tuum. Verùm quia mortuus eſt, & non reſurrexit, & rurſus captiuus ductus eſt Iſraël; alius mihi Saluator mundi, & mei generis præſtolandus eſt: vt veniat cui repoſitum eſt: & ipſe erit expectatio gentium.*

Eandem de Samſone interpretationem habent Strabus, Rupertus, Comeſtor, & ex Recentioribus Lyranus, Toſtatus, Caietanus, Iſidorus Clarius, Honcala, Pererius, Sà, Delrius, Cornelius à Lapide in Geneſ. 49. Franciſcus Georgius in Harmonia Mundi, cant. 2. tom. 7. cap. 20. Pintus in 8. Danielis, Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 12. Ribera in 7. Apocal. num. 14. Viegas in 13. Apocalypſ. comment. 2. ſect. 3. Serarius in 16. Iudic. quæſt. 37. Alcaſar in 7. Apoc. notat. 4.

III. De Iuda proditore myſticè, ſeu allegoricè nonnulli intellexerunt, apud S. Iſidorum, S. Bedam, Strabum, Laudunenſem Anſelmum, Petrum Comeſtorem, in Geneſ. 49. is enim Chriſto Domino coluber & ceraſtes exitialis extitit, qui nefaria proditione & venenatis inſidiis Chriſtum ſupplantauit. Sed num Iudas ille proditor Domini ex tribu Dan ortus fuit.

Iudas proditor cur dictus Iſcariotes.

Excurſus.

Agè, poſtquam in hæc delapſa eſt oratio, non fuerit iniucundum in hanc perquiſitionem diuertiſſe, ex quanam tribu infelix ille Iudas extiterit, & cur dictus Iſcariotes. Sanctus Hieronymus in 10. Matthæi: *Iudas Iſcariotes, vel à vico, aut vrbe in qua natus eſt, vel ex tribu Iſſachar vocabulum ſumpſit: vt quodam vaticinio in condemnationem ſui natus ſit. Iſſachar enim interpretatur merces, vt ſignificetur pretium proditoris.* Eadem habet S. Beda in 3. Marci. Idem S. Hieronymus de Nominibus Hebraïcis, in Matthæo: *Iſcharioth, memoriale Domini: quòd ſi voluerimus legere Iſſacharioth, interpretatur, eſt merces. Poteſt autem dici & memoria mortis.*

Eraſmus in Matth. 10. *Ceterùm Iudæ proditori cognomen addidit, vt ex cognomine ſignificaret eum ei facinori natum, quod Iſſachar Hebræis ſonat mercedem: atque à tribu vnde fuit oriundus nomen ſortitus videtur. Quamquam non deſunt, qui à viculo cognomen deductum malint.* Eadem habent Bredembachius, Ianſenius, Sà, Franciſcus Lucas in Matthæi 10. Vatablus in 13. Ioannis, Lorinus in 1. Actor. verſ. 16.

Putarunt alij Iudam ex tribu fuiſſe Ephraim. S. Hieronymus enarrans verba illa Iſaiæ 28. verſ. 1. *Væ coronæ ſuperbiæ ebriis Ephraim*, quòd LXX. verterunt: *Væ coronæ iniuriæ mercenarij Ephraim*, Hæc annotat: *Et appellantur mercenarij Ephraim propter Iudam, qui de tribu Ephraim, & de vico eiuſdem Tribus Iſcharioth, Dominum pretio vendidit.* Eadem deſcripſit Strabus Sed & S. Cyrillus in eundem Iſaiæ locum: *Ephraim dicit Iudam, quòd eſſet ex tribu Ephraim: illum námque mercede conduxerunt Iudaïcæ Synagogæ præfecti, vt eſſent cædis eius adminiſtri, & hunc Doctorem traderet. Væ ergo, inquit, coronæ iniuriæ, id eſt, proceribus, qui etiam mercede conduxerunt Ephraim, ſcilicet eum, qui eſſet è tribu Ephraim.*

Ait S. Chryſoſtomus Iſcharioten à patria dictum potius vult, ſic enim ait homilia 33. in Matth. *A Patria ipſum appellauit Iſcharioten.* Eadem habet Theophylactus in Matth. 10. qui etiam in Matth. 26. inquit: *Hic verò proditor erat à pago, qui dicebatur Iſchara.* Atque ita plerique à vico, ſeu patria Iſcariotem vocatum autumant, Euthymius in Matt. 26. Lyranus in Matth. 10. Gagneius in Matth. 26. Caietanus in Matth. 10. & 26. Vnde Remigius citatus in catena ſancti Thomæ Matth. 26. ait: *Schariotæ*

namque fuit villa vnde ortus est iste Iudas. Mirabile est quod Origenes scribit tractat. 35. in Matth. dicens: *Audiui quendam exponentem patriam proditoris Iudæ, secundùm interpretationem Hebraïcam, exsuffocatum vocari. Quòd si ita est, magna conuenientia inuenitur nominis patriæ eius, cum exitu mortis ipsius, quoniam ipse laqueo se suspendens, prophetiam nominis patriæ suæ suffocatus impleuit.* Certè חנק *Chanak*, est suffocare, & strangulare, quod lingua nostra dicimus, *escañar.* At quid *Chanak* cum *Scharioth*? חרת *Charath*, scindere, excidere. קרע *Kara*, scindere, rumpere, disrumpere ברע *Cara*, incuruari, סכר *Sacar*, obstruere, obturare, & etiam, tradere: quæ notiones haud absurdè possint adaptari Iudæ, quòd suspensus, obturatus sit illi spiritus, sciſſúsque, & disruptus, medius crepuerit, detestandus Domini proditor. Vide infrà, quæ describimus ex Francisco Iunio.

Angelus Caninius de Locis Hebraïcis Noui Testamenti, cap. 13. hæc scribit: *Iudas Iscariota, Christi proditor, vnde id nominis nactus sit, nemo hactenus explicauit. Nam qui à* שכר *Sacar, mercede deducunt, Hebraïcè nesciunt. Quid enim faciemus* I, *&* ota, *quæ ad nomen necessariò pertinent.* Mirarer, si cùm Sanctos carpunt, non impingant.

Sanctus Hieronymus à *Sacar* deduxit, & quis nunquam *Issachar* tribum, non à *Sacar* deriuauit? & quid faciemus *I*, quod ad nomen necessariò pertinet.? & in Iaacob, Isaac, quid faciemus *I*, cùm ab *Akab*, & *Tsachak* descendant? & ex sexcentis aliis: sed quis nescit, *Iod* à fronte in propriis nominibus esse formatiuum, & *Thau* à fine etiam nomina formare? Gedeon 2. Reg. 11. vers. 21. vocatur *Ierubesseth*, à *Rub*, & *Bus*, *Ierimoth*, diuersorum virorum nomen proprium, à *Ramah*: Omitto innumera alia. Vide Sanctem lib. 2. Instit. Hebr. cap. 18. 19. 22. Ludouicum S. Francisci lib. 2. Globi Linguæ sanctæ, cap. 5. & alios Grammaticos; nam res est notissima.

Pergit verò Caninius: *Cùm enim docti omnes, & in sacris litteris exercitati, Apostolos omnes Iudæos fuisse consentiant, quod multis argumentis euincere possemus, eius nominis analogiam ex Hebræorum libris petamus oportet. Omnes itaque vel à familia, si nobiles fuerint, vel ab aliquo euentu, aut postremò à patria, præsertim ignobiles, cognomen sumunt. Nos asserimus Iudam proditorem à patria sua Iscariotam appellatum, quoniam constat ex libro Iosuë, cap. 15. & aliis multis locis, Carioth oppidum esse ex tribu Iuda, quòd Hebraïcè scribitur* קריות *Kirioth: & scimus omnes qui à patria describuntur, vocari eius loci viros, vel filios, sed præsertim viros. Quod Esræ 1. passim legimus, Filij Beth-lehem centum & viginti tres. Viri Netopha quinquaginta sex. Viri Anathoth centum viginti octo. Lege id caput, & Nehemiam cum Paralipomenis. Si enim velis vocare Romanum, dices, Iromé, virum Romæ: si Ierosolymitanum, Ierusalaim, virum Ierusalem. In* Pirke *Aboth habes, Antigonos Is Soco, Antigonus vir Soco, id est, Soceus. Sic Iose ben Ioezer Is Sereda, Ioses filius Ioezer vir Sereda, id est Seredæus: qua Iorami patria fuit. Alia innumera afferre potuissem, sed ex his quod volumus, prudentes intelligent. Dicimus itaque nomen proditoris fuisse Iehuda Is-Cariioth, id est, Iudas vir Carioth, vel Cariotensis.* Hæc Caninius.

Ioannes Drusius in Annotationibus Noui Testamenti Matth. 10. vers. 41. hæc obseruat: *Si verum quòd Caninius coniicit, & quod Salmanticensis annotat, fuit celebris in sua vrbe, ideò nominatur Iscarioth, id est, vir Carioth, aut Cariothites. Nam qui sic vocantur, noti & insignes erant in illis locis. Iuchasin* §1. 2. *Viri illi qui vocantur de nominibus terræ suæ, insignes & noti erant in loco illo, vt vir Sereda, vir Ierusalem, vir Caphar Hanna. Similiter ego in modum exempli eram in regno Hispaniæ, & reliquis regnis Christianorum, quum exiuissent libri mei de Astrologia: dicebant, Rabbi Abraham Sachuth, vir Salamanca, id est, Salmanticensis. Sic Antigonus vir Socho, id est, Sochæus.* Hæc Drusius ex Salmanticensi Rabbino. At Caninius disertè dixit, *à patria, præsertim ignobiles cognomina sumere*: Quasi nulla alia generis claritudine, nisi patriæ. Sed vtramque accidere solet, vt nobiles, & ignobiles à patria cognominentur, alia atque alia ratione.

Ergo cùm Iudas dictus sit Is-Carioth, ab vrbe Carioth, quasi vir Cariothensis, probant enim Maldonatus in 10. Matthæi, Baronius tom. 1. Annalium, anno Christi 32. num. 9. Lorinus in Act. 1. vers. 16. Franciscus Lucas in Matth. 10. Serarius Opusculo de Iuda Proditore, §. 1. Castrius in Ieremiæ 48. num. 29. Porrò Carioth fuisse vrbem in extremis partibus Tribus Iuda, iuxta terminos Idumeæ à meridie, constat ex Iosuë 15. vers. 25. quo loco quamuis Rabbi Isaias existimet קריות *Kirioth* non esse proprium vnius vrbis nomen, sed vrbes significare, eas videlicet quæ ibi deinceps enumerantur: at contextus Hebraïcus palàm indicat, & omnes aiunt proprium esse nomen vrbis in oris Australibus tribus Iudæ: quorsum enim post Carioth vna tantùm recensita Esron, adiectus esset Ioph passach, id est, finis versus, quæ est magna distinctio?

Verùm aliam fuisse Carioth in terra Moab, Ieremiæ 48. vers. 24. & 41. & Amos 2. vers. 2. satis indicatur: quamuis Marinus existimet, eandem vrbem fuisse, quodam tempore à Moabitis possessam: sed veriùs putamus diuersas extitisse, vt etiam Adrichomius, Figuerius, Drusius, & Castrius annotarunt.

Libenter assentimur Iudam nuncupatum Iscarioten, quasi virum ex vrbe Carioth, virum Cariothæsem, quòd eiusmodi nominis compositio reperiatur 2. Reg. 10. vers. 6. cùm dicitur, Ammonitas conduxisse mercenarios milites duodecim mille contra Dauidem, ab Is Tob, hoc est, à Viro-Tob, seu à Principe Tob, quæ est regio, vnde accersitus fuit Iephte. Annotauit id quoque Marinus. Figuerius in 2. Amos hæc annotat: *Carioth est vna celebris ciuitas Moabitarum, cuius inter alias meminit etiam Ieremias: ex qua fortasse fuit Iudas proditor: dictus Iscarioth, id est, vir ciuitatis Carioth, quasi dicas, Cariothites. Quamquam etiam ciuitas fuit alia eodem nomine in sorte Iudæ, vt constat ex libro Iosuë.* Ex hac potius dictum Iscariothem, verisimilius est, quàm ex illa Carioth Moabitide.

Serarius obseruat cùm Iudas fuerit ex patria Carioth, vrbe tribus Iudæ, ex eadem quoque tribu ipsum fuisse ortum: at non erant tempore Christi tribuum hæreditates ita distinctæ Sanctes lib. de Interpret. nominum Hebraïcorum, Græcorúmque sacræ Scripturæ, ait: *Scharioth, aut Ischariothes Hebraïcè potest interpretari, vir exterminationis, ex Is, quòd est, vir, & Cariothes, à Carath, quod est, excidere, exterminare. Vel vir vrbium, aut oppidorum, vel accidentium, à Kara, cum Koph.* Christophorus Genesius nouator in Lexico Syriaco Noui Testamenti; *Cognomen Iudæ proditoris Secariutho, Syriacè, aliàs Iscariotes, quod Tremellius interpretatur, Mercede conductus ad defectionem.*

Loselerius Villerius, & Ioannes Cherpuntius Noua

Nouatores in Notis ad Matthæi 10. verſ. 4. *Iudas Iſchariotes, Vir Kerioth, id eſt Keriotithes, Kerioth autem erat in tribu Iuda. Ioſuë* 15. 25. Immanuel Tremellius in Notis ad ſuam è Syro Latinam Interpretationem Euangeliorum Matth. 10. verſ. 4. hæc annotat: *Sechariuta. De hoc cognomine conſiderandum, num commodè poſſit compoſitum eſſe à* שבר *ſecar, id eſt, mercede,* נטה *nata, id eſt, defecit, declinauit: vt* יתא *iuta, altera pars cognominis, ſit verbum futurum paſſiuum coniugationis tertiæ, & in totum cognomen ſignificet, mercede inducetur ad defectionem. Quod cognomen ſi à Chriſto accepit, vt Petrus, & filij Zebedæi, declaratur & ipſum Iudam, & quod facturus erat, optimè Chriſto fuiſſe cognitum: Si verò ab aliis ei inditum eſt, diuina prouidentia commendatur, ſine qua illud cognomen non accepit, quod eius proditionem adeò clarè demonſtraret. Quòd autem quidam ſcribunt compoſitum eſſe ex* איש, *is, & proprio loci nomine, & ſignificare Virum Kirioth, litteræ quibus ſcribitur in Syra paraphraſi non admittunt. Nam præter quam quòd* א *aleph non eſt præpoſitum, &* ש *ſcin quoque non eſt ſcriptum, ſed* ס *ſamech, neque eſt* קריותא *Kiriutha in reliqua dictionis parte per* ק *coph, &* ת *thau: ſed per* ב *caph, &* ט *theth, hoc modo* בריוטא *Cariutha.* Quaſi verò multum curandum ſit, vt ſcripſerit Syrus Paraphraſtes.

Sed addit Franciſcus Iunius: *Aliis Secariut marſupium appellatur, & Secariuta ὁ ἐχων γλωσσόκομον, habens marſupium, vt Ioan.* 12. 5. *Sed ego omnibus expenſis per anticipationem ſtatuo appellari, quaſi ſtrangulatum dicas, qui vltrò declinauerit ad ſtrangulationem ſui, vt narratur Matth.* 27 5. *& Actor.* 1. 18. *Eſt enim* ſecar, *ſtrangulare Syris, &* maſcera, *ſtrangulatio. Alioquin Apoſtolorum nullus in hoc catalogo à patria, ſed à ſanguine, aut vocatione, aut à ſtudio appellatur.* Conueniunt iſta interpretationi Origenicæ nominis Iſcariotis, quam ſuprà poſuimus.

IV. Plerique Patres intelligunt, Iacob iſto vaticinio ortum Antichriſti è tribu Dan, atque eius teterrimos mores antedixiſſe: quem ob venenatam calliditatem, & innumeras nocendi artes, aptiſſimè colubrum & ceraſtem nuncupauerit. Ita S. Hippolytus Epiſc. & Martyr, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Proſper, Theodoretus, S. Eucherius, S. Anaſtaſius Sinaïta, S. Gregorius Magnus, S. Iſidorus, S. Beda, Alcuinus, Ambroſius Anſbertus, Rabbanus, Haimo, Strabus, Radulphus, Rupertus, Berengoſius, Ottho Friſingenſis, Hugo Heterianus, Vincentius Bellouacenſis, Petrus Comeſtor, S. Thomas, S. Antoninus: quorum omnium ſententias fusè deſcripſimus cap. præcedenti. Ceterùm ſingula verba ſacri Vatis S. Gregorium illuſtri ſua expoſitione ſectantem, & Antichriſto rectiſſimè adoptantem lector per otium conſulat: nam ea de re abundè nobis ſuperiori capite dictum.

At nunc acriùs diſquirendum quàm ſolidè hæc de Antichriſto interpretatio ſubſiſtat. Thomas Anglicus, cuius ſunt commentaria in Geneſim, quæ nomine S. Thomæ Aquinatis feruntur, in c. 49. *Quidam tamen legunt hæc de Antichriſto, quem (ſed neſcio an verè) de tribu Dan naſciturum putant: propter quod, dicunt, à Ioanne in Apocalypſi de Tribu Dan non ponuntur ſignati.* Toſtatus in Geneſ. 49. *Fiat Dan coluber in via, &c. Aliqui de noſtris exponunt iſtam litteram, de Antichriſto, quem dicunt eſſe de tribu Dan: & quidem littera ſatis ei applicari poſſet, ſecundùm ea quæ ſancti Doctores, in multis locis de Antichriſto dixerunt: ſi conſtaret eum futurum de tribu Dan.* Et poſteà: *Sed quia, vt præpoſuimus, non conſtat Antichriſtum eſſe futurum de tribu Dan, exponatur littera iſta de Samſone tota.*

Caieranus in eundem locum: *Si tamen verum eſſet, quòd Antichriſtus ex tribu Dan venturus eſt, quadraret vt de ipſo hæc dicerentur: nam & veneno & inſidiis ſimilis erit ſerpenti ſuper viam, communem hominum curſum, & ſerpenti cornuto, ſeu vt alius placet baſiliſco, mordenti calcaneos equi, hoc eſt à remotis inſidianti, tanta efficacia, vt morſu lædendo remota quæque, vincat multitudinem maximam hominum.*

Ioannes Mercerus in Commentariis Geneſ. 49. verſ. 17. eundem locum enarrans: *Quòd noſtri ad Antichriſtum referunt ex hac tribu Dan proditurum, quòd hîc colubri, ſeu ſerpentis fiat mentio, ipſi viderint.*

Oleaſtrius elucidans idem vaticinium, ait: *Qui autem Antichriſtum futurum dicunt de tribu Dan, nihil dignum auctoritate, aut fide afferunt: ideò malo ignorantiam fateri, quàm fabuloſa recitare.*

Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. c. 12. *Antichriſtum naſciturum ex tribu Dan, nulla ſcriptura conuincit. Nam in primis Geneſ. 49. Videtur Iacob ad litteram loqui de Samſone, cùm ait: Fiat Dan coluber in via, &c. vt exponit Hieronymus in Quæſt. Hebraïcis. Et videtur ſanè Iacob benè precari filio ſuo, cùm hæc dicit, & proinde non malum, ſed bonum prædicere. Quòd ſi ad Antichriſtum allegoricè id accommodetur, non poterit argumentum duci, niſi probabile quale ex myſticis ſenſibus ducitur.*

Franciſcus Suarez tomo 2. in 3. part. diſput. 54. ſect. 2. *Ex qua autem tribu futurus ſit Antichriſtus, incertum eſt, tum, quia locus ille Geneſ. ad litteram de Samſone explicatur à Hieronymo in Traditionibus Hebraïcis: quia renera ibi Iacob non videtur mala, ſed bona potius prædicere, &c.*

Benedictus Pererius diſp. 10. in 7. Apoc. *Sed profectò iſtud teſtimonium Geneſ. 49. non admodum eſt firmum ad id quod de Antichriſto ſupradicti auctores dicunt: Iacob enim illis verbis loqui videtur ſecundùm hiſtoricum ſenſum de Samſone.*

Franciſcus Ribera in 7. Apocal. *Verùm ſciendum eſt hiſtorico ſenſu hæc de Samſone dici: de Antichriſto ergo ſenſus allegoricus eſt.*

Nicolaus Serrarius in 16. Iudic. quæſt. 37. *Quidam propriè, ſimpliciter, ac primò intelligi Samſonem: improprie verò, allegoricè, ac per accommodationem quandam ſecundario Antichriſtum. Et hoſce ſequor libens magiſtros.*

Petrus Vincentius Marzilla in Annot. ad 49. Geneſis: *Hoc vaticinium Iacob de Dan, intellexerunt, atque interpretati ſunt de Antichriſto Hippolytus Martyr, Ambroſius, &c. ceterùm ſenſus iſte allegoricus eſt: hiſtorico autem de Samſone dici.*

Ludouicus Alcaſar in 7. Apocal. notatione 4. ex ſententia Riberæ, & Pererij ait, ad probandum Antichriſtum ex tribu Dan naſciturum, nihil ad rem facere locum Geneſ. 49. *Fiat Dan coluber in via, &c.* Et inferiùs addit: *Quemadmodum Riberæ, ac Pererio affirmare licuit, neutrum ex prædictis locis, nempe Geneſ. 49. 17. & Ieremiæ 7. verſ. 16. eſſe ad rem, vt probetur Antichriſtum ex tribu Dan naſciturum; ſic etiam mihi dicere fas eſt, &c.*

At tu pie & diſerte lector, omiſſis argutiis, hîc pauca conſidera.

Primò, Mirum tot, tantorúmque Patrum conſenſum, vti ſuperiori capite annotabamus, locum de Antichriſto interpretantium, non eſſe de nihilo, ſed exoſculandum, magnifaciendum, ob Patrum honorem, & auctoritatem: Si locus de Antichriſto è Dan orituro nihil ad rem faceret, poterántne tot Patrum ſententiæ in eam rem conſpirare.

Secundò, Etsi nonnulli Patrum eam de Samsone intelligentiam adhibeant, inuentus est hactenus Patrum nullus, qui istam aliam de Antichristo interpretationem repudiarit, aut abiecerit: imò potius qui apertè hanc illi prætulerint, vt S. Hippolytus, S. Ambrosius, Theodoretus.

Tertiò, Patres seriò, affirmatè, securè, sine hæsitatione, aut formidine, Iacob aiunt de Antichristo vaticinatum: vt magnopere nos credere inducant, hanc explanationem vt veram, & legitimam esse amplectendam.

Quartò, Quid contra prætexunt? Patriarcham nimirum de Samsone historico sensu locutum. At nimis est exploratum sacrum Vatem, & in tribum Dan, & in Samsonem, & in Antichristum mentis oculos intentos habere potuisse cùm illud vaticinium funderet: more Prophetis vsitatissimo. Sic Dauid suas & Christi res, sæpe eisdem verbis canit: sic de Salomone & Christo eisdem carminibus prophetat: sic Isaias Syrum, & Christum vno verborum tenore loquitur. Sic Daniel Antiochum & Antichristum eodem sermone describit: Prophetæ enim sic sibi typos & figuras depingendos proponunt, vt in prototypos potissimum respiciant; quemadmodum etiam cùm imaginem aliquam cernimus, simul in prototypon mentis oculos intendimus. Dan autem & coluber, & cerastes typi & imagines Antichristi erant, ex eadem tribu nascituri. Quid vetat, vt Iacob historicè, & litteraliter de tribu Dan & Samsone loquatur, sed sublimiori & præcipuo sensu Antichristum intelligat, quem illi astutia sua & virulenta calliditate præfigurarint? Ergo vaticinium Iaacob ex parte in tribu Dan & Samsone, vniuersè verò & plenè in Antichristo compleri. Nónne hoc ipsum quod hîc annotamus, totidem fere verbis affirmarunt, S. Hippolytus Martyr, S. Ambrosius, Theodoretus; quorum sententias præcedenti capite posuimus. Quibus multo facilius credam quàm Patri Alcasari. Et sunt hæc in Scripturis notissima, & à plerisque obseruata, & in primis egregiè à S. Hieronymo in 11. Danielis ad versic. 21. & nos in hoc opere nihil frequentius inculcabimus: & qui hunc peruagatissimum Canonem in Scripturis non tenuerit, labi passim eum necesse est.

Quintò, Si Diuinus Vates eo oraculo mentis oculos in Antichristum defixerat, eúmque illis verbis intelligi quoque volebat, asseremúsne esse tantùm meram & simplicem allegoriam, vulgarem, è liberis illis pro sensu cuiusuis pij interpretis concinnatam? Absit. Sed magnum, sublimem, & solidum, propheticúmque sensum, & magnopere suscipiendum.

Sextò, Demus puram esse allegoriam, at propterea contemnendam, quam tot, támque præclari Patres commendant? ex sensu siquidem mystico, quem tanta Patrum auctoritas probat atque confirmat, nónne docent Theologi magnum interdum duci argumentum, quod non facilè quisquam debeat aspernari?

Septimò, Quod insuper obiiciunt, Iaacob illis verbis, *Fiat Dan coluber in via, &c.* bonum potius, quàm malum filio suo prædixisse: quanto rectiùs Andreas Masius, cùm illud peruestigaret, quod propriè ad institutum nostrum spectat, nimirum, cur tribui Dan sors hæreditaria inter Israëlitas vltimo loco exierit, Iosuë 19. versic. 47. cùm tamen tribus ipsa Dan nec minor, nec posterior omnibus aliis fuerit, hæc ad propositam difficultatem respondit: *Quapropter hoc solùm dicam existimare me, ideò extractam postremo loco sortem tribus Danitica esse, quamuis alioqui Dan maior natu fuerit quàm Nephthali, quia infausta quædam de ista tribu prædixisse videtur Iacob, atque etiam Moses, vt & Diuus Augustinus censet, eiusmodi ex quibus coniectura augurari possimus Antichristum ex Danitis nasciturum esse. Neque enim ego certè aliam hîc rationem dispicere possum satis firmam mutati ordinis, cuiusmodi in aliis sortis casibus inuentæ sunt.*

Et Delrius in Genes. 49. *Alterum argumentum est, non videri verisimile Iacobum Dano filio suo tantam generis labem annunciasse, & tanto affecisse mœrore. Neque dicimus annunciasse, sed tacitum secum perpendisse. Etsi intellexisset Danus, commemoratione Salutaris detergeret mœrorem: si non detergeret: etiam Rubenum, & Leui, & Simeonem, haud absimili, vel maiore affecit mœrore: vaticinatur enim, & non benedixit filiis hoc sermone.*

Ergo quòd attinet ad huius loci de Antichristo intelligentiam, Pererius in 49. Genes. rem ipsam vidit, & rectissimè indicauit, cùm ait: *Restat vltima interpretatio multis probata, celebratáque; quæ hoc vaticinio dixit Iacob de tribu Dan, non tam ad Samsonem pertinere, quàm ad Antichristum, etiam secundùm sensum historicum, vel certè secundum mysticum intra corticem illius historiæ inclusum, & à spiritu sancto principaliter intentum.*

Et Viegas in 13. Apocal. comment. 2. sect. 3. *Fiat Dan coluber in via, &c. Quem locum quamquam D. Hieronymus, & alij interpretantur de Samsone, qui fuit ex tribu Dan, tamen propter tot, tantorúmque Patrum, quos paulò ante citauimus, sententiam, negari non debet, ibi etiam siue ad litteram, siue mysticè vaticinium de Antichristo contineri.* Similia docent Delrius in Genes. 49. Gregorius de Valentia tom. 4. disput. 11. quæst. 2. punct. 2. §. 2. Ioannes Ferdinandus in Thesauro Scripturarum, verbo, *Antichristus*, num. 3. qui ait: *Quæ expositio quamuis mihi aliquando mystica visa sit, quum Romæ Genesim explicarem: nunc tamen historica potiùs apparet.*

Cornelius à Lapide in 49. Genes. ad versic. 17. *Iacob ad litteram hæc prædixit de Samsone: allegoricè de Antichristo: aut potius Iacob hæc tam de Antichristo, quàm de Samsone ad litteram dixit, & intellexit, vt sit hîc duplex sensus litteralis: vnus de Samsone, alter de Antichristo.*

Salutare tuum expectabo Domine.

Prima Explicatio.

Quemadmodum senes & ægroti solent inter verba, quæ affectis viribus ægrè ducunt, interdum suspiria emittere, vel in exclamationes quasdam prorumpere, quo fatigati corpusculi lassitudinem mitigent, ac mulceant: haud secus sanctum Patriarcham fessum senio & ægritudine, seriem illam & accuratam de rebus magnis ad filios orationem, interiecta dulci hac ad Deum exclamatione interrupisse. O Domine, Salutare tuum expectabo! Futurum pro præsenti, expecto: quasi dicat: Premit me ægritudinis molestia, serua me Domine, fer opem fesso & afflicto. Ita Oleastrius, & Ystella. Qua ratione hæc pericopes non cohæret cum præcedentibus, sed abrupta per se stat.

II. Cùm dixisset Iacob tribum Dan serpentina astutia, & cerastina calliditate insignem futuram; coniecisse statim mentem in Deum, & in eius tutelam confugisse. O Domine salutem tuam expecto, serua me à nequitia & exitiali veneno huius tribus, Ita Vatablus & Oleastrius.

III. Ac si dicat: Serua Domine tribum Dan: nam

nam duobus potiſſimum nominibus ea tribus indidiguit ope diuina primùm quòd ab Amorrhæis graiuiter oppreſſa Iudicum 1.verſ.34.poſtrema hereditatem cœpit, Ioſuë 19. verſ.47. & Iudic.18. deinde, quod prima à vera religione palàm deſciuerit, Iudicum 18. Ita Nouatores Franciſcus Iunius & Tremellius Immanuel: nec ab hac explicatione abludit Mercerus.

IV. Quoniam de tribu Dan oriturum Samſonem prædixerat Patriarcha, & clariſſimi Nazaræi fortia facta paucis præſtrinxerat,ne quis ſuſpicaretur tam inclytum heroa, Chriſtum verum futurum,opportunè adiecit: Salutare tuum expectabo Domine,hoc eſt. Non ex hac tribu Dan,neque hic tantus vir Samſon: ſed ex alia, & alius mihi quærendus & expectandus Meſſias,nempe ex tribu Iuda Ieſus Nazarenns verus Æterni Patris Filius. Ita S.Hieronymus in Quæſt. Hebraïcis, Strabus, Rupertus, Comeſtor, Lyranus, Toſtatus, Vatablus, Mercerus, Clarius, Honcala, Sà,Yſtella,Thargum Ieroſolymitanum, id eſt,Chaldaïca quædam vetuſta Pentateuchi Paraphraſis, Ieroſolymitana lingua conſcripta, quæ magnæ inter Hebræos auctoritatis cenſetur,ita hunc locum expreſſit:*Dixit Pater noſter Jacob: Non expecto Salutare Gedeon, filij Iohas,quæ eſt ſalus temporalis: neque Salutare Samſon filij Manue, quæ eſt ſalus tranſitoria: ſed expecto redemptionem Meſſiæ filij Dauid, qui venturus eſt ad accerſendum ſibi filios Iſraël: cuius redemptionem deſiderat anima mea.*Refellit hanc explanationem Paulus Burgenſis, ſed ratione non ſatis ſolida. Rabbi Moſeh Maimon, apud Serarium exiſtimat verba hæc non Iacob,vel Moſis auctoris libri eſſe,ſed potius Samuëlis,qui cùm videret ſalutem in Samſone promiſſam ceſſare, hæc verba libro Geneſeos addiderit: *O Deus te expectabo, non autem Iudicum aliquem: non ſperabo in colubro & aſpide Samſone, quia ſalus tua, ſalus ſæculorum eſt.* Rabbi Scelomoh apud eundem Serarium,intelligit eſſe verba Samſonis, ſimilia illis quibus Deum moriturus inuocauit, Iudic. 16. verſ. 28. & 30.

V. Pererius duas affert explanationes,Alteram, quod Iacob agens de Samſone inſigni,typo,& figura Chriſti, ſtatim in deſiderium archetypi & veri Chriſti proruperit, *Salutare tuum expectabo Domine.* Alteram, quòd cùm videret Samſonem ſtrenuum futurum liberatorem populi afflicti, cupiuit impendio Iacob, vt in ea, & in reliquis oppreſſionibus populus Iſraëliticus ſemper haberet Seruatorem: proinde dixerit: *Salutare tuum expectabo Domine.*

VI. Cùm infauſta atque inauſpicata Tribui Daniticæ ventura prædiceret diuinus ſenex, ex eáque Tribu Antichriſtum naſciturum vaticinaretur, aſpectu tam horribilis monſtri perterritus,ad Chriſtum ſtatim mentis oculos conuertit eúmque toto mentis deſiderio inuocat, vt & orbem redempturus adueniat, & tantis malis quibus Antichriſtus mundum oppreſſurus eſt,opem etiam ferat.Hebraïcè:*Saluti tuæ*,vel *in Salutem tuam intendo,ſpecto,collimo,Domine.* Verbũ *Kauah*,hîc in *Piel*,conſtructum cum *Lamed*,propriè eſt intenta oculorũ acie lineas ducere, quod eſt propriè Perſpectiuæ & Geometriæ,ſeu collectim,& aggregatim in aliquid intendere,quemadmodum faciunt qui velut ad amuſſim & lineam in aliquid collimant. Hinque ſignificat, magno animi deſiderio, ac intentione aliquid ſpectare,& expectare, vt ſit geſtus perſpicaciſſimè intuentium,& auidè,atque anxiè expectantium;quaſi ſit ſeipſum totum colligere & congregare, & intentiſſimè in aliquem reſpicere,eúmque expectare, & amplecti,ſibique applicare. Vide Forſterũ,Mercerum, Marinum, Auenarium, in Theſauris, Forerium in Iſaïæ 28.verſ.13. Forſterus, *Salutari tuo intentus ſum.* Auenarius,*Saluti tuæ incubui Domine.* Ac ſi dicat: Antichriſtum nolo,reſpuo,abominor execror:nam quamuis naſciturus è tribu Dan,mea poſteritate: at ego hunc non expecto, non deſidero, non recipio:ſed tota mentis & animi intentione in verum Chriſtum collimo, hunc cupio & deſidero Saluatorem, & Redemptorem mundi, verum Filium Dei.Iudæi quidem Antichriſtum in fine mundi venturum expectabunt,& pro vero Meſſia recipient; at ego non Antichriſtum, ſed Chriſtum expecto,qui eſt verus Saluator mundi:in hunc credo fideliter,hunc amplector.Ita locum interpretantur S.Eucherius,S.Gregorius,S.Iſidorus,S.Beda,Alcuinus,Ambroſius Anſbertus,Rabbanus,Haimo,Strabus Monachus, Radulphus, Anſelmus Laudunenſis, Rupertus, vti copioſè præcedenti capite vidimus: & ex recentioribus,Burgenſis,Caietanus,Pererius, Delrius, Yſtella. Qui ſenſus maximè probandus eſt.

Vel aliter, Antichriſtus venturus eſt è tribu Dan, orbem deſtructurus: ſed ſtatim poſt illum Dominus Ieſus Chriſtus expectatus veniet ad Iudicium. Ita ſanctus Proſper, & P. Comeſtor. Aut aliter,Antichriſtus tanquam coluber, & ceraſtes omnia deuaſtabit, ac proteret in mundo: ſed *Salutare tuum expectabo Domine*, nimirùm vt ſalutem & opem offeras rebus afflictis.

Sunt hîc tamen nonnulla obſeruanda.Primùm, cùm hoc loco Hebraïcè ſit abſtractum, *Salutem tuam.* Noſter in concreto dixerit, *Salutare tuum.* Forſterus, & Mercerus elucidantes hunc locum Geneſ. 49. & Forerius in Iſaïæ 25. verſ.9. eundem locum Geneſ. enarrans, hæc annotant: *Noſter Interpres, Salutare tuum dixit, Græcos ſecutus, qui ſæpe reddunt σωτήριον, id eſt,Salutare,Saluationem,Saluatorem,opitulatorem. Loquitur enim Iaacob de Chriſto, quem ſe dicit expectare. Sicut Simeon in hunc quoque locum reſpiciens, loquutus eſt: Quia viderunt oculi mei Salutare tuum. Et Lucas σωτήριον, Salutare, Saluatorem, opitulatorem, Seruatorem vertit. Et Paulus ad Romanos 3. verſ. 25. Chriſtum ἱλαστήριον, Propitiatorium vocat.*

Deinde ſciendum, Euſebium Emiſſenum, & Gennadium in Græca Catena Geneſ. legere, *Fiat ipſi Dano ſerpens in via, &c.* vt innuatur Dalilam ſerpentino aſtu decepturam Samſonem.Quem ſenſum indicare videtur ſanctus Hieronymus lib.1. in Iouinianum: *Et certè iſte* Samſon *eſt ſecundùm prophetiam Iaacob, qui cùm concitus equi pernicitate ferretur, à ſerpente percuſſus, retrorſum cecidit.* Et ſanctus Ambroſius legit: *Et factus eſt Dan ipſi ſerpens in via, &c.* Atque ita eſſe in quibuſdam codicibus LXX. Interpretum annotauit Nobilius.

Denique illud, *Salutare tuum expectabo Domine.* LXX. dixerunt, *Salutem expectans Domini:* quod poteſt referri, ad aſcenſorem retro cadentem, vt retulit ſanctus Ambroſius in Pſalm. 40. Serarius tentat corrigere LXX. ſed fruſtrà, cùm ſemper ita habuerint: poſſit facilè reduci ad ſenſum Hebraïci contextus, & Vulgatæ editionis: *Salutem expectans Domini*: ſubaudi, ſum ego.

Exponitur locus Ieremiæ 8. vers. 16.

A Dan auditus est fremitus equorum eius, à voce hinnituum pugnatorum eius, commota est omnis terra. Et venerunt & deuorauerunt terram, & plenitudinem eius, vrbem, & habitatores eius.

CAP. VIII.

EXpendamus verba ad veritatem Hebraïcam. *Fremitus. Necharath*, est propriè ronchus qui per nares accensas & ardentes calore, aut furore efflatur. Maro 3. Georgic.

Collectúmque premens voluit sub naribus ignem.

Hinnituum. Si *Mizhaloth* affinitatem habet cum *Mezilloth*, haud alienè vertes, *à voce tintinabulorum*, cymbalorum, Hispanicè, *petrales de cascaueles y campanillas.* Sic enim equi ornantur, & animosiores in bellis redduntur.

Pugnatorum. Abirim, propriè robustorum, præualidorum, fortium, strenuorum, vbertorum. Intelligunt hîc omnes ferè, equorum, quod *Abirim* absolutè & sine adiecto positum, de equis dicatur, Iudicum 5. vers. 22. *A calcationibus, calcationibus robustorum eius.* id est, equorum, vt intelligunt Sanctes, Forsterus, Caietanus, Vatablus, Bertramus, Montanus, Immanuel, Iunius, Marinus: at Noster ibi: *cum fortissimis hostium.* possis hîc reddere, *à voce hinnituum alatorum eius.* vt sit epithetum equorum, qui propter pernicem velocitatem volare dicuntur, quasi dicat, Pegasorum eius. Maro 3. Georgic.

——*Tum cursibus auras.*
Prouocat: ac per aperta volans——

Vnde Verus Imperator frater M. Aurelij, pernicissimum equum, quem in deliciis habebat, *Volucrem* nuncupauit, teste Iulio Capitolino. Fortè in Vulgato illud, *pugnatorum.* De militibus dictum, vt vult Chaldæus Paraphrastes, indicet alacritatem & clamores pugnantium, quos & Hispanicè hinnitus quoque militum appellamus. Cæsar 3. Belli Ciuilis: *Neque frustrà antiquitus institutum est, vt signa vndique concinerent, clamorémque vniuersi tollerent, quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimauerunt.*

Et plenitudinem eius, id est, vniuersitatem eius, omnia quæ in ea continentur, quæ eam implent: omnem copiam, & abundantiam eius, omnes opes: vel totam terram. Hebraïsmus notissimus.

LXX. Interpretes in Complutensi, ac Regia, & Romana editione totum locum sic reddunt: *E Dan audiemus vocem fremitus: quorum eius: à voce hinnitus equitatus equorum eius, commota est omnis terra: & veniet, & deuorabit terram, & plenitudinem eius, vrbem & habitantes in ea.* LXX. apud S. Hieronymum pluraliter habent, *venient, & deuorabunt terram.* Apud S. Ireneum verò lib. 5. cap. 30. *Ex Dan audiemus vocem velocitatis equorum eius: à voce hinnitus decursionis equorum eius, commouebitur tota terra. Et veniet & manducabit terram, & plenitudinem eius, & ciuitatem, & qui inhabitant in ea.* S. Hippolytus Martyr Oratione de Consummatione Mundi: *E Dan audiemus vocem acutissimam equorum eius; à voce hinnitus equitatus equorum eius concussa est vniuersa terra.* Chaldæus Paraphrastes: *Pro eo quod coluerunt vitulum, qui est in Dan, Rex cum exercitu ascendet super eos, & transmigrare eos faciet, à voce conculcationis fortium suorum commouebuntur omnes habitatores terræ: & venient, & deprædabuntur terram, & plenitudinem eius, ciuitates, & habitantes in eis.* Innuit historiam Ieroboam, 3. Regum 12. vers. 28. *Et excogitato concilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltra ascendere in Ierusalem: Ecce dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Posuitque vnum in Beth-el, & alterum in Dan. Ee factum est hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum vsque in Dan.* Regem hîc Chaldæus Salmanassarem intellexisse videtur, qui decem Tribus ob Ieroboamicam idololatriam transtulit in captiuitatem 4. Regum 17.

Prima Interpretatio.

Dan non esse hîc nomen tribus, aut filij Iacob, sed vrbis positæ in extremis finibus Terræ sanctæ ad Aquilonem. De qua hæc accipe.

De Vrbe Dan, seu Paneade.

Excursus.

Primùm dicta est *Lesem*, Iosuë 19. vers. 47. *Ascenderúntque filij Dan, & pugnauerunt contra Lesem, cœperúntque eam: & percusserunt eam in ore gladij, & possederunt, & habitauerunt in ea, vocantes nomen eius Lesem Dan.* Porrò *Lesem* Exodi 28. vers. 19. nomen est gemmæ in pectorali Pontificis, quam Noster Ligurium. Plinius lib. 37. cap. 4. Lyncurium vocant. Hanc tributam tribui Dan in eodem Pectorali Hebræi affirmant: & à Lesem gemma factum esse vrbi nomen, propterea quod ibi lapis hic pretiosus repertus fuerit, ex Hebræis annotat Serarius in 3. Iosuë, part. 2. quæst. 3. Drusius cap. 28. in Genes. putat hanc esse Lasam, cuius mentio Genes. 10. 19. quam sanctus Hieronymus, Chaldæus Ionathan, & alij Callirhoen esse volunt. Sed perspicuè errat: Nam Callirhoe multum diuersa à Paneade.

Appellata quoque fuit *Laïs*, Iudic. 18. vers. 29. quæ vox leonem annosum, & præualidum significat, quo nomine vrbem fortem & validam illustrare voluerunt. Vel quòd ea regio leonibus abundaret. Deinde inditum est ei nomen Dan, à Danitis, qui eam vi occuparunt, Iudic. 18. vers. 27. *Venerúntque* sexenti Danitæ in *Laïs ad populum quiescentem atque securum, & percusserunt eos in ore gladij, vrbémque incendio tradiderunt. Erat autem ciuitas sita in regione Rohob: quam rursus extruentes, habitauerunt in ea, vocato nomine ciuitatis Dan, iuxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israël, quæ prius Laïs dicebatur.*

In ea præcipuum fuisse Iordanus famosi fluminis fontem astruunt omnes, vnde Hebræi existimant Iordani fluuio ab ea vrbe Dan nomen conflatum, inquiunt enim *Iarden* Hebraicè dictum, quasi *Iored min Dan*, hoc est, fluens, vel descendens ex Dan. Vel quasi *Ieor Dan*, id est, fluuius Dan. Sanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraïcis in Genes. 14. *Et persecutus est eos vsque Dan. Ad Phœnices oppidum, quod nunc Paneas dicitur. Dan autem vnus de fontibus est Iordanis. Nam & alter vocatur Ior, quod interpretatur ῥεῖθρον, quod est riuus: Duobus ergo fontibus, qui haud procul à se distant, in vnum riuulum fœderatis, Iordanis deinceps appellatur.* Eusebius & S. Hieronymus in locis Hebraïcis: *Dan viculus est in quarto à Paneade milliario euntibus Tyrum, qui vsque hodie sic vocatur. Terminus Iudeæ prouinciæ contra Septentrionem,*

de

de quo & Iordanis flumen erumpens, à loco sortitus est nomen: Ior quippe fluuium, siue riuum Hebræi vocant. Et posteà: *Lesem, hanc filij Dan vi captam cognominauerunt Dan.* Et paulo inferius: *Laisa, hanc filij Dan captam manu possederunt, cùm esset procul à Sidone; & vocauerunt eam Dan. Fuit autem terminus terræ Iudæ contra septentrionem, à Dan vsque ad Bersabeæa se tendentis. Meminit huius & Isaïas. Sita est autem iuxta Paneadam: de qua Iordanis fluuius erumpit.*

Siuè quòd eadem esset, siue quòd non longè distaret, appellatam à Græcis Paneadem, in qua fontem Iordanis esse tradiderint, certum est: Stephanus *Panion* dixit. Plinius lib. 5. cap. 15. *Iordanis amnis oritur è fonte Paneade.* Solinus cap. 38. *Iordanis amnis eximiæ suauitatis, Paneade fonte demissus.*

Paneadem & agros finitimos, mortuo Zenodoro in cuius ditione erant, Herodi donatam ab Augusto Cæsare, auctor est Iosephus lib. 15. Antiquit. cap. 13. vbi ait: *Herodes deducto inde ad mare Cæsare, in regnum reuersus, in terra Zenodori elegantissimum ei templum construxit è marmore candido, prope Panium quod vocant. Id spelunca est in monte amœnissima, eique subiecta in immensum hians terræ deuexitas, plena aquis stagnantibus: ei mons valde magnus imminet. Sub spelunca autem scatent fontes Iordanis fluminis. Hunc locum alioquin etiam celebrem ornauit Templo extructo in honorem Cæsaris.* Et lib. 1. Belli, cap. 16. de Herode magno ait: *Ob hac alterius terræ adiectione donatus à Cæsare, aliud ei templum circa Iordanis fontem candido marmore posuit, qui locus appellatur Panium. Vbi montis quidam vertex in præcelsum editus propter subiecti lateris vallem, specus aperit vmbrosum, quà profunda altitudinis rupes, ad immensum liquentis gutta receptaculum conuocatur, vt stagnantis aquæ copia demittentibus aliquid, donec terram inueniant, longitudo nulla sufficiat. Foris autem è spelunca radicibus oriuntur fontes: &, vt quidam putant, hoc est Iordanis principium. Sed veri fidem in posterioribus indicabimus.* Eusebius in Chronico, numero MDCCCCXCIX. *Herodes in Paneade, id quod vocatur Panion extruxit.* Eadem omninò habet Egesippus lib. 1. Excidij, cap. 35.

Scaliger Eusebium exagitat, quòd locus ipse vocatus sit Panion, non templum. Quasiverò & locus & templum eodem nemine appellari nequiuerint. Sed ait Scaliger, *si Templum in honorem Cæsaris positum, vt ait Iosephus. Cæsarium dici debuit: non Panium, vt vult Eusebius: nam Panium locus erat, vbi Templum.* Sed cur Cæsari nomine Panis extrui non potuit? aut à loco Templum etiam nuncupari? Sed puto Eusebium velle, Horodem locum illum Panium dictum, quod prope Paneadem est, extruxisse nouo ædificio & Templo Cæsaris posito.

Sed quòd promisit Iosephus, se de vero ortu Iordanis in posterioribus indicaturum, præstitit id quidem lib. 3. Belli, cap. 18. hisce verbis: *Cæterùm Iordanis fons Panium esse videtur: sed reuerà huc terra conditus fertur ex ea quæ vocatur Phiale. Hæc autem est, qua in Trachonitidem ascenditur ad centesimum vigesimum stadium à Cæsarea, ad dexteram, non longè à via. Et propriè quidem ex rotunditate Phiala dicitur locus, rotæ speciem præferens: semper autem inter eius labra cohibetur vnda, nunquam deficiens, neque exuberans. Cúmque interim hoc esse Iordanis principium nesciretur, à Tetrarcha quondam Trachonitidis Philippo deprehensum est. Is namque missis in Phialam paleis, inuenit eas apud Panium redditas, vndè anteà fluuius nasci credebatur. Naturalis quidem pulchritudo Panij regijs opibus & Agrippæ diuitiis magnificentius accurata est. Manifestum autem flumen Iordanis ex hoc antro incipiens, Semechonitis quidem lacus paludes secat cœnosas, &c.* Eadem prorsus habet Egesippus lib. 3. Excidij, cap. 36.

Postmodùm verò eandem Paneadem à Philippo Tetrarcha Ituræ & Traconitidis de nouo extructam, Cæsareámque in honorem Tiberij Cæsaris fuisse nuncupatam, idem Iosephus scribit libro 18. Antiquit. capite 3. his verbis: *Philippus quoque Paneadæ sitam ad Iordanis fontes instruxit ædificiis, indito Cæsareæ nomine.* Et libro 2. Belli, capite 8. *Philippus quidem iuxta fontes ipsos, è quibus Iordanis flumen exoritur, in Paneade condidit ciuitatem, quam Cæsaream vocitauit.* Plinius lib. 5. capite 15. *Iordanis amnis nascitur è fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæsareæ.* Et cap. 18. *Paneas, in qua Cæsarea, cum suprà dicto fonte.* Ptolæmeus libro 5. capite 15. Cæsaream Paniæ appellat. Eusebius in Chronico, numero MMXLI. *Philippus Tetrarcha Paneadem in qua plurimas ædes construxerat, Cæsaream Philippi vocauit.*

Sanctus Hieronymus in 16. Matth. *Philippus iste est frater Herodis, Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionum, qui in honorem Tiberij Cæsaris, Cæsaream Philippi, quæ nunc Paneas dicitur, appellauit: & est in Prouincia Phœnices: imitatus Herodem patrem, qui in honorem Augusti Cæsaris, appellauit Cæsaream, quæ priùs Turris Stratonis vocabatur. Ille locus est Cæsareæ Philippi vbi Iordanis oritur ad radices Libani, & habet duos fontes, vnum nomine Ior, & alterum Dan, qui simul mixti, Iordanis nomen efficiunt.* Hæc est memorabilis illa Cæsarea Philippi, Petri Apostolorum Principis confessione, & Christi præconio clara, Matth. 16. vers. 13. Quam etiam posteà edificiis auctam & ornatam ab Agrippa rege, Herodianorum postremo, ab eodemque in honorem Neronis, Neroniadam appellatam fuisse, auctor est Iosephus libro 20. Antiquit. capit. 8. *Hoc tempore* (nempe procurante Iudæam Albino) *Agrippa rex prolatis pomeriis Cæsareæ, quæ Philippi dicitur, mutato nomine, in Neronis honorem vocauit eam Neroniadæ.*

Nec est prætereundum sine obseruatione illud in verbis S. Hieronymi paulo antea positis, *Cæsaream Philippi, quæ nunc Paneas dicitur*, eadem namque modo loquitur in 42. Isaiæ: *Cæsarea Philippi, quæ nunc vocatur Paneas.* Et in 27. Ezech. *Ex nomine Patriarchæ Dan & tribus, & locus in quo habitauit tribus, nomen accepit: vbi hodie Paneas, quæ quondam Cæsarea Philippi vocabatur. Vnde & Iordanis fluuius sortitus est vocabulum: Ior, videlicet, riuus Dan, qui fluit de Libano.* Et in 48. Ezech. *Legimus quòd* Danitæ *ceperint sibi transcensis aliis tribubus, vrbem Lesem in tribu Dan, quæ hodie appellatur Paneas.* Et in 8. Amos: & Danielis 11. *Iuxta fontes Iordanis vbi nunc Paneas condita est. Dan in terminis terræ Iudaïcæ, vbi nunc Paneas est, & eo tempore vitulus aureus colebatur.* Ex quibus illud facilè intelligimus, temporibus S. Hieronymi, exolescente iam illo pleno adulationis nomine Cæsareæ, vel Neroniadis, antiquum Paneadis retentum.

Sed cur Paneas fuerit appellata, Nicephorus

lib. 10. Hiſtor. cap. 30. ita exponit : *Phœniciæ vrbs eſt, quæ antiquiſſimum nomen habuit Dan, ex Patriarchæ Iacobi filiis vno appellatione accepta, qui tribus & gentis eius, locum eum tum incolentis princeps & auctor fuit. Longo deinde tempore poſt, Herodis filius Philippus, Cæſari gratificatus, de ſuo atque illius nomine, vrbem magnificè ornatam ædificiis, Philippi Cæſaream cognominauit. Græci autem propterea quod in ea Dei Panis ſtatuam collocauerint, Paneadem vocarunt.*

Scaliger in Euſebianis pag. 157. colum. 1. *Quidam τὸ παγκῶν dicendum eſſe arbitrati ſunt, ideóque τῷ παγὸς νεὼν, id eſt, Panis templum interpretantur. Georgius Syncellus : Ipſe Panium templum extruxit in Paneade ipſi Pani. Nugæ.* Sed magis ipſe nugatur.

Sanctus Beda libello de Locis Sanctis, cap. 11. *Ipſius Iordanis exordium vulgò putatur in Prouincia Phœnice, ad radices montis Libani, vbi Panium, id eſt, Cæſaream Philippi, ſita eſt. Vnde & idem Panium, hoc eſt, ſpelæum, per quod ſeſe attollit Iordanis, à rege Agrippa decore admirabili extructum, venuſtatúmque accepimus. Eſt autem in Trachonitide terra fons, rotæ qualitatem exprimens, vnde & Phialæ nomen accepit, quindecim à Cæſarea millibus paſſuum diſcretus, ita ingiter plenus aquarum, vt neque ſuperfluant, neque vnquam minuantur : in hanc Philippus Tetrarches eiuſdem regionis paleas miſit, quas in Panio fluuius ebulliuit : vnde liquet in Phiala principium eſſe Iordanis, ſed poſt ſubterraneos meatus, in Phanio cœpiſſe fluentum ; qui mox lacum ingreſſus, paludes eius interſecat.* Hæc Beda ex Ioſepho accepta. Dictam poſteà Ballenam, exploratum eſt.

Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Ieroſolymitana, lib. 1. cap. 35. *Eſt autem Dan terminus terræ Promiſſionis à parte Septentrionis, ciuitas antiquiſſima, ad pedem montis Libani ſita, qui mons inter ipſam Damaſcum medius interiacet, cuius nomen antiquiſſimum fuit Leſem. Poſtquam verò capta eſt à filiis Dan, eam Leſem Dan vocauerunt, frequentiùs tamen Dan ſimpliciter nominatur. Poſteà verò Philippus Tetrarcha, ſenioris Herodis filius, eam ampliauit, & in honorem Tiberij Cæſaris, Cæſaream Philippi ipſam appellauit. Dicitur præterea Paneas, vulgari verò idiomate Balinas nuncupatur.*

Brocardus in Deſcriptione Terræ ſanctæ, cap. 3. *Hinc* (nempe ab vrbe Antiopia quæ olim *Aſſor* dicta fuit.) *Sex leucis contra Aquilonem eſt Bellona ciuitas, in pede montis Libani ſita, quæ vt ex libro Iudicum colligitur, olim Lais dicebatur : cúmque eam filij Dan cepiſſent, vocauerunt eam Leſem Dan, quæ tamen aliquando Dan ſimpliciter nominatur, ſecundùm illud, Congregatus eſt Iſraël à Dan vſque Berſabee. Eſt enim Dan illa terminus Terræ ſanctæ verſus Septentrionem, Berſabee verò eſt limes contra Auſtrum. Ceterùm quum Philippus eſſet Tetrarcha Iturææ, & Traconitidis regionis, voluit ciuitatem iſtam Bellenam ſuo nomine Cæſaream Philippi nominari, quæ priùs à Græcis Paneas appellata fuit. Non longè ſupra hanc ciuitatem oriuntur duo fontes, nempe Ior, & Dan, qui in pede montis Libani ante portam ciuitatis conuenientes, Iordanem fluuium efficiunt. Sunt tamen qui alium ortum Iordanem habere aſſerunt : nam aiunt ab Oriente per ſubterraneum meatum riuum quendam deferri, cuius fons ab iſto loco centum & viginti quinque ſtadiis diſtat, qui Phiala vocatur : & eſt ſemper plenus, nunquam affluens, ſed quantum aquæ per ſcatebram ſuſcipit, tantùm per additam voraginem in Dan tranſmittit : id quod per paleas immiſſas probatum affirmant. Saraceni tamen fontem illum primum non Phialam, ſed Medan vocant, hoc eſt Aquas-Dan : nam* Me *lingua illorum, quæ Hebraïcæ affinis eſt, aquas ſignificat. Porrò Matthæus locum iſtum vocat Magedan, & Marchus Dalmanutha, & eſt in Traconitidis regione. Iordanis itaque fluuius, vt iam diximus, ante portam ciuitatis Bellenæ, ex duobus memoratis fontibus naſcens, poſt longos circuitus, quos facit, inter Capernaum, & Carozaim, in mare Galileæ labitur.* Et cap. 7. *In ciuitate Dan, quæ nunc Bellenas, & Cæſarea Philippi vocatur.*

Beniamin Tudelenſis qui tempore Alexandri III. Pontificis ſcripſit in Itinerario pag. 52. *Ex hoc loco profectus, itinere integro, in Baliiuus veni, olim Dan dictam, iuxta quam antrum eſt, vnde Iordanis prodit, qui tribus decurſis milliaribus Arnon aquas excipit ex Moab finibus defluentis. Ante antrum ipſum oſtenduntur veſtigia aræ ſiue ſtatuæ, quam Michah quidam dicauit, à filiis Dan illis diebus cultæ : nec longè etiam locus viſitur aræ à Ieroboam filio Nabat erectæ, in quæ vitulus ille aureus dicatus fuit.* Putant à Beniamin ſcriptum בלייגרס *Baliinos*, interpretem Ariam בלירוס *Baliiuus*, quod *uau*, & *nun*, ſint ſimiles, legiſſe.

In Epitome Bellorum Sacrorum, incerto Auctore, quam edidit Henricus Caniſius tom. 6. Antiq. Lectionum, hæ habentur : *Eſt autem Paneas, ciuitas illa quæ nunc vulgariter Belinas nuncupatur, ad radicem montis Libani ſita, ſatis propinqua ciuitati Damaſcenæ.*

Burchardus de Monte Sion in Deſcriptione Terræ ſanctæ, quam primus edidit Henricus Caniſius tom. 6. Antiq. Lectionum, hæc ſcribit : *Deinde contra Damaſcum procedendo ad ſex leucas occurrit Belenas in pede Libani ſita, quæ prius Leſem vocabatur : & cùm eſſet procul à Sidone ferè ad decem leucas, & cum nemine quidquam ſocietatis haberet, ſita in regione Rohob : ceperunt eam filij Dan, & appellauerunt eam Dan nomine patris ſui : vnde ſæpè dicitur : Congregatus eſt populus omnis à Dan vſque ad Berſabee. Poſteà Philippus Tetrarcha appellauit eam Cæſaream Philippi, in memoriam ſui, & honorem Tiberij Cæſaris, dicta eſt etiam Paneas Græcè. De hac hinc inde in declini latere Montis Libani oriuntur duo fontes, Ior, & Dan, qui poſt modicum confluentes efficiunt Iordanem, qui poſt longos circuitus Mare Galilææ, medio tamen loco inter Galilææ mare, & ciuitatem Belenas Iordanis fluuius quandam vallem ingreditur, & in ſtagnum colligitur, quod dicitur aqua Maron.* Hæc Burchardus de Monte Sion, qui opus ſuum inſcribit Fratri Burchardo Lectori Ordinis Prædicatorum, in Maidemburch. Sanè ipſum opus eſt quam ſimillimum, ei quod vulgo circumfertur, inſcriptum, Deſcriptio Terræ ſanctæ Auctore Fratre Brochardo Monacho : vt iure hæſites, num ſit eiuſdem auctoris, vel vter ab alio acceperit : certè ille cap. 7. ait ſe viſiſſe Terram ſanctam anno Domini MCCLXXXIII. de quo Leander Albertus in Viris Illuſtribus, & Antonius Senenſis in Bibliotheca Prædicatorum. Potuit vterque illuc peregrinari, & deſcribere.

Anſelmus Monachus Ordinis Minorum, in Deſcriptione Terræ ſanctæ, quam 6. tom. Lect. Antiquarum inſeruit Henricus Caniſius, hæc habet : *A Tyro verſus Orientem, fortè ad duodecim leucas, vel circa eſt Belena ciuitas in pede Montis Libani, quæ eſt contra Damateum, quæ prius Leſem vocabatur. Cùm enim eſſet procul à Sidone ad decem Leucas, quia adiutorium non habuit, ceperunt eam filij Dan, & appellauerunt Dan, qui nunc Gybili-*

nus dicitur. Et posteà: *Dicta est ciuitas Dan, vel Lesem, vel Belena, nunc vocatur Cæsarea Philippi, quia eam Philippus Tetrarcha appellauit. Cæsaream, in honorem Tiberij Cæsaris: quæ dicitur etiam Paneas: ibique in descensu montis Libani duo fontes oriuntur, scilicet Ior, & Dan, qui post modicum confluentes, Iordanem efficiunt, qui inter Pellam & Tiberias intrat mare.*

Adrichomius in Tribu Nephtali, num. 37. ad finem: *Hodie durum Turcarum imperium sustinet, atque vulgò à barbaris Belina, Belinas, Bellena, Bellinas, & Belenas vocitatur.*

Miranda quæ de hac vrbe prodit Eusebius, digna planè sunt, quæ & hîc quoque legantur: is enim lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 14. agens de sancto Astyrio Romano Senatore, qui temporibus Valeriani & Gallieni claruit, hæc narrat: *Huius viri familiares, qui huc vsque vitam produxerunt, cùm alia infinita præclara eius facta memorant, tum illud in primis quod sequitur, quódque plenum est admirationis. Cæsareæ Philippi, quam Phœnices Paneada vocant, fertur, victimam quandam in fontes, qui illic ex radicibus montis Panei prorumpunt, ex quibus Iordanem profluere dicitur, in quadam diei festi gentilium celebritate mactatam coniici: atque eam dæmonis vi, ac potestate mirandum in modum ab eorum aspectu euanescere, miraculúmque videri præsentibus valdè memorabile. Quibus dum gerebantur, Astyrium quodam tempore fortè interfuisse: ac cùm videret tam multos illius rei admiratione obstupefactos, eorum erroris admodum misertum esse: deinde sublatis in cælum oculis, Deum rerum omnium moderatorem per Christum, supplicem precatum, vt dæmonium illud quod populum tanto errore, cæcauisset, comprimeret: ipsum à fraude, ac fallaciis, quas hominibus solet intendere, coërceret. Hoc modo cùm Deum orauisset, repentino victimam fontibus supernatasse: atque ita rem illam, quam tantopere mirari consueuerant, in nihilum interisse, vsque adeò vt nullum in posterum in eo loco ex ea omnino ederetur miraculum.*

Sed quoniam in huius ciuitatis mentionem incidi, operæ pretium arbitror. Historiam hoc loco citare, quæ digna planè videtur, quam memoriæ ad posteritatem commendemus. Mulierem illam sanguinis profluuio afflictam, quam sanctorum Euangeliorum testimonio, à Seruatore nostro morbi remedium inuenisse cognouimus, ex ea ciuitate oriundam, illiúsque domum ibi ostendi, & admirabilia quædam Seruatoris in eam beneficij monimenta, & quasi trophæa ad hoc tempus durare memorant. Pro foribus enim domus illius, æneam mulieris effigiem genibus flexis, & manibus instar supplicantis in anteriorem partem extensis, super editum lapidem collocatam: huic è regione, viri erectam imaginem ex eadem materia conflatam, vestitu ad talos demisso decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem: ad cuius pedes in ipsa basi peregrinam quandam, & inusitatam herbæ speciem enasci: quam quidem vbi ad ænei vestitus fimbriam excreuerit, morbis cuiusque generis medicandi vim, & facultatem habere. Hanc statuam effigiem Iesu exprimere dicunt: quam ad nostram vsque ætatem manentem, ipsi ad eam ciuitatem profecti, oculis cernebamus. Nec planè mirum, eos qui ex Gentilibus prognati, à Seruatore, dum inter homines viuebat, beneficiis affecti fuissent, ista effecisse: cùm & nos Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis, colorum varietate expressas, conseruatásque aspexerimus. Hactenus Eusebius: eadem omnino ex ipso referunt S. Ioannes Damascenus oratione 3. de Imaginibus, Theophylactus in Matth. 9. Nicephorus lib. 6. Histor. cap. 14. & 15.

Quàm indigna sunt quæ Bodinus in Meth. Historica, cap. 4. *Scripsit, cùm ait: Plenus est eiusmodi fabulis, miraculorum Nicephorus Callistus, quibus etiam Zonaras, & Nicephorus Gregoras delectantur: ac interdum Eusebius Cæsariensis: cuiusmodi est illud, quod se vidisse omni asseueratione confirmat, Plantam in basi, qua nitebatur ænea Christi statua, quam ante annos C C C. femina sanguinis profluuio curata Seruatori dicarat, sponte natam; quæ cùm primum extremam statuæ vestem attigisset, omnia morborum genera curabat. Talibus nugis referti sunt Antonini, Adonis, &c. libri.* Hoc sanè est palatum Christianæ pietati, & eruditioni parum accommodatum habere: mirum si isti Vetus & Nouum Testamentum non eiusmodi fabulis plenum sit.

Sed quod ad mirabilem illius herbæ vim in depellendis morbis attinet, audi Plinium lib. 24. cap. 19. *Herba in capite statuæ nata, collectáque alicuius in vestis panno, & alligata in lino rufo, capitis dolorem confestim sedare traditur.* Et lib. 28. cap. 4. *Item in quartanis fragmentum claui è cruce, inuolutum lana collo subnectunt: aut sparsum è cruce. Magorum hæc commenta sunt.* Et fortè cur esse non potuerint miracula Christianorum, nempe herbæ è statuis Sanctorum, claui, & funes è crucibus martyrum, in quibus essent remedia morborum. Magos autem tunc à Gentilibus appellari Christianos solitos, nullus ignorat.

Quid verò actum sit de statua illa ænea Christi ab Hæmorroïssa in Paneade collocata, Sozomenus lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap. 20. ita refert: *Illud porrò dicetur à me, quod etiam regnante Iuliano accidit: quod quidem vt Christi potentiam planè indicat, ita iram diuinam aduersus Imperatorem accensam euidenter ostendit. Cùm certior factus esset Cæsareæ Philippi (est ea quidem vrbs Phœniciæ, quam Paneadem vocant) præclaram esse Christi statuam, quàm mulier, quæ sanguinis profluuio laborabat, cùm esset morbo liberata ibi collocauerat, eam deturbauit, suámque in eius loco posuit. Quo facto ignis violentus, de cælo delapsus statuam illam circiter pectus persecuit, capútque vna cum collo in terram deiecit, atque in faciem humi ea in parte defixit, quæ fuerat à pectore diuulsa. Ex quo quidem tempore ad hodiernum diem, atra tanquam fulminis ictu ambusta manet. Id temporis igitur Gentiles statuam Christi tanta cum violentia detrahebant, vt eam confringerent. At Christiani posteà eius fragmenta cùm collegissent, in Ecclesia posuerunt: vbi etiam adhuc custoditur. Ex basi, supra quam hæc statua locata erat, herba quædam, vti narrat Eusebius, quæ morbis cuiusque generis mederi soleret, enascebatur. Quæ quidem cuius generis esset, nemo nostrorum medicorum, qui vel scientia valebant medendi, vel experientia, omninò nouit.* Hæc eadem referunt Acta sancti Artemij Martyris apud Metaphrastem 20. Octobris, & Nicephorus lib. 10. cap. 30.

Sed ad nostram vrbem Dan, seu Paneadem redeamus, de qua Masius in Iosuë 19. versic. 47. accuratè ista differit: *Sed Lesem siue Laïs, posita erat ad radices montis Libani, in ea valle aut planitie, quæ Rehobæa dicebatur, ab vrbe Rehob: vbi præcipuus Iordanis fons est: a quo flumini isti positum esse nomen tradunt Doctores Hebræi: Est enim, inquiunt, expli-*

explicatio Iarden, Iored min Dan, id autem est, fluens ex Dan, Vocatus est hic locus in sequentibus temporibus, Paneas, vt Plinius cum Doctoribus Hebræorum scribit. Stephanus appellat Panion. Sed Philippus Herodis frater, cum Tiberij Imperio illic Tetrarcham ageret, instauratam vrbem, de Cæsaris, & suo nomine Cæsaream Philippi appellauit. Ferunt nunc Pelin, corrupto scilicet Panij nomine, dici. Abest à Sidone versus orientem millia passuum circiter triginta quinque. Et quia à tergo, id autem est, versus Septentrionem, habet montem Libanum, quo constat finitam esse Chananæam: ideò sæpè Dan pro termino Terræ sanctæ Aquilonari dicitur, sicut Beer-sabea pro Australi.

Sed enim loco isti iam tum nomen Dan fuisse videtur, cum Abraham illuc vsque hostes persequeretur, qui fratris sui filium Loth captum abducebant, Genes. 14. versic. 14. Est quidem hoc nuncupatus nomine is locus in Mosis libro. Verum ne Mosis quidem memoria sic fuisse dictum, ex his verbis perspicuum Iosuë 19. versic. 47. quæ nunc tractamus. Quare certum est illud quod in huius Commentarij Præfatione, & cap. 10. atque alibi, dicebam: Neque Mosis libros sic, vt nunc habentur, ab illo esse compositos: sed ab Ezdra, aut alio quopiam diuino viro, qui pro vetustis & exoletis locorum vocabulis, noua, quibus rerum gestarum memoria posset optimè & percipi, & conseruari reposuerit. Hæc Masius. De Dan verò loco illo Genes. 14 versic. 14. vide Interpretes in eum locum: nam quidam, Mosen propheticè illud ante enunciasse putant: alij vt Masius, ab Ezdra expositum.

Iam ad verborum Ieremiæ elucidationem veniamus. Aiunt nimirum quando Nabuchodonosor rex Babylonis cum valido exercitu Terram sanctam, eam euersurus, & Ierosolymam obsessurus, ingressus est; per vrbem Dan, seu Paneadem, ab Aquilonari scilicet parte regionis Iudææ, introïisse: nam venientibus à Babylone, quæ Iudææ ad Aquilonem sita est, illac iter esse constat. Atque omnia huius oraculi verba aptissimè in euersionem Terræ sanctæ & Ierusalem à Nabuchodonosoris exercitibus factam conueniunt. Ita S. Hieronymus, cuius hæc sunt verba: *Describitur autem à Dan per Phœnicem venturus cum exercitu Nabuchodonosor: in quo loco fluuius Iordanis oritur: & quæ LXX futura, Hebraïcum pro veritate rei iam facta commemorat* Eodem modo interpretantur Strabus, Anselmus Laudunensis, Lyranus, Vatablus, Cappella, Sà, Maldonatus, Castrus in Ieremiæ 8. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 12. Ribera & Melus in 7. Apoc. Alcasar in 7. Apoc. notat. 4. Viegas in 13. Apocal. comment. 2. sect. 3. Conferunt Maldonatus & Castrus hunc locum cum illo Ieremiæ 4. vers. 15. *Vox enim annunciantis à Dan* Et idem vtroque prædici annotant. Vnde S. Hieronymus in hæc Ierem. 4. verba: *Iuxta situm terræ Iudææ diuinus sermo nunc loquitur. Dan enim tribus iuxta montem Libanum & vrbem quæ nunc dicitur Paneas, Aquilonem respicit, vnde venturus est Nabuchodonosor.* Eadem prorsus habet Theodoretus.

Secunda interpretatio.

Antichristum, qui orietur ex tribu Dan; ex ipsa etiam vrbe Dan, termino Aquilonari Terræ sanctæ, in tribu Dan, omnem peditatum & equitatum, omnéque robur suorum exercituum, & cunctos belli apparatus, quibus Iudæam occupabit, esse excitaturum: vt simul vtrumque indicet Ieremias, & oriturum Antichristum ex tribu Dan, & ab vrbe Dan tribus Daniticæ, ingressurum magnis succinctum exercitibus Terram sanctam, ad eam occupandam, vt suo loco dicemus. Ita hunc locum exposuerunt, S. Ireneus, S. Hippolytus Martyr, S. Gregorius, S. Isidorus, S. Beda, Rabbanus, Strabus, Rupertus, quorum sententias, cap. 6. fusè descripsimus.

Ceterum Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. c. 12. ait: *Ieremias autem sine dubio non loquitur de Antichristo, neque de tribu Dan, sed de Nabuchodonosor, qui venturus erat ad Ierosolymam euertendam per eam regionem, quæ dicitur Dan, vt ibi Hieronymus rectè exponit.* Viegas in 13. Apoc. comment 2. sect. 3. *Itaque hic locus ad Antichristum non pertinet.* Alcasar in 7. Apoc. notat. 4. ait, hunc locum nihil ad rem facere: *Manifestè*, inquit, *sermo est de Nabuchodonosor, per aquilonem in Iudæam inuadente.* Christophorus Castrus in Ierem. 8. *Accommodat hunc locum Antichristo Ireneus, quia ex tribu Dan fertur proditurus.* Eodem modo loquitur Gregorius de Valencia tom. 4. disp. 11. quæst. 2. puncto 2. §. 2.

Ego verò, vt tot, tantorúmque Patrum de Antichristo hunc locum intelligentium auctoritatem contemnam? Quid vetat de Nabuchodonosor historicè & litteraliter, de Antichristo verò mysticè, & propheticè Ieremiam fuisse locutum? De Nabuchodonosor vt de typo & vmbra, de Antichristo autem sublimiori sensu vt de prototypo & corpore, simul in vtrumque sacri Vatis oculis coniectis, nimirum historiæ in Nabuchodonosor, reconditioris prophetiæ in Antichristum. Diximus, & sæpiùs dicemus hunc esse Prophetis morem, sic quasdam res interdum describere, vt etiam alias consimiles simul eisdem verbis significent, oculis mentis & animi, in vtráque simul collimatis. Certè Nabuchodonosor, ipsius ingentes exercitus, atque in Iudæam ingressum, cladem Terræ sanctæ, & vrbi Ierosolymæ ab eo illatam, tanquam typum & figuram fuisse Antichristi, eiúsque exercituum, & cladium quas Iudææ & vrbi Ierusalem est illaturus, poterítne vllus iusta cum ratione negare.

Adde, quis nescit Prophetas interdum ex rebus quas narrant, in alias diuersas ex abrupto transilire, abripiente eos incitatu diuino, & propellente illustratione spiritus prophetici, & quædam aliquando interiicere ab cœptæ orationis filo, sed non à mente Spiritus sancti discrepantia? Sic Esaias loquens de Cyro, subitò transit ad Christum: & sunt eiusmodi innumera exempla. Vnde pulchrè S. Hieronymus in 16. Isaiæ, initio: *Omnis autem prophetia ænigmatibus inuoluitur, & præcisis sententiis, dum de alio loquitur, transit in aliud: ne si ordinem Scriptura conseruet, non sit vaticinium, sed narratio.* At sunt hæc in Scriptura nimis explorata.

Quocirca prudenter Ribera in 7. Apocalyps. num. 13. cùm in hunc Ieremiæ locum incidisset, annotauit: *Sed allegorico sensu hoc de Antichristo, & sociis eius exposuit sanctus Ireneus, quorum figura erat Nabuchodonosor, & exercitus eius.* Dicamus esse allegoriam de Antichristo: at non liberam, vulgarem, inefficacem; sed solidam, auctoritate tot, tantorúmque Patrum firmatam, nullo pacto parui pendendam, vt abiiciendam, & quæ nobis magno argumento esse debet.

Cur

Cur S. Ioannes Apocalypſis 7. enumerans tribus Iſraël, omiſerit Tribum Dan.

CAP. IX.

FRanciſcus Iunius in Apocal. 7. *Danis verò nomen reticetur, quia Danitæ iam olim omiſſo Dei cultu, à ſorte populi Dei ad ſortem gentium tranſieranr: quod malum ante multa ſæcula Iacob præuiderat Geneſ.* 49. 18. *Quamobrem etiam nulla habetur eius recenſio priore libro Chronicorum.*

Ioannes Mercerus in Geneſ. 49. verſ. 17. *Dan ſanè in Apocalypſi omittitur: qua de cauſa, ignoratur, niſi fortè pro Manaſſe Dan legendum ſit, quia iam tribus Ioſeph meminerat: quæ vbi nominatur, nihil eſt neceſſe ſpecialiter Ephraim, aut Manaſſen commemorare: niſi, vt aliquando inuenies, generi, ſeu toti partes ſubiungantur, vt initio Pſalmi* 80.

Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 12. *Cur autem Apocal.* 7. *omittatur Dan, non ſatis conſtat, præſertim cùm Ephraim ſit omiſſus, cuius tribus vna eſt ex maximis.*

Alcaſar in 7. Apocalypſ. notat. 4. *Sic etiam mihi dicere fas eſt, quod certum exiſtimo, in hoc ſcilicet Apocalypſ.* 7. *loco opinionem illam, Antichriſtum ex tribu Dan naſciturum, non poſſe ſolidè ſtabiliri. Nam ſi agendares eſt antiquorum Patrum auctoritate, aſſeuerantium Antichriſtum fore de tribu Dan; nullius ferè eorum hanc opinionem in Apocalypſi fulcit: ſed alij in Geneſeos, alij in Ieremiæ locis.*

Ceterùm plurimi, grauiſſimíque cùm Patres, tum recentiores Eccleſiaſtici Scriptores, magno conſenſu docent, Idcircò inter tribus, ex quarum vnaquáque duodecim millia electorum deſignantur, ſilentio prætermiſſam tribum Dan ab Euangeliſta Ioanne, nimirùm in deteſtationem, & execrationem Antichriſti ex ea naſcituri. Ita enim diſertè affirmant, S. Ireneus, Andreas, & Aretas Cæſarienſis Epiſcopi, S. Beda, Haimo, Strabus, S. Anſelmus, Radulphus Flauiacenſis, Rupertus, Ricardus de S. Victore, Vincentius Bellouacenſis, Lyranus, Ioannes Gerſon, S. Antoninus, quorum ſententias integrè deſcriptas habes ſuprà cap. 6. Ex recentioribus verò, Ioannes Viguerius Inſtitutionum Theologicarum, cap. 21. §. 3. verſu 3. Martinus Cantapetrenſis lib. 3. Hypotypoſeon, cap. 2. Pererius lib. 14. in Danielem, Gregorius de Valentia tom. 4. diſp. 11. quæſt. 2. punct. 2. §. 2. Cœlius Pannonius, Petrus Bulengerus, Ribera, Sa, Melus, Viegas in 7. Apocalypſ. Et ſanè Pererius diſputat. 10. in 7. cap. Apocal. propoſita quæſtione, *Cur Ioannes in enumeratione Tribuum Iſraëliticarum, omiſerit tribum Dan*, ait: *Ad hanc quæſtionem communis, & concors omnium libri huius interpretum reſponſio eſt, iſtam fuiſſe conſultò hîc à Beato Ioanne prætermiſſam, in odium & deteſtationem Antichriſti, qui futurus eſt Iudæus, & ex tribu Dan naſciturus.* Sà in 7. Apocalypſis: *Eſt quidem communis opinio, ideo omiſſam, quia ex ea futurus Antichriſtus.*

Ergo vt Alcaſari potiùs, quàm tot claris auctoribus, tantóque conſenſui credam, haud facilè adducar: quàm præſtat viam ingredi tritam, & apertam, quàm obſcuris & incertis diuerticulis ſe committere! Num verò temporibus Antichriſti tota tribus Dan ſit ei adhæſura, & tota in perditionem habitura, dicemus opportunè ſuo loco.

Quòd verò obiicit Bellarminus, Tribum quoque Ephraim à Ioanne ſilentio præteritam, diligentiùs eſt à nobis perueſtigandum. Omiſſam reuerà putant Cælius Pannonius, Bulengerus, Viegas, nimirum odio Ieroboam, qui ex ea tribu primus decem tribus in idololatriam coniecerit. Ceterùm meliùs Ribera, Pererius, & alij obſeruarunt, nequaquam fuiſſe omiſſam, ſed nomine tribus Ioſeph expreſſam, quod & annotauit Aretas, dicens: *Ioſeph autem pro filio eius Ephraim poſuit.* Et Andreas: *Ceterùm Ioſeph pro Ephraim filio ab Euangeliſta poſitus eſt.*

Sciendum, duos filios, Ioſeph, Ephraim & Manaſſe adoptatos fuiſſe à Iacob in filios, & inter capita Tribuum Iſraël accenſos, atque in diſtributione Terræ ſanctæ, ſuas ſortes inter alias tribus accepiſſe. Dixerat enim Iacob ad Ioſeph filium ſuum, Geneſ. 48. verſ. 5. *Duo ergo filij tui, qui nati ſunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim & Manaſſes ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* Cùm igitur perſpicuum ſit, à Ioſeph non eſſe ductam, aut propagatam Iſraëliticam tribum niſi per Manaſſen & Ephraim, cùm iam à ſancto Ioanne diſertè nominata inter alias fuerit Tribus Manaſſe, manifeſtum eſt, ab eodem Euangeliſta nomine tribus Ioſeph, intellectam fuiſſe tribum Ephraim.

Sed cur potiùs tribus Ephraim, quàm tribus Manaſſe, appellata eſt nomine tribus Ioſeph, cùm certum ſit Manaſſen fuiſſe primogenitum Ioſeph? Ratio in promptu. Primùm, conſtat, arcano illo myſterio commutationis manuum, ac benedictionis Iacob, Ephraïm prælatum fuiſſe Manaſſe, atque maiorem conſtitutum, dicente Iacob Geneſ. 48. 19. *Frater eius minor, maior erit illo: & ſemen illius creſcet in gentes.* Hinc maior, clarior, ac florentior habita fuit ſemper tribus Ephraim, quàm tribus Manaſſe: ſiquidem Ieroboam, & poſteri eius aliquot, reges Iſraël ex tribu Ephraim orti fuêre. Vnde etiam decem tribus interdum à Prophetis nomine Ephraim nuncupantur. Ad hæc Saül quamuis Benjaminita, in Galgalis tamen oppido tribus Ephraim regnaſſe memoratur, 1. Reg. 11. 14. Denique Ieroboam ſedem regni Iſraëlitici in Sichem monte Ephraim fixiſſe dicitur, 3. Reg. 12. 25.

Dices, cur ergo hîc tribus Ephraim alieno potius Ioſeph, nomine, quàm ſuo Ephraim vocata eſt à Ioanne. Reſpondent plerique, Ioannem imitatum Prophetarum morem, qui tribum Ephraim appellare ſolent nomine Ioſeph. Pſalm. 77. 67. *Et repulit tabernaculum Ioſeph: & tribum Ephraim non elegit.* Ezechiel. 37. 16. *Ecce ego aſſumam lignum Ioſeph, quòd eſt in manu Ephraim: & tribus Iſraël, quæ ſunt ei adiunctæ: & dabo eas pariter cum ligno Iuda.* Amos 5. 6. *Ne fortè comburatur vt ignis domus Ioſeph.* Datum id honori Patriarchæ, vt quoniam filij ipſius adoptione tranſierant in familiam patris ſui Iacob, nobilior tribus ipſorum, nomine Ioſeph inſigniretur. Notat tamen hîc Druſius, aliquando tribum Manaſſe vocatam Ioſeph, Num. 13. 12. *De tribu Ioſeph, ſceptri Manaſſe.* Hebraïcè: *De tribu Ioſeph, de tribu Manaſſe*, ac ſi dixiſſet, de tribu Ioſeph, hoc eſt, de tribu Manaſſe. Si quidem hîc tribus Ioſeph, non poteſt intelligi tribus Ephraim, nam iam eam numerauerat verſic. 9.

Denique obſeruant, ſanctum Ioannem tribum Ephraim inter electas, ſub nomine Ioſeph, & non ſuo expreſſiſſe, vt indicaret eam tribum quæ ſchiſmata,

mata, hæreſes, idololatriam in reliquas nouem tribus Iſraël, per Ieroboam inuexerat, in Antichriſti aduentu ſaluandam, non ſuis, ſed ſancti Patriarchæ Ioſeph meritis & interceſſione. Forſan hîc cùm dicitur tribus Ioſeph, Ioſeph Hebraïco more patronymicè poſitum, pro Ioſephitis: Hebræi enim nomina propria pro patronymicis & gentilitiis, quibus carent, ſubſtituere ſolent. Sic in ſcriptione Pſalmi 71. in Salomonem, id eſt, Salomonium, vel Salomonidem, nempè Chriſtum, Salomone prognatum, vel Salomonis filium, vt annotauit ibi Genebrardus. Ita hoc loco tribus Ioſeph, pro tribu Ioſephitarum, hoc eſt, Ephraim, à Ioſepho orta & propagata. Sic Iſraël, pro Iſraëlitis; Iacob, pro Iacobæis; Ioſeph, pro Ioſephitis, in locis Scripturæ paulò anteà poſitis.

Quàm certum ſit Antichriſtum naſciturum ex Tribu Dan.

CAP. X.

THomas Anglicus in Geneſ. 49. *Antichriſtum (ſed neſcio an verè) de tribu Dan naſcuturum putant.*

Toſtatus in Geneſ. 49. *Non conſtat Antichriſtum eſſe futurum de tribu Dan.*

Caietanus in Geneſ. 49. *Si tamen verum eſſet, quòd Antichriſtus, ex tribu Dan venturus eſt.*

Oleaſtrius in Geneſ. 49. *Qui autem Antichriſtum futurum dicunt de tribu Dan, nihil dignum auctoritate, aut fide afferunt: ideò malo ignorantiam fateri, quàm fabuloſa recitare.*

Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 12. cùm ſententias plurium Patrum recitaſſet de Ortu Antichriſti è tribu Dan, adiungit: *Hæc ſententia eſt valdè probabilis propter tantorum Patrum auctoritatem, non tamen omninò certa. Tum quia plerique eorum Patrum non dicunt hoc ſe ſcire, ſed probabile eſſe inſinuant: tum quia nulla ſcriptura conuincit.*

Suarez tom. 2. in 3. part. diſputat. 54. ſect. 2. agens de ortu Antichriſti ex tribu Dan, ait: *Hæc verò omnia intenta ſunt, cùm neque ex ſcriptura, neque ex alia diuina reuelatione nobis tradita ſufficienter colligantur.* Et poſtea addit: *Tum præterea, quia tempore Antichriſti tam confuſæ erunt tribus Iudaicæ ſicut nunc. Vnde vix poterit hominibus conſtare ex qua tribu ortus ſit.*

Ioſephus Acoſta lib. 2. de Nouiſſimis Temporibus, cap. 5. *Sed in tanta confuſione tribuum, obliterata penè omni genealogiæ antiquæ propagine, non erit facile obſeruare an ex iſta tribu Dan veniat ille peſtifer: neque multùm id refert, ad cognoſcendam Perfidi impietatem.*

Ludouicus Alcaſar in 7. Apocalypſ. notat. 4. *Primùm noto, quam aliqui Eccleſiæ traditionem eſſe putant, videlicet Antichriſtum ex tribu Dan futurum, eam mihi nullo modo traditionem Eccleſiæ videri, ſed ſolùm aliquorum Doctorum opinionem.* Et pòſt alia: *Veriſimile mihi fit huiuſmodi opinionem in vetuſtiſſima aliqua allegoria fuiſſe fundatam. Sæpè enim accidit, vt quòd initio myſticè, aut dictum fuit, aut depictum, poſteà accipiatur, ac ſi propriè, ac ſimpliciter fuiſſet aſſertum. Idem indicat Baronius euenisſe in eo quod vulgo credebatur de quadam virgine per diuum Georgium ab immani dracone liberata. Idem etiam videtur nonnullis, quod communi iam conſenſione receptum eſt de gigantea D. Chriſtophori ſtatura. Quibus in rebus ſapientes viri facile ſe in modo loquendi ad communem conceptionem effingunt: in modo tamen ſentiendi, ad id quod verius exiſtimant, animum intendunt. Ita ſimiliter ſuſpicari mihi liceat, multos eorum qui dicunt Antichriſtum, & ipſius ſectatores ex tribu Dan orituros, id tantum affirmare velle, Antichriſtum, & ſuos reprobandos.* Pergit alia in eandem ſententiam adducere.

Ceterùm, quia noſtra iſta pædagogicis quæſtionibus implenda non ducimus, quàm breuiſſimè ſententiam noſtram aperiemus. Primum, Thomam Anglicum, Toſtatum, Oleaſtrium, nimium prouectos, & dignos ſanè iuſta reprehenſione, Oleaſtrium cum primis qui liberiùs locutus eſt. Et quidem meritò eum reprehenderunt Pererius, Delrius, Alcaſar, Cornelius à Lapide. Deinde, quod Alcaſar excogitauit, ſymbolicè tantùm intelligendum, quòd Patres aſſerunt Antichriſtum naſciturum ex tribu Dan, non quòd reuera ſit naſciturus, exiſtimo eſſe ab omni prorſus ratione alienum. Primò, quia nulli hactenus tale quid in mentem venit, præterquam Annio & Alcaſari, eiuſmodi ſymbolica interpretatione ſententias Patrum eludere. Secundò, Quia ea ratione omnia miſcerentur, nec ſciremus quid verè & propriè Patres de Antichriſto tradiderint, & quid ſymbolicè, & figuratè: in tam multis enim quæ patraturum Antichriſtum toto hoc tempore dicemus, erítne integrum curioſo alicui quæ velit pro libidine, alia reuera, alia verò ſymbolicè tantùm intelligere, nimirum de regno, de præliis, miraculis, morte, & innumeris aliis? Tertiò, Sic Patres loquuntur vt ſymbola omnia excludant: ſi enim verba ſingula eorum conſideremus, rem reuera futuram apertiſſimè docent. Sanctus Ireneus ait, Ieremiam nedum ſubitaneum eius aduentum, ſed tribum ex qua venturus eſt, edicere. At ſubitaneus eius aduentus re ipſa futurus eſt, cur non etiam, re ipſa ex tribu Dan naſciturus? Sanctus Hippolytus aſtruit, *Ille certò naſciturus ex tribu Dan.* Potuítne clarius quidquam dici? Naſciturum ex tribu Dan diſertè aſſerunt ſanctus Hippolytus, ſanctus Auguſtinus, Primaſius, Andreas, Aretas, Anſbertus, Haimo, Strabus, ſanctus Anſelmus, Rupertus, Ricardus, Otho Friſingenſis, Eterianus, Vincentius, ſanctus Thomas, & innumeri alij recentiores. Si dixiſſent, Futurus eſt è tribu Dan: vel, Tribus Dan, poterat, vtcumque ſymbolica locutio, prætextu aliquo, tametſi perperàm, obuelati: at naſcendi verbum realem, verum, non ſymbolicum ortum manifeſtè ſignificat: eſt enim vitalis actio, realis, & naturalis, quæ non niſi abſurdè ad ſymbola detorqueri poteſt. Nam quamuis aliqui dicantur filij diaboli, & ex patre diabolo eſſe: quia pater in ſcripturis, non tantùm generatione, ſed imitatione dicatur; nunquam tamen dicuntur naſci ex diabolo.

Et rogo ſi Patres apertè & clarè exprimere voluiſſent, quod nos aſſerimus, Antichriſtum re ipſa naſciturum ex tribu Dan, poterántne luculentius ſignificare, quàm illis verbis: *Naſcetur ex tribu Dan?* Quartò S. Proſper ait, *De tribu Dan, quæ hodiéque in Perſide eſt, veniet Antichriſtus.* Idem diſertè affirmant, Andreas & Aretas vti ſuprà cap. 6. vidimus. Si non realem natiuitatem Antichriſti ex tribu Dan intellexiſſet, quid neceſſe erat dicere, *quæ hodiéque in Perſide eſt?* In Symbolica enim locutione

tione frustrà fuisset, designate realem & vetum locum S.Hippolytus & Theodoretus, aliique, annotant, quemadmodum è tribu Iuda natus est Christus,ita nascetur è tribu Dan Antichristus.At Christus verissimè & naturalissimè natus est ex tribu Iuda : cur etiam non eodem modo Antichristus è tribu Dan.Sed ineptus ego qui in re luce meridiana clariori immoror: & probationibus minimè necessariis rem exploratissimam interturbo. Refutauit eandem sententiam in Annio Viterbiensi Pererius lib. de Antichr. disp.8.

Denique,non dubito, Antichristum nasciturum ex tribu Dan, esse sententiam communissimam, receptissimam, & plusquam probabilem, ab omnibus recipiendam, nec vllo prætextu, aut ratione reiiciendam.Primò,quia tot,tantique Patres quorum sententias cap.6. latè descripsimus, eam adstruunt.Secundò,quia Patres simpliciter eam affirmant, vel tanquam rem vulgatam, & ab aliis proditam referunt : nec aiunt eam esse incertam, dubiam,aut probabilem tantùm : sed summo consensu eam docent. Alioqui quibusuis Patrum sententiis adductis, hæsitare possemus, num illud tanquam certum, aut tanquam dubium tradant.

Etverò S.Hippolytus,*Certò*,inquit, *nasciturus est ex tribu Dan.*Feuardentius in lib.5.cap.30.S.Irenei, ait : *Ex tribu Dan nasciturum Antichristum, persuasissimum fuisse Ireneo, hinc patet.* Tertiò, Cùm tot, támque insignes patres,& recentiores eam sententiam docuerint, Antichristum nasciturum ex tribu Dan, nullus hactenus Patrum, nec recentiorum ei contradixit, aut refragatus est, vel vt falsam, & mendacem exposit,nisi vnus Oleastrius,qui ob id malè cunctis audiuit. Asseruerunt paucissimi recentiores eam incertam, alij tantùm probabilem ; sed falsam nullus affirmare ausus est. Quartò, Cùm tanto consensu veteres,& recentiores eam sententiam affirmauerint,certum est,non ex suo cerebro commentos,sed vel ex Scriptura sacra,vel per manus à maioribus ab ipso Apostolorum tempore accepisse. Et quidem tria illa Scripturæ loca quæ superiùs exposuimus,nempe Genes.49.17.Ieremiæ 8. 16. Apocal.7. ortum Antichristi ex tribu Dan sublimiori, & mystico sensu, sed firmo & solido prænunciare, abundè demonstrauimus. Neque etiam ambigo iam à tempore ipso Apostolorum, cui proximus fuit S.Ireneus,inter Christianos vulgari cœpisse eam famam,Antichristum è tribu Dan nasciturum ; quam certissimè existimo ab Apostolis ipsis promanasse. Et planè affirmo hanc fuisse fidelium communem consensionem, & persuasionem,atque traditionem. Traditionem dico,non de illis præcipuis & primariis, diuinis & Apostolicis traditionibus ad fidem Catholicam, & Sanctos Ecclesiæ mores pertinentibus : sed de secundariis, & veluti historicis, tametsi ad fidem Catholicam propriè non spectent. Nam si traditiones Ecclesiæ licet appellare, Quòd Magi tertiodecimo die à Natiuitate Christi ipsum adorauerint. Quòd Reges fuerint : Quòd S.Ioseph Virginis sponsus perpetuò virgo fuerit : Quòd Petrus & Paulus eodem die, eodémque anno martyrium Romæ subierint : & id genus alias, quæ ad fidem non pertinent, & tamen constat eis ab aliquibus contradictum : cur non etiam iure traditionem Patrum nuncupare poterimus, Antichristum nasciturum è tribu Dan, quam Patres & recétiores súmo consensu, nemine contradicente aut aduersante tradiderunt?Quintò, Bellarminus lib.4. de Verbo Dei,cap.9. annotauit, & nostro iudicio,rectè, *Vt aliquid censeatur traditio Apostolica, sufficere, si aliquot Patres magni nominis expresè id asserant, & cateri non contradicant, cùm tamen eius rei meminerint:tunc enim illa esse omnium sententia non temerè dici poterit : quando enim in re graui aliquis veterum errauit,semper multi inueniuntur,qui contradicunt.* Hæc ille. At istiusmodi ea non aptissimè conuenit sententiæ isti, Antichristum nasciturum ex tribu Dan, vt ex dictis, & ex ipsis Patrum sententiis cap. 6. descriptis perspicuè constat.

Et ne videamur soli,tametsi tanta cum ratione, ita sentire,audiat Alcasar aliquos ex sua Societate aliter multò, vt par erat, quàm ipse existimantes. Pererius in 7. Apocal. disp.10. recitatis Oleastrij verbis, quæ initio huius capitis posuimus ; ait : *Sed quale obsecro est, antiquissimam in populo Dei traditionem,& tot, tantorúmque Scriptorum consensu firmatam aspernari, & quasi commentum & fabulam pro nihilo ducere.* Eadem habet in Genes. 49. Et post adducta tria illa loca Genes.49. 17. Ierem.8. 16.& Apocal.7. inquit : *Sed quamquam istis diuinæ Scripturæ testimoniis non euidenter, secundùm litteralem sensum probetur, Antichristum ex tribu Dan futurum,propter antiquissimam tamen ea de re traditionem, plurimorum, & nobilissimorum scriptorum consensu & auctoritate comprobatam, fidem meretur.* Eadem priùs scripserat in Genes.49.

Delrius in Genes.49.vers.17. *An Antichristus ex tribu Dan nasciturus ? Ridet Tostadus, & fabulam Oleaster appellat. Potuit vterque parcius, & magis sobriè hoc loco. Quid hoc aliud quàm toti antiquitati ob leuiculas ratiunculas, insultare? Est enim hæc quasi perpetuò recepta traditio : non tantùm Sibyllæ Tiburtinæ, sed & grauissimorum, sanctissimorúmque Doctorum.*

Gregorius de Valentia tom.4. disp.11. quæst.2. puncto 2. §.2. *Omnino est probabile quod asserunt plerique Patres Antichristum originem ducturum ex tribu Dan.*

Cornelius à Lapide in Genes.49. v.17. *Ex Dan nascetur Antichristus,vti communiter tradunt Patres.* Eadem habet Ferdinandus in Thesauro Scripturarum,verbo,*Antichristus*,num.3.

His adiungo Viegam in 13. Apocal. comm.2. sect.3. *Et quidem quòd Iudæus sit*, Antichristus *futurus,certum planè videtur ; quòd autem ex tribu Dan, non ita certum : sed multò tamen probabilius, propter communem Doctorum sententiam.*

Quòd verò obiiciunt, Tribus Israëliticas tempore Antichristi futuras esse confusas, vt nunc sunt. Quid inde ? Súntne propterea confusæ Prophetis, & Spiritu Sancto, qui scire & prædicere potuerunt Antichristum generandum à viro, qui vera & reali successione parentum, ex tribu Dan recta linea descenderit? Aut constare potest,totam tribum Dan penitus extinguendam esse ante tempora Antichristi, vt nullus tunc supersit ex ea à quo possit generari Antichristus ? Satis iam confusæ erant tribus tempore Christi, & tamen rectè sciuit Lucas Annam fuisse ex tribu Asser,& Paulus se fuisse ex tribu Beniamin. Adde, quòd Hebræi hodiéque conseruant apud se certas familiarum successiones, quæ origines suas in auctores tribuum referant. Et quis nescit Rabbinos genus suum & tribum in scriptionum monumentis, à se conditis,interdum notare consueuisse ? Quo autem modo adhuc in orbe conseruetur tribus Dan, vsque ad tempora Antichristi, quando is ex ea est oriturus, extremo huius operis libro, abundè docebimus.

Tantùm addiderim, Hebræos etiamum hodie prouerbiali forma, hominem homicidam, Latronem, grassatorem appellare בן־דן Ben Dan, id est, filium Dan, quod Dan quoque Hebræis id significet, vt annotauit Dauid Pomarius in Germine Dauidis. Quæ sanè nomenclatura aptissimè Antichristo conuenit, qui summus latro, & grassator orbis futurus est.

Iudæos seruare in Babylonica falsam & ementitam successionem Principum tribus Iudæ & stirpis Dauidicæ, ex qua falsum suum Messiam expectant: cùm tamen recepturi sint verum Antichristum, natum ex tribu Dan.

CAP. XI.

SAtis constat, tempore quo Cyrus Rex Persarum edicto publico facultatem concessit Iudæis captiuis in exilio Babylonico abductis per Nabuchodonosor, vt in patrium solum redirent, vrbémque ac templum Ierosolymitanum instaurarent: plurimos eorum, cum ex duobus tribubus Iuda & Beniamin, quibus immixta erat Leuitica, tum ex aliis nouem tribubus Israeliticis, vel terræ bonitate, deliciisque captos, vel liberorum, possessionúmque amore, quæ in eo exilio acquisierant, vel longum & laboriosum iter pertæsos, vel alia quauis causa, mansisse in Babylonia, ac circumiacentibus regionibus: atque in iisdem terris deinceps per multa sæcula propagatos, vt etiam constet hoc nostro tempore eas regiones perfidissimo isto genere hominum abundare: Iosephus cùm agit de reuersione Iudaïci populi à Captiuitate Chaldaïca, quam Cyrus per publicam Epistolam permiserit, inquit lib. 2. Antiquit, cap. 5. *Esdras aduocata deinde concione Iudæorum, qui apud Babylonem degebant, & perlecta Epistola, ipsam quidem retinuit, exemplar verò eius in Mediam ad omnes suæ gentis homines transmisit: qui cognita Regis erga Deum pietate, & erga Esdram beneuolentia, omnes vehementer sunt lætati. Multi verò ex eis assumptis suis facultatibus, Babylonem venerunt, cupientes reuerti Ierosolymam. Reliqua Israëlitarum multitudo assuetum iam domicilium noluit relinquere. Quapropter duæ tantùm tribus per Asiam & Europam sub Romano degunt Imperio. Decem autem tribus nunc quoque vltra Euphratem sunt infinita hominum millia quæ vix est numero comprehendere.* Et cap. 8. de Alexandro Magno interpellato à Iudæis: *Rogantibus deinde vt eos quoque Iudæos qui Babyloniam ac Mediam colerent, sineret vti institutis propriis, hic etiam postulatis eorum satisfacturum se est pollicitus.*

Philo Legatione ad Caium: *Ne quid dicam de Transeuphratensibus: excepta enim parua parte Babylonis, & aliarum Præfecturarum, omnes vrbes quæ bonum agrum habent, à Iudæis incoluntur.* At expendo verba illa, *excepta parua parte Babylonis.* Plinius enim qui iisdem fermè temporibus vixit, quibus Philo, lib. 6. cap. 26. de numero Seleuciam, quæ dicta etiam est Babylonia, incolentium, ait: *Ferunt ei plebis vrbanæ sexcenta millia esse.* At si parua tantùm pars Babylonis seu Seleuciæ, indigenis relicta erat, reliqua omnia incolentibus Iudæis, rectè æstimare possumus vltra quadringenta Iudæorum millia tunc Babylonem incoluisse.

Hinc famosa illa, & celebris vrbs Neardea, ad ripam Euphratis in Babylonia à Iudæis condita, tantopere à Talmudicis decantata: quam nimirum splendido nomine ornauerunt: Neardea enim Hebraïcè Fluuius scientiæ interpretatur: ea ratione, quòd in eadem vrbe Babylonici Iudæi complures Synagogas & diuinarum litterarum Academias exstruxerint, quæ multis sæculis omni scientiarum genere viguerunt: ad eam enim vrbem, quòd ibi magna essent gymnasia, Iudæi doctrinæ, & sapientiæ causa filios suos ex variis orbis regionibus, vt ex Africa Ægypto, Palæstina, ex vltimis etiam Hispaniis mittere consueuerant. De qua Iosephus 18. Antiq. cap. 12. *Neerda dicitur vrbs Babyloniæ, frequens populo, & agro fertili, qui tantam multitudinem possit alere. Adhæc non patet hostium assultibus, cincta fluentis Euphratis, & firmissimis mœnibus. Eidem flumini est & Nisibis apposita. Quare Iudæi freti locorum natura, sacrum Didrachma, quod Deo ex more solent offerre, cæterámque votiuam pecuniam, in his vrbibus deponebant, tanquam in communi ærario, inde suo tempore transmittendam Ierosolyma: quæ deinde à multis hominum illò deducebatur, metuentium latrocinia Parthorum, quorum ditioni tunc suberat Babylonia.* Sequitur historiam narrare mirabilem de Asinæo & Anilæo fratribus Neerdensibus Iudæis, quorum res gestæ inciderint in tempora Caij Caligulæ.

Hæc est proculdubio Naarda Ptolemæi lib. 5. cap. 18. quam Mesopotamiæ vrbem ad Euphratem fluuium esse dicit. Est huius vrbis frequentissima mentio in Talmud, in qua traditur conflatum & absolutum fuisse Talmud Babylonicum anno Christi 478. vel potiùs 505. vti annotauit Genebrardus lib. 2. Chronographiæ, ad Annum Vrbis conditæ 229. & in Annotationibus ad Seder Olam Zutà, Annotatione 5.

Sed & de Nisibi vrbe Euphrati fluminì imposita, non longè à Neardea à Iudæis quoque inhabitata, vt Iosephus tradit, hæc scribit Cassiodorus præfat. in libro diuin. Lectionum: *Nisus sum cum beatissimo Agapito Vrbis Romæ, vt sicut apud Alexandriam multo tempore fuisse traditur institutum, nunc etiam in Nisibi ciuitate Syrorum Hebræis sedulò fertur exponi.* nimirum Scriptura diuina. Vides vt tempore Cassiodori fuerint Nisibi in Babylonia Scholæ sacrarum litterarum à Iudæis frequentatæ. De quibus etiam Iunilius Africanus Episcopus præfat. in libros de Partibus Diuinæ Legis: *Vidisse me quendam Paulum nomine, Persam genere, qui in Syrorum Scholâ, in Nisibi vrbe est edoctus: vbi diuina Lex per magistros publicos, sicut apud nos in mundanis studiis Grammatica & Rhetorica ordine & regulariter traditur.*

Putant quidem Rabbi Ioseph Sacerdos in Chronicis Regum Franciæ & Turciæ, & Rabbi Abraham Leuita in Cabbala historica Scholas Babylonicas Iudæorum, circiter annum Domini 1064. in Rabbi Ezechia defeciisse, in eodémque desiisse *Gheonim*, hoc est, Iurisconsultos Talmudicos, quorum postremus is Rabbi Ezechias extiterit. At nihilominus vtcumque, tametsi non pari celebritate & frequentia, deinceps perdurarunt: de qua re vide Serarium in Priori Rabbino cap. 10. & Genebrardum lib. 4. Chronog. pag. 572. 573.

Meminit & Ammianus Iudæorum in regione Babyloniæ degentium, tempore Iuliani Apostatæ: agens enim de itinere Iuliani cum exercitu per Babyloniam, lib. 24. cap. 11. inquit: *Prope locum venit*

venit, vbi pars maior Euphratis in riuos diffinditur multifidos. In hoc tractu ciuitas ob muros humiles, ab incolis Iudæis diſerta, iratorum manu militum conflagrauit.

Beniamin Tudelenſis Hebræus qui temporibus Alexandri III. Romani Pontificis Orientem perluſtrauit, de Iudæis Babylonem & vicinas regiones ſuo tempore incolentibus multa refert, quæ pro inſtituti ratione opportunè hîc inſeremus, ait autem Itinerarij pag. 56. *Hinc*, nempè à Petra Deſerti Arabiæ vrbe, *itinere vno Dakia diſtat, quæ quondam Chalane dicebatur, initium Terræ Sennaar: ſúntque illic ſeptingenti ferè Iudæi, quibus præeunt Zachai, & Nedib, alio nomine Saghi Nehor, & Ioſeph: eſtque hoc in loco Synagoga ab Ezdra ædificata, redeunte ex Babylone Ieroſolymam. Inde poſt itinera duo Hharan antiqua eſt, in qua etiam ſimilis ſtructuræ ſynagoga eſt, eiuſdem Eſdræ iuſſu facta: ſed is locus in quo Abraham patris noſtri domus fuerat, nullum ædificium continet: ab Iſmaëlitis verò religiosè colitur, ab iiſdémque precum fundendarum cauſa frequentatur. Illinc profectis, duorum dierum iter peragitur vſque ad locum vnde fluuius erumpit, ab incolis Alchabor dictus, idem olim Hhabor appellatus, qui in prouinciam Madai, ſiue Mediam procurrit, incidítque in montem Gozen. Ibidem verò Iudæi circiter bis mille ſunt.*

Hinc duo poſt itinera Netſibin, ſiue Niſibis eſt magna vrbs, aquarum fluminibus abundans: in qua ſunt Iudæi ferè mille. Vnde duobus itineribus peractis in Gezir Ben-Chamar venitur, quæ vrbs intra ripas continetur Hide Kel amnis, quem Occidentales Tigrim vocant; ad radices montium Ararat, ſiue Tauri, quatuor milliaribus ferè diſtans à loco in quo Noë Arca quieuerat: illam autem arcam Chamar-Ben-Alchetab ex montis dorſo ſublatam, in Iſraëlitarum Moſcheæ vſum tranſlatam adaptauit. Cui ſatis proxima Ezdræ ſynagoga vſque ad hodiernum diem eſt, ad quam Iudæi ex vrbe egreſſi feſtis diebus precationum cauſa conueniunt. Sunt autem in illa metropoli Geziræ Gamar-Ben-Alchetab Iudæi quater mille ferè, primoribus Mubhhar, & Ioſeph, & Hhaiya. Illinc duobus itineribus Al-Mutſal diſtat, cui nomen quondam Aſſur magna, in qua ſeptem millia Iudæorum ſunt: quos anteeunt Zachai Princeps ex poſteritate Dauid Regis, & Ioſeph cognominatus Barhan al Pelech, id eſt, Aſtrologiæ peritus, conſiliarius Regis Zinaldin fratris Noraldini Damaſcenorum regis. Atque hæc vrbs Perſiæ regni nunc initium eſt: amplitudinémque illam, & magnitudinem antiquam retinet, ad Hhidekel flumen ſita: inter quam & Niniuem antiquam pons tantum intereſt: ſed Niniue exciſa funditùs eſt: pagi tamen & caſtella multa ſunt intra antiqui ambitus ſpatium, à quo ad Adbahel vrbem parafangæ vnius diſtantia eſt. Erat autem Niniue ad Hhidekel ripam ædificata. In vrbe verò Aſſur tres ſynagogæ nunc ſunt Prophetarum trium, Abdiæ, Ionæ, filij Amitai, & Nahhum Eleuſſei.

Inde profectus, tertióque peracto itinere, in Rahaban deueni, antiquis Rehhoboht appellatam, iuxta Euphratem fluuium ſitam, in qua Iudæi bis mille ferè ſunt, quorum primores Ezechias, & Ahud, & Iſaak habentur. Eſt autem maxima & pulcherrima vrbs, vndique muris cincta, apprimèque munita, pulcherrimiſque hortorum, & paradiſorum ſuburbanis inſtructa. In eiuſdem fluminis ripa Karkeſia eſt, olim Charchamis dicta, vnico itinere à Rahhaba remota: in qua quingenti circiter Iudæi habitant, Iſaac, & Elhhana anteſignanis. Hinc duorum dierum itinere Al-Iobar petitur, cui vetuſtum nomen Pumbeditha fuit, ſita in Nahardaga: in qua circiter bis mille Iudæi ſunt: inter quos Diſcipuli Sapientum non pauci. Horum verò anteſignani ſunt Hen Magnus, & Moſes, & Eliakhim: memorabilia habentur illic ſepulchra Iuda & Samuël magiſtrorum. Ante vtrumque ſepulchrum duæ ſynagogæ ſunt, ab ipſis ante mortem ædificatæ: ibidémque ſepulchrum Beſtenai Hanaſſi, qui fuit caput tranſmigrationis: & Nathan, & Nehemam filij Papha. Hinc profectus ad Hhardan vſque, itinera quinque confeci, in qua Iudæorum ſunt circiter quindecim millia, quibus anteeunt Zachen & Ioſeph, & Nathanaël. Ab hac vrbe duo itinera ſunt ad Ghukheran metropolim, à Iechonia rege Iuda ædificatam, in qua Iudæorum decem millia ferè ſunt, primoribus Iehoſuagh, & Nathan.

Hinc itineribus duobus diſtat Bagdad (Babylon, vel Seleucia) *magna vrbs, initium regni Caliphæ nomine Amir Almumanim Algabaſſi, hoc eſt Imperator Credentium, qui vitam miſerè & inceſtè degunt, ex progenie illius quem Iſmaëlitæ prophetam ſuum vocant: qui toti doctrinæ & ſectæ Iſmaëlitarum præeſt: atque hoc nomine ceteris omnibus Iſmaëlitis regibus ſuſpiciendus, venerabiliſque habetur: præeſt enim omnibus illis, vt ſummus quidam omnium Pontifex. Habétque intra vrbem ipſam Bagdad palatium trium milliarium area conſtructum, &c.* Sequitur multa narrare de Calipha, digna planè cognitu: poſt quæ ſubdit.

In eadem vrbe Bagdad dicta Iudæi circiter mille ſunt, in ſumma pace & quiete agentes, & honeſtè valdè tractati ſub manu Regis illius Magni cognominati. Et poſt alia de Iudæis Bagdad enarrata, quæ mox opportunè deſcribemus, addit idem Beniamin: *Inde profectus duobus itineribus in Gehiagan veni, cui nomen antiquum Reſen fuit vrbi quondam magnæ atque percelebri, in qua Iſraëlitæ quinquies mille ferè ſunt: habéntque ſynagogam magnam, cum cœmeterio ſynagogæ proximo, & in cœmeterio ſpeluncam Doctorum quorundam antiquorum ſepulchris inſignem. Hinc vno itinere Babel illa antiqua diſtat, triginta milliarium ſpatium complexa, iámque funditus euerſa, in qua Nabuchodonoſoris Regiæ ruinæ adhuc viſuntur, hominibus inacceſſibiles propter varia & malefica ſerpentum, draconúmque ibidem degentium genera. Ab his ruinis non pluſquam viginti millibus paſſuum diſtantes habitant Iſraëlitarum viginti millia, qui in ſynagogis preces fundunt: in quibus præcipua eſt illa Danielis ſuperior antiqua contignatio quadris lapidibus, lateribúſque conſtructa, eadémque materia templum & palatium Nabuchodonoſoris, & caminus ignis ardentis, in quem Ananias, Miſaël, & Azarias coniecti ſunt. Atque omnia hæc in valle cunctis notiſſima viſuntur. Inde ad Hhilan milliaria quinque peraguntur, vbi Iſraëlitarum decem ferè millia ſunt, in quatuor ſynagogas diuiſa, ex quibus vna Mairi ibidem ſepulti fuit, cui proxima etiam ſunt ſepulchra magni Zeghiri filij Hama, & magni Maari: conueniúntque eodem Iudæi quotidie precationis cauſa. Illinc quatuor milliaria ſunt ad Turrim, quam diuiſionis filij ædificare cœperant, quæ eo genere laterum conſtruebatur, quod Arabicè Lagzar vocatur, Hiſpanicè Mazari. Fundamenti longitudo duo ferè milliaria continet, murorum verò latitudo ducentorum quadraginta cubitorum eſt: vbi verò latiſſima, centum cannas continet. Inter denarum cannarum ſpatia viæ ſunt in ſpirarum formam per totum ædificium productæ: quibus conſcenſis è ſupremo loco agri proſpiciuntur ad milliaria viginti, quippe regio ipſa latiſſima ac planiſſima eſt. Atqui ædificium hoc igni de cælo quondam tactum, atque ad infima vſque exciſum eſt. Hinc dimidio itinere Naphahh eſt, vbi Iudæi ducenti ferè ſunt: ibidémque ſynagoga eſt magni illius Iſaac, cognomento Naphhai, qui*

qui è regione sepultus est. Indè tribus leucis Ezechielis propheta synagoga est, secundum Euphratem fluuium, atque in eodem loco è regione synagogæ turres numero sexaginta, intérque singulas turres singulæ quoque sunt synagogæ, atque in synagogæ atrio arca est: & post synagogam, Ezechielis filij Buzi sacerdotis monumentum sub magna & pulcherrima testitudine à Iechonia Iudæ rege constructa, vnà cum triginta quinque millibus Iudæorum, qui illum ab Euil-mero-dak ex carcere liberatum secuti sunt.

Estque locus hic inter fluuium Chobar, & flumen Euphratem: atque in muris ipsis Iechonias, & qui cum eo venêre, inciſi sunt: Iechonias primus, postremus verò Ezechiel. Estque locus hic sanctus ad hunc vsque diem: eóque loci certo tempore multi precationis causa conueniunt, ab initio anni, ad Expiationum vsque festum: ibidémque lætissimos agunt dies. Atque Princeps ille vir, quem captiuitatis caput nominant, cum aliis Synedriorum capitibus huc etiam ex Bagdad veniunt, omnésque in agro illo commorantur, ad viginti duo milliaria, variis locis tentoria figentes. Aduenium præterea mercatores Arabes, celebrantúrque nundinæ frequentissimæ. Producitur autem hoc tempore liber magnus auctoritate, atque antiquitate celeberrimus, ab Ezechiele conscriptus propheta, in quo expiationis die legitur. Atque super Ezechielis sepulchrum lampas perpetuò ardet nocte atque die, ex quo primùm ab ipso eodem Propheta incensa fuit, cui fila & oleum dispensantur ac temperantur assiduè.

Est etiam ibidem magna quædam sancta ædes plena libris conseruatis, tam à Domus primæ, quam à secundæ tempore: estque moris & fuit, vt qui liberos non habuerint, eo loco suos libros consecrarent. Nuncupantur præterea vota eo loco exsoluenda à Iudæis in Media, & Persia habitantibus. Ismaëlitarum quoque principes viri huc confluunt precationis causa, apud quos magna est Ezechielis Prophetæ auctoritas & reuerentia: cuius loci nomen illorum lingua Dar Melilha, hoc est, Congregationis domus: eodémque Arabes omnes precationis causa veniunt. Ab hoc loco ad dimidium milliare, Ananiæ, Misael, & Azariæ sepulchra cum singulis magnis & pulchris fornicibus visuntur. Quanquam verò bellum in regionibus illis accidat, nemo mortalium est, qui hæc loca vel violare, vel tangere audeat; neque ex Iudæis, neque ex Ismaëlitis, propter Ezechielis prophetæ reuerentiam.

Inde trium milliarium via conficitur ad Alkotsonath vrbem, in qua trecenti ferè Iudæi sunt, ibidemque sepulchra magni Papha, & Hunæ, & magistri Ioseph Sinæi, & Ioseph filij Hhama. Atque è regione singulorum singulæ synagogæ sunt, in quas Iudæi quotidie precationis causa conueniunt. Hinc in Ghein Sapheæ leucæ tres sunt, vbi Nahum Elcusæi prophetæ sepulchrum est. Inde vnum iter est ad Caphar le-Paras, locum illustrem sepulchris Hasidai & Ghakiba, & Dusa. Illinc itinere dimidio Capharmehamidbar distat, vbi Magister Dauid, & Iehuda, & Kuberia, & Sehora, & Abba sepulti iacent. Indè vnum iter in fluuium Liga est, vbi Sedechiæ regis sepulchrum est magna fornice ornatum. Hinc vnum iter ad Kupha vrbem Ieconiæ regis monumento insignem magni operis, cui è regione synagoga ædificata est: súntque hoc loco Iudæorum ferè septem millia.

Indè verò sesqui itinere Suria est, quam Antiqui Matha Mahhasia vocarunt, in qua Captiuitatis capita, & Synedriorum primores initio fuêre, ibidem verò sepulti sunt magni viri Saricæ, & eiusdem filius Haai, & Saadias Ptiumi, & Semuel filius Hhophni Sacerdos, & Sephanias filius Chusi filij Godoliæ propheta, quamplurésque alij ex capitibus Captiuitatis, principes familiæ Dauid, & Synedriorum primates: qui illic commorati sunt initio ante excisionem. Hinc duo itinera ad Sephithib conficiuntur, quæ in Nahardagha est. Inde verò sesqui diei iter in Enachar est, quæ eadem Pumbeditha ad Euphratis ripam sita, vbi synagoga visitur illius qui antonomasticè Rab dictus est, & Samuelis: iuxta quam etiam ipsorum monumenta sunt. Hactenus Beniamin de Iudæis suo tempore incolentibus varia loca & vrbes terræ Sennaar, hoc est, Babyloniæ.

Vides miserum Rabbinum quanta cura & diligentia statum suæ perfidissimæ, & obstinatissimæ gentis in Babylonia, tempore quo ipse eas regiones peragrauit, describat: vt etiam toto illo Itinerario totius Iudaïci populi per orbem dispersi seruitutem & iugum inter diuersissimas nationes exponit: inania quærens iusti exilij solatia. Nimirum meritas occisi & repudiati filij Dei pœnas expendunt.

Ceterùm verpi ipsi fœtentes, cum adhuc loripedem & tardigradum Messiam suum expectent, hoc est, ipsissimum Antichristum; quò luculentissimum illud Iacob vaticinium, Genes. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* In Seruatore nostro iam impletum: & illud Osee 3. 4. *Quia dies multos sedebunt filij Israël sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio*, quod nunc verissimè in ipsis toto orbe dispersis impletur; inaniter prorsus eludant; ostendántque, nondum à tribu Iudæ ablatum sceptrum & Ducatum; nondúmque Iacobi prædictionem completam; nec se sine principibus è tribu Iuda, & stirpe Dauid esse: cùm vbiuis gentium possint, tum præsertim in Babylonia, confingunt sibi, mendaciisque struunt, falsam & ementitam quandam successionem, perpetuò ductam à Zerobabel ad hanc vsque diem, eorum qui è tribu Iuda & familia Dauidis Principatum tenuerunt in Iudæos illos, qui in Babylonia permansere. Qua ratione putant adhuc stare sceptrum tribus Iudæ & principatum Dauidici sanguinis, quousque suus veniat Messias, quem expectant. Habes hanc euanidam successionem per octoginta nouem Principes Tribus Iudæ & Dauidicæ familiæ renore continuo perductam à Zerobabele vsque ad Rabbi Hatzub, descriptam & annotatam in Hebræorum Seder Olám Zutá, Interprete Genebrardo.

Qui verò hac potiuntur dignitate, vt inter Iudæos in Babylonia exules principatum obtineant, vocantur Chaldaïcè, à Iudæis, *Rasse Galiioth*, id est Capita Captiuitatem, siuè *Rés Calutha*, id est, Caput seu princeps exulum: Græcè verò Æchmalotarcha, quod idem est. Dici quoque solet Patriarcha Iudæorum.

Galatinus lib. 4. Arcanorum cap. 6. Porchetus 1. Parte Victoriæ Verbi contra Iudæos, cap. 2. Genebrardus in Notis ad Séder Olám Zutá numero 4. atque alij multa de hoc principe exulum annotare solent, sed hîc pauca obseruabimus. De eo Origenes præclarè ad institutum lib. 4. Periarchon, cùm adduxisset duo illa Scripturæ loca, Genes. 49. 10. & Osee 3. 4. quæ paulò antè posuimus, vt Iudæorum perfidiam iugularet, subdit: *His ergo testimoniis vtimur aduersus eos qui videntur asserere, de his quæ in Genesi ab Iacob dicta sunt, quòd de Iudæ dicta sint: & dicunt permanere adhuc principem ex genere Iudæ, istum videlicet, qui est gentis eorum Princeps, quem nominant Patriarcham: nec deficere posse de semine eius qui permaneat vsque ad aduentum eius Christi,*

Chriſti, quem ſibi ipſi deſcribunt. Hæc Origenes: quibus Genebrardus hoc affixit Scholion: *Iſtos hodie Iudæi appellant in ſuis Chronicis Roshe Haggaluth, id eſt, Principes exulum, & eorum in Babylonia ſucceſſionem, ab ipſo Zorobabele anxiè numerant: ſed paulo fabuloſius.*

S. Cyrillus Ieroſol. catec. 12. inducto vaticinio illo Iacob Geneſ. 49. *Non auferetur ſceptrum, &c.* addit; *Signum igitur dedit Chriſti aduentus, cùm deſineret principatus Iudæorum, quì ſi nunc ſub Romanis non ſunt, nondum venit Chriſtus. Si habent principem ex genere Iuda & Dauid, nondum venit ille Expectatus. Vereor enim obiicere illis recentia, de his quæ apud illos vocantur Patriarcharum inſtituta: & quod illorum genus, & quæ mater: relinquo autem iſta ſcientibus.*

S. Iſidorus Hiſpalenſis libro de Natiuitate Domini, cap. 7. agens de eodem oraculo Iacob, inquit: *Iudæi autem peruicaciâ impudicæ frontis dicunt, nondum eſſe id tempus expletum, mentientes neſcio quem regem ex genere Iudæ, in extremis Orientis partibus regnum tenere. Nec attendunt mente cæcati ſimulationis ſuæ mendacium detegi, quia iam ſicut nullum templum, nullum altare, nullum ſacrificium, ita nullus rex, nullus Sacerdos remanſit Iudæis.*

S. Iulianus Toletanus Epiſc. lib. 1. contra Iudæos, eandem Iacobi prophetiam elucidans, ait: *An fortè adhuc in impudicæ frontis pertinacia perdurantes, illud obiicitis, quod parentes veſtri ſolent mentientes proponere, eſſe hodie neſcio quem regem ex genere Iudæ, qui in extremis Orientis partibus videatur regnum tenere. Nec attendunt mente cæcati ſimulationis ſuæ mendacium, in hoc quam maximè detegi, quia iam ſicut nullum altare, nullum ſacrificium, ita nullus Pontifex, nullus Sacerdos remanſit Iudæis.*

Sed de Patriarcha Iudæorum, quem ipſi Principem ex tribu Iuda & generis Dauidici confingunt, agunt etiam Reſcripta Principum Conſtantini, Arcadij, Theodoſij, in Codice Theodoſ. leg. 1. 2. 15. 14. & vltima de Iudæis, S. Hieronymus Apolog. in Rufinum, meminit Huilli Patriarchæ, & epiſtola 101. ad Pammachium, nominat quendam Gamalielem Patriarcham, ſed & Iulianus Apoſtata epiſt. 25. quam etiam recitat Sozomenus lib. 5. Hiſt. cap. 21. de Patriarcha Iudæorum nonnulla habet. S. Chryſoſtomus orat. 3. in Iudæos, digno eos exornat encomio: *Nec verò mihi iſtos patriarchas dixeris, caupones, negotiatores, iniquitate plenos.* S. Epiphanius hæreſi 30. de Ioſepho Comite mirabilem planè hiſtoriam texit: vbi frequens mentio Patriarchæ Iudæorum. Theodoretus in Immutabili, Dialogo 1. Illud eſt exploratum, illam Patriarchatus, ſeu Principatus in tribu Iuda dignitatem conſueuiſſe Iudæos, in Babylonia, aliiſve locis vbi degunt, à Regibus & Principibus, quibus parent, magno pretio mercari, vt ea ratione ſpeciem aliquam magiſtratus, & Reipublicæ videantur habere. Sed nemo recentiorum vberiùs & accuratiùs de Captiuitatis capite in Babylonia ſua ætate exiſtente diſſeruit, quàm Beniamin Tudelenſis Iudæus, miſer & ipſe perfidia excæcatus, cuius proinde verba in ludibrium gentis hîc opportunè ſubnectimus, Itinerarij pagina 65. *In eadem autem vrbe Bagdad dicta Iudæi circiter mille ſunt, in ſumma pace & quiete agentes, & honeſtè valdè tractati ſub manu regis illius Magni cognominati:* nempe Mahometanorum Caliphæ. *Inter quos doctiſſimi viri aliqui ſunt Synedriorum primarij, in Moſaicæ legis ſtudio apprimè verſati. Sunt verò ibidem Synedria decem, quorum maximi caput eſt Semuël filius Heli. Deinde verò aliorum Synedriorum capita ſunt Gaon, Sagan, Leuites ſecundi: tertij verò Daniel Sod: quarti Eliezer Hahhaber: & Eliezer Ben-Tſamahh caput ordinis, qui à Samuële propheta originem ducit, & cum fratribus ſuis doctè ludit, hoc eſt, pſalteriis, eadem arte, quæ domo Sanctuarij adhuc ſtante, in vſu erat: hic eſt caput Synedrij quinti: ſexti autem Hhaſadias ſtos ſociorum: Haggæus Hannaſi ſeptimo præeſt Synedrio: octauo Ezdras: nono Abraham cognomento Abutahar: decimo atque vltimo Zachæus, Ben Baſathnai. Hi omnes vacantes dicuntur, eo quòd nulli alij rei operam dent, præterquam adminiſtrandæ ſocietati. Exercent autem iudicia, iúſque dicunt omnibus ad ſe venientibus Iudæis illius regionis, cunctis hebdomadæ diebus, præter ſecundum diem, quo cuncti conueniunt coram magno Samuële Synedrij capite, Iacobitarum decore, qui vnà cum decem illis vacantibus, Synedriorúmque capitibus omni petenti ius dicunt.*

Omnium tamen horum ſupremus eſt Daniël filius Hhaſdai appellatus captiuitatis caput, cui genealogiæ ſeries eſt à Dauid vſque deducta. Hic à Iudæis Dominus noſter appellatur, atque captiuitatis caput: idémque ab Iſmaëlitis Sidna Ben Dauid, id eſt, Dominus noſter Filius Dauid, dicitur: habétque magnam auctoritatem in omnes Iſraëlitarum congregationes ſub manu Amir Almonim Iſmaëlitarum Domini: cuius hoc decretum fuit ad poſteritatem etiam pertinens, addito ac tradito etiam ſigillo auctoritatis in omnia Iſmaëlitarum collegia, quæcunque intra legis ſuæ ditionem continerentur: cui honoris cauſa omnes homines tam Iſmaëlitas, quàm Iudæos aſſurgere, ſalutémque dicere iuſſit, & cuiuſuis etiam factionis gentes: ei qui ſecus fecerit, centum plagarum mulcta eſto. Hic verò cùm magnum Regem viſurus prodit, magno equitum ex Iudæis & Gentibus comitum numero ſtipatur, præcone præeunte his verbis: Expedite viam Domino filio Dauid, vt dignum eſt: idque ipſorum lingua clamant. Ipſe autem equo vehitur ſericeis veſtibus, acúque pictis indutus, caput cydari magna ornat, ſuper ſydarim ſudarium album, ſuper ſudarium torquem geſtat. Atque collegia omnia Iſraëlitarum regionis Sennaar & Perſiæ, & Charſan, & Seba, quæ nunc Aliman dicitur, & Diarbeich, & omnis Meſopotamiæ regionis, & prouinciæ Kut, cuius incolæ in Ararat montibus habitant, & regionis Alaniæ, quæ montibus circumcluditur altiſſimis, nullum habent acceſſum, aut exitum præter ferreas portas ab Alexandro conſtitutas: in qua gens illa Alam dicta habitat. Regionum præterea Sicriæ, & omnis Terræ Thogarminin vſque ad montes Aſiæ, & Gerganeorum prouinciæ, vſque ad Ghihon flumen: (ſunt verò Gerganæi iidem qui Gergaſæi populi, nunc Chriſtiani) & vſque ad portas regionum, atque terrarum optimarum; vſque ad Indiam, inquam, harum omnium regionum collegia ex huius viri Captiuitatis Principis facultate, & poteſtate, caput ſibi & miniſtrum ſingulæ eligunt: qui delecti ad hunc veniunt, auctoritatem & manuum impoſitionem accepturi: eidémque dona & munera ex omnibus terræ finibus deferuntur.

Sunt verò huic meritoriæ domus ſiue publicæ, quas Fondacos vocant: ſunt horti & pomaria Babylonæ, atque prædia complura à maioribus ſuis hæreditario iure accepta: nemo autem hominum quidquam ab illo aut rapere, aut auferre audet. Habet idem meritorias & negotiationis domos in vſum Iudæorum. Ex foris, etiam, & ex mercatoribus terræ tributum certum quotannis capit, præter id quod è remotis regionibus allatum accipit. Doctiſsimus itaque eſt, & tam in ſacris, quàm in doctrinalibus libris diligenter verſatus ac doctus: paſcit autem multos ex Iſraëlitis quotidiano conuiuio.

Quo verò tempore huius familiæ vir aliquis constituitur in caput Captiuitatis, magnam pecuniæ vim profert, & donat Regi ipsi primùm, deinde Principibus & Magistratibus. Eo autem die, quo Rex illi manum, auctoritatis & principatus concedendi causa imponit, paratur secundus Regis currus, & insternitur ascensuro: atque à Regia in propriam domum deducendo magna cum pompa atque cantu, & tympanorum, tibiarúmque sono & strepitu. Ipse verò manuum impositionem exercet erga Synedrij viros. Sunt autem illius metropoleos habitatores Iudai sapientum discipuli, ac perquam ditissimi: atque synagogæ octo & viginti numerantur in ipsa Bagdat vrbe, & in Perech siue suburbano quod trans Tigrin est: interlabitur enim flumen metropolim ipsam.

At verò magna illa synagoga quæ ad illum virum Captiuitatis Caput pertinet, marmoribus constructa est, variis & elegantissimis, omnium colorum auro argentóque exornatis: in ipsis verò columnis Psalmorum versus aureis litteris incisi leguntur. Ibidem porrò ante arcam ordines subselliorum decem sunt, marmoreis gradibus distincti: in quorum supremo Caput Captiuitatis cum Dauidicæ familiæ primoribus considet. Est autem metropolis ipsa magna, in qua etiam ciuitas castelli instar continetur, millium trium ambitu munita. Regio palmetis, hortis, & pomariis abundat, totius terræ Sennaar elegantissimis, & generosissimis, omnium regionum mercatoribus & negotiatoribus frequens est: alitque viros doctos & Philosophos, omniúmque Mathematicarum artium, diuinationum, & incantationum studiosos. Hactenus Beniamin de Æchmalotarcha.

Iosephus Scaliger in Eusebianis pag. 187. colum. 2. de Æchmalotarchis Iudæorum hæc annotauit: *Numerosissima semper fuit posteritas Dauid, ex qua alij Æchmalotarchæ, alij Principes erant. Æchmalotarchæ, qui, à masculino sexu; Principes qui à fœminino posterorum Dauid prosati erant. In vetustissimis Canonibus nomicis Iudæorum: Quicumque genus ducebat à Principibus, (ij erant oriundi ab Hillel) qui genus suum ad Dauid referebant à matre, non à patre, vocabantur Rabban: & ipsi fuerunt Principes non Capita Captiuitatis. At capita Captiuitatis (vocabantur) Rabbana. Hi à maioribus suis ad Dauid vsque Regem Israël, genus suum referebant. Hîc vides posteros Dauid duplicis generis: alteros, qui auctorem generis masculum ex stirpe Dauid habent: alteros, qui à fœminis tantum posteritatis Dauid prosati sunt. Qui à masculis deducebantur, Æchmalotarchæ fieri poterant, & dicebantur, Rabbana. Qui à fœminis progeniti, nunquam Æchmalotarchæ fiebant, sed tantum Principes dicebantur. Ex masculini generis posteritate semper Æchmalotarchæ creati sunt Babylone, quandiu illa vrbs stetit, vsque ad annum Christi DCC. à Salathiel vsque. Deinceps à D C C. anno Christi ad hanc vsque diem, in vrbe Bagded siue Seleucia creantur. Vetus erat Prouerbium: Caput Captiuitatis qui in Babel supereminet Principi terræ Israël. Veri igitur posteri Dauid, à Salathiel genus deducebant: quorum numerosissima supersunt reliquiæ in vrbe Bagded. Neque verò metuendum vnquam fuit, vt illud genus deficeret, cùm Iudæi Orientales nunquam vnica vxore contenti vixerint, aut viuant hodiè. Antiquissimum est prouerbium: Adhuc viror domus Dauid constat.* Hæc Scaliger, vide eundem in Canonibus Temporum, pag. 278. & Casaubonum exercit. 1. in Annal. Baronij, sect. 2.

At vt certum est Iudæos in Babylonia ad hunc vsque diem conseruare suum Æchmalotarcham, quem ipsi ex tribu Iuda & Dauidicæ stirpis esse confingant: at hunc certa serie, & vt aiunt à patre, & non à matre à Dauid genus ducere, incertissimum, & propè fabulosum esse non dubito. Potiùs crediderim Origeni, S. Cyrillo, S. Isidoro, S. Iuliano, alliisque doctissimis viris asserentibus, ementitam, & confictam mendacio illam Æchmalotarcharum in Babylonia tribus Iudæ & Dauidicæ stirpis originem & successionem: quàm Scaligero eandem pro vera, & certa venditanti: quo fine, nisi vt struat Sceptrum Iudaïcum, vt adhuc expectetur Messias? Vultne audire Scaliger illud S. Hieronymi in 3. Sophoniæ, *Portat Christi nomen, & Iudaïcam animam.* Hæc sunt Scaligeri, nunquam ab aliis dicta, visa, aut audita ex recondita eruditione: scilicet nugæ ex fœtentium Iudæorum cloacis. Porro Ragded esse Seleuciam, libro hoc, capite 20. opportunè ostendemus.

Et vt daremus, Æchmalotarcham esse tribus Iudæ & familiæ Dauid, putánne propterea verpi infelices eludi posse sacrum illud Iacobi vaticinium? Nonne ipse caput exulum verè mancipium est, cum suis abiectissimè & laborioßissimè seruiens? Non sanè illud aliud, quàm larua, & phantasma principatus, figmentum & inane simulachrum regni: nam verum iam vltra mille & sexcentos annos extinctum & abolitum, nascente rege æterno Christo Iesu vero Messia.

Sed quorsum dices, tot, tantáque hoc capite de Iudæorum Aechmalotarcha in Babylonia? Nec inutiliter, nec alienè: vt hinc clarissimè dispicias profundam & obstinatam Iudæorum cæcitatem: nam cùm hi in Babylonia se conseruare putent certam & perennem successionem Æchmalotarcharum, è Iudæ tribu & Dauidis familia: ibidémque auidiùs & attentiùs præstolentur Messiam ex eadem Tribu & familia orituru, intentis semper in id omnium oculis & animis: in eodem loco proculdubio penitus hallucinabuntur, faciliùs impingent, & promptiùs impostura patientur & facient; atque in media ipsa Babylonia, Antichristum ex tribu Dan ortum & procreatum tanquam verum & legitimum Messiam recipient, qui ipsis callidissimo mendacio imponet: se ex tribu Iuda & genere Dauid natum: ita permittente Deo, vt qui in solo patrio, ex tribu Iuda, & stirpe Dauid exortum verum Messiam cognoscere noluerunt, iusto Dei iudicio in Babylonia, nebulonem ex tribu Dan, mendacio, & impostura in tribum Iudam & Dauidis familiam se inferentem, falsum Messiam recipiant. Siquidem Antichristum Babylone nasciturum, ibidémque à Iudæis pro Messia recipiendum postmodum accuratè demonstrabimus lib. 6. c. 6. & seqq.

Antichristum Babylone nasciturum.

CAP. XII.

FRanciscus Ribera, & Gaspar Malus in 7. Apocalypsis suspicati sunt Antichristum forsitan nasciturum in vrbe Dan, ad radices montis Libani, extremo terræ sanctæ ad aquilonem limite, de qua cap. 8. tam multa tradidimus: permoti nimirum Ieremiæ vaticinio, *A Dan auditus est fremitus equorum eius, &c.* Magnus tamen consensus est Auctorum, Antichristum Babylone nasciturum.

S. Hieronymus suam & omnium Ecclesiasticorum Patrum de hac re sententiam exponens, in Daniel.

Daniel. 11. inquit: *Nostri autem secundùm superiorem sensum, interpretantur omnia de Antichristo: qui nasciturus est de populo Iudæorum, & de Babylone venturus.*

Andreas Cæsariensis Episc. cap. 27. in Apocal. enarrans illud capitis 9. *Solue quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate*, ait: *Credibile quoque sit, Euphratis ob id mentionem fieri, quòd Antichristus ex illis locis exoriturus credatur.*

Aretas in eundem quoque Apocalypsis locum, annotat: *Neque explodendum aiunt, si dicantur dæmones ad Euphratem alligati, quandoquidem breui inde Antichristus processurus à captiuis Hebræis, qui vel in Ierusalem fuerint reseruati, vel in illis locis commorati.*

S. Beda in 17. Apocal. S. Hieronymi, Patrúmque sententiam ea de re commemorans, inquit: *Quidam interpretantur, Antichristum de Babylone natum, Ægypti regem, & Africæ, & Æthiopiæ superaturum.*

Haimo Alberstatensis Episc. in 2. Thessal. 2. *Nascetur Antichristus in Babylone, de tribu Dan.*

Rabbanus opusc. de Antichristo: *Audite etiam locum vbi nasci debeat Antichristus. Nam sicut Dominus & Redemptor noster Bethlehem sibi præuidit, vbi pro nobis humanitatem assumeret, & nasceretur; sic diabolus illi homini perdito, qui Antichristus dicitur locum nouit aptum, vnde radix omnium malorum oriri debeat, scilicet, ciuitatem Babyloniæ. In hac enim ciuitate quæ quondam inclyta, & gloriosa vrbs gentilium, & caput regni Persarum erat, Antichristus nascetur.*

Strabus in 2. Thessal. 2. *Nascetur Antichristus in Babylone de tribu Dan.*

S. Anselmus in Elucidario: *In hac ciuitate Babel idololatria cœpisse perhibetur, in hac etiam Antichristus nasciturus fertur, vt dicitur, de Babylone coluber exibit, qui totum mundum deuoret.* Et inferiùs: *Antichristus in magna Babylonia de meretrice generis Dan nascetur.*

Anselmus Laudunensis in 11. Daniel. vers. 37. *De Iudæorum progenie nascetur Antichristus in Babylone.*

Rupertus Abbas in 13. Apocal. *Tradunt nonnulli, quòd ille locus maris, vnde nasci debeat Antichristus, Babylonia sit. Nam, inquiunt, sicut Dominus & Redemptor noster Bethlehem sibi præuidit, vbi pro nobis humanitatem assumere dignaretur: sic diabolus illi homini perdito, qui Antichristus dicitur, locum nouit aptum, in quo radix omnium malorum oriri debeat, scilicet ciuitatem Babyloniæ.*

Petrus Comestor in Hist. Scholastica Daniël. 6. *Hic est Antichristus de Tribu Dan ignobilis in obscuro loco Babyloniæ nasciturus.*

Vincentius Bellouac. lib. 32. Natur. Speculi, cap. 103. *Legitur Antichristus in Babylone de tribu Dan nasciturus.*

S. Thomas Aquinas Opusculo de Humanitate Dei, cap. 29. *Nascetur Antichristus in Babylone de tribu Dan.*

Ludolphus Carthusianus Vitæ Christi Parte 2. cap. 87. *Antichristus ex parentibus senibus concipietur, & nascetur in Babylone de tribu Dan.*

S. Antoninus 4. parte Theologiæ, titulo 13. cap. 4. §. 3. *Iste Antichristus circa finem nascetur in Babylone de tribu Dan.*

Ioannes Gerson in Summa, lib. 6. de gaudiis Paradisi: *Nascetur enim Antichristus in Babylone ex tribu Dan.* Hoc ipsum docent innumeri alij recentiores. Vnde Ioannes Baptista Gramaye in Asiatica historia, in Babylonicis, cap. 1. ait: *Babylone Antichristum nasciturum Theologorum senatus credit.*

Causæ verò rationésque cur velit Deus Babylone potiùs quàm alibi locorum Antichristum nasci, latent in arcano diuini pectoris: sed pia interim & erudita ingenia nonnullas vtcumque probabiles peruestigarunt.

Primò, sicut Nemrod qui Babel, id est, Babylonicam Turrim condidit, sæuus tyrannus ac dirus hominum oppressor, Deo bellum apertum indixit: ita consentaneum videtur, vt in eadem Babylone nascatur, supremus & maximus Dei & Ecclesiæ hostis Antichristus.

Secundò, Nabuchodonosor & Antiochus Epiphanes, qui Ecclesiam priscam immensis afflixerunt cladibus, & Antichristi veteris Instrumenti fuere, & veri Antichristi venturi, magni præcursores, in Babylonia regnarunt: conueniens quoque videtur, vt Noui Testamenti verus Antichristus ex eadem Babylonia oriatur.

Tertiò, Babylon, ciuitatem diaboli adumbrat, è diametro semper ciuitati Dei opposita, mater & propagatrix omnis confusionis, idololatriæ, impietatis, officina omnium vitiorum, prima vrbium quæ in mundo nefaria defectione se à cultu veri Dei prosecuit, quæ arcem superbiæ contra Deum erexit, quæ in Sacris Scripturis mysterium iniquitatis peragit, & blasphemiam nominis Dei depictam gestat in fronte: digna propterea quæ sit Antichristi patria, in quo omnis impietas conglobatur, & recapitulatur.

Quartò, Iudæi in Babylonia conseruant successionem Æchmalotarcharum è tribu Iuda & stirpe Dauid, qua cæci se lactant, nondum aduenisse Messiam, eúmque adhuc expectant: ergo digno erroris supplicio, vbi auidiùs expectant Messiam, ibidem merentur Antichristum recipere.

Porrò his de Babylone patria Antichristi à nobis assertis, haud contraria, immò consona scripsit Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 17. cùm de Antichristo ait: *Alter rex orietur ex Syria, malo spiritu genitus, euersor ac perditor generis humani.* Neque enim dubitari potest nomine Syriæ Lactantium ipsam etiam Assyriam & Chaldæam, in qua Babylon fuit, comprehendisse: cùm sit exploratum veteres scriptores, eam regionem in qua Babylon fuit, Syriam quoque nuncupasse. Herodotus lib. 7. numero 63. *Isti à Græcis Syrij vocabantur, sed à barbaris Assyrij sunt vocati, inter quos Chaldæi sunt.* Diodorus Siculus lib. 18. *num.* 630. *Babylon Syria, quæ superior vocatur, quam proximè attingit.* Strabo lib. 16. sub initium: *Syrorum nomen tendere videtur à Babylonia vsque ad Issicum Sinum.* Et mox: *Iam qui de Syrorum Imperio scribunt, cùm Medos à Persis euersos dicunt: Syros autem à Medis; nullos alios Syros intelligunt, quàm eos qui Babylone, ac Nini regiam constituerunt.* Pomponius Mela lib. 1. cap. 11. *Syria latè littora tenet, terrásque etiam latiùs introrsus, aliis, aliísque nuncupata nominibus. Nam & Cœle dicitur, & Mesopotamia, & Damascene, & Adiabene, & Babylonia, & Iudæa, & Sophene.*

Plinius lib. 5. cap. 12. *Syria quondam terrarum maxima, & pluribus distincta nominibus: námque Palæstina vocabatur, quà contingit Arabas, & Iudæa, & Cœle, dein Phœnice, & quà recedit intus, Damascena, ac magis etiamnum meridiana Babylonia: & eodem Mesopotamia inter Euphratem & Tigrim,*

quàque transit Taurum Sophene, citra verò etiam Comagene, & vltra Armeniam Adiabené Assyria ante dicta, & vbi Ciciliam attingit Antiochia.

Ammianus lib. 23. cap. 19. *Prouincia est nobilis Syria, celebritate & magnitudine, tum & multiformi feracitate ditissima, quæ per populos, pagósque amplè diffusa quondam & copiosa, in vnum concessit vocabulum, & nunc omnis appellatur Assyria.* Iustinus lib. 1. *Imperium Assyrij, qui postea Syrij dicti sunt, annos mille trecentos tenuerunt.* Hygenus Fabula 275. *Semiramis Dercetis filia in Syria Babylonem condidit.* S. Hieronymus in 20. Isaiæ: *Quos veteres Assyrios, nunc vocamus Syros.* Eusebius in Chronico, numero CCCXCIX. *His regnantibus Syrus fuisse perhibetur indigena: ex cuius vocabulo Syria nomen accepit.* In quem locum hæc obseruat Scaliger: *Græci verò vetustissimi Assyriam vocarunt quidquid inter Tigrin & fines Ægypti interiectum est. Posteà vsus obtinuit, vt pro Assyria diceretur Syria.* Sed de Assyria & Syria vide Ortelium in Thesauro, & Fungerum in Etymologico.

Sed & Scriptura Sacra Syriam ארם *Aram* nuncupat, plures in se, etiam Mesopotamiam, regiones includentem. De *Aram-Naharaim*, hoc est Syria-duorum-fluminum, nempe Mesopotamia, mentio est Genes. 24. v. 10. & Psal. 59. in titulo: quæ quoque dicta reperitur *Padan-Aram*, hoc est, Syria-duorum, scilicet fluminum, seu Mesopotamia Syriæ, Genes. 25. 20. & 28. 2. Quamuis Marinus potiùs velit *Padan* nomen fuisse vrbis Syriæ seu Mesopotamiæ in qua Nachor & Laban habitauerint. Agitur quoque de *Aram*, seu Syria vltra flumen, seu trans flumen, nempe Euphratem, quæ ipsa est Mesopotamia, 2. Regum 10. 16. De aliis Syriis vide Forsterum in Lexico, de dictione, *Aram*. Hæc annotauimus, vt ostenderemus Lactantium, cùm ait, Antichristum nasciturum ex Syria, rectè intelligi posse de Assyria, & Babylonia.

Sanctus Anastasius Sinaïta Episc. Antiochenus lib. 10. Hexaëmeron, refert quosdam existimasse Antichristum nasciturum in loco quodam Ægypti appellato Leuchusi; se verò existimare nasciturum in Scythopoli, quæ priùs Bassan appellata fuerit: idque secundùm Mosis vaticinium Deuteron. 33. 22. *Dan catulus leonis fluet largiter de Basan.* Verba S. Anastasij sunt: *In Deuteronomio autem in Benedictionibus Mosis quas prædixit duodecim Tribubus, tanquam Christi aduersarium introducens Antichristum propheticè diuinus Moses, similiter etiam ipsum Christum appellat catulum Leonis; nos docens & Tribum & locum vnde nascetur. Cùm autem venisset ad prophetiam Tribus Dan, dicit: Catulus Leonis Dan, & exiliet ex Basan. Basan autem quidam dicant esse Scythopolim, quæ est propinqua Galilææ, vnde etiam Christus processit secundùm carnem: locum autem tibi nunc ostendit Antichristi necessariò vndenam trahat exitum & motum: quandoquidem ante eius aduentum, eius deceptio multos homines præueniens decepit, dicentes, quòd ex quodam pago Leuchusi nascetur Antichristus. Hic autem fuit æstus & machina diaboli, vt homines hunc ex Ægypto expectantes credant: at excipiant illum, qui nascetur in Galilæa, eum tanquam Christum adorantes qui planè est, & planus Antichristus.* Hæc sanctus Anastasius.

In eandem sententiam Auctor nomine S. Athanasij, quæst. 108. ad Antiochum hæc scribit: *An verò ex Ægypto egreditur Antichristus, & quod signum in manu vna, vt & oculo vno præ se feret? Responsio: Hæc omnia aniles sunt fabulæ. Antichristus enim nullum tale signum præ se feret: sed etiam ex Galilæa vnde Christus exiit, veniet, sicut ait Scriptura sacra: Catulus Leonis Dan, & exiliet ex Basan.*

De Scythopoli Iosephus lib. 5. Antiq. cap. 1. *Betsana, quæ nunc Scythopolis vocatur.* Et lib. 3. Belli cap. 16. *Scythopolis ciuitas Decapoleos maxima, & Tiberiadi vicina est.* Et 12. Antiquitatum cap. 12. *Traiecto deinde Iordane, in magnum campum veniunt, qua sita est Betsana, Græcis dicta Scythopolis.* Vide 1. Macab. 5. vers. 52. Distare Scythopolim à Tiberiade centum viginti stadiis idem Iosephus auctor est, in Vita sua: à Ierosolymis autem distasse sexcentis stadiis dicitur 2. Machab. 12. vers. 29. De qua Egesippus lib. 3. de Excidio Ierosolymitano, cap. 19. *Scythopolis vrbs Dianæ Scythicæ consecrata, tanquam à Scythis condita, & appellata Ciuinitas Scytharum, vt Massilia Græcorum.* Scythas enim in Palæstina quondam dominatos tradit Herodotus lib. 1. num. 104. 105.

Eusebius & S. Hieronymus de locis Hebraïcis: *Vallis grandis atque campestris in immensam longitudinem se extendens, quæ circumdatur ex vtraque parte montibus sibi inuicem succedentibus & cohærentibus, qui incipientes à Libano & vltra, vsque ad desertum Pharan perueniunt. Sùntque in ipsa valle campestri vrbes nobiles, Scythopolis, Tiberias, stagnúmque propter eam, & Iericho, &c.* Et infrà: *Beth-san, ex hoc oppido tribus Manasse accolas pristinos non potuit expellere: & nunc appellatur Scythopolis, vrbs nobilis Palæstinæ, quam interdum Scriptura cognominat Domum-san, quod in nostra lingua interpretatur inimicus.* Polybius lib. 5. *Philoteria ad locum ipsum est sita, quem Iordanis amnis influit, qui inde egressus, per planitiem Scythopoleos dictæ vrbis labitur.*

Plinius lib. 5. cap. 18. *Decapolitana regio à numero oppidorum. Scythopolim anteà Nisam à Libero patre, sepulta nutrice ibi, Scythis deductis.* Solinus cap. 39. *Scythopolis primos incolas & auctorem dabo. Liber pater cùm humo nutricem tradidisset, condidit hoc oppidum, vt sepulturæ titulum etiam vrbis mœnibus ampliaret. Incolæ deerant: è comitibus suis Scythas delegit, quos vt animo firmaret ad promptam resistendi violentiam, præmium loci nomen dedit.* Ptolemæus Scythopolim in Caua seu Curua Syria, quam Cæle-Syriam vocant, collocat, libro 5. cap. 15. Strabo libro lib. 15. *Scythopolis Galilææ proxima.*

De Scythopoli Andreas Masius in 17. Iosuë, vers. 11. *Beth-san vrbs olim celeberrima, sita erat haud procul ab extrema ora Genesaræ, qua Iordanis effluit, inter hunc fluuium, & montem Gelboë, intinere circiter mediæ horæ ab Iordane, in amœna planitie: vnde & campestris esse & maritima, hoc est Genesaræ vicina dicitur à Iosepho. In ea suspensum fuerat pro muro, Saülis trucidati cadauer à Palæstinis. Iosephus, Strabo, Stephanus Bizantius, alij Scythopolim vocant. Plinius addit, Olim Nysam à Libero parte dictam fuisse, cùm suam illic nutricem sepeliuisset: quæ illo nomine vocabatur. Et sunt, qui etiam nunc vulgò appellari Nysam scribunt. Fuit Decapolitanæ regionis vrbs maxima, vt ait Iosephus.* De Beth-san plura quoque Adrichomius in Theatro Terræ Sanctæ, in Tribu Manasse. Consentiúntque omnes, quæ Iosuë 17. vers. 11. & 1. Regum 31. 10. & alibi dicitur Beth-san, esse Scythopolim. Beth-san, Domum inimici interpretatur sanctus Hieronymus, nempe à שאנ *Saan*, vel potius à שנא *Sana*, odio habuit. Et nomen quidem rectè in Antichristi patriam conuenit.

Cetcrùm

Ceterùm Baſan, de qua Deuter. 33. verſ. 22. dicitur, *Catulus leonis Dan fluet largiter de Baſan*, eſt vrbs, & regio pinguis vltra Iordanem, in qua olim regnauit Og, quæ poſteà ceſſit dimidiæ Tribui Manaſſe, diuerſa plane à Beth-ſan, quæ Scythopolis dicitur, & circa Iordanem proculdubio ſita. De Baſſan vide Adrichomium in Dimidia Tribu Manaſſe. Ergo lapſus eſt manifeſtus in ſancto Anaſtaſio, & auctore apud S. Athanaſium, qui Baſan putauerunt eſſe Beth-ſan, & Baſan Scythopolim intellexernnt, cum Scythopolis Beth-ſan potiùs fuerit.

Alcaſar in 7. Apocal. notatione 4. pari ratione qua dixit, quòd Patres docent Antichriſtum naſciturum ex Tribu Dan, fundari id in ſymbolica aliqua allegoria: ita quòd aſtruunt Babylone naſciturum, exiſtimat ſymbolicum & myſticum eſſe, quòd nimirum velint, Antichriſtum, per Nabuchodonoſor qui in Babylone regnauit, allegoricè adumbratum. Ergo pari ratione alia tam multa, quæ de Antichriſto produntur, ad ſymbola, & allegorias reiiciemus? Sed hoc eſt ludere, vel potiùs illudere in rebus grauiſſimis: tam perſpicuè enim Patres loquuntur & omnes alij, Antichriſtum naſciturum in Babylonia, vt nullo pacto tropos vel ſymbola ferant. Aut dicat Alcaſar, quis ante ipſum tale quippiam imaginatus eſt? Solus Acoſta dixit, *Quòd ſi Babylonem ſpiritualiter intelligimus, &c.* Ad id tantùm conditionatè, nec affirmanter, & quæ de patria vera & naturali Antichriſti Babylone ab aliis dicta ſunt, probabiliter accipi poſſe affirmauit. Vide quæ cap. 10. accuratè de hac re diſſeruimus.

Antichriſti patria Chaldaïca Babylon, non verò Roma.

CAP. XIII.

NOn eunt quidam inficias, Antichriſtum Babylone verè naſciturum: ſed hanc nolunt intelligi Babylonem illam Aſſyriacam, ſeu Chaldaïcam ad Euphratem ſitam: ſed Babylonem myſticam & figuratam, nempe Romam, quæ interdum in Scriptura, & ab Eccleſiaſticis Scriptoribus Babylon nuncupatur. Id vt meliùs pernoſcatur, ſciendum tres Babylones præcipuè in diuerſis orbis regionibus ſitas, ab auctoribus deſcribi.

Babylon Caldaïca.

Huius frequentiſſima mentio in ſactis litteris, in Prophetis præſertim. Beroſus Chaldæus vetuſtiſſimus auctor in 3. Rerum Chaldaïcarum libro, agens de Nabuchodonoſore, hæc de Babylone tradit apud Ioſephum 10. Antiquit. cap. 11. *Deinde Nabuchodonoſor ſpoliis bello partis, Beli templum, & alia quædam magnificè exornauit, auxit etiam, & reparauit antiqua vrbis ædificia, munito & fluminis alueo, ita, ne hoſtes eo poſſent vti ad ciuitatis incommodum. Tres quoque murorum ambitus intra vrbem extruxit, & totidem foris circundedit, omnes è coctilibus laterculis. Cúmque memorabilibus operibus ciuitatem muniiſſet, & portas in templorum modum ornaſſet, paternæ Regiæ contiguam extruxit aliam Regiam, cuius ſubſtructiones, & reliquam magnificentiam fortè ſupernacaneum eſſet dicere: vnum ſilere non poſſum, quòd tam amplum & ſuperbum ædificium intra quindecim dies abſolutum eſt. In hac regia moles ſaxeas fornicibus ſuſpendit, montium ſpeciem referentes, ſupernè conſitas variis arborum generibus: atque ita celebratos illos penſiles hortos abſoluit: eo quod vxor educata in Media concupiſſet quandam patriæ ſuæ ſimilitudinem.* Hæc Beroſus: quibus addit Ioſephus: *Horum hortorum etiam Megaſthenes in quarto rerum Indicarum volumine meminit.* Idem Ioſephus lib. 1. in Apionem, cùm hæc eadem quæ nuper deſcripſimus verba Beroſi recitaſſet, adiecit: *Hæc itaque retulit Beroſus de prædicto rege, & multa ſuper hæc in libro Chaldaïcorum: in quo culpat Conſcriptores Græcos, quaſi vanè arbitratos, à Semiramide Aſſyria Babylonem ædificatam, & mira opera ab illa circa eam fuiſſe conſtructa, falsè conſcripſiſſe dicens. Ipſam certè Chaldæorum conſcriptionem fide dignam exiſtimandum eſt, quando cum archiuis Phœnicum concordare videntur, quæ ex Beroſo conſcripta ſunt de Rege Babyloniorum.*

Herodotus lib. 1. *Aſſyriæ autem cùm alia multa ſunt magna oppida, tum verò celeberrimi nominis ac validiſſimum eſt Babylon, vbi poſt euerſam ab ipſis Ninum, Regia erat, quod oppidum ſitum eſt in planitie ingenti, forma quadrata, magnitudine quoquo verſus centenûm vicenûm ſtadiorum, in ſumma quadringentorum & octoginta, in circuitu quatuor laterum vrbis. Tanta eſt Babylonici oppidi magnitudo: quod ita exornatum eſt, vt aliud nullum eorum, quæ nos nouimus. Iam primum foſſa ambit alta atque lata aquæ plena, deinde murus quinquaginta cubitorum regiorum craſſitudine, ducentorum celſitudine. Eſt autem regius cubitus, quàm is quo pro menſura vtimur, tribus digitis maior. Operæ pretium certè eſt me prater hæc diſſerere in quem vſum ſit conſumpta terra ex foſſa egeſta, & quomodo fuerit murus conditus: Vt quidquid terræ in deprimenda foſſa efferebant, ex eo lateres ducebant: quorum poſtquam magnam vim duxiſſent, eos in fornacibus coquebant: poſteà cæno vtentes, aſphalto feruenti per triceſimum quemque laterum ordinem, ſummitates arundinum inſtipatas conglutinabant: & primùm labra foſſæ, deinde ipſum murum ad eundem modum ædificarunt: ſuper quem circa oras extruxerunt domunculas vnius contignationis inter ſe obuerſas: inter quas tantum intercapedinis relinquebatur, vt quadriga interagi poſſet. Eius per ambitum centum portæ ſtabant, æreæ omnes, cum cardinibus poſtibúſque. Babylone octo dierum itinere abeſt alia vrbs nomine Is, vbi fluuius eſt haud magnus, eiuſdem nominis, qui ſe deuoluit in flumen Euphratem. Hic itaque fluuius Is, vnà cum aqua permultos reddit Aſphalti bituminis grumos: quæ aſphaltus ad murum Babylonis comportabatur. Hunc autem in modum Babylon extructa eſt. Eius duæ ſunt plagæ, quas interfluit fluuius nomine Euphrates, qui magnus, & altus, & celer ex Armeniis in Rubrum mare decurrit. In hunc vterque murus lacertos exporrigit, eiúſque incuruæ vtrimque ripæ coctilibus lateribus pro maceria prætexuntur.*

Ipſa vrbs plena domibus eſt ternarum, quaternarúmque contignationum, ſecta in vias tum rectas, tum verò tranſuerſas, quæ ad flumen pertingunt: ad quarum ſingulas pro numero vicorum portulæ factæ ſunt in maceria quæ flumen ſepiebat, & ipſæ æreæ, & ad flumen idem ferentes. Et hic quidem murus lorica eſt. Alius verò intus non multò quam hic debilior, ſed exilior: inque vtriuſque ciuitatis plagæ medio murus eſt erectus, quorum hic Regiam comprehendit ambitu prægrandi, atque valido: in altero verò Ioüis Beli templum æreis portis, id quod mea etiam nunc ætate exiſtit, duorum vndecunque ſtadiorum amplitudine, figura

quadrata

quadrata. In templi medio turris solida crassitudine simul & altitudine stadij, cui alia rursus super imposita turris, & huic subinde alia, ad octauam vsque. His forinsecus scalæ sunt in circuitu adhibitæ, per quas ad singulas conscenditur terres. In mediis gradibus statio, cellæque in hoc factæ, in quibus ascendentes liceat sedere & conquiescere. In postrema turri Sacellum est aliud, in quo lectus est splendidè stratus, & opposita mensa aurea. Statua tamen in hoc sacello nulla est: neque hic noctu cubat hominum aliquis, præter mulierem vnam ex indigenis, quam ex omnibus Deus delegerit, vti narrant Chaldæi huius dei Sacerdotes. Narrant enim illi (tametsi mihi parum credibilia referre videntur) Deum ipsum ingredientem templum, in hoc cubili conquiescere, perinde atque Thebis Ægyptiacis, vt ferunt Ægyptij. Ibi enim in Thebani Iouis fano mulier quoque cubat: quæ vtraque mulier cum viris putatur non habere consuetudinem: sicut etiam Dei. Antistita Pataris Lyciæ ciuitate, quando ita accidit: neque enim oraculum ibi celebratur perpetuò: vbi autem id futurum est, antistita noctu in templum concluditur.

Porrò in illo Babylonis templo aliud est etiam Sacellum inferius quod magnam habet Iouis statuam, eámque auream, ponè mensam, & ipsam auream, simul & sustentaculum cum sella, omniáque aurea: adeò vt Chaldæi octingentorum talentorum auri opus æstiment. Extra sacellum altare est, & ipsum aureum: atque præter hoc, aliud altare ingens, in quo integræ ætatis pecudes hostiæ immolantur: quandoquidem supra aureum illud non licet hostias mactare, præterquam lactentes. Insuper in hoc maiusculo altari Chaldæi quotannis centum millia talentorum Libanoti adolent, quando huic suo Deo sacra faciunt. Erátque in hoc templo etiamdum illo tempore statua duodecim cubitorum è solido auro: quanquam ego hanc non viderim, sed ea referam quæ à Chaldæis referuntur. Hanc statuam Darius Hystaspis filius insidiosè captans, non ausus fuit tamen diripere: sed eam postea Xerxes Darij filius abstulit, sacrificio, qui prohibuerat statuam loco dimouendam, interempto. Atque illud templum hoc pacto constructum fuit.

Huius Babylonis multi quoque aliquando reges extitere, qui & muros ornauerunt & templa: & inter eos duæ fœminæ. Harum prior, quæ quinque ætatibus ante posteriorem regnauit, vocata est Semiramis. Hæc per planitiem aggeres extruxit spectaculo dignos, quum antehac flumen eam omnem restagnare solitum esset. Posterior regina Nitocris nomine extitit superiore solertior: cuius cùm alia monumenta extiterunt, quæ ego commemorabo, tum verò hoc, quod animaduertens Imperium Medorum ingens ac pacatum, subactáque ab his multa oppida, & inter hæc Ninum, præmuniuit se omnibus quàm potuit maximè. Ante omnia fluuium Euphratem, qui priùs mediam ipsorum vrbem interfluens, rectus erat, tortuosum reddidit, fossis superiùs depressis, adeò vt quendam Assyriæ pagum nomine Ardericam, ter influat, & qui nunc è mari per Euphratem Babylonem versus subuehuntur, ter ad hunc eundem pagum applicent, idque triduo. Et hunc quidem talem reddit. Aggerem verò ex vtroque fluminis labro aggessit visu mirandum: tantæ est magnitudinis & sublimitatis. Multò supra Babylonem, aliquantulum seorsum à flumine effodit paludis receptaculum, eluuiem, profunditate quidem, (id est, quoad aqua fodiendo inueniretur) ad quam vsque semper ducta; latitudine verò eius quoquo versus quadringentorum, trecentorum viginti stadiorum. Hæc fossitia humus ad fluminis ripas aggesta est. Quem locum vbi depressit, crepidinem ambitus eius lapidibus induxit. Hæc duo & flumen flexuosum, & lacuna tota, fossa esset, ideò fecit, vt fluuius per multos anfractus retentus, sedatior mearet, & nauigationes Babylonem versus essent tortuosæ, & ex ipsis nauigationibus longus ambitus lacunæ exciperetur.

Et his quidem munitionibus ab imo vsque vrbem circundedit. Sed & has munitiones obiter ad hunc vsum accommodauit. Cùm sit vrbs in duas dirempta regiones, fluuio medium tenente, quoties aliquis ex altera in alteram regionem transire volebat sub regibus superioribus, is necesse habebat nauigio transire: quod erat, vt reor, molestum. Huic autem etiam rei ista prospexit. Siquidem vbi effodit effluuium (receptaculum) paludis, aliud opere eodem monumentum sui reliquit. Lapides prægrandes incidit, qui vbi parati fuerunt, & locus depressus, in locum ipsum quem depresserat, omnem fluminis cursum auertit. Qui locus effossus dum impleretur, interea pristino alueo arefacto, oras fluminis intra vrbem, ac descensus qui ex portulis ad flumen ferunt, extruxit coctis lateribus, eadem qua muros ratione. Extruxit etiam circa medium fermè vrbem pontem ex iis quos effoderat lapidibus, ferro eos ac plumbo deuincens. Hunc sublicis quadratis, per quas Babylonij transirent, interdiu committebat, easdem noctu tollebat: hac videlicet causa, ne per noctem transeuntes mutua furta exercerent. Vbi porrò lacuna repleta fuit flumine, & opus pontis exornatum, tunc fluuium Euphratem ex palude in pristinum alueum reuocauit, atque ita palus quam effoderat, visa est necessariò facta, & pons in vsum ciuium extructus. Et post alia subdit Herodotus: *Cuius ciuitatis quanta sit potentia, cùm ex aliis multis declarabo, tum verò ex hoc: Cùm Regi magno omnis plaga cui imperat, sit distributa in ipsius, atque exercitus eius alimentum, præter tributa; ex duodecim quibus annus constat mensibus, quatuor regio Babylonica, octo reliquis eum omnis Asia alit. Ita huius regionis potentia tertiam Asiæ partem æquiparat: & eius principatus, quem Satrapiam Persæ vocant, omnium Prouinciarum longè est optimus.* Hactenus de Babylone Herodotus.

Aristoteles de immani Babylonis magnitudine lib. 3. Politic. cap. 3. hæc prodit: *Non est vrbs ex mœnibus æstimanda: nam Peloponnesum vno muro circundare liceat: cuiusmodi fortassis est Babylon, & quæcunque gentis magis, quàm vrbis ambitum habet. Qua Babylone ab hostibus capta, triduo partem ciuitatis id non sensisse ferunt.* Simile quid innuit Herodotus contigisse quando capta fuit Babylon à Cyro Rege Persarum.

Diodorus Siculus lib. 2. num. 68. *Natura Semiramis ad res magnas rapiebatur, & gloria præcessores superare contendebat, ideóque vrbi in Babylonia condendæ animum adiecit. Et architectis hinc, illinc fabrisque delectis, ac necessariis ad sumptus faciendos comparatis ex toto regno ad operis structuram vicies centena hominum millia coëgit. Tum trecentorum sexaginta stadiorum muro, crebris intercepto turribus, vrbem ita circundedit, vt mediam annis interflueret: erátque tanta operis magnificentia, vt mœnium latitudo sex iuxta curribus vehendis sufficeret: altitudo verò, omnium qui audirent, fidem, vt Ctesias scribit, excederet: vt verè Clitarchus, & qui cum Alexandro in Asiam postea traiecerunt, litteris prodiderunt, ambitus trecentorum sexaginta quinque stadiorum; quod anni dies stadiorum numero æquare studuisset. Murum lateribus bitumine conglutinatis coagmentauit, quinquaginta Orgyas, teste Ctesia, altum: vel, vt alij referunt, quinquaginta cubitos tantùm: vt latitudo aliquanto plus, quam duobus curribus satis esset, spatium obineret. Turres etiam adiecit ducentas quinquaginta, quarum alti*

rum altitudo, latitudoque amplitudini operum muri respõderet. Nec verò mirandum est, quòd in tanto muri ambitu, ita paucas ædificauit turres. Cùm enim multis in locis vrbs paludibus sit circumfusa, non opere pretium ipsi visum, ea parte turres construere, quo natura loci satis munita esset. Inter murum & domorum ædificia, via duûm plethrorum circumquaque relicta erat. Vt autem celeriùs opus consummaretur, cuilibet ex amicis stadium, cum impensis ad id necessariis attribuit, & anni spatio negotium peragi iussit.

Quo gnauiter, non absque Reginæ approbatione, perfecto, pontem, quà fluuius angustissimus errat, quinque stadiorum longitudine construxit, columnis duodenum pedum interstitio, mira in profundum arte iactis. Lapides vt firmiùs inter se connecterentur, vncis ferreis distrinxit, ex plumbo compages illiquato expleuit. Columnis verò antequam latera fluuium exciperent, angulos, qui rotundum, & paulatim vsque ad columnæ latitudinem refrænatum haberent aquarum decursum præstruxit: quorum acies impetum refringeret, & rotunditas sensim concedens vehementiam defluxus mitigaret. Pons itaque ille cedrenis & cypressinis trabibus, palmarúmque caudicibus & ramis prægrandibus obtectus, & triginta pedes latus, nulli Semiramidis operum solertia concedebat. Tum ab vtroque fluminis latere crepidinem, mœnibus latitudine parem, ad stadia centum magnis sumptibus eduxit. Regias etiam duas ex vtraque pontis regione ad fluuium ædificauit: vnde in totam vrbem prospectum, & quasi claues ad loca eius opportunissima habitura esset. Cúmque mediâ Euphrates Babylonem intersecet, ad meridiem festinans, castellorum aliud ad Ortum, ad Occasum vergebat: magnis vtrúmque impendiis extructum. Nam quod ad Occidentem iacet primum ambitum sexaginta stadiorum altis & sumptuosis mœnibus ex cocto latere constructum habuit. Alter intrinsecus in orbem ductus, in crudis adhuc lateribus omnis generis animantia, colorum artificio ad veritatis similitudinem efficta continebat. Is, auctore Ctesia, quadraginta stadia longus, lateres trecentos latus, & quinquaginta orgyarum altus erat. Turres ad septuaginta orgyas surgebant. Tertius tandem murus & intimus arcem circumdedit, qui triginta stadia complexus, tum longitudine, tum latitudine inter medij structuram operis superabat. Turres & mœnia bestias omnis generis, coloribus & figuris ad viuum expressis, repræsentabant. In primis venatio illic erat, variorum pena animantium, quæ magnitudine quatuor cubitos excedebant. Et inter hæc Semiramis conspiciebatur ex equo pardalim iaculans, & propè vir eius Ninus, lanceâ cominus feriens leonem. Tres quoque portas erexerat: sub quibus cœnacula ex ære, quæ machina aperirentur. Hoc palatium, tum magnitudine, tum ornatu, alteri ex aduersa fluuij ripa longè præcellebat. Nam extimus illius murus, ex cocto latere factus, triginta tantum stadia obtinebat. Loco bestiarum arte effictarum, æneæ Nini & Semiramidis, Præfectorúmque, & Iouis, quem Belum Babylonij nominant, imagines: nec non instructæ acies, & venationes multifariæ, ad variam spectantium voluptatem, propositæ erant.

Post hos in humillimo Babyloniæ loco locum quadrantem effodit, cuius vnumquódque latus, ex latere cocto, & bitumine constans, trecenta stadia longum, pedésque triginta quinque profundum erat. Huic flumine auerso, è regiis vtrinque palatiis cuniculum duxit, cuius fornices, asso latere constructos, bitumine decocto, ad quatuor cubitorum spissitudinem, vtrimque inunxit: parietes cuniculi latitudinem viginti laterum, duodecim pedum altitudinem, præter fornicem incuruatam, habebant. Latitudo autem erat pedum quindecim. Tandem intra ducentos & sexaginta dies opere consummato, amnem in alueum pristinum reduxit: vt vnda supra cuniculum labente, Semiramis ex vlterioris regiæ castello in alterum, flumine non transito, commeare posset. Aeneas quoque portas ad vtramque fossæ partem statuit, quæ ad Persarum vsque regnum permansere.

In media deinceps vrbe Ioui, quem Belum, vt diximus, Babylonij vocitant, templum ædificauit. De quo cùm & Scriptores discrepent, & opus vetustate collapsum sit, nihil est quod certò asseratur. Summæ tamen altitudinis fuisse, & huius adiumento Chaldæos, syderum illic contemplationi vacantes, ortus & occasus exactè notasse constat. Totum opus ex lateribus, & bitumine, magno sumptu & ingenio, fabricatum erat. In summo ascensu tres ex auro statuas, malleo ductas, Iouis videlicet, Iunonis, & Rheæ erexit. Iouis imago pedibus insistenti ac veluti ambulanti similis erat, pedum quadraginta longitudine, & pondere mille talentûm Babyloniorum. Rheæ effigies eiusdem ponderis in aureo thono residens, Leonésque duos ad genua stantes, ac prægrandes iuxta colubros ex argento talentûm trigenûm pondo, habebat. Illic etiam Iunonis simulachrum octingenta talenta pendens, quod dextra serpentem capite prehensum, sinistra, gemmatum sceptrum tenebat. Mensa omnibus communis ex auro, malleis elaborata, pedes quadraginta longa, & septemdecim lata, quingentorum talentûm pondere, apposita erat. In qua carchesia duo talentum triginta. Aderant etiam thuribula numero quidem paria, sed pondere trecentûm talentorum. Crateres insuper aurei tres, quorum Ioui dicatus talenta Babylonia mille & ducenta pendebat: caterorum vterque sexcenta. Verùm ista Persarum reges postea sacrilegio abstulerunt. Regias quoque & alias structuras partim tempus omnino aboleuit, partim corrupit. Nam ipsius Babylonis exigua quædam portio nunc habitatur: maximaque intra muros pars agrorum cultui est exposita.

Erat etiam pensilis, vt vocatur, hortus, iuxta arcem, non a Semiramide, sed Syro quodam Rege (Nabuchodonosoro Berosus.) posteris temporibus in gratiam Pallacæ ædificatus. Quæcùm ex Persia, vt perhibent, oriunda esset, in montibus prata requirens, à Rege, vt artificioso quodam plantario Persicæ naturam terræ imitaretur, contendit. Paradisus ille vnumquodque latus ad quatuor plethra extendit. Aditum montanum, aliásque ex aliis ad formam theatri structuras habebat. Sub gradibus autem fabrefactis vbi ascenditur, fornices, (Syringes) ædificati erant, totam viridarij molem sustinentes: aliúsque alium subinde in accessu modicum supereminebat. Supremus tandem fornix quinquaginta cubitos altus, supremam paradisi aream, pinnarum ambitui exæquatam habebat. Tum parietes multis impendiis firmati, pedes viginti quatuor crassi erant, & quilibet exitus duodecim latus. Concamerationes verò trabes lapideæ integebant, longitudinem sexdecim cum superiectis, & latitudinem quatuor pedum obtinentes. Tectum lapidibus incumbens, arundines primum cum multo bitumine substratas habebat. Deinde later erat duplex gypso ferruminatus. Tertia porrò tegminis series laminas plumbeas excipiebat: nè ex humo ingesta humor ad fundum penetraret. Super hæc terra ad iustam profunditatem coaceruata erat, quæ maximarum arborum radicibus satis esset. Solum denique complanatum omnigenis arboribus plenum erat, quæ & magnitudine, & cætera amœnitate spectantes oblectare possent. Fornices præterea, quod lumen per arcus inter se eminentes exciperent, multas, varíque generis diætas continebat regias. Sed vna erat, ex suprema area dissectiones seu foramina habens, & hauriendis aquis instrumenta, quibus aquarum copia ex amni, nemine foris quod fieret animaduertente, attrahebatur. Hic verò hortus posterioribus, vt

ribus, vt dixi, ſæculis extructus fuit. Et paucis interiectis addit Diodorus : *Semiramis etiam ſaxum è montibus Armeniis excidit, centum triginta quinque pedes longum, viginti quinque latum & ſpiſſum : hoc multis aſinorum, boúmque iugis ad amnem deportatum rati impoſuit, & ſecundo flumine Babyloniam deuectum, iuxta viam nobiliſſimam, admirandum prætereuntibus ſpectaculum erexit. Obeliſcum à figura vocant, intérque ſeptem famigerata orbis opera numerant. Multa ſanè Babylonia continet ſpectatu digna & admiranda.* Hactenus Diodorus.

De eadem Babylone.

CAP. XIV.

STrabo lib. 16. ſub initium : *Nini vxor Semiramis, quæ & in regnum ſucceſſit, Babylonem condidit.* Et poſt alia : *Babylon ipſa quoque in campo iacet, muri ambitu trecentorum octoginta quinque ſtadiorum, craſſitie pedum triginta duorum : altitudine inter turres cubitorum quinquaginta ; turrium ipſarum, ſexaginta. Viam ſuper mœnibus habet tam latam, vt quadrigæ occurrentes facilè ſe tranſmittant. Vnde & hoc de ſeptem ſpectaculis vnum dicitur. Et hortus penſilis figura quadrata : cuius latus quodlibet quatuor eſt iugerum. Fornicibus continentur fornicatis, ſitis ſuper talos, cubi formam habentes. Tali iſti, pilæ concauæ ſunt, & terra plenæ, vt arbores maximas, conſitas recipere poſſint, ex lapide coctili & bitumine conſtructæ, cùm ipſæ tum teſtudines & fornices. Supremum tabulatum aſcenſus ſcalares habet, & cochleas ipſis adiacentes, per quas continenter aqua ex Euphrate in hortos attollitur ab hominibus ad hoc ipſum conſtitutis. Nam flumen mediam vrbem perlabitur, latitudine ſtadium occupans. Horti ſuper flumine ſunt. Ibi etiam Beli ſepultura eſt, nunc euerſa ; quod feciſſe Xerxes fertur. Pyramis quædam erat quadrata, ex latere coctili ſtructa, ſtadij altitudine, cuius quoque latus ſtadium obtinebat. Hanc Alexander inſtaurare voluit : ſed cùm multi res laboris eſſet, & multi temporis, (nam ad expurgandam dumtaxat terram decem millibus hominum, duorum menſium opus erat) quod incœperat, perficere non valuit : illico enim morbus & mors eum oppreſſit. Poſteriorum nemo curauit.* De hoc Alexandri conatu Arrianus lib. 7. hæc prodit : *Beli templum in media Babyloniorum vrbe ſitum erat, magnitudine atque opere ex lapide coctili, & bituminato præclarum : quod templum, quemadmodum & cætera Babyloniorum loca ſacra, Xerxes ſubuerterat, cùm ex Græcia reuerteretur. Alexander verò in animo habebat templum inſtaurare, atque vt quidam ſcribunt, è veteribus fundamentis ædificare : eámque ob cauſam rudera exportare Babylonios iuſſerat : vt verò aly, anguſtius quàm antea fuerat, efficere ſtatuerat. Cúmque ipſo abſente ſegnius quàm vellet, operi inſtarent : ipſe cum vniuerſo exercitu opus aggredi cogitabat.*

Quintus Curtius Rerum Alexandri lib. 5. *Cæterùm ipſius vrbis pulchritudo ac venuſtas, non Regis modò, ſed etiam omnium oculos in ſemet haud immeritò conuertit. Semiramis eam condiderat, vel, vt plerique credidere, Belus, cuius Regia oſtenditur. Murus inſtructus laterculo coctili, bitumine interlitus, ſpatium triginta & duorum pedum latitudine amplectitur : quadrigæ inter ſe occurrentes ſine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri centum cubitorum eminet ſpatio. Turres denis pedibus, quàm murus altiores ſunt. Totius operis ambitus trecenta ſexaginta octo ſtadia complectitur. Singulorum ſtadiorum ſtructuram ſingulis diebus perfectam eſſe memoriæ proditum eſt. Ædificia non ſunt admota muris, ſed ferè ſpatium vnius iugeris abſunt. Ac ne totam quidem vrbem tectis occupauerunt : per nonaginta ſtadia habitatur : nec omnia contigua ſunt, credo, quia tutius viſum eſt, pluribus locis ſpargi. Cætera ſerunt, colúmque : vt ſi externa vis ingruat, obſeſſis alimenta ex ipſius vrbis ſolo ſubminiſtrēt.*

Euphrates interfluit, magnæque molis crepidinibus coërcetur. Sed omnium operum magnitudinem circumueniunt cauernæ ingentes, in altitudinem preſſæ ad accipiendum impetum fluminis : quod vbi appoſitæ crepidinis faſtigium exceſſit, vrbis tecta corriperet, niſi eſſent ſpecus, lacúſque, qui exciperent. Coctili laterculo ſtructi ſunt, totúmque opus bitumine adſtringitur. Pons lapideus flumini impoſitus, iungit vrbem. Hic quoque inter mirabilia Orientis opera numeratus eſt : quippe Euphrates altum limen vehit, quo penitus ad fundamenta iacienda egeſto, vix ſufficiendo operi firmum reperiunt ſolum. Arenæ autem ſubinde cumulatæ, & ſaxis, quibus pons ſuſtinetur, annexæ, morantur amnem : qui retentus, acriùs quàm ſi libero curſu mearet, illiditur.

Arcem quoque ambitu viginti ſtadia complexam habent : triginta pedes in terram turrium fundamenta demiſſa ſunt : ad octoginta ſummum munimenti faſtigium peruenit. Super arce vulgatum Græcorum fabulis miraculum, penſiles horti ſunt, ſummam murorum altitudinem æquantes, multarúmque arborum vmbra & proceritate amœni. Saxopylæ, quæ totum onus ſuſtinent, inſtructæ ſunt. Super pylas lapide quadrato ſolum ſtratum eſt, patiens terræ, quam altam iniiciunt, & humoris, quo rigant terras : adeóque validas arbores ſuſtinent moles, vt ſtipites earum octo cubitorum ſpatium craſſitudine æquent, in quinquaginta pedum altitudinem emineant, & frugiferæ ſint, vt ſi terra ſua alerentur. Et cùm vetuſtas non opera ſolum manu facta, ſed etiam ipſam naturam paulatim exedendo perimat : hæc moles, que tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata eſt, inuiolata durat : quippe viginti lati parietes ſuſtinent, vndecim pedum interuallo diſtantes, vt procul viſentibus ſiluæ montibus ſuis imminere videantur. Syriæ regem Babyloniæ regnantem hoc opus eſſe molitum memoriæ proditum eſt, amore coniugis victum, quæ deſiderio nemorum, ſiluarúmque, in campeſtribus locis virum compulit amœnitatem naturæ, genere huius operis imitari.

Plinius lib. 6. cap. 26. *Babylon Chaldaïcarum Gentium caput diu ſummam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliqua pars Meſopotamiæ, Aſſyriæque Babylonia appellata eſt : ſexaginta millia paſſuum amplexa muris, ducenos pedes altis, quinquagenos latis, in ſingulos pedes ternis digitis menſura ampliore quàm noſtra, interfluo Euphrate, mirabili opere vtráque. Durat adhuc ibi Iouis Beli templum. Inuentor hic fuit ſideralis ſcientiæ.*

Solinus cap. 60. *Chaldæa gentis caput Babylon eſt, à Semiramide condita, tam nobilis, vt propter eam & Aſſyrij & Meſopotamij in Babyloniæ nomen tranſierint. Vrbs eſt ſexaginta millia paſſuum circuitu patens, muris circundata, quorum altitudo ducentos pedes detinet, latitudo quinquaginta, in ſingulos pedes, ternis digitis, vltra quam menſura noſtra eſt, altioribus. Amne interluitur Euphrate. Beli ibi Iouis templum, quem inuentorem cæleſtis diſciplinæ tradidit, etiam ipſa religio, quæ Deum credidit.*

Mela lib. 1. cap. 11. *Syria olim ac diu potens, ſed cùm eam regno Semiramis tenuit, longè potentiſſima. Ex operibus certè eius inſignia multa ſūt. Duo maximè excellūt : conſtituta vrbs miræ magnitudinis Babylō, ac ſiccis olim regionibus Euphrates & Tigris immiſſi.*

Diony

Dionyſius Alexandrinus de Situ Orbis Priſciano Interprete:

Ad partes Auſtri Babylon: quam mœnibus olim
Mirandis poſuit, firmiſque Semiramis vrbem.
Cuius in arce domum ſplendentem fecerat auro:
Quam ſimul argentum variè decorauit, ebúrque.

Philoſtratus lib. 1. de vita Apollonij, cap. 18. *Babyloniæ muros tantos fuiſſe ferunt, vt ſtadiorum quadringentorum & octoginta ambitum complecterentur: in altitudinem verò tria ſemiiugera tollerentur: cùm eſſent paulò minùs vnius iugeris craſſitudine. Secat autem mediam Babyloniam Euphrates pari forma, cui pons mirabili arte compactus domos regias in vtraque fluminis ripa mirabili opere fabricatas iungit, inuiſibili quadam & incredibili penè iunctura. Fertur enim mulierem ex Medorum gente natam, & quandóque id regnum ſortitam, pontem artificio priùs ignoto ſupra flumen ædificaſſe. Lapides enim & as, præterea bitumen, & quæcunque conglutinationi quæ in aqua fieri conſueuit, ab hominibus inuenta ſunt, ad flaminis ripas congregauit: deinde fluminis aquas in paludes proximas deriuauit: tum iam exſiccato fluminis alueo, duorum paſſuum foſſam effodit, quam ſuperiniecta teſtudine cooperuit, vt ad regias, quæ vtrinque fluminis ripis adiacent, per eam quam diximus foueam, non ſecus ac per aridam terram, aditus intercederet: ita vt fornicis altitudo fluuiali alueo adæquaretur: quin etiam foſſæ quidem fundamenta, parietéſque, ac ſuperior fornix, in vnum quaſi lapidem conglutinati obduruerint: quando bitumine aqua ad conſolidationem egente, Euphrates in humidam teſtudinem immiſſus eſt: itaque pons conſtitit.*

Iuſtinus lib. 1. *Semiramis Babyloniam condidit, murúmque vrbis cocto latere circumdedit arena, pice, bitumine interſtrato: quæ materia in illis locis paſſim à terra exæſtuat.*

Propertius lib. 3. Elegia 10.

Perſarum ſtatuit Babylona Semiramis vrbem,
Vt ſolidum cocto tolleret aggere opus.
Et duo in aduerſum immiſſi per mœnia currus,
Ne poſſent tacto ſtringere ab axe latus.
Duxit & Euphratem mediũ, quà condidit arces.

Ammianus lib. 23. cap. 20. *Babylon cuius mœnia bitumine Semiramis ſtruxit: arcem enim antiquiſſimus Rex condidit Belus.*

S. Hieronymus in 14. Iſaiæ. *Babylonem fuiſſe potentiſſimam & in campeſtribus per quadrum ſitam, ab angulo vſque ad angulum muri quindecim millia tenuiſſe paſſuum, id eſt, ſimul per circuitum quadringenta octoginta ſtadia, refert Herodotus, & multi alij qui Græcas hiſtorias conſcripſerunt. Arx autem, id eſt, Capitolium illius vrbis, eſt turris, quæ ædificata poſt diluuium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere paſſuum, paulatim de lato in anguſtias coarctata, vt pondus imminens facilius à latioribus ſuſtentaretur. Deſcribunt ibi templa marmorea, aureas ſtatuas, plateas lapidibus, auróque fulgentes, & multa alia quæ penè videntur incredibilia.*

Oroſius lib. 2. cap. 6. *Namque Babyloniam à Nemrod gigante fundatam, à Nino, vel Semiramide reparatam multi prodidêre. Hæc campi planitie vndique conſpicua, natura loci latiſſima, caſtrorum facie mœnibus paribus per quadrum diſpoſita: murorum eius vix credibilis relatu firmitas & magnitudo, id eſt, latitudine cubitorum quinquaginta, altitudine quatertanta. Cæterùm ambitus eius quadringentis octoginta ſtadiis circumuenitur. Murus cocti li latere, atque interfuſo bitumine compactu foſſa extrinſecus latè patens, vice amnis circumfluit. A frõte murorum centum portæ æreæ. Ipſa autem latitudo in conſummatione pinnarum vtroque latere habitaculis defenſorum æquè diſpoſitis, media intercapedine ſui citas quadrigas capit. Domus intrinſecus quatergeminæ habitationis minaci proceritate mirabiles.*

Innumera & ingentia quoque ſunt quæ diuini Prophetæ de magnitudine, opibus, & potentia Babylonis paſſim prodidêre. Mirabile de illa eſt Iſaiæ elogium 13. 19. *Babylon glorioſa in regnis, inclyta ſuperbia Chaldæorum.*

Quis Babylonis conditor?

CAP. XV.

SEmiramidem condidiſſe, affirmat Velleius Paterculus lib. 1. *Ab Nino, & Semiramide qui Babylona condiderat.* Hoc ipſum adſtruunt Diodorus, Strabo, Curtius, Solinus, Mela, Iuſtinus, Dionyſius, Afer, Propertius, Ammianus, quorum ſententias ſup. capite, & antecedenti poſuimus. Sed & S. Hieronymus in 2. Oſee, idem confirmat Ouidij teſtimonio 4. Metamorph. *Nini huius vxor Semiramis, de qua multa & miranda referuntur, muros Babylonis extruxit: de qua inſignis Poëta teſtatur:*

——Vbi dicitur altam
Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis vrbem.

Oroſius lib. 2. cap. 111. *Semiramis cum & ipſa quadraginta duobus annis regnaret, medio Imperij ſui tempore Babyloniam caput regni condidit.*

Verùm à Belo conditam prodit Abydenus antiquus auctor: de quo Euſebius lib. 9. Præparationis Euangelicæ cap. 4. ad finem: *De Babylone quoque Abydenus hæc ſcribit: Omnia, inquit, illa loca aquis contecta fuiſſe dicuntur: Belus autem regionem ſiccaſſe perhibetur, & Babyloniam condidiſſe: quæ mœnia aquarum diluuione deleta Nabuchodonoſorus reſtituit, quæ remanent ad hæc Macedonum tempora. Et poſt pauca: Cùm principatum, ait, Nabuchodonoſorus accepiſſet, continuò Babylonem triplici muro, quindecim diebus muniuit: & fluuios Armacalem, atque Acracanum ab Euphrate ortos deſtruxit: paludem etiam effodit viginti paſſuum altitudinis, paraſangarúmque quadraginta: portáſque in ea fecit, quas Riuotenentes appellabant: quibus apertis Babyloniæ campos irrigabant: Rubrique maris inundationem obſtruxit, & Theredonem vrbem ad ſuſtinendos Arabum impetus condidit, & in regia penſiles hortos plantauit. Hæc ex Abydeno ſumere placuit.*

Curtius quoque lib. 5. *Semiramis eam condiderat, vel, vt plerique credidere, Belus.*

At diſerta ſunt Scripturæ verba à Nepotibus Noë primùm ædificari cœptam Babylonem, Geneſ. 11. 4. *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum. Deſcendit autem Dominus vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam.* Et verſ. 8. *Et ceſſauerunt ædificare ciuitatem. Et idcirco vocatum eſt nomen eius Babel, quia ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ.*

Ioſephus lib. 1. Antiquit. cap. 5. *De turri autem hac, déque linguis hominum mutatis, meminit & Sibylla his verbis: Cùm vniuerſi homines vno eloquio vterentur, turrim ædificauerunt excelſiſſimam, quaſi ad cælum per eam aſcenſuri. Dij verò procellis immiſſis turrim ſubuerterunt, & ſuam cuique linguam dederunt: quæ cauſa fuit, vt vrbs ea Babylonis vocabulum acceperit.*

Euſebius lib. 9. Præpar. Euang. cap. 4. *Abydenus his verbis Moyſi atteſtatur: Primos homines ferunt*

runt è terra natos, robore atque magnitudine confisos, dijs spretis, turrim eo in loco vbi nunc Babylon est, ad solem vsque tollere contendisse; cúmque iam ferè ad cælum ædificando peruenissent, vim ventorum à dijs affuisse, qua super eos diruta turris cecidit. Cúmque ad ea vsque tempora vnius linguæ fuissent, multas in linguas diuisos fuisse: locúmque inde Babylonis nomen habuisse, propter confusionem linguarum, quam Hebræi Babel vocant. Et post alia addit idem Eusebius: *Alexander autem historicus, qui multarum rerum peritiam habuit, in volumine de Iudaïca Historia, Eupolemon, ait, hæc de Iudæis scripsisse: Ciuitas, inquit, Babylon ab his condita primùm fuerat qui à diluuio euaserunt: quos omnes gigantes fuisse constat, sparsos per vniuersam terram, postquam turris quam ædificabant, diuinitus concussa decidit.* Hæc Eusebius ex Alexandro & Eupolemo.

Porrò primis istis Babylonis constructoribus se ducem & auctorem præbuisse Nemrodum magnum illum gigantem, Iosephus scribit lib. 1. Antiquit. cap. 5. *Hanc superbiam, Deique contemptum excitauit in eis Nabrodes, nepos Chamæ, filij Noë, vir audax, & manu promptus, subinde iactans, non Deo, sed propriæ virtuti præsentem felicitatem eos debere. Atque ita paulatim rem ad tyrannidem trahebat: ratus fore, vt homines ad se deficerent à Deo, si se illis ducem præberet, opem suam offerens contra nouum aliud diluuium intentantem. Turrim enim se ædificaturum excelsiorem, quàm quò aqua ascendere posset: & insuper maiorum suorum interitum vlturum. Vulgus autem facilè Nabrodis placitis obtemperabat, ignauum ratus Deo cedere; atque ita structuram turris occœperunt, &c.*

Equidem Nemrodum, quem plerique Belum putant, primum extitisse Babylonis conditorem, satis significant verba illa Genes. 10.10. *Fuit autem principium regni eius*, nempe Nemrodi, *Babylon*, Eusebius, & S. Hieronymus in Loc. Hebraicis: *Babylon erat ciuitas regni Nemrod, in qua eorum qui ædificauerunt turrim diuisæ sunt linguæ: quorum principem Iosephus fuisse Nemrod affirmat.* S. Augustinus 16. de Ciuit. Dei, cap. 4. *Ista ciuitas quæ appellata est confusio, ipsa est Babylon, cuius mirabilem constructionem gentium etiam commendat historia. Babylon quippe interpretatur confusio. Vnde colligitur gigantem illum Nemrod fuisse illius conditorem, quod superiùs breuiter fuerat intimatum, vbi cùm de illo Scriptura loqueretur, ait: Initium regni eius fuit Babylon, id est, quæ ciuitatum cæterarum gereret principatum, vbi esset tanquam in metropoli habitaculum regni.* Satis constat Micheæ 5. 6. Babyloniam vocari *terram Nemrod*. Nimirum quòd eam & Nemrod condiderit, & primus in ea regnauerit.

Conciliant ista nonnulli, vt primus Babylonis conditor fuerit Nemrod, Semiramis verò instauraverit, auxerit, ornauerit. S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 2. *Semiramidem putant nonnulli condidisse Babylonem, quam quidem potuit instaurare.* Orosius lib. 2. cap. 6. *Námque Babyloniam à Nemrod Gigante fundatam, à Nino, vel Semiramide reparatam multi prodidere.* Iornandes de Regnorum successione: *Semiramidem dicunt, quasi Babyloniæ conditricem: quamuis non legatur quia condidit, sed quia reparauit.* Cassiodorus in Chronico: *Semiramis Babyloniæ muros instaurasse memoratur.* S. Isidorus lib. 15. Originum cap. 1. *Primus post diluuium Nemrod gigas Babylonem vrbem Mesopotamiæ fundauit. Hanc Semiramis regina Assyriorum ampliuit, murúmque vrbis bitumine & cocto latere fecit.* Eadem alij.

Ceterùm non dubitauerim quæ Scriptores Græci de Babylone à Semiramide vel condita, vel illustrata, magnísque operibus ab ea instaurata prodidêre, falsa, & commentitia esse, idque vnius Berosi Chaldæi testimonio, quod mirè approbat Iosephus. Eámque gloriam potiùs fuisse Magni Nabuchodonosori, qui post primum Babylonis fundatorem Nemrodum, eam vrbem splendidissimis operibus auxerit, & exornauerit: vt Berosus ipse & Iosephus affirmant, quorum verba ne hîc iterum intexamus, vide superiùs cap. 13. sub initium. Vt sanè ipse Nabuchodonosorus iure gloriatus fuerit, Danielis 4. 25. *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni?* Et vides de Nabuchodonosoro Babylonis magnificentissimo instauratore malignum silentium apud Græcos scriptores, cùm & Chaldæorum, & Phœnicum Annales præclara Nabuchodonosori opera in ornanda, & instaurãda Babylone non tacuerint.

Nec illud silentio præterimus, quod superiùs cap. 14. ex Strabone memorauimus, Xerxem Persarum regem euertisse Beli sepulchrum quod erat Babylone: extat enim ea de re mirabilis narratio apud Ælianum lib. 13. Variæ Historiæ cap. 3. *Xerxes Darij filius effosso vetusti Beli monumento, vitream vrnam reperit, vbi iacebat in oleo cadauer: non tamen plena fuit vrna, vacuúmque è summis labris ferè palmæ spatium habuit. Adiacebat vrnæ columna exigua, in qua scriptum continebatur, eum qui sepulchrum aperuisset, neque repleuisset vrnam, pessimè habiturum. Quo lecto Xerxes expauit, & oleum celerrimè iussit infundi. Non tamen impletum est. Qui iterum infundi iussit: sed neque sic implere potuit: donec frustratus omni labore infundendi, cessaret: clausóque monumento summa cum mœstitia discederet. Neque verò falsum eum habuerunt, quorum prænuntia, significatrixque extiterat columna. Nam quinquaginta myriadum exercitu aduersus Græcos conscripto, magnam cladem accepit: reuersúsque turpissima morte Vitam finiuit, noctu in stratis à proprio filio peremptus.* Accepta sunt ista ex Ctesia Cniclio, qui in Excerptis Photij hæc carptim: *Verum Xerxes anteà Babylonem proficiscì, & Belitanum sepulchrum inspicere voluit: & inspexit Mardonio adiuuante: sed vrnam olei non potuit, (quemadmodum scriptum fuerat) implere.*

Adiiciendum aliquid opportunè de fertilitate Babyloniæ. Herodotus lib. 1. *Hæc regio omnium quas nos vidimus, longè præstantissima est, ferendo quidem certè frumento. Nam alioqui arbores ne ab initio quidem ferre potest: veluti ficum, vitem, oleam. Cereris autem fructu procreando adeo ferax est, vt nusquam non ad ducena reddat: vbi autem bonitate se se ipsa vincit, etiam ad tricena. Quaternum autem digitorum maximorum latitudo est tritici, atque ordei foliis. Milij verò ac sesami proceritatem instar arborum, & si mihi compertum, tamen memorare supersedeo, probè sciens, iis qui nunquam Babylonicam regionem adierunt, quæ de frugiferis dicta sunt, perquam incredibilia visum iri. Sunt eis passim per omnem regionem palmæ sua sponte nascentes, pleræque fructiferæ: ex quibus & cibos, & vinum, & mel conficiunt, colentes ficuum more.*

Plinius lib. 18. cap. 17. *Babylone tamen bis secant, tertiò depascunt: alioquin folia tantum fierent. Sic quoque cum quinquagesimo fœnore messes reddit felicitas soli. Verùm diligentioribus cum centesimo quinquagesimo. Neque est cura difficilis quàm diutissimè*

mè aquæ rigandi, vt præpinguis & denſa vbertas diluatur. Limum autem non inuehunt Euphrates, Tigriſque, ſicut in Ægypto Niſus: nec terra ipſa herbas gignit: vbertatis tamen tantæ ſunt, vt ſequenti anno ſponte reſtibilis fiat ſeges, impreſſis veſtigio ſeminibus.

Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 1. *Conſiderantibus Ægyptum, & Africam, & Babyloniam, & ſi quæ aliæ regiones ob ſuæ fertilitatis felicitatem celebrantur.*

Nemo in hac de Babylone diatriba noſtram traducat diligentiam, quòd nihil niſi tranſcripſimus auctores: & cur gratiam nobis non debeat lector, cùm eum onere perquirendi leuauerimus, & omnia ingentia & præclara Babylonis in vnum veluti faſciculum colligata in promptu poſſit aſpicere? & ſimul hîc omnia habere, intereſt quoque lectioni prophetarum: & vt ſciret quiſque qualem quantamque patriam & regni ſedem habiturus ſit Antichriſtus.

Babylon Ægyptia.

CAP. XVI.

DIodorus Siculus lib. 1. numer. 36. *De mancipiis autem quidam in Babylonia capti, quòd laborum moleſtias tolerare nequirent, à rege defeciſſe memorantur. Hi occupato iuxta fluuium caſtello munito, bellum Ægyptiis faceſſentes, agrum vicinum populabantur. Sed impunitate tandem conceſſa, locum habitationi delectum patriæ nomine Babylonem vocarunt.*

Strabo lib. 17. *Præfectura hæc Lithopolitana nominatur. Vlteriùs ſurſum nauiganti eſt Babylon caſtellum natura munitum, à Babyloniis quibuſdam conditum qui huc ſecedentes, eo in loco habitationem à Regibus impetrarunt. Nunc in ea collocata eſt vna ex tribus legionibus, quæ Ægyptum cuſtodiunt. Ab hoc loco vſque ad Nilum iugum quoddam deſcendit, per quod ab iis qui cuſtodiunt, aqua rotis, & cochleis, à flumine trahitur, centum quinquaginta hominibus captiuis continuè opus facientibus. Hinc Pyramides quæ apud Memphim ſunt, in vlteriore regione manifeſtè apparent: quæ quidem, propinquæ ſunt. Propinqua eſt etiam Memphis Ægyptiorum regia.*

Huius autem Ægyptiæ Babylonis meminit Ioſephus 2. Antiquit. cap. 5. cùm ſcribit eam conditam poſtea fuiſſe eo loco, quo Iſraëlitæ egreſſi ſunt de Ægypto. Sic enim ait: *Iter autem faciebant* Iſraëlitæ *per Latopolim tunc deſertam: Babylon enim poſt eo loco eſt condita, Cambyſe Ægyptum vaſtante.* Græca Ioſephi habent *Litus-polim.* Fortaſſe ea eſt præfectura Letopolitana de qua paulò ante de Strabone diximus. Ptolemæus lib. 4. cap. 5. Babylonem Ægypti diuerſam facit à Latopoli, & non longè ab Heliopoli & Heroum vrbe ponit: & de Heroum vrbe ait: *Per hanc, & Babylonem ciuitatem amnis Traianus fluit.* Eandem in finibus Arabiæ eſſe dicit.

In Vitis Patrum, Parte 1. in Serapione hæc traduntur: *Vidimus autem in regionibus Mempheos & Babyloniæ immuneras multitudines Monachorum. Ibi autem tradunt eſſe loca illa, in quibus Ioſeph fertur recondidiſſe frumenta, quos & Theſauros Ioſeph vocant. Alij verò Pyramides quas dicunt ipſas eſſe in quibus putant frumenta tunc congregata.* Et in 2. parte, §. 153. de S. Arſenio dicitur: *Hic fuit in Patratio diuæ memoriæ Theodoſij Maioris, qui fuit pater Arcadij & Honorij, annos quadraginta: & decem annos in loco qui dicitur Troin, ſupra Babyloniam, contra ciuitatem quæ dicitur Memphis.* S. Beda in Chronico, S. Ado in Chronico, Hermanus Contractus in Chronico, Marianus Scotus in Chronico, omnes eadem verba iſta habent: *Cambyſes Cyri filius deuicta Ægypto, Babylonem in Ægypto ædificauit.* Deſumpſerunt proculdubio ex Ioſepho. At Otho Friſingenſis lib. 2. Chronici, cap. 15. inquit: *Cambyſes nouam Babyloniam in Ægypto dicitur inſtauraſſe, quæ olim ab Argiuorum rege Api condita Memphis dicebatur.* Eadem Godfridus in Chronico, parte 9.

Certè Memphis ab Api conditur Numero Euſebiano CCLXXIX. & DXXV. vide ibi Scaligerum: at quòd hæc fuerit poſtea Babylon, id Euſebius non ſcripſit. Idem Otto lib. 7. cap. 3. *Babylonia ſuper Nilum, circiter ſex dietas ab Alexandria poſita eſt: ipſáque eſt Memphis, à Cambyſe filio Cyri olim Babylonia vocata: & ibi Rex Ægyptiorum, quamuis caput regni ſui Alexandria ſit, propter hortum balſami morari dicitur.*

Exiſtimauêre pleríque Babylonem Ægyptiam ipſam eſſe Memphim, vt vidimus in Othone Friſingenſi; ſed Strabo, & Ptolemæus manifeſtiſſimè diſtinguunt, & Babylonem in Orientali ripa Nili in Arabiæ confinio, Memphim verò in Occidentali eiuſdem Nili ripa è Regione Babylonis collocant. Memphim Sabellicus, Iouius, & multi alij putant dici hodie *Cayrum*, ſeu *Alcayrum*: At Munſterus, & Gerardus Mercator, & alij, *Meſſer.*

Cæterùm vulgatior opinio eſt, Babylonem eſſe quæ hodie *Cayrum*, ſeu *Alcayrum* vocatur. Brocardus in deſcriptione Terræ Sanctæ, cap. vltimo: *Ab Alexandria verò vſque in Babyloniam, numerantur centum viginti milliaria, aſcendendo contra Nili curſum. Porrò à Pharma, eundo per Taphnim & Damiatam centum computantur milliaria vſque ad Babyloniam ſiue Cayrum, etiam aduerſus fluuium nauigando. A Babylonia verò vſque ad Sienem, quæ verſus Auſtrum, vltima eſt pars Ægypti, ſunt milliaria circiter ducenta quadraginta: & ibi incipit Æthiopia quæ hodie Nubia dicitur. Et eſt tota Chriſtiana, vbi beatus Matthæus prædicaſſe dicitur. Huius Æthiopiæ regem captiuum vidi in Babylonia.* Et inferiùs: *Heliopolis eſt villa opulenta, ſed non munita, ſicut nec alius quiſpiam locus per totam Ægyptum eſt munitus, præter Alexandriam & Babyloniam. Hinc ſeptem numerantur leucæ vſque ad Babyloniam. Hæc ciuitas ſupra modum magna, in littore Nili ſita, tranſitque per medium eius riuus aquarum à Nilo excurrens, & rurſus in eum ruens. A Babylonia duabus leucis diſtant Pyramides quædam triangulares & inſigniter magnæ. Et nota quòd à Babylonia vſque ad Sienem, per milliaria ducenta triginta, Nilus in nullos diuiditur riuos, vno contentus, in quo fluit alueo.* Et paucis interiectis: *Floruit ante tempora noſtra Ægyptus mirum in modum Chriſtiana religione, multa millia habens monachorum, multa cœnobia, & plures Eccleſias. Vndè dixerunt mihi Saraceni quòd in ſola Babylonia & Cayro (ſunt enim duæ vrbes, ſed in vnam coniunctæ) plures quàm quadraginta reperiantur Eccleſiæ. Inter Heliopolim & Babyloniam oſtenduntur locæ, in quibus beata Virgo manſit, cum puero Ieſu, & marito Ioſeph, cùm à facie Herodis fugiſſet à Iudæa. Eſt etiam ibi hortus balſami, qui irrigatur à fonte paruo, vberrimè tamen fluente: in quo aiunt Beatam Virginem puerum Ieſum lauiſſe: ob id*

habetur fons ille in veneratione, vt dum à Christianis, verum à Saracenis. Modum colligendi balsamum, hunc mihi Saraceni ostenderunt: Carpebant folium vnum à stipite, (adhærent enim folia stipiti) & contra radium solis illud discerpentes, guttam lucidissimam, & supra modum odoriferam elicuerunt. Et is est verus liquor balsami: qui in phialas vitreas colligitur, & ad diuersas mundi partes mittitur: tametsi rarò sine mixtura ad regiones nostras perueniat. Aiunt etiam, si folium contra radium solis non frangeretur, minimè succum illud stillaret. Foderunt proindè Saraceni, & alium fontem, cùm fons prior non sufficiat ad irrigationem totius horti: ex quo quatuor boues aquam trahunt, quæ sufficere possit ad illius humectationem. Hactenus Brocardus, in editionibus quidem Basileensibus apud Ioannem Heruagium, anno Domini 1537. & 1555. at in locupletiori alia editione, qua vsus est Baronius Annali 1. an. Christi 1. num. 46. hæc de horto balsami habentur: *Inter Heliopolim & Babyloniam, medio fermè loco est balsami hortus.* Et post multa: *Rigatur hortus ille ex paruulo fonte, sed vbere: in quo fama est, Beatam Virginem Iesum paruulum pluries lauisse, panniculósque eiusdem mundasse, cùm esset in Ægypto propter metum Herodis: est & ibidem lapis, super quem dicitur eosdem exsiccasse. Hæc omnia venerantur à Christianis & Saracenis. Verùm quia fons Iesu paruulus est, non sufficiens irrigationi totius horti, Saraceni alium profundum foderunt puteum iuxta illum, ex quo quatuor boues per rotam aquam extrahunt, sperantes ex vicinitate fontis Iesu aquam alterius fontis fore virtuosam. At se deceptos animaduertentes, construxerunt canalem, per quem transmittunt aquam illam in fontem Iesu; vt sic ex eis mixtis fœcundaretur hortus. Nec eos fefellit opinio: nunc enim sufficienter & virtuosè fœcundatur ex aquis sic mixtis.* Hæc ibi: verùm de loco illo Matarea dicto, vbi est hortus balsami, vbique Christus cum Virgine matre in Ægypto habitauit, pluribus agunt Paulus Iouius lib. 17. & 18. Hist. Munsterus lib. 6. Cosmographiæ, Iansenius in c. 11. Concord. Euang. Genebrardus lib. 2. Chronogr. Barradius tomo 1. Euang. Hist. lib. 10. cap. 9. Sed ad Babylonem reuertamur.

Guilielmus Baldenselius eques auratus qui loca illa inuisit anno 1336. in Hodœporico Terræ Sanctæ, edito ab Henrico Canisio tomo 5. Antiquæ Lectionis, hæc habet: *Perueni ad Cayrum & Babyloniam metropolim Ægypti, vbi est sedes Soldani, in vno castro pulcherrimo prope Cayrum. Sunt autem Cayrum & Babylonia duæ ciuitates multum magnæ, parum distantes, & quasi contiguæ, maior tamen est Cayrum, quæ est versus desertum Syriæ, parum distans à fluuio Paradisi Nilo. Babylonia verò sita est super ipsum fluuium, sine medio prædicto. Duæ villæ populosæ, pulcherrimis ædificiis constructæ.*

Rudolphus de Frameynsperg in itinerario Palæstinæ, quod edidit Henricus Canisius tom. 6. *Hæc ciuitas Babyloniæ ex parte nostri sita est in littore aquæ dulcis de Paradiso fluentis: & longitudo ciuitatis circa duo milliaria nostra ferè se extendit. Item in hac ciuitate est Capella in qua Beata Virgo Maria cum Iesu filio suo iram Herodis regis fugiebat: in qua Presbyteri Christiani diuina celebrare mittuntur: & in eadem capella vna est crypta subterranea: & in eadem crypta sunt duo altaria. Item in hac ciuitate cum Rege Soldano sunt octoginta millia militum.* Hæc ille, qui ea loca visit anno 1346.

Aloysius Cadamustus lib. 2. Nauigationis suæ, cap. 54. *Ex Babylonia Ægypti comportantur. Cayrum appellant.* Et cap. 55. *Babyloniæ, quæ est vrbs Nili, quam Cayrum appellant.* Et cap. 56. *Inde ad Babylonem, id est, Cayrum Nili contendunt.*

Ludouicus Vartomannus lib. 1. Nauigationum suarum, c. 1. & 2. *Alexandria veluti a compertiore orbis parte abscedentes, Nilo vecti, Babylonem, cui Cayro recentior ætas nomen indidit, deuenimus. Illò vt peruenimus, tanta sum affectus admiratione, vt vix id referre queam. Vbi tamen propiùs accessi, liculque vrbem introspicere, reperta est sanè fama longè inferior: quippe quæ tanta non est inuenta, quantus erat rumor: neque vrbe Roma maior est ambitu, licet sit multo frequentior, vt pote quæ longè plures habet indigenas. Verum fefellit complusculos suburbanus ager, qui vicis propè innumeris dispergitur: ob id rati sunt complures eam esse Babylonis partem.*

Sebastianus Munsterus lib. 6. Cosmographiæ: *E regione Mempheos vltra Nilum sita est magna illa & potentissima ciuitas Babylon, quæ nostro æuo Cayrum, & Alcair, & à Turcis Keyrum appellatur, & fuit hucúsque sedes Sultanorum Ægyptiorum. De huius ciuitatis exordio scribit Strabo in hunc modum: Babylon castellum natura munitum, à Babyloniis quibusdam conditum, qui huc secedentes, hoc in loco habitationem à regibus impetrarunt. Nunc in ea collocata est vna ex tribus legionibus, quæ Ægyptum custodiunt. Ab hoc loco vsque ad Nilum, iugum quoddam descendit, &c. Talis fuit tempore Strabonis facies Babylonis, castellum scilicet: at hodie est maxima ciuitas, habens arcem intra mœnia in edito loco sitam, haud minorem, vt quidam aiunt, ciuitate Vlmensi. Subdit autem Strabo: Hinc Pyramides quæ apud Memphim sunt, in vlteriore regione manifestè apparent. Ergo Babylon vltra Nilum, versus Arabiam est, & Memphis citra Nilum ad Occidentem: capiuntúrque pro vna ciuitate, licet nullo ponte coniungantur. Excellit tamen hodie Babylon longè Memphim, ferè in vicum redactam, vt quidam etiam scribant, circuitum eius complecti duodecim aut quatuordecim milliaria Germanica. Et quamuis innumeram habeat populi multitudinem, abundat tamen omnibus rebus præter ligna, quæ ibi in pondere venduntur. Anno Christi 1476. Grassante peste in Cayro ad tres menses, mortui fuerunt aliquoties vna die viginti millia hominum: vnde magnitudo vrbis, & multitudo populi æstimari possunt. Sunt circiter octo millia hominum in ea, qui solum in camelis aquam ex Nilo in vrbem deferunt, vt illam vendant in vsum hominum, & ad spargendum in plateis ad sopiendum puluerem pauimenti.*

Cælius Rhodiginus lib. 8. Lect. Antiq. cap. 11. *Ægyptiæ Babylonis Stephanus meminit, atque Strabo, & Ptolæmeus: sed Strabo eam magis Arabiæ contribuit. Vnde & Arabum lingua Cayrum illam vocant: quæ vox non aliud nobis indicat, quàm Babylonem. Eam verò condidere ex antiqua Babylone profugi quidam.*

Abraham Ortelius in Thesauro Geographico: *Babylon Ptolemæo etiam Ægypti vetustissima & maxima vrbs. Vocatur Arabicè* Mazar, *aut* Mizir, *Armenicè* Massar, *Chaldaicè*, Alchabyr, *Hebraicè*, Mesraim. *Sic in libello anonymo, sed Postelli, ni fallor. Idem in libello Historiæ suæ Orientalis*, Mitzir, Fostat, & Nitzynlatik *habet.* Misraim *eam quoque Tudelensis nominat. Ab omnibus Europæis hodie* Cairo, & Alcairo *appellatur. Babyloniam, & Cairum duo esse oppida, sed in vnum coniuncta, scribit Brocardus.* Hæc Ortelius. Eadem fermè Ioannes Fungerus in Etymologico.

De Misraim vrbe Ægypti Beniamin Tudelensis in Itinerario, pag. 100. *Inde*, nempe ab vrbe Pithon quam ædificauerunt filij Israël Exodi 1. 11. *in Misraim quatuor itinera conficiuntur, vrbem magnam*

gnam iuxta Nili ripas sitam, ex qua toti regioni nomen est factum: in qua Iudæi bis mille sunt, in duas diuisi synagogas: alteram Israëlitensium, quæ Saamiin *Synagoga dicitur: alteram verò Babylonienſium* Ghirhhakiim *Synagogam appellatam.* Et post alia: *Magni Regis in Palatio, atque solio Soan Regiæ videlicet in vrbe Misraim constitutæ: quæ vrbs filiis Ghereb, hoc est, Arabibus omnibus metropolis est: nomen verò Regis est Amir Almumanim Eli filius Abitaaleb: cuius terra incola omnes Moredim, hoc est, rebelles vocantur: quippe qui sese abalienauerunt ab Amir Almumanim Al Ghabazzi sedente in Bagdad.* Et posteà: *Misraim verò nullos muros habet, sed ex altero latere Nilo ambitur. Est verò hæc maxima vrbs, multis foris atque publicis domibus instructa.* Et post alia: *A Misraim noua, antiqua Misraim duabus leucis distat: verùm tota vastata, desertáque est: retinet tamen murorum atque domorum vestigia multa: visendáque præbet thesaurorum & horreorum Ioseph monumenta non pauca. In eodem etiam loco artificiosissima columna est, magica arte extructa, cui nulla similis in tota visitur terra. Horrea verò illa calce & lapidibus constant opere firmissimo.* Conueniunt ista Beniamin de horreis Ioseph, cum iis quæ ex Vitis Patrum initio huius capitis descripsimus. Et satis puto Beniamin Cayrum nomine *Misraim* intellexisse. Etverò Babylonem Ægypti esse Cayrum, Gerardus Mercator etiam opinatur in Notis ad Ptolemæum.

Cæterùm cùm Babylon non longè à Memphi abesset, scribátque Iouius lib. 18. Historiarum, Memphim hoc tempore vasto ambitu tres ingentes vrbes complecti: quæ raris inter se iunctæ ædificiis vnam efficiant, quarum frequentissimam hodie Nouum Cayrum appellent: facilè potuit Cayri nomen & Memphi, & Babyloniæ esse commune. Describit verò ibidem Iouius Cayrum elegantissimè.

Ex his quæ de Babylone annotauimus, satis constat, Babylonem Ægyptiam non fuisse locum planè obscurum, sed celebrem, & illustrem. Baronius qui id scripserat Annali 1. an. Christi 45. num. 17. atque addiderat, eam vrbem nunquam in Episcopatum fuisse erectam; à nobis coram admonitus, correxit errorem in Appendicibus ad Tomum 10. Annalium: (sed nulla monitori reddita gratia.) Siquidem in Prato Spiritali Ioannis Moschi, seu Euirati ad Sophronium, cap. 124. & 127. apertè traditùr, ab Apollinari Alexandrino Episcopo, temporibus Iustini Iunioris, Zosimum Cilicem Abbatem ordinatum Episcopum Babyloniæ Ægyptiæ. In hanc vrbem exilio eiectum à Constantio Imperatore Philonem Episcopum Ægypti Orthodoxum, S. Athanasius epist. ad Solitarios, & S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis testantur. Sed & de Babylone Ægypti, vide Adrichomium in Theatro, pag. 121.

Babylon Roma.

CAP. XVII.

ROmam gentium reginam, & humani generis domitricem, aliquando figuratè & metaphoricè Babylonem nuncupatam, indicant verba illa 1. Petri 5. 13. *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Græce abest, *Ecclesia.* Sed est in Syrico, & in cunctis Latinis, & omnes eam intelligunt. *Coëlecta.* Græcè συνεκλεκτὴ.

Marianus Victorius in Notis ad librum S. Hieronymi de Viris Illustribus, in Marco, de hoc Petri loco annotat: συνεκλεκτὴ *est in Græco apud Sophronium: verùm legendum est,* συλλεκτὴ. Id est, collecta, qua ratione disertè legit Baronius Annal. 1. an. Christi 45. num. 17. Sed fallitur vterque apertissimè, nam Græcè legendum συνεκλεκτὴ, & Latinè *coëlecta*, tam exploratum est, vt pudeat ambigere. Syrus habet, *Electa.* Erasmus in hunc locum: Ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ. *Id est, qua in Babylone est simul electa. Hoc est, consors electionis vestræ. Atque ita fermè adducit Hieronymus in Catalogo Virorum Illustrium in Marco. Beda hunc enarrans locum, legit, coëlecta.*

Idem Erasmus in Notis ad Catalog. Virorum Illustr. S. Hieronymi, in Marco: *Quæ est in Babylone collecta. Coëlecta legendum, non collecta, quemadmodum admonuimus in Annotationibus in Nouum editis Testamentum, nam Græcè est* συνεκλεκτὴ. Cajetanus: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone simul electa. Quòd autem dicit, simul electa, alias Ecclesias respicit: significatur enim quòd non sola, sed simul cum aliis Ecclesiis est electa; quòd est pars electorum.* Sanctes: *Salutat vos ea, quæ est in Babel, vestra consors electionis Ecclesia.* Vatablus: *Salutat vos, ea quæ est in Babylone consors electionis (Ecclesia:) id est, quæ vobiscum electionis est particeps.* Henricus Stephanus in Appendice Thesauri, parte 2. columna 83. A: Συνεκλεκτὴ ἐκκλησία, 1. *Petri, cap. vlt. in fine, Vnà electa Ecclesia, vel vobiscum electa. Redditur etiam, eiusdem electionis consors.* Gagnæius: *coëlecta, id est, quæ cum aliis Ecclesiis electa est ad fidem & vocata.* Montanus: *Salutat vos in Babylone coëlecta.* Lorinus: Συνεκλεκτὴ, *coëlecta, consors, particépsque electionis eiusdem.* Serarius: *coëlecta, seu eiusdem electionis consors.* Atque in Vulgata Editione non *collecta*, sed, *coëlecta*, legunt emendatissimi Plantini codices, & omnium præstantissimi, etiam iussu Xysti V. & Clementis VIII. recogniti. Vnde Franciscus Lucas annotauit: *Pro quadrisyllaba voce coëlecta, caue legas trissyllabam collecta, mutata vocali ë, in consonantem l.*

Iam nunc videndum, quid hîc S. Petrus nomine Babylonis intellexerit. Erasmus in Annotationibus editionis Basilienſis Frobenianæ, anni 1527. *Sunt qui Babylonem hîc interpretentur Romam: quòd mihi sanè non vsquequaque probatur. Magis arbitror Petrum id temporis verè Babylone vixisse.*

Scaliger lib. 3. Isagog. Canonum, pag. 278. *Notet etiam studiosus lector Babylonem fuisse matricem Iudæorum deportatorum, hoc est, eorum qui erant ex reliquiis deportationis Ieremiæ. Ij Babylonienses erant caput Dispersionis Asiaticæ, vt ex Talmud infinitis locis constat. Petrus Apostolus huic Dispersioni scribens ex metropoli Babylone, eos, vocat aduenas, seu peregrinantes Dispersionis Ponti, Galatiæ, &c. Iudæi ita distinguebantur: Hebræi Palæstini, Dispersio Babylonis, Dispersio* ἑλλήνων, *id est, Græcorum. Hebræorum mentio Actorum 6. 1. Dispersionis* ἑλλήνων, *seu Græcorum, Ioannis 7. 35. Ij propriè Helleniſtæ vocabantur, quia Græca Biblia in Synagogis legebant. Helleniſtes enim est qui græcisat, id est, qui Græcè loquitur: eorum mentio Actorum 6. 1. vbi Helleniſtæ vertendum, Græcienses. Ergo crediderim Scaligero potius quam vulgato? Quærat alium cui persuadeat. Mihi nunquam, non autem Græci. Helleniſtarum principes erant Alexandrini Iudæi. Alterius Dispersionis, vt iam diximus, Caput erat Babylon, & fuit quamdiu stetit illa, intra annum Christi DCC. Reliquiæ illius principatus Babylonici hodie in vrbem maximam Seleuciam, quam*

Bagded vocant, traducta sunt. S. Petrus si ex terra Israëlis ad illos Babylonienses scripsisset, primos Babylonios, tanquam metropolitas & principes nominasset, vt manifestò constat ex Epistola Ierosolymitana, cuius inscriptio est: Fratribus nostris filiis Deportationum Babyloniæ: & fratribus nostris qui sunt in Media, & reliquis omnibus Deportationibus Israëlis. Pax vestra augeatur in æternum. Ideo ita salutationem concepisset: Petrus Apostolus Iesu Christi, electis aduenis, seu peregrinantibus Dispersionis Babylonis, Ponti, &c. Sed quia Babylone scribebat, non opus fuit eos nominare, quibus intererat ipse. Iudæi, qui extra terram Israël degunt, etiamnum hodie vocantur, Dispersio Israël: item Dispersio filiorum Israël. Principes autem omnis Dispersionis, propter vetustatem erant Babylonienses, & qui illis accensebantur: eorúmque princeps magnificebat ab omnibus, vt vulgo de eo iactaretur illud: Æchmalotarcha Babylonis præstantior est Principe terræ Israëlis. Rursus in epistola Synedrij adiicitur, Filiis deportationis Mediæ, qui profectò sunt pars illa Iudæorum qui sub Ocho Artaxerxe in Hircaniam & Mediam transmigrati sunt. Vide quæ ad Numerum Eusebianum MDCLVIII. notauimus. Hæc Scaliger: in cuius sententiam pedibus it Drusius in Notis ad 1. Petri, 5. v. 1. & in priori Cómentario ad voces Hebraicas Noui Testaméti.

Hæc sunt magna Scaligeri arcana, quæ primus docuit, quæ nullus sciuit: sed sine dubio maiori ex parte vanissima. Nam cur Petrus si Babylone scribebat, salutationem non instruxit, *Petrus Apostolus Iesu Christi electis aduenis Dispersionis Mediæ, Ponti, Galatiæ, &c.* ad formulam nimirum Epistolæ Synedrij? Sed quæ sit Diaspora, seu Dispersio ad quam Petrus scribit, Interpretes abundè docent: ego non aliam puto, quàm illam, ad quam Iacobus: *Duodecim tribubus quæ sunt in Dispersione,* seu Diaspora. *Salutem.*

Ergo hîc Babylonem Assyriam non solùm Erasmus, & Scaliger, sed etiam Theodorus Beza hæresiarcha & Drusius intellexere. At Bullingerus, Aretius, Cornelius Bertramus, Nouâtes Ægyptiam, teste Serario, maluerunt: vt etiam Henricus Buntingus Nouator, in Itinerario de itineribus D. Petri.

Verùm Petrum tropicè & figuratè de Roma sub Babylonis nomine locutum, mirus est veterum & recentiorum consensus. Eusebius lib. 2. Hist. Eccles. cap. 14. *Constat porrò Petrum huius Marci Euangelistæ mentionem facere in priori Epistola, quam Romæ texuisse dicitur: quam quidem Epistolam ibi perscriptam ostendit, dum ciuitatem illam verbi translatione Babylonem appellat, hoc modo: Salutat vos Ecclesia nostræ electionis consors, quæ est in Babylone, & Marcus filius meus.*

S. Hieronymus de Script. Ecclesiast. in Marco: *Meminit huius Marci, & Petrus in epistola, 1. sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans: Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coëlecta, & Marcus filius meus.* Eadem habet Sophronius.

Victor Antiochenus præfat. Commentariorum in Marcum: *Verùm Marcus vbi Romam venisset, secutus est Petrum. Quare is in priori sua Canonica ad hunc modum de illo scribit: Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coëlecta, & Marcus filius meus.*

Andræas Cæsarienſis cap. 53. in Apocal. *Vetus Roma in Canonica beati Petri Babylonis vocabulo designatur.*

S. Beda præfat. in Euang. Marci: *Cui simile dat testimonium etiam Hierapolites Episcopus nomine Papias, qui & hoc dicit, quòd Petrus in prima epistola sua, quam de vrbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropicè Romam Babyloniam nominarit, cùm dicit: Salutat vos ea Ecclesia, quæ in Babylone electa est, & Marcus filius meus.* At id non Papias dixit, sed Eusebius. Idem S. Beda in 1. Petri. 5. 13. *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coëlecta. Babylonem typicè Romam dicit, videlicet propter confusionem multiplicis idololatriæ: in cuius medio sancta Ecclesia iam rudis & perparua fulgebat.*

Oecumenius: *Salutat vos quæ in Babylone est simul electa Ecclesia. Babylonem autem hîc Romam vocat, ob excellentiam Imperij & claritatem, id quod olim multo tempore Babylon obtinuit.*

S. Ado Viennensis Episcopus in Martyrologio, 25. Aprilis: *Meminit huius Marci & Petrus in prima epistola, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans: Salutat, inquit, vos quæ est in Babylone coëlecta Ecclesia, & Marcus filius meus.*

Notkerus Monachus S. Galli peruetustus scriptor, in Martyrologio edito ab Henrico Canisio tomo 6. Antiquæ Lectionis, hæc habet 25. Aprilis: *Meminit & huius Marci Petrus in 2. epistola, sub nomine Babylonis figuratè Romam significans: Salutat vos quæ est in Babylone Ecclesia, & Marcus filius meus.*

Petrus Damianus serm. 2. de S. Marco: *Beatus Petrus eum quasi specialem & vnanimem præ cæteris filium vocat, cum figuratè Romam nomine Babylonis appellans: Salutat vos, inquit, Ecclesia quæ est in Babylone coëlecta, & Marcus filius meus.*

Marianus Scotus in Chronico ad an. Christi 67. *Cuius,* Marci *Petrus 1. epistola meminit, Romam nomine Babylonis nominans: Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coëlecta, & Marcus filius meus.*

Rupertus Abbas lib. 5. De Diu. Officiis, cap. 5. *Magnus quippe sonus exiit, ùm primùm Imperator Romanæ vrbis, magnæ vtique Babylonis fidem Christi suscepit. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coëlecta, inquit Apostolus Petrus, Romam tropicè percutiens.*

Nicephorus Callistus lib. 2. Hist. Eccles. cap. 15. *Meminit porrò Marci in priore epistola sua Petrus, quam Romæ agens composuisse fertur: in qua etiam figuratè Romam Babylonem nominat, ita inquiens: Salutat vos ea quæ est in Babylone coëlecta, & Marcus filius meus.*

Hoc idem affirmant, Strabus, S. Thomas, Lyranus, Caietanus, Gagnæius, Guillaudus, Titelmanus, Salmeron, Estius, Sà, Lorinus, Serarius, omnes in 1. Petri. 5. 13. Item Antonius Puccius in orat. habita in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. Cælius Rhodiginus lib. 4. Antiq. Lectionum, cap. 10. Ludouicus Viues & Leonardus Coquæus in 18. de Ciuitate Dei, cap. 22. Vvilhelmus Lindanus lib. 4 Panopliæ, cap. 82. Franciscus Sonnius lib. 1. Demonstrat. Christianæ Religionis, tract. 1. cap. 45. Martinus Cantapetrensis lib. 3. Hypotypos. cap. 2. Abrahamus Ortelius in Thesauro Geographico, in Roma, Alfonsus Mendoza quæst. 4. quodlibetica scholastica, §. 6. Henricus Enriquez de Fine Hominis, cap. 13. §. 3 litt. L. in textu, & in Comment: Franciscus Vatablus in 4. Micheæ, num. 38. Hector Pintus in 16. Ezechielis, Franciscus Ribera in 14. Apocal. num. 28. Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontifi. cap. 2. Thomas Bozius lib. 17. de Signis Ecclesiæ, cap. 6. Baronius Annali 1. an. Christi 45. num. 16. Ludouicus Alcasar in 16. Apocal. notatione 5. & in 17. cap. disp. 1. & 3. Iacobus Gordonus in Chronologia. anno Christi 45. Florimundus de Antichristo, cap. 26. Lessius de Antichristo, demonstrat. 12.

Et sanè magnum est Baronij argumentum, Petrum

trum Epiſtolam primam in Aſſyria Babylone non ſcripſiſſe: ſiquidem illis temporibus Caligulæ poſtremis,& Claudij primis quibus ea epiſtola compoſita eſt, Babylone, & vicina Seleucia res Iudæorum erant perturbatiſſimæ, bellis, cædibus, peſte, exiliis,vti latè deſcribit Ioſephus 18.Antiq.cap.12. & tunc Iudæi Babylone in Seleuciam commigrauerant: vt non ſit veriſimile Petrum tunc Babylone fuiſſe, aut ibi ſcripſiſſe.

Porrò Romam in aliquot vaticiniis Prophetarum ſub Babylonis nomine adumbratam, nonnulli credidere: in Apocalypſi verò Babylonem eſſe Romam ſuo loco fuſiſſimè demonſtrabimus.

Ergo cùm tres diſtinxerimus Babylones, Chaldaïcam, Ægyptiam, & Romam; quidam vel odio, ſeu quia ita rati, ſuſpicati ſunt Antichriſtum non Babylone Chaldaïca, non Ægyptia, ſed Romæ naſciturum: quod non ſit naſciturus iu Ægyptia, nimis eſt exploratum, quòd id nullus auctor,nulla ratio doceat. In Babylone Aſſyriaca non eſſe generandum, ea ſibi ratione perſuadent: quod Chaldaïca Babylon iam ſit radicitus euerſa & penitus deleta, nec vnquam in perpetuum inſtauranda, aut reædificanda, vt vaticinia Iſaiæ, & Ieremiæ apertiſſimè clamant, quæ poſteà proferemus: non igitur in ea Babylone quæ nuſquam eſt, nec vnquam erit, oriri poterit Antichriſtus. Reliquum igitur, vt ſi Babylone naſciturus eſt Antichriſtus, quemadmodum ex communi ſenſu Scriptorum Eccleſiaſticorum cap. 12. docuimus, hanc Babylonem intelligamus Romam. Martinus Cantapetrenſis lib.3. Hypotypoſ. cap. 2. hæc habet: *Nonnulli affirmant Antichriſtum Babylone naſciturum,vt in vrbe quæ omnium malorum extitit officina, ſummus malorum artifex, ſcelerúmque inuentor Antichriſtus naſcatur. Alij cùm videant Babylonem iuxta Iſaiæ vaticinium, funditus fuiſſe euerſam, nec poſtea condendam fuiſſe, per Babylonem Romam intelligunt, non ineptè quidem:nam hoc nomen illi Petrus in 1.Catholica epiſtola tribuit, iuxta Hieronymum & Euſebium.* Vide Henricum Henriquez de fine Hominis, cap. 23. §. 3. lit. M, in comment. Conſule etiam quæ ſcribimus lib.8. cap.16.

Sed vaniſſimum hoc, & paradoxum penitus commentum, cuncta refellunt:imò vt refutatione indignum,contemnendum erat,Patres enim & auctores qui Babylone produnt naſciturum Antichriſtum, tam perſpicuè ſuis verbis Chaldaïcam intelligunt, vt furor ſit aliter exiſtimare, Chaldaïcam, ſiquidem illam, ad Euphratem, caput olim regni Perſarum diſertè ſignificant. Vide eorum ſententias cap.12. Deinde nullus vnquam Orthodoxus apertè auſus eſt dicere Antichriſtum Romæ naſciturum. Denique Antichriſtum in Babylone Chaldaïca naſciturum, examuſſim conuenit cum his quæ poſtmodum de Antichriſti regno ſumus tradituri: nam huius initia etunt in Babylone.

Chaldaïcæ Babylonis varij caſus ac ſtatus per multa ſæcula ad hanc vſque noſtram ætatem.

CAP. XVIII.

QVia ex vaticiniis Iſaiæ,& Ieremiæ multi credidêre Babylonem ſemel euerſam,nunquam deinceps reædificatam, aut reædificandam, ſed deſertam exciſam in ſempiternum manſuram; age iam clariſſimæ vrbis varios caſus, clades, ſtatus, à tempore quo à Cyro Rege Perſarum capta eſt, ad hæc vſque noſtra tempora cum cura percurramus.

Primùm igitur à Cyro deuictam,& ingenti clade vaſtatam, ſacræ litteræ pluribus locis narrant: eóque non pauci referunt oraculum Pſalm. 136. 8.& 9. *Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Præſertim S. Cyrillus, & Procopius in 13. Iſaiæ, & Theodoretus in Ierem. 50. De ea clade plura Herodotus lib. 1. Xenophon lib.7. Cyropædiæ, Iuſtinus lib.1. Ioſephus lib. 10. Antiquit. cap.12.

Deinde verò Darius Hyſtaſpis filius rebellantes Babylonios perdomuit, vrbémque cepit, arte præclara Zopyri Megabyzi filij, ſtrenui ducis. Hanc Babylonis cladem pluribus narrant Herodotus lib.3. extremo, Iuſtinus lib.2. extremo, Polyenus, lib.7. Hanc Babylonis expugnationem Xerxi potiùs quàm Dario tribuit Cteſias in Fragmentis Perſicis apud Photium.

Temporibus poſteà Magni Alexandri Babylonem magnificentiſſimam & opulentiſſimam fuiſſe vrbem, Diod. Siculus lib.17.Curtius, Plutarchus, Arrianus in rebus Alexandri, Iuſtinus lib.15.& alij prodidere. Curtius ſplendidiſſimum ac triumphalem Alexandri in Babylonem ingreſſum pluribus deſcribit lib. 5. Ac inter alia ait: *Cæterum ipſius vrbis pulchritudo ac venuſtas, non Regis modò, ſed etiam omnium oculos in ſemet haud immeritò conuertit.* Et poſt alia: *Nihil vrbis eius corruptius moribus, nec ad irritandas, illiciendáſque immodicas voluptates inſtructius.* Et enarratis Babylonis vitiis & illecebris, ſubdit: *Inter hæc flagitia exercitus ille domitor Aſiæ per triginta quatuor dies ſaginatus, ad ea quæ ſequebantur diſcrimina haud dubiè debilior futurus fuit, ſi hoſtem habuiſſet.*

At magna opera quæ Alexander Babylone deſtinauerat, perfecturus, ni mors eum intercepiſſet, idem auctores produnt. Sed quomodo in eadem vrbe quaſi conuentum orbis terrarum, omnium gentium legationibus auditis, egerit, Diodorus ita deſcribit: *Olympias decima quarta* (nimirum ſupra centeſimam) *agebatur, quo tempore è cunctis fere orbis terrarum partibus legati ad Alexandrum venerunt: pars vt de rebus feliciſſimè geſtis gratularentur: pars vt coronas offerrent: alij vt amicitiam & fœdus ſancirent: complures vt magnificis Regem muneribus afficerent: quidam vt de criminibus obiectis ſe purgarent. Nam præter eos quos Aſiæ nationes, ciuitates,& Principes miſerant, etiam multi ex Europa,& Africa legati Regem accedebant. Ex Africa Carthaginienſes, & Afro-Phœnices, & cuncti qui mare vſque ad columnas Herculis accolebant. Ex Europa Græcorum ciuitates, & Macedones, tum Illyrij, & plerique Adriæ accolæ, Thracúmque gentes, & iis finitimi Galatæ: quorum gens tum primum innoteſcere Græcis cœpit. Hi omnes legatos miſerunt. Quorum catalogo Rex accepto, quibus primùm, & quibus deinceps,dum ad omnes perueniretur,ordine reſpondendum eſſet,conſtituit. Ac primùm eos qui ſacrorum cauſa venerant, audiuit: ſecundum locum iis dedit, qui dona attulerant: indè qui cum finitimis controuerſias habebant: quarti erant,qui de priuatis tracturi venerant: vltimæ partes illorum erant, qui reſtitutioni exulum refragabantur.*

Iuſtinus lib.12. *Ab vltimis littoribus Oceani Babyloniam reuertenti Alexandro,nuntiantur legationes Cartaginienſium, cæterarúmque Africæ ciuitatum, ſed & Hiſpaniarum, Siciliæ, Galliæ, Sardiniæ, nonnullas quoque ex Italia eius aduentum Babyloniæ operiri.*

Adeò vniuersum terrarum orbem, nominis eius terror inuaserat, vt cuncta gentes veluti destinato sibi regi adularentur. Hac igitur ex causa Babyloniam festinanti, velut conuentum terrarum orbis acturo, quidam ex magis prædixit, ne vrbem introiret, testatus hunc locum ei fatalem fore.

Arrianus lib. 7. *Dehinc Babyloniam petenti Alexandro Afrorum legati occurrerunt gratulantes, Asiæ coronam ei deferentes. Ex Italia quoque Brutij, Lucani, ac Turcij eadem de causa legatos miserunt. Idem & Carthaginienses fecisse dicuntur. Ab Æthiopibus quoque venerunt: & a Scythis Europam incolentibus. A Celtis etiam & Iberis, omnes amicitiam petentes: quorum nomina ac cultum tum primum Macedones cognouerunt. Nonnullos etiam vt controuersias quæ inter eos incidissent, dirimeret, venisse ferunt. Ac tum primùm Alexandrum sibi ipsi, & qui cum eo erant, vniuersæ terræ ac maris dominum visum esse. Aristus autem & Asclepiades, ex his qui de Alexandri rebus gestis scripserunt, dicunt Romanos etiam legatos misisse: & Alexandrum audita eorum legatione, iam tum de futura Romanorum potentia aliquid auguratum esse, cùm & illorum modestiam, & diligentiam, ac generositatem animaduertisset, eorúmque mores, atque instituta cognouisset. Cæterùm hoc vt neque omninò certum, neque prorsus incredibile commemorauì: tametsi nullus rerum Romanarum scriptor huius legationis ad Alexandrum missæ mentionem fecit: neque ex his qui Alexandri res gestas conscripserunt, (quos quidem ego præcipuè sequor) Ptolemæus Lagi, & Aristobulus. Neque verò Rom. Reipublicæ conueniens videtur, quæ tibertima tunc temporis erat, ad regem exterum, quique alioqui tam procul domo aberat, legatos misisse, præsertim cùm neque metus vgeret, neque vlla vtilitatis spes eos moueret: cúmque si qui alij, odio tyrannicum & genus & nomen prosequerentur.*

Orosius lib. 3. cap. 20. qui eadem de Legatis variarum gentium Babyloniam ad Alexandrum venientium, quæ Diodorus, Iustinus, & Arrianus, perscribit, hæc addit: *Hispanus Maurinus ad supplicandum Alexandro Babyloniam adiit, cruentúmque vltrò dominum, ne hostem acciperet, per Assyriam, Indiámque quæsiuit: terrarum metas lustrans, & vtrique infeliciter notus Oceano: & tamen tam violentæ necessitatis memoria, vel obliuione defecit, vel viluit vetustate. Et nos perpetuæ recordationi hæsurum putamus, quòd plurima orbis parte secura, vnum angulum fugax latro violauit: quasi verò Gothorum & Sueuorum pacem, vt non dicam versa vice Indus vel Assyrius, sed etiam vel ipse, qui hostem patitur, Hispanus orauerit.* Queritur Hispanias à Gothis & Sueuis occupatas.

Alexandrum Babylone obiisse omnes affirmant. Veneno periisse plerique tradunt. Val. Maximus lib. 1. cap. 7. *Quàm benè Macedoniæ Rex Alexander per quietem visa imagine prænonitus erat, vt vitæ suæ custos esset diligentior, si eum cauendi etiam periculi consilio fortuna instruere voluisset. Namque Cassandri pestiferam sibi dexteram somnio prius cognouit, quam exitu sensit: existimauit enim ab illo se interfici, cùm eum nunquam vidisset. Interposito deinde tempore, postquam in conspectum venisset, nocturni metus patefacta imagine, vt Antipatri filium esse cognouit, adiecto versu Græco, qui fidem somniorum eleuat, præparati iam aduersus caput suum veneficij, quo occidisse Cassandri manu creditur, suspicionem animo repulit.*

Curtius lib. 10. *Veneno necatum esse credidere plerique: filium Antipatri inter ministros Iollam nomine, patris iussu dedisse. Vim autem veneni, quod in Macedonia gignitur, talem esse constat, vt ferrum quoque exurat. Vngulæ iumenti dumtaxat patiens esse constat. Succistygem appellant fontem, ex quo pestiferum virus emanat. Hoc per Cassandrum allatum, traditumque fratri Iollæ, & ab eo supremæ Regis potioni inditum. Hæc vtcumque sunt tradita, eorum quos rumor asperserat, mox potentia extinxit.*

Iustinus lib. 12. *Accepto poculo, media potione repentè veluti telo confixus Alexander ingemuit: elatúsque è conuiuio semianimis, tanto dolore cruciatus est, vt ferrum in remedia poscceret. Amici causam morbi, intemperiem ebrietatis disseminauerunt: re autem vera insidiæ fuerunt, quarum infamiam successorum potentia oppressit. Auctor insidiarum Antipater fuit: qui ad occupandum regem, Cassandrum filium dato veneno subornat, qui cum fratribus Philippo & Iolla ministrare regi solebat: cuius veneni tanta vis fuit, vt non ferro, non testa contineretur: nec aliter ferri, nisi in vngula equi potuerit: præmonito filio, ne aliis quam Thessalo, & fratribus crederet. Hac igitur ex causa, apud Thessalum paratum, repetitúmque conuiuium est. Philippus & Iollas prægustare potum Regis soliti, in aqua frigida venenum habuerunt, quam prægustatæ iam potioni supermiserunt.*

Plinius lib. 31. cap. 16. *Vngulas tantùm mularum repertas, neque aliam vllam materiam, quæ non perroderetur à veneno Stygis aquæ, cùm id dandum Alexandro Magno Antipater mitteret, memoria dignum est, magna Aristotelis infamia excogitatum.* Idem lib. 2. cap. 103. *Iuxta Nonacrim Arcadiæ, Styx, nec odore differens, nec colore, epota, illicò necat.*

Orosius lib. 3. cap. 20. *Alexander verò apud Babyloniam, cùm ministri insidiis, venenum potasset, interiit.*

Cæterùm morbo abiisse tradiderunt Diodorus lib. 17. Plutarchus in Alexandro, Arrianus lib. 7. Rerum Alexandri, Æmilius Probus in Timoleonte. Plutarchus & Arrianus veneni suspicionem acriter eleuant. Et ille quidem hæc scribit: *Veneni exemplò suspicionem nemo habuit. Sextò demum anno autumant indicio delato, Olympiada multos necasse, ossa etiam proiecisse mortui Iollæ quasi venenum hic miscuisset. Qui verò auctorem Aristotelem huius facinoris perhibent. Antipatro fuisse, atque omninò per illum allatum virus, ij Agnothemim quendam, qui id è Antigono rege audisset, narrasse referunt. Venenum aquam frigidam fuisse, & instar glaciei gelidam, quæ Nonacride ex petra quadam resudet. Eam sicut tenuem rorem excipientes asini vngula reponere: nullo enim vase ferri alio passe, verùm erodere rigore suo, & acrimonia omnia. Maximæ pars tamen eam veneni fabulam prorsus existimant commentitiam, habentque argumentum non leue, quod dissentientibus per multos dies ducibus, corpus quum locis feruidis, & & æstuosis iacuisset non curatum, eiusmodi veneni nullum vestigium præ se tulerit, verum sine liuore & tabe permanserit recens.*

Arrianus autem: *Neque verò me præterit, multa alia præter hæc, de Alexandri obitu scripta esse: quodque venenum ei ab Antipatro missum fuerit, quo interiit: Aristotelémque id Antipatro confeciisse, Alexandrum ob Callisthenis necem metuentem: idque à Cassandro Antipatri filio allatum. Alij in iumenti vngula allatum scribunt: & per Iollam minorem Cassandri fratrem Regi traditum. Fuisse enim Iollam Regi à poculis, eique ab Alexandro paulo ante eius mortem, acerbi aliquid accidisse. Alij Medium, quod Iollæ amator esset, sceleris conscium fuisse scribunt. Nam & hunc*

hunc Alexandro auctorem comeſſationis fuiſſe: ſtatimque poſt hauſtum poculum, vehementem dolorem ſenſiſſe, ita vt conuiuio excedere ſit coactus. Quidam etiam ſcribere non erubuit, Alexandrum quum iam de ſalute deſperaret, ad Euphratem ſe contuliſſe, coniiciendi ſe in flumen animo, vti ſublatus ex hominum oculis, certiorem apud poſteros fidem faceret, ſe ex deorum genere ortum, ad deos rediiſſe: Roxanem verò, conſilio eius intellecto, inhibuiſſe, plorantémque ipſum dixiſſe. Inuidere illam ſibi diuinitatis partæ gloriam. Quæquidem ideò potiùs à me commemorantur, ne ignoraſſe videar, ea tum ſparſa fuiſſe, quàm quòd fide digna exiſtimem. Eadem fermè ex Plutarcho & Arriano deſcripſit Ioannes Monachus in Vita Alexandri.

Ceterùm his omnibus antiquior Diodorus, tametſi tradit morbo extinctum Alexandrum, at veneni opinionem non prorſus abiicit, ait enim: *Quoniam verò ſcriptores nonnulli de morte huius Regis diſcrepant, letali extinctum pharmaco memorantes: non præterire quæ tradiderunt, neceſſarium videtur. Antipatrum per filium ſuum, qui Regi à cyathis erat, mortifero Regem pharmaco potionaſſe. Sed quia ſumma eius in Europa poſt Alexandri obitum, fuit potentia, & Caſſander in Regno ſucceſſit, pleroſque ſcriptores veneni mentionem in monumentis ſuis facere non fuiſſe auſos.*

Proximè poſt Alexandrum regnauit in Syria & Babylone Seleucus Nicator ſeu Nicanor, quo tempore Babylon clara & inſignis fuit, quam ipſe Seleucus ope Ptolemæi in poteſtatem redegerit. Hæc omnia fusè narrant, qui res Seleuci ſtylo ſunt proſecuti Diod. Siculus lib. 19. Ioſephus lib. 12. Antiquit. cap. 1. Iuſtinus lib. 15. Appianus in Syriacis. Hic Seleucus prope Babylonem de ſuo nomine Seleuciam vrbem condidit quæ paulatim Babylonem exhauſit. Appianus in Syriacis: *Quum verò* Seleucus *eam* Seleuciam *quæ ad Tigrim eſt, conderet, Magos iuſſos diem, horámque fundamentorum fodiendorum eligere, mentitos eſſe horam, quòd nollent tantam vrbem* (id eſt Babylonem) *contra ſe muniri. Quúmque Rex præſcriptam horam expectaret in tentorio, & exercitus ad opus paratus, ſilentio ſignum operiretur, repente felici hora viſi ſunt ſibi audiſſe vocem iubentis: móxque ad opus proſiluerunt, tanta alacritate, vt ne à præconibus quidem prohiberi potuerint. Quo perfecto, Seleucum triſtem, & de fato vrbis ſollicitum, Magi ſecuritate impetrata, ſic affati ſunt: Fatalem neceſſitatem, ô Rex, ſiue malam, ſiue bonam, nec homo poteſt mutare, nec ciuitas: ſunt enim & ciuitatibus ſua fata, ſicut hominibus ſingulis. Hanc verò pluribus ſæculis manere, diis placuit, quando initium eius ad eam horam incidit. Nos verò timentes talem munitionem contra nos erigi, declinare fata conabamur: at illa plus valuerunt, quàm vel Magorum verſutia, vel Regis ignorantia. Itaque fortuna ipſa quod felicius erat, imperauit exercitui: id quod tibi declarabimus, ne putes nos adhuc vti commentitiis artibus. Nam & præſidebas ipſe, & ſignum expectari iuſſeras: exercitus verò alias ſemper vel in ſubeundis periculis ac laboribus obſequentiſſimus, nunc ne quieſcere quidem te iubente ſuſtinuit, ſed eodem momento vniuerſus proſiliuit vna cum Præfectis, quaſi iuſſus, ſicut reuera iuſſus eſt: quamobrem ne tuo quidem Imperio cohiberi potuit. Quid igitur in rebus humanis Rege potentius fuerit niſi Deus, qui te voti fecit compotem, & melior vobis auctor condendæ vrbis fuit, infenſus noſtro ac finitimorum generi? Quid enim poſthac res noſtræ valebunt, admotis ad nos potentioribus accolis Hæc certè ciuitas bona fortuna conditur, florebitque diuiſſimè. Tu verò peccato noſtro, profecto à metu amittendi felicitatem propriam, veniam confirmare dignaberis. Hac Magorum oratione Rex delectatus, ignouit. Et hæc ſunt quæ de Seleucia comperi.*

Ergo recens Seleucia condita paulatim multum de celebritate vicinæ Babyloniæ detraxit. Cæterum tempore Antiochi Magni Syriæ Regis, qui bellum cum Romanis Annibale ſuaſore geſſit, Babylonem claram adhuc fuiſſe, auctor eſt Polybius lib. 5. cùm refert Molonem Mediæ Satrapam, Seleuciam & Babyloniam Antiocho abſtuliſſe. Et Cn. Manlius Conſul in orat. ad milites, apud Titum Liuium lib. 38. capite 17. agens de eiſdem Antiochi temporibus, ait: *Macedones, qui Alexandriam in Ægypto, qui Seleuciam ac Babyloniam, quique alias ſparſas per orbem terrarum colonias habent, in Syros, Parthos, Ægyptios degenerarunt.*

Appianus in Syriacis de Antiocho Epiphane filio Antiochi Magni, ait: *Is poſſidebat Syriam, gentéſque finitimas, cùm Satrapam Babyloni præfeciſſet Timarchum.* Et mox de Demetrio Antiochi fratre addit: *Timarcho vt rebelle occiſo, qui alioquin etiam Babylonis præfecturam malè adminiſtrauerat, quam ob rem Soter appellatus eſt, orto à Babyloniis initio.*

Temporibus Marci Craſſi extabat Babylon: Plutarchus in Craſſo: *Quod cùm progrediendum vltra, & Babylon eſſet tentanda, Seleuciáque, Parthis ſemper infeſtæ vrbes.*

Iuſtinus lib. 42. agens de Herode Parthorum Rege, qui Craſſum cum exercitu delenit, ait: *Frater eius Herodes, cùm regnum vacans occupaſſet, Babyloniam quò Mithridates confugerat, diu obſidet. & fame coactos, in deditionem oppidanos compellit,* Et de Clade Craſſi Lucanus lib. 1.

Cúmque ſuperba foret Babylon ſpolianda trophæis.

Qualis verò Babylonis facies fuerit ætate Auguſti Cæſaris, Diodorus Siculus, qui eo ſcribebat tempore, lib. 2. ita exponit: *Verùm iſta Perſarum Reges poſtea ſacrilegio abſtulerunt: regiáſque alias ſtructuras partim tempus omninò aboleuit, partim corrupit. Nam & ipſius Babylonis exigua quædam portio nunc habitatur, maximáque intra muros pars agrorum cultui eſt expoſita.*

Sub Tiberio ſcripſit Strabo, qui hæc de Babylone lib. 16. tradit: *Quin etiam reliqua* (vrbis Babylonis poſt Alexandrum Magnum) *neglecta ſunt, & vrbis partem Perſæ diruerunt, partem tempus conſumpſit, & Macedonum negligentia: præſertim poſtquam Seleucus Nicator Seleuciam ad Tigrim condidit, ſtadiis tantum trecentis à Babylone diſſitam. Nam & ille & poſteri omnes huic vrbi maximopere ſtuduerunt, & Regiam eò tranſtulerunt: & nunc Babylone hæc maior eſt: illa magna ex parte deſerta, vt intrepidè de ea vſurpari poſſit, quod de Megalopoli Arcadiæ magna vrbe quidam dixit Comicus: Eſt magna ſolitudo nunc Megalopolis.* Et poſt alia: *Babylon olim Aſſyriæ fuit metropolis: nunc Seleucia eſt, quæ ad Tigrim dicitur: Prope eam pagus maximus eſt nomine Cteſiphon, in quo Parthorum reges hiemabant, Seleuciæ parcentes, ne Scythicæ & militaris nationis hoſpitio aſſiduo opprimeretur. Hic pagus vrbis potentia ac magnitudine eſt, cùm Parthorum multitudinem & apparatum omnem recipiat, ac venalia & neceſſaria artificia illis ſuppeditet. Ibi Parthorum reges propter æris temperiem degere ſolebant.*

Principatu Caij Caligulæ Babylon etiam vigebat, vt etiam Seleucia & Cteſiphon, de quibus multa Ioſephus lib. 18. Antiq. cap. 12. cùm bella

& res gestas Asinæi & Anilei insignium Iudæorum in Babylonia describit. *Parthorum*, inquit, *Ditioni tunc subierat Babylonia.* Satrapam quoque habuisse memorat: ac tũ Parthis imperasse Artabanũ. Deinde narrat quemadmodum Iudæi motu Babyloniorũ è Babylone in Seleuciam se transtulerint. *Babylonis*, inquit *populus, sublato Anilæi sodalitio, in Iudæos vndique coortus est. Itaque non ferentes eorum violentiam, & sentientes se ad confligendum impares, nolentes cum eis habitare amplius, migrarunt Seleuciam vrbem eius regionis præcipuam, à Seleuco Nicanore olim conditam. Hæc commune est Macedonum, Græcorum, & Syrorum domicilium. Eò postquam confugerunt Iudæi per quinquennium nulla affecti sunt iniuria: sexto autem anno peste Apud Babylonem grassante, denuo inde migratum est: quam multitudinem excipiente Seleucia, secuta est Iudæos maior calamitas.*

Eam describit, qua ait periisse supra quinquaginta Iudæorum millia: postea subdit: *Hi deinde secesserunt Ctesiphontem vrbem Græcanicam, vicinam Seleuciæ, vbi quotannis Rex hibernare est solitus, habens ibi maiorem supellectilis partem repositam: ibique sedes fixerunt, tutos se rati regiæ maiestatis reuerentia. Cæterùm Babyloniorum & Seleucensium terror omnes eius tractus Iudæos peruagatus est.*

Sub Claudio opulentam & nobilem fuisse Babylonem, Philostratus lib. 1. vitæ Apollonij à capite 15. ad finem vsque libri diffusè enarrat, vbi gesta Apollonij in eadem vrbe, congressum eius cum Satrapis, cum Magis, cum Bardane Parthorum Rege, ibi tum commorante, delicias, opes, & magnificentiam Babylonis accuratè describit. De hoc Bardane Parthorum Rege vide Tacitum Annali vndecimo.

Eadem de re.

CAP. XIX.

SVb Tito Imperatore, qualis Babylon fuerit, Plinius qui tunc viuebat, opúsque suum Tito dicabat, lib. 6. cap. 26. ita refert: *Babylon Chaldaïcarum gentium caput, diu summam claritudinem obtinuit in toto orbe.* Et post pauca: *Durat adhuc ibi Iouis Beli templum. Cæterò in solitudinem rediit, exhausta vicinitate Seleuciæ, ob id condita à Nicatore intra nonagesimum lapidem, (quadragesimũ,* Straboni consentaneè) *in confluente Euphratis fossa perducti, atque Tigris: quæ tamẽ Babylonia cognominatur, libera hodie ac sui iuris, Macedonúmque moris. Ferunt ei plebis vrbanæ sexcenta millia esse: situm verò mœnium aquilæ pandentis alas: agrũ totius oriẽtis fertilissimum. Inuicem ad hanc exhauriendam Ctesiphontem iuxta tertium ab ea lapidem in Chalonitide condidêre Parthi: quod nunc est caput regni: & postquam nihil proficiebatur, nuper Vologesus rex aliud oppidum Vologesocertam in vicino condidit.* De Vologese Parthorum Rege, Nerone rerum potiente, pluta Tacitus Annali 12. & Dio lib. 62. & 63.

De Traiano Xiphilinus ex Dione lib. 68. ait, eum cum exercitu Babylonem venisse. *Ibi*, inquit, *Traianus vidit lacum bituminis, ex quo mœnia Babylonis ædificata sunt: cuius tanta vis est, vt permixtum cum lateribus, aut minutis lapidibus, quouis saxo sit aut ferro potentius.*

Paulus Diaconus lib. 10. Miscellæ, cap. 63. *Traianus Seleuciam, & Ctesiphontem, Babylonem, & Edessam vicit ac tenuit.*

Rerum potiente Hadriano scripsit Pausanias, qui in Arcadicis, seu lib. 8. Hæc ait: *Babylon omnium, quas vnquam sol aspexit, vrbium maxima, iam nihil præter muros reliqui habet.* In hunc Pausaniæ locum hæc annotauit Fridericus Sylburgius: *Ambigua hîc sunt Græci textus verba: primò enim sic reddi possunt: De Beli Babylone, templum dumtaxat supersit: de ea verò Babylone, qua tunc sol maiorem vrbem non vidit, nil præter muros est reliquum. Ea versio duas statuit Babylonas. Alij ergo sic malunt interpretari: Babylone reliquum est Beli templum: de Babylone, inquam, illa, qua sol tunc maiorem vrbem non vidit, nihil iam supersit præter mœnia. Plinius lib. 6. cap. 26. de vna dumtaxat Babylone loquens, hæc scribit: Durat adhuc ibi Iouis Beli templum. Ceterò in solitudinem rediit, exhausta vicinitate Seleuciæ.* Hæc Sylburgius.

Sub Marco Aurelio, & Lucio Vero Imperatoribus Babylon manebat: nam Iulius Capitolinus de Lucio Vero hæc tradit: *Fuit eius fati, vt in eas prouincias per quas rediit, Romam vsque, luem secum deferre videretur. Et nata fertur pestilentia in Babylonia, vbi de templo Apollinis, ex arcula aurea quam miles fortè inciderat, spiritus pestilens euasit, atque inde Parthos, orbémque complesse.* Ammianus Marcellinus eam pestẽ Seleucia ortam affirmat lib. 23. cap. 20. hisce verbis: *Seleucia ambitiosum opus Nicanoris Seleuci. Qua per duces Veri Cæsaris, vt antea retulimus, expulsata* (aliàs, *excisa,*) *aulsum sedibus simulachrum Chomei Apollinis, perlatúmque Romam in Æde Apollinis, Palatini deorum Antistites collocarunt. Fertur autem, quod post direptum hoc idem figmèntum, incensa ciuitate, milites fanum scrutantes, inuenêre foramen angustum: quo reserato, vt pretiosum aliquid inuenirent, ex adyto quodam concluso à Chaldæorum arcanis, labes primordialis exilivit, qua insanabilium vi concepta morborum, eiusdem Veri & Marci Antonini temporibus, ab ipsis Persarum finibus, adúsque Rhenum & Gallias, cuncta contagiis polluebat, & mortibus.*

De Bello Parthico Seueri Imperatoris hæc Dio lib. 75. *Itémque Seleuciam & Babylonem desertas celeriter cepit, ac paulo post Ctesiphontem, quam vrbem diripiendam reliquit militibus, & in ea cædem maximam fecit, cepitque superstitum hominum ad centum millia.* Zozimus lib. 1. *Seuerus Persas adgressus, vno impetu Ctesiphontem, Babylonemque cepit.*

Fuit Babylon sub ditione Macedonum, Seleuci Nicatoris successorum, ad Arsacem vsque, Parthici Imperij fundatorem, qui excusso iugo Macedonum, Parthicum illud Romanis formidabile condidit regnum, vt Tacitus S. Histor. Arrianus lib. 1. Parthicorum, apud Photium in Bibliotheca, num. LVIII. Appianus in Syriacis, pag. 130. Herodianus lib. 6. Iustinus lib. 41. Dio Cassius lib. 40. Zozimus lib. 1. Ammianus lib. 23. cap. 16. Eusebius in Chronico numero MDCCLXIX. Agathias lib. 2. cap. 14. Zonaras tomo 2. in Alexandro Mammeæ, Suidas in Arsace, referunt. Vide Onuphrium in Imperio Romano, & Scaligerum in Notis ad Numerũ Eusebianum MDCCLXIX. & lib. 3. Canonum, pag. 316. Sanè Parthorum Reges tandem Babylonem in suam potestatem redegerunt. Dio: *Deinde rebus secundis vsi, omnes circum se positas regiones occuparunt: Mosopotamiámque, quæ priùs à præfecto regebatur, sui iuris fecerunt.* Clariùs id expressit Orosius lib. 5. cap. 4. *Mithridates tunc siquidem rex Parthorum, sextus ab Arsace, victo Demetrij Præfecto, Babyloniam vrbem, finésque eius vniuersos victor inuasit.* Eadem ad verbum in Miscella lib. 4. cap. 17. desumpta planè ex libro

libro 52.Liuij, vbi hæc bella describebantur:cuius nunc tantùm breuis epitome supereſt. Vide Iustinum initio lib.36. & Appiani Syriaca, pag.118.

Sub Alexandro verò Mammeæ, Artaxares, seu Artaxerxes, cæso Artabano vltimo Parthorum Rege, Imperium Parthis ademptum, primus Persis restituit: quando etiam Babylon Persis cessit, vti Herodianus lib.6. Dio lib.80.Agathias lib.2.& 4. Zonaras Annali 2.testantur. Vide Onuphrium in Romano Imperio,& Scaligerum lib.3. Canonum, pag. 316. & Gordonum anno Christi 214.227.

Sub Decio Imperatore Babylon Episcopum habebat S.Polychronium: de quo in Romano Martyrologio,17. Februarij,hæc leguntur: *In Persida natalis B.Polychronij Episcopi Babylonis, qui in persecutione Decij, ore lapidibus cæso, manibus extensis, oculos ad cælum eleuans, emisit spiritum.* Eadem quoque habentur in Martyrologiis S.Bedę, S.Adonis, Vsuardi, Rabbani, Notkeri, Vuandelberti.

Sextus Rufus in Breuiario: *Constantinus rerum dominus extremo vitæ suæ tempore expeditionem parauit in Persas. Toto enim orbe pacatis gentibus, & recenti de Gothis glorioſior victoria, cunctis in Persas descendebat agminibus. Sub cuius aduentum Babyloniæ in tantũ regna trepidarunt, vt supplex eorum legatio occurreret, Persásque facturos imperata promitteret.*

Tempore Iuliani Apostatæ, quando Ammianus Marcellinus in eius exercitu militabat, Assyriæque regiones perlustrabat, lib. 23. cap.20. hæc scribit: *In omni autem Assyria multæ sunt vrbes: splendidissimæ verò & peruulgatæ hæ solæ sunt tres, Babylon, cuius mœnia bitumine Semiramis struxit: arcem enim antiquissimus rex condidit Belus, & Ctesiphon, quam Vardanes priscis temporibus instituit, posteáque rex Pacorus incolarum viribus amplificatam & mœnibus, Græco indito nomine, Persidis effecit specimen summum. Post hãc Seleucia ambitioſum opus Nicatoris Seleuci.* Erat ergo Babylon Ammiani tẽporibus splendidissima.

S.Hieronymi tamen ætate, qualis Babylon fuerit, ipse demonstrat, in 13.Isaiæ eiusdem sacri vatis elucidans vaticinium de sempiterno Babylonis excidio, in hunc modum disserens: *Vsque in præsentem diem prophetia. Babylonis expletur: & sicut subuerrit dominus Sodomam & Gomorrham, sic & ista subuersa, non habitabitur in æternum. Pro illa enim Seleuciam & Ctesiphontem vrbes Persarum inclytas fecerunt. In tantum Babylon vastata erit, atque deserta, vt ne ad pascua quidem armentorum & pecorum vtilis sit. Non enim tendet ibi Arabs, Saracenúsque tentoria, nec pastores post vestigia gregum fessi labore quiescent, sed inter parietinas & angustias veterum ruinarum habitabunt varia ferarum genera, aut dæmonum phantasmata. Per quæ omnia vastitatis & solitudinis signa monstrantur: quod tanta sit depopulatio vrbis quondam potentissimæ, vt præ multitudine dæmonum ac bestiarum, nullus in eam audeat pastorum, id est, deserti appetitor intrare. Didicimus à quodã fratre Elamita, qui de illis finibus egrediens, nunc Ierosolymis vitã exigit monachorũ, venationes regias esse in Babylone, & omnis generis bestias murorum eius tantum ambitu cõtineri.*

Fuit autem Babylon sub Imperio Persarum quamdiu illud regnum stetit: euersum est autem à Mahometanis Saracenis fuso & fugato Hormisda seu Iezdegird, vltimo Persarum rege, anno Heraclij Imperatoris XXX. vt Landulphus Sagax in Miscella lib. 18. cap. 69. & Cedrenus in Annalibus diserte produnt: qui annus iuxta certiorem Chronologiã est Christi DCXXXIX. vel XL.

Quamuis Sigebertus in Chronico, & Hatthomus Armenus libro de Tartaris, c.15.id contigisse tradant anno salutis DCXXXII. Vide Scaligerum lib.3.de Emendationibus Temporum,& Casaubonum in Notis ad Lampridij Alexandrum Seuerum. Subdit verò Haithonus: *Persarum itaque Rege taliter interempto, & tam regno Persarum, quam pluribus aliis subiugatis, prafati iniquitatis filij Agareni sibi Imperatorem elegerunt, quendam videlicet de progenie Mahometi, & ipsũ vocauerũt Caliph: & ordinauerũt, quod sedem teneret in Baldach opulentissima ciuitate.*

Atque hîc fingitur initium Caliphatus Arabum in Babylone, siue in Baldach, vel Bagdad, quæ vel est Babylon, vel Seleucia vt posteà dicemus. Notant primum Calipham, seu summum Pontificem fuisse Othman, filium Ophan. Vide Scaligerum lib.3. Emendat.Temporum, & in Canonibus lib.3 pag. 257. 317. Casaubonum ad Lampridij Alexandrum, Gordonum anno Christi 633.

Strabus Monachus qui circa annum domini 840. floruit, in Glosa ordinaria ad Isaiæ 13.ait: *Babylon non postea readificata est: sed dicitur in medio eius esse lacus serpentibus plenus: & arbusta, in quibus horribiles bestiæ, & aues, & venatio regia, & inhabitabilis est propter portenta.*

Aretas Cæsarienſis Episcopus cap. 36. in 13. Apocalyps. dicit: *Babyloniorum regna Saracenorum regnum manifestè successit quòd in hoc vsque tempus regia eorum Babylone sit.* Hinc discres post fundatum Babylone Caliphatum, Aretam vixisse.

Anno Christi MIX. Babylonis princeps impulsu Iudæorum Europæorum templum Christianorum Ierosolymis diruit: Sepulchrum verò Dominicum demoliri non potuit. Extat historia scitu sanè digna apud Glabrum Radulphum lib. 3. cap.7.

Anno Domini. MXCVII. ad Gothephridum, aliósque duces belli sacri, Anthiochiam obsidentes missa est legatio à Rege, seu Admiraldo Babylonis, vti pleniùs narrant Robertus Monachus, qui illo vixit tempore, initio lib.5. de Bello sacro, & Ottho Frisingensis lib.7 cap.3.

Alexandri III. Romani Pontificis ætate, circiter annum Christi MCLXXII. statum Babylonis, Beniamin Tudelensis, qui tunc eas regiones peragrabat, & oculis videbat, Itinerarij pag.70.ita describit: *Babel illa antiqua, triginta milliarium spatium complexa, iámque funditus euersa est: in qua Nabuchodonosoris Regiæ ruinæ adhuc visuntur, hominibus inaccessibiles, propter varia & maleficia serpentum, draconúmque ibidẽ degentiũ genera.* Conueniunt hęc cum illis quæ paulo ante ex Strabo descripsimus.

Caliphatus Baldach, seu Bagded, quamdiu steterit: & num Bagded sit Babylonia, vel Seleucia.

CAP. XX.

Mira planè sunt quæ Beniamin Tudelensis de Calipha Baldach, seu Bagdad, à se visa litteris consignauit, quæ quia multis rebus vsui esse possunt, nec à nostro instituto videntur aliena, hîc inserimus, ait enim pag. 59. *Bagdad magna vrbs, initium regni Caliphæ nomine Amir Amumanim Alghabassi, ex progenie illius quem Ismaëlitæ Prophetam suum vocant, qui toti doctrinæ & sectæ Ismaëlitarum præest: atque hoc nomine cæteris omnibus Ismaëlitis regibus suspiciendus, venerabilisque habetur: præest enim omnibus illis vt summus quidam omnium Pontifex. Habétque intra vrbem ipsam Bagdad palatium trium milliarium area constructum: intráque palatium silua omnium terræ orbis arborum generibus instructa est, non solum fructiferis, sed sterilibus etiam: bestiarum quoque naturis omnibus frequens. In media autem silua*

maximē ſtagnū aquarum ex Tigri flumine deductarum. Calipha autē in illa ſilua animi cauſa vel deambulante, vel cœnante, venationes, aucupia, & piſcationes à miniſtris exercentur. Hunc locum ille petit conſiliariorū & principum ſuorum comitatu inſtructus. Eſtque nomen proprium magni huius Regis, Al-Ghabaſſi Hhaphſi.

Is autem ſibi hanc religionem indixit, vt nullum vſum capiat, vel cibi, vel potus, aut veſtitus, niſi ex manuum ſuarum labore: eſt verò artifex florearum, & tegetum elegantiſſimarum, quas ſigillo proprio notatas in forum vendendas præcipuis miniſtris tradit: eas verò magnates terræ emunt, illiúſque quæſtus pecunia ipſe ſibi victum parat. Eſt autem probis moribus vir, & fidelis, ſuóque ritu religioſus, humaniſſiméque ſalutat, & alloquitur omnes homines. At verò Iſmaëlitis non licet illum intueri. Peregrini autem, qui ex remotiſſimis regionibus domum illam celebrem Meka dictam in terra Æliman ſitam petunt, hac iter faciunt, Caliphæ ſalutandi ſtudio: ingreſſique in Palatium clamant: Domine noſter, Iſmaëlitarum lux, legiſque noſtræ iubar, oſtende nobis faciei tuæ ſplendorē. Quorum verbis ipſe non intendit animum. Tum verò principes, familiares, ac miniſtri ipſius eundem huiuſmodi oratione petunt: Domine noſter, expande pacem tuam ſuper homines hos ex remotis regionibus huc venientes, quos mirabilis cupiditas impulit cōfugiendi in vmbram decoris tui. Eadem igitur hora ille veſtis ſuæ alam ſiblatam è feneſtra demittit, quam peregrini adeuntes religioſè deoſculantur, auditóque huiuſmodi reſponſo ex vno illorum familiarium principum, Ite in pace: iam quippe Dominus noſter, Iſmaëlitarum lux excepit, & dedit vobis pacem (exiſtimatur enim ab his tanquam ille quem ipſi ſuum Prophetam prædicant) redeunt itaque in patriam vnuſquiſque ſuam lætiſſimi, poſtquam hoc modo dimiſſi huiuſmodi Principis oratione fuerint: ac domum redeuntes, à fratribus, conſanguineis, & familiaribus, atque neceſſariis, veſtium exoſculationibus excipiuntur.

Singulis autem principibus iis qui Calipha inſeruiunt, ſingula ſunt palatia intra illam maximam regiam: ſinguli tamen ferreis catenis vincti incedunt: atque ſingulis horum ædibus præfecti ſunt cuſtodes, obſeruantes ne quis aduerſum maximum illum regem, nouarum rerum aliquid tentet. Accidit enim ſemel, vt ipſius fratres aduerſus eum cōiuratione inita, vnū aliū quempiam ex ipſorum numero præficerent: quam ob rem ipſe decreto ſanxit, vt ſinguli gentilitiæ ipſius familiæ filij catenis ferreis vincirentur, ne iterum eiuſmodi aggrederentur facinus aduerſus maximū Regem: verùm vnuſquiſque verſatur in priuata aula amplis honoribus cultus, habétque vrbes, oppida, & regiones, ex quibus per quæſtores allata tributa & vectigalia quotānis accipit, exercent autē cōuiuia, & genio per totā vitā indulgent.

Sunt verò in illo maximi Regis palatio admiranda magnitudinis ædificia, & columnæ ex argento & auro, & penetralia his metallis obducta, & omnibus gemmarum, & vnionum generibus exornata. Quo palatio ille ſemel in anno tantùm prodit, eo feſto, vel Paſchate quod ab ipſis Ramadan dicitur. Concurrit autem frequens hominum turba ex variis & remotis regionibus ad illam diem, ipſius faciei videndi cauſa. Vehitur autem ille mula regiis veſtimentis ex auro & argento contextis indutus, caput cidari ornatus incomparabilis pretij lapidibus ſplendens: ſuper cidarim verò nigrum ſudarium geſtat, quo geſtamine ſæculi huius verecundiam profitetur: ac ſi diceret: Hanc maximā, quam conſpicitis, amplitudinem tenebræ obſcurabunt in die mortis. Comitantur præterea ipſum Iſmaëlitarum magnates omnes pulcherrimis culti veſtibus, equiſque inſidentes principes Arabiæ, principes Mediæ, & Perſidis, principes regionis Tuboth, quæ ab Arabia trium menſium itinere diſtat. Prodit autem ex Regia ſua ad magnā quā vocant precationis domū in porta Boſræ ædificatā: illa enim illis maxima precationis domus habetur.

Porrò tam viri quàm fœminæ omnes qui illum diem celebrant, purpureis & ſericeis veſtimentis veſtiti ſunt. Inuenias etiam per vias & plateas cunctas omnia inſtrumentorum, canticorum, ſaltationum genera, ipſo præeunte ludentia: atque ipſe Calipha maximus rex ab omnibus ſalutatur huiuſmodi vocibus: Pax ſuper te Domine noſter rex. Ipſe inquam ſuam ipſius veſtem exoſculatur: qua interdum, interdum verò ſola manu protenſa pacem & ſalutationem illis ſignificat, atque ita vſque ad precationis atrium incedit: vbi turri ligneæ conſcenſa, ex ſuperiori loco legem ſuam pro concione interpretatur. Tum verò Iſmaëlitarum ſapientes conſurgentes, illi fauſta omnia precati, gratulantur, magnitudinem & pietatem eximiam, multis exemplis perſpectam, quam perpetuam ipſi oprant. Hanc verò gratulationem cæteri omnes promouent, reſpondentes, Amen. Deinde verò ipſe illis omnibus benedicit. Mox camelus adductus ab ipſo iugulatur: hoc enim Paſchale conuiuium illis habetur: ex cuius carne principibus illis miniſtris ſuis particulas diſtribui iubet, deguſtaturis mactationem, ab ipſorum Rege ſancto factam: quo illi dono valde lætantur. Hiſque ſuo ritu peractis, ab illa precationis domo diſcedunt. Redit autem Rex alia via quàm venerat, ſecundum Tigris fluuij ripam ipſe ſolus: nam cæteri principes ac miniſtri nauigiis per fluuium vecti redeunt ante illum, donec ingrediatur in regiā. Obſeruatur autē via illa diligenter toto anno per cuſtodes, ne quis fortè eo loco ingrediatur, qui pedum illius veſtigiis ſacer eſt. Toto ipſo deinceps anno intra regiam continetur, nuſquam aliò egreſſurus. Conſtruxit verò palatium vltra fluuium in ipſa ripa brachij cuiuſdam Euphratis fluminis, qui ex altero vrbis latere fluit, in quo magnas domos ædificauit & fora, atque etiam Xenodochia, ægrotantibus pauperibus curandis idonea. Hactenus Beniamin de Calipha.

In Hebraïco Chronico Rabbi Abrahā Zacuthi Salmāticenſis de rebus Iſmaëlitarū quod Ioſephus Scaliger in epitomē contractū, lib. 3. ſuorū Iſagogicorū Canonū inſeruit, plurima mentio eſt Calipharū Bagdad. Ad annū Chriſti 753. de Calipha Abugephar Elmatzur, ait: *Iſte primus ædificare cœpit vrbē Bagded.* Forte hucuſque Caliphæ ſedē Babylone habuerant. Et ad ann. 869. de Mutemad Calipha: *Ipſe in Bagded deſpiciebat Tolonē, Tolon eum in Ægypto.* Et ad ann. 943. *Meaz Eddula filius Bauuia: imuaſit Bagded: Muſtecaphe autem Calipha in latebras ſe abdidit.* Et ad ann. 961. *In Bagded autē obiit Meaz Eddula filius Bauuia.* Et ad ann. 976. *Et zad Eddula Bagded dirutam inſtaurauit, tradita in matrimonium Taiæ Caliphæ filiæ ſuæ.* Et ad ann. 1031. ſub Caïm Calipha: *Huius temporibus regnabat Rohe in Bagded.* Et ad ann. 1035. de Muſthenatzar rege Ægypti: *In Bagded autem diffamauerunt eū dicentes, eum non eſſe Phetimæū, ſed extraneū.* Et poſt pauca: *Obiit Sultan Melich Scha: cuius mortē occultauit vxor eius, elato mariti cadauere in plauſtro, extra Bagded.*

Et ad ann. 1093. ſub Calipha Muſtetaher: *Eo tempore cùm Aſtrologi aſſererent diluuium fore, licèt non quamū fuit ſub Noë, à Calipha Aſtrologus quidā accitus dixit: Quando ſub Noah diluuiū contigit, ſeptem planetas coiſſe in Signo Piſciū, nūc verò eſſe tantū ſex, nimirum excluſo Saturno. Tunc timor inceſſit omnibus ſuper vrbe Bagded, quod in loco depreſſo ſita ſit: ita vt omnes aquarū aditus obſtruxerint. Itaque eo anno cōtigit, vt omnes Iſmaëlitæ, qui per deuotionē ad ſuū ſānctuariū peregrinati fuerant, repentina aquarū vi oppreſſi & obruti fuerint, præter paucos qui in culmina montiū ſeſe receperūt. Ob hanc cauſā Caliphas Aſtrologū ornamētis regalibus honeſtauit.* Et ann. 1159. *Excreuit Tigris, &*

vrbem

vrbem Bagded inundauit, ac multas pratereà vrbes deſolauit. Et ad annum 1170. de Muſtetzi Calipha: *Sub eo iterum refricata eſt memoria Caliparum Bagded Abaſidarum in templis Iſmaëlitarum: & in eis benedictionem accepere in Ægypto, quum anteà hoc reges Ægypti Pheſimæi aboleuiſſent.*

Manſit autem Mahometanorum Caliphatus, ſeu Summus Pontificatus in Baldach, ſeu Bagded, ad annum vſque ſalutis MCCL. vel MCCLVII. aut LVIII. quando ab Haolono Tartarorum Imperatore deletus eſt. Marcus Polus lib. 1. cap. 16. ita narrat: *Eſt in partibus illis ciuitas quædam inſignis Baldachum nomine, quæ in Scripturis ſacris Suſis appellatur: in qua manet Prælatus magnus Sarracenorum, quem ipſi Caliphum vocant. Non inuenitur in partibus illis nobilior quàm ſit illa ciuitas. Parantur ibi ex auro & ſerico pulcherrimi panni, iique ſub varia habitudine. Anno ab Incarnatione Domini MCCL. magnus Tartarorum rex* (Haolonus) *Allau obſedit, atque tam acriter oppugnauit hanc vrbem, donec caperet eam. Erant tunc plura quàm centum millia armatorum in ciuitate, ſed Allau longè fortior illis erat. Ceterùm Caliphus vrbis Dominus turrim habebat plenam auro, argento, & lapidibus pretioſis, atque reliquis iocalibus, ſed auaritiæ ſtimulis ſauciatus, noluit collectum theſaurum in milites ſpargere, illiſque munera largiri: ideóque ipſe cum ciuitate periclitatus eſt: nam Allau rex obtenta ciuitate, Caliphum cepit, & in turrim illam, in qua theſaurum ſuum repoſuit, coniecit; negatóque omni cibo & potu, ait illi: Si theſaurum hunc non tam auarè, & tenaciter ſeruaſſes, te ipſum & ciuitatem liberaſſes: nunc igitur fruere theſauro tuo, & ex eo comede, atque bibe, quem tantopere dilexiſti. In hunc itaque modum miſer ille, theſauro ſuo incumbens, famè periit. Tranſit per hanc vrbem fluuius quidam magnus, atque in Oceanum Indicum ſe effundens: à cuius oſtio vrbs ipſa decem & octo diſtat diætis.* Hæc Polus.

Haithonus Armenus de Tartaris, c. 25. & 26. de Haolono Tartarorũ Rege inquit: *Ipſe quoque hieme veniente obſedit ciuitatem Baldach, in qua erat Caliphus, qui Magiſter erat & Doctor ſectæ perfidi Mahometi: fecitque Haolonus ad exercitum conuocari triginta millia Tartarorum, qui erant in regno Turquiæ: poſtquam congregauit vndique gentem ſuam, inſultari fecit ante littus ciuitas: quæ velociter abſque nimio moræ diſpendio fuit capta. Caliphus quidem captus viuus adductus fuit ante præſentiam Haoloni: & inuentæ fuerunt in Baldach tantæ diuitiæ, quòd vix credendum eſſet, eſſe totidem in reſiduo huius mundi. Capta autem fuit ciuitas Baldach anno Domini MCLVIII.* (MCCLVIII.) *Poſtquam verò Haolonus de ciuitate Baldach fecit omnia quæ volebat, iuſſitque Caliphum ante ſe adduci, & præcepit quod ante ſe totum eius theſaurum poneret. Tunc verò Haolonus interrogauit Caliphum dicens: Cognoſciſne totum fuiſſe tuum quod vides? Vtique, ait ille, Haolonus dixit: Quare tu tanto theſauro non conuocabas ſtipendiarios, & vicinos, vt te, & terram tuam tuerentur à potentia Tartarorum? At ille reſpondit: Quoniam credebam ſatis ſufficere gentem meam. Tunc dixit Haolonus Calipho: Tu diceris Doctor omnium credentium in falſa ſecta Mahumeti, & à tuis munerabaris: talis ergo Magiſter & tantus aliis cibis cibari non debet: vndè tibi damus in cibum iſta omnia pretioſa, quæ tantùm dilexiſti, & cum magna auiditate cuſtodiſti. Et præcepit ponere Caliphum in vna camera, & ante ipſum proiici margaritas & aurum, vt de illis comederet quantum vellet: & præcepit ne aliquis cibus daretur, aut potus alius propinaretur eidem: & ſic morte peſſima miſer ille, & auarus miſerabilem vitam finiuit. Nec inquam Caliphus poſtea extitit in Baldach.* Hæc Haithonus.

In Chronico Rabbi Abraham Zachuti de eiſdem temporibus hæc habentur: *Tartarus rex Chita, fratrem ſuum Haolonum Halacho regem Irak & Meſopotamiæ conſtituit. Halacho igitur venit Bagded, eáque direpta, ac vaſtata, Muſteatzem Calipham interfecit. Ab eo tempore hactenus nullus fuit Caliphа in Bagded. In hoc defecit linea Abaſidarum, qui fuerunt numero XXXV.* Vide de his Ioannem Leonem lib. 2. cap. de Sectis Muhammediſmi.

Iam verò diſquirendum num Baldach, vel Bagdad, quod idem putamus, fuerit antiqua Babylon, vel Seleucia. Otto Friſingenſis lib. 7. Chronici, cap. 3. *Eſt enim antiquæ Babylonis, vt à probatis tranſmarinorum viris cognouimus, pars adhuc habitabilis Baldach dicta: pars, vt in prophetia habes, deſerta & inuia per decem milliaria vſque ad turrim Babel extenſa. Ipſa autem quæ inhabitatur, & Baldach vocatur, maxima eſt, & populoſa: & cùm de Imperio debeat eſſe Perſarum, Summo Sacerdoti ſuo, quem ipſi Caliph dicunt, à Regibus Perſarum conceſſa: vt & in hoc quædam habitudo, ſicut ſæpè iam dictum eſt, inter Babylonem & Romam eluceat: quia quod hîc à Chriſtiano Imperatore Summo noſtro Pontifici in vrbe Roma traditum eſt: hoc ibi à Paganis Perſarum regibus, quibus ex longo tempore Babylonia ſubiacuit, eorum Summo Sacerdoti indultum eſt.*

Guilielmus Baldenſelius in Hodœporico Terræ ſanctæ, cap. 3. *Dicunt quòd ciuitas quæ nunc Baldatum dicitur, ſit ipſa antiqua Babylonia, quæ ſita eſt ſuper fluuium Euphratem: Alij aſſerunt prope Baldatum ipſam fuiſſe deſtructam, hoc per ruinas de propè, maximè approbantes.*

Monachus S. Iuſtinæ Paduanæ anonymus, qui inter Rerum Germanicarum Scriptores editus habetur, lib. 3. Chronici, cap. antepenultimo, de Tartaris hæc habet: *Nam & ciuitatem Baldach inclytam & maximam inuaſerunt, quæ ſuper Tigrim conſtituta eſt, de ruinis antiquiſſimæ Babylonis. In hac Calippus regnabat, quem reuerebantur Saraceni, vt Romanum Pontificem Chriſtiani. Hunc Tartari morte turpiſſima occiderunt, & cum eo Saracenorum multitudinem infinitam.* Ergo Baldach Babylonem eſſe, exiſtimarunt quoque Iacobus Gaſtaldus, & Gerardus Mercator. Perſpicuè fallitur Polus qui voluit Baldach eſſe Suſas, quarum extat mentio in Scriptura diuina; quem etiam errorem Sabellico & Bodino impingunt Orthelius in Theſauro, & Fungerus in Etymologico. Suſas Polus Iouius lib. 14. Hiſtoriarum, putat eſſe Tauriſium, Sophorum in Armenia regia clariſſima.

Porrò Bagdad, vel Bagded, ſeu Bagadad eſſe Babylonem, opinatus eſt Zonaras Annali, 3. in Theophilo: *Syngellus igitur in vrbem Bagdam profectus, (ea vetus Babylon eſt) cùm in Principis conſpectum veniſſet, &c.* Idem docent Iouius lib. 14. & 33. Hiſtoriarum, Ioannes Barrius in Aſia, Gerardus Mercator in Notis ad Ptolemæum, Orthelius in Theſauro Geographico hæc habet: *Sed ſi nobis quoque in re longinqua & obſcura diuinare liceat: pro illa Babylone, quam penitus interiſſe conſtat, Baldach illi proximam & Caliphæ Babyloniy cede nobilem, nobis obtrudi ſinimus. Hanc noſtram coniecturam ex Tabulis Aſiæ, quas Iacobus Gaſtaldus Venetiis edidit; ſed quæ (quod aliàs in maiori noſtra Aſiæ tabula monuimus) verè Abilfedeæ Iſmaëlis ſunt, ſumpſimus. In his namque Tabulis iuxta Baldach oppidum, videntur quædam antiquæ vrbis fragmenta, quibus adſcriptum eſt Babylonia.*

tia. Inſpice in Theatro noſtro Tabulam Regni Perſici. Et quidem in ea Theatri Tabula iuxta Bagded, cernuntur ruinæ Babylonis.

Verùm iam melior ſententia obtinet, Bagded non eſſe antiquam Babyloniam, ſed potiùs Seleuciam Nicatoris : nam Beniamin Tudelenſis qui Bagded & Babylonem oculis vidit, diuerſas omnino ſtatuit : vt apertè videri poteſt ex verbis eius quæ cap. 11. & hoc ipſo poſuimus : ex quibus quoque haud obſcurè cognoſcimus, (nempe ex ſitu quem Bagded, ad confluentes Tigris & Euphratis tribuit,) Bagded eſſe Seleuciam.

Ioſephus Scaliger in Notis ad Numerum Euſebianum MDCCXIII. *Seleuciam. Ad Tigridis & Euphratis confluentes. Ea eſt hodie ingens & celebris Bagded, qua propter viciniam, Babylonem veterem exhauſit, vt teſtis eſt Plinius. Nam qui Bagded Babylonem eſſe dicunt, tam falluntur, quam qui Babylonem ante his mille quingentos annos ſolo æquatam fuiſſe, ex falſa Prophetarum interpretatione infeſti & armati, oculis ignitis, & tumentibus buccis contendunt : quum adhuc totis mœnibus ſuis integra, ſed exinanita, tempore Ammiani Marcellini extaret : & nos ſciamus longo poſt tempore ſub Perſis à multis millibus Iudæorum habitatam fuiſſe. Solo autem æquata fuit anno Iudaïco 4 97. Chriſtiano MXXXVII.* Et ad numerum MMCXII. *Æchmalotarchæ creati ſunt Babylone, quamdiu illa vrbs ſtetit, vſque ad annum Chriſti DCC. à Salathiel vſque. Deinceps à DCC. anno Chriſti ad hanc vſque diem in vrbe Bagded, ſiue Seleucia creantur.* Et lib. 3. Canonum Iſagogicorum, pag. 278. *Alterius Diaſporæ, ſeu Diſperſionis Caput erat Babylon, & fuit, quamdiu ſtetit illa, intra annum Chriſti DCC. Reliquiæ illius Principatus Babylonici hodie in vrbem maximam Seleuciam, quam Bagded vocant, traductæ ſunt.* Illud quidem rectè, Bagded eſſe Seleuciam : ſed illud arcanum non capio, ſtetiſſe Babylonem non niſi intra annum Domini DCC. & ſolo æquatam anno Chriſtiano MXXXVII. Num ſolo æquari potuit, quæ iam trecentis anteà annis eſſe deſierat?

Idem Scaliger elucidans illud ex Chronico Rabbi Abraham Zacuthi, quem ait de Mantzore Calipha ad annum Chriſti 753. *Iſte primus ædificare cœpit vrbem Bagded.* Hæc affert : *Geographus Arabs etiam hunc Mantzor conditorem vrbis Bagded fuiſſe dicit, qui Seleuciam illam ampliſſimam, cuius vicinitate Babylonem ſuo æuo in dies exauriri ſcribit Plinius, bellorum tempeſtatibus euerſam denuo excitauit, eámque Bagded vocauit. Cauſa nominis mihi ignota. Bagda vocat Zonaras in Theophilo, eámque cum imperito vulgo Babylonem vocat. Babylon Perſica ciuitas, Metropolis Seleucia vocatur. Geographus Arabs conſtituit eam ad confluentes Euphratis & Tigridis. Plinius dubitare non ſinit lib. 6. cap. 26. de Euphrate : Et parte læua in Meſopotamiam vadit, per ipſam Seleuciam, præfluenti infuſus Tigri.*

Iacobus Auguſtinus Thuanus, ſub initium, libro 67. Hiſtoriarum : *Alis Abbaſida Bagdati in Seleucia, Babyloni vicinæ ruinis fundata vrbe ſedem fixit.* Conſtat Seleuciam vaſtatam atque incenſam, ac ſolo æquatam à Lucio Vero, vti Dio lib. 71. Eutropius lib. 8. Ammianus libro 23. cap. 20. Iulius Capitolinus in Lucio Vero, Euſebius numero MMCLXXX. affirmant. Petrus Teixera Luſitanus in ſuo Itinerario terreſtri ab India in Italiam, cap. 6. accuratè deſcribit vrbem Bagadad ad confluentes Tigridis, quam ipſe præſens inuiſit Octobri, anni 1604. aitque diſtare itinere vnius diei ab antiqua Babylone : eſſéque nunc in ea ducentas, aut trecentas Iudæorum domos, quarum duodecim, aut quindecim iactent eſſe ſe ex prima captiuitate ſub Nabuchodonoſore. Chriſtianorum Armenorum verò domos decem, Neſtorianorum autem octoginta reperiri. Vrbémque affirmat eſſe opulentiſſimam : & pluſquam viginti mille domos continere. Quid ſi Bagded dicta a Begued Hebraïco, quòd in ea vrbe panni pretioſi, & veſtes Babyloniçæ texerentur ? Sed hoc eſt diuinare.

Status Babylonis noſtra ætate.

CAP. XXI.

POrrò auorum & patrum memoria Babylonem, ſeu potius Bagded, quæ Seleucia olim fuit, claram cum primis fuiſſe vrbem, quotquot res geſtas Iſmaëlis, & Tammaſi, ſucceſſorúmque Perſicorum Sophorum prodiderunt, teſtantur. Surius in Commentario Rerum in orbe geſtarum, anno Domini 1534. hæc habet : *Solimannus Turcarum Imperator, nonnihil recreato exercitu, in Aſſyriam proficiſcitur, ac nullo negocio potitur Babylonia. In ea vrbe Caliphæ ſacrorum Principis ſedes eſt, quem Mahometani reges omnes obſeruant : iſque ex veteri inſtituto, & adoptat & confirmat Aſſyriæ reges, ita vt etiam Solimannus ab eo inſignia, & ornamenta eius Regni accipere voluerit. Vrbs illa, ſi veteris ſtructuræ ambitus expendatur, longè omnium ampliſſima eſt : libuitque Solimanno in ea hiemare. Sed iam multa illic vaſtitas conſpicitur, horti innumeri ædificiis coniuncti, agri quoque aratris proſciſſi, ferarúmque captiuarum, & incluſarum nemora.*

Cæterùm fuſiùs & accuratiùs de eiſdem Iouius, ex quo certum eſt Surium delibaſſe, libro 33. hæc tradit : *Tanto fortunæ arridentis ſucceſſu, Solimannus non multo poſt à Babyloniis auidiſſimè propter odium in Mahometem Tammaſi Præfectum, ſuſcipitur. Ea in vrbe clariſſima Caliphæ ſacrorum principis ſedes eſt, qui à cunctis Mahometani nominis Regibus excolitur, vete émque obtinet prærogatiuam adoptandi, & ex certa coemptionis ceremonia confirmandi Aſſyriæ regis. Ab hoc Calipha Solimannus veteris ſuperſtitionis inſtituta ſecutus inſignia, atque ornamenta ſuſcepit, multáque largitione propitiatis ſibi Babyloniorum primoribus, & populis item liberali congiario delinitis, ea in vrbe antiquiſſima, propter Semiramis penſiliúmque eius hortorum memoriam hiemare conſtituit.*

Ampliſſima námque eſt omnium vrbium cogniti orbis, ſi priſcæ ſtructuræ mœnium ambitus rectis dimenſionibus æſtimetur : nam vrbis Romæ magnitudinem exſuperat. Sed in tanta vaſtitate videre eſt, præter cultiſſima rura, & innumerabiles hortos ædificiis coniunctos, atque item peramœna viridaria pomiferis, & odoratis condita arboribus. Viſuntur etiam latiſſima arua, quæ ad ſegetem aratris proſcinduntur : nec in ea ſiluæ, nemoráque deſunt, captiuis, & incluſis feris dicata ; vt ad voluptatem Præfectorum, atque Primatum iucunda, atque expedita venatio ſuppeditetur. Mediam vrbem

bem interfluit Euphrates, lapideo sumptuosi operis ponte iunctus. Is à confluente Tigri amne, ita suis atque alienis crescit vndis, vt maioribus etiam nauigiis vsque ad Oceanum Persicum tutissimè pernauigetur. Nam apud Balzaram emporium, quod est in insula, Teredonis nomine antiquitus vocata, quam bicornis amnis efficit, mercimonia & commeatus omnis generis excipiuntur, quotidianáque nauigatione ad Ormuzium freti Persici vrbem, & insulam deuehuntur. Vtrámque autem ripam profluentis, frugiferis a boribus, atque vinetis esse consitam constat, castigato non secus alueo, ac Rheni per Germaniam descendentis, miro passim cultissimorum littorum ornatu conspicimus.

Babylonij in vniuersum, quamuis Syris & Arabibus sanguine permixti, eundem ferè colorem, staturaque habitum, & ciuilium morum consuetudinem, ac nostri homines præferunt, quòd eodem quo nos fruantur cælo, & sese excolant litteris, & à reliquis barbaris captu ingenij, atque humanitate plurimum distent, mercaturam solertissimè exercent, variis præsertim sericæ telæ textrinis. Verùm nobilitas equestris militiæ studio tenetur, sagittisque maximè gaudet. Ac fuit aliquando tempus, quo è Babylonia accepta ab Indis aromata, Asiæ mercatoribus diuenderentur, quæ ætate nostra per Arabicum Sinum Alexandrinam deuehi videmus: quamquam multo maxima pars Lusitanis classibus ab India per incognitum antea Oceanum Æthiopici littoris in Occidentem deferatur.

Ceterùm quæ ab antiquis Scriptoribus de Babyloniis pensilibus hortis, regiáque admirabilis structuræ, crassitudinéque mœnium referuntur, nequaquam sunt extra fidem: nam horum ingentium operum præclara monumenta adhuc extant. Exurgit siquidem Prætorium regalis amplitudinis, instar arcis, editiore vrbis parte, quæ orientis solis radios excipit, & præterfluentem despectat Euphratem. Mœnia quoque partim lapide, coctilique laterculo constructa, vel lacessente, atque absumente vetustate, priscæ opulentissimorum Regum magnificentiæ testimonia relinquunt. Hucúsque Iouius.

Denique, vt multa præteream, hac nostra tempestate, magna est Babylonis memoria in bellis, & expeditionibus Ismaëlis II. Mahometis Hobubendi, Hemircani, & eius qui nunc Persis imperat, aduersus Amurathem III. Mahometem III. Achmetem, Turcarum Imperatores, vario marte, & fortuna, nunc sub Persarum, nunc sub Turcarum Imperio posita Babylone. Legationum, peregrinationúmque Commentarij, & mercatorum certæ, explorataeque fidei relationes, vno ore testantur, Babylonem hoc tempore esse cum primis claram & opulentam vrbem, & maximam totius Assyriæ. Anno Domini MDCV. erat in potestate Regis Persarum, vt Gordonus est Auctor in Chronologia.

Vidisti Lector magnos Babylonis casus, status, vicissitudines, & vt etiam Babylon adhuc perstet in mundo. Ergo siue antiquæ illius Babylonis reliquiæ superstint adhuc, siue nomine Babylonis intelligi possit Seleucia, (quæ tamen Babylonia sit quoque cognominata, auctore Plinio lib. 6. cap. 26. & 34. & Theophylacto Simocata, qui lib. 5. de rebus Mautitij Imperatoris, c. 6. ait: *Dimissa Seleucia, (quæ est Babylonia) Ctesiphontem transfugit.* Seu ipsa etiam Baldach, vel Bagded, propter viciniam, vbi & Mahometanorum Caliphæ olim; & Æchmalotarchæ, seu Principes & Capita Captiuitatis Iudæorum, & quondam, & nunc vsque perdurant, fixum & constitutum esse debet, Antichristum Babylone nasciturum, nimirum, vel in ipsis priscæ Babylonis ruinis, vel Seleuciæ, seu Bagded vicinæ, quæ nomen quoque Babylonis ferat.

Iam loca de sempiterno Babylonis excidio à Prophetis prædicto, quæ in hac causa negotium facessunt, sunt accuratè expendenda.

Explicantur vaticinia Isaiæ, & Ieremiæ de sempiterna vastitate Chaldaïcæ Babylonis.

CAP. XXII.

MVlta quidem vterque Diuinus Vates de excidio Babylonis prædixêre, sed insigniora sunt hæc, Isaiæ 13. 19. *Erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham. Non habitabitur vsque in finem, & non fundabitur vsque in generationem & generationem.* Ieremiæ 50. 39. *Non habitabitur vltra vsque in sempiternum, nec extruetur vsque in generationem & generationem. Sicut subuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham, & vicinas eius, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis.* Loqui sanctos Prophetas de excidio Babylonis per Cyrum, siue per Medos, & Persas, S. Basilius, S. Hieronymus, S. Cyrillus, Theodoretus, Procopius, Strabus, & recentiores ferè omnes. Et diserta sunt verba Isaiæ 13. 17. *Ecce ego suscitabo super eos, Medos, &c.*

Prima Interpretatio.

Babylonem re vera funditus per Medos & Persas excisam, nunquam deinceps instauratam, sed desertam & desolatam perpetuò manere, nec vnquam imposterum habitatoribus cultam. Ita S. Cyrillus, cuius hæc sunt verba: *Babylon quæ inclyta vocatur, à Rege Chaldæorum, ad eam redigetur vastitatem, vt à combustis Sodomis, & Gomorrhis nullo modo differat: neque incoletur, quam horrebunt, adeóque fugient tum finitimi, tum qui è longinqua gente eam peragrant, vt ne Arabes quidem pastores in ea pecora sua velint pascere, quòd omnino desolata sit & deserta.* Procopius: *Præterea verò, & nunc verum illud esse ostenditur, quod in perpetuum tempus non habitatum iri dicitur.* Theodoretus in Ierem. 50. *Et vtrumque euenit: nam non est ædificata, sed in hodiernam vsque diem caret muris, & vt plurimum manet non habitata. Hoc enim sibi vult, in generationes & generationes. Nunc itaque talem pauci incolunt Iudæi.* Nec aliter Strabus, & Lyranus. Hanc interpretationem impatientissimè fert Scaliger, cuius verba habes suprà cap. 20.

II. Fuisse quidem à Persis dirutã, & ita diu desertam permãsisse: sed posteà instauratam, & inhabitatam. Nam quod Prophetæ prædixerant, non inhabitandam in sempiternum, longum tempus ita hyperbolicè videntur significare. Sensus est Theodoreti in cap. 4. Baruch: sic enim ait: *Et habitabitur à dæmoniis longo tempore. Hanc vltionem passa est opera Persarum. At verò ostendit hic sermo, non prædixisse illam fore prorsus inhabitabilem, sed diu: nunc autem à paucis Iudæis incolitur.* Retulit hanc expositionem etiam Procopius in Isaiæ 13. *Quamquam non desint qui solitudinis, vastitatisque tempus, quo elapso, rursus habitanda sit, definiri contendant.* Sed & sanctus Basilius in 14. Isaiæ, sub initium ait: *Et non habitabitur in sæculum. His verbis forsan certo quopiam tempore præscribit ipsius euersionem, simul & futuram desolationem: quare ea vastitas quanto esset tempore duratura absolutè non aperuit. Non enim*

illo introgredientur per multas generationes: quasi ea vastitate in multas exporrecta generationes, postea rursus inhabitari debeat.

Huic & præcedenti expositioni difficultas illa obiicitur, quòd nec sub Cyro, nec sub Dario Hystaspis Babylon vllo pacto manserit excisa, vel desolata, aut habitatoribus vacua: nullus enim eorum qui vtramque Babyloniæ expugnationem litterarum monumentis consignarunt, quidpiam eiusmodi tradidit, Babylonem vel à Cyro, vel à Dario Hystaspis penitus deletam, aut solo æquatam; non Herodotus, non Xenophon, non Iosephus, non Iustinus, non vllus: tantùm captam aiunt, & in potestatem redactam. Imò Xenophon, pluribus narrat, quemadmodum Cyrus captam Babylonem egregiè conseruauerit. Et Herodotus lib. 3. extremo, scribens, vt arte Zopyri Babylon in potestatem Darij Hystaspis deuenerit, ait: *Zopyrus Persas in vrbem introduxit. Quod factum qui Babyloniorum videbant, ij in templum Iouis Beli confugerunt: qui non videbant, in suo quique loco permanserunt, donec & ipsi se proditos intellexerunt. Ita Babylon iterum capta est; qua potitus Darius, muros eius circumcidit, & portas omnes amolitus est: quorum neutrum Cyrus fecerat prius eidem à se captæ. Babyloniorum quoque procerum tria millia patibulis affixit, data cæteris venia vrbem incolendi.*

Vides quàm ægrè verba Prophetarum cum his vel quæ de prima sub Cyro, vel de secunda sub Dario Babylonis expugnatione exotici auctores prodiderunt, conciliari possint. Ceterùm verba illa Herodoti *Darius muros eius circumcidit & portas omnes amolitus est*, egregius sunt commentarius illorum Ieremiæ 51. 58. *Murus Babylonis ille latissimus suffossione, suffodietur, & porta eius excelsa igni comburentur.*

III. Cladem & excidium Babylonis ab Isaïa, & Ieremia prædictum, re ipsa quidem eidem contigisse: sed non totum simul, & vno tempore: sed per varios casus & fortunas, temporum successu paulatim defluente Babylonis magnitudine, initio primùm ducto à Medis, ac Persis, quousque tandem in summam vastitatem & solitudinem à Prophetis prænunciatam deciderit. Nimirum primùm sub Cyro graue vulnus accepit Babylon: dehinc sub Dario Hystaspis grauius, circumcisio muris, & portis amolitis: postea conditæ Seleuciæ vicinitate, & Ctesiphontis vehementer exausta: atque sub Adriano Imperatore penè deserta, ad supremam ferè vastitatem tempore sancti Hieronymi prolapsa, tandem penitus deserta & desolata mansit, relictis tantùm parietinis, & ruinis, ferarum lustris: atque in eum statum, seu potius casum redacta, quem cecinere Prophetæ. Expositio est sancti Hieronymi, qui ait: *Vsque in præsentem ergo diem prophetia Babylonis expletur: subuersa non habitabitur in æternum: pro illa enim Seleuciam & Ctesiphontem vrbes Persarum inclytas fecerunt, &c.* Eodem modo loca hæc interpretati sunt, Forerius, Immanuel, & Iunius, Adamus, & Sà in 13. Isaiæ, Pererius lib. 6. in Daniel. q. 6. Antonius Gueuara in 2. Habacuc, Castrus in 50. Ieremiæ.

IV. Babylonem illam priscam aduersus quam fulminant vaticinia Prophetarum, vel à Medis, ac Persis, vel aliis casibus semel funditus euersam, & deletam, nullo vnquam postea tempore, vel instauratam, vel ab hominibus cultam, aut inhabitatam fuisse. Nam eam vrbem, quæ postea Babylonis nomine in Auctoribus celebratur, haud eandem illam antiquam fuisse, sed nouam, neque in eodem quo prior, solo constructam, sed diuerso planè, de nouo ædificatam, aliis limitibus, situ, ambitu, vt omnino alia, diuersáque censeri debeat. Ita Pinctus, Montanus, Clarius. Montanus quidem hæc annotat ad verba Isaïæ: *Non habitabitur: Hebraicè ad verbum: Non sedebit ad finem. Id significat nobis apertè, Babylonem in eodem situ, ac loco ex quo euersa iam semel fuerit, nunquam iterum cessuram, aut reficiendam: ita enim diuino iudicio ad perpetuam ruinam, & euersionem damnata fuit, vt nunquam ibidem quispiam hominum habitauerit. Est autem verbum Hebraïcè THESEB, quod sedere significat: & affinitatem maximam habet cum verbo THASVB, quòd reuerti, aut redire interpretamur. Ait ergo Vates, vrbem illam nunquam in æternum vt in eodem constituatur situ, reuersuram. Deinde addit. Et non fundabitur vsque in generationem & generationem. Verbum Hebraïcum est THISCHON, quod, vti ex frequentibus exemplis obseruauimus, propriè sonat Latinè domicilium collocare. Et autem domicilium collocare, certam sedem, consilio non commutandi, figere. Ita cælum piorum hominum domicilium esse dictum est. Ait autem Isaïas: Babylonem suo loco non consessuram in æternum: neque domicilium collocaturam in generationem, & generationem.*

Isidorus Clarius hæc habet, in Ierem. 50. *Non habitabitur vltra in loco solito videlicet: nam quæ nunc Babylon dicitur, alio in loco est: neque vllum domicilium ruinis tantæ vrbis superstes apparet, si historiis creditur.* Eodem modo interpretatur Henricus Henriquez de Fine Hominis, c. 23. §. 3. littera L, in Commentario, & Ioannes Ferdinand. in Thesauro, verbo *Antichristus*, num. 4.

Etverò ex Herodoto, aliisque auctoribus, vti prædiximus, satis constat Babylonem neque à Cyro, neque à Dario Hystaspis funditus euersam, atque exciśam, sed cùm à cladibus sub Cyro, & Dario Hystaspis acceptis, tum à vicinitate Seleuciæ, & temporum iniuria, aliisque casibus in magnam solitudinem tandem redactam. Seleuciámque propemodum in locum eius, Babyloniam quoque cognominatam, successisse, sed situ & positu diuerso, nempe quadragesimo lapide à Babylone prisca dissitam. Deinde Seleucia solo æquata, successisse magnam Bagded vrbem ex ruinis Seleuciæ excitatam, quæ quoque nomen sibi Babylonis asciuerit. Hæc quidem satis cognita sunt ex his quæ superiùs à nobis de Babylone sunt dicta.

V. Vt non de vrbe ipsa materiali Babylone, hoc est, de mœnibus, turribus, domibus, ædificiis, & munitionibus, sed de ipsa ciuitate, Republica, Politia, Regno, Imperio Chaldæorum vaticinia Prophetarum, quæ eius supremum exitium canunt, sint capienda. Siquidem Respublica illa & Regnum Chaldæorum & Babyloniorum ita euersum est, vt excisum à Medis & Persis sub Dario Medo & Cyro Rege Persarum, vt nunquam amplius extiterit in rerum natura; Republica & Imperio Chaldæorum & Babylonis ad Medos & Persas penitus translato: neque vnquam in sempiternum instaurato, aut restituto. Id quod est sanè verissimum. Ita Hieronymus Osorius, qui versus 19. 20. 21. & 22. cap. 13. Isaïæ, in hunc modum paraphrasi reddidit: 19. *Erit tunc igitur à Domino, Regnum illud Babyloniæ florentissimum, amplissimúmque Imperij domicilium, & regnorum eximium decus & ornamentum, quod Chaldæorum nomen apud omnes nationes clarum & illustre faciebat, tanquam Sodoma & Gomorrha, clade horribili*

horribili deformatum,& funditus euersum,ita vt neque vestigium illius appareat. 20. *Nullis enim seculis Respublica illa extincta reuiuiscet, nec iterum status ille fundabitur:neque denique extabit vllum in terris ciuitatis nefariæ & impuræ monumentum. Vt autem,postquam ingentia ædificia à cultoribus omnino deserta labuntur & corruunt,tam horrida vastitas in locis,atque solitudo conspicitur, vt neque Pastores quidem eò greges compellere,aut tentoria ibi collocare audeant.* 21. *(Sunt enim pleraque ferarum latibulis infesta, draconúmque sibilis, & struthiocamelorum vocibus assiduè perstrepunt: siluestriáque animantia, pilis hirsuta,hinc illinc saltu transiliunt:* 22. *& diræ & infaustæ volucres horrorem vlulatibus crebris incutiunt:)sic totum illum Babylonis statum, postquam dissipatus fuerit, horribilis quædam vastitas occupabit: nec ex illius ruinis vlla vox emittetur, nisi quæ artium pessimarum feritatem redoleat.* Hactenus Osorius: nec ab hac interpretatione abhorret Gueuara in 2. Habacuch, §. 56. nec Maldonatus in 51. Ieremiæ, vers. 26.

VI. Confugerunt alij ad allegorias. Forerius, figuratè hîc sub nomine Babylonis demolitionem regni Satanæ,tenebrarum & confusionis interpretatur.Nam quamuis Prophetæ multa prædicant de lateritia Babylone: at potissimum canunt de illa spiritali, cuius typum illa corporea gessit. Quemadmodum enim captiuitas populi Dei apud Babylonem captiuitatem humani generis sub peccato & Satana præfigurabat: & liberatio alteram liberationem,quæ filiis Dei contigit, ex potestate peccati & diaboli, adumbrabat; non durum fuerit, si quæ sacri Vates de demolitione Babylonis prædixerunt, eadem altiùs de excidio regni peccati & Satanæ, per Christum patrato interpretari.

Sæpiùs inculcamus, genuinum hunc esse Prophetarum morem; vt institutæ historicæ narrationi, mysteria intermisceant: & subito sublimioris spiritus fulgore correpti, in media oratione oculos ad veritatem relicta figura conuertant:atque susceptæ historiæ seriem interrumpant:vnde plerumque accidit,vt quædam interponant,quæ non tam typo & historiæ,quàm corpori & veritati, in quã præcipuè oculos defixerant, conuenire videantur. Hoc sanè idcircò faciunt Prophetæ, vt cùm rerum historiam texunt,intelligamus non tantùm esse historiam,sed typũ alicuius mysterij,& rei sublimioris. Quò etiam pertinet peruulgatus S. Augustini, Patrum Canon,vt prophetias, quas corporaliter non videmus expletas; intelligamus spiritaliter potius esse complendas. Equidem in præsenti vaticinio difficile est videre Babylonem ita funditus euertendam prædici, vt nullo vnquam deinceps tempore subsistat in rerum natura, aut instauranda sit, vt Sodoma: quærenda igitur est altera Babylon in quam verè vtriusque Prophetæ vaticinium incurrat.Intelligamus ergo Babylonem radicitus exciſam, nunquam in sempiternum instaurandam, hoc est, Regnum peccati, mortis, & Satanæ, per Christum in æternum penitus extinctum.

Neque verò huius interpretationis solus Forerius est auctor;sed prior S.Cyrillus eam quoque amplexus est, cùm ait:*Consistet autem hæc de Chaldæis oratio, non solùm in his quæ historicè & conspicuè gesta sunt:sed etiam qui volunt poterunt intelligere spiritualiter,si rerum gestarum vim ad ipsum omnis vitiositatis inuentorem,Dei hostem immanissimum,Satanam,inquam prudenter traducant: maximè quoniam prophetica oratio, Christi mysterio præscito, & prædictione de eo optimè iam adhibita,vicinam contra Babylonem visionem introduxit:tantùm non auditorum mentes exci-*

tans,vt quæ historicè contra Babylonem facta sunt,spiritualiter intelligantur.

Leo Castrus existimauit Babylonem his vaticiniis mysticè designare vniuersum mundum, officinam totius confusionis:interitum verò & euersionem Babylonis instar Sodomæ & Gomorrhæ, esse vniuersalem orbis conflagrationem & consummationem. Siquidem Ioannes Apocal. 18.2. visus est hunc locum eodem modo interpretari, cùm ait: *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & odibilis*, &c.

Et sanè Procopius in 13.Isaïæ,refert non vno loco quorundam explanationem,quæ Isaïas illo capite pronuntiat de euersione Babylonis,de vniuersali iudicio & mundi consummatione interpretantium. Quæ expositio est etiam Anselmi Laudunensis in Glossa interlineali,& Iosephi Acostæ lib.2.de Nouissimis Temporibus,c.6.Non est quidem dubium, quin S.Ioannes eo Apoc.loco,vel istud vaticinium Isaïæ exponat, quod planè confirmat mysticè esse intelligendum; vel ad ipsum respiciat, aut accommodatis verbis alludat, quod omnes fatentur. Victorinus in Apocal. *Denique si compares quæ Isaïas contra Babylonem dicit,quæque Apocalypsis dicit,vnum esse omnia inuenies.* At quid S.Ioannes nomine Babylonis intelligat, integra ea de re nobis suo loco instituenda est diatriba. Probabilissimum est significasse Romam.

Hinc Ludouicus Alcasar in 16.Apoc. notat.5.& in c.17.disp.1.2.& 3. excogitauit,Isaiam & Ieremiã prædictis de Babylonis euersione vaticiniis,figuratè de Romæ ethnicæ mystico excidio locutos,nempe de eius idololatriæ extinctione,& ad Fidẽ Christi conuersione, vt etiam Ioannem in Apocalypsi, in his quæ de Babylonis vindicta & supplicio narrat:vt eadem prorsus sit mens Isaïæ,& Ieremiæ, ac Ioannis. Sic enim inter alia, notat.5. disserit: *Meo tamen iudicio vera eiusmodi solutio in eo, vel maximè sita est, quòd scilicet præcipua Isaïæ, ac Ieremiæ mens, in locis supradictis,non fuerit agere de antiquæ Babylonis excidio: sed sub ea comparatione vaticinari vindictam mysticam à Deo de Roma Ethnica sumendam.* Et post pauca:*Tota demum hæc Romæ maiestas,ac splendor in eo includebatur, quòd in Apocalypsi Babylon designaret Romam:& Babylonis excidium quod describit denotaret mysticã Romæ deflagrationem.Id quod quamuis auctores plurimi iique graues confirmauerint:nihilominùs tamen ingens Apocalypseos difficultas ratio erat, ne hactenus hæc Romæ gloria,quam illi Apocalypsis tribuit, innotesceret: ac nullus ferè esset Interpretum, qui hoc Babylonis incendium ad Romæ conuersionem, & Idololatriæ expulsionem applicaret. Verumtamen si difficultas hæc,diuino aspirante numine,esset superata,(vt mihi in meis commentariis præstare videor,) & perspicuè constaret,germanum Apocalypsis sensum esse eum,quem ipse statuere contendo:tunc quidem perinde planum fieret,nullam aliam illustriorem, ac sublimiorem laudem & commendationem posse de ciuitate aliqua prædicari, quàm quæ de Roma in Apocalypsi, & per Apocalypsim in Isaïæ & Ieremiæ vaticiniis celebratur.* Hæc Alcasar. Vide eundem in cap. 18. versic. 2.

At nunquam sinat Deus vt meas expositiones ita aliis probari, & commendari velim, vt quæ nulli ante me innotuerint, ipse primus scisse, & cognouisse glorier. Ergo Isaïam, & Ieremiam Babylonis nomine mysticè adumbrasse regnum Satanæ, vel mundum, vt allegorica, & mystica expositio contemni non debet: si tamen historicam

de Babylone Chaldaica non euertat : sed potiùs statuat. Nam si historico de Babylone Chaldaica sensu repudiato, allegoricum solum de orbe aut regno diaboli quis probarit, is sanè nullo pacto audiendus & ferendus fuerit. Audi S. Hieronymum in Isaïæ 13. *Audiuimus Medos, audiuimus Babylonem, audiuimus inclytam in superbia Chaldæorum: nolumus intelligere quòd fuit, & quærimus audire quòd non fuit. Et hæc dicimus, non quòd tropologicam intelligentiam condemnemus : sed quòd spiritualis interpretatio sequi debeat ordinem historiæ: quod plerique ignorantes lymphatico in Scripturis vagantur errore. Vsque in præsentem ergo diem prophetia Babylonis expletur, &c.* Nimirum Chaldaïcæ.

Sed & Tertullianus annotat, Prophetas interdum nudè & absque allegoria loqui, vt cùm clades vrbium, ac præcipuè Babylonis, prænuntiant: Libro enim de Resurrectione Carnis, cap. 20. hæc habet : *Saluo eo, quod plures voces eorum* (nempe Prophetarum) *nudæ & simplices, & ab omni allegoriæ nubilo puræ defendi possint : vt cùm exitus gentium, & vrbium resonant, Tyri, & Ægypti, & Babylonis, & Idumææ, & Carthaginensium nauium: vt cùm ipsius Israëlis plagas, aut venias, captiuitates, restitutiones, vltimæque dispersionis exitum perorant. Quis hæc interpretabitur magis quàm recognoscet ? Res in litteris tenentur, vt litteræ in rebus legantur. Ita non semper, nec in omnibus allegorica est forma Prophetici sermonis : sed interdum, & in quibusdam.* Atqui & recentiores Interpretes Adamus, Pererius dignos reprehensione eos existimant qui in excidio Babylonis ab Isaïa & Ieremia prædicto nudam & solam allegoriam sectantur. Et quidem his oraculis historicè prænuntiari Chaldaïcæ Babylonis casum, Tertullianus, sanctus Basilius, sanctus Hieronymus, S. Cyrillus, Theodoretus, Procopius, Strabus, Lyranus, & recentiores fere omnes explanatores consentiunt.

Alcasar verò si sensum historicum de Babylone Chaldaïca non statuit, non est audiendus contra communem Patrum & Interpretum sententiam. In eo autem, quod hîc Babylonem Romam interpretatur, primus & vnus est : suo fruatur ingenio : ego Patres potius sequar : vanissimúmque existimo, Isaïam & Ieremiam præfatis vaticiniis mysticæ Babylonis Romæ, mysticum decantare casum, vt ipse exponit. Verùm agemus de his abundè lib. 5. cap. 12.

Ex historicis igitur expositionibus quas adduximus tertiam præ cæteris probamus, & quartam quintæ præferimus, vtramque tamen post tertiam, non respuimus.

VII. Obseruamus nihilominus Hebraïcum *Lanetzah*, hoc est, *in finem : & Dor va dor*, id est, in generationem & generationem, quibus hîc verbis vsi sunt Prophetæ, non semper in Scriptura indicare absolutam æternitatem : sed *Lanetzach* interdum esse quod *penitus, omnino, prorsus, finaliter, tandem.* Vide Forsterum & Mercerum in Lexicis. Psalm. 9. 7. *Inimici defecerunt frameæ in finem*, id est, penitus. Et Psalm. 51. 7. *destruet te in finem.* hoc est, omnino, funditus. Porro illud *in generationem & generationem* LXX. reddiderunt, *per multas generationes.* Qua ratione ferme Græci Patres legunt, sanctus Basilius, sanctus Cyrillus, Theodoretus, Procopius. Quod igitur sacri vates aiunt : Non habitabitur vsque in finem, & non fundabitur vsque in generationem & generationem. Sic possumus interpretari : Non habitabitur tandem, nec per multas ætates condetur. Verba Isaïæ ad verbum ex Hebræo reddes : *Non sedebit in finem : & non collocabitur vsque generationem & generationem.* quæ sensum alium concipere queunt : quasi dicat, Non semper stabit Babylon : aliquando euertetur.

Deinde notum quoque illud est, voces illas, *in sempiternum, in æternum*, interdum in sacris litteris hyperbolicè sumi de longo & diuturno tempore : cuius vsurpationis sunt exempla obuia passim. Et solent Prophetæ ad perterrefaciendos impios, in comminationibus, & prædictionibus ingentium cladium, vti quandoque hyperbolis : sanè absque vllo mendacio ; quod etsi plenissimè supplicia prænuntiata eos non feriant : at id tantùm fuerit pro Dei misericordia, non ex mensu iniquitatum.

Infantia, pueritia, educatio Antichristi.

CAP. XXIII.

DE conceptu & ortu Antichristi accuratè diximus superiùs capite 2. & 3. Ergo quamprimum ex matris ventre in lucem prodibit Antichristus, proculdubio totus à satana peculiari quadam nefarij spiritus vi occupabitur, atque possidebitur. Sanctus Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 27. *Ex fornicatione parietur, atque omnem satanæ afflatum suscipiet. Deus enim incredibilem quandam futuræ ipsius voluntatis peruersitatem præscens, diabolum in eo domicilium sibi constituere sinet.* S. Ephrem Syrus sermone de Antichristo : *Nascetur autem perfectè diaboli organum.* Theodoretus in 2. Thessalonicens. 2. *Antichristum hominem peccati appellauit Paulus, quia omnem operationem diaboli in se suscipit.* Et mox : *Eligit diabolus hominem, qui possit eius omnem suscipere operationem.* Et in diuinis Decretis, capite de Antichristo : *Diabolus electo humano instrumento, sua operatione digno*, (nempe Antichristo) *ita abutetur hominibus.* Et posteà: *Diabolus aliis quidem hominibus, quoscumque persuasit esse operarios iniquitatis, non omnes immisit species iniquitatis : huic autem ipse totus coniunctus, omnis generis vitiorum & scelerum machinas per ipsum ostendet.*

Sedulius in 2. Thessalonicens. 2. *Antichristus dicitur à Paulo homo peccati, id est, diaboli.* Oecumenius in eumdem locum : *Hominem peccati dicit ipsum Antichristum, quia homo obsessus ac directus à Satana.* Theophylactus ibidem : *Homo quispiam erit Antichristus omnem Satanæ operationem recipiens.* Sed prior sanctus Chrysostomus : *Antichristus homo quidem erit suscipiens Satanæ operationem.* Rabbanus opusculo de Antichristo. *Diabolus in matrem Antichristi descendet, & totam eam replebit, totam circundabit, totam tenebit, & totam interiùs, exteriúsque possidebit, vt diabolo per hominem cooperante concipiat : & quod natum fuerit, totum sit iniquum, totum perditum : vnde ille, homo peccati & filius perditionis appellatur.* Eadem habet Rupertus in 13. Apocalyps. Et sancta Hildegardis : *Filius perditionis diabolicis artibus vsque ad fortiorem ætatem nutritur.*

Ergo

Ergo doctrinæ Patrum, & veterum Theologorum consentaneè, non dubitamus affirmare, Antichristum ex ipso materno vtero corripiendum à prauo dæmone, qui se in corpus, animúmque eius, permittente Deo, ita demerget, atque immittet, vt quoad fieri possit, totum pro libidine agat, regat, moderetur, verset, omnes eius motus, actúsque dirigens, in ipso veluti præsidens, & tanquam in impietatis arce, omnia per illum scelerum genera exercens. Quod equidem non sic intelligendum ducimus, quasi eum prorsus vt energumenos, & arreptitios dementet, aut rationis iudicio, vsúque priuet, vel libertatem omnem in vtrumuis, aut peccandi, aut rectè agendi adimat: sed quòd illi integro, sanóque mentis iudicio, atque arbitrij iure quo peccare, vel benè operari queat, conseruato, nullóque pacto diminuto; tanta efficacitate & operatione, quanta per voluntatis humanæ, & arbitrij libertatem fieri poterit, animum eius & mentem impleturus sit diabolus omni nequitia & prauitate, vt omnium scelerum, & flagitiorum turpissima sentina existat. Vide Dominicum Sotum in 4. sententiarum, dist. 46. quæst. 1. art. 1. & 2. & Franciscum Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 54. sect. 3.

Notant tamen Ioannes Viguerius Institutionum Theologicarum, cap. 21. §. 3. vers. 3. & Suarez ibidem, Non propterea, vel in matris vtero, vel maturiùs & celeriùs quàm natura patitur, affuturum Antichristo vsum iudiciúmque rationis, vt statim ab ipsa infantia nimis præpropere, peccandi studio & auiditate sese deprauet: nam id nulla auctoritas, nulla ratio, nulla probabilis coniectura, vt credamus, suadet. Et alioqui grande miraculum esset, præter omnes humanæ naturæ vires & facultatem, infanti vel concepto, vel recèns nato, ita præcociter anteuerti naturale tempus, quo homines vim intelligendi exerere incipiunt. Fuit id quidem proprium, & præclarum Christi donum: quod etiam sacræ Deiparæ, & Ioanni Baptistæ concessum, auctores docuêre præclari: quod Antichristo quoque tribuere, & in vsum præcipuè peccandi, blasphemia, & furor iure censeatur.

At vt his libenter assenserimus; ita expendi velim, num forsan verisimile appareat, diabolum sua efficacitate, & interuentu naturalium causarum sic temperaturum vires, & facultates naturæ in corpusculo Antichristi, tantúmque eas adiuturum, vt breui admodum tempore, celeriúsque quàm reliquis hominibus, affulgeat Antichristo vis intelligendi. Nam sic fieri videmus, vt pro habitu temperamenti, aut præstantia naturalium facultatum, vel sensuum quibusdam puerulis citiùs quàm aliis adsit vsus intelligendi, quos cernimus argutiores, & ingeniosiores. Quanto magis id de Antichristo existimare conuenit, vbi maior naturæ vis, & efficacior immundi spiritus operatio facilè id præstare queat.

Si quæ vnquam post conditum orbem, infantiæ, & pueritiæ cuiuscumque eorum qui in mundo habiti sunt in omni improbitatis genere profligatissimi, malignitatis, sæuitiæ, atrocitatis, ac extremæ nequitiæ indicia, & veluti anteludia præluxerunt, ea omnia plenissimè, & cum enormi cumulo, demonstraturum in primis teneríque annis Antichristum, creditu est admodum procliue. Iam enim inde à crepundiis ferè naturam sæuam, probrosam, contaminatam haud dubiis signis proferet. Leuia profectò fuerint, quæ in aliis obseruata sunt improbissimorum morum præsagia, si cum iis quæ in Antichristo præcedent, conferantur.

De Tiberio Principe Suetonius capite 57. *Sæua, ac lenta eius natura ne in puero quidem latuit: quam Theodorus Gadaræus Rhetoricæ præceptor, & prospexisse primus sagaciter, & assimilasse aptissimè visus est; subinde in obiurgando appellans eum, πηλὸν αἵματι πεφυραμένον.* Id est, lutum sanguine maceratum, vel intritum, seu arenatum, siue subactum. De Nerone id refert Suidas: *Alexander*, inquit, *Ægeus Philosophus Peripateticus præceptor Neronis Cæsaris. Hic Neronem vocabat, Lutum sanguine maceratum.*

De Caio Caligula idem Suetonius capite 11. *Naturam tamen sæuam, atque probrosam ne tunc quidem*, nimirum in pueritia, *inhibere poterat: quin & animaduersionibus, pœnísque ad supplicium datorum, cupidissimè interesset: & Ganeas atque adulteria capillamento celatus, & veste longa noctibus obiret; ac scenicas saltandi, canendique artes studiosissimè appeteret: facilè id sanè Tiberio patiente, si per has mansuefieri posset ferum eius ingenium. Quod sagacissimus senex ita prorsus perspexerat, vt aliquoties prædicaret, Exitio suo omniúmque Caium viuere: & se natricem (serpentis id genus) Populo Romano, Phaëtontem orbi terrarum educare.*

Et de Drusilla filia eiusdem Caij infantula miræ feritatis, hæc tradit, capite 25. *Nec vllo firmiore indicio sui seminis esse credebat*, (Caius) *quam feritatis, quæ tanta illi inerat iam tunc quoque, vt infestis digitis ora, & oculos simul ludentium infantium incesseret.*

De Nerone cap. 7. *Ferunt Senecam proxima nocte visum sibi per quietem C. Cæsari præcipere: & fidem somnio Nero breui fecit, prodita immanitate naturæ, quibus primum potuit experimentis.*

De Iuliano Apostata, cùm adolescens Athenis scholis operam daret, hæc refert sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 2. in Iulianum: *A me autem longè ante perspecta quodammodo fuerunt*, (nempe vitia Iuliani) *ex quo Athenis cum eo congressus sum. Tunc igitur me non malum de hoc viro coniectorem fuisse noui, quamquam alioqui non ex eorum numero sim, qui in huiusmodi rebus sciti & ingeniosi sunt. Sed me morum, ac gestus ipsius inæquabilitas, atque ingens quædam mentis emotio vatem efficiebat, siquidem vates ille optimus est, qui rectè coniicere nouit. Neque enim mihi boni quidquam significare videbantur, ceruix minimè firma, humeri quos subinde agitabat, & attollebat, oculus vagus, & oberrans, ac furiosum quiddam intuens, pedes instabiles, & titubantes, nasus contumeliam spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus proterui, & exæstuantes, nutus & renutus omni ratione carentes, sermo hærens, spiritúque interciso, interrogationes præcipites, & imperitæ, responsiones his nihilo meliores, aliæ in alias insultantes, non autem graues, & constantes, neque eruditionis ordine progredientes. Quid singula describere necesse est? Talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognoui. Quòd, siquidem ex iis qui tum simul erant, atque audiebant, nunc mihi præsto essent, haud ægrè testarentur. Adquos, vt hæc conspexi, statim his verbis vsus sum: Quale Romanorum regio malum alit, præfatus licet, ac mihi, vt falsus Vates essem, imprecatus. Præstabilius enim id fuerat, quàm tantis malis orbem terrarum impleri, taléque monstrum existere, qua-*

le nullis ante ſæculis, etiamſi alioqui diluuia multa, & incendia multa, terræque velut ebullitiones, & hiatus, ac multi inſuper crudeliſſimi homines, belluæque prodigioſæ, & ex variis generibus conflatæ, quas natura nouo more produxit, ſermone iactantur. Hactenus Magnus Gregorius. Quæ ſanè de Antichriſto meritò æſtimare debemus: ſed proculdubio longè truciora feralis ingenij & maligniſſimæ naturæ anteludia in infantia & pueritia ſua dabit Antichriſtus.

Cicero lib. 1. de Diuinatione de ortu Alexandri Magni, hæc prodit: *Qua nocte templum Epheſiæ Dianæ deflagrauit, eadem nocte conſtat ex Olympiade natum eſſe Alexandrum: atque vbi lucere cœpiſſet, clamitaſſe Magos, peſtem, ac perniciem Aſiæ proxima nocte natam.* Eadem habet Plutarchus, & alij. At quanto verius nocte qua naſceretur Antichriſtus, non Aſiæ tantùm, ſed totius orbis exitium natum clamare poterunt certiſſimi rerum coniectores. Et facilè auguramur, vt ortum ingentium calamitatum fœda quædam portenta præire ſolent, tantorum malorum veluti prænuntia; ita quoque natiuitatem Antichriſti horrenda quædam prodigia anteceſſura, quæ ſupremum illud orbi impendens malum præmonſtrent.

Antichriſtus num ſit habiturus Angelum cuſtodem.

CAP. XXIV.

CHriſtiana profeſſio eſt, ſingulis hominibus à momento ſui in lucem exortus, cuiuſcumque generis, nationis, conditionis, aut religionis exiſtant, ſingulos Angelos cuſtodes, quaſi præſides, & vitæ rectores à Deo attribui. Quod quidem præter Eccleſiæ, ac Patrum, atque Theologorum omnium miram ea de re conſenſionem, etiam veteriſſimi Poëtarum, ac Philoſophorum Gentilium agnouêre: atque hanc famam apud illos, vt veteriſſimam, ita quoque veriſſimam ſemper habitam conſtat. Sententias Patrum & Theologorum, diligenti ſtudio præter alios collegerunt, Iodocus Coccius tom. 1. Theſauri Catholici, lib. 5. art. 3. Martinus Becanus tom. 1. Opuſculo 14. cap. 6. Scriptorum verò Gentilium dicti plurimi, ſed accuratiùs Cælius Rodiginus lib. 2. Lectionum Antiquarum. c. 10. Auguſtinus Steuchus de perenni Philoſophia, lib. 8. cap. 40. Iuſtus Lipſius lib. 1. Phyſiologiæ Stoicorum, cap. 19. & 20. Ioannes Fungerus in Etymologico, verbo, *Genius*, Thomas Dempſterus in Paralip. ad c. 14. lib. 2. Ioannis Roſini Romanarum Antiq. Nec iniucundum fuerit hîc aliquas intexere.

Cenſorinus de Die Natali, c. 3. *Genius eſt Deus, cuius in tutela, vt quiſque natus eſt, viuit: ſiue, quòd vt genamur, curat, ſiue quod vna genitur nobiſcum, ſiue etiam quod nos genitos ſuſcipit, ac tuetur. Certè à genendo Genius appellatur. Eundem eſſe Genium & Larem multi veteres memoriæ prodiderunt, in queis etiam Grauius Flaccus in libro quem ad Cæſarem de Indigetamentis reliquit ſcriptum. Hunc in nos maximam, imò omnem habere poteſtatem, creditum eſt. Nonnulli binos genios in iis duntaxat domibus, quæ eſſent maritæ, colendos putauerunt. Euclides autem Socraticus duplicem omnibus omnino nobis Genium dicit appoſitum: quam rem apud Lucilium in Libro Satyrarum nono licet cognoſcere.* Et paucis interiectis: *Genius autem ita nobis aſſiduus obſeruator appoſitus eſt, vt ne puncto quidem temporis longiùs abſcedat: ſed ab vtero matris exceptos ad extremum vitæ diem comitetur.*

Seneca epiſt. 3. *Vnicuique noſtrûm Pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ, ex eorum numero, quos Ouidius ait, de plebe Deos.*

Epictetus lib. 1. cap. 14. *Quin etiam ſuum cuique curatorem dæmonem* (Genium) *appoſuit Deus, qui cuſtos eſſet vigilantiſſimus, & quem latere nihil poſſet, aut fallere. Etenim cuinam alij, aut meliori, aut diligentiori quemque noſtrûm committere cuſtodi potuiſſet? Quamobrem clauſis ianuis, ac valuis, quum in tenebris conſederitis, nolite dicere vos ſolos eſſe: non enim eſtis, non certè eſtis: ſed Deus intus, & veſter dæmon* (Genius) *non abeſt. His equidem ad videndum, lumine, & ad cognoſcendum veſtra opera nihil opus eſt.*

Martianus Capella: *Ex ſuperiorum deorum arbitrio, & ſecundorum comitatu, & Generalis omnium Præſul, & ſpecialis ſingulis mortalibus Genius admouetur: quem & Præſtitem, quòd præſit gerundis omnibus, vocauerunt. Nam & populi, Genio, cum Generalis poſcitur, ſupplicant: & vnuſquiſque Gubernatori proprio dependit obſequium.*

Seruius ad Verſum illum Maronis 6. Æneidos, *Quiſque ſuos patimur Manes*, annotat: *Eſt & aliud verius: Nam cùm naſcimur, duos Genios ſortimur: vnus eſt qui hortatur ad bona: alter qui deprauat ad mala. Nec incongruè dicuntur Genij, qui cùm vnuſquiſque genitus fuerit, ei ſtatim obſeruatores deputantur: quibus aſſiſtentibus poſt mortem, aut aſſerimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem.* Et ad verſum Æneidos 9. *Dyne, hunc ardorem mentibus addunt?* ait: *Deprehenderunt tamen Philoſophi ad omnia honeſta impelli nos Genio, & numine quodam familiari, quod nobis naſcentibus datur.*

Ammianus Marcellinus lib. 21. cap. 28. vbi agit de prodigiis, quæ mortem Conſtantij Imperatoris portendere, ait: *Poſt hæc confeſſus eſt coniunctioribus proximis*: (nempe Conſtantius) *quòd tanquam deſolatus ſecretum aliquid videre deſierit, quòd interdum adfuiſſe ſibi ſqualidius æſtimabat: & putabatur Genius quidem tutelæ ſalutis appoſitus eum reliquiſſe, mundo citiùs digreſſurum. Ferunt enim Theologi, in lucem editis hominibus cunctis, ſalua firmitate fatali, huiuſmodi quædam velut actus rectura Numina ſociari, admodum tamen pauciſſimis viſa, quos multiplices auxere virtutes. Idque & oracula, & auctores docuere præclari: inter quos etiam eſt Menander Comicus apud quem hi Senarij duo leguntur:*

Απαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
Εὐθὺς γενομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου.

Id eſt, Omni homini naſcenti ſtatim Genius ſimul adſtat Myſtagogus vitæ, ſeu, totius vitæ myſticus dux, vel moderator. *Itidem ex ſempiternis Homeri carminibus intelligi datur, non deos celeſtes cum viris fortibus collocutos, vel adfuiſſe pugnantibus, vel iuuiſſe: ſed familiares genios cum iiſdem verſatos: quorum adminiculis freti præcipuis Pythagoras enituiſſe dicitur, & Socrates, Numáque Pompilius, & ſuperior Scipio: & vt quidam exiſtimant, Marius & Octauianus, cui Auguſti vocabulum delatum eſt primò, Herméſque Termaximus, & Tyaneus Appollonius, atque Plotinus; auſus quædam ſuper hac re diſſerere myſtica, altéque monſtrare, quibus primordiis hi Genij animis connexi mortalium, quas tanquam gremiis ſuis ſuſceptas tuentur, quod licitum eſt: docéntque maiora, ſi ſenſerint puras, & à colluſione peccandi immaculata corporis ſocietate diſcretas.* Hæc Marcellinus: ſed quos Genios Pythagoræ, Socratis, Numæ, & aliorum recenſet, conſtat dæmones fuiſſe parædros.

Idem Ammianus de Genio Iuliani Apoſtatæ hæc

hæc narrat lib. 20. cap. 12. *Nocte tamen quæ declarationis Augustæ præcesserat diem, iunctioribus proximis retulerat Imperator, per quietem aliquem visum, vt formari Genius publicus solet, hæc obiurgando dixisse: Olim Iuliane, vestibulum ædium tuarum obseruo latenter, augere tuam gestiens dignitatem: & aliquoties tanquam repudiatus abscessi. Sed si ne nunc quidem recipior, sententia concordante multorum, ibo demissus & mœstus. Id tamen retineto imo corde, quòd tecum diutius non habitabo.* Et lib. 25. cap. 4. agens de nocte quæ diem necis Iuliani antecessit, ait: *Ipse autem ad sollicitam, suspensámque quietem paulisper protractus, cùm somno, vt solebat, depulso, ad æmulationem Cæsaris Iulij, quadam sub pellibus scribentis, obscuræ noctis altitudine sententiis cuiusdam Philosophi tenetur, vidit squalidius, vt confessus est proximis, speciem illam Genij publici, quam cùm ad Augustum surgeret culmen conspexit in Galliis, velato capite, cum Cornucopiæ, per aulæa tristius discedentem. Et quamquam ad momentum hæsit stupore defixus, omni tamen superior metu, ventura decretis cælestibus commẽdabat.*

Mirum planè est quòd de Geniis M. Antonij & Octauij Cæsaris Plutarchus in Antonio prodit: *At Antonium concertationes ludicræ, in quibus semper fuit Cæsare inferior, mordebant. Erat enim in contubernio eius fatiloquus quidam Ægyptius, ex natalibus prædicere futura doctus: qui vel Cleopatræ gratia, vel expromens veritatem apertè demonstrauit Antonio auspicatissimam eius, & summam fortunam à Cæsaris fortuna offuscari: suasitque vt ab illo adolescente remoueret se quam longissimè. Huius enim Genium formidat Genius tuus: qui erectus & celsus, vbi solus est, illo appropinquante demissior redditur & ignauior. Et sanè suffragari rem ipsam apparebat Ægyptio. Namque ferunt cùm per lusum quacunque in re mitterent quotidie sortem, vel alea luderent, victum discessisse Antonium, crebrò commissis gallis gallinaceis, crebrò bellatricibus coturnicibus, superauerunt emissi à Cæsare.* Eadem habet libello de Fortuna Romanorum: item & Appianus in Parthicis, pag. 156.

Idem Plutarchus de Genio M. Bruti, eius qui Dictatorem Cæsarem interfecit, hanc texit historiã in Bruto: *Cùm igitur traiecturus ex Asia esset exercitum noctis conticinio, luna non admodũ lucebat, totus autem exercitus tenebatur silẽtio. Brutus verò voluens aliquid animo, & reputans secum, visus est aliquem ingredientem sentire. Respiciens ad ianuam, spectrum cernit dirum & prodigiosum immanis, & horrendi corporis, silentio sibi assistentis. Sustinens rogare, Quisnam, inquit, aut hominum, aut deorum es? aut qua de causa ad nos veniſti? Subiecit ei spectrum: Tuus sum Brute, malus Genius, in Philippis me videbis. Cui nihil perculsus Brutus, Videbo, inquit. Eo ex oculis elapso, pueros suos vocauit: qui neque se audiuisse vocem asseruerunt, neque conspexisse visionem vllam.* Et post multa, de nocte, cui illuxit supremum Bruti prælium, quo cecidit in Philippis: *Ea nocte spectrum illud referunt iterum Bruto obuersatum eandémque repræsentans visionem, nihil locutum sed dilapsum fuisse.* Simile quippiam de Cassio Parmensi narrat Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. Atque de his iam satis. Nam de Geniis hominibus attributis plura Lipsius lib. 1. Physiologiæ Stoïcorum, cap. 19. & 20. & Cæsar Bulengerus lib. 1. de vera Magia, cap. 25. è Gentilium scriptis.

Quòd verò propriè ad Antichristum pertinet, num is quoque sit habiturus bonum Angelum custodem, sanctus Thomas 1. part. quæst. 113. art. 4. ad 3. rem sic statuit: *Sicut præsciti, & infideles, & etiam Antichristus, non priuantur interiori auxilio naturalis rationis: ita etiam non priuantur exteriori auxilio toti naturæ humanæ diuinitus concesso, scilicet custodia Angelorum: per quam etsi non iuuentur, quantum ad hoc quòd vitam æternam bonis operibus mereantur: iuuantur tamen quantum ad hoc, quòd ab aliquibus malis retrahantur, quibus & sibi ipsis, & aliis nocere possunt. Nam & ipsi dæmones arcentur per bonos Angelos, ne noceant quantum volunt. Et similiter Antichristus non tantùm nocebit quantùm vellet.* Eadem est sententia omnium ferè Theologorum, qui etiam illud annotant: Ob eam etiam rationem Angelum custodem Antichristo fore destinandum, vt multo dignior æterna damnatione sit futura improbissimi hominis extrema malignitas, quòd salutaribus sancti Angeli monitis, tam surdas sit obiecturus aures, támque præfractè reluctaturus, vt inde nihil ad salutem, sed ad perniciem omnem & corruptelam sit hausturus.

Ioannes Viguerius Institut. Theologic. cap. 21. §. 3. versu 3. existimauit sententiam esse sancti Thomæ, Antichristum, mox vt vti cœperit rationis iudicio, deserendum ab Angelo custode: eius verba sunt: *Diuus Thomas tamen dicit, quod adueniente vsu rationis, Angelus ei ad custodiam deputatus, propter eius nequitiam derelinquet eum: & sic derelictus, amplius à dæmonibus seducetur, & eorum suggestionibus adhærens, prosequetur omnia diaboli voluntatem.*

Hanc Viguerij sententiam, puto suggillari à benedicto Iustiniano, comment. in 2. Thessalonic. 2. vers. 9. cùm ait: *Et quidem tutelaris Angeli patrocinio priuandum, non ita multo post, quàm mentis & intelligentiæ lucem aspexerit, asserunt nonnulli, qui quoniam suæ sententiæ veros auctores nullos habent, grauissimis Theologis falsò illam imponunt.* Hæc ille. Equidem nec credere, nec diuinare possum sanctum Thomam tale quippiam quale Viguerius astruit, docuisse.

Sanctus Antoninus 4. part. Theologiæ, tit. 13. cap. 4. §. 3. ait: *Quamuis Angelus bonus Antichristo non subtrahetur ad custodiam: tamen postquam incipiet malitia vti, nullum effectum custodiæ in eum exercebit, eo obstinato.*

Franciscus Suarez tom. 2. disp. 54. sect. 3. *Itaque non est verisimile esse deserendum ab Angelo custode, quantum est, vt sic dicam, ex parte Angeli: quia semper paratus erit ad custodiendum illum, & ad suggerendum bona, & auertendum à malis. Qui quamdiu ille est viator, commissus erit curæ, & custodiæ sui Angeli. Item quia neque existimandum est Deum illi denegaturum gratiam suam sufficientem, & necessariam quantum est ex parte Dei, seu quod idem est, si ipse impedimentum non posuerit. Est autem verisimile, tantam fore Antichristi malitiam, ac tam frequentem vsum operandi & cogitandi mala, tantámque cum dæmone familiaritatem & coniunctionem, vt vix vnquam det locum alicui bonæ inspirationi, aut effectui spirituali Angelicæ custodiæ, aut diuinæ gratiæ.*

Benedictus Iustinianus in 2. Thess. *Suo profectò munere perpetuò fungetur bonus Angelus, sed quæ erit Antichristi malitia, irrito semper conatu: quippe ille omnia salutaria consilia, & monita improbè repudiabit, contrà verò sese dæmoni facilem, atque obsequentem præbebit, quem sibi omnibus penè modis deuinctum, obstrictúmque habebit.* Vide Florimundum Raymundum lib. de Antichristo, cap. 47. Existimarunt aliqui Antichristum ab eo tempore quo tam atroci blasphemia se Deum verum appellabit, penitus derelinquendum, & abiiciendum ab Angelo sancto. Verùm ea de re dicemus lib. 8. cap. 4. At de Angelo custode

Anti

Antichristi dissentiunt quoque ex professo Tostatus in cap. 18. Matthæi, quæst. 62. & Martinus Becanus, tom. 1. opusc. 14. de officiis Angelorum, cap. 10. qui doctrinæ S. Thomæ superiùs à nobis positæ fideliter inhærent.

Locus vbi educandus est Antichristus.

CAP. XXV.

RAbbanus in Opusculo de Antichristo: *In ciuitatibus Beth-zaida & Corozaim nutriri, & versari dicitur* Antichristus: *quibus ciuitatibus Dominus in Euangelio imprecatur dicens: Va tibi Beth-zaida, va tibi Corozaim.*

S. Anselmus in Elucidario: *In Corozaim à maleficis nutrietur.* Idem ex Vincentio Bellouacensi affirmat Ioannes Viguerius Institutionum Theologicarum, cap. 21. §. 3. vers. 3.

Sanctus Antoninus 4. part. Theol. tit. 13. cap. 4. §. 3. refert Methodium Martyrem, qui multa de Antichristo scripsit, tradidisse, Antichristum nutriendum in Nazareth, apparitutum in Capharnaum & Corozaim, vbi regnare incipiet. At quisnam fuerit iste Methodius pluribus disseruimus, lib. 1. cap. 1. Nec dubito apocrypha esse fragmenta quæ ex ipso citant Vincentius, sanctus Antoninus, & alij.

De Beth-zaida verò hæc habet S. Hieronymus in Locis Hebraïcis: *Beth-zaida ciuitas est Galilææ, Andreæ, Petri, & Philippi, propè stagnum Genezareth.* Quòd verò trium horum Apostolorum patria fuerit, disertè Ioannes affirmat cap. 1. 44. Iosephus lib. 18. Antiquit. cap. 3. de Philippo Tetrarcha scribit: *Vico etiam Beth zaidæ in ripa Lacus Genezarethini, vrbis speciem addidit, frequentato incolis, & aucto opibus: quem Iuliæ Cæsaris filiæ cognominem esse voluit.* Fuisse autem situm in Peræa, lib. 2. Belli, cap. 8. indicat. Brocardus autem inquit: *A Nephthalim patria Tobiæ, tres sunt leucæ ad Beth-zaidam in angulo maris Galilææ: habétque hodie vix sex domos.* Describit eam accuratè Adrichomius ex variis Terræ sanctæ Inspectoribus, in Tribu Zabulon, n. 18.

Sanctus Hieronymus in 28. Ezechielis: *Vnde & Viculus Petri & Andreæ hoc appellatur vocabulo: Beth-zaida enim in lingua nostra interpretatur domus Venatorum.* Id quidem Hebraïcè: at verò Syriacè constat Beth-zaidam propriè esse domum piscatoris, vt Franciscus Lucas in Matth. 11. versic. 21. Guido Boderianus, & Christophorus Drusius in Lexicis Syriacis annotarunt: Nam in Syriaca Noui Testamenti Translatione Lucæ 5-4. pro *captura* piscium, Syriacè est, *Zaïda*: & Matth. 4. 18. & alibi, *Piscatores* dicuntur Syriacè *Zaïade.* Videtúrque hoc nomen nacta, quod in ea ob commoditatem laci Genezarethici plures essent piscatores.

De Corozaim sanctus Hieronymus in Locis Hebraïcis: *Corozaim oppidum Galilææ, quòd Christus propter incredulitatem miserabiliter deplorat, ac plangit. Est autem nunc desertum in secundo lapide à Capharnaüm.* Fusè illud describit Adrichomius in Dimidia Tribu Manasse, num. 39. Est ad ostium Iordanis, quo in stagnum Genezareth influit, in eius Orientali ripa. Beth-zaida, & Capharnaum sunt cis Iordanem, Corozaim vltra, nec longo interuallo inter se tres istæ vrbes distant. Situm earum vide in tabulis Tilemanni Stellæ, Christiani Schrotij, Gerardi Mercatoris, Abrahami Ortelij, Christiani Adrichomij, Ariæ Montani.

De Capharnaum sanctus Hieronymus in Locis Hebraïcis: *Capharnaum iuxta stagnum Genezareth, vsque hodie oppidum in Galilæa gentium situm, in finibus Zabulum, & Neptalim.* Sumpsit ista S. Hieronymus è Matth. 4. 12. & 13. S. Beda de Locis sanctis, c. 16. *Capharnaum in finibus Zabulon & Nephtalim, quæ murum non habet, angusto inter montem, & stagnum situ, super maritimam horam Orientem versus longo tramite protenditur, montem ab Aquilone, lacum ab Austro habens.* Capharnaum, vel Capernaum, Hebraïcè interpretantur villam, seu pagum Consolationis, seu pœnitentiæ. Ego potius deduxerim, à *Noam*, id est, pulchritudo, amœnitas, iucunditas, quasi dicas: Villam amœnam. Hispanicè, *Villauiciosa.* Inde quoque dicta est *Naim* in eadem Galilæa, quod totus ille terræ tractus ad mare Tiberiadis esset amœnissimus. Audi Iosephum lib. 3. Belli, cap. 18. *Ad Genesar verò lacum eiusdem nominis terra prætenditur, natura simul & pulchritudine admirabilis. Nullum enim ipsa pro vbertate sui negat arbustum, totámque plantis consseuere cultores: cæli verò temperies etiam diuersis aptissima est: nuces enim quæ arborum maximè frigoribus gaudent, infinitæ florescunt: vbi etiam palmæ quas nutrit calor æstiuus: has iuxta ficus & oleæ, quibus aura mollior destinata est, vt naturæ magnificentiam hanc esse quis dixerit, vim adhibentis, vt in vnum conueniant inter se repugnantia, annique temporum contentionem bonam, veluti singula peculiari studio terræ fauerent. Non enim solùm nutrit præter opinionem poma varia, sed etiam seruat, egregia quidem, & quodammodo regalia. Vuas sanè caricas intermissione decem mensibus suggerit, cæteros verò fructus anni spatio senescentes. Nam præter aëris lenitatem, & fonte quoque irrigatur vberrimo, qui Capernaum ab indigenis appellatur. Eum nonnulli venam esse Nili existimantur, quòd similes corazino Alexandrino generat pisces. Longitudo autem regionis secundùm littora cognominis Lacus, triginta stadiis extenditur, & latitudo viginti.*

Brocardus verò: *In pede huius montis* (nempe vbi Christus habuit sermonem illum celebrem, Matth. 5. 1.) *paululum à mari Tiberiadis oritur fons viuus, quem quidam somniant venam esse Nili: Iosephus verò appellat eum Capharnaum, à quo etiam tota illa regio vsque ad Iordanem per tres leucas Capharnaum nominatur. Ab hoc fonte si ieris per viginti passus supra mare Galilææ, est locus vbi Christus post resurrectionem suam stetit in littore, dicens discipulis piscantibus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Ab eo loco Orientem versus per vnam leucam est Capharnaum, ciuitas quondam gloriosa, sed nunc vicus humilis, vix septem habens casas piscatorum: vt adimpleretur verbum Christi, ita loquentis: Et tu Capharnaum, si in cælum ascendes, vsque ad infernum demergeris.* Descriptam habes Capharnaum ab Adrichomio in Tribu Nephtalim, num. 27. 28.

Nec pigeat de Nazareth pauca subtexere. Sanctus Hieronymus in Locis Hebraïcis: *Nazareth, vnde & Dominus noster Saluator Nazaræus vocatus est, sed & nos apud veteres quasi opprobrio Nazaræi dicebamur, quos nunc Christianos vocant. Est autem vsque hodie in Galilæa viculus contra Legionem in quinto decimo eius milliario, ad Orientalem plagam iuxta montem Tabor, nomine Nazara.* Sed quid illud est, *contra Legionem?* Sciendum in eo libello de Locis Hebraïcis non semel fieri mentionem Legionis, & ibi præsertim cùm dicitur: *Ailat in extremis finibus Palæstinæ iuncta meridianæ solitudini, & mari rubro: vnde ex Ægypto in Indiam, & inde ad*

Ægyptum

Ægyptum nauigatur. Sedet autem ibi Legio Romana cognomento Decima. Aitlat in extremis finibus Paleſtinæ, iuncta meridianæ ſolitudini, & Mari Rubro. Sedet autem ibi Legio Romana cognomento Decima. In nominibus Legionum Columellæ Capitolinæ, eſt, X. Gemina, & X. Fretenſis.

Auctor libelli de Locis Hebraïcis Actorum Apoſtolicorum, ſiue is ſanctus Beda, ſeu alius fuerit ſanè eruditus: *Nazareth viculus in Galilæa iuxta montem Thabor, vnde & Dominus noſter Ieſus Chriſtus Nazarenus vocatus eſt: habétque Eccleſiam in loco, quo Angelus ad Beatam Mariam euangeliſaturus intrauit: ſed & aliam vbi Dominus eſt nutritus.* Sanctus Beda de Locis Sanctis, cap. 16. *Nazareth muros non habet, ſed magna ædificia, duáſque grandes Eccleſias. Vna eſt in medio ciuitatis ſupra duos fundata cancros, vbi quondam fuerat domus, in qua Dominus nutritus eſt infans. Hæc autem Eccleſia duobus, vt dictum eſt, tumulis, & interpoſitis arcubus ſuffulta, habet inferius inter eoſdem tumulos fontem lucidiſſimum, vnde ciues omnes aquas in vaſculis per trochleas in Eccleſiam extrahunt. Altera verò eſt Eccleſia, vbi domus erat, in qua Angelus ad B. Mariam venit.*

Brocardus: *Nazareth ciuitas Galilææ, vbi Chriſtus conceptus, & educatus fuit, diſtat ab Acone ſeptem leucis. A Nazareth duabus leucis verſus orientem eſt mons Tabor, in quo Dominus transfiguratus fuit.* Maſius in 19. Ioſuë, verſic. 12. *Aberat autem à Tabor patria Chriſti Nazareth circiter duarum horarum itinere verſus Chorum, hoc eſt, Occidentem æſtiuum, quæ ipſa quoque huius Zabulonia Tribus pars erat.*

Burchardus de Monte Sion: *Nazareth ciuitas illa dilecta, vbi flos ille florum de radice Ieſſe pullulauit, diſtat ab Acone per ſeptem leucas. De Nazareth ad tres leucas mons eſt Tabor in quo transfiguratus eſt Dominus.*

Anſelmus Ordinis Minorum, in Deſcriptione etiam Terræ ſanctæ: *Nazareth eſt illa glorioſa ciuitas, vbi flos florum, de radice Ieſſe pullulauit. In Nazareth labitur egregius fons, ex quo in pueritia Ieſus ſolebat haurire, & matri ſuæ deferre. Et hæc ciuitas ab Ieruſalem per tres dietas, vel circa, quaſi quindecim milliaria noſtra. Erat quondam ciuitas, nunc eſt oppidulum paruum. De Nazareth ad medium ſecundum milliare Ruthenicum contra Orientem eſt ſacer mons Tabor.*

Guilielmus Baldenſelius, qui ſcripſit anno Domini 1337. Itinerarium Terræ ſanctæ, editum ab Henrico Caniſio tom. 5. antiquæ lectionis, hæc habet: *Nazareth, quæ nunc villa campeſtris eſt, & immunita, domibus & habitaculis non collectis, ſed ab inuicem diſtantibus, & diſperſis. Eſt autem Nazareth ſita in valle paruula, plurimum generoſa, montibus vndique circumcluſa. Hæc eſt propria ciuitas Redemptoris, vndè ſecundùm carnem traxit originem, vnde & dicitur Nazarænus.* Et poſt alia: *In hoc loco pulchra fuit Eccleſia, atque magna, ſed, heu, quaſi deſtructa eſt: paruulus tamen locus in ea coopertus eſt, & à Saracenis diligentius cuſtoditur; vbi circa quandam columnam marmoream, aſſerunt eſſe perfecta Conceptionis myſteria veneranda. In Nazareth ſunt peſſimi Saraceni. Fons ibidem oſtenditur, vbi puer Ieſus balneatur, veſtes quoque per Matrem Virginem abluuntur, de quo & portare aquam ad hoſpitium pro humanis neceſſitatibus, tam Mater quàm Filius conſueuerunt.*

Vide quoque deſcriptam Nazareth ab Adrichomio in Tribu Zabulon, num. 73. Nazareth nulla eſt mentio in Veteri Teſtamento. Ianſenius in cap. 11. Concordiæ, ſuſpicatus eſt forſan fuiſſe Hazor, ſiue Enhazor Tribus Neptali, Ioſuë 19. 37. 38. quæ 1. Machab. 11. 67. appellatur Nazor in Græcis exemplaribus, quamuis meliorem exiſtiment lectionem Latinorum, *Azor*, Maſius & Serarius. Verùm Nazareth fuiſſe in tribu Zabulon, conſentiunt omnes, & confinia eius pulchrè demonſtrant. Cùm Nazareth nomen Hebraïcè non extet ſcriptum in ſacris litteris, & à ſancto Hieronymo & ab aliis variè lectum, & interpretatum eſt. Sanctus Hieronymus in 2. Matth. cum *Zain* ſcribit, & Sanctum interpretatur: explicans enim verba Euangeliſtæ, quibus ait à Nazareth Chriſtum Nazaræum vocatum, *Nazaræus*, inquit, *Sanctus interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat.* Alias verò cum *Tſade*, enunciat, & florem exponit. Epiſtola 18. *Ibimus ad Nazareth, & iuxta interpretationem nominis eius, florem videbimus Galilææ.* Idem habet in Iſaïæ 11. Et hoc fermè iam omnes ſequuntur. Sanctes in libro Nominum Hebraïcorum: *Nazareth Hebraïcè ſcribitur cum Tſadi: & ſic eſt in titulo ſalutiferæ Crucis, quem pluries & vidi & legi.* Merui quoque ego videre. Et Hebræi ita ſemper ſcribunt Nazareth, & Nazaræum. Qua ratione facile eſt intelligere cùm Matthæus 2. 23. ait: *Habitauit in Nazareth, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas, Quoniam Nazaræus vocabitur*, in mente habuiſſe locum Iſaïæ 11. 1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos* Heb. *Nezer, de radice eius aſcendet.* At ſunt hæc nimis peruulgata.

Ceterùm quæ fuerit cauſa cur aliqui veterum, vti prædiximus, exiſtimauerint Antichriſtum in his vrbibus, Nazareth, Bet-zaida, Capharnaum, Corozain, nutriendum & educandum, diuinare non poſſumus, niſi forſan quòd dæmon qui ſemper Dei ſimiam agere tentat, eadémque Chriſto, primordia, Antichriſto tribui procuret. Chriſtus in Nazareth nutritus, in Beth-zaida, Capharnaum, Corozain præcipuè verſatus fuit, frequenter ibi prædicauit. Volet fortaſſe diabolus ſuum Pſeudochriſtum eiſdem locis & paſſibus inſiſtere. Iam diræ illæ quas Chriſtus illis vrbibus comminatus eſt, grande aliquod malum inde naſcituram portendiſſe videntur.

Suarez tom. 2. diſp. 54. ſect. 3. Quæ de Antichriſti educatione in præfatis vrbibus feruntur, cenſet incertiſſima eſſe, nullâque auctoritate, aut rationis ſolido fundamento niti. Addit his Cornelius à Lapide in 2. Theſſal. 2. *Sed hæc omnia vel friuola, vel incerta ſunt.* Verùm exiſtimo non eſſe prorſus repudianda: nimirùm à præſtantibus ſanctitate & doctrina viris tradita. Cur enim dicemus tantos viros, ex ſuo tantùm cerebro iſta commentos. Præſertim cùm Rabbanus initio ſtatim ſuæ diſputationis de Antichriſto, hanc præfigat opportunam cautionem: *Non autem quod dico, ex proprio ſenſu fingo, vel excogito: in libris diligenter relegendo, hæc omnia ſcripta inuenio.*

Si coniecturis tamen ſit locus, facilè intelligere poſſumus, in eámet Babylone vbi naſcetur, vel in vicinis locis educandum Antichriſtum, & primos ætatis annos ibi tranſacturum: nam cùm inde quoque regnum ſit auſpicaturus, veroſimilius apparet in eadem regione pueritiam & adoleſcentiam traducturum. Quamuis ipſe cùm rapiet imperium omnia de ſua origine, & genere mentietur, quo facilius pro Meſſia à cæcis Iudæis excipiatur.

Eſt quidem verò quam maximè conſentaneum quòd ſanctus Damaſcenus lib. 4. Fidei Orthodoxæ, cap. 27. ſcribit: *Ex fornicatione itaque, vt diximus,*

naſcetur

nascetur, & clam educabitur, ac repente insurget, capútque attollet, atque imperio potietur. Etverò obscuriſſima, & ignotiſſima eius initia facilè locum dabunt cuiuis eius impoſturæ, vt maiori ſecuritate, minoríque periculo mentiri de ſe poſſit quæcumque volet: ac ſe de cælo lapſum fingere. Nec dubitamus, primæ ſuæ infantiæ & pueritiæ tempora, in magna inopia, obſcuritate, ſordibus geſturum, vti ex vaticiniis Propheticis ſuo loco demonſtrabimus.

Studia, diſciplinæ, artes, & vitæ ratio Antichriſti in adoleſcentia.

CAP. XXVI.

EXacta abominabili,& deteſtandâ pueritia,adoleſcentiam Antichriſtus auſpicatur multò deteriorem. Primùm, veriſimile eſt acutiſſimo illo, & perſpicaciſſimo ingenio quo pollebit,ſtatim ſtudiis omnis generis ſcientiarum ſe daturum, ac breuiſſimo tempore in his ingentes progreſſus facturum, ampliſſima encyclopædia ſibi comparata: adeò vt artium, diſciplinarúmque magiſtros, atque Doctores ipſos, longè ſit ſuperaturus, eóſque in maximam admirationem & ſtuporem coniecturus, acuminis tam præſentis & prompti. Nec mirum ſi Antichriſtus præſtabit quod Iulianus Apoſtata in pueritia ſingulariter exhibuit in ſtudiis magnarum artium: nam de eo Eunapius Sardianus in Maximo prodidit: *At ille ingenij vim & magnitudinem oſtendit: quidquid enim librorum proferebatur, memoria complectebatur, ita vt præcocem eruditionem agrè ferre magiſtri viderentur, quaſi non habituri quod puero inſtillarent, poſtquam nec illi quod docerent, nec Iulianus haberet amplius quod diſceret.*

Inſuper, illud pro certo tenendum, Antichriſtum præcipuam operam poſiturum in ſtudio ſacrarum Scripturarum, omnémque Hebræorum Thalmud, & doctrinam Iudaïcam apprimè imbibiturum, tum Iudæorum apud quos naſcetur, & educabitur, magiſterio, tum ſuopte præſtantiſſimo ingenio: quo promptius & paratius miſeros Iudæos ex detortis & prauè intellectis ſcripturis decipere poſſit, eíſque perſuadere ſe Meſſiam eſſe. Ad hæc, Sacroſanctæ Chriſtianæ Religionis diuina dogmata, item omnium hæreſum,ſectarum,religionum quæ in mundo tunc erunt, errores,opiniones falſas, placita, ritus, cæremonias accuratiſſimè penetrabit, vt his omnibus pro ſe, & in perniciem omnium pro variis occaſionibus abuti poſſit. Sanctus Anſelmus in Elucidario: *Sapientia & incredibili eloquentia Clerum obtinebit, quia omnes artes, & omnem Scripturam memoriter ſciet.*

Ceterùm in re nulla maiores neruos intendet, diligentiorémque curam adhibebit Antichriſtus, quàm vt magicas, curioſas, nefarias, & reprobatas artes, & omne genus incantationum, & veneficiorum, diuinationúmque,penitiſſimè ediſcat,& hauriat: in quibus omnium quotquot ante ſe fuerunt callentiſſimus & peritiſſimus proculdubio euadet. Sanctus Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 15. *Inducet quendam magnum hominem* (Antichriſtum diabolus,) *veneficiis, incantationibus, & malis artibus inſtructiſſimum.* Rabbanus verò in tract.de Antichriſto: *Habebit autem Antichriſtus magos,maleficos, diuinos, incantatores, qui eum diabolo inſpirante, nutrient, & docebunt in omni iniquitate, falſitate, & nefaria: & maligni ſpiritus erunt duces eius & ſocij ſemper, & comites indiuiſi.* Vides præceptores, comites, ſocios Antichriſti futuros magos, & nefarios cacodæmonas. Nec dubito portétoſiſſimos illos profectus quos Antichriſtus in omni ſcientiatum & artium genere,præſertim in omnifaria magia,facturus eſt,partim ab acutiſſimo ingenio, partim à vi & efficientia dæmonum profecturos. Vnde Viguerius Inſtitut.Theologic.cap.21.§.3. annotat: *Veriſimile eſt apud aliquos, quòd dæmones Antichriſto etiam corporaliter apparebunt, in Angelorum modum,& illi famulabuntur, & docebunt eum omnem nequitiam in ſuperbia & abuſione ſcientiarum.*

Lyranus in 2.Theſſal.2.inquit:*Habebit enim Antichriſtus dæmonem priuatum.* Vnum? Propenſius eſt credere, vti Rabbanus ait, multos ei familiares & parædros dæmones affuturos, qui eum omni improbitate, ac præſertim magicis, & feralibus artibus vberrimè imbuent in adoleſcentia Nec ſanè magnum putamus hac in re Antichriſtum imitaturum, imò longo interuallo ſuperaturum omnes quotquot in ſtudio eiuſmodi execrabilium diſciplinarum olim fuêre éxercitatiſſimi. De Nerone Principe adoleſcente Plinius lib.30.c.2. hæc tradit: *Non citharæ,tragicíque cantus libido illi maior,* (nempe quam magiæ) *fortuna rerum humanarum ſumma geſtiente in profundis animi vitiis: primúmque imperare diis concupiuit, nec quicquam generoſius voluit: nemo vnquam vlli artium validius fauit: Ad hæc non opes ei defuere, non vires, non diſcendi ingenium,aliáque, non patiente mundo.* Et inferiùs: *Magus ad eum Tyridates venerat, Armeniacum de ſe triumphum afferens,& ideò prouinciis grauis. Nauigare noluerat, quoniam ſpuere in maria, aliiſque mortalium neceſſitatibus violare naturam eam fas non putant. Magos ſecum adduxerat,magicis etiam cœnis eum initianerat.*

De Adriano Imperatore Dio lib. 69. *Nam cùm Adrianus maximè curioſus eſſet, tum verò diuinationibus vtebatur,& magicis artibus cuiuſuis generis.* Spartianus: *Matheſin ſic ſcire ſibi viſus eſt,vt ſerò Kalendis Ianuariis ſcripſerit quid ei toto anno poſſet euenire: ita vt eo anno quo periit, vſque ad illam horam qua eſt moriturus, ſcripſerit quid acturus eſſet.* Tertullianus Apologetici cap. 5. *Hadrianus curioſitatum omnium explorator.*

De Antonino Caracalla Dio lib. 37. *Multorum animas ex inferis euocauit, præſertim patris, & Commodi.* Et poſt alia: *Magis & præſtigiatoribus delectabatur, vt Appollonium Cappadocem, qui floruerat Domitiani temporibus laude & honore affecerit: hic præſtigiator fuerat ſolers, & magus: eique monumentum heroïcum faciendum curauit.* Herodianus lib.4. *Nam cùm ſuapte natura curioſior eſſet, non hominum modo res cognoſcere ſtudebat,ſed Deorum, dæmonúmque etiam rimari arcana: metúque ſemper inſidiarum, nullis non oraculis incubabat, accitis vndique magis, aſtrologis, aruſpicibus, ac nullo planè præterito, qui huiuſcemodi fallacias profiteretur. Sed eos quoque ſuſpectans, vt parum vera loquentes, omniáque ad aſſentationem vaticinantes,ſcribit ad Maternianum quendam, cui rerum ſuarum omnium curam in vrbe crediderat,& quem ſibi ex amicis omnibus fidiſſimum putabat, conſciúmque omnium ſecretorum ſolùm habuerat; magos vndique optimos conquirat, atque euocatis manibus, de fine ipſius vitæ conſulat, & an quiſquam Imperio inſidietur.*

De Alexandro Seuero Lampridius: *Aruſpicinæ quoque peritiſſimus fuit, Horneoſcopos magnus, vt & Vaſcones, & Hiſpanorum, & Pannoniorum augures vicerit.*

De

De Iuliano Apostata Ammianus Marcellinus lib.25. cap. 15. *Præsagiorum sciscitationi nimiæ deditus, vt æquiparare videretur in hac parte Principem Hadrianum.* At de Iuliani magiæ accuratissimo studio à prima pueritia, res est notissima: vt plures magos & incantatores præceptores habuerit, sub specie tamen pallij Philosophici sé se venditantes, qui cum eo familiarissimè, & coniunctissimè vixerint, nimirum Ædesium, Mardonium, Maximum Ephesium, Oribasium Pergamenum, Euemerum Lyban, Iamblichum, Chrysantium. Sardianum, Eusebium, Priscum, & alios eiusdem metalli artifices, quorum plurima mentio apud eundem Iulianum in Epistolis, & Eunapium Sardianum in Vitis Philosophorum. Sed & de magia Iuliani multa S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum, sanctus Chrysostomus orat. in S. Babylam, & Ecclesiasticæ Historiæ auctores prodiderunt: quæ & nos opportunè hoc opere suis locis inseremus. At qui in studiis & disciplina magicarum artium omnes quotquot ante se fuerunt curiosissimi, & callentissimi, longo post se Antichristus interuallo relinquet. Sed de magia Antichristi dicemus plenius lib. 7. cap. 5.

Illud etiam pro comperto tradimus, Antichristum adolescentiam suam per omnia probra ac dedecora vitiorum traducturum: verùm tam mirus erit hypocrita, & adeò peritus dissimulandi, fingendi, imponendíque artifex, vt raram & exquisitam morum probitatem & sanctimoniam simulet, omnisque virtutis exemplum, & imaginem mentiatur. Flagitia quidem cuncta occultissimè patrabit: in publico tamen omnes probæ & sanctissimæ vitæ vmbras & simulacra effingere conabitur, vt cunctos decipiat.

Sed ante omnia in Oratoria, seu Rhetorica, vniuersáque arte dicendi, omnem dabit operam vt absolutissimus euadat, quo prævalida facundia, eloquentia, víque maxima persuadendi omnes ad se rapiat. Assentator futurus est artificiosissimus, mentiendi artifex callidissimus. Modis omnibus, omnium hominum ingenia demereri conabitur, nullo officij, aut obsequij genere erga quoscunque mortales prætermisso. Admirationem & fauorem hominum, specie cum primis sanctitatis, pietatis, religionis, item doctrinæ ac scientiæ sanè prodigiosissimæ nomine, adhæc vi & efficacitate incredibilis facundiæ, sibi potentissimè conciliabit. Ingenio illo suo rerum omnium ad portentum vsque capacissimo, forma pulcherrimi & speciosissimi corporis, quæ illi egregiè inerit, verborum lenocinio, promissis amplissimis, futurorum prænotionibus, vaticinationibusque, quibus nihil validius ad capiendos dementandósque vanissimos animos hominum, ita multos inescabit, deuinciet, obstringétque sibi, vt in omnium ore, admiratione, stupore, ac præclara quidem fama esse incipiat: omnésque certatim suum studium, operam, & vires illi promptissimè offerant. Hæc quam sint verosimilia, non erit difficile cuiuis erudito & prudenti persuaderi. Et sanè qui eo tempore viuent plura & multo maiora, si animum aduertent, poterunt in Antichristo obseruare, quæ nec mens nostra, nec oratio satis nunc explicare valebat.

His ergo studiis & artibus innutritus ac planè decoctus, annitente, & adiuuante cum primis diabolo, cum quo semper rerum suarum consilia agitabit, quem perpetuo auctorem, & effectorem suorum conatuum est habiturus, magnam amicorum cohortem, multámque perditissimorum hominum ac præcipuè Iudæorum colluuiem, qui se se ei libentissimè adiungent, coget, trahétque; cum fidissimis primùm amicorum pectoris sui arcano communicato, incipiet inter paucos se verum ac legitimum Regem prædicare à Deo missum, magnum Dei ministrum, orbis instauratorem, quem Deus extraordinario & amplissimo munere ornauerit ad docendum, regendum, restituendúmque mundum, ac rebus fessis ac penè deperditis ferendam opem. Atque hinc sumentur exordia Regni Antichristi, de quibus libro 6. dicemus, cap. 8.



DE ANTICHRISTO

Liber Quartus.

DE PRÆDICATIONE EVANGELII IN TOTO ORBE, QVOD ERIT SIGNVM aduentus Antichristi.

Sententiæ Patrum, Apostolorum temporibus Euangelium fuisse iam in toto orbe prædicatum.

CAPVT I.

SANCTVS IGNATIVS Episcopus Antiochenus & Martyr epist. 9. quæ est ad Philadelphienses: *Vna est Ecclesia, quam suis sudoribus & laboribus fundarunt sancti Apostoli à finibus terræ vsque ad fines, in sanguine Christi.*

Eusebius Cæsariensis lib.2. Hist. Eccles. cap.3. de Apostolorum prædicatione hæc ait: *Ita quidem certè, cælesti, diuináque virtute & præsidio repente, nulla ferè mora interposita, tanquam quoddam solis iubar, salutare Dei verbum vniuersum terrarum orbem suo splendore collustrauit, sacrarum litterarum testimonio appositè respondens: In omnem terram sonus diuinorum Euangelistarum & Apostolorum exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum. Atque Ecclesia quidem Christi non aliter quàm area, quæ tempore messis immenso frumenti numero derepente compleri solet, infinita propè & innumerabili multitudine hominum in cunctis ciuitatibus & vicis veram religionem ac fidem amplectentium subitò referta est.* Eadem omnino habet Nicephorus lib.2. Histor.cap.8.

S.Hilarius can.25. in Matth. *Ac tum per omnes orbis partes viris Apostolicis dispersis, Euangelij veritas prædicabitur: & cùm vniuersis fuerit cognitio sacramenti cælestis inuecta, tum Ierusalem occasus & finis incumbet: vt prædicationis fidem, & infidelium pœna, & metus ciuitatis erutæ consequatur. Hæc igitur in eam, vt fuerant prædicta, perfecta sunt: & lapidatis, fugatis, peremptis Apostolis, fame, bello, captiuitate consumpta est.*

S.Hieronymus in 11.Isaïæ: *Tradunt Ecclesiastica Historia, quòd Apostoli in toto orbe dispersi Euangelium prædicarint: ita vt quidam Persas, Indósque penetrarent: & Æthiopia daret manus suas Deo: vt trans flumina Æthiopiæ inde Christo munera deferrentur.* Et in Danielis 9. *In totum enim orbem per Apostolos Euangelium prædicatum est: qui vsque ad illud tempus perseuerarunt, tradentibus Ecclesiasticis historiis, Ioannem Euangelistam vsque ad tempora vixisse Traiani.*

S.Ioannes Chrysostomus homil.76. in Matth. *In vniuerso enim orbe prædicabitur, inquit Christus, Euangelium hoc in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Consummatio scilicet Ierosolymorum. Quod enim istud diceret, quodque ante vrbis euersionem, per mundum Euangelium effusum esset, Paulum audi: In omnem terram exiuit sonus eorum. Et rursus: A spe Euangelij quod audistis, quod prædicatum est in omni creatura, quæ sub cælo est. Et videas eum à Ierosolymis ad Hispanias vsque currentem. Quòd si vnus in tanta orbis parte prædicauit, cogita quid à reliquis factum fuerit. Sed & alibi Paulus de Euangelio scripsit, quòd fructum ferat, & crescat in omni creatura quæ sub cælo est.* Et post pauca: *Idcircò posteaquam Euangelium in vniuerso orbe prædicatum fuerit. Ierosolyma euertetur, vt nec vmbra excusationis ingratis relinqueretur. Nam qui potentiam eius in breuissimo temporis spatio per totum orbem quasi fulgur rutilasse viderunt, quam veniam habebunt in duritia permanentes. Quod autem vbique tunc prædicatum fuerit, Paulus, vt diximus, ostendit dicens: A spe Euangelij quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cælo est. Quæ res maximum argumentum omnipotentiæ Christi est. Viginti enim annis, aut ad summum triginta, ad omnes oras orbis Euangelium transcurrit Post hæc igitur, vt dixi, Ierosolymorum finis aderit.*

Victor Antiochenus in 13. Marci, vers.10. *Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Euangelium. Siquidem ante Ierosolymam expugnatam, Christi Euangelium in quamplurimis, imò verò in omnibus penè orbis partibus iam diuulgatum & prædicatum fuerat: notum est enim illud Pauli: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines terræ verba eorum. At verò licet Apostoli vbique terrarum prædicarent, &c.*

Theodoretus de curatione Græcarum affectionum lib.9. *At nostri illi piscatores ac publicani, sutórque ille noster cunctis nationibus legem Euangelicam detulerunt. Neque solùm Romanos, qui sub Romanos,*

manos, qui ſub Romano viuunt Imperio', ſed Scythas quoque ac Sauromatas, Indos præterea, Æthiopes, Perſas, Seras, Hircanos, Britannos, Cimmerios, & Germanos, vtque ſemel dicatur, omne hominum genus, nationéſque omnes induxerunt, Crucifixi leges accipere; non armis vſi, non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Perſicæ violentia, ſed verborum ſuaſu, oſtenſa legum, quas prædicabant, vtilitate.

S.Beda in 13. Marci, elucidans verba illa Chriſti: *Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Euangelium Dei*, ait: *Hoc ita fuiſſe completum Eccleſiaſticæ teſtantur hiſtoriæ, in quibus refertur, quòd Apoſtoli omnes multò ante excidium Iudææ prouinciæ, ad prædicandum Euangelium toto fuerint orbe diſperſi, excepto Iacobo Zebedæi, & Iacobo fratre Domini, qui priùs in Iudæa pro verbo Euangelij ſanguinem fuderant.* Eadem Strabus in Matth.24.

Theophylactus in Matth. 24. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio. Prædicabitur enim Euangelium in omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio, non mundi, ſed Ieruſalem. Nam ante captam Ieruſalem prædicatum eſt Euangelium, ſicut & Paulus dicit, Euangelium, quod prædicatum in omni quæ ſub cælo eſt creatura. Nam quod de fine Ieroſolymorum dicat, manifeſtum eſt ex ſequentibus.* Et in Marci 13. *Et in omnes gentes oportet prædicari Euangelium, & tunc capietur Ieruſalem. Nam quòd ante captiuitatem prædicatum ſit Euangelium, audi Paulum: In omnen terram exiuit ſonus eorum, & in omnes fines terræ verba eorum. Quod etiam in maiorem condemnationem Iudæa factum eſt, quòd ante captiuitatem vbique Euangelium prædicatum eſt. Nam cùm viderent tam breui tempore in totum orbem prædicationem tranſire, etiam ipſi agnoſcere debuiſſent Chriſti virtutem.* Eadem fermè habet Euthymius in Matth.24.& Marci 13. vterque ex S.Chryſoſtomo deſumentes.

Metellus Tergeſeenſis in Oda in SS. Martyres Marium & Martham Perſas.

Lydica regna quondam
Perſide cum Principibus, progenieque Regum
Se fidei dederunt,
Primitiuis Eccleſiæ temporibus ſubacta;
Rebus Apoſtolorum
Strenuè geſtis, Domini iura libens recepit
Cælica totus orbis
India de finibus ortus dat vbi diem ſol,
Quæ tenet arua Thomas.
Vſque Spanos occidui Sideris axe clauſos,
Quos Iacobus docebat.
A Scytharum frigoribus perpetuis in æuum
Quæ tulerat Philippus.
Ad peruſtæ proxima quadrantificat nigellos
Æthiopes Matthæus.
Mundus omnis dogmata iam reſcierat ſalutis,
Barbarie relicta
Diſciplinam Catholicæ religionis hauſit.

De hoc Metello vide infrà cap.5.

Zacharias Chryſopolitanus Epiſcopus in Harmonia Euangelica cap. 145. interpretans Domini verba Matth.24.14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio*; inquit: *Sicut enim Eccleſiaſticæ teſtantur hiſtoriæ, multo ante excidium Iudææ, omnes Apoſtoli ad prædicandum Euangelium per totum orbem ſunt diſperſi exceptis Iacobo Zebedæi, & Iacobo fratre Domini, qui priùs in Iudæa pro verbo Euangelij ſanguinem fuderunt. Igitur ante conſummationem euerſionis Ieruſalem, fuit in quatuor partibus mundi prædicatio Euangelij.* Atqui recentiores plerique in ea quoque ſunt opinione, iam tempore Apoſtolorum Euangelium prædicatum fuiſſe in toto orbe, vti Toſtatus in Matth. 24. Lyranus ibidem, & in Pſalm.18. Hadrianus Finus lib.2. Flagelli aduerſus Iudæos, cap.12. Pintus in 2.Danielis, Leo Caſtrus in Apologetico, pag.261. Genebrardus lib.2.Chronologiæ, pag.227. & lib.3. pag. 371. Gagnæius, & Ianſenius in 24.Matthæi.

Huius ſententiæ præcipua argumenta ſunt: Primùm, quia Paulus de Apoſtolorum ſuo tempore prædicatione Romanor.10.18. inquit: *Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Scripſit autem eam ad Romanos Epiſtolam Paulus anno 2. Neronis, & Chriſti 58. hoc eſt 24. poſt Paſſionem Domini, vt Annales Eccleſiaſtici à Baronio, & Gordono editi, conſignant: iam ergo eo tempore Euangelij prædicatio vniuerſum terrarum orbem peruagata fuerat. Huius argumenti ſolutionem habes infrà cap.43.

II. Coloſſenſium 1.5. ait idem Apoſtolus: *In verbo veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos: ſicut & vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit.* Et verſu 23. *Immobiles à ſpe Euangelij, quod audiſtis, quod prædicatum eſt in vniuerſa creatura, quæ ſub cælo eſt.* At epiſtolam ad Coloſſenſes ſcriptam anno 4. Neronis, Chriſti verò 60. hoc eſt 26. à Paſſione, iidem annales Eccleſiaſtici confirmant. Vide infrà cap.44.

III. Dominus Apoſtolis mandauit, Marci 16. 15. *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Seu, vt apud Matth.28.19. eſt: *Docete omnes gentes.* At quænam ratio eſſe potuit, vt id Chriſti præceptum Apoſtoli non impleuerint? Et Paulus Rom.1.8. *Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo.* Adde, Si vnus Paulus tam longè latéque Euangelium diſſeminauit, nempe ab Ieruſalem & Syria ad Illyricum & Hiſpanias vſque quid exiſtimandum eſt, à reliquis Apoſtolis, & Septuaginta diſcipulis, horúmque comitibus & ſectatoribus factum fuiſſe? Denique ſi attentè enumeremus prouincias omnes, in quibus Apoſtoli prædicarunt, quaſque Annales Eccleſiaſtici Baronij anno Chriſti 44. probata fide percenſent, nullam fermè ex toto orbe reperiemus, quam Apoſtoli Euangelij propagandi cauſa non adierint. Vide infrà cap. 44.

Eccleſiæ quibuſdam Apoſtolis adhuc viuentibus, & Dei Genitrici etiam in humanis agenti erectæ.

CAP. II.

NIcolaus Lyranus cupiens oſtendere iam ipſis adhuc ſuperſtitibus Apoſtolis Euangelium in toto orbe fuiſſe prædicatum, mirabile iſtud refert in Pſalm.18. *Viuente Beato Petro fides Chriſti prædicata eſt vſque in Franciam, quæ eſt in vltimo climate verſus Occidentem: vnde & Senonis fundata eſt Eccleſia in nomine Beati Petri Viui, quia ipſo viuente conſecrata eſt.* Et in Matth. 24. fuſiùs hæc narrat: *Viuente enim Petro fides prædicata eſt in Italia, & non ſolùm in Italia, ſed etiam in Gallia, quia ſanctus Sabinianus, qui fuit vnus de Septuaginta, miſſus à Beato Petro in Galliam cum pluribus aliis, ciuitatem Senonenſem (quæ tunc erat Metropolis Galliæ, & vo-*

cabatur ciuitas Aurea) *conuertit ad Christum : & ibi tribus Ecclesiis ædificatis, vna scilicet in honorem Beatæ virginis, alia in honorem Beati Stephani Protomartyris, & alia in honorem sancti Ioannis Baptistæ ; quartam ædificauit in honorem B. Petri : quæ quia viuente Petro constructa est, ideo Ecclesia Beati Petri Viui adhuc nominata est vsque in hodiernum diem.* Hæc Lyranus, vt apparet ex antiquis monumentis & fideli traditione Ecclesiæ Senonensis. Qui etiam in 1. Abdiæ hæc scribit : *Procedens vsque in Franciam Sanctus Sabinianus, qui fuit de Septuaginta duobus discipulis vnus, conuertit ad fidem ciuitatem Senonensem, quæ tunc erat Metropolis in tota Francia, & ciuitas Aurea vocabatur : & post ciuitatis conuersionem, eam Domino dedicauit, faciens Cruces in muro ciuitatis cum pollice, cui cedebat lapis sicut cera mollis, & adhuc apparent in pluribus locis, sicut ego vidi, qui hæc scripsi.* Verùm de Ecclesia Beato Petro adhuc viuente à Sancto Sabiniano dicata, adstipulantur Lyrano etiam Adrianus Finus lib. 5. Flagelli aduersus Iudæos, cap. 10. & Petrus Canisius lib. 5. de Maria, cap. 23.

Clara extat inter sanctos memoria Sabiniani in in Martyrologiis, Romano, S. Bedæ, S. Adonis, Vsuardi. Quòd verò Sabinianus vnus fuerit de LXXII. Discipulis, vti Lyranus affirmat ; latuit id quidem Hippolytum Thebanum, & Dorotheum, qui in Indicibus LXXII. Discipulorum à se confectis nullam Sabiniani fecêre mentionem.

Cæterùm ex quo in hæc delapsa est oratio, haud fuerit ingratum parergon, si quæ de Ecclesiis Deiparæ Sanctissimæ & Apostolis quibusdam dum viuerent, ædificatis, traduntur, hîc intexuero. Martam & Mariam sorores Dei Genitrici adhuc viuenti Ecclesiam Massiliæ extruxisse, ex Annalibus Francorum annotat Petrus Canisius lib. 5. de Beata Maria, cap. 23. & attestatur Vincentius Bellouacensius lib. 8. Speculi Histor. cap. 29.

Apud Antaradum insulam in mari Phœniceo, Sanctum Petrum Apostolum ædificasse sacellum, seu paruam Ecclesiam in honorem Sacræ Virginis Deiparæ adhuc viuentis, in qua primum idem Apostolus Missæ sacrificium peregerit, ex incolarum fideli traditione acceperunt, qui cum Gothifredo Bullionio in memorabilem illam Terræ Sanctæ expeditionem profecti sunt, vti annotauit Raphaël Volaterranus lib. 11. Geographiæ. Et Christianus Adrichomius in Theatro Terræ Sanctæ, in Locis exteris, num. 7. hæc refert : *Scribit Clemens D. Petrum Apostolum, cùm ab Ierosolymis Antiochiam petens, Phœnicem circumiret, Antaradi aliquandiu Euangelium prædicasse. Vbi eundem in B. Mariæ Virginis honorem paruam fundasse Ecclesiam, & in eadem diuina mysteria celebrasse Vuilhelmus Tyrensis Archiepisc. & Iacobus de Vitriaco Episcopus Ptolemaidensis referunt.*

Iam S. Iacobum Apostolum Zebedæi filium eidem Dei Genitrici adhuc in viuis agenti, ad ripas amnis Iberi Cæsaraugustæ sacram ædiculam, seu sacellum construxisse dicemus ex instituto inferiùs cap. 5.

S. Marcum Euangelistam primum Alexandriæ Episcopum, in eadem vrbe Ecclesiam nomine S. Petri Apostoli præceptoris sui, nondum defuncti fundasse, S. Gelasius Papa Primus affirmat in Concilio Romano, his verbis : *Secunda sedes apud Alexandriam Beati Petri nomine à Marco eius discipulo & Euangelista consecrata est.* Et Petrus Damianus sermone de S. Marco : *Alexandrinam Marcus Euangelista fundauit Ecclesiam, eámque Magistri nomine fideliter dedicauit.* Certum verò est ex Eusebio lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 24. S. Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis in Marco, Martyrologiis Romano, S. Bedæ, S. Adonis, Vsuardi, 25. Aprilis, S. Marcum consummare Martyrium octauo Neronis anno : cùm constet consensu omnium S. Petrum Martyrio obiisse 13. Neronis anno, vt annales Ecclesiastici Baronij & Gordoni anno Christi 69. demonstrant. Vnde si S. Marcus Petro Apostolo Ecclesiam Alexandriæ ædificauit, non nisi Petro adhuc viuenti fundare potuit.

Apud Clementem lib. 10. Recognitionum cap. vltimo, refertur, Theophilum nobilem quendam Antiochenum à S. Petro Apostolo ad fidem conuersum domum suam Ecclesiam in honorem eiusdem Apostoli adhuc viuentis consecrari fecisse : in eáque Petri Cathedram qua Antiochiæ sederat, collocasse.

Canisius lib. 5. de Beata Virgine, cap. 25. auctor est, celebrem in Germania vigere traditionem, veteréque Colonienses & Treuerenses Ecclesiæ Annales prodere, S. Maternum ex primis Petri Apostoli discipulis, non procul à Molsheim propè Argentinam, templum in eiusdem S. Petri nondum mortui honorem dedicasse, Domum Petri, siue Germanicè *Thompeter* appellatum. Retinent Materni memoriam inter Sanctos celebrem Martyrologia, Romanum, & S. Bedæ, 14. Septembris.

Si Abdias Babylonius esset auctor idoneus, lib. 5. Historiæ Apostolicæ de quibusdam à S. Ioanne Apostolo baptizatis, hæc memorat : *Qui cùm baptizati fuissent cum vniuersis domibus & familiis suis, affinitatibúsque, fregerunt omnia simulachra, & fabricauerunt Basilicam in nomine S. Ioannis : in qua ipse Ioannes Apostolus assumptus est, hoc ordine : Cùm esset annorum nonaginta septem, &c.* Pergit describere obitum S. Ioannis. At de his satis.

Opportunè hîc inserimus singularem sententiam Iacobi de Valentia Episcopi Christopolitani de prædicatione Euangelij tempore Apostolorum : is enim Commentariis in Psalm. 18. elucidans verba illa, *In omnem terram exiuit sonus eorum*, existimat, Apostolis etiam viuentibus, Euangelium, vel eorumdem prædicatione, vel occulta Dei inspiratione, vel oraculis ex adytis Idolorum à dæmonibus fusis, vel Sanctorum Angelorum annuntiatione in omnibus mundi regionibus fuisse promulgatum : atque hoc pacto completa fuisse vaticinia Psalm. 18. vers. 5. Matth. 24. 14. Rom. 10. 18. Colossens. 1. 5. & 23. de prædicatione Euangelij per totum orbem, ipsa Apostolorum ætate : verba Iacobi sunt : *Quamuis enim Apostoli non legantur penetrasse ad Hunnos & Gothos, & extrema, seu interiora Æthiopiæ, Indiæ, & aliarum mundi partium, præsertim Septentrionis, cùm Hunni & Gothi in alio velut orbe ignoto & inaccessibili habitarent vltra Mæotidem paludem.* (Rectè Iacobus : nam Plinius lib. 4. cap. 13. Scandinauiam, vnde illi eruperunt, alterum terrarum orbem appellat) *tamen in die Natiuitatis Christi omnia idola eorum clamauerunt, Regem pacis, & Dominum totius mundi fuisse natum in medio mundi. Ipsique congregati duobus agminibus, relictis sedibus, transita Mæotica palude, in hunc orbem sese effuderunt, quæsituri nouum Regem, recens natum.* Hæc Iacobus. Certum est quidem ex Auctoribus, Gethas, seu Gothos temporibus Augusti Cæsaris in Romanos fines inuasisse. Vide Ludouicum Viuem præfat. in libros de Ciuitate Dei S. Augustini. Porrò Æthiopes quoque oraculis incitatos, ad nouum quærendum regem erupisse, idem Iacobus affirmat.

affirmat. Vnde putat ad nationes iſtas remotiſſimas ſonitum & rumorem Euangelij perlatum fuiſſe ſingulari prouidentia Dei, ſiue per bonos, ſiue per malos Angelos. Addit etiam Virgilium, reſponſa quæ ab oraculis per totum mundum reddita erant ſub tempora Auguſti Cæſaris, nimirum, Naſci tunc totius mundi Dominum, ineptè atque adulatoriè ad Auguſtum attraxiſſe, cùm re vera Chriſtum Dei Filium decantarent. Sic enim 6. Æneidos ait.

Huius in aduentu iam nunc & Caſpia regna
Reſponſis horrent diuûm, & Mæotica tellus,
Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili.

Hæc eſt ſententia Iacobi Chriſtopolitani. Sed quod ad idolorum ſpectat oracula. Seruius præfata Virgilij carmina enarrans, inquit: *Quod autem dicit, verum eſt: nam & Suetonius ait in vita Cæſaris, reſponſa eſſe data per totum orbem naſci inuictum Imperatorem.* Verba Suetonij in Octauio, cap. 94. ſunt: *Auctor eſt Iulius Marathus, ante paucos quàm naſceretur menſes, prodigium Romæ factum publicè, quo denuntiabatur Regem Pop. Roman. Naturam parturire. Senatum exterritum cenſuiſſe, ne quis illo anno genitus educaretur. Eos qui grauidas vxores haberent, quoad ſe quiſque ſpem traheret, curaſſe, ne Senatuſconſultum ad Ærarium deferretur.* Læuinus Torrentius ad hunc Suetonij locum iſta annotauit: *Idem è libris Sibyllinis creditum fuiſſe, & quidem eo naſciturum tempore, quo Ægyptus in Romanorum poteſtatem veniſſet, probat certiſſimus Auctor Cicero lib. 1. Epiſtola ad Lentulum, & lib. 2. de Diuinatione. Verum illum orbis terræ Regem ac Dominum fuiſſe Ieſum Chriſtum, etiam aduerſariorum teſtimoniis conuincitur.*

Diuerſæ Patrum aſſertiones, non fuiſſe Apoſtolorum tempore prædicatum Euangelium in toto orbe.

CAP. III.

ORigenes tract. 28. in Matth. agens de ſtatu futurarum rerum in fine ſæculi ait: *Et in hoc ſtatu conſtitutis rebus, Euangelium, quod priùs non fuerat prædicatum in toto mundo, (Multi enim non ſolùm Barbarorum, ſed etiam noſtrarum gentium, vſque nunc non audierunt Chriſtianitatis verbum:) tunc autem prædicabitur, vt omnis gens Euangelicam audiat prædicationem, & nemo derelinquatur, qui non audiuerit: & tunc erit ſæculi finis. Si autem hæc ita ſe habent; ſic & nondum eſt prædicatum Euangelium Regni in toto orbe. Non enim fertur prædicatum eſſe Euangelium apud omnes Æthiopas, maximè apud eos qui ſunt vltra flumen: ſed nec apud Seres, nec apud Orientem audierunt Chriſtianitatis ſermonem. Quid autem dicamus de Britannis, aut Germanis, qui ſunt circa Oceanum, vel apud Barbaros, Dacos, & Sarmatas, & Scythas, quorum plurimi nondum audierunt Euangelij verbum, audituri ſunt autem in ipſa ſæculi conſummatione? Aſpice enim quod ait, Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in toto orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc erit finis. Si autem vult quis temerè dicere, prædicatum eſſe iam Euangelium Regni in toto orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, conſequenter dicere poterit, & quod ait, Tunc erit finis; iam finem veniſſe. Quod dicere temeritatis eſt magnæ, & hominis non intelligentis quæ Paulus ad Theſſal. Epiſt. 2. dicit, dicens: Ne quis vos ſeducat vllo modo, quaſi inſtet dies Domini: quoniam niſi venerit primum diſceſſio, & reuelatus fuerit homo peccati, filius interitus, &c. non erit Domini dies.*

Rufinus lib. 1. Hiſtor. Eccleſiaſt. c. 9. docet, Apoſtolorum tempore non fuiſſe prædicatum Euangelium in vlteriori India, ſic enim ſcribit: *In ea diuiſione orbis terræ, quæ ad prædicandum verbum Dei ſorte per Apoſtolos celebrata eſt: cùm aliæ aliis prouinciæ obueniſſent, Thomæ Parthia, & Matthæo Æthiopia, eique adhærens citerior India Bartholomæo dicitur ſorte decreta. Inter quam, Parthiámque media, ſed longo interior tractu India vlterior iacet, multis variiſque linguis & gentibus habitata, quam velut longè remotam, nullus Apoſtolicæ prædicationis vomer impreſſerat: quæ tamen temporibus Conſtantini, tali quadam ex cauſa ſemina fidei prima ſuſcepit.* Qui pluribus ſequitur narrare Indorum conuerſionem per Ædeſium & Frumentium.

S. Auguſtinus epiſt. 80. ad Heſychium: *Quod enim putat venerabilitas tua, iam hoc* (nempe quòd Euangelium Apoſtolorum tempore in toto orbe fuerit prædicatum) *per ipſos Apoſtolos factum, non ita eſſe certis documentis probaui.* Scilicet epiſtola præcedente 78. ad eundem Heſychium.) *Sunt enim apud nos, hoc eſt, in Africa Barbaræ innumerabiles gentes, in quibus nondum eſſe prædicatum Euangelium, ex iis qui ducuntur inde captiui, & Romanorum ſeruitiis iam miſcentur, quotidie nobis addicere in promptu eſt. Pauci tamen anni ſunt, ex quo quidam eorum, rariſſimi, atque pauciſſimi, qui pacati Romanis finibus adhærent, ita vt non habeant Reges ſuos, ſed ſuper eos Præfecti à Romano conſtituantur Imperio, & illi, & ipſi eorum Præfecti Chriſtiani eſſe cœperunt. Interiores autem qui ſub nulla ſunt poteſtate Romana, prorſus nec religione Chriſtiana in ſuorum aliquibus detinentur.* Et poſt alia: *Quo pacto igitur eſt ab Apoſtolis prædicatio iſta completa, quando adhuc vſque ſunt gentes, quod certiſſimum eſt nobis, in quibus modò cœpit, & in quibus nondum cœpit impleri.*

Auctor Operis Imperfecti in Matth. homil. 48. extrema: *Quando illa bella corporalia mouebantur contra Ieruſalem, adhuc initiabatur Euangelium. Nondum prædicatum erat in toto orbe.*

Auctor Operis de Vocatione Gentium, ſiue is ſit S. Ambroſius, ſiue S. Proſper Aquitanicus, lib. 2. cap. 6. *Etiam nunc in extremis mundi partibus ſunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Saluatoris illuxit: non ambigimus etiam circa illas occulto iudicio tempus vocationis eſſe diſpoſitum, quo Euangelium quod nondum viderunt, audiant, atque ſuſcipiant.*

S. Proſper in Reſponſione ad 4. Capitulum Gallorum: *Videat etiam quomodo tueatur denunciationem ipſius Veritatis, dicentis: Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Nutat námque, (quod dici nefas eſt) fides verbi, ſi ante quadringentos annos Euangelio impletus eſt mundus, & adhuc Domini differtur aduentus.* Et in Reſponſione ad 10. Capitulum: *Si autem aliquo modo inueniuntur homines, quibus Euangelium non fuerit prædicatum, non poteſt dici ſine iudicio Dei factum. Quod nefas eſt ideò reprehendi, quia non poteſt comprehendi.* Et in ſententia ſuper 4. Capitulo: *Quia ſcimus quidem in omnes fines terræ Euangelium deſtinatum: ſed non putamus iam in omnibus terræ finibus prædicatum.*

S. Bernardus lib. 3. de Conſideratione, pluribus agit cum Eugenio Romano Pontifice, vt det operam quatenus Gentes quæ non audierunt Euangelium, ad illas prædicatores mittantur, vt ipſum audiant, & ad fidem Chriſti conuertantur.

Socrates lib. 1. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 15. *India autem*

autem interior, quam permultæ gentes barbaræ accolunt, linguis inter ipsas discrepantibus, non ante tempora Constantini, verbo Christi & eius religione illustrata est. Eadem habet Nicephorus lib. 8. Hist. Ecclesiast. cap. 35.

Atqui hanc sententiam, nempe tempore Apostolorum non fuisse prædicatum Euangelium in toto orbe, sequuntur plurimi recentiorum, Viguerius Institut. Theolog. cap. 21. §. 2. versu 8. Caietanus in 24. Matth. & Romanor. 10. Titelmanus, Maldonatus, Barradius in Matth. 24. Sotus in 4. Sent. dist. 46. quæst. 1. art. 1. Sonnius lib. 2. Demonstr. Christianæ Religionis, tract. 8. cap. 3. Cantapetrensis lib. 3. Hypotyp. cap. 2. Ioannes Arboreus lib. 2. Theosophiæ, cap. 2. Sotus, Treius, Guillandus, Toletus, Pererius, Iustinianus, Cornelius, Estius in Romanos 10. Adamus in Colossens. 1. Horcala in 22. Genesis, Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 14. Gregorius de Valentia tomo 4. disp. 11. quæst. 2. puncto 1. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. cap 4. Ribera in 4. Michææ, num. 23. Iosephus Acosta lib. 1. de Nouiss. temporibus, cap. 16. 17. 18. Lessius disp. de Antichristo demonstratione 8. Suarez tomo 2. in 3. part. disp. 56. sect. 1. Fridericus Lumnius lib. 1. de Extremo Iudicio, capite 11. Lorinus in Psalmum 18. versu 4.

Patrum sententiæ existimantium post Apostolorum ætatem, variis deinceps temporibus Euangelium iam fuisse in toto orbe prædicatum.

CAP. IV.

Tempore Antonini Pij Imperatoris.

SAnctus Iustinus Philosophus & Martyr Dialogo cum Tryphone Iudæo, de Euangelio iam suo tempore vbique gentium audito, & recepto, Christianáque religione iam toto orbe diffusa, hæc ait: *Atqui ne vnum quidem est genus mortalium, siue Barbarorum, siue Græcorum, siue etiam aliorum omnium, quocunque appellentur nomine, vel Hamaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viuentium* (Scenitarum) *& pecoribus vitam tolerantium: inter quos per nomen crucifixi Iesu supplicationes & gratiarum actiones Patri & Fabricatori rerum omnium non fiant.*

Tempore M. Aurelij Antonini.

Bardesanes Syrus, qui ad M. Aurelium Imperatorem de Fato scripsit Dialogum, tametsi ab Ecclesia alienus, de profectu tamen Christianæ religionis, & cultu Filij Dei per omnes mundi regiones iam sua ætate propagato, hæc disserit apud Eusebium lib. 6. Præpar. Euang. cap. 8. *Quid autem dicemus de Christianorum secta, qui in omni parte orbis, imò verò in omni ciuitate inueniuntur? Nec multas Parthi Christiani ducunt vxores, nec canibus mortuos obiiciunt Medi, nec Persæ filias ducunt, nec Bactriani & Galli matrimonia corrumpunt, nec Ægyptij Apin, aut canem, aut hircum, aut felem colunt: sed vbicunque sunt, alienis legibus, & moribus viuere nec cogi possunt, nec genethliaca ratione, aut sua, aut principis alicuius impelluntur vnquam, vt quæ nefanda Magister eorum duxerit, facienda putent: sed paupertatem, labores, ignominiam, cruciatus intolerabiles referunt.*

S. Ireneus Lugdunensis Episcopus & Martyr, qui eisdem viuebat & scribebat temporibus, lib. 1. aduersus hæreses, cap. 2. in eandem sententiam hæc disserit: *Ecclesia enim per vniuersum orbem vsque ad fines terræ seminata.* Et cap. 3. *Hanc prædicationem cùm acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, & quidem in vniuersum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans, & similiter credit iis, videlicet quasi vnam animam habens, & vnum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi vnum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis vna & eadem est. Et neque hæ quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ quæ in Iberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libya, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ: sed sicut sol creatura Dei in vniuerso mundo vnus & idem est, sic & lumen, prædicatio veritatis vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.*

Tempore Seueri, & Antonini Caracallæ.

Tertullianus qui Apologeticum aduersus gentes scripsit sub Seuero Imperatore, vt volunt Pamelius in vita Tertulliani, & in argumento Apologetici, Iunius in eodem argumento, Baronius Annal. 2. anno Christi 200. Gordonus in Chronologia, anno Domini 201. vel Seuero mortuo, sub Antonino eius filio, vt Scaliger suspicatur ad numerum Eusebianum MCCXXIII. de florente iam tum per orbem Christianismo, ita Gentiles compellans, pulcherrimè fatur Apologetici cap. 37. *Si enim & hostes exortes, non tantùm vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri, & Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantacunque vnius tamen loci, & suorum finium gentes, quàm totius orbis? Externi sumus & vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? Si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quàm occidere. Potuimus & inermes, nec rebelles, sed tantummodo discordes solius diuortij inuidia aduersus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus à vobis, suffudisset vtique dominationem vestram tot qualiumcúnque amissio ciuium: imò etiam & ipsa institutione punisset proculdubio expauissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum & stuporem quendam quasi mortui vrbes, quæsissetis quibus imperassetis. Plures hostes quàm ciues vobis remansissent. Nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum penè omnium ciuium, penè omnes ciues Christianos habendo.*

Aduersus Iudæos librum scripsit idem Tertullianus, anno Seueri XVI. vt notat Baronius Annal. 2. anno Christi 210. atque cap. 7. eiusdem libri hæc scribit: *Cui enim dexteram tenet Pater Deus, nisi Christo Filio suo? quem exaudierunt omnes gentes, id est, cui omnes gentes crediderunt: cuius & prædicatores Apostoli in Psalmis Dauid ostenduntur: In vniuersa, inquit, terra exiit sonus eorum, & vsque ad terminos terræ verba eorum. In quem enim alium vniuersæ gentes crediderunt, nisi in Christum, qui iam venit?*

nit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum, & Asiam, & Pamphyliam: immorantes Ægyptum, & regionem Africæ quæ est trans Cyrenem inhabitantes: Romani & incolæ: tunc & in Ierusalem Iudæi, & cæteræ gentes, vt iam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diuersæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & prouinciarum, & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minùs possumus? In quibus omnibus locis Christi nomen, qui iam venit, regnat: vt pote ante quem omnium ciuitatum portæ sunt apertæ, & cui nullæ sunt clausæ: ante quem seræ ferreæ sunt comminutæ, & valuæ æreæ sunt apertæ. Quamquam & ista spiritaliter sunt intelligenda, quo præcordia singulorum variis modis à diabolo obsessa fide Christi sint reserata: attamen perspicuè sunt adimpleta, vt pote in quibus omnibus locis populus nominis Christi inhabitet. Quis enim omnibus regnare potuisset, nisi Christus Dei Filius, qui omnibus in æternum gentibus regnaturus nuntiabatur? Nam si Salomon regnauit, sed in finibus Iudææ tantùm, à Bersabeæ vsque Dan termini eius regni signantur. Si verò Babyloniis & Parthis regnauit Darius, non habuit potestatem vlterius, vltra fines regni sui, non habuit in omnibus gentibus potestatem. Si Ægypiis Pharao, vel quisque ei in hereditate regni successit; illic tantùm positus est regni sui dominium. Si Nabuchodonosor cum suis regulis ab India Æthiopiam habuit regni sui terminos. Si Alexander Macedo nunquam Asiam vniuersam & cæteras regiones, postquam deuicerat, tenuit. Si Germani adhuc vsque limites transgredi non sinuntur. Britanniæ intra Oceani ambitum conclusæ sunt. Maurorum gens, & Getulorum Barbaries à Romanis obsidetur, ne regionum suarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de legionum suarum præsidiis Imperium suum muniunt, nec trans istas gentes porrigere vires regni sui possunt? Christi autem regnum & nomen vbique porrigitur, vbique creditur, ab omnibus gentibus suprà enumeratis colitur, vbique regnat, vbique adoratur, omnibus vbique tribuitur æqualiter.

Tempore Decij, Galli & Volusiani.

Qui hac ætate vixit Origenes, de maxima tunc Christianæ religionis per vniuersum orbem propagatione, hæc refert homil. 9. in Genesim: *Quis iam expositione indiget, vt sciat semen Christi quomodo multiplicetur, qui videt à finibus terræ vsque ad fines terræ propagatam prædicationem Euangelij, & nullum penè esse iam locum, qui non semen verbi susceperit.* Et homil. 4. in Ezechielem: *Quando enim terra Britanniæ ante aduentum Christi in vnius Dei consentit religionem? Quando terra Maurorum? Quando totus semel orbis? Nunc verò propter Ecclesias, quæ mundi limites tenent, vniuersa terra cum lætitia clamat ad Dominum Israël, & capax est bonorum secundùm fines suos.* Et homil. 6. in Lucam: *Vide magnitudinem Domini: in omnem terram exiuit sonus doctrinæ eius, & in fines orbis terrarum verba illius. Dominus noster Iesus Christus qui virtus est Dei, in omnem diffusus est orbem. Virtus Domini Saluatoris & cum his est qui ab orbe nostro in Britannia diuiduntur, & cum his qui in Mauritania, & cum vniuersis qui sub sole in nomine eius crediderunt. Vide ergo magnitudinem Saluatoris quomodo in toto orbe diffusa, sit.*

S. Cyprianus eisdem fermè temporibus aureum illum libellum composuit de Vnitate Ecclesiæ, vti annotauit Baronius annal. 2. anno Christi 254. in quo hæc habet: *Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit: vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur: ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latius expandit.*

Tempore Diocletani & Maximiani.

Eusebius Cæsariensis qui hac tempestate viuebat, de statu florentissimo Ecclesiæ per vniuersum mundum, paulò antè promulgatam à Diocletiano aduersus Christianos persecutionem, hæc narrat lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 1. *Quantum splendoris doctrina veræ pietatis in Deum rerum omnium gubernatorem, mundo per Christum patefacta apud omnes homines Græcos simul ac Barbaros ante istam persecutionis tempestatem, quæ nostra ingruit memoria, obtinuerit, & quam liberè inter eos prædicata fuerit, maius quiddam est quàm nostra in dicendo tenuitate satis pro dignitate explicare possimus.*

Arnobius qui sub eadem Diocletani persecutione scripsit, lib. 1. aduersus Gentes hæc scribit: *Si Alamannos, Persas, Scythas, idcirco voluerunt* (scilicet dij) *deuinci, quòd habitarent & degerent in eorum gentibus Christiani; quemadmodum Romanis, tribuêre victoriam, cùm habitarent & degerent in eorum quoque gentibus Christiani? Si in Asia, Syria, idcircò mures & locustas efferuescere prodigialiter voluerunt, quod ratione consimili habitarent in eorum gentibus Christiani; in Hispania, Gallia, cur eodem tempore horum nihil natum est, cùm innumeri viuerent in his quoque prouinciis Christiani? Si apud Getulos, tum Aquitanos huius rei causa siccitatem satis aridi-tatémque miserunt; eo anno cur messos amplissimas Mauris, Nomadibúsque tribuerunt, cum religio similis his quoque in regionibus verteretur? Igitur cuncti nihil læti habere debuerunt, si malorum causa nos sumus: nationibus enim sumus in cunctis.*

Et eod. lib. inferiùs: *Qui ea conspicati sunt fieri,* (nempe Christi miracula) *& sub oculis suis viderunt agi, testes optimi, certissimique auctores, & crediderunt hæc ipsi, & credenda posteris nobis, haud exilibus cum approbationibus tradiderunt. Quinam isti sint fortasse quæritis. Gentes, populi, nationes, & incredulum illud genus humanum.* Et post alia: *Quòd si falsa, vt dicitis, historia illa rerum est, vnde tam breui tempore totus mundus ista religione completus est? Aut in vnam coïre quî potuerunt mentem gentes regionibus disiunctæ, ventis, cæli conuexionibusque dimotæ?*

Et lib. 2. *Nonne vel hæc saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod iam per omnes terras in tam breui tempore & paruo, immensi nominis huius sacramenta diffusa sunt? quòd nulla iam natio est tam barbari moris, & mansuetudinem nesciens, quæ non eius amore versa, moliuerit asperitatem suam, & in placidos sensus assumpta tranquillitate migrauerit? Quòd tam magnis ingeniis præditi Oratores, Grammatici, Rhetores, Consulti iuris, ac Medici, Philosophiæ etiam secreta rimantes, magisteria hæc expetunt, spretis quibus paulò antè fidebant. Quòd ex dominis esse serui, cruciatibus affici omnibus statuerint, malint solui coniuges matrimoniis, exhæredari à parentibus liberi, quam fidem rumpere Christianam, & salutaris militiæ sacramenta deponere? Quod cùm genera pœnarum tanta sint à vobis proposita religionis huius sequentibus leges, augeatur res magis, & contra omnes minas,*

atque interdictæ formidinum, animosius populus obnitatur, & ad credendi studium prohibitionis ipsius stimulis excitetur?

Et post multa: *Virtutes sub oculis positæ, & inauditæ illa vis rerum, vel quæ ab ipso fiebant palam, vel ab eius præconibus celebrabatur in orbe toto; ea subdidit appetitionum flammas, & ad vnius credulitatis assensum mente vna concurrere gentes & populos fecit, & moribus dissimillimas nationes. Enumerari enim possunt, atque in vsum computationis venire, ea quæ in India gesta sunt, apud Seras, Persas, & Medos; in Arabia, Ægypto, in Asia, Syria, apud Galatas, Parthos, Phrygas; in Achaia, Macedonia, Epiro; in insulis, & prouinciis omnibus, quas sol oriens, atque occidens lustrat: ipsam denique apud Dominam Romam, in qua cùm homines sint Numæ regis artibus, atque antiquis superstitionibus occupati, non distulerunt tamen res patrias relinquere, & veritati coalescere Christianæ.*

Tempore Constantini Magni.

S.Antonius Monachus qui sub Constantino Imperatore tanquam clarissimum sanctitatis sidus in mundo fulgebat, turgentem quorundam Philosophorum Gentilium humanæ sapientiæ fastum comprimens, de sparsa iam tum per orbem Christianitate hæc disserit apud S. Athanasium in ipsius Vita: *Ecce nos Christiani tot Gentilitatis gregibus abstracti, in vniuersum orbem quotidie propagamur: vobis verò post aduentum Domini nostri nodosæ sophismatis defecerunt versutiæ. Ecce nos simplicem Christi fidem edocti, idololatriam debellauimus, & per prædicationem ignominiosæ Crucis, aurata templa conciderunt. Per omnes iam terras Deus Dei Filius Christus est agnitus: nihil eloquentia sophismatum, nihil disputatio Philosophiæ multitudini potest obesse credentium.*

Eusebius qui tunc quoque viuebat, & rebus præsens aderat, exponens quàm frequentes per totum terrarum ambitum, temporibus Constantini Ecclesiæ fundatæ essent, ex quibus Episcopi ad Nicænum Concilium conuenerint, hæc scribit lib.3. de Vita Constantini, cap.7. & 8. *Ex omnibus Ecclesiis quæ frequentes in tota Europa, Africa, & Asia extiterunt, Dei ministri qui facilè primas ferre putabantur, in vnum conuocati. Templum etiam Nicææ, velut Dei nutu amplificatum, intra parietes suos, Syros pariter & Cilices, Phœnices, Arabes, & Palæstinos; Ægyptios porrò, Thebanos, Afros, aliósque ex Mesopotamia profectos recepit. Aderat etiam vnà in Concilio Persidis Episcopus, nec ab hoc choro Scytha abfuit, Pontus item, Galatia, Pamphilia, Cappadocia, Asia & Phrygia, viros apud selectissimos suppeditarunt. Quin etiam Thraces, Macedones, Achæi, Epirotæ, & quorum domicilia multo longiore locorum interuallo distabant, eò aduentarunt. Ex Hispaniis vnus nominis, & famæ celebritate insignis, cum aliis multis in Consessu illo adfuit.* Erat hîc Magnus Osius. Pergit Eusebius: *Et quanquam vrbis illius penes quem Imperium est, Episcopus, ingrauescente ætate præpeditus, abfuit; eius tamen Presbyteri, qui aderant, illius locum suppleuerunt. Talem coronam solùm ex omni præteritæ ætatis memoria, vnus Imperator Constantinus pacis vinculo ad Christi gloriam deuinxit: & quò Seruatori suo gratias ageret, istud eximium victoriæ ab hostibus & inimicis partæ monumentum obtulit, effigie Chori Apostolici pulchrè in hoc nostro Conuentu expressa. Nam dicitur in sacris litteris, illorum temporibus viros pios ex omni natione, quæ sub cælo est, in vnum conuenisse. Inter quos erant Parthi, Medi, Elamitæ, & qui incolunt Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Ægyptum & partes Libyæ quæ est circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi & Proselyti, Cretes, & Arabes. Verum illis hoc defuit, quòd non omnes qui eò venerunt, ex Dei ministrorum numero erant illi quidem.*

Tempore Constantij Imperatoris.

S.Cyrillus qui huius Principatu Episcopus Ieroſolymæ erat, atque opus illud aureum Catecheseon iam in adolescentia composuerat, vt auctor est S.Hieronymus De Scriptoribus Ecclesiasticis, cathechesi 10. hæc ait: *Persæ & Gothi, & omnes gentes Christum testantur, morientes pro illo.*

Tempore Iuliani Apostatæ.

S. Chrysostomus in istum inuectus oratione in S.Babylam, inquit: *Tyrannus cùm videret per omnes Imperij sui fines Christi fidem diffusam, eandémque ad Persas vsque, aliósque remotiores Barbaros: atque adeo vltra etiam eos peruasisse; breuiter omnem eam quam sol radiis suis lustrat regionem occupare, cruciabatur, atque angebatur.*

Tempore Iouiniani Imperatoris.

S.Athanasius cum vniuersa Synodo Alexandrina mittens Synodicam Epistolam ad Iouianum Augustum ostendit eo tempore in assertione fidei Orthodoxæ vniuersum orbem conspirasse, in hunc modum de Fide ad Iouianum disputans: *Cognosce igitur, religiosissime Auguste, hanc esse quæ à condito æuo prædicata fuit, & quam Nicæa Patres congregati agnouerunt; eiúsque suffragatrices esse omnes omnibus in locis Ecclesias, siue in Hispania sint, siue Britannia, Gallia, Italia vniuersa, Dalmatia, Dacia, Mysia, Macedonia, siue vniuersa Græcia, vniuersa Africa, Sardinia, Cypro, Creta, Pamphilia, Lycia, Isauria, Ægypto, Libya, Ponto, Cappadocia. Iisdem quotquot nobis vicinæ sunt: nec non & Orientis Ecclesias, paucis admodum exceptis, quæ Arianicæ opinionis sunt. Omnium enim istorum, & adhuc longinquiorum animos experimentis cognouimus, & scripta habemus. Nec te latet, piissime Imperator, quòd tametsi pauci sint, qui huic fidei derogent, eos tamen, (cùm vniuersus orbis Catholicam fidem sequatur, & ipsi iam pridem Ariana hæresi infecti fuerint, & nunc acerrime pietati obsistant,) præiudicium facere non posse.* Hæc eadem habentur apud Theodoretum lib. 4. Hist. Eccles. c.3. & apud Nicephorum lib.10. Hist. cap. 42.

Tempore Valentis Imperatoris.

S.Basilius qui Valente rerum potiente viuebat, epist.72. ad Ecclesiam Euaisenam in Armenia, de hæresi Macedoniana agens, ista perscribit: *Ipsum orbem inspicite, & videte quàm modica sit illa portio, quæ hoc morbo laborat; reliqua verò vniuersa Ecclesia, quæ ab orbis finibus vsque ad fines Euangelium recepit, sanam hanc & rectam doctrinam sectatur: à cuius communione, vt ne excidatis, petimus.*

S.Optatus lib.2. in Parmenianum sub initium, ita Donatistas appellat: *Vt vbi vultis, ibi sit Ecclesia: & non sit vbi non vultis. Ergo vt in particula Africæ, in angulo paruæ regionis apud vos esse possit: apud nos in alia parte Africæ non erit. In Hispaniis, in Italia, in Gallia, vbi vos non estis, non erit. Si apud vos tantummodo esse vultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, Mysia, Thracia, Achaia, Macedonia, & in tota Græcia, vbi vos non estis, non erit. Vt apud vos esse possit, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Pamphilia, Phrygia, Cilicia*

Cilicia & in tribus Syriis, & in duabus Armeniis, & in tota Ægypto, & in Meſopotamia, vbi vos non eſtis, non erit. Et per tot innumerabiles inſulas, & cæteras prouincias, quæ numerari vix poſſunt, vbi vos non eſtis, non erunt.

Tempore Arcadij & Honorij.

S. Hieronymus qui ea ætate nobile Nepotiano inſcripſit Epitaphium, de Euangelio iam tunc vbique terrarum coruſcante hæc pulcherrimè tradit: *Adde quòd ante reſurrectionem Chriſti, notus tantùm in Iudæa erat Deus, in Iſraël magnum nomen eius. Et ipſi qui nouerant eum, tamen ad inferos trahebantur. Vbi tunc totius orbis homines ab India vſque ad Britanniam, à rigida Septentrionis plaga, vſque ad feruores Atlantici Oceani, tam innumerabiles populi, & tantarum gentium multitudines, quàm variæ linguis, habitu, tum veſtis & armis, piſcium ritu ac locuſtarum, & veluti muſcæ ac culices conterebantur: (abſque notitia enim ſui Creatoris omnis homo pecus eſt) nunc paſſionem Chriſti & reſurrectionem eius, cunctarum gentium & voces & litteræ ſonant. Taceo de Hebræis, Græcis, & Latinis, quas nationes Dominus ſuæ Crucis titulo dedicauit. Immortalem animam, & poſt diſſolutionem corporis ſubſiſtentem, quod Pythagoras ſomniauit, Democritus non credidit, in conſolationem damnationis ſuæ Socrates diſputauit in carcere, Indus, Perſa, Gothus, Ægyptius philoſophantur. Beſſorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, ſtridorem ſuum in dulce crucis fregerunt melos, & totius mundi vna vox eſt Chriſtus.* Et Dialogo aduerſus Luciferianos: *Si Eccleſiam per totum orbem diffuſam non habet Chriſtus: nimium pauper factus eſt. Et ſi Britannias, Gallias, Orientem, Indorum populos, & totum ſimul mundum poſſidet Satanas; quomodo ad angulum vniuerſæ terræ Crucis trophæa collata ſunt?*

S. Chryſoſtomus qui per ea tempora Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præerat Antiſtes, homilia, *Quòd Chriſtus ſit Deus.* In eandem ſententiam iſta perorat: *At poſt Crucem, orbis ad fidem acceſſit, & infiniti Martyrum populi occiſi, malentes mori, quàm dicere, quod præcipuus ille Apoſtolorum formidans vnius oſtiariæ minas. In omni regione, omni ciuitate, & ſolitudine, & parte orbis quæ habitationi accommoda, & quæ non accommoda prædicamus Crucifixum. Et reges & Principes, & milites, & Præſides, & ſerui, & liberi, & idiotæ, & ſapientes, & inſipientes, & Barbari, & reliqua hominum genera, ac terræ omnes quas ſol ſpectat, ad hoc nomen currunt, vt adorent.* Et homil. 1. de Pentecoſte: *Vbicunque ieris ad Indos, ad Mauros, ad Britannos, ad Hiſpanos, vſque ad vltimum finem terrarum inuenies, In principio erat Verbum: & vniuerſa religione plena. Ante hoc enim vniuerſa repleta erant impietate: nunc autem non ſolùm ciuitates religione florent & fide Chriſti: ſed etiam eremus in nomine Chriſti gloriatur.*

His conſentanea tradit S. Hieronymus epiſt. 7. ad Lætam: *De India, Perſide, Æthiopia monachorum quotidie turmas ſuſcipimus. Depoſuit Pharetras Armenius, Hunni diſcunt Pſalterium, Scythiæ frigora feruent calore fidei, Getarum rutilus & flauus exercitus Eccleſiarum circumfert tentoria: & ideo forſan contra nos æquali pugnant acie, quia pari religione confidunt.*

Tempore Theodoſij Iunioris.

Per hæc Tempora videtur ſcripſiſſe Recentior Ægeſippus, qui lib. 2. de Excidio Ieroſolym. c. 12. hæc ait: *Ex quo cœpit congregatio Chriſtianorum, & in omne hominum penetrauit genus, nec vlla natio Romani orbis remanſit, quæ cultus eius expers relinqueretur.*

S. Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt 157. *Chriſtus dixit fore vt quamcumque terram ſol hic luſtrat, eandem quoque prædicatio Euangelica peragraret; & peragrauit: neque enim vlla eſt natio, aut vllus extremus receſſus, qui eam non audierit.*

Singularis S. Vincentij Ferrerij ſententia.

S. Vincentius Ferrerius epiſt. ad Benedictum XIII. Pſeudo-Pontificem de prædicatione Euangelij in toto mundo mirabilem habet ſententiam; is enim explicans verba Domini Matth. 24. 14 *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe. in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio,* ita differit: *Dicendum eſt quod iſte textus multiplicem habet expoſitionem iuxta multiplicem generalem prædicationem Euangelij in vniuerſo mundo. Nam primò fuit prædicatum per Apoſtolos omni creaturæ, iuxta præceptum Chriſti, Marci vltimo capite. Quod præceptum fuit impletum tempore Apoſtolorum, vt patet ad Coloſſenſes cap. 1. iuxta principium vbi dicitur: In verbo veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos: ſicut & vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit. Et ibidem iuxta finem Capituli, Euangelium audiſtis, quod prædicatum eſt in vniuerſa creatura, quæ ſub cælo eſt. Item ad Romanos 10. In omnem terram exiuit ſonus eorum, &c. Et tunc venit conſummatio gentis Iudaicæ & deſtructio Ieruſalem per Titum & Veſpaſianum. Secundò, fuit prædicatum Euangelium, & adhuc prædicatur quotidie per ordines Sanctorum Dominici & Franciſci in vniuerſo mundo. Et poſt iſtam prædicationem vemura eſt ſtatim conſummatio & deſtructio huius mundi per Antichriſtum, & ſuos. Tertiò, prædicabitur Euangelium Chriſti in vniuerſo mundo, poſt mortem Antichriſti, per fideles aliquos qui in vna quaque gente erunt mirabiliter conſeruati à Deo ad conuerſionem aliorum, & tunc veniet conſummatio mundi.* Hæc S. Vincentius: de quibus accuratè diſquirendum erit inferiùs ſuis locis, cap. 39.

Quibuſnam in regionibus antiqui & cogniti orbis, à tempore Apoſtolorum ad hanc vſque noſtram ætatem, prædicatum iam ſit Chriſti Domini Euangelium.

Non dubitamus affirmare per hos mille ferè & ſexentos annos, quibus à glorioſa Chriſti in cælos Aſcenſione, Euangelium cœptum eſt in mundo annuntiari, ad hæc vſque noſtra tempora, in omnibus regnis, & prouinciis huius veteris & cogniti orbis quem incolimus, in Aſiam, Africam, & Europam diſtributi, (nihil nunc de Synarum ampliſſimo Regno, & toto nouo orbe occiduo agimus, de quibus peculiarem poſtea ſeorſim inſtruemus perueſtigationem,) iam fuiſſe Euangelium legitimè prædicatum. Nimirum per ſexdecim ferè ſæcula, quibus Euangelium diſſeminatur in mundo, idoneos Verbi miniſtros variis temporibus, in diuerſis orbis regionibus prædicaſſe Euangelium, multos ad fidem conuertiſſe, Eccleſias plantaſſe: adeò vt nulla veteris orbis regio aut Prouincia ad hanc vſque diem fuerit omiſſa, quæ aliquando Chriſti Euangelium non audierit: quamuis in multis earum ſemel accepta Euangelij cognitio, innaleſcentibus poſtea falſis religionibus, & erroribus, penitus extincta, & obliterata remanſerit. Id quidem nos perſpicuè, breuitérque per ſumma tantùm quædam capita demonſtrabimus. Nam in ſingulis

gulis tribus præcipuis orbis partibus Europa, Asia, Africa, celebriores quasdam Euangelij propagationes in remotioribus earum Prouinciis diuersis temporibus peractas annotabimus : nihil interim de regionibus aliis addentes, de quibus nimis est certum, & peruagatum Euangelium aliquando suscepisse : aut nunc retinere.

Europa.

Aduentus & prædicatio S. Iacobi Zebedæi filij in Hispania.

CAP. V.

MAgnum ingredimur campum, & abstinuissemus libenter ab argumento in quod nemo non hoc tempore stylum immisit; sed necessarium erat, primos nostræ gentis Apostolos, & fidei Christianæ in Hispania fundatores nostro quoque calamo ex instituti ratione vel breuiter dicì. Primus ergo Card. Baronius Annali 9. anno Christi 816. aduentum S. Iacobi Apostoli, Zebedæi filij in Hispaniam, eiúsque in ea prouincia prædicationem in dubium reuocauit. Argumenta sunt, Primum, quia Eusebius lib. 5. Histor. Eccles. cap. 17. de Appollonio antiquissimo Theologo hæc refert : *Præterea ait* Apollonius *se traditione accepisse, Seruatorem mandatum suis dedisse Apostolis, ne ad duodecim annos Ierosolymis discederent.* Vixit autem Apollonius sub Cómodo & Seuero principibus, vt idem Eusebius & S. Hieronymus testantur. Et Clemens Alexandrinus qui eadem vixit ætate, Stromate 6. ait: *Præterea dicit Petrus, Dominum dixisse Apostolis : Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat, Non audiuimus.* At consentiunt fermè omnes, Iacobum octauo, vel ad summum decimo post passionem Domini anno Ierosolymis gladio ab Herode truncatum. Non ergo venisse potuit in Hispaniam intra duodecim à morte Christi annos, contra mandatum Christi.

II. Quia nullus reperitur auctor ante tempora Caroli Magni, qui id scripserit: nam Turpini liber fabulosus est : quæ aut nomine S. Isidori aut S. Bedæ proferuntur, subdititia & pseudepigrapha.

III. Quia S. Ambrosius in 15. Romanor. elucidans illa verba, *Cùm in Hispaniam proficisci cœpero, videbo vos*, inquit : *Venturum tamen se promisit, tempore quo ad Hispaniam erat iturus, quia illic Christus non erat prædicatus.* At ostendimus suprà c. 1. Epistolam ad Romanos scriptam à Paulo 24. post Passionem Domini anno : & si tunc, vt inquit S. Ambrosius, nondum fuerat Christus in Hispania prædicatus ; non potuit S. Iacobus in Hispania prædicasse, qui octauo, vel decimo post Passionem Domini anno, saltem multò antè 24. à morte Christi, fuerat gladio trucidatus. His adde quæ superiùs cap. 1. huius libri ex S. Beda, Strabo, & Zacharia Episcopo Christopolitano notauimus : ante Ierosolymorum excidium Apostolos dispersos fuisse per orbem ad prædicandum Euangelium, exceptis Iacobo Zebedęi, & Iacobo fratre Domini, qui priùs in Iudæa pro verbo Euangelij sanguinem fuderant: non igitur Iacobus Alphæi discessit à Ierosolymis in Hispaniam ad prædicandum ante mortem suam.

IV. Quia S. Hieronymus in 5. Amos, de Paulo inquit: *Qui vocatus à Domino effusus est super faciem vniuersæ terræ, vt prædicaret Euangelium de Ierosolymis vsque ad Illyricum: & ædificaret non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum ; sed vsque ad Hispanias tenderet, & à mari Rubro, imò ab Oceano vsque ad Oceanum curreret.* Ergo cùm Paulus in Hispania prædicauit, nondum ibi prædicatum fuerat Euangelium : at certissimum est S. Iacobum non prædicasse in Hispania post Paulum.

V. S. Innocentius I. Romanus Pontifex epist. 1. ad Decentium Eugubinum Episcopum tomo Conciliorum editionis Binianæ, ait : *Præsertim cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulásque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerint sacerdotes. Aut legant, si in his Prouinciis alius Apostolorum inuenitur aut legitur docuisse. Quòd si non legunt, quia nusquam inueniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse, non dubium est.* S. Gregorius Papa VII. lib. 1. Registri, epist. 64. ad Alfonsum, & Sanctium Hispaniæ reges, pluribus docet Hispanias non aliundè sumpsisse Christianæ religionis exordia, nisi à Petro & Paulo Apostolorum Principibus, atque adeò ab ipsa Romana Ecclesia ; idque præfata S. Innocentij, vt etiam S. Hormisdæ Papæ, auctoritate confirmat: inter alia hæc Hispanis dicens: *Vnde enim non dubitatis vos suscepisse religionis exordium, restat etiam vt inde recipiatis in Ecclesiastico ordine diuinum Officium : quod Innocentij Papæ ad Eugubinum directa Episcopũ vos docet epistola, quod Hormisdæ ad Hispalensem missa decreta insinuant: quod Toletanum & Bracharense demonstrant Concilia.* Vbi ergo ex his S. Iacobi in Hisp. prædicationi vllus relinquitur locus?

VI. Garsias Loaisa Archiepiscopus Toletanus in tract. de Primatu Archiepiscopi Toletani, quem inseruit Notis suis ad Hispanica Concilia, post Decretum Gundemari Regis, affert fragmentum quoddam ex libro M. S. qui asseruatur in Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ, in quo fusè refertur magna altercatio inter Rudericum Archiepiscopum Toletanum, & Bracharensem, ac Compostellanum Archiepiscopos publicè habita in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. coram Patribus & Pontifice, de Primatu Ecclesiæ Toletanæ, cui Bracharensis & Compostellanus vehementer refragabantur: vbi pro causa sua Compostellanus adducit, *Quòd Ecclesia Compostellana tam antiqua & nobilis condita in honorem Apostoli Iacobi, qui primò in Hispania verbum Domini disseminauit, & infinitos ad fidem Christi conuertit, cuius corpus in eadem Ecclesia requieuit; nunc, quòd absit, obediat Ecclesiæ Toletanæ.* Sed hanc rationem Rudericus refellens, ita aduersus Compostellanum declamat : *Si inducat etiam* Compostellanus Antistes, *primam diuini verbi promulgationem, & plurimorum conuersionem ad fidem Christi in Hispania,* per Iacobum factam, *qui diuinam paginam nouerunt, testimonium perhibeant. Ego tantum legi datam ei fuisse potestatem prædicandi in Hispania : sed interim cùm per Iudæam & Samariam diuinam legem seminaret, sub Herode Ierosolymis truncato capite exhalauit animam, & Domino reddidit. Quomodo ergo ibi prædicauit, quò nondum ingressus est? Aut sine prædicatione, quos obsecro conuertit ad Dominum? Memini benè in primis me annis accepisse à quibusdam sanctis Monialibus, & Religiosis viduis, paucos admodum eius prædicatione ad fidem conuersos esse: in qua cùm tam exiguos progressus effici videret, in patriam reuersus, fato functus est.* Hæc Rudericus, tantus Episcopus, in tanta Synodo, obmutescente fortissimo aduersario, non sine magno veritatis argumento affirmasse videtur. Hæc planè sunt validiora

argu

argumenta quibus S.Iacobi in Hiſpaniam aduentus & prædicatio, vel eluditur, vel in dubiũ adducitur.

Sed iam publicæ Eccleſiæ Tabulæ omnem dubitationem abſterſerunt: ſiquidem Romanum Breuiarium iuſſu Clemen. VIII. poſtremo recognitum poſt varias ea de re habitas conſultationes, tandem veritate acriter diſcuſſa, hæc publicè in Eccleſia legenda propoſuit: *Iacobum Hiſpaniam adiiſſe, & ibi aliquos ad fidem conuertiſſe, Eccleſiarum illius prouinciæ traditio eſt*: Sic igitur omnibus quæ nobis obiiciuntur, ſtrenuè opponimus vnicam & ſolam Hiſpaniearum Eccleſiarum traditionem, quam nihil vnquam conuellet, aut labefactabit: licebítque hîc etiam vſurpare præclarum illud S.Stephani Papæ & Martyris elogium, apud S.Cyprianum epiſt.74. *Nihil innouetur niſi quod traditum eſt.* Et illud S.Chryſoſtomi homil.4. in 2.Theſſal. *Eſt traditio? nihil quæras ampliùs.*

Sed non eſt prætermittendum clariſſimum illud & immortale monumentum aduentus & Prædicationis S.Iacobi in Hiſpania, nempe Eccleſiæ S.Mariæ vulgo de Pilar dictæ, in Cæſarauguſtana vrbe: perenni enim & conſtantiſſima Eccleſiarum Hiſpaniæ traditione exploratiſſimum apud omnes habetur, S.Iacobo Apoſtolo Zebedæi filio Cæſarauguſtæ quæ vrbs eſt nobiliſſima Celtiberiæ, ad ripam amnis Iberi oranti, beatiſſimam Mariam virginem adhuc eo tempore Ieroſolymis in humanis agentem, ſuper columnam iaſpideam ingenti miraculo conſpicuam ſe præbuiſſe viſendam: atque eidem Apoſtolo clarè iuſſiſſe vt eo ipſo loco quo eam vidiſſet, in honorem ipſius Dei Genitricis ſacram ædem conſtrueret. Manet ad hanc vſque diem & columna ſuper quam Virgo Deipara S. Iacobo apparuit, & Capella ipſa ſeu Eccleſia in honorem B.Virginis ab eodem Apoſtolo ædificata, ſanè toto orbe celebris, & fidelium votis locum deuotionis ergò inuiſentibus, & magnis miraculis nobilitata.

Porrò adeò inſignis, & præclara eiuſmodi ſacra memoria ſemper eſt habita, vt eam & cuncti noſtræ Gentis Annales, & omnes auctores egregiè ſcriptis ſuis ad omnem poſteritatem commendauerint, cum primis, Marinæus Siculus lib.5.de Laudibus Hiſpaniæ, capite de ſacris Ædibus, Petrus Beuter lib.1.Chronicorum Hiſpaniæ c.23.Ioannes Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ ann.Chriſti 37.Ambroſius Morales lib.9.Rerum Hiſpanic.c.7.Stephanus Garibaius 1.parte, lib.7. de Rebus Hiſpan.c.2. Hieronymus Blancas in Comment.Rerum Aragoniæ, ſub initium, Ioannes Mariana lib.4. Hiſpan. Rerum c.2. Ludouicus Nonius in Hiſpania, c.82. de Cæſarauguſta, Garſias Loaiſa in Tract. de Primatu Toletanæ Eccleſiæ, in Notis ad Concilia Hiſpanic.poſt Decretum Gundemari Regis, p.292. in margine, Andreas Scotus in Biblioth.Hiſpanica tomo 1.c.5.Petrus Caniſius lib.5.de Maria Virgine, c.21.& 23.Martinus Delrius Diſquiſi. Magic. lib.2.quæſt.26.ſect.5.Alfonſus Mendoza in Quodlibet.quæſtionibus, quæſt.5.ſcholaſtica num. marginali XIII. & vt alios innumeros prætermittam, hac de re ex profeſſo egerunt, Bartholomæus Laurentius Canonicus & Prior Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ S. Mariæ de Pilar in Indice Auctorum de Aduentu S.Iacobi in Hiſpaniam, Petrus Cenedus Canonicus & Prior eiuſdem Eccleſiæ in Collectaneis ad Ius Can. Ad Textum, in cap. *Beatus* 22. quæſt.1.collectaneo 43.Ioan.Fernandes Velaſquius Come-Stabuli Caſtellæ lib.1. de Aduentu S.Iacobi in Hiſpanias, Franciſcus à Ieſu Diſcurſu 1.de Aduentu S.Iacobi in Hiſpanias, Michaël Martinez de Villar, in Motiuis ſententiæ latæ pro Eccleſia de Pilar, pag.6. Didacus Mota in libello de Aduentu S.Iacobi in Hiſpanias, Didacus Caſtillus Eccleſiæ Palentinæ Canonicus, in tract.de Aduentu S.Iacobi in Hiſpanias, Manrus Ferrerius in pleniſſima Hiſtoria rerum. S.Iacobi Apoſtoli.

Sed vnum pro omnibus reſtem omni exceptione maiorem audiamus, Calixtum III. Rom. Pontificem, qui peculiari Diplomate dato Kalendis Octobris, ann. MCCCCLVI. inter alia ait: *Cùm itaque, ſicut accepimus, Eccleſia Monaſterij per Priorem ſolita gubernari, eiuſdem S.Mariæ de Pilari nuncupatæ, ciuitatis Cæſarauguſtanæ, Ordinis ſancti Auguſtini, inter cæteras ſub vocabulo B. Mariæ Eccleſias, prima B. Mariæ de Pilari fore noſcatur: in qua dicta Beata Maria antequam ad cælos aſſumeretur, cum Ieſu Chriſto filio ſuo, & Domino noſtro, Beato Iacobo Maiori, in Columna marmorea apparuit, & ob hoc, ipſa Eccleſia nomen B.Mariæ de Pilari aſſumpſit: ac inibi quamplurima, & infinita miracula dietim fiunt: nec non Chriſti fideles cum magna deuotione, & veneratione imaginem eiuſdem B.Mariæ, & eius Filij, in quadam capella ipſius Eccleſiæ, qua de mandato dictæ B.Mariæ, per dictum Beatum Iacobum fabricata eſt, & Camera Angelica Dei genitricis de Pilari nuncupata, & appellata exiſtit, colunt & venerantur, ac cum magna deuotione viſitare non ceſſant.* At iam plurima teſtimonia & argumenta in re luce meridiana fulgentiore coaceruare velle, nimis eſſet ſuperuacaneum. His enim quæuis quantumuis refractaria ingenia abundè perſuaderi poſſunt.

Verùm aduentus & prædicationis S. Iacobi Apoſtoli in Hiſpania auctores certos & exploratos quoſdam proferamus. S.Hieronymus in 34. Iſaiæ, elucidans verba poſteriora eius capitis, iuxta LXX. Interpretes: *Ibi obuiauerunt ſibi cerui, & viderunt facies ſuas: numero tranſierunt: vnus ex ipſis non periit, nec quæſiuit alterum: Dominus enim præcepit eis, & ſpiritus eius congregauit eos; & ipſe dedit ei ſortes, & manus illius diuidet eis, vt paſcantur in ſempiternum, & poſſideant in generatione generationum: & requieſcent in ea*: in hunc modum ſcribit: *Sic allegoricè interpretabimur, vt doceamus, ceruos, id eſt, Apoſtolos, & ſanctos quoſque Doctores obuiaſſe ſibi in Ieruſalem, & mutuos vidiſſe conſpectus, & tranſiſſe, & reliquiſſe eam, & ad diuerſas prouincias perrexiſſe, quia Dominus mandauit eis*: Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. *Et ſpiritus illius congregauerit eos, dederitque eis ſortes, atque diuiſerit: vt alius ad Indos, alius ad Hiſpanias, alius ad Illyricum: alius ad Græciam pergeret: & vnuſquiſque in Euangelij ſui ac doctrinæ prouincia requieſceret.* Hæc S.Hieronymus.

In quibus verbis, illud, *alius ad Hiſpanias*, de nullo alio Apoſtolo rectè & aptè intelligi poſſe videtur niſi de Iacobo. Certum eſt vt mox dicemus, Paulum in Hiſpania prædicaſſe: ſed hunc hîc proculdubio non intellexit S.Hieronymus: nam illum qui in Hiſpania, diuerſum & planè alium facit ab eo qui in Illyrico. *Alius*, inquit, *ad Hiſpanias, alius ad Illyricum.* Nec eſt dubium eum qui in Illyricum perrexit intellectum à S.Hieronymo Paulum, quem conſtat ab Ieruſalem vſque ad Illyricum Euangelium Chriſti repleuiſſe, Rom.15.19. S. Petrum fortaſſe ſignificaſſe potuit, quem in Hiſpanias veniſſe Metaphraſtes in eius Peregrinationibus tradit his verbis: *Venit Sirmium ciuitatem Hiſpaniæ. Quo in loco cum Epænetum conſtituiſſet Epiſcopum, deuenit Carthaginem ciuitatem Africæ.* Sed quis non videat hæc ex apocryphis accepta eſſe: & ignotum penitus

nitus Sancto Hieronymo & antiquis fuisse. S. Petrum in Hispanias venisse ? Et quale portentum est,Sirmium ex Pannonia in Hispaniam transferre ? Quis vnquam Sirmium Hispaniæ ciuitatem nouit ? Deinde vnde acceptum Epænetum, cuius meminit Paulus Romanorum 16. 5. Sirmij in Hispania constitutum à Petro Apostolo Episcopum? Nec maiori fide Dorotheus in Synopsi eundē Carthaginensem Episcopum facit, quàm Hippolytus libello de Septuaginta discipulis, Paneadensium.

Si in apocryphis ludere libet, forsan in Metaphraste, pro *Hispaniæ*, legendum *Pannoniæ*, simili vocis sono.Quidam pro Sirmio, Sextum-Firmum, vel Sexifirmum Plinij lib.3.c.1.substituunt,quæ est in Hispania, de qua vide Orthelium in Thesauro. Sed ridiculè.Vide Marianam lib.4. Hispanicar. rerum,cap.3.Qui Sophronium auctorem faciunt aduentus S.Petri in Hispaniam,dicere debuissent vbi id Sophronius tradit: nam antiquus ille Sophronius amicus S.Hieronymi,qui eius librum de Scriptoribus Ecclesiasticis in Græcum sermonem trāstulit, nihil tale de eo prodit: cætera autem eius opera non extant.Sophronius verò alter recentior Episcopus Ierosolymorum edidit quidem Commentarium de Peregrinationibus Apostolorum Petri & Pauli, quem publicarunt Margarinus Bignæus,& Iacobus Mosslander; sed in eo ne verbum de aduentu Petri in Hispanias.

Iam S.Hieronymi verba aptissimè capio: nimirum,*alius ad Indos*.Sit Thomas,vel Bartholomæus: *alius ad Hispanias*.sit Iacobus: *alius ad Illyricum*.sit Paulus.*Alius ad Græciam*.sit Ioannes,vel Andreas, qui in Asia & vicinus regionibus quæ communi Græciæ vocabulo etiā censentur,prædicarunt.Illud quoque: *Et vnusquisque in Euangelij sui ac doctrinæ prouincia requiesceret*,mirificè cum primis S.Iacobo conuenit, qui in Hispania Euangelij & doctrinæ suæ prouincia,sepultus requiescit: cuius corpus in vltimis Hispaniæ finibus apud Galleciam conditum celeberrimis omnium gentium peregrinationibus piè colitur. Sic S.Thomas in India, S.Andreas,& S.Ioannes in Asia requieuerunt.

S.Iulianus Episcopus Toletanus Commentariis in Nahum Prophetam, quos ex vetusto manuscripto codice Bauaricæ Bibliothecæ edidit Henricus Canisius,&Auctario Bibliothecæ Veterum Patrum postremæ editionis nuper adiecerunt: interpretans verba illa sacri Vatis ex 1. capite. *Et nebula puluis pedum eius.* hæc ait: *Aliter possunt per pedes Domini eius designari Apostoli,de quibus legitur in Isaia: Quàm pulchri,inquit,super montes Domini,pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Item alibi de eisdem: Qui appropinquant pedibus eius,accipient de doctrina eius. Isti ergo pedes Domini fuerunt, qui eum prædicando per vniuersum mundum detulerunt. Petrus enim eum Romam,Andreas Achaiam,Ioannes Asiam, Philippus Galliam, Bartholomæus Parthiam, Simon Ægyptum, Iacobus Hispaniam, Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam, Iudas Thadæus eum retulit Mesopotamiam: Iacobus Alphæi eum retulit Ierosolymam. Quisque sua sorte Christum sparsit sine sorde: Per Paulum verò toto dispergitur orbe.* Hæc S.Iulianus. Vt ingenuè fatear, duo isti postremi versus Leonini subolent mihi (nisi sint aliunde assuti) recentionem auctorem,quàm sit S.Iulianus.Obiit S.Iulianus anno Domino 691.

Freculphus Lexouiensis Episcopus Chronicorum tom.2.lib.2.cap.4.*Iacobus filius Zebedæi, frater Ioannis,duodecim tribubus quæ sunt in dispersione gentium scripsit, atque Hispaniæ & Occidentalium locorum partibus Euangelium prædicauit.*Claruit Freculphus, auctore Trithemio,sub Ludouico Imperatore,anno Christi 840.

Vualfridus Strabus in Poëmate de duodecim Apostolis edito ab Henrico Canisio tom. VI. Antiq.Lectionis,pag.661. de S.Iacobo fratre Ioannis hæc canit.

Primitus Hispanias conuertit dogmate gentes,
Barbara diuinis conuertens agmina dictis:
Qui priscos dudum ritus,& lurida fana
Dæmonis horrendi decepta fraude colebant.

Moritur Vualfridus anno Domini 849.

Notkerus Monachus S.Galli in Martyrologio, quod edidit Henricus Canisius tom.VI. Antiquæ Lectionis, 25. Iulij hæc habet de S.Iacobo Zebedæi: *Huius beati Apostoli sacratissima ossa ad Hispanias translata, & in vltimis earum finibus, videlicet contra mare Britannicum condita,celeberrima illarum gentiū veneratione excolūtur. Nec immeritò,quia eius corporali præsentia & doctrina,atque signorum efficacia iidem populi ad Christi fidem conuersi referuntur.*

Aiunt obiisse Notkerum anno Salutis 912.Vide Præfationem Henrici Canisij Martyrologio Notkeri præfixam, & vitam eiusdem Notkeri post Martyrologium positam: nam refertur sanctitate & miraculis claruisse.

Metellus Monachus Tegerseensis in Quirinalibus, quæ sunt Carmina de Laudibus S.Quirini Martyris, ab Henrico Canisio tom.1. Antiquæ Lectionis primum in lucem publicata, in Oda in laudem SS. Martyrum Marij & Marthæ, ac filiorum, quæ incipit, *Lydica regna quondam*, pag.60. ita canit.

Vsque Spanos occidui sideris axe clausos
Quos Iacobus docebat.

Annotat Canisius vixisse Metellum ad annos Christi MLX.

Zacharias Chrysopolitanus Episcopus Præfat. Harmoniæ Quatuor Euangeliorum: *Iacobus qui interpretatur supplantator,filius Zebedæi, frater Ioannis.Hic Hispaniæ,& Occidentalibus locis prædicauit, & sub Herode rege gladio cæsus occubuit: sepultúsque est in Achaia Marmorica.* Hæc Zacharias, qui vixit temporibus Paschalis II. ad annum Domini 1101.Eadem reperiuntur ad verbum ferè in Chronico Gotfridi. Viterbiensis, parte 14. & proculdubio accepta ex libro S. Isidori de Vita & Morte Sanctorum cap.72.& sanè quæ in his & in Isidoro leguntur de rebus S.Iacobi,expresè etiam habentur in Sophronio in Catalogo Virorum Illustrium S.Hieronymi, & in Oecumenio Præfat. in Acta Apostolorum: præter illam partem de prædicatione S.Iacobi in Hispania,quam Sophronius & Oecumenius non agnoscunt. Illud verò, *Sepultúsque est in Achaia Marmorica*, in S.Isidoro est, *Sepultus in Carmarica*.In Gotfrido:*Sepultus est in arce Marmarica.* Morales & Mariana emendant, *Arca marmorea*.Petrus Mantuanus,*Tamarica*, quòd ea Galaciæ pars vbi corpus S.Iacobi requiescit, olim *Tamarica*, & populi *Tamarici*, Melæ, Plinio, Ptolemæo; dicerentur: hodiéque *Transtamara*.Mantuanum Carpit Thomas Tamaius, qui coniectatur, *in arcu marmoreo.*

Otto Frisingensis Episcopus lib.3.Chronic.c.15. *Nam alter Iacobus ab Herode decollatus erat: qui tamen priùs, vt dicitur, Hispanis prædicauerat: vbi & adhuc sepulchrum eius clarum habetur.*

Vincentius Bellouacensis lib. 8. Speculi Historialis, cap.6. & 7. fusè de aduentu & prædicatione S. Iacobi in Hispania differit, & inter alia addit

addit: *Apostolis itaque diuersa Cosmi climata adeuntibus, nutu Dei, Iacobus Hispaniæ oris appulsus, verbum Dei prædicauit intrepidus: vbi septem discipulos elegisse fertur.*

Martinus Polonus in Chronico ad annum Christi XXXIV. *Iacobus Maior Hispaniam circuiens, tandem Ierosolymis decollatur.*

Thomas Cantipratanus lib. 2. de Apibus, cap. 25. §. 2. *Romam obtulit Petrus; Paulus fere totum mundum; Apostoli cæteri singulas regiones, vtpote Andreas Achaiam, Iacobus Maior Hispaniam, Ioannes Asiam, Thomas Indiam, Iacobus Minor Iudæam, Philippus Persidem, Bartholomæus Indiam Citeriorem, Matthæus Æthiopiam, Simon & Thadæus Mesopotamiam, Matthias Palæstinam.*

Nicolaus Lyranus in Abdiam, interpretans illud vaticinium: *Transmigratio Ierusalem, quæ est in Bosphoro:* De Euangelio annunciato in Hispaniis, inquit: *Quod fuit impletum per Iacobum Apostolum, & eius discipulos, ibi*, nempè in Hispania *Fidem Christi primitus prædicantes, & colla gentium subiugantes.*

At testimoniorum satis in re sanè exploratissima: qui plura velit, inueniet affatim apud omnes qui nuper de hoc argumento ex professo tractarunt: nimirum Bartholomæum Laurentium in Indice auctorum de aduentu sancti Iacobi in Hispanias, Petrum Cenedum in Collectaneis ad Ius Canonicum Ad Textum in cap. *Beatus* 21. quæst. 2. Collectaneo 43. Ioannem Fernandez Velazquium Magnum Castellæ Comitem Stabuli in Hispaniarum Vindiciis Tutelaribus, seu in duobus Discursibus de Aduentu sancti Iacobi in Hispaniam, Didacum Motam, Didacum Castillum Ioannem Marianam, Franciscum a Iesu, peculiaribus eadem de re editis tractatibus, Maurum Ferrer in opere de Rebus S. Iacobi, Michaelem Martinez à Villar proprio Indice Scriptorum qui aduentum S. Iacobi & prædicationem in Hispaniis suo testimonio confirmauerint, Iosephum Stephanum Episcopum Orolensem, de Potestate Coërciua Summi Pontificis, cap. 8. num. 2.

Argumenta verò in contrarium obiecta diluunt latissimè quicumque de aduentu sancti Iacobi in Hispanias ex instituto disseruerunt: vt me sanè tædeat in his immorari. Ad Primum, traditionem illam Apollonij magnis argumentis eleuant Baronius Annali 1. anno Christi 39. numero 22. & anno 44. numero 13. Comes Stabuli lib. 2. Mariana cap. 6. Franciscus Iesus Discursu 4. cap 2. Res est perspicua. Verba autem Clementis Alexandrini multò aliter distinguuntur in libris impressis Parisiis apud Sebastianum Niuellum, 1572. & in nouissima Gentiani Herueti editione Parisiis etiam apud Sonnium 1612. In his enim editionibus ita habent: *Præterea dicit Petrus, Dominum dixisse Apostolis: Si quis ergo velit ex Israël duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata post duodecim annos. Egredimini in mundum, ne quis dicat, Non audiuimus.* Vides quàm diuersa sit interpunctio & sensus. At si legendum esset; *remittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in mundum.* Certè veluti digito indicasset fontem vnde illa Appollonij traditio dimanasset: nimirum ex libro apocrypho qui inscriptus fuit *Prædicatio Petri*: ex eo enim Clemens citat hoc Petri testimonium, vt manifestè ex præcedentibus liquet. Librum autem illum Prædicationem Petri esse apocryphum testantur apertè Origenes tom. 13. in Ioannem, Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 3. sanctus Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Petro. Vide Xystum Senensem lib. 2. Bibliothecæ, in Petro. Mariana cap. 6. respondet: *Quid denique prohibeat, sic diuinam iussionem emollire, vt præceptum esset, ne diuiderentur ante id tempus duodecim annorum, non amplius redituri. Iacobus ita abiit, vt breui esset Ierosolymam reuersurus.*

Ad II. Sanctus Hieronymus, S. Iulianus tempora Caroli Magni antecessere: Vvalfridus Strabus attingit. Notkerus non longè insecutus est. Librum sancti Isidori de Vita & morte Sanctorum vindicant omnes Hispaniæ Scriptores. Sancti Bedæ pariter collectanea recentiores fortiter asserunt. Quin & S. Braulij qui tempore sancti Isidori vixit, antiqua quædam exemplaria testantia de aduentu Hispanensi S. Iacobi proferunt. At nihil his indigemus, nisi vnica, & sola traditione. Et Auctores omnes post Carolum Magnum, in quibus Morales, & Mariana peruetustum ponunt Pelagium Ouetensem, item cuncta Hispanicarum Ecclesiarum Breuiaria, de nihilo tantùm consensum præferunt?

Ad III. Commentaria illa in Epistolas Pauli non esse S. Ambrosij, & quo loco habenda sint lib. 1. cap. 2. accuratè exposuimus. Sanctus Beda & Zachatias tantùm astruunt ante solemnem illam Apostolorum dispersionem, qua Prouincias sortiti sunt, obiisse Iacobum: id non impedit quominus intra illud tempus Iacobus potuerit in Hispaniam venire. Quamuis plerique existiment Iacobum quoque interfuisse sortitioni prouinciarum, & post illam in Hispania prædicasse: nam plurimùm variatum est inter Auctores de tempore Diuisionis Apostolorum. De qua re stultum esset plenùs hic velle differere: agunt pleniſſimè de ea Re e tiores aduentus sancti Iacobi in Hispaniam Assertores: atque cum primis Franciscus à Iesu Discursu 4. cap 2.

Ad IV. Marianæ responsio est: *Paulus autem cùm latissima loca esset Hispania, potuit adificare vbi nullum alterius extaret fundamentum: quemadmodum in aliis prouinciis Asia, & Gracia, vbi alij Apostoli docuerunt, Hieronymus negat aliis fundamentis innixa fuisse fabricam. Quid? quòd tanto locorum, & temporum interuallo potuit eos Patres latère, quid primis temporibus in Hispania gestum esset.*

Ad V. Multa recentiores asserunt quæ nobis magnopere non probantur. Simplicissimè dicimus, sanctissimos Pontifices Innocentium, Homisdam, Gregorium latuisse forsan S. Iacobi in Hispaniis prædicationem. Aut si non latuit, non admodum reputasse, quòd, vt meliores produnt auctores, exiguo cum fructu fuerit, paucis dumtaxat ad Fidem conuersis, nec multis Ecclesiis fundatis, aut Episcopatibus erectis.

Ad VI. Comes Stabuli, & Franciscus à Iesu, aliique strenuè illius Scripti Bibliothecæ Toletanæ a Loaisa producti fidem deruunt. Et sanè qui illud attentè legerit, nullam tribuere poterit. Quæ ineptia illa est: *Qui diuinam paginam nouerunt, testimonium perhibeant?* Estnè hæc res diuinæ paginæ? Deinde, vbinam legit Iacobo destinatam Hispaniam, sed eam non ingressum? cur non citabat auctorem? Et cùm constet eam Prouinciarum sortem nutu diuino peractam, cur Spiritus sanctus illi prouinciam destinauit, quam nunquam aditurus erat? Denique quid illud est accepisse

pisse se à quibusdam sanctis Monialibus, & Viduis prædicatione sancti Iacobi in Hispania? Non erat Rudericus homo istarum nugarum. Et si res ita transacta fuit, vt scriptum illud affirmat, quæ prudentia est, homini à valido auctore in iudicio presso, ac quæcumque potuit pro causa sua, vel corroganti, vel inficianti, statim Fidem adhibere?

Paulum Apostolum in Hispania prædicasse.

CAP. VI.

DE sua ad Hispanias profectione, Magnus Apostolus hæc habet Romanor. 15. 24. *Cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd prætereuns videam vos.* Et versu 28. *Per vos profectus ero in Hispaniam.* Sed nihilominùs Pauli ad Hispanias aduentum & prædicationem, vel negant, vel in dubium reuocant nonnulli. Sanctus Gelasius I. in Concilio Romano, LV. Episcoporum, in Causa Missæni Episcopi, hæc ait: *Beatus Paulus Apostolus, non ideo, quod abfuit, fefellisse credendus est, aut sibi extitisse contrarius: quoniam cùm se ad Hispanias promisisset iturum, dispositione diuina maioribus occupatus ex causis, implere non potuit, quod promisit. Quantum enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronunciauit quod reuera voluisset efficere: quantum ad diuini secreta concilij, quæ vt homo omnia non potuit, licet Spiritu sancto plenus, agnouit; superna prætermisit dispositione præuentus.* Idem propemodum sanctus Thomas, & ex recentioribus Dominicus Sotus, Claudius Guillandus, Ioannes Arboreus, Guillielmus Estius, omnes in 15. Romanorum, Iacobus Gordonus in Chronologia anno Christi 61. existimarunt.

Verùm multò plures sunt Patres Græci & Latini, atque recentiores Scriptores qui Paulum in Hispaniam venisse, atque in ea Euangelium prædicasse affirmant. Ex Græcis S. Athanasius epist. ad Dracontium: *Studium fuit sancto viro* Paulo *vsque ad Illyricum Euangelium prædicare: neque segnescere, neque omittere, quin Romam iret, & in Hispanias ascenderet, vt præ graniore labore, maiori frueretur mercede laboris.*

Sanctus Cyrillus Ierosolym. cathec. 17. *Ab Ierosolymis vsque ad Illyricum disseminauit Euangelium: qui regiam quoque Romam instituebat, & in Hispaniam vsque promptitudinem prædicationis extendit.*

Sanctus Epiphanius hæresi 27. *Paulus in Hispaniam profectus est.*

Sanctus Chrysostomus homil. 7. de Laudibus Pauli: *Verùm nec ibi*, Romæ, *stare contentus, etiam in Hispaniam percurrit.* Et homil. 76. in Matthæum: *Videas eum*, Paulum, *à Ierosolymis ad Hispaniam vsque currentem.* Et Præfat. in epistolam ad Hebræos: *Cùm igitur biennium Romæ exegisset in vinculis, tandem dimissus est, deinde in Hispanias profectus, inuisit illic Iudæos quoque.*

Theodoretus in Psalm. 116. de Paulo: *Posteà igitur in Italiam venit, & in Hispanias peruenit, & Insulis quæ in mari iacent.* Et in Philipp. *Actuum etiam nos docuit historia, quòd duobus annis primùm Romæ per se degit, per se habitans in suo conducto. Cùm autem illinc profectus esset in Hispaniam, & illis etiam diuinum Euangelium tradidisset, reuersus est, & tunc fuit truncatus capite.* Et in 2. Timoth. 4. *Quando appellatione vsus Romam à Festo missus est, defensione audita fuit absolutus, & Hispaniam profectus est, & ad alias gentes excurrens, eis doctrinæ lumen attulit.*

Menologium Græcorum 23. Septembris: *Eodem die natalis sanctarum mulierum Xantippe, & Polyxenæ, quæ sub Imperio Claudij Cæsaris ex Hispania genus ducentes, Xantippe quidem Paulum Apostolum apud Hispanos Christi Euangelium prædicantem audiuit: quippe qui viro illius Probo Fidei, & salutis auctor fuerat.*

Simeon Metaphrastes in Commentario de Certaminibus sanctorum Petri, & Pauli: *Eusebius autem qui in secundo libro Historiæ Ecclesiasticæ hæc est accuratè perscrutatus, dicit Paulum, cùm tunc quidem causam dixisset apud Nezonem, fuisse absolutum, & Dei verbum cùm esset relaxatus, Romæ agentem prædicasse totis decem annis. In quibus dicitur, peregrè profectus in Hispaniam, Galliam, & Italiam Christi præco, verbum disseminasse, & multos à diis patriis euulsisse, & cum grege Domini coniunxisse. Iam verò cùm esset in Hispania, tale quid dicitur accidisse. Mulier quædam & genere, & opibus, & doctrina insignis, cùm iam olim auditionem accepisset Apostolicam, cupiebat ipsis quoque intueri oculis præconem veritatis, & ipsis auribus institui in veræ pietatis dogmatibus. Cùm ergo ei visum esset diuina quadam inspiratione in forum proficisci, quotempore qui vel ex sola fama ab ea diligebatur, per medium eius transibat, dicitur & eum vidisse leniter & placidè ingredientem: vt qui non solùm gratia plenos mores haberet ceteros, sed etiam ipsum incessum: & marito suo persuasisse, cui nomen erat Probus, (eorum autem qui illic erant, erat facilè Princeps,) vt intra ædes suas hospitem excuperent. Postquam verò fuit accersitus, & fuit prope illos, eiusmodi aliquod miraculum accidisse mulieri: nempe apertis mentis suæ oculis, vidisse in fronte eius, qui fuerat hospitio exceptus, litteras aureas, quæ dicebant, Paulus Christi præco. Illam autem propter visionem in se paratam, inuasit, & voluptas, & timor; & lacrymis plena, procidit ad pedes Apostoli, & Catechesi ab eo institutæ, primum quidem suscipit Baptismum appellata Xantippe: posteà autem Probus eius maritus, qui erat notus Neroni, deinde etiam Philotheus Præfectus, & deinceps omnes qui illam inhabitabant regionem. Quòd autem in Hispania prædicauerit Paulus, hoc apertè dicit in epistola ad Romanos, hæc scribens: Cùm proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos: spero enim transiens vos videre. Quoniam ergo etiam antequam fuisset Romæ, in animo habuit prædicere in Hispania: cùm ei feliciter successisset, vt ad primam veniret ex ciuitatibus: non neglexit ea, quæ ei priùs visa fuerant.* Adstipulatur quoque aduentui Pauli in Hispaniam, etiam Glycas in Annalibus.

Ex Latinis verò S. Hieronymus in 11. Esaïæ de Paulo: *In Hispaniam alienigenarum portatus est manibus.* Idem affirmat in Amos 5. cuius verba sup. capite in 4. obiectione posuimus.

Sanctus Gregorius Magnus lib. 31. in Iob, cap. 32. *Paulus cum nunc Iudæam, nunc Corinthum, nunc Ephesum, nunc Romam, nunc Hispanias peteret, vt in peccati morte iacentibus, æternæ vitæ gratiam nunciaret; quid se aliud quam esse aquilam demonstrabat?*

Sanctus

Sanctus Iſidorus de vita & morte Sanctorum, cap. 70. *Incipiens enim ab Ieroſolymis, vſque ad Illyricum & Italiam, Hiſpaniáſque proceſſit, ac nomen Chriſti multarum manifeſtauit gentium populis, quibus anteà non fuerat declaratum.*

Dorotheus in Synopſi: *Paulus à Ieruſalem Euangelij prædicationem exorſus, ad Illyricum vſque, Italiam, & Hiſpanias prædicando progreſſus eſt.*

Rom. Martyrologium 22. Martij: *Narbone in Gallia Natalis ſancti Pauli Epiſcopi, Apoſtolorum diſcipuli, quem tradunt fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem, qui à B. Paulo Apoſtolo baptizatus, cùm in Hiſpaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem Epiſcopali dignitate donatus eſt.*

S. Beda in Martyrologio xj. Kalendas Aprilis: *In Galliis ciuitate Narbone, ſancti Pauli Epiſcopi, & Confeſſoris; diſcipuli Apoſtolorum Chriſti; quem tradunt eundem ipſum fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem, virum prudentem, à quo ipſe Paulus ſortitus eſt nomen, quia ipſe eum Fidei Chriſti ſubegerat: quique ab eodem ſancto Apoſtolo, cùm ad Hiſpanias prædicandi gratia pergeret, ad præfatam vrbem Narbonem relictus, prædicationis officio non ſegniter impleto, clarus miraculis coronatus ſepelitur.*

Sanctus Ado Viennenſ. Epiſcopus libello de Feſtiuitatibus SS. Apoſtolorum, xj. Kalendas Aprilis: *Natalis ſancti Pauli, quem beati Apoſtoli ordinatum vrbi Narbonæ Epiſcopum miſerunt: quem tradunt eundem ipſum fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem, virum prudentem, à quo ipſe Paulus ſortitus eſt nomen, quia eum Fidei Chriſti ſubegerat; quique ab eodem ſancto Apoſtolo, cùm ad Hiſpanias prædicandi gratia pergeret, apud præfatam vrbem Narbonam relictus, prædicationis officio non ſegniter impleto, clarus miraculis coronatus ſepelitur.* Et in Chronico ann. Chriſti 59. *Paulus Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens cuſtodia, poſt hæc ad prædicandum dimittitur. Quo tempore creditur Paulus ad Hiſpanias peruenisſe, & Arelate Trophimum, Vienna Creſcentem diſcipulos ſuos ad prædicandum reliquiſſe.*

Vſuardus in Martyrologio 12 Decembris: *Apud Narbonam natalis ſancti Pauli Epiſcopi, & Confeſſoris: quem beatus Paulus Apoſtolus ordinatum eidem vrbi deſtinauit antiſtitem: cúmque eodem Apoſtolo ad Hiſpaniam prædicandi cauſa pergens, ibidem relictus eſt. Vbi prædicationis officio non ſegniter impleto, clarus miraculis coronatus requieuit.*

Sanctus Anſelmus in 15. ad Romanos: *Nec falſum loquitur Paulus, qui ſe in Hiſpaniam profecturum pollicetur: profectus eſt enim ſicut Hieronymus, & Beda, cæteríque Doctores teſtantur. Vnde, & Narbonam præteriens, quendam diſcipulum ſuum nomine Paulum fertur ibi reliquiſſe Epiſcopum. Peruenit igitur vſque ad Hiſpanias, & à mari Rubro vſque ad Oceanum prædicando cucurrit.*

Sanctus Thomas Aquinas in 2. cap. ad Galatas: *Paulus in modico tempore ab Ieruſalem, vſque ad Illyricum, & vſque ad Hiſpaniam prædicauit Euangelium.*

Lucas Tudenſis in Chronico: *Duodecim annis fuit Paulus Romæ; & in partibus Occidentis prædicans verbum Dei cum fiducia. Quo tempore in Hiſpaniis creditur prædicaſſe.* Sed & Matthæus Vveſtmonaſterienſis in Floribus Temporum anno Chriſti 57. etiam affirmat Paulum in Hiſpania prædicaſſe.

Ex Recentioribus verò innumeri aduentus Pauli in Hiſpanias ſunt aſſertores, Ioannes Ægidius Zamorenſis lib. de Laudibus Hiſpaniæ, Alphonſus Toſtatus in 33. cap. Geneſ. Antonius Beuter lib. 1. Chronicor. Hiſpaniæ, cap. 23. Franciſcus Tarapha de Regibus Hiſpaniæ in Claudio Cæſare, Ioannes Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ ann. Domini 67. Ambroſius Morales lib. 9. Chronicor. Hiſpaniæ, cap. 11. Martinus Cantapetrenſis lib. 3. Hypotypoſ. cap. 13. pag. 65. Ioannes Mariana lib. 4. Rerum Hiſpanicarum, cap. 3. & in tract. de Aduentu ſancti Iacobi in Hiſpanias, cap. 6. Baronius in Notis ad Martyrolog. Roman. 22. Martij, & Annal. 1. ann. Chriſti 61. num. 2. Petrus Cenedus in Collectaneis ad Ius Canonicum, ad Textum, in cap. *Beatus* 22. quæſt. 2. Nicolaus Serarius peculiari Opuſculo de Apoſtolo Paulo, num. 60. Benedictus Iuſtinianus diſputatione 3. de Paulo Apoſtolo, cap. 15. & in 15. ad Romanos, Franciſc. Toletus in 15. ad Romanos, annotat. 15. Benedictus Pererius in 15. ad Romanos, diſput. 1. & 2. Hieronymus Oſorius, & Cornelius à Lapide in 15. ad Romanos, verſ. 24. Ioannes Fernandez Velaſquius lib. 2. de Aduentu S. Iacobi in Hiſpanias; Andreas Scotus Biblioth. Hiſpanicæ, tom. 1. cap. 1. Noſtræ Gentis Hiſtorici, Gaſpar Eſcolanus Decade 1. Hiſtoriæ Valentinæ, lib. 2. cap. 3. Franciſcus Diagus lib. 4. Annalium Regni Valentini, cap. 8. ſed cæteris accuratiùs ea de re egerunt, Vaſæus, Cantapetrenſis, Baronius, Toletus, Pererius, Iuſtinianus. Auctor eſt Vaſæus Gregorium Gallum Epiſcopum Oriolenſem Quodlibeticam Quæſtionem conſcripſiſſe de Aduentu Pauli Hiſpanienſi. Prodiit nuper in lucem Commentarius de Aduentu Pauli Apoſtoli in Hiſpaniam, auctore Gaſpare Sancio Ieſuita, ad finem commentariorum eiuſdem in Acta Apoſtolorum.

Quæ verò in oppoſitum adduci ſolet ſententia ſancti Gelaſij Primi, facilè à Baronio, Pererio, Iuſtiniano, aliiſque exponitur: vt neutiquam neget S. Pontifex Paulum aliquando in Hiſpanias veniſſe: ſed non tunc profectum quando ipſe venire conſtituerat. Quo etiam ſenſu capienda eſſe verba ſancti Thomæ exiſtimamus. At voluimus tot tantíſque teſtimoniis Apoſtolatum ſancti Pauli in Hiſpaniis conſignare, vt iure noſtra Prouincia glorietur tali patrono, & dedicatore Fidei noſtræ, quòd Hiſpanis veluti inſcriptio triumphalis, & titulus honorum meritò cenſeatur. Paulum enim vnicè dilexiſſe Hiſpanos, Oecumenius eſt nobis grauiſſimus auctor, qui ad verba illa Rom. 15. verſ. 28. *Reuertar per vos in Hiſpaniam.* Hæc annotat: *Rurſum Hiſpaniæ meminit, vehementem oſtendens amorem quem habebat erga Hiſpanos.*

De aliis verò poſt Apoſtolos Iacobum & Paulum, primis Fidei Chriſtianæ in Hiſpania fundatoribus, S. Gregorius VII. Romanus Pontifex lib. 1. Regiſtri, epiſt. 64. ad Alphonſum & Sanctium Hiſpaniæ Reges, hæc tradit: *Cùm B. Apoſtolus Paulus Hiſpaniam ſe adiiſſe ſignificet: ac poſteà ſeptem Epiſcopos ab vrbe Roma ad inſtruendos Hiſpaniæ populos à Petro & Paulo Apoſtolis directos fuiſſe, qui deſtructa idololatria, Chriſtianitatem fundauerunt, Religionem plantauerunt, ordinem & officium in diuinis cultibus agendis oſtenderunt, & ſanguine ſuo Eccleſias dedicauêre; veſtra diligentia non ignoret, quantam concordiam cum Romana vrbe Hiſpania in religione, & ordine Diuini Officij habuiſſe ſatis patet.*

De ſeptem his Epiſcopis & primis Euangelij in Hiſpania prædicatoribus, Romanum Martyrologium 15. Maij hæc habet: *In Hiſpania Sanctorum*

Torquati, Cteſiphontis, Secundi, Indaletij, Cæcilij, Heſychij, & Euphraſij, qui Romæ à ſanctis Apoſtolis Epiſcopi ordinati, & ad prædicandum verbum Dei in Hiſpanias directi ſunt. Cúmque variis vrbibus euangelizaſſent, & innumeras multitudines Chriſti Fidei ſubiugaſſent, in ea Prouincia diuerſis locis quieuerunt. Torquatus Acci, Cteſiphon Vergij, Secundus Abulæ, Indaletius Vrci, Cæcilius Illiberi, Heſychius Carteiæ, & Euphraſius Illiturgi.

Sanctus Beda in Martyrol. Idibus Maij: *Natale ſanctorum Confeſſorum, Torquati, & Iſephontis, Secundi, Indaletij, Cæcilij, Heſychij, Euphraſij: qui Romæ à ſanctis Apoſtolis Epiſcopi ordinati, & ad prædicandum verbum Dei, ad Hiſpanias, tunc adhuc gentili errore implicatas, directi ſunt. Cúmque ad ciuitatem Accitanam veniſſent, & propter laborem itineris modicum quieſcentes, & cauſa victus emendi, diſcipulos in vrbem miſiſſent: mox Paganorum multitudo, qui tunc fortè diis ſuis feſta celebrabant, eos vſque ad fluuium perſecuta eſt: in quo pons miræ magnitudinis & firmitatis extructus, tranſeuntibus Sanctis, Dei nutu cum omni inſequentium multitudine funditus corruit. Ad quod miraculum cæteri territi, & cuiuſdam magnæ Senatricis Luparię, quæ diuinitùs inſpirata eos benignè ſuſcipiens, credidit, exemplum ſecuti, relictis idolis Chriſto Domino crediderunt. Poſt hæc diuerſis vrbibus euangelizantes, & innumeras multitudines Chriſti Fidei ſubiugantes, Torquatus Accij, & Iſephon Vergij, Secundus Abulæ, Indaletius Vrci, Cæcilius Heliberri, Eſitius Carteſæ, Euphraſius Eliturgi quieuerunt.*

Sanctus Ado Viennenſis Epiſcopus in Martyrologio, Idibus Maij: *Natale ſanctorum Confeſſorum, Torquati, Cteſiphontis, Secundi, Indaletij, Cæcilij, Eſitij, Euphraſij: qui Romæ à ſanctis Apoſtolis Epiſcopi ordinati, & ad prædicandum verbum Dei, ad Hiſpanos, tunc adhuc gentili errore implicatos, directi ſunt. Cúmque ad ciuitatem Accitanam veniſſent, & propter laborem itineris modicum quieſcentes, cauſa victus emendi, diſcipulos in vrbem miſiſſent mox Paganorum multitudo, qui tunc fortè diis ſuis feſta celebrabant, eos vſque ad fluuium perſecuta eſt: in quo pons mirę magnitudinis, & firmitatis extructus, tranſeuntibus Sanctis, Dei nutu, cum omni perſequentium multitudine funditus corruit. Ad quod miraculum cæteri territi, & cuiuſdam magnæ Senatricis Luparię, (quæ diuinitùs inſpirata, eos benignè ſuſcipiens, credidit) exemplum ſecuti, relictis idolis, Chriſto Domino crediderunt. Poſt hoc diuerſis vrbibus euangelizantes, & innumeras multitudines Chriſti Fidei ſubiugantes, Torquatus Acci, Cteſiphon Vergij, Secundus Abulæ, Indaletius Vrci, Cæcilius Eliberri, Eſitius Carteſæ, Euphraſius Eliturgi quieuerunt. Extat vſque hodie illuſtre miraculum ad commendationem pretioſæ mortis eorum. Nam eadem ſolemnitate apud præfatam Accitanam vrbem ad ſepulchrum S. Torquati arbor oliuæ diuinitus florens, maturis fructibus onuſtatur.*

Vſuardus in Martyrologio, Idibus Maij: *Natalis ſanctorum Confeſſorum, Torquati, Cteſiphontis, Secundi, Indaletij, Cæcilij, Heſychij, & Euphragij: qui Romæ à ſanctis Apoſtolis ordinati, & ad prædicandum verbum Dei, ad Hiſpanias, tunc adhuc gentili errore implicatas, directi ſunt. Cúmque diuerſis vrbibus euangelizaſſent, & innumeras multitudines Chriſti Fidei ſubiugaſſent; Torquatus, Acci, Theſiphon Vergy, Secundus Abulæ, Indaletius Vrci, Cecilius Eliberri, Heſychius Cartheſæ, Euphraſius Eliturgi quieuerunt.*

Sanctus Notkerus in Martyrolog. Idibus Maij: *In Hiſpaniis natiuitas BB. Confeſſorum, Torquati, Cteſiphontis, Secundi, Indaletij, Cæcilij, Heſychij, Euphraſij: qui Romæ à ſanctis Apoſtolis Epiſcopi ordinati, & ad prædicandum verbum Dei, ad Hiſpanias, tunc adhuc gentili errore implicitas directi ſunt. Cúmque ad ciuitatem Accitanam veniſſent, & propter laborem itineris, modicum quieſcentes, cauſa victus emendi, diſcipulos in vrbem miſiſſent: mox Paganorum multitudo, qui tunc fortè diis ſuis feſta celebrabant, eos vſque ad fluuium perſecuta eſt. In quo pons mirę magnitudinis & firmitatis extructus, tranſeuntibus Sanctis Dei nutu cum omni inſequentium multitudine funditus corruit. Ad quod miraculum cæteri territi, & cuiuſdam magnæ Senatricis Luparię, quæ diuinitùs inſpirata, eos benignè ſuſcipiens, credidit, exemplum ſecuti, relictis idolis Chriſto Domino crediderunt. Poſt hæc verò diuerſis vrbibus euangelizantes, & innumeras multitudines Chriſti Fidei ſubiugantes: Torquatus Acci, Cteſiphon Vergi, Secundus Abulæ, Indaletius Vrci, Cæcilius Heliberri, Heſychius Carſeſæ, Euphraſius Eliturgi, quieuerunt: Extat vſque hodie illuſtre miraculum, ad commendationem pretioſæ mortis eorum. Nam eadem ſolemnitate apud præfatam Accitanam vrbem, ad ſepulchrum ſancti Torquati arbor oliuæ diuinitùs florens, maturis fructibus onuſtatur.* Hæc Notkerus, ad verbum ex S. Adonis Martyrologio deſcripta: quæ quidem etiam omnia totidem verbis concepta extant in Vetuſtiſſimo Eccleſiæ Lugdunenſis Martyrologio, Idibus Maij, vnde ea tranſcripſit Ioannes à Boſco in Xyſto Dextro Bibliothecæ Floriacenſis, pag. 304. vbi vanè ait, alibi forſan non expreſſa in ea Martyrologij pericope contineri: ex Boſco deſumpſit Andreas Scotus in Bibliotheca Hiſpanica, tom. 1. cap. 1.

Porrò nomina vrbium in quibus SS. Epiſcopi quieuiſſe dicuntur, ſi reddenda ſunt iis, quæ nunc aliter appellantur, locis, ita à viris eruditis reſtituenda putantur, vt Acci, ſit Guadix, Vergium, Berja: Abula, Auila, Vrci, Almeria, Iliberis, Granada, vel Eluira prope Granatam: Cartheia, Carceſa, Illiturgis, Andujar. At de Sanctiſſimis his Epiſcopis Hiſpaniarum Apoſtolis, pluribus agunt Franciſcus Tarapha De Regibus Hiſpaniæ, in Nerone, Ioannes Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ, Anno Chriſti 44. Ambroſius Morales lib. 9. Rerum Hiſpanicarum, cap. 7. & 11. Ioannes Mariana lib. 4. Hiſtor. Hiſpanicæ, cap. 2. & 3. & alij, & præſertim cuncta Hiſpaniæ Breuiaria.

Aliæ Europæ regiones.

CAP. VII.

BRitanniam Inſulam, quam nunc Angliam appellamus, Euangelium accepiſſe à Ioſepho ab Arimathæa, qui illuc ex Gallia traiecerat, Hiſtoria Anglicana priſca manuſcripta quæ extat in Bibliotheca Vaticana, cuius meminere Baronius, & Gordonus in Annalibus, anno Chriſti 63. teſtatur, quod etiam affirmant Polydorus Virgilius lib. 1. Hiſtoriæ Anglicanæ, & alij.

Deinde temporibus Commodi Imperatoris Lucium Britanniæ regem Legatos miſiſſe ad ſanctum Eleutherum Papam, cum litteris, obſecrantem, vt miniſtros Verbi ad ſe amandaret, à quibus Euangelium audire, & Fidem Chriſti ſuſcipere poſſet: ſanctúmque

& túmque Pontificem misisse tunc in Britanniam SS. Damianum & Fugatium, qui Lucium Regem vnà cum vxore, ac familia, & toto ferè populo baptisarunt: auctores sunt S.Beda lib.1.de Gestis Anglorum, cap. 4. & in Chronico in M. Antonio Vero, S. Ado Viennensis Episcopus in Chronico, ad annum Christi 163. Anastasius Bibliothecarius libro de Romanis Pontificibus,in Eleuthero,Hermannus Contractus in Chronico,ad annum Christi 180. Marianus Scotus in Chronico ad annum Domini 177. & alij recentiores, vt Polydorus Virgilius lib. 2. Historiæ Anglicanæ, Hector Boëtius de rebus Scotiæ lib. 5. & quod pluris faciendum est, idem testantur Martyrologia, Romanum 26. Maij, S. Bedæ, S. Adonis, S.Notkeri 25. Maij. Vnde Tertullianus aduersus Iudæos, cap.7. *Et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo verò subdita.*

Denique auctore S.Gregorio Magno, per S.Augustinum, sociósque eius, gentem Anglorum ad Christi Fidem conuersam fuisse ipsemet S. Gregorius latè refert lib.5. epist. 53. vsque ad 59. lib. 7. epist. 112. lib. 9. epist. 48. vsque ad 60. & epist.71. & lib.12. in fine: agunt etiam de ea conuersione S. Beda lib. 1. de Gestis Anglorum, cap. 23. & seqq. vsque ad finem libri, & lib. 2. cap. 2. & 3. & in Chronico, in Mauritio Imperatore, Ioannes Diaconus in Vita S. Gregorij lib. 2. cap. 33. & seqq. Anastasius Bibliothecarius lib.1. de Rom. Pontificibus in S. Gregorio, S Ado Viennensis in Chronico, ad annum Christi 585. Regino in Chronico lib.1. in Mauritio Imperatore, Hermannus Contractus in Chronico ad annum Domini 590. Lambertus Schafnaburgensis de Rebus Germaniæ, in Mauritio Imperatore, Marianus Scotus in Chronico, anno Salutis 600. Sigebertus in Chronico, ann. Christi 597. Polyd. Virgilius lib.4.Histor.Anglicanæ, Hector Boëtius lib.9. Scotorum Historiæ. Item Martyrologia, Romanum, S.Bedæ, S.Adonis, Rabbani, Vsuardi, S.Notkeri, omnia 26. Maij.

Sarmathas & Gothos tempore Constantini Magni factos Christianos, Socrates lib. 1. Histor. Ecclesiasticæ, cap. 14. Sozomenus lib. 2. cap. 5. Cassiodorus lib. 1. Tripartitæ, cap. 9. Nicephorus lib. 7. Histor. cap. 46. disertè tradunt. Sed de Gothorum ad Fidem Christi conuersione sub Constantio Principe, per Audium Audianorum Sectæ conditorem, ista narrat S. Epiphanius hær. 70. *Sustinuit autem exilium ipse senex Audius ad Scythiæ partes à Rege* Constantio *relegatus, eo quòd rebelles faceret populos, & ab Episcopis ad Regem delatus est. Illic verò annorum tempore, haud scio dicere quanto, commoratus est, vlterius progressus, & ad intima Gothiæ, multos Gothorum in Fide instruxit. Ab ipso sanè etiam Monasteria in eadem Gothia facta sunt, & vitæ conuersio instituta, virginitásque, ac exercitatio pietatis non vulgaris.* De Christianismo Gothorum agunt S. Hieronymus epist. 7. S. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 52. Orosius lib. 7. cap. 32. & 33. Socrates lib. 4. cap. 27. Sozomenus lib. 6. cap. 37. Theodoretus lib. 4. Histor. cap. 32. Iornandes de Rebus Geticis, cap. 25. Paulus Diaconus in Miscella lib. 12. cap. 12. & 17. Nicephorus lib. 11. cap. 48. Vide quæ de his scripserit Baronius Annali 4. ann. Christi 370. num. 105. & seqq.

Scythas, Dacos, Getas, hoc est, Gothos, & Bessas, sub Arcadio, & Honorio Imperatoribus, prædicatione sancti Nicetæ Episcopi, Christianam Religionem amplexos, S. Paulinus Nolanus Episcopus Hymno de Reditu S. Nicetæ, in hunc modum canit:

Te patrem dicit plaga tota Boreæ,
Ad tuos fatus Scytha mitigatur,
Et sui discors fera, te magistro,
Pectora ponit.
Et Getæ currunt, & vterque Dacus,
Qui colit terram medio, vel ille
Diuitis multo boue pelleatus
Accola ripæ.
De lupis hoc est vitulos creare:
Et boui iunctum palea leonem
Pascere, & tutis caua viperarum
Pandere paruis.

De Bessis verò hæc ait:

Nam simul terris, animisque duri,
Et sua Bessi niue duriores;
Nunc oues facti, duce te, gregantur
Pacis in aulam.

Mentio quoque est de eiusmodi ferarum gentium ad Christi iugum adiunctione per S. Nicetam,in Rom.Martyrologio 7.Ianuarij,de qua etiam S.Hieronymus epist.3.in Epitaphio Nepotiani, cuius verba suprà cap. 4. posuimus. De Bessis agunt Herodotus lib. 7. num.111. Liuius lib. 39. cap. 53. Strabo lib.7. Plinius lib.4. cap.11. Solinus cap.16. Suetonius in Octauio, cap. 3. Amm. Marcellinus lib.27.cap.8. Eutropius lib.6. Iornandes de Regnorum successionibus, cap. 52. Paulus Diaconus in Miscella lib. 6. cap.10. Leonem Imperatorem qui Marciano successit, Bessica ortum progenie tradit Iornandes de Regnorum Successionibus cap. 100. Thraciæ populos fuisse, consentiunt omnes. Sanctum Theodosium Cœnobiarcham in Monasterio suo habuisse genus Bessarum, qui sua voce communi Domino funderent preces,auctor est Simeon Metaphrastes in eius Vita apud Surium tom.1.

Europæ quasdam extremas regiones, sub Constantino Magno Fidem suscepisse Christianam, Sozomenus lib.2. Histor.Ecclesiast. c.5. ita prodit: *Cùm verò ad hunc modum per vniuersum Imperium Romanum se dilataret Ecclesia, Christiana religio etiam ad ipsos Barbaros peruasit. Nam gentes circa Rhenum accolentes Fidei Christianæ se dediderunt. Celtæ enim & populi Galliæ vltimi, qui proximè ad Oceanum habitant: Gothi etiam, & gentes illis finitimæ, quæ antè ad ripas Istri habitauerant, iam pridem Fide in Christum recepta, se ad cultum & humanitatem ciuiliorem conuerterant. Causa autem cur omnes ferè Barbari Christianam religionem amplecti cœperint, fuêre bella variis temporibus, vtpote regnante Gallieno, & Imperatoribus à quibus ei successum est, à Romanis, & exteris hominibus administrata. Nam cùm infinita ferè, & promiscua multitudo gentium ex Thracia in Asiam traiecissent, eámque incursionibus factis occupasset, aliique Barbari in aliis locis Romanis sibi finitimis idem præstitissent, multi Sacerdotes Christi pariter captiui à Barbaris abducebantur. Qui quidem cùm homines in illis locis morbis afflictatos sanarent, & dæmonibus occupatos solo nomine Christi Filij Dei inuocato liberarent, & sincerum praterea, ac pium vitæ genus colere, & virtutum præstantia, obtrectatorum ora penitus obturare viderentur: Barbari eos, cùm vitæ, tum factorum admirabilium causa, magnopere admirati, & eos valdè prudentes esse, & se, si tam præstabiles hominum mores imitarentur, numénque diuinum ad eorum exemplum colerent, Deum sibi propitium habituros. Itaque ab illis quid sibi agendum sit, doceri constituunt: discunt Fidei nostræ præcepta,*

Baptiſmum recipiunt, & conuentus more Chriſtianorum celebrant.

Eadem habet Nicephorus, lib. 8. cap. 33.

Burgundiones trans Rhenum ſub Imperio Honorij, vel Theodoſij Chriſto nomen dediſſe, Paulus Oroſius lib. 7. cap. 32. in hunc modum deſcribit: *Burgundionum quoque nouorum hoſtium nouum nomen, qui pluſquam octoginta millia, vt ferunt, armatorum, ripæ Rheni fluminis inſederunt. Hos quondam ſubacta interiore Germania, à Druſo & Tiberio adoptiuis filiis Cæſaris, per caſtra diſpoſitos aiunt in magnam coaluiſſe gentem: atque ita etiam nomen ex opere præſumpſiſſe; quia crebra per limitem habitacula Burgos vulgo vocant: eorúmque eſſe prævalidam & perniciosam manum, Gallia hodiéque teſtes ſunt, in quibus præſumpta poſſeſſione conſiſtunt. Quamuis prouidentia Dei, omnes Chriſtiani modò facti, Catholica Fide, noſtriſque Clericis quibus obedirent, receptis, blandè, manſuetè, innocentérque viuant: non quaſi cum ſubiectis Gallis, ſed verè cum fratribus Chriſtianis.* Eadem de Burgundionum ad Chriſti Eccleſiam acceſſione produnt Socrates lib. 7. cap. 30. Caſſiodorus lib. 12. Tripartitæ, c. 4. Paulus Diaconus in Miſcella lib. 12. cap. 8. Nicephorus lib. 14. cap. 40.

Hunnos etiam Chriſtiana religione imbutos, S. Hieronymus epiſt. 7. teſtatur his verbis: *Hunni dicunt Pſalterium.* Exiſtimauit Baronius annali 5. anno Domini 402. & Annali 6. anno 444. eos prædicatione S. Theotymi Tomorum Epiſcopi in Scythia, ad Fidem conuerſos, nam illis fuiſſe percharum, & in admiratione, atque cum eis familiariter vixiſſe, Sozomenus ſcribit lib. 7. cap. 25. De Hunnis plura S. Hieronymus epiſt. 30. Amm. Marcellinus lib. 31. cap. 2. 3. & 4. Sozomenus lib. 6. cap. 37. Procopius lib. 2. de Bello Perſico, cap. 3. Oroſius lib. 7. cap. 33. Iornandes de Rebus Geticis, cap. 24. Agathias lib. 5. cap. 6. Paulus Diaconus de Geſtis Longobardorum lib. 1. cap. vltimo, & lib. 2. cap. 10. & in Miſcella lib. 12. cap. 13. Nicephorus lib. 11. Hiſtor. cap. 48. & lib. 12. cap. 45. & lib. 13. cap. 1. & 35. & lib. 14. cap. 40. & lib. 15. cap. 17. & lib. 16. cap. 1. 26. & 38. Zonaras in Iuſtino Seniore, Suidas in voce *Abares*, Theophylactus Simocata lib. 7. Hiſtor. Mauritianæ, cap. 8. Hunnorum etiam meminere Dionyſius Alexandrinus in Periegeſi, verſ. 730. Priſcianus verſ. 705. Sed & de Regis Hunnorum ad Chriſti Fidem conuerſione, rerum potiente Iuſtiniano, Landulphus Sagax lib. 16. Miſcellæ, cap. 1. ita refert: *Eodem anno* (Chriſti 521.) *adhæſit mulier quædam Romanis ex Hunnis, qui dicuntur Saber, barbara, nomine Boazer, vidua habens ſecum Hunnorum centum millia. Tum & Rex Hunnorum qui ſunt iuxta Boſphorum, nomine Gordas, acceſſit ad Imperatorem, & factus Chriſtianus, ſuſceptus eſt ab Imperatore: & multis ei præſtitis donis, miſit eum in regionem ipſius, ad Romanas cuſtodiendas res, & Boſphorum ciuitatem.* Eadem habet Cedrenus in Annalibus.

Erulos cum ſuo Rege nomine Grætes, ſub Iuſtiniano Imper. Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſe, Procopius lib. 2. de Bello Goth. cap. 11. Euagrius lib. 4. Hiſtor. Eccleſiaſtic. cap. 19. Landulphus Sagax in Miſcella lib 16. c. 1. Nicephorus lib. 17. c. 13. Cedrenus in Annalibus accuratè narrant. Ceterorum nomine vnum Landulphum audiamus: *Intereà Rex Herculorum, Gethes nomine, venit Conſtantinopolim, cum populo ſuo, & petit Imperatorem, quòd fieret Chriſtianus. Qui baptizatum in Theophaniis ſuſcepit eum ex baptiſmate, repromittentem auxiliari ei in quibuſcumque voluiſſet.*

De Scytharum Chriſtiana Fide, Eccleſiis erectis, eorundémque Epiſcopo S. Bretannione, tempore Valentis Imperatoris plura deſcribunt Sozomenus lib. 6. cap. 21. Theodoretus lib. 4. cap. 30. Nicephorus lib. 11. cap. 29. & Roman. Martyrologium 23. Ianuarij.

Scotos accepiſſe Fidem à Palladio S. R. E. Archidiacono, primo Scotorum Epiſcopo, S. Proſper eſt auctor in Chronico: *Baſſo & Antiocho Coſſ. Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatur à Papa Cæleſtino Palladius, & primus Epiſcopus mittitur.* Fuit is annus Domini 432. Et lib. aduerſus Collatorem extremo: *Venerabilis memoriæ Pontifex Cæleſtinus, ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſeruare Catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam.* Eadem habent S. Beda lib. de Geſtis Anglorum, cap. 13. & in Chronico, in Theodoſio Minore, S. Ado Viennenſis in Chronico ad annum Chriſti 425. Hermanus Contractus ad annum Domini 430. Marianus Scotus ad annum Chriſti 432. Sigebertus ad annum 432. Ceterùm annotat Baronius Annali 5. ann. Chriſti 429. num. 2. recentiores Scoticarum rerum Scriptores, Scotorum Chriſtianiſmum à tempore Victoris Papæ I. & Martyris altiùs repetere: ipſum adito.

Hibernos verò in ouile Chriſti aggregatos eiſdem temporibus, per S. Patritium primum Hibernorum Epiſcopum à S. Cæleſtino Papa conſecratum, Romanum Martyrologium 17. Martij teſtatur: *In Hibernia Natalis S. Patritij Epiſcopi & Confeſſoris, qui primus ibidem Chriſtum euangelizauit, & maximis miraculis & virtutibus claruit.* Eadem omnino habent Martyrologia S. Bedæ, S. Adonis, Vſuardi, Rabbani, S. Notkeri. Multa etiam de eodem S. Patritij in Hibernia apoſtolatu ſcribit Probus Hibernus in eius vita, quæ extat tom. 3. operum S. Bedæ, item Marianus Scotus in Chronico, anno Domini 432. & Sigebertus in Chronico, anno 432. De Purgatorio S. Patritij. Vide Cæſarium Heiſterbachenſem, Dialogo 12. cap. 38. & 39. mira narrantem.

De Ruſſis, vel Ruthenis hæc habet Matthias Michouienſis lib. 2. de Sarmatia Europea, cap. 1. *Inter Sanctos colunt plus Thadæum Apoſtolum, aſſerentes, quòd eos conuerterit, & Fidem Chriſti docuerit: deinde & Bartholomæum ſanctum Dei Apoſtolum venerantur, per quem multos articulos, vt aiunt, de Fide acceperunt.* Sigiſmundus Liber in Comment. Rerum Moſchouiticarum, pag. 27. *Rutheni in Annalibus ſuis apertè gloriantur, terram Ruſſiæ eſſe baptizatam & benedictam ab Andrea Chriſti Apoſtolo, quem ex Græcia ad oſtia Boryſthenis veniſſe ipſi affirmant: & aduerſo flumine, ad montes vbi nunc Chiouia eſt, nauigaſſe: atque ibi omnem terram benedixiſſe, & baptizaſſe: crucem ſuam illic collocaſſe, prædixiſſéque magnam ibi Dei gratiam, multáſque Eccleſias Chriſtianorum futuras. Hæc Annales ipſorum.*

Poſteà verò ſub Baſilio Macedone, Fidem quoque Chriſtianam ſuſcepiſſe, Ioannes Curopalates in Baſilio Seniore, Zonaras tom. 3. Annal. Cedrenus in Annalibus, Nicephorus in argum. lib. 21. tradunt. De Ruſſis agemus lib.... cap.... Ceterùm anno Salutis 1595. Ruthenos eiurato Græcorum ſchiſmate, quo ante innexi tenebantur, S. Romanæ Eccleſiæ communionem ſolemni ritu amplexos, ſuſcipiente eos in Eccleſiæ Romanæ gremium Clemente VIII. Pontifice, norunt omnes: nam extant ea de re acta publica edita à Baronio ad finem Annalis VII.

De

De Moschouitarum Christiana Religione egerunt ex professo Paulus Iouius, Sigismundus Liber, Antonius Posseuinus.

Morauos, & Slauos ad Fidem adductos per sanctos Episcopos Cyrillum & Methodium, temporibus Adriani II. Pontificis, Rom. Martyrologium 9. Martij, in hunc modum refert: *In Moratia sanctorum Episcoporum Cyrilli, & Methodij, qui multas illarum regionum gentes, cum earum Regibus ad Fidem Christi perduxerunt.* Martinus Polonus lib. 4. Chronici, ad annum Christi 859. *Huius* (Nicolai I. Pontificis,) *tempore S. Cyrillus penè omnium Slauorum Apostolus, &c.* Martinus Cromerus Rer. Polonicarum lib. 3. sub initium: *Præclaram autem his populis noua religione imbuendis operam nauarunt Methodius & Cyrillus Episcopi: à quibus & illud perfectum est, assentiente Pontifice Maximo, vt Slauis sua lingua in sacris vti liceret.*

De Gazaris & Circassis ad mare Caspium Matthias Michouiensis lib. 1. de Sarmatia, cap. 7. hæc habet: *Inter illos montes sunt Gazarorum gentes, quas, vt Morauica legenda depromit, S. Cyrillus & Methodius fratres per Michaëlem Imperatorem Constantinop. missi, ad Fidem Christi conuerterunt: & vsque nunc Fidem & Ritum Græcorum profitentur. Vicinæ iuxta illos sunt gentes Circassi, & Mengrelli, omnes de ritu Græco, per beatum Ciryllum in Fidem Christi reducti.* Hos populos tametsi Asiaticos, hîc Apostolatui S. Cyrilli, & Methodij adiunximus.

De Polonis Matthias Michouiensis lib. 2. Rer. Polonicarum, cap. 1. hæc prodit: *Boleslai Principis Boëmorum, Germani S. Venceslai: natam Myesko Monarcha Polonorum in vxorem poposcit. Nec abnuit præfatus Boleslaus dandam, dummodo ritu gentili abrogato, vndis sacri Baptismatis ablutus Myesko innouaretur. Consensu autem & conclusione vtrimque facta, adducta est in Gneznam virgo Dambrouuka in regiam Myeskonis cum ampla dote. Anno ergo Christi Domini DCCCCLV. vno & eodem die Myesko Princeps Polonorum cum maioribus sui regni, in præsentia Dambrouuka, & Boëmorum sacrum Baptisma propitiatione diuina Gnezna suscepit, pro Mieska nomen Myeczslai accipiens, & aliud sacramentum Matrimonij cum Virgine Dambrouuka, ex Boëmia aduecta contraxit: conuiuia, munificentiam, & spectacula pluribus diebus elargiendo, & cunctis regnicolis baptizari præcipiendo. Et quia multi restabant sacro fonte baptizandi, ideò per editum strictè demandauit, vt omnes in ciuitatibus & villagiis, nobiles, atque ignobiles, septima die Martij aduentante, idolis confractis, & in lacubus, aut aquis submersis, simul, & lapidibus ab vtriusque sexus hominibus obrutis, sub confiscatione bonorum & exterminatione baptizarentur. Qua die superueniente, vt erat statutum, cuncti iussa exoluentes, renascebantur in Christo & baptizabantur.* Eadem habet Martinus Chromerus lib. 3. Rer. Polonic. ex Ioanne Dlugosso paulò vetustiore Poloniæ rerum auctore.

Hungaros sub Geisca Principe, prædicatione sancti Adalberti Pragensis Episcopi, & Martyris Christo nomen dedisse, auctor est Cartuitius Episcopus in Vita S. Stephani Hungarorum regis, apud Surium tom. 4. Matthias etiam Michouiensis lib. 2. Histor. Poloniæ, cap. 8. Martinus Chromerus lib. 3. Rer. Polonic. Anton. Bonfinius Rerum Hungaricarum Decade 2. lib. 1.

Bulgaros ad Fidem Christi accessisse temporibus Nicolai I. Anastasius Bibliothec. in eius Vita, Hermannus Contractus in Chron. ad annum 865. Sigebertus item in Chronic. anno 865. Zonaras tom. 3. Annalium, in Michaële, & Theodora, Nicephorus in argumento, lib. 22. & alij produnt.

De Lithuanorum suscepta Christiana Religione pluribus agunt Æneas Siluius in Descriptione Lithuaniæ, Alexander Guagninus in Origine gentis Lithuanicæ, Matthias Michouiensis lib. 4. Hist. Polonicæ, cap. 39. Martinus Cromerus lib. 15. de Reb. Polonorum, Sigismundus Liber in Rebus Moscouiticis.

Liuonorum Christianismum describunt Chromerus lib. 7. Rer. Polonic. Æneas Siluius in Descriptione Liuoniæ, & Sigismundus Liber in Moscouia.

De Prutenorum Christiana Religione narrant Æneas Siluius in Descriptione Brussiæ, Cromerus lib. 8. Rer. Polonic.

Pomeranos Christo tandem colla subdidisse Chromerus ex Alberto Crantzio describit lib. 5. de Poloniæ rebus.

Samagitiam anno Salutis 1413. Christianam Fidem amplexam, Matthias Michouiensis lib. 4. capite 45. & Cromerus libro 18. Rerum Polonic. testantur.

Vandalos & Lechitas sub Ioanne Papa XIII. ad Religionem Christianam accessisse, Stanislaus Orichouius Roxolanus testatur apud Nicolaum Sanderum lib. 7. de Visib. Ecclesiæ Monarchia, num. 688. & 689.

Danos & Slauos sub Ottone I. & Agapito II. Pontifice, ad annum Domini 949. Christi Religioni adiunctos, fusè describunt Adam antiquus Chronographus lib. 2. cap. 2. & 3. Ditmarus lib. 2. Vuitichindus lib. 3. Saxo Grammaticus lib. 9. de Rebus Daniæ. Vide Baronium Annal. 10. anno Domini 949.

De Gothiæ, Sueciæ, Norvegiæ Christianitate plura conscripsere Saxo Grammaticus, Albertus Krantzius, Olaus Magnus, & alij.

De Finlandiæ ad Christi Fidem conuersione Olaus Magnus lib. 4. de Gentibus Septentrionalibus, cap. 18. hæc prodit: *Fuit olim hæc vltima Aquilonaris regio quemadmodum plures vicinæ terræ, pagana superstitione seducta. At postquam duo clarissima lumina, & sanctissimi viri Ericus Sueciæ Rex, & beatus Henricus Vpsalensis Archipræsul, Fidei Christianæ, & regno Sueciæ, circa annos Salutis 1155. prædicatione verbi diuini, pacéque oblata, ac contempta, & victoriosa manu subiecissent, ac templa extruxissent, Sacerdotésque eidem genti præfecissent, facta est præcipua omnium virtutum amatrix. Ecclesias magnificè constructas habent, nouísque erigendis magnopere student.* Hæc Olaus, quæ rectè scire potuit, vtpote Vpsalensis Archiepiscopus, Sueciæ, & Gothiæ Primas; eadem & Ioannes Magnus eius frater etiam Vpsalensis Archiepiscopus lib. 19. cap. 3.

Groenlandiam Insulam sub ipso ferme Septentrionali axe positam, Euangelio Christi iam olim fuisse imbutam, Abraham Ortelius in Orbis Theatro in Tabula Scandiæ, ex Nicolao Zeno Veneto, in hunc modum refert: *De Groenlandia item insula dicit, hiemem ibi esse nouem mensium, ibidémque eo tempore minimè pluere, neque ineuntis hyemis niues vnquam ante eius finem dissolui. Sed mirandum quod de Monasterio Prædicatorij Ordinis in hac insula D. Thomæ dicato addit: Esse nempe non procul ab eo montem, Æthnæ instar igniuomum, ibidémque ignitarum aquarum fon-*

tem, cuius aquis non solùm omnia huius Monasterij, monachorúmque habitacula hypocaustorum in modum calefaciunt: sed etiam omne genus ciborum, etiam panem, alio nullo adhibito igne coquunt. Tota huius Monasterij fabrica ex tophis constat, quos idem mons inter ebullientes flammas eructat: Hi ardentes tophi enim cùm natura aliquid pingue habeant, & solidi sint, hac aqua superinfusa, extincti, aridi, & foraminibus rari, atque leues relinquantur: aqua verò in bitumen tenacissimum mutatur, quo postea cùm hi tophi in structuram coniuiuntur, conglutinantur: solidissimúmque opus contra omnem temporis iniuriam constituunt. Hortos etiam suos hac aqua irrigatos, vario florum, frugúmque genere ridentes ferè semper habent. Situm est hoc Monasterium in Oceani littore, & portum habet satis capacem: in quem hic fons suas aquas euomens, adeo tepidum efficit, vt nunquam etsi plaga sit frigidissima, congeletur. Inde hîc tantus aquatilium, piscíumque ex frigidioribus locis concursus, vt non solùm hi monachi, sed circumvicini etiam accolæ, suauiter vnde viuant, habeant. Hæc inter alia de his insulis Zenus, qui Zichmni aliquot in hoc tractu insularum Principis, classis præfectus factus, omnes has oras Septentrionales perlustrauit. Nimisùm anno Domini MCCCLXXX. vt idem Ortelius anteà dixerat. Eadem de Monasterio Prædicatorum Groenlandiæ habet Gerardus Mercator in Maiori Atlante, in Tabula Poli Arctici. At si Monasterium Prædicatorum S. Thomæ nomine in Groenlandia anno Domini 1380. iam erat, non est dubium, quin in eadem insula Christiana Religio propagata fuerit.

Et quidem hanc eandem insulam describens Olaus lib. 2. Gentium Aquilonarium, cap. 24. hæc annotat: *Háncque insulam Saxo Grammaticus, Danorum insignis Historicus in pluribus suis scriptis ad Sueciam, sine quauis hæsitatione spectare attestatur. Et hoc ex multis argumentis: quia eadem lingua, legibus, consuetudinibus, & morum conformitate, & vicinitate perpetuò vtuntur. Etiam quia Gothorum Episcopo Lincopensi, tanquam primo Fidei plantatori sunt subiecti: à quo & Episcopalia iura petunt, & consequuntur.* Gerardus Mercator tamen in Tabula Poli Arctici, ait: *Sunt in hac insula duæ sedes Episcopales, sub ordinatione Archiepiscopi Nidrosiæ, quæ Norvegiæ metropolis.*

Asia.

CAP. VIII.

ASiam quoque & Orientem fermè totum Christianam Religionem suscepisse, per partes nunc ostendemus. Armeniæ, & Tyridatis eius Prouinciæ regis mirificam ad Fidem Christi conuersionem, magnis miraculis nobilitatam, per sanctum Gregorium magnæ Armeniæ Episcopum, tempore Diocletiani Imperatoris factam, copiosè describunt Acta eiusdem S. Gregorij apud Metaphrastem, quæ Lippomanus in tomum 6. & Surius in tom. 5. De Vitis Sanctorum retulerunt, item Sozomenus lib. 2. Histor. Eccles. cap. 7. Cassiodorus lib. 3. Tripartitæ, cap. 1. Nicephorus lib. 8. Histor. cap. 35. Sed & Græcorum Menologium 30. Septembris hæc prodit: *Commemoratio S. Gregorij Magnæ Armeniæ Episcopi. Hic sub Diocletiano Imperatore, genere Parthus, detentus autem à Tiridate Rege, propterea quòd esset Christianus, multos pertulit cruciatus. Postea cùm cognouisset Tiridates hunc esse filium Anaci, qui eius patrem dolo interfecerat, in vrbem Ararat missum, vinctis manibus, & pedibus, in profundum lacum, feris, & serpentibus plenum deiciendum curauit: vbi annos quindecim a muliere vidua nutritus est. Eductus autem è lacu, à Tiridate, quem à delirij morbo liberauit, omnem eius familiam baptizauit: & factus Episcopus totius Armeniæ, constitutis Ecclesiis, in pace quiescens, migrauit ad Dominum.* Habentur hæc & alia planè miranda, in præfatis Actis sancti Gregorij, fusiùs enarrata.

Sed & Sozomenus ibidem de præclara ista Armenorum ad Christi Fidem accessione, vt etiam de Persarum conuersione, in hunc modum scribit: *Deinceps autem Religio Christiana ad Gentes finitimas permanauit, & in multos diffusa est. Armenios autem iam anteà se ad Fidem Christi recepisse accepi. Nam fertur Tiridatem, qui tum huic genti præerat, admirabili quadam & diuina visione, quæ circa illius ædes fortè apparuerat, non modo ad Christianam Religionem vocatum esse: verumetiam edicto omnibus subiectis imperasse, vt Fidei Christi se addicerent. Posteà verò ad vicinas gentes eadem peruasit Religio, & ad multos vagata est. Quod ad Persas spectat, ex illis initio Christianos arbitror factos fuisse nonnullos, qui propter consuetudinem, quam habebant cum Osroënis, & Armenijs, in colloquium, vt verisimile est, cum diuinis viris qui ibi erant, venerant, & virtutis eorum periculum fecerant.*

De maioris Ameniæ Christianis tempore Iustini Iunioris agit Euagrius lib. 5. Histor. cap. 7. & Nicephorus lib. 17. cap. 37.

De Florenti apud Persas Christianismo Eusebius, lib. 4. de Vita Constantini, cap. 8. hæc refert: *Idémque* Constantinus *cùm accepisset apud Persas frequentes esse Dei Ecclesias, & infinitum penè populum Christi gregibus contineri: non mediocri ex hac fama affectus voluptate, vtpote quem communis omnium cura tangeret, de his etiam solicitus erat.* Verùm magnus ipse Imperator Constantinus in epist. ad Saporem Regem Persarum, quam ibidem Eusebius subiicit, Christianos in ipsius regno magno numero degentes eidem vnicè commendans, hæc ait: *Hunc præclarum hominum cœtum, Christianorum, inquam, de quibus omnis est à me suscepta oratio, cùm audiam etiam in Persidis potissimam partem (quòd mihi sanè est gratissimum) exornasse, quanta me putas perfundi voluptate? Hos igitur, quoniam hac dignitate es, tuæ fidei commendo: hos eosdem propter insignem tuam pietatem, tibi in manus trado: hos, vt decet humanitatem tuam, complectere & ama. Sic enim & tibi, & nobis ista tua fide immensum beneficium præstabis.*

Atqui in Persida olim longè latéque Christianam Religionem fuisse propagatam, nimis est exploratum, cùm ex his quæ Sozomenus lib. 2. cap. 8. & Nicephorus lib. 8. cap. 36. & alij tradiderunt de atroci in Christianos Persas persecutione à Sapore Rege Persarum, tempore Constantij Imperatoris excitata: tum ex his quæ Theodoretus lib. 5. Histor. cap. 38. Nicephorus lib. 14. Histor. cap. 18. 19. 20. 21. 22. & alij perscripserunt de alia in Christianos Persas persecutione ab Isdigerde, & filio eius Baranæ Persarum Regibus commota, Atque harum persecutionum præclaris Martyribus plena sunt cuncta Martyrologia, & Menologia.

De

De Perſidis Chriſtianis tempore Iuſtiniani Procopius lib. 2. de Bello Perſico, cap. 13. cùm agit de Dubio Perſidis regione, hæc ait: *Hic Chriſtianorum Epiſcopus, quem lingua Græca Catholicum vocant, quod vnus omnibus præſit huius regionis accolis.*

Iberonem gentem ad Pontum Euxinum ad Fidem Chriſti conuerſam tempore Conſtantini Magni, per Chriſtianam quandam ancillam captiuam, per quam ſanè mirabilem hiſtoriam Rufinus lib. 1. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 10. Socrates lib. 1. cap. 16. Theodoretus lib. 1. cap. 24. Sozomenus lib. 2. cap. 6. Caſſiodorus lib. 3. Tripartitæ, cap. 1. Nicephorus lib. 8. cap. 34. Suidas in voce, *Iberes*, accuratè narrant. Romanum Martyrologium 15. Decembris: *Apud Iberos trans Pontum Euxinum ſanctæ Chriſtianæ Ancillæ, quæ virtute miraculorum gentem illam tempore Conſtantini ad Fidem Chriſti perduxit.* De Iberis Chriſtianis tempore Iuſtiniani Imp. Procopius lib. 1. de Bello Perſico, cap. 8. hæc ſcribit: *Iberi qui Aſiam incolunt, prope Caſpias habitant Portas ad Boream pertinentes. Ipſiſque ſiniſtrorſum terra Lazorum, dextrorſum ad Orientem Perſarum gentes ſunt. Is igitur populus & Chriſtianus eſt, dogmáque Fidei diligenter præter omnes, quos ſciamus, obſeruant; ſubditi regi Perſarum ſunt.* Iberi nunc vocantur Georgiani: De quibus lib. 6. cap. 24. abundè dicemus.

De Lazorum ad Chriſti Fidem perductione Paulus Diaconus in Miſcella lib. 15. cap. 18. *Quinto anno Imperij Iuſtini Zathus rex Lazorum recedens à Regno Perſarum, regnante Cabade, & Zathum amante, qui etiam illum in Regem prouexerat Lazorum, venit Bizantium ad Iuſtinum, & rogauit eum vt fieret Chriſtianus, & ab ipſo appellaretur Imperator. At Imperator grandi cum gaudio, illo ſuſcepto, illuminauit eum, & filium appellauit. Profectus autem Lazorum Imperator à Iuſtino, portauit coronam, & chlamydem Imperatoriam albam.* Eadem habent Cedrenus & Zonaras in Annalibus, in Iuſtino Seniore. Agathias lib. 2. cap. 10. *Lazi quondam Colchi dicebantur: & hos illos eſſe perſpicuum eſt, déque his ambigit nemo, qui Phaſidem fluuium, & Caucaſum montem aduertat, & accolas effusè his circumiectos,* Et quidem Lazos, Colchos eſſe, Procopius lib. 2. de Bell. Perſico, cap. 7. diſertè docet, & conſentiunt omnes. De eorundem Chriſtianitate, imperante Iuſtiniano, idem Agathias eodem loco hæc ait: *Iuſtinianus autem Romanorum tunc Imperator Gobazem Lazorum regem, gentémque omnem, vt ſibi obedientem, atque beneuolam, ita & de Deo ſecum eadem ſentientem, vt volenti cuique diripiendam iam proderet, nec ferendum quidem, nec æquum fore cenſebat.* Et lib. 3. cap. 7. *Colchi in aliam ſunt ſententiam verſi, ad idque præcipuè ea inducti formidine, ne ſi ad Perſas deſciſcerent, paterentur ſimul diuini, & optimi cultus iacturam.*

De Abaſgis, qui finitimi ſunt Iberis, Euagrius lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 21. *Memorat præterea idem Scriptor Procopius Cæſarienſis Abaſgos ad mitius, humaniúſque vitæ genus traductos, iiſdem temporibus Fidem Chriſtianam recepiſſe: Iuſtinianúmque Imperatorem quendam ex eunuchis aulicis Abaſgum genere, nomine autem Euphratam, ad eos miſiſſe, qui vetaret, ne cuiquam in ea gente, quaſi vi illata naturæ, teſticuli execarentur. Nam qui cubiculis Imperatorum inſeruiebant, quos vulgo vocant eunuchos, perſæpe ex ea gente ſumi conſueuerunt. Per idem tempus Iuſtinianus, templo Deiparæ apud Abaſgos ædificato, Sacerdotes illis deſignauit, à quibus Chriſtianæ Religionis dogmata accuratiſſimè didicerunt.* Eadem Nicephorus lib. 17. c. 13. Sed & Procopius lib. 2. Perſici belli, cap. 17. *Hîc* (nempe propè Iberes, & vbi deſinit Caucaſus) *gentes, cùm aliæ multæ, tum Alani, ac Abaſgi habitant, Chriſtiani quidem, & iam dudum Romæorum amici.*

Circa Tanaim habitantes populos Chriſtianos effectos eodem Iuſtiniano rerum potiente, Euagrius lib. 4. Hiſtoriæ, cap. 22. ex Procopio in hunc modum narrat: *Eſt porrò ab eodem hiſtorico* Procopio *ſcriptis mandatum, eos qui circiter Tanaim habitant, (Tanaim autem appellant indigenæ amnem illum, qui ex Mæotide palude in Pontum Euxinum influit) oraſſe Iuſtinianum, vti Epiſcopum ad ipſos mitteret. Iuſtinianum autem diligenter, quòd erat ab illis rogatum, perfeciſſe, libentiſſimóque animo ad eos miſiſſe Epiſcopum.* Eadem omnino Nicephorus lib. 17. cap. 13.

De Tzanis gentibus Armeniis finitimis Procopius oratione 3. de ædificiis Iuſtiniani, hæc prodit: *Ex antiquo ſuis legibus viuunt Tzani, Iuſtiniano verò Imperante, à Romanis pugna victi, & iam amplius certamini non fidentes, ſtatim ſeſe omnes dediderunt, magis eligentes quietam ſeruitutem, quàm libertatem periculoſam: & mutata Religionis opinione, omnes Chriſtiani facti ſunt: & vitam humaniorem amplexati, dimiſſis latrociniis, Romanos in ſuos hoſtes progredientes ſemper comitati ſunt. Iuſtinianus ipſis Eccleſiam conſtruxit in loco qui Camalinichon dicitur, effecitque, vt ſacra obirent, accederéntque ad myſteria, ſacrificiis Deum placarent, & aliis quoque rebus ſacrarentur, intelligentes tandem ſe homines eſſe.*

Indos interiores per Aadeſium, & Frumentium Epiſcopum, tempore Conſtantini Magni Euangelio credidiſſe, Rufinus lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 9. Socrates lib. 1. cap. 15. Theodoretus lib. 1. cap. 23. Sozomenus lib. 2. cap. 6. Caſſiodorus lib. 3. Tripartitæ, cap. 1. Nicephorus lib. 8. cap. 35. Rom. Martyrologium, 27. Octobris: *Apud Indos ſancti Frumentij Epiſcopi, qui ibi primùm captiuus, deinde Epiſcopus à S. Athanaſio ordinatus, Euangelium in ea prouincia propagauit.* Et in Menologio 30. Nouembris: *Commemoratio S. Patris noſtri Frumentij Epiſcopi Indiæ.*

Homeritas, quæ ſunt gentes Arabiæ Felicis olim Sabeæ dictæ, ſub Conſtantino Imperatore diuinam Chriſti Religionem ſuſcepiſſe, Acta fideliſſima SS. Martyrum Arethæ & Sociorum quæ deſcripſit Simeõ Metaphraſtes, ediderúntque Lippomanus tom. 6. & Surius tom. 5. de vitis Sanctorum, teſtantur, & Nicephorus etiam lib. 9. Hiſt. Eccleſ. c. 18. & 19. Baronius Annal. 3. anno Chriſti 354. num. 14. mendacij arguere conatur hanc Homeritarum conuerſionem. Sed nec ei aſſentior, nec locus nunc eſt accuratiùs de his diſſerendi. De Homeritis Arabiæ Felicis populis Plinius lib. 6. cap. 28. Ptolemæus lib. 6. cap. 7. Theodoretus in quæſtionibus in 3. Regum, quæſt. 32. Procopius lib. 1. Belli Perſici, c. 15. Paulus Diaconus in Miſcella lib. 16. cap. 22. Nonnoſus in Hiſtoria legationum apud Photium in Bibliotheca, num. 3. Nicephorus lib. 8. cap. 35. & lib. 17. cap. 6. & 32. Verùm non omittam locum Arriani in Periplo Maris Erythræi: ſic enim ait: *Aphar metropolis, in qua ſedem, domiciliúmque habet Charibaël, legitimus Homeritarum, atque (qui hiſce vicini ſunt) Sabaïtarum rex, Imperatorum noſtrorum amicus, ad quos crebras legationes, & munera mittit.* Dedicat opus ſuum Arrianus Traiano Imperatori. Ioannes Guillielmus Stukius in Notis ad eum Arriani locum plura de Homeritis obſeruat. Sed de Homeritarum florenti Chriſtianiſmo, & Martyrum

rum in ea regione trophæis extat præclara narratio in prædictis actis S. Arethæ, & in Rom. Martyrologio & Græcorum Menologio 24. Octobris.

Auxumitas Æthiopes anno sextodecimo Imperij Iustiniani ad Fidem Christianam accessisse, Paulus Diaconus in Miscella lib. 16. cap. 22. in hunc modum narrat: *Anno decimo sexto Imperij Iustiniani, contigit debellare inuicem reges Azumitensium, Indorum, & Iudæorum: ex causa huiusmodi: Azumitensium Rex vltra Ægyptum est Iudaïzans. Romanorum autem negotiatores per Homeritensem ingrediuntur ad Azumitensem, & ad interiores partes Indorum, atque Æthiopum. Negotiatoribus autem secundùm consuetudinem ingressis terminos Homeritarum, Damianus eorum rex occidit illos, & abstulit omnia eorum, dicens, quoniam Romani malefaciunt Iudæis, qui in regione sua sunt, & occidunt eos. Et ex hoc soluerunt negotiationem interiores Indorum Azumitæ. Et indignatus est Azumitensium rex Adad, mittens Homeritensi: Quia lasisti regnum meum, & interiorem Indiam, prohibens Romanorum mercatores, ad nos ingredi. Et venerunt in inimicitiam magnam, & inierunt bellum in alterutrum. Et cùm pugnaturi essent, Adad Azumitensium rex votum vouit, dicens: Quia si vicero Homeritensem, Christianus efficiar, quiæ pro Christianis pugno. Deique operatione vicit potentissimè, & accepit captiuum viuum Damianum regem eorum, & remisit ad Iustinianum Imperatorem, & regionem ipsorum & regna. Gratiásque referens Deo Adad rex Azumitensium, misit ad Iustinianum Imperatorem, vt acciperet Episcopum & Clericos, & doceret, & fieret Christianus. Et gauisus est super hoc Iustinianus plurimum, & iussit eis dari Episcopum, quemcúmque voluissent. Et elegerunt iidem legati, cùm curiosè quæsissent, Mansionarium S. Ioannis Magnæ Alexandriæ virum venerabilem & virginem, nomine Ioannem, qui sexaginta & duorum erat annorum. Quo susceptо abierunt in propriam regionem ad Adad regem suum. Et ita crediderunt Christo & illuminati sunt.* Eadem sed contractiùs habet Cedrenus in Annalibus, anno 15. Iustiniani, & Nicephorus lib. 17. Histor. Eccles. cap. 32. Sed mirum quòd Damianus Auxumitarum rex iam defecisset à magna illa pietate & Religione Christiana sancti Elesbaan, & Hellisthæi proximè antecedentium Auxumitarum regum, qui Christianissimi fuêre. Elesbaan notissimus est, de Hellisthæo vide Procopium, lib. 1. Belli Persici, cap. 16.

De Auxuma, & Auxumitis Æthiopiæ Ptolomæus lib. 4. cap. 8. *Auxume*, inquit, *in qua regia.* Arrianus in Periplo Maris Erythræi, *Axomitem metropolim* appellat. Stephanus de Vrbibus: *Axumites metropolis Æthiopum: eius ciuis Axumites dicitur.* Flauius Vopiscus in Aureliano, *Axomitas* vocat sanctus Epiphanius in Anchorato, regionem *Ezomitem.* Et initio Panarij, pag. 6. *Æxiomam.* Heliodorus Æthiopicorum lib. 10. cap. 29. Axiomitas. Procopius lib. 1. Belli Persici, cap. 15. *Auzomitæ cognominantur, quòd ipsorum in ciuitate Auzomide regia sit.* Photius in Bibliotheca, num. 3. *Auxumis permagna est ciuitas, & quasi Æthiopiæ totius metropolis.* Eam accuratè describit Nicephorus lib. 9. Historiæ, c. 18. & lib. 17. cap 32. Esse eam quam nunc Abyssini vocant Caxumum, siue Chaxumo, vel Cassumum regiam Imperatoris Abyssinorum, consentiunt ferè omnes, seorsim Iosephus Scaliger in Notis ad Computum Æthiopicum, lib. 7. de Emendationibus Temporum. Gerardus Mercator in Notis ad Ptolemæum, Ioannes Guillielmus Stukius in Scholiis ad Arriani Periplum Maris Erythræi, Abraham Ortelius in Thesauro Geographico. De Caxumo agit Franciscus Aluarez in Æthiopica Historia, cap. 36. 37. 38. 39. 40. aítque ex Æthiopum Annalibus, olim fuisse Regiam Reginæ Sabæ illius quæ ad Salomonem visendum se contulit. Situm Auxumæ describit Ptolomæus diserte in 4. Africæ Tabula: déque Auxuma fusè disserunt Stukius in Arriani Periplum Erythræi Maris, Reineccius in Syntagmate Heroïco, in Regno Æthiopico, pag. 280. Casaubonus in Notis ad Aurelianum Flauij Vopisci. Subiicio tantùm locum Theodoreti, (quem Casaubonus ait in editis libris desiderari,) in Quæstionibus in 3. lib. Regum, quæst. 32. *Quænam est gens Saba? Æthiopica. Hîc autem eos dicit esse sitos in mari Indico. Nominant autem eos Homeritas: sunt autem è regione Auxomitarum. Inter hos autem, & illos medium est mare. Eorum regina fuit admirabilis illa mulier, cuius studium laudauit Christus in Euangeliis.* Auximitas tametsi Africanos, non inopportunè hîc cum Homeritis proximis Asianis coniunximus.

De Immerinis Theodorus Lector collectaneorum lib. 2. inquit: Immerini gens sunt Persis tributaria. Habitant autem in extremis Australis plagæ, & ab initio Iudæi fuerunt: ab eo verò tempore quo Regina Austri ad Salomonem venit, facti sunt gentiles. Hi sub Anastasio Christiani facti sunt, & Episcopum acceperunt. Nicephorus Callistus lib. 16. cap. 37. *Eo etiam tempore*, (nempe sub Anastasio Imperatore,) *Immeres, gens bellicosa, sub ditione Persarum, ad extremos Noti fines habitantes, Christianismum complexi sunt: & missis ad Imperatorem oratoribus, Episcopum, & alia quæ eos habere oportuit, acceperunt. Hi vna cum regina Austri ad Salomonem visendum venisse dicti sunt. Et cùm ab origine Iudæi fuissent, longo post tempore ethnici, & gentiles facti sunt. Tum verò ex Iudæis, & gentibus mixti, ardentibus animis Religionem Christianam susceperunt.* Reinerius Reineccius existimat hos Immeritios esse ipsosmet Homeritas, & Homeritas cum Auximitis confundit, ex loco Procopij malè accepto: sed vtrumque frigidè, & ineptè.

Saracenos sub Valente Imperatore Christo credidisse, Rufinus lib. 2. Historiæ, cap. 6. Socrates, lib. 4. cap. 29. Theodoretus lib. 4. cap. 21. Sozomenus lib. 6. cap. 38. Nicephorus lib. 11. cap. 46. & 47. & alij tradidere: qui de Manuia eorum regina, ac Moyse Episcopo multa narrant. Alamundarum verò Saracenorum Principem, Anastasio rerum potiente, Baptismum suscepisse, Theodorus Lector in Collectaneis lib. 2. Paulus Diaconus in Miscella, lib. 15. cap. 12. Cedrenus & Zonaras in Annalibus, in Anastasio, Nicephorus lib. 16. cap. 35. exactè describunt. Scaliger ad verba illa Numeri Eusebiani LXXXVIII. *Abraham ex ancilla Agar genuit Ismaëlem: à quo Ismaëlitarum gens, qui postea Agareni, deinde Sarraceni dicti.* Hæc annotat: *Ammianus lib. 22. cap. 34. & Scenitas prætenditur Arabas, quos Saracenos nunc appellamus. In 37. Geneseos, vbi in Hebræo Ismaëlim, Onkelos vertit Saracæi, Sarceni, & Saracei. Stephanus ait Saraca esse regionem Arabiæ, finitimam Mabataïs, à qua Saracenos dictos putat. Nosscimus Nomadas Arabas ita dictos. Hoc enim Sarak Arabicè sonat, id est, furaces, καὶ λῃστικοὺς, quales qui Turcis dicuntur Cosaki Tartari, quales Martoloſſi, quales Bando-*

Bandolieri in Pyrineis. Non habemus vetustiorem Ptolemæo, qui eorum meminerit. De Sara perridiculum. Hoc modo oporteret, aut à Sara Saræos dictos, aut vxorem Abrahami non Saram, sed Saracam vocatam fuisse, Auellenda est opinio hæc de animis hominum. Hæc Scaliger. De סרק *Sarak* Arabico, id est, *furatus est*, & de Saracenis vide Valentinum Schindlerum in Pentaglotto. Et quidem eam nationem Saracenis conuenire, nimis est exploratum: & Ammianus lib. 24. cap. 5. *Malechus Podosaces nomine, Phylarchus Sarracenorum Assanitarum, famosi nominis latro, omni seuitia per nostros limites diu grassatus.* Et lib. 14. cap. 10. accuratè describit eorum mores, & ingenium rapinis infame. Illud de Sara perridiculum sectantur S. Hieronymus in 21. Isaïæ, & 25. Ezechielis, Sozomenus lib. 6. cap. 38. Euthymius in Saracenicis, quæ edidit Fridericus Sylburgius, Nicephorus lib. 11. cap. 47. Saracenos eosdem quos Ismaëlitas, & Agarenos esse, Eusebius, vti vidimus in Chronico, S. Epiphanius initio Panarij, col. 8. & hæresi 30. S. Hieronymus, Sozomenus, & Nicephorus, atque Euthymius locis nuper citatis affirmant.

Retentiora de Christiana Religione per Asiam propagata.

CAP. IX.

MArcus Paulus Venetus qui Asiam, & totum fermè Orientem se perlustrasse ait lib. 1. de Regionibus Orientalibus, cap. 4. 6. & 10. ab anno Domini MCCLXXIV. vsque ad MCCXXCV. spatio nimirum XXI. annorum, de Christianis innumeris per Orientem degentibus, multa scitu iucunda prodit, quæ hîc inseruisse iuuabit.

De Prouincia Zorzania quæ Armeniæ Maiori ab Oriente adiacet, lib. 1. Orientalium Regionum, cap. 14. hæc refert: *Zorzania prouincia Tartarorum regi tributa offert, eúmque Dominum suum agnoscit. Sunt autem Zorzanij homines pulchri, in armis strenui, atque in arte sagittaria periti. Sunt etiam Christiani, Græcorum obseruantes ritum. Id mirabile aiunt in hac terra reperiri. Est lacus quidam magnus in ea, ab aquis montium collectus, vocatus mare Chelucelam, in gyro habens circiter sexcenta milliaria,* (fortè, *sexaginta*) *qui per totum anni spatium nullos mittit pices, præterquam per quadragesimam vsque ad Sabbathum sanctum.*

De Regno Mosul hæc idem Paulus cap. 15. scribit: *Regnum Mosul ad Orientem situm, partim confine est Armeniæ maiori: habitántque in eo Arabes Mahumetum colentes, & multi Christiani, Nestoriani, atque Iacobini, quibus præest patriarcha magnus, quem ipsi Iacelich vocant. Ceterùm in montibus huius regni habitant homines Cardi appellati, quorum quidam Nestoriani sunt, alij Iacobini, & quidam Mahumeti sunt sectatores.*

De Taurisio vrbe, cap. 17. hæc ait: *In illis quoque partibus est Taurisium nobilissima ciuitas. Ciues Mahumetum venerantur, licet quidam Nestoriani, atque Iacobini etiam ibi inueniuntur.* Et cap. 18. subdit: *Est mons quidam in regione illa haud longè à ciuitate Tauriſij, qui olim virtute diuina à loco suo hac occasione dimotus est. Accidit semel vt Saraceni Euangelium Christi blasphemare volentes, & veluti vanam doctrinam Christianis improperantes, dicerent: Est scriptum in Euangelio vestro: Si habueritis Fidem sicut granum sinapis, & dixeritis monti huic, Transi, hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Nunc igitur si fides vestra caret errore, amouete montem hunc, & probate Euangely virtutem. Et quoniam Christiani sub perfidorum illorum dominio erant, cogebantur, vel montem illum transferre, vel Mahumeticam subire legem: & si neutrum facerent, gladio ferirentur. Tunc vir quidam in Christi feruens amore & fide, confortauit pusillanimes, & fusa oratione ad Dominum, cum tota fiducia dixit monti: Abi hinc. Quod vidente multitudine, illico factum est. De quo miraculo multi Saracenorum conuersi, Christum confiteri cœperunt.* De Taurisio hæc Paulus Iouius lib. 13. Historiarum: *Ismaël ad Taurisium nobilissimam maioris Armeniæ vrbem contendit. Ea vrbs Persarum regia est, numero hominum, atque opibus totius Orientis celeberrima, quæ antiquitus Tetua vocabatur, distans à proximo littore Caspij maris, itinere expediti equitis quatuor dierum.* Et lib. 14. *Inter Sophiani Imperij prouincias Armenia Maior primam obtinet claritatem, Taurisio regia vrbe insignis, quæ Tetua Ptolomæo antiquitus fuit, vel vt Hebræis quibusdam linguarum, & regionum peritis videtur, Susa priscæ quondam celebritatis.*

De Prouincia Cassar Magno Tartarorum Cham tributaria, hæc Paulus ait cap. 38. *Mahumeti quoque legi parent, tametsi quidam Christiani Nestoriani in ea inueniantur, qui suas quoque habent Ecclesias.*

De vrbe Samarcham, cap. 39. hæc inquit: *Samarcham ciuitas magna, & egregia est in regione illa, tributaria nepoti Magni Cham. In hac habitant Christiani cum Saracenis, hoc est, Mahumetanis. Accidit verò his temporibus in ea virtute diuina tale miraculum. Frater Magni Cham nomine Cigatai, qui regioni illi præfuit, persuasus à Christianis Baptismi suscepit sacramentum. De quo Christiani gaudentes, fauore illius ædificarunt Basilicam magnam in illa vrbe, in honore Diui Ioannis Baptistæ. Porrò architecti Ecclesiam illam tali fabricauerunt ingenio, vt tota eius testudo vni niteretur marmoreæ columnæ, quæ medium Ecclesiæ tenuit locum. Habebant tunc Saraceni insignem lapidem qui omnibus modis ad hoc quadrabat, vt basis loco præfatam sustineret columnam. Raptus igitur à Christianis in fundamento columnæ locatus est. De quo Saraceni dolentes, hiscere non audebant, cùm Princeps ad hoc ipsum annuisset. Factum est autem vt aliquanto post tempore Princeps ille moreretur, & illi filius eius succederet in regno, non autem in Fide. Tunc Saraceni ab eo obtinuerunt, vt Christiani lapidem illum, quem columnæ suppoſuerant, reddere cogerentur. Et quum illi pretium satis dignum offerrent, recusarunt Saraceni quidquam aliud accipere quàm lapidem. Quod hac impostura faciebant, vt Christianorum Ecclesia funditus destrueretur. Christiani itaque videntes durum esse contra stimulum calcitrare, aliò confugere nequiuerunt, quàm ad Deum, & ad Sanctum suum Ioannem Baptistam, quem lacrymosis oculis inuocare cœperunt. Aduenientе itaque die, quando lapis sub columna auferendus erat, ne Ecclesia diutius maneret, nutu diuino longè aliud accidit, quam perfidi sperauerant Saraceni. Siquidem columna ipsa adeo sublenata est ab ipsa basi, vt trium palmorum spatium inter vtriúsque lapidis superficiem interceſſerit: & columna ipsa iam testudinem Ecclesiæ non ferret, sed vice versa testudo columnam portaret: id quod in hunc vsque diem perseuerat.*

De Prouincia verò Charcham idem M. Paulus cap. 40. ista subdit: *Hæc subiecta dominio Nepotis Magni Cham. Incolæ Mahumetum colunt: habitant*

habitant tamen inter eos quidam Christiani Nestoriani.

De Prouincia magna Tanguth, cap. 45. addit: *Vbi inter Mahumeti cultores pauci inueniuntur Christiani Nestoriani.*

De Prouincia Chinchinthalas, cap. 47. ait: *Subiecta dominio Magni Cham. Habet ciuitates & castra multa. Populus eius in tres diuisus est sectas. Pauci quidem confitentur Christum, & hi sunt Nestoriani: alij Mahumetum colunt: tertij idola adorant. Est in hac Prouincia mons, in quo inueniuntur minerae Chalybis & Audanaci, itémque salamandrae, de quibus fit pannus, qui si in ignem proiectus fuerit, non comburi potest. Fit autem pannus ille de terra in hunc modum, vt quidam è sociis meis, vir singulari præditus industria, Curficar nomine, Turcus me edocuit, qui in Prouincia illa mineralium operi præfuit. Inuenitur in monte illo minera quædam terræ, quæ fila producit lanæ haud dissimilia: & hæc ad solem desiccata, in mortario æneo teruntur, deinde lauantur, & quidquid terrenum illis adhæret, submouetur. Demum fila illa sic purgata & attenuata, vt alia lana nentur, atque in pannum contexuntur. Et quando pannos illos volunt dealbare, proiiciunt eos ad horam in ignem, & tunc ex flammis illæsi educuntur niue candidiores. Haud secus purgant eos quando maculas aliquas contraxerint: nam lotura alia præter ignem illis non adhibetur. De Salamandra verò serpente, qui in igne viuere dicitur, nihil explorare potui in Orientalibus regionibus. Aiunt Romæ mappam quandam haberi ex salamanara contextam, in qua sudarium Domini inuolutum retinetur: quam Rex quidam Tartarorum Romano misit Pontifici.* De hoc lini genere, quod Asbeston Græci vocant, dicemus plura lib. 8. cap. 27.

De Prouincia Suchur idem Paulus cap. 48. inquit: *In hac Prouincia inter multos idololatras pauci inueniuntur Christiani. Sunt autem omnes magno subiecti Cham.* Et cap. 49. *Est Campition ciuitas magna & insignis, principatum habens in regione Tanguth. Sunt in ea Christiani, Mahumetani, & idololatræ.*

De regnis Erigimul, & Cerguth cap. 62. scribit: *Erigimul & Cerguth, quæ sunt regna magna, Magno Cham subiecta. Ibi inueniuntur Christiani Nestoriani, idololatræ & Mahumetani.*

De Prouincia Egrigaia, cap. 63. *Prouincia Egrigaia in qua plurimæ sunt ciuitates & castra: est enim de Prouincia magna Tanguth: cuius principalis ciuitas vocatur Calacia. Incolæ eius idololatræ sunt, præter aliquot Christianos Nestorianos, qui ibi tres habent Ecclesias. Subiecti sunt omnes magno Cham.*

De Prouincia Teuduch, cap. 64. hæc refert: *Ab Egrigaia prouincia eundo ad Orientem, ducit iter ad Prouinciam Teuduch, in qua sunt ciuitates & castra multa; vbi etiam manere consueuit Rex ille magnus, & toto orbe terrarum nominatissimus, vulgo Presbyter Ioannes dictus. Modò autem Prouincia illa tributa pendit magno Cham, habens regem qui est de progenie Presbyteri Ioannis. Cæterùm omnes magni Cham post mortem illius qui à Cinchis in prælio fuit occisus, tradiderunt filias suas illis regibus in vxores. Et licet ibi sint aliqui idololatræ, & item aliqui Mahumetani, tamen maior pars Prouinciæ Fidem obseruat Christianam: & hi Christiani primas tenent in hac Prouincia: præsertim vbi est gens quædam, Argon vocata, quæ reliquis populis sagacior est, & elegantior. Sunt etiam ibi regiones Gog, & Magog, quos illi nominant Lug & Mangug.*

De Prouincia Caraiam, lib. 2. cap. 39. ait: *Metropolis eius vocatur Iaci, & est ciuitas magna, & insignis. Habitant ibi etiam pauci Christiani Nestoriani.*

De Armeniorum Christianismo Otto Frisingensis lib. 7. Chronicorum, cap. 32. hæc prodit: *Ea tempestate* (nempe Eugenij II. Pontificis) *legati Armeniorum Episcoporum, eorúmque Metropolitani, quem ipsi Catholicon, id est, Vniuersalem, propter infinitum, id est, amplius quam mille Episcoporum sub se habentem numerum, vocant, Legati ab vltimo penè Oriente Summum Pontificem Viterbij, laboriosum iter per annum & sex menses complentes, adeunt, eique ex parte illius Ecclesiæ subiectionem omnimodam, eum consalutando offerentes, causas viæ, nobiscum aliis multis præsentibus, apud veterem aulam aperiunt: quæ tales erant: Inter ipsos & Græcos quædam de ritu sacrificij habitudo est in quibusdam, in aliis verò discrepantia. Ponunt enim fermentatum panem, sicut illi: aquam autem vino non admiscent, sicut nos & illi Præterea Natiuitatem Domini Epiphaniæ continuantes, duas illas festiuitates vnam faciunt. Pro his & aliis dum inter se dissentirent, Romanam Ecclesiam iudicem eligentes, consultum veniunt, formámque sacrificij iuxta consuetudinem eius sibi tradi deposcunt.*

Quos Romanus Antistes grataner susçipiens, Missarum solemnijs, ac Sacrificij secretis adhibuit: diligentérque ea quæ fiebant ibidem, eos animaduertere monuit. Quod dum facerent, intentíque sacro altari adstarent, vnus ex eis Pontificali dignitate præditus sicut postmodum in plena curia retulit, in beati Martini Octaua, quando Dedicatio Ecclesiæ beati Petri celebrari solet, summo Pontifice diuina mysteria agente, splendido fulgore radium Solis super caput eius coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes, & descendentes vidit. Cúmque diligentius hac illacque oculos circumferret, nullúmque aditum per quem lux illa transfunderetur, inuenret, deificum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ Sedis amplius accensus, cunctis quæ viderat, aperuit. At venerabilis Pater non suis hoc meritis attribuens, ipsius potius Fide cœlitus hoc sibi monstratum affirmabat, vt videlicet Ecclesia, à qua ipse missus fuerat, Sacramentorum virtutem veritatis luce perfusam cognosceret, ac deinceps quali ea reuerentia, & forma tractare deberet, addisceret. Retulit etiam præfatus Episcopus, quòd in confinio Armeniæ quædam gentes essent, quæ fœtus suos fœtentes generarent, eósque ad aquas Armeniorum lauandos transmitterent. Quos cùm illi baptismatis vnda tingentes, innatum eis fœtorem propellerent, mox tamen remissi ad Paganismi ritum, & spurcitiam redibant. Quòd vtrùm faciendum esset, item Romanam Ecclesiam consuluerunt. Hactenus Otto. De Catholico Armeniorum Ioseph us Indus in sua Nauigatione, cap. 133. hæc refert: *Eorum Pontifex magnus, Catholica dicitur: fértque tonsuram instar Crucis. Præficit Patriarchas suos, alterum in India, alterum in Cataio: alios verò Episcopos aliò mittit.*

Vincentius Bellouacensis lib. 30. Speculi Histor. cap. 97. *In Armenia est ciuitas nobilis, quæ Am vocatur, vbi sunt mille Ecclesiæ, ac centum millia familiæ, seu domus inhabitatæ; quam Tartari ceperunt in duodecim diebus. Et etiam ibi prope est mons* (Ararath Genes. 8. vers. 4. Hebraïcè.) *vbi requieuit Arca Noë, & vocatur nunc ciuitas Launiæ. Est autem mons iste videlicet Arach excellentissimus, nec vnquam illuc ascendisse dicitur homo, nisi monachus vnus. Ille siquidem quodam deuotionis, vt dicitur, ardore commotus propter Arcam Noë, quæ ibi requieuit, multoties illuc ascendere quibus potuit conatibus, attentauit.*

Cúmque

Cùmque aliquam montis partem ascenderat, & membra corporis fatigata quieti dabat; semper post quietem euigilans, in pede montis se inueniebat. Tandem verò Dominus eius affectui condescendens, eiúsque votum, & orationes exaudiens, per Angelum suum eum monuit, vt semel ascenderet. Ita tamen vt de cætero ascendere nullatenus attentaret. Tunc ergo securus ascendit: & postea descendens inde secum ex arca vnum asserem detulit. Tunc in montis pede Monasterium ædificauit, in quo eundem asserem tanquam pro sacris reliquiis deuotè collocauit. Eadem omnino habet S.Antoninus 3.parte Historiarum, tit.19. c.8.§.10. De monte verò illo vbi Arca Noë requieſcit, hæc annotat Haythonus Armenus libro de Tartaris, cap.9. *In Armenia est altior mons quàm sit in toto orbe terrarum, qui Arath vulgariter nuncupatur: & in cacumine illius montis Arca Noë post diluuium primò sedit. Et licet propter abundantiam niuium, quæ semper in illo monte reperiuntur, tam hieme, quàm æstate nemo audeat ascendere montem illum, semper tamen apparet in eius cacumine quoddam nigrum, quod ab hominibus dicitur esse Arca.*

At de Christiana religione in Armenia culta circa annum Domini MCCLIII. sub Haythono Armeniæ Rege Christianissimo, eiúsque filio Tiuono, ac succeſſoribus Theodoro ac Liuono ad annos vsque salutis MCCCV. multa idem Haythonus perscribit, qui tum viuebat & rebus præsens intererat, vt pote Armenius, libro de Tartaris cap.23. 33. 46.

Leander Albertus lib. 3. Virorum Illustrium Ordinis Prædicatorum, Antonius Senensis in Chronico eiusdem Ordinis, pag.172.173. & cuncti Annales Dominicani testantur, circa annum Domini MCCCXX. Bartholomæum Paruum Bononiensem Ordinis Prædicatorum constitutum Armeniæ Archiepiscopum, mirificè in ea Prouincia Christi fidem & Religionem Dominicanam propagasse: adeo vt vsque ad nostra tempora opera & cura Fratrum Prædicatorum Christiana religio in Armenia inter plurima, persecutionum procellas conseruetur. Vidimus nos & allocuti sæpius familiariter sumus Romæ Fr. Azariam Fridonem Ordinis Prædicatorum, à Clemente VIII. consecratum Archiepiscopum vrbis Naxiauam in Armenia maiori, qui mira referebat de Christianis Armeniæ: qui etiam Clementi VIII. relationem exhibuit de Statu Ecclesiarum Armeniæ, quam cum aliis rebus ad id pertinentibus, typis excusam Romæ publicauit Fr. Dominicus Grauina Ordinis Prædicatorum.

Errores Armeniorum nonnullos retulerunt & confutarunt, S.Nicon De pessimorum Armeniorum pessima religione, tom. 3. Bibliothecæ vet. Patrum, Euthymius in Panoplia parte 2. tit. 20. Theorianus in Legatione & Colloquio cum Catholico Armeniorum, tomo 4. Bibliothecæ Patrum, Nicephorus lib.18. Historiæ Eccles.cap.53. & recentiores permulti. Sed constat Armenos in Concilio Florentino sub Eugenio IV. anno Salutis 1439. eiuratis erroribus, Ecclesiæ Catholicæ denuò vnione fidei adiunctos; extat ea de re diploma Pontificium Eugenij, cuius initium, *Exultate Deo adiutori nostro. Lectu sanè dignum.*

De Georgianis qui olim Iberes Asiatici dicti sunt, Vincentius Bellouacensis lib. 30. Speculi Historialis, cap. 93. hæc narrat: *Sunt Georgiani cultores Christi, ritum habentes Græcorum, Persis vicini, longo terrarum tractu à terra promissionis distantes: quorum dominium modò extenditur vsque ad Caspios montes: bellicosi sunt homines rasuram habentes in capite, Clerici rotundam, Laïci quadratam.* Et c.96. *Sunt autem in Georgia, tam Episcopatus, quàm Archiepiscopatus decem & octo. Sed Catholicus, id est, Vniuersalis Episcopus Chrismales Episcopos facit.* Eadem prorsus habet S.Antoninus 3.part. Histor. tit.19. cap.8. §. 9. Idem Vincentius lib.31. cap.42. & lib.29. cap. 89. meminit Conuentus cuiusdam Fratrum Prædicatorum in Georgiæ ciuitate Triphleli prope montes Caspios.

At illud planè mirandum & supra omnem fidem, quod Haythonus Armenus oculatus testis de regno Georgiæ refert, lib. de Tartaris cap.10. his verbis: *In isto regno Georgiæ apparet quoddam stupendum miraculum, & monstruosum, quod dicere non auderem, neque credidissem, nisi propriis oculis perspexissem: sed quia personaliter ibi fui, & vidi, dico quòd in illis partibus est quædam Prouincia quæ vocatur Hamsem, quæ in circuitu bene habet tres dietas: & quantum extenditur illa prouincia tota, quadam caliginosa & tenebricosa caligine locus ille taliter offuscatur, quòd nullus est qui aspicere possit quidquam: nec est aliquis qui audeat ingredi terram illam, quoniam ad redeundum tramitem ignorat. Habitatores illarum partium asserunt se sæpius audiuisse voces hominum vociferantium, cantum galli, hinnitus equorum in silua. Et per meatus cuiusdam fluminis, quod de loco illo egreditur, apparent signa certa quòd sit gentium habitatio in eodem. Verum est quòd legendo inuenitur in historiis Regni Armeniæ & Georgiæ, quòd quidam pessimus fuit: Imperator & dominator Persarum, nuncupabatur proprio nomine Sauoreus* (fortè, *Sapores*) *idola colebat iste & persequebatur crudelissimè Christianos. Quadam verò die præcepit, vt omnes habitatores Asiæ venirent, & sua idola adorarent: & quicunque eius dictis Imperialibus contraïret, pœnam succendij pateretur. Vnde accidit, quòd quidam fideles Christiani, potiùs quàm idola colerent, martyrium elegerunt: aliqui verò adorauerunt idola præ timore, & ne bonis temporalibus priuarentur: alij verò petierunt montes & monumenta, & in illis tutarunt se viriliter contra permultos. Quidam verò boni Christiani tunc temporis in quadam planitie habitabant, quæ Mogon dicebatur, & dum nollent modo aliquo idolis immolare, cogitauerunt de fuga, bonis temporalibus derelictis omnibus. Et dum ad partes Græciæ crederent se transferre, ipse pessimus Imperator obuiauit fugientibus Christianis in illa videlicet planitie Hamsem superiùs nominata. Cúmque iussu Imperatoris deberent Christiani frustatim omnes vniuersaliter detruncari, clamauerunt ad Dominum Iesum Christum: & continuò tenebrositas illa per siderum lumina obfuscauit: & Christiani pergentes recto tramite euaserunt. Iniqui verò in illa tenebrositatis valle vsque nunc residunt, & residere debent vsque ad finem sæculi, vt ab omnibus creditur & enarratur.* Hactenus Haithonus. Qui de Georgianis cap.58. ait: *Audeo dicere duo verba, vnum videlicet, quod SS. Paternitas vestra scribere dignaretur Regi Georgianorum, qui sunt Christiani, & terræ Sanctæ peregrinationibus deuotiores, quàm aliæ nationes, mandantes quòd peregrinis darent subsidium & iuuamen: credo firmiter quod ob reuerentiam Domini nostri Iesu Christi, & Vestræ etiam Sanctitatis, libenter & deuotè vestrum studerent adimplere mandatum: sunt enim, vt diximus, deuotissimi Christiani: & sunt potentes: & multi atque strenui bellatores: & regno Armeniæ quodammodo sunt vicini.* Hæc ille.

Qui de Christianis Orientis multa memorat: *De Chaldæa* cap. 11. inquit: *Illi qui in Chaldæa habitant,*

bitant, Neſtoriani vocantur aliqui in errore Neſtorij, & litteras habent Chaldæas.

De Meſopotamia cap. 12. *Habitatores aliqui ſunt Chriſtiani, Syriani videlicet & Armeni.*

De Syria cap. 14. *In Regno Syriæ habitant diuerſæ gentium nationes, videlicet Græci, Armeni, Iacobini, & Neſtoriani. Ibi ſunt etiam aliæ Chriſtianorum nationes, videlicet Syriani, & Maronini. Syriani ritum tenent Græcorum, & fuerunt longo tempore obedientes ſacro-Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Linguam loquuntur Arabicam, ſed officium Eccleſiæ dicunt in litteris Græcis. Maronini verò tenent ritum Iacobitarum, & linguam, & literas Arabicas habent. Circa montem Libani, & in partibus Ieroſolymitanis habitant iſtæ gentes.*

Et cap. 19. *Cobila Chan quadraginta duobus annis tenuit Imperium Tartarorum. Chriſtianus fuit, & fundauit quandam ciuitatem, quæ vocatur Ions, in Regno Cathay, quæ maior eſt Roma, vt dicitur.*

Idem Haythonus capite 23. & 24. fusè deſcribit memorabilem conuerſionem ad Chriſti fidem. & baptiſmum Magni Cham Quarti Tartarorum imperatoris, opera & ſuaſu Regis Armeniæ Haythoni factam, anno Salutis MCCLVI.

De Regno Tarſæ cap. 2. ſcribit: *In Regno Tarſæ ſunt tres prouinciæ, quarum dominatores ſe reges faciunt appellari. Homines illius patriæ nominantur Iogour, ſemper idola coluerunt, & adhuc colunt omnes, præter decem cognationes illorum regum, qui per demonſtrationem ſtellæ venerunt adorare Natiuitatem in Bethlehem Iudæ. Et adhuc multi magni & nobiles inueniuntur inter Tartaros de cognatione illa, qui tenent firmiter fidem Chriſti. Iſtud Regnum Tarſæ ex parte Orientis ſuos habet confines cum Regno Catay.*

De regno Coraſminorum cap. 4. ait: *In armis ſunt ferociſſimi qui vocantur Soldini, & habent propriam linguam, litteras atque ritum Græcorum: & modo Græcorum conficiunt corpus Chriſti: & ſunt obedientes Patriarchæ Antiocheno.* Hoc Regnum ab Occidente habere Mare Caſpium idem Haithonus affirmat.

De Chriſtianis ad Derbenthum circa Caſpium Mare, vbi ſunt Portæ Caſpiæ, ſeu Caucaſiæ, Ioſephus Barbarus Venetus in Perſico Itinerario, iſta refert: *Mons rotatur, & conſcendi idem poteſt, qui more antiquo Caſpij nomen obtinuit: ad quem etiam Monachi Ordinis S. Franciſci habitant, & ſacerdos quidam Latinus noſter. Populi qui loca iſta inhabitant, Caithachi vocantur. Idiomate diuerſo ab aliis vtuntur: atque multi eorum ſunt Chriſtiani: quorum aliqui ritu Græco in ſacris adminiſtrandis vtuntur: Armenio aliqui, Latinum reliqui, Catholicúmue morem obſeruant.*

Verùm de Chriſtianis per totum Orientem ſparſis, Brocardus in deſcriptione Terræ Sanctæ, iſta prodit: *Sunt præterea in hac Terra* (Promiſionis) *Syriani, qui quidem Chriſtiani ſunt, verum Latinis nullam ſeruant fidem, miſerè, & pauperrimè viuunt, auaritiæ ſtudentes, nemini eleemoſynam largiuntur. Et parum infra: Græci ſimiliter Chriſtiani ſunt, ſed ſchiſmatici, & à Romanæ Eccleſiæ obedientia alieni. Sunt & aliis multis implicati erroribus. Apud Græcos omnes ferè Prælati ſunt monachi, magnæque abſtinentiæ, & habentur à plebeis hominibus in magna reuerentia & honore. Sunt quoque in hac terra Armeni, Georgiani, Neſtoriani, Nubiani, Iabeani, Chaldæi, Maronitæ, Æthiopes, Ægyptij, & multæ aliæ gentes, quæ quidem omnes confitentur Chriſtum, & habent ſuos Patriarchas. Quidam ſunt hæretici, & à ſuo hæreſiarcha nomen ſunt ſortiti, vt ſunt Neſtoriani, Iacobitæ, & ſimiles. Sunt tamen multi in his ſectis admodum ſimplices, neſcientes quidquam de hæreſibus, Chriſto deuoti, carnem ieiuniis macerantes, atque ſimpliſſimas veſtes induti, vt etiam longè ſuperent Religioſos Romanæ Eccleſiæ. Nubiani & Iabeani dicunt ſe ſcire maiores ſuos fidem ſuſcepiſſe à Matthæo, ab eóque baptizatos, & baptiſmi modum ab illo recepiſſe, quem hodie inuiolabiliter ſeruare contendunt, innitentes huic auctoritati: ipſe vos baptiſabit in Spiritu Sancto & igne: nam cum baptiſantur, cum calido ferro crucem inurunt faciei & alteri corporis parti. Et hæ deuotiores inter Orientales habentur. Neſtoriani habitant circa Berut & Byblium in planitie Libani contra Ituræam. Maronitæ verò occuparunt regionem, quæ eſt circa fontem hortorum à Libano deſcendentem contra Tripolim: dicuntúrque habere quadraginta millia pugnatorum.* De eiſdem Maronitis Haithonus cap. 58. ait: *Sunt enim in monte Libani Chriſtiani degentes ſagittarij, pedites valde boni circa quadraginta millia virorum.* Sequitur Brocardus.

Et cùm hic Orientales attigerim nationes, non inutile viſum fuit de his ampliorem facere mentionem: quandoquidem hodie multi ſunt, qui cùm nihil ſciant, ſcire omnia velint, aſſerentes nullos in his maximis regionibus vſque ad Indiam, inueniri Chriſtianos: ſed perfidum Mahometum omnia loca conſpurcaſſe. Id quod verum non eſt, ſed vbique Chriſtus in mundo ſuos habet cultores, præterquam in Arabia, & Ægypto, vbi rari inueniuntur Chriſtiani, ſed omnes ferè nomen dederunt Mahometo. Id quidem verum eſt, omnes Chriſtianos tranſmarinos, puta Armenos, Cappadoces, Græcos, Chaldæos, Medos, Parthos, Indos, Nubeanos, Iabeanos, Aſianos, Georgianos, & reliquos Orientales populos, non eſſe homines bello aſſuetos: ſed cum à Saracenis, Turchis, aut Tartaris bello petuntur, illis tributarij fiunt, atque omne permittunt dominium: exactores ferentes, modò pacem & concordiam quantum ex ſe eſt, conſeruent: & hinc fit, vt regiones illæ, quas Chriſtiani inhabitant, Saracenorum eſſe putentur, atque perfidiæ illorum ſubiacere; cùm tamen ibi ferè omnes ſint Chriſtiani: id quod ego expertus ſum in Cilicia & Armenia minori, quæ parent Tartarorum Principi: & tamen ſunt meri Chriſtiani, qui eas inhabitant regiones, Eccleſias frequentantes, miſſas audientes, genua flectentes, atque deuotè orantes: Religioſis etiam perſonis magnum exhibentes honorem: id quod in me ipſo ſum expertus, quum illic aliquantiſper morarer. Præterea eos quos nos damnatos iudicamus eſſe hæreticos, vt ſunt Neſtoriani, Iacobitæ, Maronitæ, Georgiani, & ſimiles; ego plerúmque inueni bonos & ſimplices eſſe homines, ſinceréque erga Deum & homines viuentes. Sunt magnæ abſtinentiæ, & in quadrageſima nec piſces nec oleum comedunt. Attenti audiunt verbum Dei: id quod ego vidi in veſpera Ramis-palmarum, quantis cæteris ad concionem confluxerint. Habent præterea ſuos Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, & alios Prælatos: præter Neſtorianos qui loco Papæ habent Prælatum, quem Iacelichum vocant: cui magna pars Orientis paret. Armeni verò & Georgiani habent Prælatos, quos Catholicos vocant: qui ſub ſe habent Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Prælatos, qui optima conuerſatione plebi præeuntes, verbo pariter & exemplo illos docent. Et quamuis munitiſſima inhabitent caſtra, atque magnis polleant diuitiis, induuntur tamen vilibus, & ſordidis veſtibus, ampliſſimas habentibus manicas: exterior enim veſtis eſt pellicea, arietina, groſſa, & rubea, & ſub ea deferunt tunicam

eam griſeam, atque detritam. Suprema verò veſtis eſt ſcapulare nigrum, vile & aſperum, quaſi cilicium.

Interfui etiam ſemel in die Annunciationis Sacris eorum, & aduerti eos eiſdem ferè vti cæremoniis, & precationibus, quibus nos in Miſſa, niſi quòd ſuo, & non Romano vtuntur idiomate. Nota quoque quòd Catholicus ipſe, & omnes alij Prælati, ſunt monachi, nec quiſquam niſi monachi ad hæc Eccleſiſtica admittuntur officia. Clerici verò ſeculares & ſacerdotes ferè nullam habent auctoritatem, nec aliud agunt, niſi quod diuina celebrant officia. Hactenus Brocardus qui eas regiones viſiſſe ſe ait, anno Domini MCCLXXXIII. Multa etiam de eiſdem Orientis Chriſtianis ſimilia habet alter Burchardus de Monte Sion, in Deſcripotine Terræ Sanctæ ad finem; item Epitome Bellorum ſacrorum. Vtrumque opus extat tomo VI. Antiquæ Lectionis Henrici Caniſij.

Quod verò Brocardus ait, Neſtorianos, Iacobitas, Maronitas, Georgianos, & ſimiles, quos nos hæreticos iudicamus; reperiſſe ſe bonos, ſimplices eſſe homines, ſinceréque erga Deum & homines viuentes, reuocat nobis in memoriam, quæ in eorundem excuſationem Genebrardus lib.4. Chronographiæ, ad annum Chriſti 1170. pag. 609. annotauit his verbis: *Illo artificio Græci ſæpius vſi ſunt in Chriſtianos Orientales, vt quos cernerent in Sedem Apoſtolicam propenſos, hæreſeos infamia traducerent: vel etiam quia pro ſe alios ſolent contemnere. Hinc eos ſuſpectos habeo, quotieſcunque de Syris, Maronitis, Æthiopibus, Perſis, Indis, Georgianis, Ægyptiis ſcribunt: eos, vel Iacobitas, vel Neſtorianos appellantes. Nam qui verſus eos peregrinantur, Catholicos offendunt: nec niſi quibuſdam ritibus & cæremoniis à nobis differentes vident.* Equidem de his qui Eccleſiæ Romanæ communione iuncti ſunt, eámque magiſtram fidei agnoſcunt, non eſt dubium: cùm tamen perſpicuum ſit plurimos Orientales & ſchiſmate, & variis erroribus illigari.

De Neſtorianis certum eſt, eos à Neſtorio hæreſiarcha nomen nactos: Iacobitas verò nuncupatos à Iacobo quodam Syro, qui dictus ſit Zanzalus, Seueriani dogmatis ſectatore, S. Ioannes Damaſcenus libello de Hæreſibus, verbo, *Ægyptij*, Nicephorus lib.18. Hiſtor. Eccleſ. cap. 52. & alij ſunt auctores. De Neſtorianis & Iacobitis nonnulla habet Landulphus Sagax in Miſcella lib. 18. cap. 27. 54. 55. & lib. 23. cap.4.

Siud Patriarcha Neſtorianorum in vrbe Muzal Aſſyriæ, Romam venit, anno Domini 1553. ibíque profeſſionem fidei catholicam emiſit, quam ex Syriaco vertit & edidit Andreas Maſius: ſecum quoque detulit Epiſtolam Neſtorianorum ad Romanum Pontificem, in qua inter alia dicunt: *Nos ſerui tui Neſtoriani Orientales, ſumus pupilli abſque patre electo, qui poſſit dare ordines Sacerdotales. Neque ſuperſunt apud nos Metropolitæ, quorum eſt ordinare Catholicum: ſed ſoli pauci Epiſcopi, Arbelæ, Salmæſti, Adurbeigan.* Vide Sanderum lib.7. de Viſibili Eccleſiæ Monarchia, & Genebrardum lib.4. Chronographiæ, pag.750.

Abd-Iſu filius Ioannis de domo Martia, ex ciuitate Gezira, in tigri flumine, olim monachus Ordinis Sancti Antonij, Monaſterij Sanctorum Ioannis & Rahæ fratrum, electus Primas, ſiue Patriarcha ciuitatis Muzal in Aſſyria Orientali, Romam venit, vt confirmaretur: vbi & obtulit Pio IV. profeſſionem fidei Catholicam, anno Domini 1562. quam his verbis orditur: *Ego Abd Iſu, nunc Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, Primas ſiue Patriarcha ciuitatis Muzal, in Aſſyria Orientali, ſub cuius iuriſdictione multi Metropolitæ, Epiſcopi, & Diœceſani continentur. Videlicet, Arbel Metropolis, Saraua, Hancaua Epiſcopatus: Cheptiam Metropolis, Charanyleis, Achuſch Epiſcopatus: Naſſybin Metropolis, Macchazzin, Talleſcaui, Mardin Epiſcopatus: Sceert Metropolis, Azzen Epiſcopatus: Elcheſſen Metropolis, Zuch, & Meſciara Epiſcopatus: Gargel Metropolis, Eſci Epiſcopatus: Amed Metropolis, Chiaruchiæ, Hayn, Tammyr Epiſcopatus: quæ omnes ſimul regiones ſubſunt Turcarum Imperio. Ormi ſuperior Metropolis, Vſcimi, & Chuchia Epiſcopatus: Ormi inferior Metropolis, Durra, Soldor, Eſchinuch Epiſcopatus: Eſpurgan Metropolis, Nare, Gien nunc Epiſcopatus: Salamas Metropolis, Baumar, Sciabathan, Vaſſchari Epiſcopatus: omnes Perſarum Regi, vulgo Sophi nuncupato ſubiecti. In India verò Luſitanis ſubiecta, Cuchin Metropolis, Canauor Metropolis, Goa Metropolis, Calechuth Epiſcopatus, cui ſubeſt Caron-gol ciuitas, quæ adhuc ab idololatris & ethnicis hominibus poſſidetur: Iuro & polliceor, &c.* Hæc Abd-Iſu: vide Sanderum lib.7. de Viſibili Eccleſiæ Monarchia, num. marginali 1555. & Genebrardum lib.4. Chronographiæ, pag.760.

De Chriſtianis regni Cathaij meminit Ioſephus Indus in ſua Nauigatione, cap.133. & c.139. agens de Calechuto Indiæ celebri vrbe, inquit: *Eò itaque quaſi tota India merces comportat vberrimas: frequentior etiam mihi negotiatorum numerus erat, quum incolæ Cathaij illò proficiſcebantur. Hi igitur Cathaij populi colunt Chriſtum, & coloris ſunt albicantis, vt nos: viri ſunt perquam ſtrenui.* Ioannes Barrus in Tertia Decade Aſiæ, lib. 4. cap. 1. ſcribit, in Regno Cathayo eſſe complures Eccleſias & Chriſtianos.

Ferdinandus Guerrerus Luſitanus, è Societate Ieſu in Annalibus Relationibus rerum Orientis, annorum 1607. & 1608. lib.1. cap.8. ex certiſſima peregrinatione Benedicti Goës eiuſdem Societatis, affirmat non eſſe aliud Cathayum in orbe, niſi ipſum Sinarum ampliſſimum Regnum, quod ante auorum noſtrorum memoriam ſub nomine Cathay vtcumque cognitum & appellatum fuerit: ſubditque: *Hoc ipſum aſſeuerauit Pater Matthæus Rizzius in litteris è Sinarum Regno, 12. Nouembris, 1607. ad Patrem Prouincialem Indiæ miſſis: affirmans depoſito ſuperioris ætatis errore, & Chriſtianitati, & mundo exploratum prorſus eſſe debere, non aliud, aut aliubi eſſe Cathayum, niſi quod Synarum regione continetur.* Quam ſententiam veriſſimam eſſe non dubito. Nam quæ Haïthonus de Tartaris cap.1. & plures alij de magno Cathay tradídere, mirificè in regnum Sinarum conueniunt. Vide Marcum Paulum lib.2. cap.9. 10. 24. 25. 28. Nicolaus Godignus lib.1. de Abyſſinorum rebus, cap.5. inquit: *Cùm hiſce proximis annis cognitum ſit, quidquid Cathaium eſt, ad Sinas pertinere: nec vrbem eſſe vllam, aut regnum hac dictum voce, quod nunc extra Sinarum terminos reperiatur. Sic enim à Matthæo Rittio Maceratenſi, Societatis Ieſu religioſo, apud Sinas præpoſito geographica demonſtratione prius inuentum, & poſtea à Benedicto Goëz eiuſdē Societatis homine ex Goa profecto, Catayúmque terreſtri itinere ex induſtria inueſtigante ſatis exploratum. Non crederem ego procul diſſitum à vero, præter illam terræ partem, quæ Cathai nomine intra Sinarum limites à noſtris reperta eſt, aliam eſſe orbis pla-*

gam multò ampliorem per Asiaticos Scythas, & Massagetas, vicinósque circumfusam populos, Sinarúmque finibus à Meridie & Occasu conterminam, cui & Cathai, siue Chethai nomen fuerit, in qua Presbyter Ioannes maiorum nostrorum ætate principatum tenuerit. Hæc Godignus. Equidem Cathaium non aliud esse, quàm ipsam Sinarum regionem, Nicolaus Trigautius, è Societate Iesu, qui multis annis in ea regione commoratus, multas eius prouincias perlustrauit, pluribus ostendit lib. 4. de Christiana expeditione apud Sinas, capite 3. 13. & lib. 5. capite 11. & seqq. vbi fusè describit peregrinationem illam Benedicti Goës.

De Christianis Magni Mogor Imperij supra Indiam Orientalem ad Boream & Orientem, multa refert scitu digna idem Ferdinandus Guerretus in Annalibus Relationibus annorum 1600. 1601. 1602. 1603. 1604. 1605. 1606. 1607. 1608. in quo regno Patres Societatis Iesu suam Missionem & Residentiam habent plantando, propagandóque Euangelio strenuè operam nauant: de quibus nonnulla etiam scribit Antonius Gouea Augustinianus, in itinerario D. Alexij Menesij Archiepiscopi Goani, lib. 1. cap. 1. vbi addit, *Anno Domini* 1603. *Didacum Dalmeidam Lusitanum retulisse eidem D. Archiepiscopo Goano, in Prouincia Thibete, supra Magor, (in qua idem Lusitanus Dalmeida biennio commoratus fuit) omnes esse Christianos, & multas Ecclesias, cum sacris altaribus, & imaginibus Christi Domini, Deiparæ, & Apostolorum. Sacerdotes perpetuum colere cœlibatum, vt nostros, eorum vestes nostrorum esse similes. Habere Episcopum, quem appellant Lambanum: eúmque qui tunc erat Episcopus, virum esse sanctissimum, miraculis clarum, qui in deserto austeram vitam, diuinarum rerum contemplationi deditam duceret: & quoties ad peragenda sacra mysteria in vrbem Bagum regni Metropolim è deserto veniret, pallio, vel pelle caprina super flumen expansa, sicco vestigio super aquas vectus transiret. Hæc omnia solemni ritu manu contactis Euangeliis persanctè idem Dalmeida iurabat.* Ita refert Antonius Gouea: qui addit eam Prouinciam Thibeth esse supra Mogor, itémque super aliam prouinciam quam ante paucos annos Magnus Imperator Mogor suo Imperio subiecerat, dictam Guixunur. Sed in his fidem meam haud obstringo, lectoribus ad auctorem amandatis. De prouincia Thebeth scribit Marcus Paulus lib. 2. capite 36. Sed de regno Mogor peculiarem historicam narrationem scripsit Ioannes Baptista Perusçus Societatis Iesu.

De Christianis Indiæ Orientalis.

CAP. X.

SAnctum Thomam Apostolum in India Orientali prædicasse Euangelium, disertè affirmat S. Gregorius Nazianzenus orat. ad Arianos, quæ est 25. *Sit sanè Petri Iudæa, quid Paulo cum gentibus commune, Lucæ cum Achaia, Andreæ cum Epiro, Ioanni cum Epheso, Thomæ cum India, Marco cum Italia? Quid cæteris omnibus ne sigillatim loquar, cum iis ad quos profecti sunt?*

S. Gregorius Maghus homil. 17. in Euangelia. *Ibi Petrus cum Iudæa conuersa, quam post se traxit, apparebit, ibi Paulus conuersum, vt ita dixerim mundum ducens: ibi Andreas post se Achaiam: ibi Ioannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui iudicij conuersam ducet.*

S. Ioannes Damascenus initio Vitæ SS. Barlaam & Ioasaphat: Nicephorus lib. 2. Histor. c. 40. *Thomas Æthiopes & Indos sortitus.* Et posteà: *Miraculis, prodigiisque maximis Parthos, Medos, Indos, ipsósque Æthiopes in admirationem adduxit. Ad hæc quicunque in extrema Orientis ora, & ad vltimum Oceanum colunt: insulam quoque quam Taprobanem vocant, Gentémque Brachmanum prædicatione Verbi illustrat.* Obiisse quidem & sepultum in Calaminia Indiæ vrbe, Sophronius de Viris Illustribus, in Catalogo S. Hieron. S. Isidor. de Vita & Morte Sanctor. c. 76. Dorotheus in Synopsi, Oecumenius Præfat. in Acta Apost. S. Beda in Collectaneis in Acta Apost. Zacharias Chrysopolitanus præfat. in Euangelia, testantur. Prædicationem sancti Thomæ in India consignat quoque Romanum Martyrologium 21. Decembr.

Marcus Paulus lib. 3. Regionum Orientalium, c. 27. *In Prouincia Maabar, quæ est India maior, seruatur corpus Beati Thomæ Apostoli, qui in illa prouincia pro Christo passus est. Quieuit autem corpus eius in ciuitate quadam parua, vbi multi sunt Christiani & Saraceni, debito honore Sancti venerantes corpus. Pauci verò illuc contendunt mercatores, cùm merces ferè nullæ ad eum perueniant locum. Incolæ regionis illius dicunt Apostolum Prophetam magnum fuisse, vocántque eum Auariiam, hoc est sanctum virum. Et Christiani à longè venientes, & Sancti corpus visitantes, asportant secum de terra illa in qua vir Sanctus occisus dicitur, & de ea in potum missa faciunt infirmos bibere, & credunt illos hinc melius habere, atque à diuersis liberari infirmitatibus. Aiunt anno Domini MCCLXXVII. tale apud eius tumbam factum miraculum. Cùm princeps terræ illius messem rizi haberet multam, & locus illi sufficiens non esset ad recondendum rizum, vsurpauit sibi domos & Ecclesiam S. Thomæ, & in eas inuitis custodibus, reposuit rizum. Factum autem est, vt paruo post tempore, nocte quadam Sanctus illi appareret, & manu fuscinulam ferream tenens, & ad guttur eius applicans, minaretur ei exitium, dicens: Nisi domos meas, quas temerè occupasti, citiùs euacuaueris, mala peribis morte. Et ille euigilans, statim, vt edoctus fuerat, Ecclesiam Apostoli euacuauit. De qua visione Christiani latificati, Deo, & Sancto suo gratias egerunt.*

Idem Paulus cap. 31. subdit: *Dum disceditur à Regno Maabar, ad aliam mundi plagam per milliaria quingenta occurrit Regnum Coilum in quo sunt Christiani multi.*

Haithonus de Tartaris cap. 6. *In ipso Regno Indiæ prædicauit Beatus Thomas Apostolus fidem Christi & multas conuertit prouincias, atque gentes: sed quia distant multum ab illis terris & locis in quibus fides colitur Christiana, ibi fides nostra est multum diminuta: nec est ibi nisi quædam ciuitas, in qua habitant Christiani: omnes verò alij fidem Christi totaliter reliquerunt.* Non omnino compertæ fuisse videntur res Indicæ Christianæ Haithono; exploratum enim est in Montanis Malabar multo plures fuisse Christianos quàm ipse putauerit.

Ludouicus Vartomannus lib. 6. suarum Peregrinationum, cap. 1. agens de vrbe Indiæ Caicolon, quæ ab vrbe Calechut leucis quinquaginta abest,

abest, inquit: *Illic etiam nacti sumus nonnullos Christianos, qui Diui Thomæ nuncupantur: ij negotiabantur, Seruatorique nostro, vt nos initiati sunt. De his accepimus singulis ternis annis ex Memphi, siue Babylone vrbe Nilotica Sacerdotem illò aduentare, baptizandi eius populi gratia, qui D. Thomam colit. Illi ritus seruant Christianos, quadragenos dies obseruant, credunt Seruatorem nostrum resurrexisse, eo argumento, quòd Pascha celebrant nostro more: reliquas Sanctorum solemnitates ac Missarum solemnia ritu Græcorum expediunt: à quaternis nominibus, Ioanne videlicet, Iacobo, Matthia, & Thoma nomina acceptant.*

Et cap. 2. agens de vrbe Cyromandel, quæ paret regi Marsingæ, ait: *Illic nactus sum nonnullos Christianos, qui memorabant, corpus D. Thomæ, non longè ab ea vrbe, id est, ad duodecim mille passus abesse. Adiiciebant etiam ad hæc, curam sancti Corporis quibusdam Christianis delegatam esse: adseuerantes inibi malè accipi Christianos, vixque posse vitam trahere, postquam Rex Lusitanorum arma cultoribus intulerat hostilia. Ex memoratis etiam referebant nonnulli, transactis iam quinis, ac quadragenis annis, vi numinum miraculum contigisse in hunc fermè modum: Aiunt enim Christianos cum Mahometanis quandóque manus conseruisse, aciéque discessisse Christianum quendam recepto prius in lacerto vulnere, contendisséque protinus sanandi brachij causa, ad D. Thomæ sepulchrum, tactóque eo consauciato, manum ad vsum rediisse quamprimum. Ob eam rem narrant Regem Narsingæ cœpisse Christianis subscribere, gentémque fouere plurimum.*

Et cap. 14. de vrbe Indiæ Bengala, verba faciens, inquit: *Illic itaque offendimus Christiani nominis compluſculos negotiatores ex vrbe Sarnau, vt referebant, oriundos. Memorabant dicti Christiani esse in eo regno huius Sancti nominis complures Principes, Magni Chami vrbis Cathay imperata subeuntes. Christianis huiusmodi ex vndonibus vestes erant, non eiusmodi quæ singulos artus exprimant, sed laxas, innumeráſque plicas habentes, manicas verò gosipio referserant, caput tegebat apex ex panno coloris Veneti, altitudine fermè gemini palmi. Iis est color albicans: trinúmque Deum esse adiuratissimè fatentur: quum initiantur Christianorum sacris more nostro latice aspergunturs: duodeniſque Apostolis, ac quaternis Euangelistis fidem adhibendam esse planissimè adstruunt: scribunt ordine præpostero, Armeniorum more, celebrántque nostri Seruatoris ortum & occasum: quadragenis Christiano more abstinent diebus: nonnulláſque alias Sanctorum colunt celebritates. Adiiciebant ad hæc illi, se compertum habere, esse complures Reges Christiani nominis maximos, magni Regis Turcarum finitimos, Rumi appellant.* Hactenus Vartomannus: qui circa annum Domini 1505. eas regiones peragrabat.

Iosephus Indus, qui anno Salutis 1501. Romam venit, cap. 132. & 133. & 134. Suæ Nauigationis hæc narrat: *Nouerint igitur omnes ab Indo flumine, vbi auspicatur India, occidentem versus, insulam Ormus, quæ est non longè à Sinu Persico, Christo tantùm parêre: alibi non sunt Christiani, præterquam in Caranganora vrbe. In India verò sunt multiplices Reges, qui Christum norunt. Qui verò incolunt Carangonoram vrbem, Christiani compluſculi sunt, pendúntque vectigal Regi Gentilium. Christiani verò ibi delubra habent, nostris non absimilia: verùm solas cruces inibi videbis; nullas habent Sanctorum imagines, concamerata sunt vt nostra, inque eorum crepidine crux visitur prægrandis, vt est videre apud nos: tintinnabula habent nulla, quando vocant populum ad diuina: seruant morem Græcorum. Hi populi habent magnum Antistitem, cui adstant Cardinales duodecim, Patriarchæ duo, Archiepiscopi verò & Episcopi complures.*

Itaque hi habent Sacerdotes, Leuitas, & Hypodiaconos. Sacerdotes verò non ferunt tonsuram, sed nonnihil capillorum in summa parte capitis habent. Infantes non baptizantur ante quadragesimum diem sui ortus, nisi morte ingruente. Confitentur vt nos, Eucharistiam sacram sumunt: Extremam autem vnctionem non habent, sed loco eius corpora benedicunt: cùm ingrediuntur eorum delubra, latice benedicto corpora aspergunt, vt nos: consecrant corpus Christi, & sanguinem, in azymis, hoc est, in pane non fermentato more nostro: & vbi non habent vinum, quoniam ea regio vitium est impatiens, vuas passas immergunt aqua, & demum succum exprimunt, eóque vice vini vtuntur: nam eò ex Catayo comportantur vuæ passæ complures. Humant humana corpora more nostro: cúmque quispiam vitam exhalauerit, mox conueniunt multi, & diebus octo continuis simul comessantur. Peractis verò epulis, fundunt pro defuncto preces. Quatuor Euangelistas habent, totidémque Euangelia colunt: obseruántque quadragesimam, & Aduentum ieiuniis & orationibus perquam diligentissimè: inter cetera à die Parasceues, vsque ad diem Paschæ omni cibo abstinent: nocte Sancti Veneris orationibus & concionibus sacris iugiter insistunt. Intra annum has Sanctorum celebritates mirè obseruant. Primò diem sanctæ Resurrectionis cum duobus sequentibus diebus: Octauum diem Paschæ supra omnem festiuitatem colunt: quippe qui affirmant ea die D. Thomam, cuius sunt ipsi per quam studiosi, in latus Saluatoris nostri manum posuisse, cognouisséque non esse phantasma. Deinde diem qua Christus celos conscendit, eximiè colunt. Post hæc Trinitatis, Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, Natiuitatis eiusdem, & Purificationis, Natiuitatis nostri Seruatoris, Epiphaniæ, & omnium Apostolorum, diéſque Dominicos obseruant. At primam diem Iulij mirum in modum custodiunt, in memoriam diui Thomæ, Christiani puriter, ac Gemiles. Cœnobia habent, vbi continentissimè viuunt monachi nigri, habent, & Sanctimoniales complures: Sacerdotes viuunt castissimè: & si qui comperti fuerint incontinentes, hi mox priuantur Missarum celebratione. Qui Christo parent, diuortiis minimè vtuntur, bonum, vel malum sit matrimonium, perennat ad vltimum vsque fati diem. Ter in anno populus suscipit Eucharistiam sanctissimam. Doctores habent egregios, eósque eruditissimos. Litterarum studia ibi vigent plurimum. Addebat etiam dictus Ioseph inibi esse complures sanctos Doctores, qui Vetus, & Nouum Testamentum explicarunt cordatissimè. Diuiserunt annum vt nos in menses duodecim, & habent intercalarem diem. Hactenus relatio Iosephi Indi, patria Caranganorensis.

Ceterùm cùm de Christiana Religione in India à Thoma Apostolo mirificè propagata, atque ad hanc vsque nostram ætatem conseruata; déque præclaris diuini Apostoli gestis, & miraculis, in iis regionibus, proprij Lusitanicarum rerum in India recentiores Auctores non pauci accuratè multa tradiderint, vti Ioannes Barrus, Ferdinandus Lopez Castañeda, Hieronymus Osorius,

Ioannes Petrus Maffæius, & alij: non iniucundum erit ex Osorio, & Maffæio, quæ Lectorem non modica voluptate perfundant, huc transcribere: digna sanè, quæ ibi, & hîc, & vbique legantur.

Osorius lib. 3. de Rebus Emanuelis, de regno Narsingæ hæc scribit: *Regio à Christianis illis etiam colitur, qui Thomæ disciplinam acceperunt; & in tanta temporum varietate, & regnorum commutatione, & aduersis rerum incidentium casibus inuicta semper fide & constantia retinuerunt. Est in ea vrbe Colaumo templum peruetustum, quod Christiani perhibent fuisse à Thoma ædificatum. Apostoli autem corpus est in ora Regni Nargingensis sepultum in templo, quod non à Christianis tantùm, sed etiam à Saracenis, & reliquis gentibus Sanctissimum habetur. Fama námque constans est, viri illius diuini meritis multa miracula diuinitus edi, & complures, qui opem illius vel in grauissimis morbis, vel in rebus afflictis implorabant, mirabiliter alleuatos, & maximis malis liberatos extitisse.*

Et prope finem eiusdem libri de Christianis vrbis Cranganoris, quæ est non longè à Cochimo, hæc prodit: *Christiani templa habent non satis elegantèr ædificata. Sunt enim eorum opes valdè tenues. Septimo quoque die, quem Dominicum appellamus, in templum conueniunt, vt sacris interstint & conciones audiant. Summus eorum Antistes in montibus, qui ad Septentriones spectant, à mari disiunctissimis, quam regionem illi Chaldæam nominant, sedem habet. Is cum duodecim cardinalibus, & duobus Patriarchis, & multis Pontificibus, qui in concilium similiter adhibentur, omnia quæ ad religionem sanciendam pertinent, decernit. Huic omnes Christiani, qui in orientis solis regionibus habitant, obtemperant. Sacerdotes in capite ita sunt attonsi, vt crucis imaginem in vertice summo contineant. Vino ex passis vuis confecto in sacrificiis vtuntur. Omnibus sine discrimine, cùm ad Eucharistiam accedunt, non solum Christi corpus in panis specie, verum & in calicis consecrati portione porrigitur. Nemo tamen epulum illud diuinum sumit, antequam flagitiorum confessione animorum sordes eluat. Pueri infantes nullo modo ante quadragesimum diem, nisi periculum aliquod impendere eorum vitæ perspectum fuerit, sacris aquis expiantur. Cùm aliquis periculoso morbo premitur, Sacerdos illum inuisit: ægroti, sacerdotis precatione animum alleuari confidunt. In ingressu templi lustralibus aquis, perinde atque nos facimus, asperguntur.*

Eodem etiam ritu mortuos, & eadem religione sepeliunt. Deinde cognati & affines epulum dant, & octo dies in conuiuiis, mortuorum gratia instructis accumbunt, & illorum memoriam celebrant, & pro eorum sempiterna salute Christum venerantur. Sanctas litteras Syrio sermone, quem Chaldæum nominant, scriptas, studiosissimè colunt, earúmque interpretes in locis publicis, omnes qui conueniunt, ad eorum intelligentiam, diligenter erudiunt. Ieiunia temporibus quæ Aduentum & Quadragesimam appellamus, diligenter obseruant. Sacra solemnia quibus vtimur, summa cum religione & celebritate procurant. Eandem anni computationem cum die intercalari, qui quarto quoque anno inseri solet, quam obseruamus, diligentissimè retinent. Kalendis Iulij non Christiani tantùm, sed indigenæ à sacris Christianæ religionis abhorrentes, in Thomæ honorem diem festum agunt. Sunt apud illos & monachorum sodalitia, & virginum sacrarum cœtus, ædibus semotis inclusi. Ab omnibus illis pudicitia cum summo probitatis, & religionis studio conseruatur. Sacerdotes vxores ducunt: prima tamen vxore mortua, est illis in posterum nuptiis omnibus interdictum. Aliorum matrimonium, nisi aut viri, aut vxoris morte dirimi nulla conditione licet. Hanc autem morum institutionem à tempore Apostoli Thomæ, qui primus eas nationes ad Christi notitiam instruxit, ad hæc nostra tempora continuatam, summo semper studio, non solùm in Cranganoris regione, sed in multis aliis Christiani qui in India sedes habent, summa semper religione & studio tenuerunt.

Corpus illius in vrbe quam Malipur appellant, quæ ad regnum Narsinguæ pertinet, sepultum est, multis miraculis celebratum. Tempore quo Martinus Alfonsius Sousa, vir fortissimus pro Rege Ioanne Tertio Indiam cum Imperio obtinebat, fuerunt ad illum æneæ tabulæ delatæ, in quibus erant incisæ litteræ, quarum vsus aboleuerat, ita vt nemo eas legere posset. Fuit tandem ab illo Iudæus accersitus multis linguis eruditus, & minimè antiquitatis ignarus, qui eas tandem cum difficultate propter Scripturæ antiquitatem, & linguæ parum notæ rationem, (erat enim ex multis conflata) perlegit. Litteræ autem nihil aliud in summa continebant, quàm Regis, qui Thomæ temporibus, illis terris imperabat, donationem Thomæ factam telluris certa dimensione definitæ, in qua templum extrueret.

Et quia huius diuini viri mentio facta est, non alienum arbitror, hoc in loco aliud testimonium antiquitatis afferre, quod Thomæ monimentum continet. Anno à Christo nato MDLXII. Pontifex Cochimensis misit ad Henricum Cardinalem testimonium publicis litteris consignatum, quod historiam commemoratione dignam continebat. In ea ciuitate quam diximus appellari Malipurem, & nunc postquam à Lusitanis frequentari cœpit, S. Thomæ ciuitas appellatur, erat in colle sacellum ædificatum, eo quod affirmarent incolæ, in eo loco Thomam fuisse à religionis hostibus interfectum. Erat autem hoc solemniter institutum, vt in eo sacello octo diebus ante diem natalem Christi res diuina fieret, & omnes Christiani eò conuenirent. Fuerat quoque ante quatuordecim annos in illo colle inuenta Crux in lapide incisa, in cuius fastigio columbæ imago insidebat: basis verò erat in specie quadam herbarum, quæ diffundi latissimè videbantur, collocata: & tam fastigium, quàm basis, & brachia in liliorum formam desinebant. Arcus eam ex eodem lapide factus vndique muniebat. In arcu erant incisæ litteræ, quas nemo legere poterat. Totum hoc opus integrum quod erat satis magnum, fuit super altare eiusdem sacelli multorum operis statutum. In Cruce eminebant notæ sanguinis insignes. Accidit autem die quo Christiani conueniebant, vt in eo fano Salutationem ab Angelo factam Sanctissimæ Virgini, octo dies antequam dies Christi Natalis adueniret, celebrarent, cùm Sacerdos qui rem diuinam faciebat, Euangelium inchoaret, vt Crux in nigrum colorem verteretur, & liquor ex illa incredibili copia dimanaret: deinde color cæruleus pro nigro subiret. In locis autem vbi notæ sanguinis extabant rosei coloris splendor eluxit. Sequentibus deinde annis, eodem die semper eueniebat. Nec enim alio die (quod magnam admirationem commouebat) id in illa Cruce cernebatur. Fuit tamen aliquo tempore eius rei, quæ admirabilis omnibus videbatur, intermissio. Anno autem MDLXI. cùm Christiani in eundem locum cum eadem pompa & celebritate conuenirent, eo die, quo Crux, dum sacrificium fieret, stillare solebat,

lebat, & Sacerdos Euangelium inchoaret, (id etiam admirandum videbatur, quod nunquam priùs quàm Euangelium legi cœpiſſet ea Crucis mutatio fieret) Crux repente nigris maculis, ſplendidis tamen inficeretur, donec tandem aliis atque aliis ſubeuntibus, tota nigreſceret. Ita verò ſplendebat, atque ſi fuiſſet oleo delibuta. Dum inſtar roris gutta defluere cœperunt, quæ paulatim grandiores effectæ, totam Crucem humore largiſſimo compleuerunt. Peregit Sacerdos cum multis lacrymis & crebro ſingultu ſacrificium. Deinde aſcendit in altare, & lintèis, quibus in rebus ſacris de more procurandis vti ſolebat, Crucem exterſit. Lintea maculis ſanguineis tincta repẽte ſunt. Ciuitatis Præfectus, & reliqua multitudo, quæ conuenerat, manus in cælum tendere, Chriſti numen implorare, flagitiorum veniam poſtulare, & ad ſtudium ardentius religionis excitari. Crux autem poſtquam multo liquore fluxit, clariùs ſplendere cœpit, & color ſanguineus euidentiùs eluxit. Hoc ſignum commouit, & Præfectum vrbis, & primarium Sacerdotem, vt diligenter inquirerent, ecquis eſſet, qui litteras illas interpretari poſſet. Aiunt incolæ in Narſingæ regno eſſe Brachmanam, inter omnes Brachmanas litteris & eruditione præſtantem, qui varias linguas tenebat. Hominem continuò accerſunt, & interrogant, an illas litteras noſſet. Reſpondit litteras eſſe priſcas, quibus antiqui ſapientes vtebantur: negligentia verò hominum factum eſſe, vt earum cognitio interiret. Quin etiam linguam, qua erant deſcriptæ, à paucis admodum teneri. Admonent illi Brachmanam, vt in altare aſcendat. Reſtitit ille, & nefarium facinus eſſe dixit, altare in quo res diuinæ fieret, humanis pedibus conculcari. Inuitus tamen ſubiit, & litteras perlegit: quarum vim eam eſſe dixit, vt vna nota decem, & quindecim, & viginti litterarum officio fungeretur. Sententia verò litterarum in ſumma hæc erat: Thomam diuinum virum fuiſſe à Dei Filio, cuius erat diſcipulus in eas oras Segami regis tempore miſſum, vt Dei ſummi notitia gentes illas erudiret. Ibique templum extruxiſſe, & res admirabiles effeciſſe: atque tandem cum genibus flexis ad Crucem illam affixus, orationem ad Deum funderet, à quodam Brachmana fuiſſe haſta transfixum: Crucem verò eiuſdem viri ſanctiſſimi cruore tinctam, ad memoriam virtutis illius ſempiternam, relictam fuiſſe. Hæc erat ſententia quæ litteris continebatur. Fecit autem maiorem fidem alius eiuſdem ſectæ vir aliundè accerſitus, grandis admodum natu, & ſapientiæ opinione præſtans, qui litteras in eandem ſententiam interpretatus eſt. Huius autem Crucis exemplum in eodem ligno, ex quo templum ædificatum perhibent, inſculptum, cum litteris publicis multorum virorum teſtimonio conſignatis, retineo: cuius fides tantis tunc argumentis explorata fuit, vt nemo poſſit de tam claris atque teſtatis viri diuini monimentis ambigere. Hæc quidem inſerenda putaui, vt rectiùs percipi poſſit, quàm clara ſint apud Indos Chriſtianos Thomæ viri diuini monimenta. Hactenus Oſorius.

Maffeius verò Rerum Indicarum lib. 2. dum de Vaſco Gamama Luſitanicæ claſſis Præfecto ad Cocinum deuecto, agit, eiuſmodi narrationem orditur: *Ibi dum ſui Regis negotia conficit, repente legati affuere à Chriſti cultoribus iis, qui non longè à Cocino Cranganorem habent vrbem, è vetuſtiſſima illorum ſtirpe, quos beatus quondam Apoſtolus Thomas ad ſanam religionem ac fidem à Brachmanarum fabulis, & impura ſuperſtitione traduxit. Is Indiam prouinciam in orbis terrarum diſtributione ſortitus, Socotoram Inſulam Arabici Maris fertur adiiſſe primum: dein, multis ibi factis Chriſtianis, traieciſſe Cranganorem: in ea ciuitate cum multos item Chriſto filios peperiſſet; Colanum petiit: neque ibi fruſtrà diſſeminato Euangelio, tranſiuga montium ad oram orientalem ingenti labore contendit: multiſque locis ac præſertim in Coromandelis regno, Chriſtiana re benè geſta, perrexit in Sinas, quorum ea tempeſtate celeberrimum erat nomen: ac diuini verbi ſementem in eo quoque nouali facere inſtituit. Atque haud pœnitenda collecta fruge, templiſque ad Chriſti cultum ædificatis, in Coromandelem ad reuiſendos & confirmandos in fide neophytos rediit. Coramandelis caput ac regia tum erat vrbs Meliapor: quam vetuſtate belliſque dirutam, nuper Luſitani, deducta eò militum emeritorum colonia, frequentarunt: ac mutata appellatione, honoris Apoſtoli cauſa, à S. Thoma denominarunt. In ea vrbe ſacram ædem extruere aggreſſus Apoſtolus, cùm à dæmonum ſacrificulis, & à Sagamo Rege prohiberetur; res interim inſignis accidiſſe perhibetur, ad Chriſti virtutem, & fidem Euangelij comprobandam. Inuſitatæ magnitudinis truncum, vt fit, in littus eiecerat mare, quod eo tempore leucas ferè decem ab vrbe diſtabat, eam Rex materiam cùm in vſum ædificij cuiuſdam vehementer expeteret: robuſti primum homines in caſſum, funibus, ergatiſque amouere conati: dein adhibiti complures elephanti, cùm toto connixi impetu, nihil omnino proficerent; Apoſtolus Regi conditionem tuliſſe fertur, ſi truncum illum ſibi ad templum vero Deo ædificandum daret, nullis machinis, nullo mortalium adiutore, ſeſe protinus eum ad vrbem attracturum. Cùm Rex, inſanire videlicet hominem ratus, per ludibrium annuiſſet; tum Diuus Thomas zona qua erat præcinctus, ad prominentem è caudice ramuſculum annexa, ſigno tantum facto Crucis, immanem ſtipitem facili ductu ſequentem, vniuerſa ad ſpectaculum effuſa ciuitate, in ipſo pomerio ſtatuit. Ibidémque defixa lapidea Cruce, vaticinatus eſt, Cùm ad eum lapidem vſque pertingeret pelagus, tum diuino iuſſu, è remotiſſimis terris candidos homines ad eadem quæ ipſe intuliſſet ſacra inſtauranda venturos. Neque fefellit prædictio: ſiquidem ſub Luſitanorum appulſum, occultis tot annorum acceſſibus, locus Oceano demum alluì cœptus.*

Verùm ab eo ſigno, cæteriſque virtutibus, cùm Thomæ verbis maior indies accreſceret fides, Brachmanas autem, fuco & fallaciis parca iam auctoritas, iam ſagina deficeret: accenſus rabie quidam ex iis, fœdum ac ferum facinus mali dæmonis inſtinctu conſciuit. Filio admodum puero ipſemet necem intulit, vt haberet vndo peregrino & inuiſo capiti crimen, exitiúmque conflaret. Citatus ad Regem Thomas, cùm accuſator ab eo per ſummam indignationem & querimoniam pœnas filij extincti repeteret: contra Thomæ diſcipuli, affinem, aut omnino conſcium eius culpæ Magiſtrum negarent: nihil opus eſſe coniecturis, aut certaminibus ait Apoſtolus, ab ipſomet qui occiſus dicatur, omnium optimè cognoſci rem poſſe. Petit vt eius publicè interrogandi poteſtas fiat. Nihil recuſatum ab aduerſario, & cunctis tam inaudita rei expectatione ſuſpenſis, cadauer in medium affertur. Tum ad exanimem puerum Thomas placido & ſereno vultu conuerſus: Agedum, inquit, per Chriſtum quem ego Deum prædico, palam & ſine ambagibus puer prome, quiſnam huiuſce tanti ſceleris auctor extiterit. Mirum dictu! ad Chriſti nomen, frigido & exangui corpuſculo vitales confeſtim ridiere ſpiritus: & clara voce vt omnes exaudirent, Thomam certum ſummi Dei legatum: & ipſius odio, adſtruendam illi calumniam, nefarias à parente ſibi manus allatas eſſe confirmat.

Hac tam illustri, támque admiranda testificatione fractus calumniator obmutuit. Sagamus propenso iam antè ad credendum animo, Christianam deinde Fidem, ac Religionem sine vlla dubitatione complexus est. Regem ex amicis & popularibus imitati complures.

Brachmanis, quanquam detecta diuinitus fraude, & pulso in exilium parricida, pertinax tamen & cæca mansit improbitas: cùm latos Christianæ rei progressus & neglecta Deorum simulachra ferre non possent, facta conspiratione præconem Euangelij è medio tollere omnino constituunt. Tumulus erat non procul ab vrbe, quo Thomas identidem à Christi disciplina secedere, propitiandi æterni Regis, & sui recolligendi gratia, consueuerat. In eum locum tempore captato, Brachmanæ armati cum sui similibus impetum dant. Ibi Apostolus, dum ad Crucem, alienato ab sensibus animo, Deum pro salute hominum, ac eius præsertim populi deprecatur, telis primum, ac lapidibus appetitus, dein ab vno è Brachmanis lancea transfossus occubuit. Venerandum corpus inde sublatum à discipulis, & in templo nuper ædificato conditum est. Accessit martyrij nomine & memoriæ causa, fragmentum hastæ, quæ inhæserat costis, & baculus præferratus, quo ille ad peregrinationes vtebatur: & vrna fictilis cespite inferto, nempe qui manantem è sacris vulneribus cruorem ebiberat. Exinde locus multis miraculis claruit, ac magnus eodem ex omni parte concursus, voti & religionis ergò fieri cœptus. Hæc fermè Indi scisciitantibus Lusitanis, non è fama solùm, sed etiam è veterum annalibus edidere: quin egregias Thomæ laudes, ac mortem pro Christi nomine fortiter obitam, pueris Malabaribus patrio carmine decantare mos est.

Sunt qui cum tribus Magis, qui ad Christi liberatoris incunabula cum muneribus adoranda, Sibyllæ Indicæ, vt ferunt, monitu, stella duce tetenderant, (quo in numero Perimal Ceilani Rex ponitur) Thomam in Oriente congressum, déque immani trunco miraculum non Meliapore, sed Cranganore perpetrasse dicant, ac postremò in Calamina vrbe mactatum regis imperio, qui Sagano defuncto succesferat, ac sacrum deinde corpus Edessam Mesopotamiæ translatum a Christianis fuisse contendant. Vicúmque res habeat, (nam ego meam interponere sententiam in tali re, tantóque locorum & temporum interuallo non ausim) satis constat, Apostolum in Coromandelico tractu Gangetici sinus, palmam tulisse martyrij: nec dubium est, quin ex diuini viri præceptis atque institutis, ingens hominum multitudo, variis Indiæ dispersa regionibus, in hæc vsque tempora, Christi nomen fidémque tenuerit. Quanquam ex Armenij Patriarchæ Nestoriani placitis, a quo Episcopos paulò antè hanc memoriam accipere consueuerant, multis vitiis & erroribus inquinatam. Alioquin Apostolicas cæremonias magna ex parte obeunt: altaris mysteria religiosè venerantur: eóque viatico decedentes è vita se muniunt. Aduentus Domini, & Quadraginta dierum solemne Ieiunium diligenter obseruant: quotidianæ Psalmodiæ & sacris insistunt, & cùm alia Christi Domini, Sanctorúmque festa ritè concelebrant, tum verò præcipuè Paschalium Feriarum Octauam, quam Dominicam in Albis vocamus: quòd eo demum die, incredulus anteà Sanctus Thomas, indito in Christi latus, ac vulnera digito, Dominum suum, ac Deum suum præclara testificatione confessus est.

Alia præterea multa ex maiorum traditione diligenter obseruant, eo maiore fidei, & constantiæ laude, quòd ob id ipsum non modo à Mahometanis hominibus acerbè vexantur, sed etiam ab regulis ethnicis in seruitutem redacti, cùm alias indignitates, & contumelias perferunt, tum verò sedem & domicilia iniquis pensionibus redimere subinde coguntur. His aduentu Lusitanorum, noua diuinitus affulsisse lux visa. Concilio inter se habito, qui Cranganoris incolunt fines, ad Gammam in propinquo versantem legatos, vti orsus eram dicere, destinarunt: quorum summa orationis fuit: Se & vetustissimos Christi famulos esse: & hoc ipso Lusitanici nominis cupidissimos: multa se à barbaris indigna quotidie pati: petere & orare, vt Emanuëlis Regis nomine, se suáque omnia in patrocinium fidémque recipiat. Sub hæc deditionis insigne, sceptrum argento decoratum Gammæ supplices detulere. Atqui de prædicatione S. Thomæ in Regno Narsingæ, & de miraculo eiusdem immanem arboris truncum Zona trahentis, multa etiam refert Ioannes Hugo Lintscotanus in Nauigatione Indica, cap. 17. ex historiis, & picturis templorum Christianorum sancti Thomæ, vt ipse asserit.

Idem Auctor Maffeius lib. 8. initia Ioannis Lusitaniæ Regis qui magno Emanuëli successit, describens hæc, ait: *Per litteras Eduardo Indiæ Prætori mandauit, cultui diuino, & Sacerdotum commodis enixè prospiceret: ac nominatim diuini Apostoli Thomæ sepulchrum in Coromandelio littore peruestigandum curaret: darétque operam, vti sacrosanctæ illæ reliquiæ (quanquam easdem, vti suprà dictum est, vel earum certè partem Mesopotamia sibi vendicat) cum dignitate custodirentur. Edurardus Emanueli Friæ, præposito Coromandelicæ oræ, cum Sacerdotibus aliquot, & architecto id negotium dat. Profecti Meliaporem, (nam ibi situm Apostoli corpus audierant) æquatam solo ingentis amplitudinis vrbem offendunt. Paucæ tamen Pyramides, turréque, & columnæ miserabili è strage supererant: necnon varij coloris lapides, ac veluti porphyretica peregregiè sculpta fragmenta, qua antiquum vrbis ornatum & elegantiam satis arguerent. In iis visebantur operosa magnifici cuiusdam templi vestigia, vno tantùm superstite ad Orientalem plagam sacello, crebris intus, foríque lapideis crucibus è veteri disciplina consperso. Sub eo tecto latere Apostoli ossa cùm accolæ pro certo affirmarent: primum omnium sarcire ipsum ædificium placuit, quòd testudinis pondere pressi parietes, aliquot locis vitium fecissent. Ad eos ergo fulciendos, ac renouanda fundamenta, conductis è vicino operis, dum effoditur humus; ad quintum fermè dodrantem apparuit loculus lapidea tabula tectus: in quam ab interiore parte incisa priscæ gentis lingua, vti à peritis cognitum est, litteræ testabantur, Templum id ab Sancto Dei Apostolo Thoma quondam exstructum: ei templo tuendo, colendóque, mercium quæ in vrbem importarentur, decimam ab Sagamo rege attributam. Accesserat obtestatio ad posteros, ne quid ex eo vectigali, ac donatione imminutum vellent. Paulo infra eam tabulam, ipsius Regis, vti ex priscorum traditione Indi asseuerabant, cadauer inuentum.*

Altiùs dein molientibus terram, quadratum primò lateritia, postremò lapidea structura septum apparuit, multiplici operimento, pedum circiter nouem altitudine. Ibi quòd sepultum haud dubiè corpus Apostoli dicebatur esse: adhibiti ad amouendum operculum Lusitani duo (nam Indis rem eiusmodi committere non est visum) non nisi noxis per sacram confessionem expiatis, & reconciliato per Eucharistiam Deo, aggredirem ausi, locum aperiunt. Immista calci & arenæ candidissima specie ossa, & apposita lancea cuspis, & viatorij baculi frustum, itémque vas fictile, fidem inuenti demum sacri thesauri Lusitanis fecere. Sub hæc repertum

tum aliud cuiusdam è Thomæ discipulis cadauer: ceterùm tetro, ac terreo aspectu, quemadmodum & Sagami Regis: vt si alia argumenta defuissent, ex ipso prope modum colore dignosci Apostoli ossa potuerint. Eo maior gratulatio fuit Christianorum; & affabrefactas, arte Sinarum, arculas duas, è proximo emporio Paleacate confestim afferri placuit: quarum in altera eximij operis argento celata, ipsius Apostoli: in altera discipulorum eius reliquiæ inclusæ: & commune gaudium solemni supplicatione, pompáque, & priuatis omnium qui aderant studiis celebratum est. Propositis deinde in ipso altari arculis, adhibitóque custode, claues vtriusque Emanuel Frias Cocinum Prætori Menesio detulit. Hoc maximè modo per eos dies, & sacello & religioni consultum. Biennio deinde post, eadem ossa intra ipsam aram occulto loco, duobus tantum conscijs Lusitanis, abdita: ac postremo Goam, Constantino Brigantio Prorege, (qui Diui Thomæ templum in ea vrbe extruebat) à Fratre quodam Franciscano translata fuisse comperio.

Et lib. 12. insigne illud miraculum de Cruce S. Thomæ sanguineas guttas exsudante, ita describit: *Circa idem tempus, nempe ad annum MDXLVI. Meliapore item in signis ad memoriam accidit res. Lusitani suburbano in colle, vbi mactatum à Barbaris Apostolum Dei Thomam fuisse docuimus, nouum eidem Apostolo sacellum extruebant. Aperientibus fundamentum, insculpta quadrato lapidi, sanguineis & in speciem recentibus conspersa guttis apparuit Crux, lapideo item circulo inclusa, repandum in libium desinens: insidet in summo columba: læta ab imo herbæ luxuriant: in eo circulo incisæ notæ cernuntur, quas propter vetustatem legi adhuc potuisse negant quidam: alij seorsum ad legendum adhibitos diuersarum nationum Brachmanas duos præcipua eruditionis fama: haud paruo quidem labore, veruntamen congruenti ambos interpretatione respondisse ferunt, notas eas plurium litterarum singulas obtinere vim, iis Apostoli sancti Martyrium, quale nos è veteri traditione descripsimus, breuiter contineri: atque illud nominatim, quod ipsa testantur guttæ, Christi famulum inter eius Crucis adorationem & oscula cecidisse. Extractam ergo tabulam, ac probè purgatam, Lusitani confestim in ara gratulabundi constituunt: intentiore cura sacellum absoluunt. Noua inde loco frequentia, nouus honos accessit.*

Sed miraculo mox euidenti maiorem in modum aucta religio. Octo ante Christi Domini, tribus ante Apostoli natalem diebus, cum ab Ecclesia celebratur expectatio Virginei partus, in eam Ædiculam Christiani rei diuinæ causa conuenerant. Mirum dictu! Simul atque ab Sacerdote cœptum Euangelium est, vniuerso inspectante populo Crux ea modicis primo stillis, largo deinde sudore manauit. Admota hinc tersui linteola sacra, liquido cruentas ebibere maculas. Color etiam Crucis, è candido sensim in pallidum, è pallido in atrum cessit: grato post hæc splendore cæruleus effulsit: ad extremum, sacrificio peracto, natiuus rediit. Scilicet res tam noua & illustris ineffabili quodam gaudio delibutis adstantium animis, altos gemitus, pias acclamationes, vim lacrymarum excisuit. Neque verò proprium illius dumtaxat diei, cœtúsue id spectaculum fuit: ex eo tempore singulis fermè annis, eadem festa luce, eodem non modo sacrificij, sed etiam Euangelij momento recurrit. Si quando intermissum est, ipso doctus euentu, dirum aliquod portendi populus putat. Ac, ne quis apud nos in tali tantáque re dubitandi foret locus, totam dein & facti seriem publicis consignatam litteris, & operis effigiem è lapide ipso diligenter expressam Cocinensis Episcopus in Europam, sub initia Concilij Tridentini transmisit. Ceterùm thesaurus ipse repertus Castrio demum obtinente Prouinciam, & Euangelio adstruxit fidem, & opportunè Prætori ad omne periculum ac dimicationem pro Christi nomine subeundam, animos addidit. Huc vsque Maffeius. Descripsere id quoque clarissimum miraculum complures rerum Indicarum auctores, & accuratissimè inter alios Antonius Gouea in Itinerario D. Alexij Menesij Archiepiscopi Goani, lib. 2. cap. 2.

Ceterùm eosdem Indiæ Christianos sancti Thomæ dictos, & communione à Rom. Ecclesia separatos, & Nestorij erroribus implicitos, incredibili labore, ad Catholicam fidem, & Rom. Ecclesiæ gremium reduxit D. Alexius Menesius Archiepiscopus Goanus Indiæ Primas: extat ea de re Synodus in vrbe Indiæ Angamela ab eodem Archiepiscopo celebrata, anno Domini 1599. in qua Christiani Indi S. Thomæ, eiuratis cunctis erroribus, orthodoxam fidem suscepere, & Rom. Pontifici tanquam Christi Vicario se subdidere. Constat tunc plusquam ducenta millia hominum ad Ecclesiam accessisse, opera eiusdem Archiepiscopi: cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. Labores optimi Antistitis pro Christo susceptos, litterarum monumentis fideliter consignauit Antonius Gouea Augustinianus.

Quod verò annotauit Maffeius S. Thomam Apostolum in Insula Socotora multos fecisse Christianos, ea de re idem Maffeius agens de Nauigatione Tristani Acuniæ, lib. 3. hæc scribit: *A Braua post hæc ad Socotoram insulam maris Erithræi transmissum est. Christiani iam inde ab Apostoli Thomæ aduentu incolebant: sed ipsa locorum asperitate, & diuturno Pastorum desiderio panè efferati. Quod ad cultum diuinum attinet, ex Iacobitarum hæresi, propter vicinitatem Æthiopiæ, vitia multa traxere: nam & à Romani Pontificis auctoritate seiuncti sunt, & circumcisionem, aliósque ritus Iudaïcæ superstitionis vsurpant: neque tamen nulla retinent vestigia sanæ religionis: nam & ieiuniis anniuersariis placant Deum, & precandi stata quotidie tempora obseruant, & sanctam Crucem eximiè venerantur: huius imagines cuncti gerunt è ceruice suspensas: huic pro ipsorum tenuitate sacras ædiculas exstruunt: quò vbi conuenere frequentes, Hebraïcè concepta precationis verba, præit vnus: tum instar chori cetera turba subsequitur.*

De eadem insula Socotora proculdubio Marcus Paulus lib. 3. cap. 38. loquitur, quam ipse Scoïram appellat, hisce verbis: *Occurrit alia insula Scoïra nomine, cuius incola Christiani sunt, & habent Archiepiscopum.*

De congressu autem Apostoli Thomæ cum tribus Magis, in Oriente, vti Maffeius inquit, meminit quoque Auctor Operis Imperfecti homilia 2. in Matthæum, sic dicens: *Denique cùm post resurrectionem Domini Thomas Apostolus isset in Prouinciam illam, adiuncti sunt ei, & baptizati ab eo, facti sunt adiutores prædicationis illius.*

Verùm non est silentio prætermittendum quod Ferdinandus Mendez Pintus narrat in libro suæ Peregrinationis, cap. 164. Illud planè memorabile quod de Goa clarissima Indiæ vrbe ab Alfonso

Albu-

Albuquercio expugnata, iterúmque refecta Maffeius lib. 4. Rerum Indicarum scribit in hanc sententiam: *Tum aduersus imminentis belli pericula refecti celeriter muri, turréque, & arx ipsa nouis propugnaculis aucta. In id opus dum idolorum fana, & sepulchra ethnicorum, & alia ædificia diruuntur, in domus cuiusdam parietinis æneum crucis pendente Christo simulachrum apparuit: euidenti planè argumento, in iis olim regionibus non modò Christianam fidem, sed cum ea salutarem quoque vsum imaginum (quem recentes isti scilicet pietatis antiquæ assertores, ac diuinæ voluntatis interpretes funditus extirpare conantur) ex Apostolica traditione viguisse. Magnum verò Albuquercius, & boni omnes inde gaudium percepere: præsagientibus animis, eam vrbem, Ecclesiámque principem Indicæ religionis aliquando futuram. Itaque signum illico purgatum, nec sine lacrymis, & cum solemni pompa & apparatu, pro ea quæ tunc suppetebat copia, extructo nuper Christianorum templo illatum à Sacerdotibus, atque ad Emanuelem Regem deinde, talium rerum plus multò quàm auri, gemmarúmque sitientem, muneris amplissimi loco transmissum est.*

De Anchediua insula Indici littoris, quinquaginta leucas à Calecuto distante, Hieronymus Osorius lib. 4. Rerum Emanuelis hæc prodit: *Ipse verò* Franciscus Almeida Indiæ Prætor anno Domini 1505. *arcis continuò fundamenta iecit, in loco non multùm à mari disiuncto: in quo parietinas reperit, crucibus colore nigro & rubro multis in partibus insignitas: quod suspicionem faciebat, fuisse olim insulam illam à Christianis frequentatam.*

In insula Taprobana S. Thomam Euangelium prædicasse, ex Nicephoro initio huius capitis dicebamus. In eadem quoque Eunuchum illum Candaces Æthiopum Reginæ Christianismi semina cum fructu iecisse, Dorotheus est auctor in Synopsi, cùm ait: *Sed & Eunuchus Candaces Reginæ Æthiopum in Arabia Felici, & insula Taprobana inque vniuersa Erithra Euangelium Domini Iesu Christi prædicauit. Fertur etiam martyrium gloriosè tulisse ibique sepultus esse. Et cœmeterium ipsius monumentum insuperabile est fidelibus, barbaros scelestos, fugans, morbos pellens, & sanationes operans vsque in hodiernum diem.* Eadem habet Oecumenius præfat. in Acta Apostolorum. Taprobanem esse potiùs Ceïlanum, quàm Somatram dicemus infrà.

Atqui Maffeius lib. 3. dum agit de Ceïlano quam ipse Taprobanem putat, hæc narrat: *Mons vnus in arduam, vt subrectam altitudinem penè septem leucarum exsurgit: habétque in summo æquatam agri planitiem, ex cuius medio bicubitale saxum eminens ad instar mensæ, vestigium demonstrat impressum inclyti sanctitate viri, quem ex India regno Deli quondam in ea loca venisse tradunt, vt gentem superstitionibus deditam fabulosis, ad vnius Dei cultum, religionémque traduceret. Ergo tantæ venerationis est locus, vt à leucis amplius mille, omnium ordinum peregrini, ac præsertim Iogues, illuc pietatis causa contendant ingenti labore: siquidem præter ceteras itineris difficultates atque pericula, in eius etiam montis cacumen, non nisi per adactos clauos, ferreásque catenas ascensus est. Haud absimile vero videtur, quod aiunt quidam, in eo quod dixi vestigio, quanquam extincta iam nominis antiqui & peregrini memoria, coli Eunuchum Candaces Æthiopum Reginæ: quem cùm alij Scriptores, tum verò Dorotheus Tyri Episcopus, qui Constantino Magno Imperante, & sanctitatis & doctrinæ laude præcelluit, in Arabia Felice, totáque Erithra, & in Trapobana, Christi Euangelium promulgasse testatur.* Hæc Maffeius: qui perperàm existimauit Dorotheum auctorem Synopsis, esse illam Tyri Presbyterum, potius quam Episcopum, qui sub Constantino vixit.

De Presbytero Ioanne olim Christiano Rege in India seu Oriente.

CAP. XI.

DE Christiano Imperio Presbyteri Ioannis in Orientali India quondam florentissimo, demúmque Tartarorum armis deleto, quæ ex bonis quibusque auctoribus excerpsimus, hîc opportunè inseremus. Otto Frisingensis Episcopus lib. 7. Chronicorum, cap. 33. *Narrabat etiam* idem de Syria Gabulensis Episcopus, *quòd ante non multos annos, Ioannes quidam, qui vltra Persidem & Armeniam, in extremo Oriente habitans, Rex & Sacerdos cum gente sua Christianus est, sed Nestorianus, Persarum & Medorum reges fratres, Semiardos dictos, bello petierit, atque Ecbatanam, sedem regni eorum expugnauerit. Cui dum præfati reges cum Persarum, Medorum, & Assyriorum copiis occurrerent, triduo, vtrisque morì magis quàm fugere volentibus, dimicatum est: Presbyter Ioannes (sic enim eum nominare solent) tandem versis in fugam Persis, cruentissima cæde victor extitit. Post hanc victoriam, dicebat, prædictum Ioannem ad auxilium Ierosolymitanæ Ecclesiæ, procinctum mouisse: sed dum ad Tigrim venisset, ibique nullo vehiculo traducere exercitum potuisset, ad Septentrionalem plagam, vbi eundem amnem hiemali glacie congelari didicerat, iter flexisse. Ibi dum per aliquot annos moratus, gelu expectaret, sed minime hoc, impediente aëris temperie, obtineret, multos ex insueto cælo, de exercitu amittens, ad propria redire compulsus est. Fertur enim iste de antiqua progenie illorum, quorum in Euangelio mentio fit, esse Magorum: eisdémque quibus & isti gentibus imperans, tanta gloria & abundantia frui, vt non nisi sceptro smaragdico vti dicatur. Patrum itaque suorum, qui in cunabulis Christum adorare venerunt, accensus exemplo, Ierosolymam ire proposuerat, sed prætaxata causa impeditum fuisse asserunt.* Hactenus Otto.

Vincentius in Speculo Historiali lib. 31. cap. 10. *Imperator Tartarorum Chingis Cham vnum de filiis suis nomine Thossut, quem etiam Cham, id est, Imperatorem, appellabant, cum exercitu contra Comanos misit: quos iste multo bello deuicit. Alium verò filium cum exercitu suo contra Indos misit, qui & minorem Indiam subiecit. Hi sunt nigri Saraceni, qui Æthiopes sunt vocati. Hic autem exercitus ad pugnam contra Christianos qui sunt in India maiori processit. Quod audiens Rex illius terræ, qui vulgo Presbyter Ioannes appellatur, contra illos venit exercitu congregato: & faciens imagines cupreas hominum, vnamquamque posuit in sella super equum: posuit & vlterius ignem, & hominem cum folle super equum post imaginem. Itaque cum multis equis & imaginibus taliter præparatis ad pugnam contra Mongalos seu Tartaros processerunt. Et cùm ad locum prælij peruenissent, equos istos vnum iuxta alium præmiserunt. Viri autem qui erant retro, nescio quid super ignem qui erat intra imagines, posuerunt, & cum follibus fortiter sufflauerunt: vnde factum est vt ex Græco igne homines & equi comburerentur: & etiam aër ex fumo denigraretur. Tuncque super Tartaros sagittas gesserunt Indi, ex quibus*

bus multi vulnerati fuerunt, & interfecti. Sicque eiecerunt illos cum magna confuſione de ſuis finibus: nec vnquam quòd ad ipſos redierint audiuimus. Eadem ex Vincentio tranſcripſit S. Antoninus 3. parte Hiſtor. titulo 19. cap. 8. §. 18.

Idem tamen Vincentius lib. 29. cap. 69. *Anno Domini 1202. ſecundum quoſdam Tartari poſt occiſionem Domini ſui exierunt in populorum deſtructionem. Hi etenim poſt adhuc in terra ſua videlicet Tartaria, quæ affinis eſt India, reſidentes, contra Regem Dauid Dominum ſuum, videlicet Preſbyteri Ioannis, quondam Dominatoris & Imperatoris India filium conſpiranerunt, eúmque doloſè machinando interfecerunt. Antea ſiquidem ab antiquo Tartaria India Regi fuerat ſubiecta, eique pacificè & quietè debita vſque ad tempus illud exſoluerat tributa. Cúmque prædictus Rex ab eis tributum ſolitum expeteret, præcipiens inſuper vt in annis, vel in angariis aliqua deſeruirent, &c.* Pergit narrare, vt Tartari duce Chingis Cham, aduerſus Preſbyterum Ioannem rebellauerint: ac ingenti conflato exercitu, regnum eius ingreſſi, ferro ignique omnia vaſtantes, nullíque vel ſexui, vel ætati parcentes cuncta cædibus, & excidiis compleuerint: tandémque acie cum Preſbytero Ioanne congreſſi ipſum cum tota familia deleuerint: regnúmque euerterint. Atque de Preſbytero Ioanne ſubdit: *Præuentus eſt & oppreſſus, tandémque cum tota familia ſua, præter vnicam filiam, membratim detruncatus, quam videlicet prædictus Chingis Cham ſibi vxorem accepit, & de ea vt dicitur, filios generauit.* Eadem quoque copioſè refert S. Antoninus 3. Parte Hiſt. tit. 19. cap. 8. ante §. 1. & §. 8.

Marcus Paulus lib. 1. Regionum Orientalium cap. 51. 52. 53. *Nam habitarunt primùm Tartari in campeſtribus regionis illius Tarocoram, carentes ciuitatibus & oppidis, ſolùm paſcua quærentes, & aquas pro pecoribus nutriendis: nec habebant de gente ſua Principem, ſed tributa pendebant magno cuidam regi Vncham nomine, quem hodie vulgò Preſbyterum Ioannem vocant. Sed indies incrementa ſumentes, & ſeipſis fortiores euadentes, cœpit rex Vncham timere ne aliquando ab ipſis offenderetur, atque in rebellionem prorumperent. Vt igitur potentia eorum minueretur, cogitabat operæ pretium ſe facturum, ſi illos ab inuicem in partes ſecerneret, atque in diuerſas regiones collocaret. At illi nolentes à ſe inuicem diſgregari, tranſierunt omnes pariter in deſertum verſus plagam Aquilonarem, magnam occupantes regionem, in qua tuti eſſe poſſent, nec Regem ſuum timerent, negato etiam illi tributo.*

Paucis tranſactis annis, Tartari omnium conſenſu eligunt ex ſe ipſis virum probum & ſapientem, Regem, Cinchis nomine anno ſcilicet Domini MDLXXXVII. cui coronam imponentes, & omnes circumquaque qui de gente illa erant, concurrentes, voluntario animo illi obedientiam & ſubiectionem pollicentur. Ille igitur vt erat vir prudens, ſubiectos optimè gubernabat: atque breui tempore octo prouincias cepit, neminem ſinebat occidi, aut rebus ſuis ſpoliari, qui ſaltem imperio ſuo ſponte ſe ſubmittebat: atque ſecum ad alias proficiſcens ciuitates, illi operam ſuam libens impendebat. Hac itaque humanitate vſus, effecit vt mirum in modum ab omnibus amaretur. Itaque videns ſe in tanta ſublimari gloria & potentia, deſtinatis nuntiis ad Regem Vncham, cui quondam tributa pendebat, rogabat vt illi filiam ſuam in vxorem collocaret. Quod ille ægerrimè ferens, cum indignatione reſpondit: Malo filiam meam Vulcano conſecrare, quàm ſeruo meo dare in vxorem. Et eiectis Chinchis nuntiis, aiebat: Dicite Domino veſtro, Quia ad tantam creuiſti ſuperbiam, vt præſumas petere filiam Domini tui in vxorem, & ne potiaris voto tuo, faciam eam amara interire morte.

Audiens verò Rex Chinchis moleſtam Regis Vncham reſponſionem, congregato magno exercitu, profectus eſt hoſtili animo, contra Regem Vncham, caſtráque poſuit in planitie quadam magna Tanduc nomine, & mittens ad Regem, denuntiat illi vt ſe defenderet. At ille veniens cum maximo exercitu, deſcendit ad Campeſtria, & caſtra ſua poſuit iuxta caſtra Tartarorum. Tunc Chinchis Tartarorum Rex præcepit incantatoribus & aſtrologis ſuis, vt illi indicarent, qualem euentum prælium futurum eſſet habiturum. Tunc aſtrologi ſcindentes arundinem per longum in duas partes, poſuerunt diuiſiones ipſas in terram, vnámque vocarunt Chinchis, & alteram Vncham: dixerúnque Regi: Interim quo nos inuocationes legerimus deorum, nutu ipſorum fiet, vt hæ duæ partes arundinis ad inuicem pugnent. Et cuius pars ſuper alteram aſcenderit, ille rex victoriam in prælio obtinebit. Multitudine itaque ad ſpectaculum illud concurrente, cœperunt Aſtrologi murmurare precationes ſuas, & legere incantationes, & mox commotæ ſunt partes arundinis contra ſe pugnantes, donec tandem pars Chinchis aſcenderet ſuper partem Vncham. Quo viſo Tartari de futura certiores facti victoria, confortati ſunt. Tertia igitur die prælium commiſſum eſt, & multis vtrinque cadentibus, victoria tandem penes Chinchin remanſit. Sicque factum eſt, vt Tartari regnum Vncham penitus ſibi ſubiugarint. Regnauit autem Chinchis poſt mortem Vncham, ſex annis, in quibus multas acquiſiuit prouincias. Hactenus M. Paulus.

Idem Paulus lib. 2. cap. 30. agens de Prouincia Tainfu, & vrbe Pianfu Orientali verſus Cathayum, rem memorabilem de Preſbytero Ioanne narrat in hunc modum: *Ab vrbe Pianfu duæ ſunt dietæ ad caſtrum quoddam elegantiſſimum, Chincui nomine, quod quidam Darius nomine extruxit, hoſtis magni illius Regis, quem Preſbyterum Ioannem vocant. Eſt caſtrum illud adeò arte & natura munitum, vt præſos eius Darius neminem metueret, etiam potentiſſimum Regem. De quo plurimùm circumiacentium prouinciarum præſides dolebant, vt hominem illum nemo vnquam ſuperare potuerit. Porrò habuit Preſbyter Ioannes in aula ſua ſeptem iuuenes præfracti animi, qui iureiurando promiſerunt illi ſe Darium regem tradituros in manus illius. Qui viciſſim illis multa bona pollicetur, ſi effectu id compleuerint. Illi igitur abeuntes ad curiam Darij veniunt, obſequiiſque illius ſe offerunt, diſſimulata mentis malitia. Qui eorum minimè timens, aut obſeruans calliditatem & verſutum animum, vt fideles miniſtros ſuo mancipauit obſequio. Factum autem eſt, vt illi per totum biennium id efficere nequiuerint, quod iam diu animo conceperant. Rex verò illis per omnia, vt iam biennio probatis miniſtris confidens, animi recreandi gratia, cum illis, & aliis paucis militibus quodam tempore extra caſtrum per milliare vnum equitauit. Tunc proditores illi horam adeſſe putantes, qua excogitatam malitiam publicarent, euaginatis ſuper eum gladiis, captum duxerunt ad Preſbyterum Ioannem, ſponſioni ſuæ ſatisfacturi. Qui mirum in modum lætus effectus, deputauit eum ad cuſtodiam animalium, optiméque cuſtodiri iuſſit. Et elapſo biennio, quo cum paſtoribus rex captus vixerat, iuſſit eum Preſbyter Ioannes coram ſe regio apparatu decoratum adduci, & alloquens dixit: Experimento nimirum nũc dediciſti, quàm nihili fuerit potentia tua, quando te in tuo regno capi feci, & per duos annos cum pecoribus deputaui: poſſem iam te ſi vellem, occidere, nullus mortalium te eripere poſſet è manibus meis. Cui ille reſpondens ait: Verum ais: eſt*

ita

ita. Tum Rex Ioannes : Quia te adeò humiliasti, vt te nihil esse duxeris respectu mei, en volo te deinceps agnoscere pro amico : & pro victoria abundè satis mihi est, quòd potuissem, si voluissem te occidere. Traditisque illi equis, & deputatis ministris, cum honore fecit eum reduci ad castrum suum. Et ille quoad vixit, Presbytero Ioanni honorem exhibuit, & iussis quibusque obediuit. Vide eundem M. Paulum lib. 1. cap. 64. cuius verba descripsimus suprà cap. 9. qui etiam lib. 2. cap. 52. meminit Regni Presbyteri Ioannis.

Abraham Zacuthi Salmanticensis in Chronico Ismaëlitarum quod Iosephus Scaliger edidit, hæc habet : *Anno Ægiræ DXCIX.* qui est Christi MCC II. *iniuit Regnum Tartarorum, qui vocantur Magul, quorum sedes regia fuit Capha. Principium hoc fuit : Quidam Rex magnorum Tartarorum Christianus, nomine Ioannes Vnad Chan multum dilexit collactaneum suum, quendam Tartarum nomine Temuchin : quem proceres inuidia stimulati apud Regem proditionis detulerunt. Rex fide illis adhibita iussit, vt nocte quadam, quam illis condixit, incautum & incogitantem opprimerent. Re per duos ministros cognita, Temuchin collecta manu amicorum, eadem nocte omnes, qui ad cædem eius destinati erant, interfecit, & populum ad defectionem hortatus est. Quod eo libentius fecerunt, quòd eos Eremita quidam, abreptitium simulans, ad id iam proclinatos impulit. Qui iugo Vnadi excusso, Regnum Temuchino vltro detulerunt : in cuius quatuor liberos regnum Magul diuisum est.* Hactenus Chronicon. Quem Marcus Paulus Vncham appellat, Zachuti Vnad vocat, Presbyterum Ioannem.

Hieronymus Osorius lib. 9. de rebus Emanuelis : *Rex* Lusitaniæ *Ioannes Secundus ardebat cupiditate incredibili Indicæ regionis penitus explorandæ. Cùm verò accepisset, esse quendam Christianum Imperatorem, mira Sanctimonia præditum, qui Indias imperio contineret, eúmque Presbyterum Ioannem appellari, & cerneret sæpenumero Sacerdotes Christianos Æthiopas, qui Romam venerant, & Galliam, Hispaniámque peragrabant, suspicari cœpit, eos ex ea Indiæ parte profectos esse, in qua Presbyter ille Ioannes (summum enim Sacerdotium cum Imperij Regij maiestate obtinere dicebatur) regnum possideret. Ipsique Sacerdotes cùm interrogarentur, an Rex illorum Sacerdotio summo præditus esset, & an Ioannes Presbyter appellaretur, & an illorum patria terminis Indiæ contineretur ; haud abnuebant. Putabant enim, si ea suspicio penitus in Christianorum animis insedisset, fore vt ipsi multo humanius à nostris exciperentur. Nemo tunc erat iis litteris præditus, vt quantum inter vtramque regionem interesset, distinguere posset.*

Ioannes igitur cùm de hoc Presbytero Ioanne multa percepisset, existimauit sibi vel ad nominis decus, vel ad religionis fructum, vel ad Indiæ peruestigandæ facilitatem, nihil optatius cadere posse, quàm cum hoc Christiano Principe fœdere coniungi. Idcirco variis temporibus homines Arabicæ linguæ peritissimos magnis præmiis inuitauit, vt eas regiones perlustrarent. Inter hos extitit quidam nomine Alfonsus Paiua, & alter cui nomen erat Ioannes Petreius. Hi profecti è Lusitania anno Salutis MCCCCLXXXVI. Ægyptum mercatorum habitu peragrarunt : atque inde Adenam peruenerunt. Ibi cùm intellexissent, in ea Æthiopiæ parte quæ sub Ægypto est, esse summum quendam Principem Christianum, cuius Imperium esset latissimum, & cui multi Principes obtemperarent, suspicati sunt, illum eundem esse, cuius cognoscendi gratia missi à Ioanne fuerant. Sed eos Indiæ nomen interturbabat. Missi namque fuerant, vt Christianum Indiæ Imperatorem, nomine Presbyterum Ioannem conuenirent. At neque Imperium, neque nomen, neque Sacerdotij dignitas in Æthiopiæ Regem conueniebat. Cùm igitur inter se quid optimum esset, deliberarent, visum est vt Ioannes Petreius in Indiam nauigaret, & videret, num qua mentio in oris illis Presbyteri Ioannis existeret. Atverum fuerat, Christianum quendam Principem, nominis eiusdem, secta Nestorianum, in mediterraneis Indiæ locis amplissimum Imperium tenuisse : qui tamen fuerat Scytharum armis oppressus, & regnum illius occupatum, cuius iam nomen erat obliuione sepultum. Christiani tamen non pauci in locis illis resederant, Nestorij tabe contaminati. Hæc Orosius : eadem alij Lusitanici rerum Indicarum recentiores Scriptores. Sed & Franciscus Aluarez in præf. Hist. Æthiopicæ pleniùs de eisdem differit, vt etiam Nicolaus Godinus lib. 1. de Abassinorum rebus, cap. 5.

Abrahamus Ortelius in Tabula Tartariæ, hæc annotauit : *Argon Christianorum olim regnum nomine Presbyteri Ioannis in Asia erat, à Diuo Thoma ibi institutum, vt Romanæ corresponderet Ecclesiæ, per Presbyterum Ioannem Africanum Romæ obediens : & ante quam à Gothanis vinceretur, Criue Romoue nuncupabatur.* Quæ nescio vnde hauserit : nam nobis vehementer suspectum illud, *Per Presbyterum Ioannem Africanum Romæ obediens.* Ioannes Barrus in 3. Asiæ Decade, lib. 4. cap. 1. scribit Imperatorem Christiani regni Cathay in Oriente, esse ipsum Presbyterum Ioannem. Agunt quoque de Presbytero Ioanne Hermannus Schedelius in Chronicis Mundi, folio 197. pag. 2. Ioannes Nauclerus Generatione 38. Gilbertus Genebrardus lib. 2. Chronographiæ pag. 212. & lib. 4. pag. 597. 620. 629. & alij.

Africa.

CAP. XII.

SAnctus Augustinus lib. de Vnitate Ecclesiæ, cap. 15. *Nonnullæ etiam barbaræ nationes post Africam crediderunt : vnde certum sit, Africam in ordine credendi non esse nouissimam.* S. Simonem Chananæum Apostolum in Africa prædicasse Euangelium, Dorotheus in Synopsi ita testatur : *Simon Zelotes peragrata Mauritana, & Afrorum regione, Christum prædicauit.* Et Nicephorus lib. 2. Histor. Eccles. cap. 40. *Accepto enim is cælitus adueniente Sancto Spiritu, Ægyptum, Cirenem, & Africam, deinde Mauritaniam, & Libyam omnem, Euangelium deprædicans percurrit.*

S. Petrum Apostolum in Africa quoque Euangelium disseminasse Simeon Metaphrastes scribit in Commentario de Certaminibus & Peregrinationibus SS. Apostolorum Petri & Pauli, 29. Iunij S. Innocentius Pontifex I. ad Decentium epist. auctor est, à S. Petro Roma missos in Africam, qui terras illas Christianismo imbuerent.

Viuente S. Cypriano Carthagine habitum est Concilium LXXXVII. Episcoporum ex prouinciis Africa, Numidia, & Mauritania : quod extat tomo 2. operum S. Cypriani, ad finem.

Tempore Constantini Magni Christianam religionem latè per diuersas Africæ prouincias propagatam, idem Constantinus Augustus, ad Cæcilianum Episcopum Carthaginensem scribens, apud Eusebium lib. 10. Hist. Eccles. cap. 6. in hunc modum

modum profitetur : *Quoniam visum est nobis per omnes Prouincias Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ, certis quibusdam legitimæ & sanctissimæ religionis Catholicæ ministris in sumptus communes aliquid suppeditare, litteras ad Vrsum virum nobilissimum Quæstorem nostrum in Africa dedi, & ei significaui, vt tria millia pholles tuæ gravitati numeranda curaret.*

Ætate S. Augustini, Honorio & Theodosio Imperatoribus, fuisse in Africa, quod sciri posset, quadringentas & sexaginta sex Episcopales sedes, Orthodoxas : & centum quinquaginta nouem Donatistarum, ex S. Augustino manifestè cognosci potest in Breuiculo Collationis Diei., 1. cap. 14. Penetrasse nomen cultúmque Christianum ad interiora Africæ deserta tempore S. Leonis I. Rom. Pontif. S. Victor Vticensis Episcopus lib. 1. de Persecutione Vvandalica auctor est : vbi agens de Catholicis à Geiserino Vuandalorum rege Ariano, rerum in Africa potiente, & orthodoxos dirè persequente, relegatis, hæc scribit : *Decernit statim Rex, cuidam gentili Regi Maurorum, cui nomen erat Capsur, relegandos debere transmitti. Peruenientes autem, traduntur memorato Regi Maurorum, commanenti in parte eremi, quæ dicitur Caprapicti. Videntes igitur Christi discipuli multa apud Gentiles, & illicita sacrificiorum sacrilegia, cœperunt prædicatione & conuersatione sua ad cognitionem Domini Dei nostri Barbaros inuitare : & tali modo ingentem multitudinem gentilium Barbarorum Christo domino lucrati sunt : vbi anteà nulla fama Christiani nominis fuerat diuulgata. Tunc deinde cogitatur, quid fieret vt ager iam cultus, & egraminatus vomere prædicationis, Euangelicum susciperet semen, & imbre sacri baptismatis rigaretur. Mittunt legatos per itinera distenta deserti : peruenitur tandem ad ciuitatem Romanam : rogatur Episcopus vt presbyterum & ministros credenti populo destinaret. Explet cum gaudio quod petebatur Pontifex, Dei constituitur Ecclesia, baptizatur multitudo maxima Barbarorum: & de lupis grex fœcundus multiplicatur agnorum.*

Quam frequens, florénsque olim fuerit Christianismus in Africa, facilè intelligi potest, cùm ex tribus illis aureis libellis S. Victoris de Persecutione Vvandalica sub Geiserico & Hunnerico Regibus : tum ex ipsis Africanis variis Conciliis quæ edita extant, in quibus plurimi Episcopi ex ea orbis parte subscripti visuntur.

Paulus Diaconus in Miscella lib. 15. cap. 8. inquit: *Eodem tempore Trasamundus, qui fratri Honorio* (Honnerico) *apud Africam in Vandalorum regnum successerat, fratris, vel patris Genserici secutus perfidiam, clausis Catholicorum Ecclesiis, ducentos viginti Episcopos exilio relegauit : quibus beatus Papa Symmachus, quotidiana subsidia ministrare non destitit.* Anastasius Bibliothecarius in Symmacho : *Hic omni anno per Africam, vel Sardiniam ad Episcopos, qui in exilio erant retrusi, pecuniam, & vestes ministrabat.*

S. Beda in Chronico, in Anastasio Imperatore : *Thrasamundus Vandalorum Rex Catholicas Ecclesias clausit, & CCXX. Episcopos exilio in Sardiniam misit. Symmachus Papa omni anno per Africam, vel Sardiniam Episcopis qui in exilio erant, pecunias & vestes ministrabat.* Eadem habent S. Ado Episcopus Viennensis in Chronico, anno Christi 492. Hermannus Contractus in Chronico anno 494. Marianus Scotus in Chronico, anno 499. Sigebertus in Chronico, an. 498.

Et de Hunerico Trasamundi fratre, in regno-

que Vvandalico Africæ antecessore S. Beda in Chronico, in Zenone Imperatore : *Honoricus Rex Vandalorum Arianus in Africa exultatis, disfugatisque plusquam CCCXXXIV. Episcopis Catholicis, Ecclesias eorum clausit, &c.* Eadem S. Ado in Chronico, anno 475. Hermannus Contractus in Chronico, anno 484. Marianus Scotus in Chronico, anno 485. Sigebertus in Chronico, anno 483. vbi nisi mendum insit in numero, Episcopos tunc in exilium pulsos fuisse ait, CCCCXLIIII.

De Blemyis & Nobatis gentibus in Africa infrà Ægyptum, tempore Iustiniani Primi ad fidem adductis Procopius lib. 1. Persici Belli cap. 15. hæc prodit : *Insuper ab eodem Imperatore* (scilicet Diocletiano) *vterque populus certum auri pondus habuêre, vt Romanos fines non ampliùs prædarentur: quod vsque ad mea tempora seruatum : quanquam nihilo propterea minùs ea loca excurrunt. Sic profectò nullo delinimento, aut ratione Barbaros omnes retinere licet, quin in fide Romanis, aut in officio, nisi tantùm timore coërcentium militum persistant. Nec profuit eidem Imperatori in optima eos terra apud Nilum collocasse, vt firmiores, fidelioréque essent, templa hæc & altaria Romanis, ac illis communia constituisse, amborum quoque. Sacerdotes addidisse, quòd sperarer Sacrorum commercio eorum perpetua frui amicitia : ex quo oppidum in ea parte Philas ex argumento appellauit. Hæc námque gentes & Blemyes & Nobatæ, cùm alios Deos vti Græci, tum Isim & Osyrim magnopere colunt, nec minùs etiam Priapum. Blenuyes etiam humana hostia Soli sacrificare consueuerunt : qui mos barbarus vsque ad hoc tempus seruatus, iussu piissimi Principis Iustiniani sublatus est. Narses igitur genere Persamenius, cuius supra vt ad Romanos transfugæ memini, illorum militum dux, eiusdem Imperatoris mandato, & templa deleuit, & sacerdotes in custodia vinxit, statuásque illorum Constantinopolim misit.* Hæc Procopius.

De Blemyis Strabo lib. 17. sub initium : *Quæ infra Meroem sunt, secus Nilum ex vtraque eius parte mare Rubrum versus, Megabari, & Blemmyes habitant Æthiopum subditi, Ægyptiis finitimi.* Et post multa : *Austrum versus Troglodita, & Blemmyes, & Nubæ, & Megabari erant.*

Pomponius Mela lib. 1. cap. 4. *Intra* (Africam) *si credere libet, vix iam homines, magísque semiferi Ægypanes, & Blemmyæ, & Gamphasanter, & Satyri sine tectis passim, ac sedibus vagi, habent potius terras, quàm habitant.* Et cap. 8. *Blemmyis capita absunt, vultus in pectore.*

Plinius lib. 5. cap. 8. *Athlantas, iuxta eos, Ægipanas semiferos, & Blemmyas, & Gamphasantas, & Satyros, & Himantopodas. Blemmyis traduntur capita abesse, ore & oculis pectore affixis.* Solinus cap. 34. *Blemmyas credunt truncos nasci parte qua caput est: os tamen & oculos habere in pectore.*

Dionysius Afer in Periesi :

Nec longè feruent Blemyorum collibus agri.

Ptolemæus lib. 4. cap. 8. *Molybæ, & Megabradi, & Nubæ. Posteà sub Molibis Blemmyes.*

Claudius Mamertinus in Genethliaco Maximiani Augusti : *Sed etiam Blemyes illi, vt audio, leuibus modò assueti sagittis, aduersus Æthiopes quarum quæ non habent arma, & penè nudis odys prælia interneciua committunt.*

Flauius Vopiscus Aureliani Imperatoris triumphum describens, inquit : *Prater captiuos gentium Barbararum, Blemmyes, Axomitæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, Iberi, Saraceni, Persæ, cum*

ſuis quique muneribus : Gothi , Alani , Roxolani, Sarmatæ , Franci , Sueui , Vandali , Germani , religatis manibus captiui præceſſerunt. Idem Vopiſcus de Probo Imperatore : *Blemyas etiam ſubegit , quorum captiuos Romam tranſmiſit , qui mirabilem ſui viſum , ſtupente populo Romano , præbuerunt.* Et poſteà : *Triumphauit de Germanis & Blemyis.* Deinde ſubdit : *Edita præterea gladiatorum paria trecenta, Blemyis pleriſque pugnantibus , qui per triumphum erant ducti.* Zozimus Comes libro 1. extremo : *Blemmyas Probus opera ducum ſuorum ad deditionem compulit.*

Heliodorus lib. 9. Æthiopicorum , multa de Blemmyis perſcribit , eos mirè bellicoſos depingens , cùm bellum Hydaſpis Æthiopum Regis cum Oroondate Perſico , Satrapa Ægypti enarrat.

Euſebius lib. 4. de Vita Conſtantini , cap. 7. agens de diuerſorum Barbarorum legationibus cum muneribus ad Conſtantinum Magnum, inter alia inquit : *Nam Blemmyum & Indorum legati, Aethiopúmque ſimul , quorum iacet extima tellus, in iſta hominum ſerie conſpiciebantur.* Meminit Blemmyum quoque Ammianus Marcellinus lib. 14. cap. 10. & S. Epiphanius in Anchorato , quorum regionem Blemeniam vocat ; & Olympiodorus in Excerptis apud Photium , numero interioris marginis , 112. At Euagrius lib. 1. cap. 7. & Nicephorus lib. 14. cap. 36. ſunt auctores , Neſtorium Hæreſiarcham à Blemmyis captiuum abductum , poſteà dimiſſum.

Seuerus Sulpitius dial. 1. de Vita S. Martini, cap. 15. *Adoleſcens quidam ex Aſia prædiues opibus, genere clarus , habens vxorem & filium paruulum, cùm in Ægypto Tribunus eſſet , & frequentibus aduerſus Blembos expeditionibus , quædam eremi contigiſſet , Sanctorum etiam tabernacula complura vidiſſet , à beato viro Ioanne verbum ſalutis accepit.* Blemmios haud dubiè legendum.

Iornandes de Regnorum Succeſſionibus , c. 99. *Marcianus Imperator Attilæ minas compeſcuit , Nobades , Blemmyéſque Aethiopia prolapſos per Florum Alexandrinæ vrbis procuratorem ſedauit , & pepulit à finibus Romanorum.*

Rom. Martyrologium 14 Ianuarij : *In Aegypto, in Raithi regione , Sanctorum Quadraginta trium Monachorum , qui pro Chriſtiana religione à Blemmyis occiſi ſunt.* Et Græcorum Menologium : *Eodem die Natalis Sanctorum Patrum Quadraginta trium in Raitho iugulatorum à Blemmyis in Mari Rubro.* Agit de eiſdem Nicephorus lib. 14. cap. 54. Palladius Epiſcopus Helenopolitanus in dialogo de Vita S. Ioannis Chryſoſtomi, agens de Epiſcopis cauſa S. Chryſoſtomi in exilium pulſis , ait: *Palladium Blemmyorum, ſiue Aethiopum Epiſcopum ſeruari prope locum , qui Syene vocatur.*

Auctor Sermonum ad Fratres in Eremo , qui falsò nomen S. Auguſtini fert , ſermone 37. hæc habet : *Ecce ego iam Epiſcopus Hipponenſis eram: & cum quibuſdam ſeruis Chriſti ad Aethiopiam perrexi, vt eis Sanctum Chriſti Euangelium prædicarem: & vidimus ibi multos homines ac mulieres capita non habentes , ſed oculos groſſos fixos in pectore : cetera membra æqualia nobis habentes : inter quos Sacerdotes eorum vidimus vxoratos , tanta tamen abſtinentia erant , quod licet vxores Sacerdotes omnes haberent, nunquam tamen niſi ſemel in anno , eas tangere volebant : qua die ab omni ſacrificio abſtinebant.* Hæc ibi. Sed fabuloſiſſimum eſt Blemmyis abeſſe capita : fortaſſe illis erant deformia , vt mirabilem ſui viſum ſpectantibus præberent , vti ait Vopiſcus.

S. Iſidorus lib. 11. Originum , cap. 3. *Lemmias in Libya credunt truncos ſine capite naſci , & os , & oculos habere in pectore.* Sed non dubium quin legendum , *Blemmyas.*

Quos verò Nobatas Procopius dixit , fortaſſe ſint Nubæ , vel Nubij , ſeu Nubiani , quos olim fuiſſe Chriſtianos tradunt. Abraham Ortelius in Tabula Imperij Abyſſinorum , de Regno Nubiæ in Africa hæc annotat : *Nubia regnum olim Chriſtianum. Hodie verò nullam ferè religionem colunt.* De his Haithonus cap. 58. Romanum Pontificem alloquens : *Aliud , quod SS. Paternitas veſtra dignaretur etiam ſcribere Regi Nubianorum , qui per B. Thomam Apoſtolum ad fidem Chriſti in Aethiopia ſunt conuerſi , mandantes quòd Soldano Aegypti guerram mouere debeant , & poſſe ſuum impediant & infeſtent. Credo etiam firmiter quòd illi Nubiani ob amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti , & ob reuerentiam V. S. terram Aegyptij Soldani inuadere conabuntur.* De Regno Nubianorum agit Reinerius Reineccius in Appendice ad Haithonum , & in Hiſtoria Iulia in Regno Æthiopico , Liuius Sannutus 1. part. Geographiæ , lib. 7. fol. 86. pag. 1. inquit : *Sunt in iſto Nubiæ regno pluſquam centum & quinquaginta Eccleſiæ : in quibus adhuc parietibus viſuntur depictæ imagines Chriſti crucifixi , & Dei genitricis , atque aliorum Sanctorum , antiqui operis. Incolæ nec ſunt Chriſtiani , nec Turci , nec Mauri , nec Iudæi : ferunt tamen olim fuiſſe Chriſtianos : miniſtrorúmque peruerſitate in eis fidem exoleuiſſe Chriſtianam : manſerúntque ferè ſine vlla religione : tametſi deſiderant etiamnum Chriſtianam amplecti religionem. Cuius rei manifeſtum illud eſt argumentum , quòd , vt traditur , ante aliquot annos miſerunt legatos ad Abyſſinorum Imperatorem , vt ad eos ſacerdotes & monachos mitteret , qui eos fidem docerent : ſed non obtinuerunt. Omnes Nubiæ Eccleſiæ ſunt in modum munitionum extructæ , antiquæ ſanè ac vetuſtæ : & quot artes & munitiones in Prouincia reperiuntur , tot intus Eccleſias habent.* Hæc Sannutus. Franciſcus Aluarez in Hiſtoria Æthiopica, cap. 30. *Hi Nubij non ſunt Mahometani , neque Iudæi , neque Chriſtiani : aiunt quondam fuiſſe Chriſtianos , ac poſteà à Fide defeciſſe : in qua infidelitate nunc manent. Ferunt quoque apud eos plurimùm auri puri & defacati prouenire.* Deſcribit fuſiùs ibidem Nubiæ Regnum. Vide Bonauenturam Vuleaniũ peculiari diſſertatione de Nubianis erroribus.

Regnum Congi in Africa ad Athlanticum Oceanum , ſub Ioanne II. Luſitaniæ Rege ad fidem Chriſti perductum , per Religioſos potiſſimum Ordinis Prædicatorum anno Domini 1484. fusè narrant Ioannes Barrus in 1. Decade Aſiæ, lib. 3. cap. 3. Hieronymus Oſorius lib. 3. Rerum Emanuëlis , Ioannes Maffæius lib. 1. Rerum Indic. & Philippus Pigaffeta peculiari libello de Regno Congenſi , 2. cap. 2.

De Chriſtiano Imperio Abyſſinorum Æthiopum.

CAP. XIII.

ÆThiopes interiores , ſeu Abyſſinos Chriſti Euangelium accepiſſe ab Eunucho illo Candaces Reginæ Æthiopum quem Philippus Diaconus baptiſauit, Actor. 8. 26. magni auctores prodidêre. S. Ireneus lib. 3. aduerſus Hæreſes, cap.

cap.12. *Ipſe Eunuchus credens, & ſtatim poſtulans baptiſari, dicebat: Credo Filium Dei eſſe Ieſum. Qui & miſſus eſt in regiones Æthiopiæ, prædicaturus hoc quod ipſe crediderat.* Et lib.4. cap.40. *Aduentum ignorabat Filij Dei: quem cùm breuiter cognouiſſet, agebat iter gaudens, præco futurus in Aethiopia Chriſti aduentus.*

Euſebius lib.2. Hiſt. Eccleſ. cap. 1. *Verùm vbi ſalutaris Verbi prædicatio in dies ſingulos magnopere creuit, Præfectus quidam Reginæ quæ Aethiopum potiebatur Imperio, (adhuc enim vt patrius mos fert, gens illa à muliere gubernatur) diuina prouidentia ex illa regione Ieroſolymam vſque deductus eſt, Deum ibi piè, ſanctéque veneraturus. Quem primùm ex Gentibus à Philippo, per Angeli viſionem admonito, myſteriis verbi diuini initiatum, & tanquam primitias fidelium per orbem diffuſorum factum, conſtans fama eſt, poſt reditum in patriam, primùm cognitionem Dei, rerum vniuerſarum parentis; atque adeò vnum & ſalutarem Seruatoris noſtri in humanum genus ingreſſum palam prædicaſſe. Per quem prædictio prophetica, quæ iſtas voces complectitur: Aethiopia præueniet manus eius Deo, re ipſa impleta eſt.* Eadem totidem ferè verbis exſcripſit Nicephorus lib.2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 6.

S. Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi 17. *Philippus ab Angelo Domini vocatus in itinere, propter illum pientiſſimum Eunuchum Aethiopem, & ab ipſo etiam Spiritu admonitus, acceſſit, & adiunxit ſe currui illius, docuitque Aethiopem, & baptiſauit: atque in Aethiopiam vſque præconem miſit, ſicut ſcriptum eſt, Aethiopia præueniet manus eius Deo.*

S. Hieronymus in 53. Iſaïæ, enarrans illud, *Sicut ouis ad occiſionem ducetur*, inquit: *Hoc teſtimonium, cùm in Actibus Apoſtolorum Reginæ Candaces Eunuchus rheda veheretur, & legens, non intelligeret, interpretante Philippo ſuper paſſione & nomine Saluatoris intellexit, & ſtatim baptizatus in agni ſanguine quem legebat, vir meruit appellari: & Apoſtolus genti Aethiopum miſſus eſt.*

De prædicatione S. Philippi Apoſtoli in Æthiopia, hæc affirmauit Zago Zabo Epiſcopus Æthiops in Profeſſione ſuæ fidei, interprete Damiano Goës: *Id quoque diſſimulanter prætereundum non eſt, apud nos D. Philippum Apoſtolum Euangelium, & fidem Seruatoris noſtri prædicaſſe.* Vide S. Bedam in Retractationibus in Acta Apoſtolorum, cap. 1.

Atqui de Chriſtiano Abyſſinorum Imperio, quemadmodum ab ipſo Apoſtolorum tempore Chriſtiana religio in Æthiopia fundata fuerit: deinceps que per multa ſæcula ad hanc vſque noſtram ætatem propagata & conſeruata fuerit, multi recentiores qui de Abyſſinorum Imperio, moribus, religione ex profeſſo ſcripſerunt, accuratè narrant, vti Franciſcus Aluarezius peculiari lib. Hiſt. Æthiopicæ, Paulus Iouius lib. 18. Hiſtoriarum, Sebaſtianus Munſterus lib. 6. Coſmographiæ ad finem, M. Antonius Sabellicus Enneade 10. lib. 8. Damianus Goës peculiari libro de Fide, Religione & Moribus Æthiopum, Marianus Victorius lib. de Regibus Æthiopum, Hieronymus Oſorius lib. 9. de Rebus Emanuelis, Ioannes Maffeius Rer. Indic. lib. 1. 8. 11. 16. Ioanes Guilielmus Stukius in Scholiis ad Periplum Maris Erythræi Arriani, pag. 15. & ſeqq. Abraham Ortelius in Orbis Theatro in Tabula Abyſſinorum Imperij, Gerardus Mercator in Athlante Maiore, pag. 321. quæ eſt Imperij Abyſſinorum Tabula, Nicolaus Gadignus lib. 1. de Abaſſinorum rebus cap. 18.

Nec dubito de regno iſto Æthiopum Abyſſinorum intellexiſſe Marcum Paulum, cùm lib. 3. Regionum Orientalium, cap. 43. & 44. iſta perſcribit: *Abaſia eſt regio maxima in ſeptem diuiſa regna, quibus ſingulis ſinguli præſunt Reges. Et hi omnes ſunt Chriſtiani, præter tres Saracenos. Chriſtiani crucem auream in fronte geſtant, quod eis in baptiſmo imprimitur. Saraceni verò habent ſignum à fronte vſque ad medium naſi. Sunt etiam illic multi Iudæi, qui ignito ferro in vtraque maxilla ſignati ſunt. Contingit hanc regionem alia quædam Prouincia, Aden dicta, in qua B. Thomas Chriſti fidem docuiſſe dicitur, & multos ad eam conuertiſſe. Anno à Chriſto nato MCCLVIII. Rex vnus, qui & principalior erat in Regnis Abaſſiæ, deuotione motus voluit Ieroſolymam viſitare, atque ſepulchrum Domini. Et cùm id conciliariis atque aulicis ſuis indicaſſet, illi omnino diſſuadent propoſitum arripere iter, ſcientes plurima in itinere eſſe diſcrimina: præſertim cùm illi per multas Saracenorum terras ambulandum eſſet: ſed vt Epiſcopum aliquem ſuo loco mitteret, conſulunt, qui adeundo terram Sanctam munus perferret in Ieruſalem. Acquieſcit Rex ſano concilio, mittitque Epiſcopum cum regia oblatione.*

Veniens autem Epiſcopus in regionem Aden, quam Saraceni inhabitabant, & Chriſtianos implacabili perſequebantur odio, comprehenſus à Saracenis, ad Regem Aden adducitur. Rex verò quum ex eo didiciſſet, quòd nuntius eſſet Regis Abaſſiæ, miſſus ad terram Sanctam, minis nititur cogere hominem, vt abnegato Chriſti nomine, Mahumeti ſuſcipiat legem. Epiſcopus verò conſtanti animo in Chriſti perſeuerans fide, reſpondit ſe potiùs mortem ſubiturum, quàm deſerto Chriſto Mahometo nomen dare. Tunc Sultanus ille iubet Epiſcopum in iniuriam Chriſti, & deſpectum Regis Abaſiæ circumcidi, & circumciſum iterum mittit ad Regem Abaſiæ. Quo cognito Rex Abaſiæ, volens Chriſti vlciſci iniuriam, coacto in vnum magno exercitu, cum peditibus, equitibus, & elephantis caſtella geſtantibus mouet expeditionem contra Regem Aden. At Sultanus conuocatis duobus aliis regibus, cum valido exercitu properat in occurſum Regis Abaſiæ: commiſſóque prælio plurimi de exercitu Aden interficiuntur & euadit Rex Abaſiæ victor. Et intrans cum exercitu ſuo in interiora Regni Aden, cœpit deuaſtare regionem, & occidere Saracenos, qui conglobati illi reſiſtere conabantur: ſed incaſſum. Mauſitque per integrum menſem in regno illo, & illatis plurimis damnis, victor cum magno honore domum rediit, gaudens impij Sultani vltam perfidiam. Hactenus Polus.

Munſterus lib. 6. Coſmographiæ, pag. 1146. inquit: *Et quoniam hæc regio Æthiopiæ, cœpta fuit vocari India, factum inde putamus, vt quidam Pratojanum, quem alij vulgò Presbyterum Ioannem appellant, locauerint in Indiam Æthiopiæ, vbi etiam noſtro tempore imperare dicitur, vt infrà dicturi ſumus.* Et infrà pag. 1159. addit: *Non procul à Regno Melinde incipit Regnum potentiſſimi Regis Preto-Ioannis, quem alij vocant Preſto-Ioannem, alij Pretioſum Ioannem, & vulgares Presbyterum Ioannem: non quòd ſit Presbyter aut Sacerdos, cùm ſit Rex; ſed quia error eſt in nomine. Haud abſimilis error eſt, quando quidam in Tabulis ſedem eius collocant in Aſia: ignorantes duplicem eſſe Indiam, Aſianam, & Aethiopicam.* Hæc ille. Sed potiùs Munſteri error eſt, qui neſciuit Presbyterum Ioannem in Aſia & Oriente olim regnaſſe, diuerſúmque omnino fuiſſe ab Abaſſinorum Æthiopum Imperatore: illúdque Aſiaticum Chriſtianum Imperium iam diu euerſum:

hoc verò Æthiopicum adhuc ſtare. Vide cap. 11.

Ioſephus Scaliger lib. 6. de Emendationibus Temporum, editionis Franco fordienſis, 1593. in annotationibus ad computum Æthiopicum pag. 338. in hunc modum ſcribit: *Chriſtianorum Æthiopum nomen nunc non primum ad nos peruenit. Eorum enim Eccleſiæ non ſolùm Ieroſolymis & Conſtantinopoli ſunt, ſed & Romæ & Venetiis ſacra ritu ſuo obire illis per aliquod tempus licuit. Luſitanorum quoque nauigationibus, & Franciſci Aluarez, itinerario libro, qui in Æthiopiam penetrauit, plura de illis, illorúmque ritibus cognoſcere licuit. Nam hactenus nomen tantùm Aethiopiæ audiebamus. Mirum verò Imperatoris Aethiopiæ nomen memoria proauorum noſtrorum priùs ex Aſia notum nobis, quàm ex ipſa Aethiopia. Nam ante hos trecentos annos Reges Aethiopes in Aſia, præſertim in Drangiana, finibus Suſianæ, in India, & Sinis latè imperarunt, donec Imperatores Tartarorum eos Imperio Aſiæ exuerunt. Nam Abyſſini victi, & ex Sinarum regione pulſi primùm à Cingi Tartarorum Rege, interfecto Vncham magno Aethiopum Imperatore. Deinde Cincan filius Cingis, & eius filius Bathin Can omnes Abyſſinos penitus ex Moin, & Sinarum regno expulit, & in Africam fugere compulit. Sanè non ſemel mirati ſumus gentem hodie nauticæ rei penitùs ignaram adeò terra, marique potentem fuiſſe, vt ab Aethiopia ad Sinas vſque Imperij fines propagarit. Ab illis temporibus eius Imperatoris notitia ad nos peruenit, ſed nomine Preſtegiani, quòd Perſica lingua, quæ in tota ferè Aſia hodie locum habet, vt in Occidente Latina, ſignificat Apoſtolicum. Quo nomine Chriſtianum regem & orthodoxum intelligi conſtat. Nam Perſicè* פרסתגאו *Preſtegan numero plurali Apoſtoli: gentilitium,* פרסתגאני *Preſtegani Apoſtolicus:* פרסתגאני פרשה *Padeſcha-Preſtegiani, Rex Apoſtolicus, hoc eſt Rex Chriſtianus: Arabicè* מלך רסולי *Melich Reſſuli: Æthiopicè* נגוש חזרזי *Neguſch Chauariauui.*

Magnum & latum ipſorum Æthiopum in Aſia fuiſſe Imperium, indicio ſunt Cruces Æthiopicæ, quæ in Giapan, Sina, & alibi viſuntur. Quin templum Thomæ Apoſtoli in Regione Maabar ſitum nihil niſi Æthiopicum habet, cruces, ſtructuram, & multa alia, &, quod mireris, nomen: nam neque Indicè, neque Perſicè, ſed Æthiopicè appellatur Hauariia, hoc eſt, Apoſtolus, hoc enim planè eſt חזרי *Chauariia. Vide Paulum Venetum lib. 3. cap. 27. Nam falſiſſimum quod ipſe Paulus Venetus ait, id virum Sanctum ſignificare. Addit idem Paulus, in Prouincia Tenduch reliquias Chriſtianorum, qui parent Preſtegiano, reſediſſe. Arabes vicini hodie eos vocant* חבש *Chabaſſi, & nos inde Abaſſenos, vel vt alij Abyſſinos: ipſi vocant ſe Chaldæos, neque fruſtra: lingua enim elegantiſſima, & vetuſtiſſima qua libros ſacros, & profanos conſcriptos habent, proximè abeſt à Chaldæa & Aſſyria. Præterea colonias multas ex Aſſyria in Aethiopiam tradu&as refert vetus Hiſtoria Eccleſiaſtica, & ex eadem Nicephorus lib. 9. cap. 18. & lingua Chaldaïca etiam temporibus Iuſtiniani eas vſas fuiſſe. Eos verò eadam Hiſtoria Eccleſiaſtica Axumitas vocat, à Regia nomine Axuma, cuius etiam meminit Ptolemæus. Ipſi verò, vt teſtis eſt Aluarez, vocant* חשובו *Chaſchumo.* Hucuſque Scaliger: in cuius diatriba ſunt plura vaniſſima: ſed pauca notabo.

Primùm perperàm vnum & idem facit Imperium Chriſtianum Æthiopicum & Aſiaticum Presbyteri Ioannis ſeu Preſtegiani: quod conſtat fuiſſe diuerſiſſimum. Deinde quo auctore confirmat Æthiopes Reges Abyſſinos Chriſtianos latè olim in Aſia, India, Sinis imperitaſſe? nam nec Friſingenſis Otto, nec Vincentius, nec Marcus Paulus, nec S. Antoninus, nec alij qui de Imperio Presbyteri Ioannis perſcripſerunt, quidquam eiuſmodi tradiderunt. Æthiopéſne Abyſſinos Chriſtianos per Orientem ad Sinas vſque Imperij fines propagaſſe? Videat Scaliger quibus id perſuadere poſſit: non certè nobis quibus vires, ingenium, & opes, indoléſque Abyſſinorum probè perſpecta ſunt. Argumenta Crucum Æthiopicarum, & nominis Hauariia, leuiſſima ſunt: nec ſi alia deſint, rem ſtabilient.

Hæc iam nobis ſcripta erant, (teſtis Deus) cùm incidimus in poſtremam editionem librorum de Emendationibus Temporum Scaligeri, Raphelengianam anni 1598. in qua, libro 7. pag. 637. eandem de Imperio Abyſſinorum diatribam diuerſa planè ſententia in hæc verba refingit: *Antè Luſitanorum in intimam Aethiopiam aduentum ſolùm nomen Aethiopum Chriſtianorum nobis vix notum erat: eorúmque Imperator falso nomine Preſtegiani: cùm id nomen eſſet, non eius qui in Aethiopia, ſed qui in Aſia ante annos CCC. longè latéque rerum potiebatur. Id autem eſt lingua Perſica Apoſtolicus: nam in ea lingua* פרסתגאו *Preſtegan ſunt Apoſtoli, &* פרסתגאני *Preſtegani, Apoſtolicus. Quod nomen propriè conuenit Summo Sacerdoti, aut ἀρχιερεῖ potiùs quàm Regi. Falsò igitur Preſtegiani (vel Prete-Ioannem, aut Preſbyterum Ioannem barbarè) vocarunt, qui ex Itinerario Poli Veneti hariolati ſunt eundem eſſe Regem Aſianum cum* נגוש *Neguſch, id eſt, Rege Aethiope: quòd vterque Chriſtianus eſſet. Conſtat certè ante CCC. annos quoſdam Aethiopes Reges in Aſia, præſertim in Drangiana, finibus Suſianæ, & in India latè imperaſſe: donec Imperatores Tartarorum eos tota Aſia depulerunt, victos priùs, vt aiunt, à Cingi Tartarorum Rege, interfecto Vncam eorum Imperatore. Deinde adiiciunt, à Cincano filio Cingis, & eius filio Bathino Cham omnes illos Athiopes penitus ex Moin & Sinarum regno eiectos, & in Africæ extima vſque compulſos. Nobis verò permirum videtur, gentem hodie nauticæ rei penitus ignaram adeo terra, marique potentem fuiſſe, vt ab Aethiopia ad Sinas vſque Imperij fines propagarit. Nunquam hoc qui Abyſſinorum mores, & vitam penitus cognita habuerit.*

Hi Arabicè dicuntur Elhabaſchi: vndè vulgò Abaſſi, & Abaſſeni (à noſtris Abyſſini) vocantur: quod eſt argumentum, eos non eſſe Aethiopas αὐτοχθόνας, ſed ex Arabia illuc tradu&os. Nam Αβασηνοὶ *collocantur in Arabia thurifera à vetere ſcriptore Vranio apud Stephanum. In Seueri autem Imperatoris Numiſmate ſculptum eſt,* Αβασήνων: *atqui Seuerus Imperator dictus eſt Arabicus, non autem Æthiopicus. Quare ſine dubio ex Arabia oriundi ſunt. Huc accedit lingua, qua ſacros libros ſcriptos habent, quæ à vera Æthiopica tantum diſtat, quantum Italia & Illyrica, Germanica & Hungarica. Hæc autem lingua, qua in ſacris vtuntur, elegantiſſima eſt, ſi modò cultura adhibetur. Vocatur autem* געז *Ghiani, id eſt, libertas, quòd nimirum illa ſola vterentur Arabes illi victores, qui Æthiopiam inſederunt. Aduentitiam fatentur Æthiopes ipſi, qui eam Chaldaïcam vocant. Tametſi enim propiùs abeſt ab Hebræa, quàm à Chaldaïca: tamen hoc argumento ipſimet fidem faciunt, non eſſe ibi natam, vbi nunc colitur: & ex ſolis libris, à Solis Sacerdotibus diſcitur. Ipſi ſanè Æthiopes dicuntur, & quidem y qui Hebræis Chuſchin:*

ſed

sed sunt meri Arabes Scenitæ. Adad Axumorum rex primus in Æthiopia, imperante Iustiniano, Christianissimum prædicari curauit. Et Historia Ecclesiastica Æthiopes Christianos Axumitas vocat, quibus Abaseni, vel Abyssini successerunt. Hæc Scaliger: qui semper mira confidentia & securitate, in rebus etiam nondum certò exploratis, tanquam è cortina loquitur.

Iam de nomine ipso Pretegiani, vel Presbyteri Ioannis, assentitur Scaligero Valentinus Schindlerus in Pentaglotto, in voce, סבא *Seba*: & Gerardus Mercator in Atlante in Tabula Tartariæ: sed quàm longè diuersa alij ab Scaligeri sententia tradiderunt! Zaga Zabo Episcopus Æthiops, & legatus Abyssinorum Imperatoris ad Ioannem III. Lusitaniæ regem, vt ex ore ipsius Damianus Goez audiuit & exscripsit hæc de nomine Imperatoris Abyssinorum differebat: *Quòd si libeat scisciari de agnomine nostri Imperatoris, is sibi persuasum habeat, illum perpetuò appellari Pretiosum Ioannem, & non Presbyterum Ioannem, vt hìc falsò passim iactatur. Sonat enim Æthiopico sermone* Ioannes Belul, *hoc est, Ioannes Pretiosus, siue Altus: & in Chaldaïca lingua*, Ioannes Encoe: *quod idem est ac Ioannes pretiosus siue Altus. Nec est nominandus, vt Matthæus falsò indicauit, Imperator Abessynorum, sed Æthiopum.* Hæc Zaga Zabo.

Paulus Iouius Historiarum lib.18. *Hic magnus Abissinorum & Æthiopum rex, qui à nostris corruptè dictus est Pretegiam, à suis Belulgiam appellatur: quod est vetus cognomentum vsurpatum à superioribus Regibus. Id nomen incomparabilis præstantiæ, immensique pretij gemmam significat. Proprio verò nomine qui hodie regnat, vocatur Dauid, peculiaréque habet cognomentum Atanadidinghel, quæ vox Thus Virginis exprimit.* Ioannes Bodinus in Methodo Historica, cap. 7. *Omitto Æthiopiæ Principem, qui à suis Iocham Bellus, id est, gemma pretiosa dicitur.*

Philippus Pigaffeta lib. 2. de Regno Congi, cap.10. de Abyssinorum Imperatore hæc annotat: *Vocatur Rex corrupto vocabulo Prette-Giani, quod ipsorum lingua restitutum, Bel-Gian sonat, nomine composito à Bel, quod ipsorum lingua Summum, perfectissimum, & omnium excellentissimum: & Gianni, quod Principem ac Dominum significat. Et cùm posterius cuique Principi, aut Regulo detur: compositum non nisi ipsi Regi omnium maximo & excellentissimo.*

Victor Palma in Additionibus ad Genebrardi Chronographiam, lib. 1. pag. 122. agens de nomine Preto-Ioannis, hæc obseruat: *Mirum est, cur vox hæc ita degenerarit, nam propriè significat Phonascon, quem Hebræi vocant Menatzeach, id est, Præfectum Cantorum: estque vox Hebræa (Æthiopica) Pretian-Perat. Perat significat Musicam.* Et lib. 2. pag. 212. addit: *Quidquid dicant omnes de Preto-Ioannis titulo, ita se habet: Pretian dicitur lingua Æthiopica, quod Hebræi sua dicunt Menatzeach, Præcentorem appellamus. Inde est ergo, cùm cultus diuinus etiam in Ecclesia Romana constet officio Chori, vt summus Æthiopum Pontifex dicatur Pretian, quia est Archiphonascus Officiorum. Interea est etiam rex temporalis ex gentis consuetudine.* Hæc ille. Certum est summum Æthiopum Pontificem Abunam dici, longéque diuersum ab Imperatore. Æthiopum Imperatorem dici Pretian Perat, id est Archiphonascum, delirium puto.

Abraham Ortelius in Tabula Abyssinorum Imperij, inquit: *Quem Europei Presbyterum Ioannem vocant, à Mauris Aticlabassi, à suis, hoc est, Abyssinis Aceque, & Neguz, hoc est Imperator & Rex cognominatur. Nam proprium nomen, vti apud nos à parentibus pro arbitrio eis inditur. Videntur etiam, quemadmodum nostris Romanis Pontificibus mos est, proprium nomen in suscipiendo Imperio commutare: nam ille qui nostra ætate cum Rege Lusitano amicitiæ fœdus iniit, Atanatingil vocabatur, quod nomen, cùm ad Imperium venerat, in Dauid permutauerat.* Eadem ferè habet Gerardus Mercator in Atlante in Tabula Abyssinorum Imperij.

Sed qui compertiori notitia post alios de his scripsit Nicolaus Godignus lib.1. de Abassinorum rebus, cap. 5. hæc tradit: *Abassinus Monarcha patria lingua* Acegus *dicitur, quod Imperatorem sonat:* & Negus *quod Regem significat, à suis sæpissimè nuncupatur. Dicendum nobis hoc loco est, cur à quibusdam Pretiosus Ioannes, ab aliis Preteiannes, seu Presbyter Ioannes communiter appelletur. Quòd alij Petrum Ioannem dixerunt, minùs abs re est, Preteiannem verò pro Presbytero Ioanne nominari, duabus dictionibus, facilioris pronunciationis causa, in vnam coeuntibus, haud est ambiguum. Vt autem Pretiosum Ioannem auctores quidam appellarent: causam Abassini dedere. Hi enim cùm primum in Europam venissent, & Imperatorem suum Presbyterum Ioannem vulgo apud nos vocari agnoscerent, speciosum titulum, quamuis errore, vt dicam, attributum, retinere cupientes multa & varia ex propria lingua quæsierunt vocabula, vnde illam Presbyteri Ioannis appellationem assererent deriuatam. Quidam ergo finxere Belulgian, alij Beldigian, voces alij alias, ex quibus Presbyteri Ioannis nomen irrepsisse affirmarunt. Ex his qui primi Belulgiani vocem in hæc loca induxere, vnus fuit Zagazabus ille, Æthiopici Imperatoris ad Ioannem III. Lusitaniæ Regem legatus: alter eodem tempore Petrus quidam Abassinus, qui Franciscum Aluarum Lusitanum Sacerdotem ad Clementem VII. ab eodem Imperatore missum, in Italiam est comitatus. Prior ille Damianum Goëz, hic posterior Paulum Iouium, vterque forsan sine dolo, in errorem induxit, dum à nobis pro Belulgiam, Presbyterum Ioannem dici affirmabant.*

Sed & vocem hanc Belulgial *aiebant ex duabus esse dictionibus compositam: quarum prima, quæ est* Belul, *Pretiosum, altera Ioannem significet: ac si nomine ipso vellent indicare, nihil in orbe esse Abassinorum Imperatore pretiosius. Quod nouus Auctor* (Ludouicus Vrreta) *scribit, Zaga Zabum non Belulgian voce duplici, sed vna tantùm Beldighiam dixisse. Damianum verò, quia Lusitanus erat, non percepisse Æthiopicam pronunciationem, nugæ sunt, cum cæteris reponendæ. Addit verò Beldighian dignitatis esse nomen, Pretiosum Dominum, siue inæstimabilis pretij gemmam denotans. Id volo pro comperto haberi, Presbyteri Ioannis nomen, neque à Belulgian, neque à Beldighiam, neque vt alij voluêre, à Naudgian, vel à simili alia Æthiopica voce esse deriuatum: sed Abassino Imperatori, cùm primùm à Lusitanis cœpit agnosci errore fuisse tributum. Nemo est qui ambigat, sicut olim Ægyptiorum Reges primum Pharaones, deinde Ptolemæi, Mauritanorum Seriphij, Persarum Xerxes quondam & Artaxerxes, nunc Sophi dicuntur; ita Presbyteri Ioannis nomen regiam quorundam Christianorum Principum à longo iam tempore denotare dignitatem: hos verò non apud*

Æthiopes, aut in vlla alia Africæ parte, sed in Asia imperasse, peritiores conueniunt. Quo tamen loco Imperium habuerit, non est omnino compertum. Et post alia:

Magnus Indiarum Presbyter Ioannes (sic enim antiquiores historici ipsum vocabant) Christianus erat, eorum de numero quos veneno suo Nestorius infecerat. In illis imperabat regionibus, quas ea continet Scythia, quam extra montem Imaum Ptolemæus constituit, a qua fortè nihil illæ Prouinciæ differunt, quas Paulus Venetus Tenduchum, Abrahamus Ortelius Argon, Haithonus Armenus Tarsem, vocabulis aliis appellarunt alij. Ferunt tam longè latéque fuisse dominatum, vt duos & septuaginta Reges, partim Christianos, partim Ethnicos sua subditos habuerit ditioni. Præterea in honorem Ionæ Vatis, dictum apud suos Ioanam: id autem fuisse omnium qui Imperium illud tenebant, commune nomen, vt de Ægyptio Pharaone, de Mauritano Seriphio, de Sophi Persico dictum est. in his tamen occiduis Ecclesiæ Latinæ partibus Ioannem solitum appellari, addito Presbyteri vocabulo non quod is Sacerdos esset, sed quia Archiepiscopi Primatis more, quando pacificis rebus, prodibat in publicum, vnum habebat in comitatu qui erectam Crucem præferret. Ad bellum verò proficiscentes duo præibant cruciferi, ex quibus auream vnus, alter ex pretiosissimis constantem gemmis gestabat Crucem.

Multos hoc Imperium annos floruit, donec ad Dauidem quendam ventum, qui à quodam suo duce, Cinge dicto, victus prælio, & Imperij gloriæ, & Presbyteri Ioannis nomini finem imposuit. Victor enim Cinges anno Salutis CLXXXVII. supra M. Imperator ab exercitu creatus, & à Scythis receptus, pro Presbytero Ioanne Vlarcanus cœpit nuncupari. Inde quoque rerum Christianarum ingens strages consecuta. Et post alia:

Quo tamen errore, Presbyteri Ioannis nomen Abassino Imperatori datum sit, iam apertum facio. Eo tempore quo nouas terrarum plagas maritimo cursu Lusitani inquirebant, magna per Europam celeritate ferebatur Presbyteri Ioannis nomen: Dicebatur enim esse Imperator potentissimus, multorum dominus, religione Christianus; quo tamen orbis loco, erat incognitum. Ergo cùm Petrus Couillanius, quem Ioannes II. Lusitaniæ rex ad eum Principem per mediterraneum primùm mare, terrestri deinde itinere inuestigandum miserat in Asiatica India ad quam deuenerat, audisset, in ea Æthiopia quæ sub Ægypto est, Principem quendam esse longè maximum, qui Christianam profiteretur religionem, ad ipsum se contulit. Cúmque multa apud illum reperisset, quæ de vero Presbytero Ioanne constanti fama apud Europæos percrebuerant, credidit illum ipsum esse, qui Presbyter Ioannes dicebatur. Hic igitur primus fuit qui Abassinum Imperatorem eo cœpit nomine appellare. Eum deinde cæteri imitati, qui consequentibus annis Æthiopiam sunt ingressi, eundem errorem facile in Europam inuexere. Hactenus Godignus.

Ergo errore traductum nomen Presbyteri Ioannis ab Asiatico illo Christiano principe, in Africanum Abassinorum Christianum Imperatorem, nedum Scaliger, & Godinus, sed & Franciscus Aluarez præfat. in Hist. Æthiopicam, Hieronymus Osorius lib. 9. Rerum Emanuëlis, Genebrardus lib. 2. Chronographiæ, pag. 212. Ortelius in Tabula Abyssinorum, & alij affirmarunt. Vnde Ortelius: *De origine huius nominis Presbyteri Ioannis, & qua ratione ex Asia (vbi ante CC. plus minus annos scriptoribus cognitum erat) hodie in Africam transmigrauerit, vide Iacobum Nauarchum in sua Epistola Asiatica, & Gerardum Mercatorem in sua vniuersali Tabula.* Vide suprà cap. 11.

Cæterùm vnde dicti sint Abassini, vel Abyssini, paucis disquirendum. Scaliger, vt vidimus, ex Arabibus Scenitis oriundos putat: nam in Arabia thurifera Abasseno collocant Vranius & Stephanus: & in Nummo Seueri Imperatoris Abaseni insculpti sunt, in Thesauro Huberti Goltzij. Abaton locus vel insula est Æthiopiæ, cuius meminere Diodorus Siculus lib. 3. num. 102. Seneca quæst. Naturalium lib. 4. cap. 2. Lucanus 10. Pharsaliæ, Seruius in 6. Æneidos. De Abato vide plura in Thesauro Henrici Stephani. Potuêre ergo ab Abato dici Abassini. Abassa insula est in Mari Rubro Æthiopibus culta, de qua Pausanias 2. Eliacorum ad finem: *Quique proximas Abasan & Sacæam colunt, vno Æthiopum nomine censentur.* Sed hîc Æthiopes Indos Asiaticos intelligi, infrà cap. 19. docebo. Strabo lib. 2. pag. 88. ex recognitione Conradi Heresbachij, de interioribus Africæ inquit: *Est enim Pantheræ similis, distincta domibus vt punctis comprehensis arida & deserta terra. Vocant autem huiusmodi habitationes Ægyptij Anases.* Vel Abases. Et lib. 17. pag. 519. *Ægyptij Abases regiones vocant habitatas, & maximis desertis circumdatas, quasi quasdam pelagi insulas, quod frequens est in Libya.* Atque hinc factum Abassiæ & Abassinorum nomen nonnulli existimant: quòd certè Abassia eiusmodi locis desertis & incultis circumcepta sit, At Xylander, & Casaubonus in Græcis Strabonis non Abases, sed Anases, iuxta emendatiores codices legunt. Annotat tamen Casaubonus, Stephanum Anasim vrbem Ægypti constituere, quam cum Oasi implicet. Vide Ortelium in Thesauro verbo, *Oasis.* Beniamin in Itinerario pag. 100. *Terra Chus, id est, Æthiopia, cui nomen est Alhhabas, occasum versus.* Et pag. 103. vocat terram Hhabas. *Vbi* notat Montanus: *Vnde Hhabassini Æthiopes, quos Græci perperam Abyssinos vocant.* Verùm de Abyssinorum appellatione, quod res sit incerta, agunt pluribus Stukius in Scoliis ad Periplum maris Erithræi, pag. 6. & Godignus lib. 1. de Abasinorum rebus, cap. 2.

Porrò Æthiopes Abyssinos Christianos à multis iam retrò annis esse Schismate ab Ecclesia Romana diuulsos, & multis erroribus, Iudaïcísque ritibus innexos: in quibus etiam hoc tempore perseuerent, res est compertissima. Superioribus annis sub Clemente VIII. Gabriel Patriarcha Alexandrinus, missa ad Summum Pontificem legatione, schismate, & cunctis erroribus eiuratis, fidem Catholicam professus Alexandrinam Ecclesiam denuò orthodoxæ Romanæ coniunxit. At non propterea tunc Æthiopica Ecclesia, quæ ab Alexandrina Abunas, id est, Patriarchas accipit, hæreses & schisma reliquit. Quocirca Baronius qui eius Legationis Alexandrinæ acta ad finem Annalis VI. edidit, cùm scripsit etiam tunc Ecclesiam Æthiopicam ad Romanæ Ecclesiæ communionem accessisse, rem ipsam non plenè exploratam habuit. Manet haud dubiè hactenus. Abassinorum gens fere tota, (quod est summopere dolendum) in schismate & erroribus. Verùm ea de re pleniſſimè scripserunt Maffeius lib. 16. Rer. Indic. Petrus Ribadeneira lib. 4. vitæ B. Ignatij Loiolæ, cap. 13. Antonius Gouea in Itinerario D. Alexij Menesij Archiepiscopi Goani, lib. 1. cap. 6. 7. & 8. Ferdinandus Mendez. Pintus in sua Peregrinatione, cap. 225. Ferdinandus Guerrerius lib. 5. Annal. Relationum Æthiop. Nicolaus Godignus lib. 1. de Abassinorum

rum rebus, cap. 23. 24. & reliquis ad finem vsque libri.

De statu verò Christianæ Religionis in Æthiopia anno Domini 1607.& 1608. idem Guerrerius complura narrat in Annal. Relationibus lib. 1. cap. 9. & Godignus locis citatis.

Patres Societatis Iesu multis ab hinc annis strenuè laborant in reducenda Abyssina gente ad Orthodoxam Ecclesiam, habéntque in Æthiopia duas, vt vocant, Residentias, nimirum in Fremona, & Gorgorra, vbi pauci patres egregiè insudant in reuocandis Abyssinis ad Orthodoxam Ecclesiam: & quamuis cum magnis rerum difficultatibus conflictentur, non tamen sine operæ pretio, & spe maioris, & vberioris frugis.

Generales probationes, quòd in toto veteri orbe, à Christi Ascensione, ad hæc vsque nostra tempora, sit iam prædicatum Christi Euangelium.

CAP. XIV.

PRima Demonstratio sumetur ab Apostolorum innumeris Prouinciis Euangelij propagatione.

S. Petrum prædicasse Euangelium in Iudæa, Ponto, Cappadocia, Asia, Bithynia, Italia asserunt S. Hieronymus & Sophronius de Script. Ecclesiasticis, S. Isidorus de vita & Morte Sanctorum, cap. 69. Oecumenius præfat. in acta Apostolorum, Dorotheus in Synopsi.

S. Andream in Scythia, Græcia, Epiro, Galatia, Bithynia, Ponto Euxino, oris Septentrionalibus, Thracia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Byzantio, Sogdiana, Saccia, Æthiopia Eusebius lib. 3. Histor. Eccles. cap. 1. S. Greg. Naz. orat. 25. S. Chrysostomus homil. de Duodecim Apostolis, Sophronius de Script. Ecclesiasticis, S. Gregorius homil. 17. in Euangelia, Oecumenius præfat. in acta, S. Isidorus de Vita & Morte Sanctorum, cap. 71. Dorotheus in Synopsi, Zacharias Chrysopolitanus Episcopus præfat. in Euangelia, Nicephorus lib. 2. Historiæ, cap. 39. affirmant.

S. Iacobum Zebedæi in Iudæa prædicasse certum est. De prædicatione eius in Hispania egimus suprà cap. 5.

S. Ioannem in Asia, Parthia, & Bassora, Eusebius lib. 3. Historiæ, cap. 1. S. Greg. Naz. oratione 25. S. Chrysostomus homilia de Duodecim Apostolis, & homilia 1. in Ioannem, S. Isidorus de Vita & Morte Sanctorum, cap. 73. Oecumenius Præfat. in Acta, Zacharias Chrysopolitanus præfat. in Euangelia, Dorotheus in Synopsi, Titulus Epistolæ primæ eiusdem Ioannis olim ad Parthos inscriptæ, Epistolæ Indicæ Iesuitarum anni 1555. testantur.

S. Bartholomæum in Armenia, Lycaonia, Albania, India citeriori, S. Chrysostomus homilia de Duodecim Apostolis, Rufinus lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 9. Socrates lib. 1. cap. 15. Sophronius de Scriptoribus Ecclesiasticis, S. Isidorus de Vita & Morte Sanctorum, cap. 76. Oecumenius Præfatione in Acta prodidere.

S. Matthæum in Æthiopia, Parthia, Assyria, Macedonia Ruffinus & Socrates ibidem, Oecumenius præfat. in Acta, S. Isidorus de Vita & Morte Sanctorum, cap. 77. Dorotheus in Synopsi, sunt auctores.

S. Philippum in Phrygia, Galatia, in Superiori Asia, & Scythiæ parte, S. Chrysostomus Homilia de Duodecim Apostolis, S. Isidorus de Vita & Morte Sanctorum, cap. 74. Oecumenius præfat. in Acta, Dorotheus in Synopsi, Zacharias Chrysopolitanus præfat. in Euangelia, Nicephorus lib. 2. Histor. cap. 39. tradunt.

S. Simonem Chananæum in Mesopotamia, Persia, Ægypto, Africa Britannia, docent Dorotheus in Synopsi, S. Isidorus de Vita & Morte Sanctorum, cap. 82. Nicephorus lib. 2. Histor. cap. 40.

S. Iudam, qui & Thadæus, in Mesopotamia, Arabia, Idumæa, Ponto, Oecumenius in præfat. Actorum, S. Isidorus de Vita & Morte Sanctorum, cap. 79. 82. Dorotheus in Synopsi, Zacharias Chrysopolitanus Præfat. in Euangelia, Nicephorus lib. 2. cap. 40. fidem faciunt.

S. Thomam in Parthia, Media, Persia, Æthiopia, India, Taprobane, Hircania, Germania, referunt Eusebius lib. 3. Histor. Eccles. cap. 1. Rufinus lib. 1. Histo. cap. 9. Socrates lib. 1. cap. 15. S. Gregorius Nazianzenus orat. 25. S. Chrysostomus homil. de Duodecim Apostolis, Sophronius de Script. Eccles. S. Gregorius homil. 17. in Euangelia, S. Isidorus de Vita & Morte Sactorum, cap. 75. Oecumenius præfat. in Acta, Dorotheus in Synopsi, Zacharias Chrysopolitanus præfat. in Euangelia, Nicephorus lib. 2. Historiæ, cap. 40.

S. Matthiam in Iudæa & Æthiopia, Sophronius de Scriptoribus Ecclesiasticis, Dorotheus in Synopsi, S. Isidorus de Vita & morte Sanctorum, cap. 80. Oecumenius Præfat. in Acta, Nicephorus lib. 2. cap. 40. autumant.

S. Iacobum Alphæi fratrem Domini, ab Apostolis Ierosolymorum Episcopum ordinatum constat ex Eusebio lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 1. S. Epiphanio hæresi 29. S. Chrysostomo homil. 87. in Ioannem, & aliis. Qui propterea non legitur ad alias Prouincias missus ad prædicandum Euangelium, vt præcipuè illius primigeniæ Ecclesiæ & Iudæorum curam haberet.

S. Paulus iure gloriatur se ab Ierusalem vsque ad Illyricum cuncta Euangelio Christi compleuisse. Peregrinationes Pauli, Prouincias obitas in quibus Euangelium disseminauerit, egregiè descripserunt Simeon Metaphrastes in Comment. de Certaminibus SS. Apostolorum Petri & Pauli 29. Iunij, Oecumenius præfat. in Acta Apost. & in Epist. Pauli, aliique permulti: atque in primis eas in peculiari Tabula graphicè pinxit, & scitè descripsit Ortelius in Orbis Theatro. De Pauli in Hispaniis prædicatione diximus suprà cap. 6. Et sanè Prouincias & regiones in quibus Apostoli Euangelium prædicarunt, maiori ex parte etiam percensent Martyrologia iis diebus quibus natalem diem cuiusque Apostoli consignant. Anonymus quidam Thebanus Panopolita in libris Testimoniorum de Christo, è Gentium libris, apud Photium in Bibliotheca num. 197. exponit, *Singuli vbinam locorum Apostoli salutarem doctrinam prædicarint, quaque ratione humanis curis ac laboribus sint defuncti.*

Secunda Demonstratio. Si consulamus publicas Ecclesiæ Tabulas, nimirum, Græcorum Menologia, Latina Martyrologia. S. Bedæ, S. Adonis, Vsuardi, Rabbani, S. Notkeri, & aliorum, atque in primis ipsum Romanum postremò editum, mirificisque accessionibus auctum & locupletatum, facilè

cilè deprehendemus, nullam ferè in toto orbe reperiri Prouinciam, in qua vel Martyres, vel Confessores, vel sacræ Virgines, aut Monachi, aut Sancti Episcopi non floruerint.

Tertia Demonstratio. Quicunque percurrat omnia sacra Concilia quæ hactenus typis excusa extant, præsertim ea quæ nouissimè edidit & Scholiis illustrauit Seuerinus Binius: item ea Græca Latina quæ Romæ nuper prodierunt in lucem, in iisque animaduertat inscriptiones Vrbium & Prouinciarum vbi ea Concilia celebrata sunt: insuper subscriptiones Episcoporum innumerabilium & diuersissimarum ciuitatum: videbit planè nullam penè in mundo esse Prouinciam, in qua Episcopi, Ecclesiæ, Christiani aliquando non fuerint. Hieronymus Paulus edidit Prouinciale Ecclesiarum, extractum ex libro Cancellariæ Apostolicæ, quod est quasi Breuiarium omnium Episcopatuum totius orbis: vbi cernere est nullam ferè esse in vniuerso regionem in qua Episcopatus aliquis fundatus non fuerit.

Quarta Demonstratio. Si Perlegamus attentè Acta innumerabilium Sanctorum, vel Martyrum, vel Confessorum, vel sacrarum Virginum, aut mulierum quæ descripta, editáque ad hanc vsque diem extant à Simeone Metaphraste, Aloysio Lippomano, Laurentio Surio, Iacobo Monbritio, Iacobo Moffandro, Francisco Haruæo, & aliis: vel quæ manuscripta adhuc multis, magnisque voluminibus in nobilissimis Bibliothecis, Vaticana præsertim, asseruantur: vel quæ de Vitis Sanctorum habentur apud Vincentium Beluacensem, Helinandum, S. Antoninum, Petrum de Natalibus, & alios recentiores: in promptu cognoscere licebit, in cunctis orbis regionibus fuisse aliquando Christianos, Ecclesias, Episcopos, viros sanctos, &c.

Quinta Demonstratio. Qui studio & labore peruolutare voluerit, veteres, & Recentiores Ecclesiasticæ Historiæ Conscriptores, vti Eusebium Cæsariensem, Rufinum, Seuerum Sulpitium, Paulum Orosium, Socratem, Theodoretum, Sozomenum, Euagrium, Cassiodorum, Procopium, Cæsariensem, S. Gregorium Turonensem, Paulum Diaconum, Anastasium Bibliothecarium, Landulphum Sagacem, Suidam, Georgium Cedrenum, Ioannem Zonaram, Constantinum Manasses, Michaëlem Gliccam, Nicephorum Callistum. Item Chronographos Eusebium, S. Hieronymum, S. Prosperum, Victorem Tunnensem, Ioannem Biclarensem, Idacium Lemicensem, Marcellinum Comitem, S. Isidorum, S. Bedam, S. Adonem, Hermannum Contractum, Marianum Scotum, Sigebertum, Abbatem Vrspergensem, & innumeros alios posteriores Historicos & Chronologos, quorum iniri ratio non potest: manifestè reperiet, vbique terrarum variis temporibus Christianam religionem fuisse propagatam.

Sexta Demonstratio. Singulares & peculiares quique cuiusuis gentis Historici, qui omnium fermè nationum editi habentur, & omnes nunc percensere opus esset immensum: accuratè notant, primam cuiusque nationis ad fidem Christianam conuersionem, primos gentis Apostolos, religionis sacræ fundationem, propagationem, progressus. Sic Ambrosius Morales, & alij Hispaniæ, sic Polydorus Virgilius Angliæ, Hector Boëtius Scotiæ, Matthias Michouiensis & Martinus Chromerus Poloniæ, Antonius Bonfinius Hungariæ, Sebastianus Munsterus Germaniæ, Ioannes Meyerus Flandriæ, Paulus Æmilius Galliæ: Ioannes Magnus Gothiæ: sic alij innumeri.

Septima Demonstratio. Extant plurimi recentiores rerum Ecclesiasticarum vel Historici, vel Chronologi, qui singulis quibusque sæculis à Passione Domini ad nostram vsque ætatem, diligenter annotarunt, quibusdam in regionibus mundi annuntiatum, receptúmque fuerit Christi Euangelium, quinam Episcopi, Martyres, Sancti claruerint: & quidem nullam propemodum prouinciam orbis omittunt, in qua Christianismus non viguerit. Verùm cùm omnes in hoc scribendi genere illustres fuere, enumerare longum nimis esset: saltem conferat se lector ad Chronographias Arnaldi Pontaci, Gilberti Genebrardi, Iacobi Gordoni: sed in primis ad Baronij Annales, qui sunt sanè præclarum totius Ecclesiasticæ antiquitatis promptuarium, & eorum quæ dicimus fidem indubitatam probabit.

Octaua Demonstratio. Consensus quoque hostium orthodoxæ veritatis hoc ipsum adstruit, mundum etiam hoc tempore plenum esse Christiana religione. Genebrardus lib. 4. Chronographiæ, pag. 768. hæc habet: *Anno 1569. Dauid Chytræus Lutheranus Orationem in Academia vrbis Rosarum habuit de Statu Ecclesiarum hoc tempore in Græcia, Asia, Africa, Hungaria, Boëmia, Æthiopia, &c. qua docet per totum orbem terrarum non modò esse Christianos, sed nec differre quantum ad substantiam doctrinæ, & Liturgiarum, seu Missarum solemnia, à Pontificiis (sic nos appellat) sed tantùm in exigui momenti ritibus.* Et pag. 774. *Anno 1580. Chytræus Lutheranus Orationem vulgat de statu Ecclesiarum hoc tempore in Græcia, Asia, Africa, Æthiopia, Armenia, &c. Illic autem docet, apud omnes eas gentes cuncta esse Missarum plena, Sacramenta septem dispensari, Ecclesiam per Hierarchiam à Patriarchis in Archiepiscopos, Episcopos, &c. descendentem administrari, Sanctis inuocationes, honores, imagines, saltem pictas adhiberi, tria loca morientium discerni, vt tertius media conditione inter beatos & damnatos collocetur, applicari sacrificiũ Missæ pro viuis & defunctis. Constantinopoli viginti esse Christianorum templa: vigere illic Senatum siue Collegium duodecim Sacerdotum, cum quo Patriarcha communicatis sententiis per inferiorum graduum Pastores res inferiores gubernet.*

Syros & Georgianos, veterem Iberiam & Albaniam incolentes inter Colchos, & Caucasum, Mare Caspium & Armeniam, in decem & octo Episcopatus distribui. Syros Liturgiæ suæ auctorem D. Basilium laudare, Armenios à finibus Cappadociæ & Ciliciæ vsque ad Iberiam; mare Caspium, Mediam, & Assyriam, longissima terrarum spatia occupantes, religione & ritibus esse Pontificiis simillimos. Habere Patriarcham quem Catholicum nominent: in Missa inuocationis & intercessionis Sanctorum & oblationis Sacramenti præ cæteris expressius, prolixiúsque meminisse

Passim etiam in Perside ac toto Oriente idem facere Christianos, vni Patriarchæ quem Iacelichum appellent, obedientes. Moronitas ad montem Libanum, Latinæ Ecclesiæ in cunctis esse conformes. Multò latius in Asia & Africa Iacobitas à Iacobo Syro propagari, & Missis operam dare. Hæc Genebrardus.

Nona Demonstratio. Præter ingentes illas fidei propagationes in Europa, Asia & Africa, quas fusè in superioribus descripsimus, hoc nostro decimo septimo, & superiori sexto decimo sæculo in Africa præsertim & Asia aperta sunt aut planè reperta no

ta noua regna & gentes in quibus Euangelium de nouo plantatum, per ministros sacratos viros ex ordine Prædicatorum, Franciscanorum, Augustinianorum, Societatis Iesu. Et quia omnia percensere nimis esset longum, quædam tantùm breuiter indicabimus.

In Africa, Anno Salutis 1561. Pater Consaluus Silueira è Societate Iesu in regnis Inhambanis & Manomotapæ quæ sunt ad Oceanum Barbaricum inter Sophalam & Mozambique è regione Insulæ S. Laurentij, prædicato Euangelio Regem Manomotapæ, cum matre & trecentis proceribus baptizauit: tandémque pro fide impiorum manibus interfectus est. Vti latiùs referunt Laurentius Surius in Commentario Rerum in orbe gestarum, Anno Domini 1540. Maffæius lib. 2. Selectarum Epistolarum ex India, & Nicolaus Godignus in vita eiusdem Gonzali Silueiræ. De noua missione Euangelij in Manomotapæ regnis, agit Ferdinandus Guerrerius in Annalibus Relationibus annorum 1607. 1608. lib. 1. cap. 2.

Petrus Martinez è Societate Iesu in litteris è Goa V. Idus Decembris, 1586. ad Præpositum Generalem, in quibus narratio memorabilis cuiusdam naufragij continetur, agens de eisdem oris, ait: *Senam (quod munitissimum est Lusitanorum propugnaculum) peruenimus, Monasterio Patrum Dominicanorum, Ordinis eiusdem Patre Inquisitore amico & familiari meo vrgente, summà cum humanitate excepti.* Deinde subdit: *Sena soluentes, ad Mosanbicum portum sani & incolumes accessimus. Religiosi Ordinis D. Dominici summis à nobis precibus contenderunt, vt ad eos hospitij causa diuerteremus.*

De admirabili Euangelij propagatione in Guinea, & continenti magna Ora Æthiopici Oceani, ac Sierra leona, extant copiosæ relationes Ferdinandi Guerreri ab anno Domini 1600. vsque ad 1608. dignæ sanè quæ ab omnibus legantur; præsertim ea quæ in Annalibus Relationibus annorum 1607. & 1608. libro 4. integro per octo capita differit.

Denique in Angola, Sophala, Mozambica, Quiloa, Melinde, aliísque Africæ oris, atque in Insula S. Laurentij longè, latéque plantatam Christianam religionem per Lusitanos, cunctæ eorum historiæ loquuntur: & recentiores Relationes affirmant.

In Asia verò, Ferdinandus Guerrerus in Annalibus Relationibus annorum 1607. 1608. lib. 1. cap. 1. hæc narrat: *In ea Chaldæa parte quæ à Babylonia ad Fretum vsque Bassoræ protenditur, quà Euphrates in fusum Tigrim in Persicum Sinum exoueraf, Christiani magno numero degunt, qui se S. Ioannis Baptistæ nuncupant: subiecti verò sunt cuidam Arabum Regi nomine Ceidmorobenæ. Cæterùm magnopere expetunt S. Romanæ Ecclesiæ communionem, vt ab erroribus multis quos aui vetustas, quo hactenus ab Ecclesia separati manserunt, in eos inuexit, fideli ministrorum opera liberentur. Nec solum his in partibus reperiuntur Christiani, sed etiam per totam Mesopotamiam, aliásque Prouincias latè funduntur. Cùm autem ij S. Ioannis Christiani, eorúmque Dynasta vehementer vexarentur à Turcis qui ad Fretum Bassoræ arcem munitissimam extruxerant: missis in Indiam ad Prætorem Lusitanum legatis, orabant sibi naues aliquot bellicas cum delecto milite mitti, quibus & vim hostium propulsare, partémque Freti transmittere, & Turcas inde depellere possent. Quod sanè eiusmodi subsidio, facilu haud difficile videretur, & rebus Lusitanicis in India cum primis conduceret, cùm ad honoris famæque nomen præclarum, quod ea parte arma, Imperiúmque extenderent; tum ad vberes prouentus inde capiendos. Rex enim ille cupit cum Rege Lusitano fœdera iungere, séque in eius nomen, fidémque committere, ac locum arci condendæ in Freto Bassoræ Lusitanis concedere. Simúlque litteras dedere ad Prouincialem Societatis Iesu in India, vt eorum causam apud Prætorem iuuaret, foueréque, quò iis postulata concederentur: Patresque illò mitterentur, qui puram, sincerámque Christianam religionem, quam sequi & amplecti deberent, gentem docerent. Ingentem fidem hisce rebus adstruebat Lusitanus quidam Andreas Pereyra, qui cùm ab India Lusitaniam terrestri itinere proficisceretur, per eas regiones transierat, atque cum Christianis illis familiariter versatus fuerat, à quibus omnia eorum vota & desideria de Orthodoxa religione amplectenda perceperat, Regressúsque in Indiam ob certa sibi conficienda negotia, statim in Chaldæam redierat, vt Episcopo cuidam, quem Christiani illi Romam ad Summum Pontificem præstandi sacramenti causa destinabant, se socium & comitem adiungeret. Inde etiam ad Catholicum Regem profecturi, quo eius quoque auspiciis & auxiliis eius gentis ad veram fidem reductio perficeretur.* Hactenus Guerrerus. Diximus superiùs hoc ipso capite, Epistolas Indicas Iesuitarum anni 1555. tradere S. Ioannem Euangelistam ad Bassoras vsque Euangelium intulisse.

In Armuzia & Cambaia esse Christianos, idem Guerrerus lib. 1. cap. 7. docet.

In Dio, Chaul, Dabul, Goa, Salsete, Bacaim, Tana, Daman, Cochino, Vaipicota, Calecuth, Onor, Cranganor, Frauancor, Coulam, Tutucorim, Malipur, seu S. Thoma, Cotate, in Regno Bisnagæ, Maduræ in Regno Pegu, in Regno Sian, in insula Zeilam, in Malaca, in Samatra, in Insulis Molucis, esse Christianos, Ecclesias, ministros verbi, & cunctæ recentiores rerum Indicarum Historiæ, & omnes earum partium fideles relationes loquuntur. Constátque in plerisque nominatis seu vrbibus seu Prouinciis esse etiam Cœnobia Prædicatorum, Franciscanorum, Collegia, seu Domus, aut Residentias Societatis Iesu. Sed de his vide pleniùs Ferdinandum Guerrerum in Annalibus Relationibus annorum Christi 1607. 1608. lib. 2. integro.

De magno Imperio Sinarum.

CAP. XV.

SInarum ex veteribus Geographis meminere tantùm Ptolemæus lib. 7. cap. 3. Marcianus Heracleotes in carmine Geographico, Stephanus de Vrbibus Ptolemeus quidem habet: *Sinæ terminantur à Septentrionibus parte Sericæ: ab ortu solis atque meridie, terra incognita: ab Occasu India extra Gangem.* Deinde subdit: *Sinarum sinus. Katigara Sinarum statio.* Putat Mercator esse Canton in ora Sinarum. Addit verò Ptolemæus: *Ciuitates autem Sinarum Mediterraneæ hæ nominantur: Acadra, Aspithra, Cocconagara* (Sagara) *& Metropolis Thinæ: eam tamen non ærea mœnia habere dicunt, nec quidquam memoratu dignum.*

Arrianus in Periplo Maris Erythræi extremo: *Extrema regionum quæ ad ortum sitæ sunt, in loco quodam mari desinente, sita est maxima ciuitas Thina nuncupata, à qua lana, filum, othonium, sericum, Barygazam per Bactra pedestri itinere deportatur. Ad illam autem vrbem Thinæ difficilis est accessus: rarò enim*

enim pauci quidam indè veniunt. Loqui Arrianum de Thina metropoli Sinarum, & Stukius annotauit, & res est perspicua. Sinarum regionis meminit etiam Beniamin Tudelensis in Itinerario pag.97.quam appellat regionem Sin.

Iosephus Scaliger lib. 3. Can. Isagogicorum pag. 319. hæc annotat: *Sinas etiam Marcianus, Periegetes scriptor vetustissimus vocat: post quem Ptolemæus circumscribit eos ab Oriente, terra incognita: cùm satis constet, non terra, sed Oceano Iapponenses eos finiri. Arabibus dicuntur Tzinin, vnde eorum metropolis Thinæ quia Th cum leni sibilo, Iz cum densiore effertur. Propterea Lusitani primi omnium, quod illud sibilum exprimere non possent, Chinas vocarunt, à quibus vitiosa appellatio Chinarum pro Sinarum, aut Tzinarum, in omnem Europam propagata est. Duriùs extulit Georgius Chrysococces, apud quem scriptum extat Ntzin, pro Sinon: cuius regni metropolim vnicam ponit Camzon. Quo tempore Marcus Polus Venetus in illis partibus degebat. Tartri ea loca virtute, atque armis occupata tenebant, quibus per annos XCIII. potiti sunt. Iis pulsis, iterum Sinæ pristini regni solium asseruerunt.*

Sinarum regionis situm Hieronymus Osorius lib.11. Rerum Emanuëlis in hunc modum describit: *Sinarum regio est latissima: ab ortu namque Solis vltima terrarum existimatur: ab occasu vltimis Indiæ terminis definitur: ab Austro Oceano alluitur: à Septentrione verò montibus altissimis, multa niue & glacie concretis includitur. Ea parte, quæ ad Septentrionem spectat, ab occasu cùm Scythis, quos Tartaros appellant, qui ad Orientem pertinent, continens est: cum quibus continenter bella gerunt. Scythæ viribus, Sinæ ingenio & artibus excellunt. Sic fit vt sæpe à Scythis virtute superentur, & ipsi vicissim non rarò Scythas dolis & artificio vincant. Montes tamen qui à Septentrione in Austrum procurrunt, Scythas à Sinis dirimunt. Valles atque camporum planities interiectas Sinæ muris latissimis ita muniunt, vt Scytharum impetum à se facilè propulsent. Regio est maximè omnium fertilis, & abundans rebus omnibus ad vitæ cultum & luxum, & elegantiam necessariis.*

Maffeius verò initio lib. 6. *Sinarum regio, quam hodie Chinam vulgus appellat, vltima terrarum Asiæ ab Oriente & à Meridie alluitur Oceano, quem Sericum, vel Eoum prisci dixere: ab Occidente Indiam vlteriorem attingit: à Septentrione cingitur Massagetarum, Scytharúmque limitibus. Multo latiùs quondam imperasse gentem, Annales ipsorum ac litteræ, & veterum ædificiorum illustria monumenta, & complures, in India præsertim, ab iis denominatæ nationes, haud obscurè testantur. Sed cùm sua ipsi mole, viribúsque fatigarentur, sponte misso veluti sanguine, & castigata luxuria intra hosce fines recepere sese, graui proposito edicto, ne quis iniussu magistratuum excederet. Regna seu Prouincias vastæ magnitudinis numerant quindecim, cum sua cuiusque metropoli: ad mare sex, mediterraneæ reliquæ. Tellus, quod maxima ex parte intra temperatæ plagæ terminos continetur, radiósque solis, suapte natura vitales puro ac patenti excipit sinu: sic fit, vt saluberrimo cælo, & purioris auræ dulcedine perfruatur: ac simul inclytæ fertilitatis gleba frugum omnis generis fundat copiam, bifero, triferóque prouentu.*

Ioannes Gonzales Mendocius lib. 1. de Rebus Sinarum, cap.1. *Ingens hoc Sinarum Imperium omnium Asiæ terrarum est orientalissimum: ab occasu attingitur Prouincia Chuachinchina: alluitur maiori ex parte à Meridie & Ortu magno Oceano Orientali: supra Chuachinchinam ad Septentrionem finitur regione Brachmanûm: inter quos & Sinas sunt asperrimi & inuij montes. Viciniores à Septentrione sunt Tartari, quos insanus murus à Sinis discludit.*

Ortelius in Tabula Chinæ: *Hanc regionem descripsit peculiari libello Bernadinus Scalantus Hispanica lingua, ex quo nos hæc pauca in Latinam transtulimus. Vastum hoc regnum Chinæ, incolæ Tame, & seipsas Tangis vocant: à vicinis accolis autem Chinæ nominantur. Fines huius regionis sunt ab Oriente mare Eoum: Cauchinchina prouincia à meridie: Bramas ab Occidente: à Septentrione verò Tartaros vicinos habet gentem bellicosissimam, à quibus muro manufacto, & monte natiuo disparatur. Regio soli & cæli temperie, nec non hominum industria omnium rerum ferax.*

Gerardus Mercator in Tabula Regni Sinarum: *Chinæ regnum amplissimum ac potentissimum incolæ Tamæ & se ipsos Tangis vocant, Marcus Paulus Mangi, Ptolemæus vel hos, quod quidem Ortelio placet, quem plerique sequuntur: vel vicinos Cataienses, quod magis probat Mercator, vocat Sinas. Sita est autem regio omnis ad Oceanum Eoum, & ab ortu solis terrarum extrema putatur. Fines eius ab Oriente mare Eoum: Cuachinchina prouincia à Meridie: quà Occidens est, Brachmanæ, quà Septentrio sunt Tartari gens bellicosissima: à quibus montibus & muro longissimo discluditur. In vniuersum autem cinctus ille siue ambitus muri, montiúmque ad quingenta millia ria protenditur. Regio cæli & soli temperie, necnon hominum iuduſtria omnium rerum ferax.*

Horatius Tursellinus lib. 5. Vitæ Francisci, Xauerij, cap.8. *Sinarum regio, Asiæ pars est vltima, spatio locorum; & oppidorum frequentia nulli earum gentium secunda: quippe eius longitudo amplius C D. leucarum, latitudo C C C. perhibetur. Vrbibus autem habitatur ita frequentibus, vt superante multitudine, etiam flumina ipsa distentis constrata nauigiis incolantur. Ab Oriente ac Meridie Oceano cingitur: à Septentrionibus muro latissimo ac penè infinito diuiditur ab iis Asiæ Scythis, quos vocamus Tartaros: ab Occidente vlteriorem spectat Indiam: Sinæ ipsi pacis quàm belli artibus aptiores, vnius regis nutum intuentur.*

Ego nunquam dubitauerim, Sinas esse Thinas Strabonis lib. 1. extremo, & sub initium libri 2. quos extremos Orientis populos constituisse videtur: eorúmque metropolim esse Thinam eiusdem Strabonis, & Arriani, vti initio huius capitis dicebamus.

Cæterùm de Regni Sinarum situ, magnitudine, amplitudine, natura, bonitate, opibus, moribus, institutis, legibus, religione, ritibus, miranda ac planè incredibilia, à plurimis optima in plerisque fide conscripta feruntur. Bernardinus Scalantus peculiarem libellum edidit de regno Sinarum, Hieronymus Osorius lib.11. de rebus Emanuelis Lusitaniæ regis, Petrus Maffæius lib.6. Rer. Indic. integro, multa de eodem Imperio prodidere. Ioannes Guilielmus Stukius in Scholiis ad Arriani Periplum Maris Erithræi, pag.103. Sinarum regionem, gentisque mores ex Osorio descripsit. Gaspar à Cruce Lusitanus Ordinis Prædicatorum, qui multis annis Cantone Sinarum vrbe vixit, plura de Sinis prudenter & circunspectè litteris mandauit. Ioannes Gonsales Mendosius Augustinianus historiam regni Sinarum integro Commentario condidit. Alfonsus Sancius & Michæl Rogerius è Societate Iesu, qui apud Sinas sunt peregrinati, multa de Sinensibus scripsere, quæ se vidisse & habuisse affirmat Antonius Pos-

seuinus

ſeuimus Bibliothecæ Selectæ lib. 9. cap. 25. editionis Colonienſis. Idem Poſſeuinus eodem cap. 25. & 26. 27. 28. 29. plura de Sinis, eorúmque inſtitutis differit. Abraham Ortelius in Theatro Orbis, in Tabula Chinæ, & Gerardus Mercator in Atlante maiore in Tabula Chinæ, accuratè breuitérque de regno, rebúſque Sinarum agunt. Horatius Turſellinus lib. 5. Vitæ Franciſci Xauerij, cap. 8. Sinarum ſitum & mores deſcribit. Ioannes Hugo Lintſcotanus in Nauigatione ſua ad Indiam Orientalem, cap. 25. & 26. quæ habetur part. 2. Indiæ Orientalis, & Indica Hollandicarum nauium hiſtoria, quæ extat in 3. part. Indiæ Orientalis, complura de Regno Sinarum memorant. Sed cum primis Ferdinandus Mendez Pintus, qui Sinarum regionis maiorem & meliorem partem perluſtrauit, atque quæ oculis vidit, fideliter memoriæ conſigauit, innumera, & propemodum ſupra fidem de Sinarum terris narrat in ſua Peregrinatione, à cap. 61. vſque ad 131. His accedunt plurimæ Relationes, Itineraria, Epiſtolæ Indicæ, & Sinicæ variorum, præſertim Patrum Ieſuitarum, quæ de regione & rebus Sinarum admiranda referunt. Nouiſſimè Matthæus Riccius qui multos annos in Regno Sinarum vixit, ac Pechini tandem mortuus eſt, & Nicolaus Trigautius, qui annos omnino triginta in eodem Regno, ac Pachini metropoli verſatus eſt, ambo ex Societate Ieſu, peculiari Volumine de Expeditione Chriſtiana Societatis Ieſu apud Sinas, certiora & compertiora de regione & gente tradidêre: ſed de ſitu & amplitudine Regni ſingulariter multa lib. 1. cap. 2. & lib. 4. cap. 2. expoſuêre: qui tandem hæc ſubdunt: *Efficies totam regni Sinenſis aream in latum, id eſt, ab Auſtro in Boream Italicis milliaribus mille quadringentis excurrere: leucis verò ex tertia partis ſymmetria ſubductis, quadringentis & octoginta: in longum verò ſiue ab Ortu in Occaſum, ex eo quod duobus gradibus breuior eſt, excurrit in Italica milliaria mille trecenta viginti: leucas verò quadringentas & quadraginta.*

In id verò cuncti eruditi conueniunt, Marcum Paulum Venetum, cùm ante trecentos & ampliùs annos, Orientis regiones peragraret, multa de Sinarum prouinciis & vrbibus (quamuis ſub Tartarorum nomine, quod eo tempore Sinæ ſub Tartarorum dominatu eſſent) perſcripſiſſe. Nam ſi quis contulerit quæ Marcus Paulus lib. 2. Regionum Orientalium, præſertim cap. 9. & ſequentibus de vrbe Cambalu, & cap. 53. & ſequentibus de prouincia Mangi, & cap. 64. & ſequentibus de vrbe Quinſay memoria prodit, cum iis quæ alij de Regno Sinarum narrant, facilè deprehendet nos vera dicere, & Paulum multa de Sinis ſub Tartarorum nomine retuliſſe.

Huius ampliſſimæ regionis notitia, quæ iam olim tenuis & exigua habebatur, adeò poſterioribus temporibus exoleuit, atque in obliuionem venit Europæis, ac præſertim Hiſpanis, qui omnium à Sinis ſunt remotiſſimi, & occidentaliſſimi, vt prorſus obſcuri & incogniti Sinarum populi manſerint, ac nudum tantùm Sinarum nomen audiretur. His accedebat, quòd Sinarum magiſtratus ſeueriſſimis legibus prohiberent, quenquam regni finibus pedem efferre, aut aduenas, præſertim in mediterranea iniuſſu rectorum admittere: contenti intraneis regionis opibus: nulla cum exteris gentibus aut fœdera iungere, aut bella gerere. Quæ res eos mundo penè ignoratos, & veluti in nido ſuo reconditos habebat: quouſque tandem ſuperiori ſæculo immanibus Luſitanórum in Orientem nauigationibus operiri cœperint: ſiquidem anno Salutis MDXVII. Fernandus Petreius Andradius cum claſſe nouem nauium Sinam primùm adiit, magnamque regionis & gentis notitiam hauſit, vti latiùs Oſorius lib. 11. & Maffeius lib. 6. extremo, & 6. extremo commemorant. Poſteà verò Caſtellanorum victricibus armis, repertis & in poteſtatem redactis inſulis Philippinis, duce Michaële Lopezio Legaſpio anno MDLXIV. ex propinquitate locorum, & mercatorum nauigationibus, exploratiores noſtris redditæ ſunt Sinarum res: indéque vberior earum cognitio indies variis multorum vel peregrinationibus, vel legationibus, vel miniſtrorum Verbi prædicationibus, propagatur: vt iam magnitudo, opes, inſtituta, religio illius Imperij omnibus ſint notiſſima.

De inſanæ ſubſtructionis muro qui Sinas à Tartaris ſeparat, cùm multi accuratiſſimè egerint, nemo tamen diligentiùs ac certiùs Ferdinando Mendezio Pinto in Peregrinatione ſua cap. 95. qui illum ſæpe vidit, & altitudinem, latitudinémque dimenſus eſt, vt pote qui ad murum illum præſidiarium militem aliquod tempus egerit. Ait, excurrere CCCXV. leucas in longitudinem, altitudinem verò eſſe ſex brachiorum, latitudinem autem ſeu craſſitiem quadraginta palmorum: ab imo vltra mediam muri altitudinem, nempe quatuor brachiorum, extare loriram ſeu projecturam, & quaſi ſepimentum continuò ductum, munitionis in modum, quam vulgò Terraplenum vocant, calce & arena validè bituminatum, quod bis tanto quàm murus ipſe craſſius eſt: opus aduerſus omnem vim inexpugnabile. Duraſſe extructionem aiunt XXVII. annos, opera ſeptingentorum & quinquaginta millium hominum continuò laborantium.

Num in Sinarum regione ante annum Domini MD. aliquando prædicatum fuerit Euangelium.

CAP. XVI.

EVangelij in his terris olim prædicati, & Chriſtianæ religionis illic alicubi plantatæ, coniecturæ quædam, & haud prorſus incerta veſtigia ſunt animaduerſa.

Marcus Paulus, qui Sinarum prouincias peragrauit, agens de vrbe Cingianfu (quæ nominis compoſitio Sinicam vrbem proculdubio indicat) hæc ait lib. 2. cap. 61. *Sunt in ea Eccleſiæ Chriſtianorum Neſtorianorum, quas ædificauit Marſacis Neſtorianus, qui à magno Cham in ciuitate illa Præſulatum obtinuit anno ſcilicet Domini MCCLXXXVIII.* Et cap. 64. deſcribens magnitudinem & opulentiam vrbis Quinſay, quam conſtat Sinicam eſſe, inquit: *Vna ſola eſt in ea Eccleſia Chriſtianorum Neſtorianorum.*

Ioannes Gonzalez lib. 1. Hiſt. Sinicæ, cap. 1. nonnulla Chriſtianiſmi indicia in Sinarum regione annotauit, quæ hîc inſeremus. Num etiam hodie Sinæ mira quadam religione colunt ſimulachrum vnico tantum corpore efformatum, è cuius humeris tria capita mutuò ſeſe reſpectantia exſurgunt. Quo ſignificari ipſimet, cùm ratio ab ipſis exquiritur, autumant, tria illa diſtincta capita,

non

non nisi vnam voluntatem habere. Quæ sanè effigies Christianè de S. Trinitate intelligi queat, in qua in vna natura sint tres personæ vnam voluntatem habentes.

Insuper venerantur imaginem formosæ puellæ, infantem in gremio fouentis, quam ferunt Virginem peperisse, fuisséque filiam magni cuiusdam regis, quæ totam vitam sanctissimè & innocentissimè absque peccati labe peregerit. Ad eam intentè, deuotéque preces fundunt: nec quid amplius de ea norunt.

Visuntur etiam in toto regno Sinarum antiqui operis multæ, pictutæ duodecim virorum, cum eisdem propemodum notis & insignibus quibus nos Sanctos Apostolos exprimere consueuimus: quas tametsi tradant fuisse quorundam hominum Philosophiæ laude, & vitæ integriate clarorum, qui tandem in Angelos euaserint, diuináque nunc gloria in cœlo perfruantur: facilè tamen existimari potest, eos reuera fuisse duodecim Christi Apostolos.

Gaspar à Cruce Lusitanus, de quo anteà dicebamus, narrat, se aliquando ad insulam ingentis fluminis deuectum, Cœnobium admirandæ structuræ vidisse, in quo Monachi nostris haud absimiles, sed prauæ tamen superstitionis cultores, religiosam vitam agere viderentur: vbi sacellum, seu Oratorium cernebatur egregia arte & ornatu conspicuum, quò gradibus ascendebatur, ferreis cancellis inauratis vndique cinctum. Erat altare, pretioso ornamento, quod Frontale vocant, opere Phrygio ex auro & serico intexto, vestitum: cui impositum erat simulachrum mulieris specie florentis ætatis, quæ puellum ad pectus complexum gestabat: infantis verò brachiola collo mulieris implexa erant: ante imaginem lampas perpetuò accensa lucebat. Ad huius formæ conspectum Gaspar cùm substitisset, nouitate rei inter barbaros admirandæ defixus, rogabat Sinas, quidnam ea effigies indicaret: qui tamen picturæ nullam certam rationem explicarunt. Sed nos statim in eam cogitationem adducimur, Dei genitricis & infantis Iesu fuisse figuram.

His addit idem Gonzalez, in publicis, autenticisque Armeniorum Christianorum monumentis extare, S. Thomam Apostolum cùm primùm prædicasset in India, inde Sinarum regionem petiisse, atque ibi Euangelium annuntiasse: sed quòd tunc Sinæ funestis bellis impliciti essent, minus aures Euangelio accommodassent: vnde paucis baptizatis, vberiorem frugem Apostolum reportare nequiuisse: Atque ex iis omnibus anteà dictis, verisimile idem Gonzales existimat, Thomam Apostolum in Sinarum regnis nonnulla Euangelij semina sparsisse: exindeque mansisse silueſtres illos & sine cultura frutices quos prædiximus.

His maximè fidem conciliant, quæ Matthæus Riccius & Nicolaus Trigautius lib. 1. de Expeditione Sinica, cap. 11. narrant: cùm enim nonnulla de vestigiis Christianitatis apud Sinas annotassent, ac Crucis cultores eo in regno non paucos extitisse memorarét, hæc addunt: *Hæc maximè sunt quæ ex ipso Sinarum regno vestigia deprehendimus: sed tamen rei Christianæ in his regnis originem altius etiam referre possumus, ex iis quæ ex ora Malabaricæ codicibus Chaldais colligi curauimus, quam oram D. Thomæ Apostoli opera Christo adiunctam, clarius est quàm vt in dubium etiam à pertinacibus reuocari possit. In iis ergo codicibus legimus clarissimè ab eodem Apostolo Christi fidem in Sinas inuectam, & plures in eo regno Ecclesias constitutas. Et ne cui res tanta dubia fortasse videatur, testimonia ipsorum codicum è Chaldæo ad verbum Latinè reddita hìc adscribam quæ P. Ioannes Maria Campori è nostra Societate eius vineæ cultor annos iam plures, & sermonis Chaldæi benè peritus, iussu R. Archiepiscopi P. Francisci Roitz, eiusdem Ecclesiæ Pastoris è nostra Societate, transtulit, & propria manu nostrorum rogatu transcripsit, vt in hos Commentarios inferrentur, ne quando periret tam insigne antiquitatis monumentum. Id igitur ita se habet: In Breuiario Chaldæo Ecclesiæ Malabaricæ D. Thomæ, quæ vocatur Gaza, id est, Thesaurus in Officio D. Thomæ Apostoli, in secundo Nocturno, in vna lectionum sic habetur ad verbum: Per D. Thomam euanuit error idololatriæ ab Indis. Per D. Thomam Sinæ & Æthiopes conuersi sunt ad veritatem. Per D. Thomam Baptismi Sacramentum acceperunt, & filiorum adoptionem. Per D. Thomam crediderunt, & confessi sunt Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Per D. Thomam acceptam seruauerunt fidem vnius Dei. Per D. Thomam doctrinæ viuificæ splendores orti sunt vniuersa Indiæ. Per D. Thomam regnum cælorum volauit, & ascendit ad Sinas. Deinde in quadam Antiphona sic habetur: Indi, Sinæ, Persæ, & cæteri insulani, & qui in Syria, Armenia, Græcia, & Romania in commemoratione D. Thomæ offerunt adorationem nomini tuo sancto. In summa verò Canonum Synodalium, parte 2. Sermone 6. cap. 19. de Canonibus constitutis super Episcopos & Metropolitanos. Simul habetur Canon Theodosij Patriarchæ in hæc verba: Hæc sex sedes capita Prouinciarum, & Metropolitæ, videlicet, Hilam, Nziuin, Prath, Assur, Bethgarmi, & Halah, qui digni habiti sunt, vt ordinationi Patriarchæ interueniant, nec absunt, vt alij quarto quoque anno apud Patriarcham conueniant. Sic etiam Episcopi magnæ prouinciæ, nimirum reliqui Metropolitæ, Chinæ, Indiæ, Paſes, Mauzæorum, Xam, Raziquæorum, Hezionæ (hæc est Cambaia) & Smarcandiæ (hæc est Mogor) qui longissimè absunt, nec vastissimi montes, & turbulentissima maria, permittunt eis transitum ad libitum, mittant litteras consentionis, id est, communionis, ad Patriarcham sexto quoque anno. Quando verò Lusitani Cocinum appulerunt, regebat hanc Ecclesiam Malabaricorum montium Dominus Iacobus, qui sic scribebat, Metropolita Indiæ, & Chinæ. Eodem anno Dominus Ioseph post prædictum Dominum Iacobum, qui Romæ diem obiit, sic subscribebat: Dominus Iosephus Metropolita totius Indiæ & Chinæ. Et hic est antiquissimus titulus Episcoporum huius Ecclesiæ.* Hactenus Riccius & Trigautius.

Antonius Gouea Augustinianus in Itinerario Alexij Menesij, Archiepiscopi Goani, lib. 1. cap. 1. ex eisdem antiquis monumentis Christianorum S. Thomæ, qui incolunt montana regni Malabar, pluribus demonstrat, Thomam Apostolum in India & in Sinarum regione Euangelium annuntiasse. Quam etiam S. Thomæ prædicationem in vltimis Sinis Nicephorus Callistus proculdubio ex aliquo prisco Ecclesiasticarum rerum scriptore, indicasse videtur lib. 2. Hist. Ecclesiast. cap. 40. cùm de Thoma Apostolo refert: *Miraculis, prodigiisque maximis Parthos, Medos, Indos, ipsosque Æthiopes in admirationem adducit. Ad hæc quicunque in extrema Orientis ora, & ad vltimum Oceanum colunt,* (en disertè Sinas) *insulam quoque quam Tabrobanam vocant, gentémque Brachmanum prædicatione illustrat.*

Petrus Ioannes Maffeius Rer. Indicarum lib. 2. *Thomas Apostolus in Coromandelis regno, Christiana re benè gesta, perrexit ad Sinas, quorum ea tempestate*

pestate celeberrimum erat nomen: ac diuini verbi semẽtem in eo quoque nouali facere instituit: atque haud pœnitenda collecta fruge, templisque ad Christi cultũ ædificatis, in Coromandelem ad reuisendos & confirmandos in fide neophytos rediit. Et lib. 6. de gente Sinarum agens, ait: *Sanè, Euangelium accepisse olim ab Apostolo Thoma creduntur, vt suprà dictum est: & imago testatur id ipsum proceræ mulieris puerulum in sinu fouentis, cui ardentes hodiéque lychnuchos more nostro suspendunt. Sed ne Apostoli vlla iam ibi mentio, & cuiusnam ea sit effigies prorsus ignorant: adeò vel ipsa regionum longinquitate, vel diuturno cultorum desiderio in ea terra semẽ omne Christianæ pietatis interiit.* Consentiúntque fermè recentiores scriptores, aliquando antè nostram patrúmque & auorum ætatem in terris Sinarum auditum & propagatum vtcumque Christianum nomen.

Sed nullo pacto hoc loco prætermittenda est pulchra meo iudicio & iucunda narratio, de Christiana religione aliquot iam retro sæculis, alicubi apud Sinas plantata, quam fide sua qui vidit, testatam reddidit Ferdinandus Mendez Pintus in sua Peregrinatione, cap. 96. is enim describens iter suum, quo à regiis ministris in custodia ducebatur ad vrbem Pachim regiam Imperij Sinarum, in hunc modum rem gestam exequitur.

Soluentes ab vrbibus Pachano & Nachan, nostrúmque iter aduerso ingenti flumine in custodia habiti prosequentes, peruenimus ad vrbem Mindoum, quæ magnitudine prafatas duas anteibat. Inde decem fermè leucas emensi, vidimus maximam vrbem solo æquatam, & in ruinis iacentem, & quantum oculis arbitrari potuimus, ædificiorum & murorum parietinæ vnius amplius leucæ spatium ambitu complectebantur.

Cúmque à Sinis, qui nos ducebant, causam tantæ vastitatis exquireremus, in hanc sententiam eam explicabant: Hæc vrbs olim dicta fuit Cohilouzaa, quæ vox Sinico sermone Florem campi significat, quondam potens & diues opum: sed ante centum quadraginta annos, externus quidam & ignotus homo illò appulit cum mercatoribus quibusdam portus Tanacarim regni Sian. Hic, vt scriptum extabat in libro quodam qui Toxefalem inscribebatur, illiúsque viri aduenæ res gestas continebat, videbatur esse homo sanctus, & Dei amicus: quamuis à Bonziis, id est, Sacerdotibus, seu litteratis Sinarum, ob admiranda, quæ patrabat opera, magus, & impostor haberetur. Siquidem intra mensem quinque mortuos in vitam reuocauerat, aliáque multa miracula, cum ingenti omnium admiratione & stupore designauerat. Habuit aliquas cum Sacerdotibus de rebus diuinis disputationes: sed aduersarios omnes conuictos & pudefactos fugauit. At illi multitudinem in virum Dei accenderunt, populo persuadentes, nisi illum interficerent, numinum ira, omnes cœlesti igne conflagraturos. Ergo vulgus vanis terroribus incitatum, domum pauperis cuiusdam textoris Ioannis nomine, vbi vir Dei diuersari solebat, facto impetu irrumpit, miserúmque Ioannem cum duobus generis, & filio, qui irruentibus se opposuerant, obtruncant. Ibi vir Dei lacrymis perfusus ad eos egreditur, grauique oratione eorum scelera & impietates, commotamque seditionem obiurgat: inter alia affirmans, Deum in cuius fide salutem essent consecuturi, non alium esse nisi Iesum Christum, qui è cœlo in terram descenderat, vt humanam naturam assumeret: pro hominibúsque morte suscepta, sanguinis sui in Cruce fusi inæstimabili pretio, peccatores Deo iusta satisfactione reconciliauerat: cui Deus omnem in cœlo & in terra potestatem tribuerat: omnibúsque qui in nomen eius crederent, veráque fide & operibus leges eius profiterentur, proposita esse in cœlo certissima & amplissima præmia: omnes Deos quos Bonzij tot cruentis sacrificiis colerent, & adorarent, falsa & vana esse simulachra, quæ dæmones subirent, vt inde falsa oracula, quibus homines in mendacium & errorem pertraherent, funderent. Hæc cùm Sacerdotes audirent, in rabiem furoris acti, magnis clamoribus populo edixerunt. Diris omnino deuotum caput futurum, qui non statim ligna & ignem ad hominem illum viuum comburendum contulisset. Quod cùm summa diligentia & celeritate ab illis factum esset, ingenti accenso rogo, vir ille, signum Crucis opposuit, additis etiam quibusdam verbis, quæ nunc memoria suffugerunt, sed tamen eodem in libro consignata seruantur: statimque ignis mirabiliter extinctus fuit.

Populus viso tam grandi miraculo, magnis vocibus clamare cœpit: Potentissimus est Deus istius hominis, dignúsque quem vniuersa terræ amplitudo adoret & veneretur. Vnus verò qui adstabat Bonzius princeps & auctor coorti tumultus, videns populum iam ab inferenda nece deterritum vltrò abscedere, in virum sanctum lapidem iecit, adiecitque, Qui non fecerit quod me fecisse videt, coluber nocturnus eum in igne deuoret. Ad cuius voces ceteri Bonzij magno saxorum imbre virum Dei oppressérunt. Corpore autem in profluentem demerso, fluminis aquæ, mirum dictu! substiterunt: atque quinque dierum spatio, quo cadauer in medio alueo iacuit, amnis deorsum versus non fluxit. Quo miraculo moti complures, Fidem quam vir ille Sanctus prædicabat, amplexi sunt: multíque ab illis propagati, eandem religionem profitentes iis in partibus degunt. Interim dum hæc nobis Sinæ narrabant, superauimus quandam terræ prominentiam veluti promontorium, vidimúsque colliculum multis arboribus cinctum, in cuius medio ingens Crux lapidea egregij operis posita erat. Cuius aspectu (verè affirmauerim) deficiunt verba, quibus sensum quo tunc omnes Lusitani affecti fuimus, exprimere possim. Cúmque in genua procumbentes Chifuum rogauissemus, vt nos tantisper in terram exponeret, vt videre possemus illud quod homines illi nobis referebant. Impius ille gentilis tantum solatium nobis inuidens, causauit longam nobis adhuc superesse nauigationem ad proximum vsque diuersorium, in quo noctem illam acturi eramus. Ex qua ethnici duritia mœsti admodum reddebamur. Caterùm cùm Dominus Deus noster pro immensa sua pietate vellet nos cœlesti quadam consolatione afficere, nouo quasi miraculo disposuit, vt iam vltra leucam prouecti, redire retrò compulsi fuerimus: siquidem vxorem Chifuui adeo acres dolores partus corripuerunt, vt necesse fuerit ad locum regredi, quem iam reliqueramus. Pagus erat triginta tantum, aut quadraginta domorum, nomine Xifangau, haud longè situm à loco in quo Crux illa, de qua antea dicebam, posita erat. Postquam exscendissemus, Chifuus vxorem parturientem in certa domo collocat, quæ nono demum die cruciatibus victa, animam efflauit. Nos interim omnes Lusitani ad Crucem properauimus, in terrámque profusi, multis lacrymis triumphale salutis nostræ signum piè venerati sumus.

Pagani ista videntes, admiratione primùm defixi, mox ad eandem Crucem accurrentes, nobiscum flexis genibus, manibus in cælum sublatis, simul Crucem adorabant: subinde sæpius eam exosculantes: atque alta voce disertè pronunciantes Sinico sermone: Christo Iesu, Iesu Christo. Maria micau vidau late impone moudel. *Quòd lingua nostra significat:* Christus Iesus. Iesus Christus. Maria semper

virgo illum concepit, & virgo peperit, & virgo permansit. *Nos cum multis lacrymis assentiebamur, id esse verissimum. Cúmque rogassent, num essemus Christiani: respondimus, esse. Quod vt audierunt, effusæ cuiusdam lætitiæ signa edidêre. Nósque in domos suas deducentes, magna charitate pro præsenti copia exceperunt. Qui omnes Christiani erant è genere illius Ioannis textoris, in cuius domo sanctus ille vir hospitatus fuerat. Per otium autem ab illis perquisiuimus, num vera certáque essent quæ nobis Sina de viro illo Dei antea retulerant. Illi verò rem omnem diligentiùs exorsi, cuncta in eandem sententiam accuratissimè exposuerunt. Librum quoque nobis de præclaris illius Sancti viri actis, typis excusum ostenderunt, in quo plurima & egregia descripta erant miracula, quæ Dominus per seruum illum suum illis in terris patrare dignatus fuerat. Affirmabat autem liber ille virum Dei vocatum fuisse Matthæum Escandelium, gente Hungarum, è Buda insigni vrbe oriundum: vitámque eremiticam in monte Sina multis annis excoluisse. Addebatur in eodem Commentario, sepulto viro Dei in eodem fluminis alueo, vbi corpus antèa proiectum fuerat, nono post die vrbem Cohilouzaam in qua vir Sanctus interfectus fuerat, horribili motu terræ contremuisse: ciues verò metu perculsos, in suburbanos agros confugisse, atque ibi in tentoriis habitasse: neminémque in vrbem redire ausum: Bonzios tamen conatos summis viribus populum in domos reducere: sed omnes vno ore instantiùs conclamasse, sanguinem innocentis aduenæ vindictam aduersus Bonzios iniustæ mortis expetere, quòd eum veritatem mirificè prædicantem inhumaniter occidissent. Tum Bonzios grauiter populum increpare vt ab seditiosis & malignis vocibus abstinerent; monere, vt metu deposito, in vrbem se reciperent, non esse cordi diis eam desertam relinqui, spondere sè, summis precibus à Quiay Tiguarem noctis deo impetraturos, vt terræ iuberet, ne amplius moueret: alioqui se ei sacrificia & munera subtracturos. Hinc supplicatione solemni, abiisse Sacerdotes in templum eius Idoli quod principem inter alia locum obtinebat; cùm tamen nullus è ciuibus eos sequi ausus fuerit metu terræ motus. Sequenti verò nocte, quæ priorem terræ concussionem excepit, cùm dæmonis ministri in templo sacrificiis, & suffitibus odoratissimis cum solemnibus ritibus, & cæremoniis, placandis diis operam darent, paulo ante noctis medium, tanto fragore terra succuti cœpit, vt templa, domus, muri, ædificia sedibus diuulsa, miserabili strage momento corruerint: oppressis etiam cunctis Bonziis, nec vno tanta cladi superstite: quorum tunc quatuor millia periisse pro certo traditur. Rupta quoque est terra pluribus locis magnas aquarum scaturigines ebulliens, apertáque vorago reliqua vrbis hausit: vbi tunc lacus extitit immensæ profunditatis. Atque ad hodiernum vsque diem vrbs illa appellatur Fiunganorsée, quæ vox Sinarum lingua cæli vindictam exprimit: cùm anteà vocaretur Cohilouzaa, quod vt superiùs dixi, Florem Campi significat. Hæc & alia sanè rara & incredibilia iidem ipsi Christiani nobis referebant, quæ nos in magnam admirationem & stuporem coniecerunt.* Hactenus Ferdinandus Mendez Pintus, qui ab anno Domini MDXXXVII. vsque ad MDLVIII. spatio viginti vnius annorum, per Orientis regiones, incredibili labore, casibúsque ad prodigium vsque stupendis, vt nihil simile vel Græca vel Latina, narret historia, peregrinatus est.

Porrò ipsa Sinarum ad fidem Christi conuersio, quantæ sit difficultatis hoc tempore, probè sciunt, qui eius gentis mores, opes, luxum, fastum, superbiam, delicias, voluptates, licentiam, & vitæ omnem rationem Christianis institutis è diametro adeò contrariam pernouerunt. Introspexit ista Maffeius Rerum Indicarum lib. 6. cùm ait: *In hosce mores & instituta Christi disciplinam inserere, quanta sit molis, quilibet non imperitus rerum existimator facilè iudicauerit. Obstant regia edicta, & difficultas introitus, obstant conspirationes antistitum, qui peregrina in eas terras inferri sacra, & extorqueri sibi nefarios quæstus, & coargui mendacia minimè patiuntur. Obstant regionis feracitas, & libidinum illecebræ, & cætera malorum irritamenta: & quo nihil cœlesti Philosophiæ inimicius est, fastus & superbia, & suarum omnium rerum amor quidam infinitus. Accedit educatio puerilis, & fabulæ, & opinionum hausta cum ipso lacte peruersitas. Verùm nihil planè maiori est impedimento, quàm nostratium Christianorũ (quos ethnicis præluceré ad omnem iustitiam & castitatem opportunum erat) tãto nomini ac professioni minimè consentanea quotidianæ vitæ documenta. Neque enim tantam spectata paucorum innocentia & virtus adstruit Euangelio fidem, quantam insignis multorum, & notissimi ferè cuiusque auaritia & improbitas adimit.*

Hoc igitur tam arduum & difficile opus, strenuè cœptum est nostra ætate à multis Verbi Dei ministris exerceri, in id omnes suos conatus & studia summa alacritate conferentibus, si quomodo possint in tam ingens & latè patens Imperium Christianam religionem propagare. Aggressi sunt præclara hæc molimina complures diuersorum Ordinum Religiosi viri Prædicatores, Augusti niani, Frãciscani, Iesuitæ, nõ paruámque Euangelij semẽtem in magnis hisce regionibus hactenus variis occasionibus fecerunt. Faxit Deus vt inclyti terrarum populi benignas Euangelio aures præbeant; atque ad veri Dei cognitionem, vnigenitíque Filij eius salutarem doctrinam fideli ministrorum opera traducantur. Habent Prædicatores & Franciscani Cœnobia in Macaoo, in qua vrbe est Episcopus, Patréque Societatis Iesu in Regno Sinarum, præter Collegium Macaense, quatuor habent Residentias, nempe in Sciaucheo, Nauciam, Sciauchino, Paquim, quæ est Regni Metropolis. De statu verò Christianismi in China, & quem iam ibi fructum Patres Societatis collegerint, consule Annales Relationes Ferdinandi Guerreri annorum 1607. 1618. lib. 3. cap. 22. & 23. & Opus Nicolai Trigautij de Christiana Expeditione apud Sinas.

Iam de fundata Christiana religione in amplissimis insulis & Imperio Iaponiorum, innumeræ sunt recentiores historiæ, & relationes quæ id affirmant, & fusè referunt, præsertim agunt de his Ioannes Petrus Maffeius lib. 12. & 14. Rerum Indic. & libris 4. select. epistolarum ex India, Horatius Tursellinus de Vita Francisci Xauerij lib. 4. per 17. integra capita, Martinus Ignatius Franciscanus in Itinerario Noui Orbis, cap. 14. & alij. Celebre illud martyrium viginti sex martyrum, in quibus erant sex Franciscani Patres, qui pro Christi fide in Iaponia, anno Domini MDXCVIII. Februarius V. Feria IV. sunt Crucifixi, multorum litteris cõsignatum extat. Habemus eius martyrij nos fidelissimam relationem manuscriptam, eius qui præsens interfuit, & cuncta oculis vidit, diligentérque annotauit. De statu verò Christianitatis, in Iapone anno 1607. & 1608. multa habet Ferdinandus Guerretus, Annalium Relationum lib. 3. cap. 1. vsque ad 21. Sed & Patres Ordinis Prædicatorum, Minorum, Augustinianorum mirificam nauant operam in conuersione Iaponiorum.

De

De Inſulis Philippinis & Molucis notiſſimum eſt quàm latè iam in illis ſit plantata Chriſtiana religio, per Auguſtinianos, Prædicatores, Franciſcanos, Ieſuitas. Vide Ioannem Gonzalez in Hiſtoria Sinarum, parte 2. capite 1. Martinum Ignatium in Itinerario Noui Orbis capite 7. & 8. Petrum Chirinum in Relatione rerum Philippinarum edita Romæ, anno MDCIV.

In Regno Quachinchinæ etiam prædicatum iam eſſe Chriſti Euangelium, initióque naſcentis & coaleſcentis ibi Chriſtianæ Fidei, aliquot inſignia patrata miracula, Martinus Ignatius in Itinerario Noui Orbis, cap. 15. affirmat: qui in Regno illo fuit.

Exponitur Oraculum Iſaïæ de Sinarum conuerſione ad Fidem Chriſti aliquando futurâ.

CAP. XVII.

QVæ maximi momenti habenda eſt hoc tempore inueſtigatio, cum cura diſquirendum, num in Scriptura ſacra aliqua poſſint reperiri vaticinia, de Sinarum ad Chriſtianam fidem adductione, quæ ſanè hac iam noſtra ætate adornatur. Haud paruo cum fructu admoneri poſſe videntur Sinæ à verbi miniſtris, qui apud eos Euangelium inſerere conantur, ante multa ſæcula extare apud nos diuina quædam oracula, quibus prædictum ſit Sinas nobiliſſimam gentem tandem ad Chriſtianam religionem acceſſuram. Nam cùm viderint in tam vetuſtis vaticiniis ſui rationem habitam, ſéque tam longè antè prænunciatos: non parum momenti ea res habitura videtur ad alliciendos Sinarum animos ad Chriſti veri Dei cognitionem. Ad eum planè modum quo, Iudæos Alexandro Magno librum Danielis, qui de eo vaticinabatur, oſtendiſſe, Ioſephus Antiquit. lib. 11. capite 8. narrat, ſic ſcribens: *Oſtenſóque ſibi Danielis libro, in quo Græcum quendam Perſas debellaturum ſignificat, hunc ipſum ſe eſſe interpretatus, lætus dimiſit multitudinem.*

Iſaïas ergo 11. 11. inquit: *Et erit in die illa. Adiiciet Dominus ſecundò manum ſuam ad poſſidendum reſiduum populi ſui, quod relinquetur ab Aſſyriis, & ab Aegypto, & à Phethros, & ab Aethiopia, & ab Aelam, & à Sennaar* (Hebraïcè, Sinear) *& ab Emath, & ab Inſulis maris.*

Non ſolùm hîc Iudaïcarum reliquiarum, ſed etiam Gentium præſertim Orientalium ad fidem Chriſti acceſſionem Iſaïam canere, & S. Hieronymus annotauit, & S. Cyrillus, & optimi quique Interpretes, Lyranus, Vatablus, Forerius, Adamus, Caſtrus, agnoſcunt. Ceterùm terrarum nomina quæ hîc Prophera recenſet, tribus tantùm exceptis, Aſſyria, Ægypto, & Æthiopia, quæ cunctis ſunt nota, quibuſnam nunc regionibus aut locis reddenda ſint, priùs eſt explicandum פתרוס, *Phethros*, vel *Pathros*: habetur id nomen totidem litteris in Hebræo Ieremiæ 44. 1. Ezechiel. 29. 14. & 30. 14. vbi vulgatus habet *Phathures*: eſtque nimis perſpicuum in his locis eſſe Ægypti regionem, ex diſertis verbis vtriuſque vatis. Vnde S. Hieronymus in Locis Hebraïcis: *Phathures regio Aegypti iuxta Ezechiélem & Ieremiam, in qua profugi habitauerunt Iudæi.* Et in 29. Ezechiélis ait: Phathures eſſe metropolim Ægypti. Hinc inter filios Metzraim, hoc eſt Ægypti Geneſ. 10. 14. ponuntur *Pathruſim.* Vbi Tremellius & Iunius: *Pathroſæos, Phaturſios Ptolemæo, Pharuſios Plinio, dictos ab ipſorum auctore Pathros de quo Iſaiæ* 11. 11. *Peluſios exponit Ieroſolymitanus: ſed vt aſſentiar, vetat hiſtoria Exodi.* Pharuſios quoque exponit Hugo Brougthonus in Concentu Sacræ Scripturæ, pag. 4. Conradus Pellicanus comment. in Geneſ. 10. Peluſianos interpretatur. At hoc loco Iſaiæ Pathros eſſe Parthos voce congruente, exiſtimant Vatablus, & Caſtrus. Alij verò voce non abludente, Arabiam Petream, à Petra metropoli, vt Clarius, Forerius, Pintus in 11. Iſaiæ, Mercerus in Geneſ. 10. v. 14. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ pag. 32. Marinus tamen potius eſſe hîc regionem Ægypti exiſtimat. Ego Parthos eſſe magis crediderim, quòd iam Iſaïas Ægyptiorum proximè feciſſet mentionem. Si ſono vocum aliquid tribuendum Plinius lib. 6. capite 28. Parthuſos ſuprà Suſianos in Perſide collocat. LXX. Interpretes hîc pro *Phathros*, *Babyloniam* poſuerunt, quod ſequuntur Euſebius lib. 2. Demonſtr. Euangelicæ, capite 41. S. Baſilius, S. Cyrillus, Procopius in 11. Iſaiæ. Chaldæus, *Bathiozʒ* dixit: ſed quid ſit *Bathiozʒ* diuinare neſcio, niſi ſint Bactra. Nec omitto eundem Chaldæum hîc pro Æthiopia, Indiam tranſtuliſſe: vel quod Æthiopia India quoque dicta reperiatur, vt capite 19. dicemus: vel quòd hîc Vatem de Orientali India vaticinatum putauerit.

De Ælam verò Ioſephus lib. 1. Antiquit. capite 7. *Elymus* filius Sem *poſteros reliquit Elymæos, à quibus Perſæ originem traxerunt.* S. Hieronymus in Quæſt. Hebraïcis in Geneſim: *Eſt autem Elam, a quo Elamitæ Principes Perſidis.* Aſſentiuntur omnes Elamitas eſſe Perſas: quod etiam ex Daniéle 8. 2. liquet, vbi dicitur, Suſam vrbem eſſe in regione Elam, cùm perſpicuum ſit Suſas in Perſide fuiſſe. Strabo libro 15. 16. 17. Elymæos Mediæ, Suſianæ & Perſidis confines facit. Ptolemæus lib. 6. capite 2 & 3. Elymaydem & Elymæos Mediæ & Suſianæ conterminos conſtituit: nec ab his diſſentit Plinius lib. 6. cap. 25. 26. 27. & 34. qui pluribus de Elymaide agit. Clarius & Forerius, per Ælam, Medos, Sogdianos, & Bactrianos in hoc Iſaiæ loco interpretantur. Meminit Ælamitarum S. Lucas Actor. 2. 9. quos Parthis, Medis, & Meſopotamiis coniungit.

Æmath autem extitiſſe in terra Damaſci ex Ieremiæ 49. 23. & Zachariæ 9. 2. exploratum habetur. S. Hieronymus, Traditionibus in Geneſim: *Amath vſque ad noſtrum tempus, tam à Syris quàm ab Hebræis, ita vt apud veteres dicta fuerat, appellatur. Hanc Macedones, qui poſt Alexandrum in Oriente regnauerunt, Epiphaniam nuncupauerunt. Nonnulli Antiochiam ita appellatam putant. Alij licèt non verè, tamen opinionem ſuam quaſi veriſimili vocabulo conſonantes, Emath primam ab Antiochia manſionem, Edeſſam pergentibus appellari putant, & eandem eſſe*

quæ apud veteres dicta sit Emath. Et in locis Hebraïcis : *Ego autem inuestigans reperi Emath vrbem Cœles-Syriæ appellari, quæ nunc Græco sermone Epiphania dicitur.* Et posteà : *Emath in Isaia Damasci ciuitas, quam oppugnauit Rex Assyriorum. Meminit huius Zacharias & Ezechiel. In Amos quoque Emath rabba scribitur, quòd nobiscum sonat, Emath magna. Diximus de hac & suprà, quod nobis videretur hanc esse Epiphaniam iuxta Emesam, quæ vsque hodie Syro sermone sic dicitur.* Et epist. 129. ad Dardanum : *Emath, quæ appellatur Epiphania Syriæ.* Et in 6. Amos vers. 1. elucidans illud : *Ite in Emath magnam*, inquit ; *Emath magnam quæ nunc Antiochia nominatur : magnam autem vocat ad distinctionem minoris Emath, quæ appellatur Epiphania. Vnde vsque hodie pergentibus Mesopotamiam, prima mansio vocatur Emmas, corrupto quidem vocabulo, sed pristini nominis vestigia retinens.*

Theodoretus interpretans illud Ieremiæ 39. 5. *in Reblatha, quæ est in terra Emath*, ait : *Subditus est autem locus ille regioni Emesæ, ita vt manifestum sit, Emath hîc vocari Emesam.* Et in 49. Ieremiæ, vers. 23. ad illud, *Confusa est Emath*, inquit : *Emath, vt anteà iam diximus, nuncupat Emesam. Est enim alia Emath, quæ etiamnum dicitur Epiphania.*

Cetcrùm his vetustior Iosephus lib. 1. Antiquit. capite 7. *Amathus verò Amathem habitauit, quæ adhuc extat, & ab accolis Amathe vocitatur : tametsi hanc Macedones Epiphaniam, ab vno è regum successoribus denominauerunt.* Nempe Epiphane Antiocho : S. Hieronymus in 9. Zachariæ : *Emath ipsa est quæ ab Antiocho Epiphane condita, ex eo nomen accipiens, dicta est Epiphania, & nunc Syriæ Cœles est ciuitas.* De Epiphania Cœle-Syriæ vrbe agit Plinius libro 5. cap. 23. 24. Ptolemæus lib. 5. capite 15. Verùm de Emath plura scripserunt Masius in 19. Iosuë, vers. 35. Pererius lib. 15. in Genesim, disputat. 9. num. 121. Adrichomius in Theatro Terræ Sanctæ, in Tabula Nephtalim, Christophorus Castrus in 49. Ieremiæ, vers. 23. LXX. hîc pro *Emath*, *Arabiam* dixerunt, vt etiam S. Basilius, S. Cyrillus, Procopius in hunc locum, & Eusebius lib. 2. Demonstr. Euangelicæ, capite 4. At Clarius & Forerius annotant, Emath nomine innuisse Isaïam Antiochiam, Ciliciam, Taurum, Armeniam, & alias nationes confines.

Sinear distulimus, quòd proptiè sit nostri instituti. De ea voce, eiúsque significato plura dicemus lib. 6. cap. 7. nunc assentimur Francisco Forerio, hæc annotanti : *Per Sinear autem sunt qui Babylonios, & Chaldæos intelligunt : nam Genes.* 10. *dicitur Babylon & Chalane, &c. esse in terra Sinear. Sunt & populi ad Orientem, qui Sinæ dicuntur, quorum iam meminit Ptolemæus lib. 7. cap.* 3. *Indis vltra Gangem finitimi, nobis Lusitanis notissimi, quos Chinas appellamus. Et fortè totus ille terræ tractus à Mesopotamia versus Orientem* שנער *Sinear dictus est à* שער, *Saar, id est, horruit, inserta littera* נ, *quòd natura & moribus horridi sint populi, qui terras illas incolunt.* Ceterùm natio etymi displicet, quòd Sinæ nihil minus sint quàm natura & moribus horridi, cùm sint mirè cultissimi & politissimi : ipsíque elato supercilio reliquas omnes gentes præ se contemnant, rudes, inertes, barbaras putent ; de suis tantùm ipsi rebus, magnificè & gloriosè sentiant, & prædicent : nostris tamen hominibus nonnihil tribuant : quippe Sinas vtroque oculo præditos iactant ; Europæos altero ; cæteros neutro, vt Haithonus de Tartaris cap. 1. Maffeius lib. 6. Gonzales, & plerique alij referunt. Potiùs sic dictos existimauerim, quòd horrida, & dæmoniaca religione sint præ cæteris imbuti, horridísque ac pilosis Satyris & dæmonibus sacrificent. Vel dici à *Naar* נער adiecto ש, quasi excussos, hoc est, separatos & diuulsos à commercio aliarum gentium, in extremis Orientis oris ; à cognitione hominum remotos : vel penitus hactenus excussos à vera Dei cognitione & religione, volutati per tot sæcula in profundo infidelitatis.

Ergo verbis & sensui Isaïæ accommodatissimum videtur, vt Sinear nomine Sinarum gentem etiam adumbrauerit : consonátque LXX. translatio quæ hîc pro, à *Sennaar*, reddiderunt, *ab Ortu Solis*, qua quoque ratione Eusebius Cæsariensis lib. 2. Demonstr. Euang. cap. 21. S. Basilius, S. Cyrillus, Procopius legerunt : constat autem id nomen aptissimè Sinis conuenire, qui in toto veteri orbe sint omnium gentium Orientalissimi. Sensúmque Prophetæ hunc rectè concipimus, Deum, Secundò, id est, tandem, postremò, (hunc enim interdum esse eius vocis *secundo* vsum obseruauerunt Masius & Montanus in 5. Iosuë, vers. 2.) missurum manum suam, id est, opem potentissimam diuini auxilij per auditum verbi, ad reducendum in ouile Christi, plurimas Gentes, atque cum primis Sinas, vt in possessionem eius & veram Dei religionem & Ecclesiam aggregentur. Expositio est simplex, perspicua, congruens ; cur eam repudiabimus ? Quin & S. Hieronymus nescio quid eiusmodi innuisse videtur in Commentariis huius loci, cùm ait : *Tradunt Ecclesiasticæ historiæ, quòd Apostoli in toto orbe dispersi Euangelium prædicauerint, ita vt quidam Persas, Indosque penetrarent, & Aethiopia daret manus suas Deo : & trans flumina Aethiopiæ inde Christo munera deferrentur. Ac ne solùm Orientales populos significare videatur, iungit & reliqua, Et ab insulis maris. Insulas autem maris Occidentalem plagam significat, quæ Oceani ambitu clauditur.*

Verùm cùm post Sinear, id est, Sinas, insulas maris Isaias ponat, rectè has Insulas, Iaponiorum, Philippinas, Molucas, & infinitas alias magni illius Orientalis Archipelagi intelligere possumus. Quamuis vulgo interpretes cum S. Hieronymo, Insulas maris, Græciam, Germaniam, Galliam, Italiam, Hispaniam, Mauritaniam, & cæteras regiones maritimas, ad quas mari adibatur, interpretentur, vt Clarius, Forerius, Adamus, Montanus, & alij.

Est alter Isaïæ locus 49. v. 12. *Ecce isti de longè venient : & ecce illi ab Aquilone & Mari : & isti de terra Australi.* Loqui vatem de conuersione gentium, consensus Interpretum est. Pro, *de terra Australi.* Hebraicè est, *de terra Sinim* ; neque hæc vox alibi in Scriptura reperitur. LXX. *de terra Persarum.* S. Hieronymus intelligit, montem Sina & desertum Sin, Exodi 16. 2. quæ Iudææ sunt ad Austrum. Hoc sequuntur, Forsterus, Mercerus, Immanuël Tremellius, Franciscus Iunius, Vatablus, Forerius, & alij. Marinus *Sinim* putat esse pluralem nominis *Sini*, qui

qui inter Chananæ populos cenſetur à Moſe Geneſ. 10. v. 17. de quo nos pleniùs ibi in Notis Hebraïcis egimus. Tremellius, Iunius, Montanus in Iſaiæ 49. v. 12. Cornelius à Lapide in Geneſ. 10. v. 17. exiſtimant, *Sinim* eſſe Sinas inclytam gentem Orientalem, cuius ad fidem Chriſti acceſſionem eo loco Iſaias vaticinetur. Vide Montanum.

Explicatur aliud Iſaiæ vaticinium de Indorum & Sinarum ad Chriſtianam Religionem acceſſione.

CAP. XVIII.

SAnctus Propheta Iſaias cap. 18. 1. in hunc modum diſſerit: *Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ, qui mittit in mare legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas. Ite angeli veloces ad gentem conuulſam, & dilaceratam: ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius: ad gentem expectantem & conculcatam cuius deripuerunt flumina terram eius.* Et verſu 7. ſubdit: *In tempore illo deferetur munus domino exercituum à populo diuulſo & dilacerato: à populo terribili, poſt quem non fuit alius, à gente expectante, expectante & conculcata, cuius diripuerunt flumina terram eius, ad locum nominis Domini exercituum montem Sion.*

S. Hieronymus, S. Cyrillus, Procopius, & recentiores Lyranus, Clarius, Adamus, Pintus, Sà, Didacus Aluarez, Gabriel Aluarez in hunc locum, Ribera in Sophoniæ 3. terram vltra flumina Æthiopiæ Alexandriam, ſeu Ægyptum interpretantur, cuius maior pars eſt vltra ſeptem illa celebrata oſtia Nili, quæ hîc Vates *flumina Æthiopiæ* vocat: quòd in Æthiopia Nilus oriatur. Forerius hîc, & Palatius in 3. Sophoniæ, indicatam putant Æthiopiam interiorem, quam incolunt Abyſſini Chriſtiani, cuius ad fidem Chriſti conuerſionem nunc vaticinetur Iſaias. Hanc enim conſtat eſſe vltra Nilum, Aſtaborem, Aſtapodem, Aſtapum flumina Æthiopiæ, de quibus Strabo lib. 17. Plinius libro 5. capite 9. Ptolemæus lib. 4. capite 8. Clarius, Tremellius, & Iunius, Æthiopiam ſub Ægyptum, ad mare Rubrum, & Meroen inclytam Nili inſulam ab Iſaia deſignatam annotant. Ioannes Guilielmus Stukius in Scholiis ad Periplum Maris Erithræi, pag. 6. locum de regione Troglodytica interpretatur. Ipſum vide. Conradus Pellicanus in Commentariis Iſaiæ, hæc annotat: *Terra vehementer vmbroſa ex alis volucrum, vltra flumina Chus, quæ Æthiopia eſt, videri poteſt ſignificare latè patens Romanum Imperium, veluti ſub Aquilarum alis, regiones remotiſſimas protecturum. Ad quod, & de quo Propheta hîc prophetiam breuem ſcripſit.*

S. Cyrillus in Commentariis ſingularem ac mirabilem huius Iſaiæ oraculi interpretationem attulit, quam totam vtpote ſcitu dignam, hîc inſerimus: *Væ terræ nauium alis, vltra flumina Æthiopiæ. Qui mittit in mari obſides, & epiſtolas chartaceas ſuper aquas. Ibunt enim nuntij leues ad gentem excelſam & peregrinum populum & durum. Quis vltra illum? Gens deſperata, & conculcata. Difficilis eſt admodum horum dictorum ſententia, continet autem hiſtoriæ Græcanicæ narrationem, quam etiam commemorare oportet, non vt ab officio, decoróque Chriſtiani ſermonis deuiemus: ſed vt ſententiarum explicationem auditoribus perſpicuam faciamus. Habet verò ſe hoc modo hiſtoria. Fabulantur quidam apud Græcos Poëtæ, Myrrham fuiſſe Cumyri cuiuſdam filiam: qui effræni impetu ad voluptatem ferebatur, ac cum propria filia congreſſus libidinoſe, eam fecit pueri matrem, quem etiam nominauit Adonidem. Quo facto erubeſcentes, & naturæ legibus, impij flagitij conuictus, in monte, vt fertur, infantem expoſuit. Acceperunt autem eum quædam Nymphæ ex illis, quas etiam Montanas vocant dæmonas, educarunt, & conſeruarunt. Qui cùm ad pubertatem, & ad iuuentutis maturitatem profeciſſet, venuſtiſſima forma eſſe videbatur: venationémque exercuit, ſtudium illud in ſyluis diligenter colebat. Quem tunc, vt aiunt, conſpicata illic Venus, meretricia muliercula, amare, coire, & nunquam non amplecti. Quo offenſus Mars æmulus & riualis Veneris, ſuis forma aſſumpta, in venantem inſilit. Perit ille è veſtigio. Quæ res cauſam luctus Veneri præbuit: itaque conſternata, metúque confecta eſt, vt ad Orcum vſque deſcenderet, amaſium reductura.*

Cùm autem Plutonis vxor adoleſcentulum impendio quàm complecteretur, & pulchritudine mirabili præſtantem non dimitteret, conuenerunt inter ſe, vt anni periodo diuiſa, & alternis vicibus eum haberent. Reuerſa Venus cùm hoc ſuis familiaribus, ſeu amicis, ſeu cultoribus renunciaret, in feſtum res exiit ac panegyrim. Itaque Græci hinc latè feſtum excogitauerunt, vt ſe cum Venere propter mortem Adonidis mœſta condolere, & lugere: redeunti autem ex Orco, & inuentum eſſe dicenti, quem quæſiuerat, gratulari, & vnà exultare ſimularent. Hoc quoque ex ſanguine Iſraëlitico orti didicerunt, idque ipſum factitarunt: Deo videlicet natura & verè derelicto, ad id quod fas non erat, delapſi, & dæmonum impoſturis in perniciem & interitum imprudenter abrepti.

Meminit huius etiam B. Propheta Ezechiel: dixit enim ſic: Et vidi, & ecce mulieres ſedentes, lugentes Thammuz. Exponitur autem Thammuz Adonis. Factum eſt autem tale quiddam ab iis qui erant in terra transfluuios Æthiopiæ, de qua in ſuperioribus paulò planiùs diximus. Accepto fictili, dein conſcriptam in papyro epiſtolam, ad fœminas, quaſi inuento Adonide, ac fictili impoſitam, & obſignatam, in mare dimiſerunt, quibuſdam celebratis cæremoniis: &, vt dicebant, temerè, & ſua ſponte in Byblum (Phœniciæ vrbem) *iuxta manifeſtos anni dies perferebatur. Quod vbi illæ fœminæ Veneris amicæ vnà cum epiſtola accepiſſent: perinde ac ſi repertus fuiſſet à Venere Adonis, luctum poſuerunt. Irridet ergo ſermo propheticus nos velut idololatras impios, ſeductores, Dei hoſtes, eos qui terram eam inhabitant transfluuios Æthiopiæ, & inquit: Qui mittit in mari obſides, & epiſtolas papyraceas per aquam. Hoc etiam omnino ſequitur væ, quemadmodum certè alas nauium: Væ enim, inquit, terræ nauium alis. Quare in commune extendit illud, Væ, ad eum etiam qui mittit in mari obſides, id eſt, concordiæ, ac conſenſionis pignora. Nam perinde quaſi Veneris myſteria celebrarent, eam in papyro colentibus, ac pari laborantibus inſania, miſerunt epiſtolas, non impoſitis naui tabellariis, ſed velut per aquas, eo quòd, vti dixeram, eas in vrcelo poſuerunt. Coacti ſumus, ſolùm vt verborum intelligentiam declararemus, fabulas putidas & aniles, & Græcam abominationem commemorare.* Hactenus S. Cyrillus.

Cuius tota interpretatio mirificè illustratur ex Luciani narratione in Dea Syria, quæ est eiusmodi: *Porrò & Bybli vidi templum magnum Veneris Byblię cognomento, in quo & ritus quosdam in Adonidem peragunt. Cognoui autem & ipse ritus eos. Dicunt igitur factum illud, quo ab apro percussus Adonis fuit, in sua terra contigisse, & in memoriam rei verberantur annis singulis, & lamentantur, & ritus solemnes peragunt, ac ipsis magni adeò luctus per totam regionem indicuntur. Postquam autem iam verberandi, ac deplorandi finis factus est, principio quidem inferias Adonidi peragunt, perinde ac mortuo tum existenti, postea autem sequenti die, & viuere ipsum dicitant, & in aërem sursum mittunt, & capita detondent, quemadmodum Agyptij quando apud ipsos Apis mortuus est. Ex mulieribus autem quæcunque tondere non volunt, talem pœnam exoluunt: vnum quidem diem ad quæstum corpore faciendum prostant: forum autem illud solùm peregrinis exhibetur: & quòd inde mercedis auferunt, hoc Veneri in sacrificium dant. Sunt autem ex Byblijs nonnulli qui dicunt apud sese humatum esse Osirim Ægyptium, luctúsque & ritus hosce non Adonidi, sed Osiridi omnes fieri. Dicam autem & vnde fidem eius rei sibi faciant. Caput vno quoque anno ex Ægypto Biblum defertur, septem diebus, quantum spatij ex illa in hanc est, enatans. Ac venti ipsum ferunt diuina quadam remigatione. Vertitur autem nusquam aliò, sed solùm Byblum perfertur, & est in summa mirum quiddam. Et hoc quouis anno fit, quemadmodum & me præsente, tum Bybli factum est, & caput ipsum spectaui è papyro effigiatum. Est autem & aliud miraculosum in terra Bybliorum: fluuius quidam ex Libano monte in mare defertur: fluuio nomen est Adonis. Hic quotannis cruore inficitur, & colorem amittit, & in mare exiens, ipsum quoque pelagus magna ex parte purpureum efficit, Byblisque lugendi tempus indicat. Fabulantur autem quòd illis tum diebus Adonis per Libanum saucietur, & cruor illius in aquam delatus, fluminis colorem mutet, eidémque nomen præbeat.* Hæc Lucianus. Ceterùm de Adonide plura Lilius Gyraldus Syntagmate 14. de Diis Gentium. Atque hæc Luciani & illa S. Cyrilli cumprimis faciunt ad intelligendum locum Ezechielis 8. 14. *Mulieres plangentes Adonidem.*

Nec minùs mirabilem huius loci aliam explanationem attulit Theophylactus, quam hîc etiam intexere operæ pretium fuerit. Is enim enarrans illud ex Actis Apostolorum 28. vers. 21. *Nos neque litteras de te accepimus & Iudæa, &c.* inquit: *Antequam Paulus Romam veniret, admoniti erant Iudæi, ne susciperent prædicationem de Christo: ac non illi soli, verùm etiam qui vbique terrarum erant Iudæi. Sed vnde hoc constat? Inuenimus in scriptis antiquorum, eos qui in Ierusalem habitabant Sacerdotes, Scribas, ac Seniores in omnes nationes ad eos, qui vbique essent Iudæos, dimisisse litteras, quibus obtrectarent doctrinæ Christi, vt quæ aliena esset à Deo: itaque admonebant ne reciperent illam. Atque hoc ipsum etiam significare videtur prophetia Isaiæ quæ dicit: Væ terræ, nauigiorum alæ, vltra amnes Æthiopiæ: qui mittit in mari pignora, & epistolas papyraceas super aquam. Per quod significatur, etiam vltra regionem Æthiopum, & extremas oras terræ sonum improbitatis eorum, qui Iudæam incolebant, per quædam quasi volantia nauigia progressum esse, & eorum Apostolos, id est, nuntios & legatos epistolas papyraceas ferentes, super aquas nauigantes, & in mari versantes, in omnes terras discurrisse, doctrinæ de Seruatore nostro obtrectantes. Apostolos autem, id est, legatos & nuntios adhuc etiam nunc nominare solent Iudæi, qui litteras passim ab illorum magistratibus acceptas, vltrò, citróque ferunt. Reliqua autem pars prophetiæ, de discipulis Seruatoris nostri loquitur: quos, quoniam omnibus hominibus bona annuntiabant, nuntios leues nominat, & expeditos, vt discerneret eos à Iudaïcis Apostolis, de quibus locutus erat.*

Et Oecumenius in Scholio Argumenti in Epistolam ad Rom. eisdem ferè verbis quibus Theophylactus ait: *Priusquam Paulus Romam accederet, admoniti erant Iudæi, ne prædicationem de Christo susciperent: nec solùm ipsi, sed & omnes qui vbique locorum degebant. Verùm vnde id manifestum est? Inuenimus in veterum Commentarijs, quòd Sacerdotes & Scribæ, ac Seniores qui Ierosolyma inhabitabant, exaratas litteras ad omnes nationes transmiserant Iudæis, vbicunque terrarum dispersi essent, Christi doctrinam calumniantes tanquam à Deo alienam: atque epistolis admonebant, ne illam susciperent. Hoc ipsum certè videtur Isaiæ Prophetia significare, quæ sic habet: Væ terræ nauium alæ, trans flumina Æthiopiæ: (ὁ ἀπόστολος ἑλλων) qui mittit per mare obsides, ac litteras papyraceas super aquam. His significat quòd vltra Æthiopum quoque regiones, & nouissimos terræ fines, sonus malitiæ eorum qui Iudæam inhabitant, per quædam veluti alata nauigia processerit: & illorum Apostoli litteras papyraceas deferentes, super aquas nauigantes mareque transeuntes, vbique terrarum discurrebant, sermonem qui de Saluatore nostro erat calumniantes. Porrò ad hoc vsque tempus moris est Iudæis, Apostolos appellare eos, qui quotidiana epistolia ab ipsorum magistratibus deferunt. Quod autem in prophetia sequitur, de discipulis Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi dicitur: quos, eo quod omnibus hominibus bonorum euangelizatores, siue nuntij sunt, Angelos leues appellauit, ad eorum distinctionem quos Iudaïcos Apostolos significauerat.* Eadem habet omnino in 28. Actorum.

Ante Oecumenium & Theophylactum Procopius Gazæus in Isaiæ Commentarijs eandem expositionem tradiderat in hunc modum: *Væ terræ, nauium alæ, supra fluuios Æthiopiæ. Qui mittit in mare obsides, & epistolas byblinas supra aquas. Ibunt enim nuntij celeres ad gentem excelsam, & peregrinum populum, & grauem, &c. Iudæorum Principes qui Romæ agebant, Paulum à quo fidem Christi docebantur, his verbis allocutos esse legimus Actor. 28. Nos neque litteras de te à Iudæa accepimus: quasi scriptis vbique per eos qui in Iudæa essent litteris, Christi prædicationem non admitti significetur. Verùm pro eo quòd obsides legimus, Senes, Aquilas, & Apostolos Symmachus transtulerunt. Eorum ergo vicem non solùm, sed terræ ipsius etiam, cuius adeò creuit iniquitas, vt ad Æthiopes etiam penetrarit, Propheta lamentatur. Indéque est, quòd secundùm Symmachum, Væ terræ sonus alatus vltra Aethiopiæ fluuios peruenit, scriptum legimus. Eorum enim sermo, qui aliis ista per litteras significarunt, tanquam sonus aliquis superatis Aethiopiæ montibus, ad vltimos vsque orbis fines, nauibus, non aliter quàm alis, euolauit. Ipsi denique vbique gentium terra, marique profecti Apostoli, id est, nuntij, byblinas epistolas detulerunt. Nam & nunc etiam Apostolos appellamus, qui Principum litteras ferunt quocumque ipsi iusserint. Verum quo loco, Ibunt nuntij celebres, legimus, Ite, dicunt cæteri: tanquam hoc primum ad Saluatoris Christi discipulos referatur, quos vt à Iudæorum distingueret Apostolis, hoc nomine appellauit.* Hæc Procopius.

Nec

Nec dubium est Procopium suam interpretationem ab Eusebio Cæsariensi accepisse, de quo S. Hieronymus in hunc ipsum Isaiæ locum hæc refert: *Eusebius Cæsariensis in præsenti capitulo aduersum Iudæos & Ierosolymam dicit prophetiam dirigi: quod in principio fidei Christianæ ad totas gentes epistolas miserint, Ne susciperent passionem Christi: & miserint vsque ad Aethiopiam & Occidentalem plagam: totúmque orbem huius blasphemiæ dissemination compleuerint.*

Equidem Iudæos eas epistolas misisse S. Iustinus Martyr eis in faciem exprobrat Dialogo aduersus Tryphonem Iudæum, pag. 181. cùm ait: *Cum eum Christum cognouissetis resurrexisse à mortuis, atque in cælum conscendisse, pro eo atque futurum vaticinia præmonstrauerant: tantùm abest, vt resipiscentes pœnitentia de malis commissis duceremini, vt etiam viros eximios, Ierosolymis delectos, in terram omnem tum legauerutis, dicentes, hæresim, sectámque Christianorum, nullius numinis cultricem extitisse: atque ea contra nos sermonibus spargentes, quæ cuncti qui nos non norunt, iactant.* Et pag. 262. *Verùm tantùm abest, vt pœnitentiam egeritis, postquam eum à mortuis resurrexisse accepistis, vt etiam prout anteà memoraui, eximiis delectis viris, in omnem terrarum orbem eos miseritis, qui renuntiarent, hæresim & sectam quandam impiam & iniquam excitatam esse, à Iesu quodam Galilæo, plano, & seductore: quem à vobis crucifixum discipuli eius noctu è monumento, vbi à cruce refixus, positus erat, furto sustulerint, & homines in errorem abduxerint, asseuerantes à mortuis eum excitatum esse, atque in cælum ascendisse: quique calumniosè sermonibus spargerent, docuisse etiam ea illum, quæ impia & iniqua, & impura, apud omne genus hominum esse iactatis, contra eos qui illum Christum, & Doctorem, & Filium Dei esse profitentur.* Hæc S. Iustinus: quæ sunt mirè consentanea illis quæ scribit Matthæus 28.14. & 15.

Quod attinet ad Iudæorum Apostolos, eorúmque ministerium atque functionem, S. Epiphanius hæresi 30. cùm mirabilem historiam texit de Iosepho Iudæo Comite, ad fidem Christi conuerso, de dignitate eiusdem quam in Iudaïsmo antè obtinuerat, hæc refert: *Hic Iosephus inter dignitate præstantes viros apud ipsos connumeratus est. Sunt autem ij post Patriarcham, Apostoli appellati, assidéntque Patriarchæ, & cum ipso sæpe assiduè in nocte ac die degunt consulendi gratia, & vt referant ad ipsum ea quæ sunt in lege.* De munere verò Iudaïcorum Apostolorum perferendi Epistolas Patriarchæ seu Magistratus ad alias partes, de quo Procopius, Theophylactus, & Oecumenius anteà dicebant, idem S. Epiphanius conuersionem prædicti Iosephi Comitis describens, ista adiungit: *Accidit enim vt postquam adoleuisset Iudas Patriarcha, præmium ac remunerationem Apostolatum Iosepho daret. Et hic cum Epistolis allegatur in Cilicum terras: illincque reuersus, ab vnaquaque Ciliciæ ciuitate decimas ac primitias, de his qui in Prouincia Iudæorum sunt exigit. In hoc autem tempore propius se Ecclesiæ applicat, (haud scio in qua ciuitate) in amicitiámque venit eius loci Episcopi, qui clandestinè ab ipso Euangelia petiuit ac legit. Quandoquidem igitur, velut Apostolus, (sic enim apud ipsos, velut dixi, dignitas appellatur) potentissimus esset, & ad constitutionem bonæ disciplinæ legis, (sic enim se facere prætendebat) multos malè constitutos Synagogæ principes & Sacerdotes, ac Presbyteros, & Azanitas, quos ipsi Diaconos, aut ministros interpretantur, deponeret, & à dignitate amoueret: in multorum inuidiam deuenit.* Hactenus S. Epiphanius.

Sed & de officio Apostolorum Iudaïcorum, Arcadius & Honorius Imperatores, lege 14. *de Iudæis*, Codice Theodosiano hæc habent: *Superstitionis indignæ est, vt Archisynagogi, siue Presbyteri Iudæorum, vel quos ipsi Apostolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum à Patriarcha certo tempore diriguntur, à singulis Synagogis exactam summam, atque susceptam, ad eundem reportent. Qua da re, omne quidquid consideratæ temporis ratione confidimus esse collectum, fideliter ad nostrum dirigatur ærarium. De catero nihil prædicto decernimus esse mittendum. Nouerint igitur populi Iudæorum, remouisse nos prædicationis huiusmodi functionem. Quòd si qui ab illo de populatore Iudæorum, ad hoc officium exactionis fuerunt directi, Iudicibus offerantur: ita vt tanquam in legum nostrarum violatores sententia proferatur. Dat. III. Idus Aprilis, Mediolani, Theodoro V. C. Coss.* De Patriarcha verò Iudæorum multa diximus lib. 3. cap. 11.

Verùm caueat pius & disertus lector, vel priorem illam S. Cyrilli, vel posteriorem aliam Eusebij, Procopij, Theophylacti, Oecumenij Oraculi Isaiæ elucidationem leuibus quibusdam rationibus abiicere: est enim locus difficillimus & obscurissimus, & honos tantis viris habendus, & verba sacri Vatis rectè eos sensus ferant, & Scriptura fœcundissima, quæ multa simul & diuersa concipere possit, & hæc est amplitudo & maiestas Scripturarum. Vide Leonem Castrum in hunc locum.

Nihilominùs & illam quoque verborum Isaiæ interpretationem aptam, & congruentem existimamus, qua intelligimus diuinum Vatem hisce verbis prænuntiasse Orientales regiones præsertim Indiam, Sinas, Iaponios, Philippinas ad fidem Christi tandem accessuras: quæ sanè earum conuersio & patrum, & nostra ætate magnis apparatibus & conatibus exercetur. Franciscus Ribera in 3. Sophoniæ huic explanationi vehementer refragatus est: sed propterea ex sensu vnius, cunctis ingeniis præscriptum oportet? Franciscus Vatablus in 18. Isaiæ, & in 3. Sophoniæ, apertissimè verba vtriusque vatis, quæ ferè sunt eadem, de terris remotissimis & in extremo orbe positis, vltra Æthiopiam Indicam seu Orientalem, exponit. Arias Montanus in hunc Isaiæ locum non dubitauit hæc scribere. *Hæc totius capitis summa sententia est: Indiæ Orientalis populos eos esse, qui trans flumina Aethiopiæ habitant, & in nostris apud Sophoniam Commentarius, & in apparatu sacro abundè docuimus: & apertè hoc apud Asiam incolentes eruditos viros receptum erat. Chaldæus enim Paraphrastes, & in Sophonia, & in hunc locum, flumina* Hodu *id est, Indiæ interpretatur.* Equidem probabilem hanc interpretationem etiam existimant Ioannes Ferdinandus in Thesauro S. Scripturæ, lib. 1. c. 58. Martinus Delrius part. 1. Adagiorum Sacrorum, Adagio 722.

Iterum addo, Scriptura diuina est mirè fœcunda, sensibus & mysteriis referta, vaticinium istud Isaiæ abstrusissimum, Interpretes varios sensus adducunt, nec satis inter se conueniunt, verba oraculi in Sinas appositè, vt mox ostendemus, competunt, istorum in Ecclesiam adductio res est præclari momenti, & digna quæ à diuinis vatibus prænuntiaretur:

iaretur : cur igitur expoſitionem hanc facilem, perſpicuam , cohærentem , adde etiam vtilem aſpernabimur ? Anguſti pectoris id planè fuerit. Age igitur iam , & ſingula verba Iſaiæ proſequamur.

Verba Iſaïæ 18. 1. *de Conuerſione Indorum Orientalium, & Sinarum ad Fidem, expenduntur.*

CAP. XIX.

Væ Terræ.

HEbraïcum *Hoi*, non ſemper eſſe dolentis interiectionem, ſed interdum exclamantis , & excitantis, *o*, vel *heus*, Sanctes, Auenarius, Marinus, Shindlerus in Lexicis , exemplis demonſtrant. Zachariæ 2.7. *O Sion*, vel heus Sion, *fuge*. Sic hoc loco Iſaïæ capiunt, Aben Ezra, Kimchius, Sanctes, Vatablus, Pellicanus, Clarius, Forerius, Marinus, & Fridericus Lumnius lib.2. de Extremo Iudicio, cap.4. O terra, vel Heus terra, vt eam appellet & excitet ad audiendum & recipiendum Euangelium : vel admiretur & exclamet felicem eius ſortem , quod cùm ſit omnium remotiſſima , illò tamen miſſurus ſit Deus prædicatores , & ex iis terrarum ſeiunctiſſimis oris collecturus in Eccleſiam filios Dei. LXX. & Noſtri, *Væ terræ*, deploret miſerrimum eius ſtatum, tot iam ſæculis , ſub iugo idololatriæ gementis. Marinus annotauit *Hoi* ſæpiùs poni cum dolore & mœſtitia alloquentis, & non illius de quo eſt ſermo : quaſi Prophetа doleat illius terræ tam obſoletam & duram impietatem : quam tamen ipſa, ſui prorſus neſcia, non ſentiret.

Cymbalo alarum.

LXX. *nauium alarum*, vel *alis*, vel *alæ*, vt etiam legunt S. Cyrillus , Procopius , Theophylactus, Oecumenius. Theodotion, *auium alarum*. Druſius Obſeruationum lib.10.cap 20. exiſtimat in Theodotione legendum, *nauium*, non *auium*. Sed ineptè cùm de auibus intelligi poſſit. Annotat S. Hieronymus : *Alas autem nauium , vela quibus ſuſpenduntur, & trahuntur, intellige*. Aquilas, S.Hieronymus, Aben-Ezra, Kimchius, Sanctes , Forſterus , Vatablus, Clarius, Forerius, Auenarius, Marinus, Montanus, Schindlerus , ex Hebræo reddunt. *Vmbræ alarum*, vel *obumbrans, vmbroſa alis*. Buxtorfius, *vmbroſa-denſa alis*. Pellicanus, *vmbratili alarum. Terra vehementer vmbroſa ex alis volucrum*. Exponit Kimchius : *O terra inumbrans alis. Ob multitudinem enim nauium , in quibus vela obumbrantia tenduntur, cùm ambulant, ſimilis erat auibus volantibus ſuis alis*. Schindlerus in verbo Tſalal : *Vmbra alarum quæ obumbrat mundum multitudine nauium quæ ſunt in ea*. Et in voce *Canaph : Vmbræ alarum, velorum , opacæ velis , ob multitudinem nauium in ea. Cùm enim expanduntur vela, alis ſunt ſimilia : & naues procedunt, ſicut aues alis ſuis volantes : & vela vmbram faciunt. Virgilius.*

——*Velorum pandimus alas.*

Æneid. 3. verſ. 520. in quem vide Ludouicum Cerdam.

Fererius : *Tſiltſal, nomen Tſel geminatum frequentiam vmbrarum notat, id eſt, frequentiam & copiam velorum, quæ ſunt inſtar alarum : quaſi dicat : Heus terra , quæ frequentibus nauium velis mare adumbras & flumina*. Vatablus in Annotationibus Salmanticenſibus : *Heus terra vmbræ alarum , id eſt , quæ nauibus abundas, quæ recipis vmbram velorum multorum nauium*. Et in Sanctandreanis : *O terra vmbræ alarum. Vela nauium alis comparat, quaſi dicat : O regio maritima, quæ abundat nauibus, quæ reguntur velis, quæ recipit vmbram velorum multarum nauium: ſiue quæ tegitur vmbra velorum , &c. Ob multitudinem enim nauium , in quibus vela obumbrantia tenduntur, cùm ambulant , ſimilis erat auibus volantibus alis ſuis , inquiunt docti inter Hebræos*. Exſcripſit ex Kimchio. Et ſanè conſentiunt omnes dictam terram vmbræ alarum , ob multitudinem nauium velatarum Leo Iudas reddit , *væ terræ naſſatæ alæ*, in eundem ſenſum.

Iam diſquiramus num id rectè & Indiæ & Sinæ conueniat , vt ſint terræ nauibus velatis mirificè abundantes. Marcus Paulus lib 5. cap.1. *Maiores naues quibus Indi per mare vtuntur , vt plurimum de abiegnis factæ ſunt lignis, habéntque ſolarium vnum, quod noſtrates nautæ operimentum vocant , ſupra quod circiter quadraginta ſunt manſiunculæ pro mercatoribus paratæ. Habet nauis vna vnum gubernaculum, quatuor malos & totidem vela. Sunt in magnis nauibus circiter ducenti viri , qui eam remis per mare ducant. Capit verò nauis vna quaſi ſex millia ſportarum piperis. Adhærent quoque his magnis nauibus aliæ nauiculæ, quæ piſcationi , & anchoris iaciendis inſeruiunt.*

Aloiſius Muſtus lib.2. ſuæ nauigationis, cap.55. ex fideli Luſitanorum relatione , agens de vrbe Calecuth, celebri Indiæ emporio, inquit : *Per idem tempus viderunt innumeras naues, vt puta ſupra mille ac quingentas, quæ vltro, citroque commeant, commercij gratia, & præſertim aromatum. Inter has naues , quæ magnitudine alias excedit , non eſt capax ducentorum doliorum. Earum ſunt magnæ quædam , nonnullæ verò paruæ : vnum malum habent*. Et poſteà : *Miro artificio ſunt fabricatæ , ſunt tamen debiles perinde , vt armorum pariter ac tormentorum ſint impatientes*. Et infra : *Viſuntur aliquando in ſicco naues quingentæ, vel ſexcentæ : quæ res prope eſt incredibilis*.

Ludouicus Varomannus lib.5. ſuæ Nauigationis, cap. 12. de Indicarum Nauium multitudine, magnitudine , & forma plura diſſerens , quæ ipſe vidit, ita narrat : *Vela nauium habent goſſipina, eadémque in vna parte geminata : vtraque enim vtuntur ducturi in altum, vt ventorum vim maiorem vela concipiant , tumeſcántque magis. Nos vtique in ea re ſuperarant, qui vnis tantùm vtimur velis*.

Ioſephus Indus Caranganorenſis Nauigationis ſuæ cap. 135. *Sunt etiamnum in illis Indiæ partibus innumera nauigia, quæ in Occidentem contendunt, alia verò in Arabiam , in Perſidem alia , nonnulla mare Erythræum arant , alia vaſtiſſimam luſtrant Indiam ad Orientem, in primis vſque ad Cherſoneſum auream, & Taprobanam inſulam, Zeillam, & complures alias. Naues itaque huiuſmodi, quibus ſulcant, ſunt prægrandes, adeo vt circa duodecim vela habeant , remiges innumeros. Nonnullæ verò minùs. Aliæ autem pro velis tegetes , id eſt , ſtoreas habent. Aliæ verò ex cotonina omne genus vela conficiunt*. Et ſanè mira ſunt quæ in Indicarum rerum recentiores ſcriptores de multitudine nauium Indiæ produnt. Ioannes Guilielmus Stukius in Scholiis ad Periplum Maris Erythræi Arriani, pag.33. inquit : *Nauium genera atque nomina hodie in mari Rubro, Æthiopico, Indico viſitata*

tata hac ferè ſunt : Zambuchi, Ciampana, Paræ, Almadiæ, Catharis, Porcai, Iunci, Paiares, quarum deſcriptionem videre licet apud Ludouicum Vartomanum, & in Summario Orientali.

De Sinarum verò nauigiorum incredibili numero, cùm multa extent in noſtrorum hiſtoriis, pauca hîc intexemus: Maffeius lib. 6. *Iam naualium copia, ac totius rei maritimæ apparatus penè incredibilis; adeò largè materiam & omne inſtrumentum caduæ ſiluæ, & ferri optimæ venæ, & lini, goſſipiique frequentiſſimæ textrinæ ſuppeditant. Maximas naues, vento dumtaxat mobiles, Iuncos vulgò vocant. Ex his partim ad bellum parantur, eminentibus ad proram, pupimque caſtellis, partim depreſſiores ad mercaturam & onera. Sunt quas Lanteas, quas Bancones vocant : illæ ſex remis ingentibus, hæ tribus tantùm, quaterno, vel ſeno in ſcalmum remige ad vtrumque latus inſtructæ. Longis etiam triremium inſtar vtuntur : ſed ſine roſtro, & ad annes ac vada ſulcanda plano alueo fabricatis. Aliæ conſpiciuntur maximæ, peragrandis animi cauſa littoribus, auro & argento cælata puppi, cubiculis, reticulatis feneſtris, porticibus, penſilibus hortis pænè in maris contumeliam exornatæ. Ad ſummam variæ magnitudinis ac formæ nauium tanta copia eſt, vt Præfecti oræ maritimæ, ſi quid vrgeat ſubitæ rei, militares Iuncos à quingentis ad mille contrahere momento dicantur. Neque vllo tempore anni deſunt claſſes ad tuenda & purganda piratis maria, pluribus locis paratæ. Hæ magno totius Regni bono, mercatoribus & nauicularíis omnium nationum præſtare conantur non modo tutæ, ſed etiam ſecura commercia. Carinas oblinunt certo bituminis genere mirè fideli, cùm ad explendas rimas, tum ad teredinem, & noxia lignis animalia prohibenda. Purgandæ verò naui pluribus conſertam vaſculis anthiam ad latera introrſus applicant, eo artificio, vt vnus quilibet ſedens alterno pedum, ac perleui motu, paucis horis quantamlibet ſentinam exhauriat.*

Nauigiorum fluuialium incredibilis copia : quippe in his magna pars hominum cum coniugibus & liberis degunt, è quibus alij vecturam exercent : alij pro cauponibus & inſtitoribus in perpetua ſtatione ſunt : nec ſolùm in cibos, verùm etiam in cultum ac veſtitum, ipſáſque diuitias habent cuncta venalia : vt in ipſo itinere ac fluuiis vrbana commoda, & copiam non requiras. Sunt qui intra eas naues altilium, atque anatum præſertim ingentes alant turmas : & facillima eſt ſoboles, propterea quod ex ouis, non matris incubitu, ſed leni tepore ex ignibus temperatis adhibito, quotquot viſum eſt pullos excludunt. Noctu animantes eas intra ſepta nauium cohibent, manè vt diluxit, in campos orizæ feraces emittunt. Ibi non paruo agricolarum compendio, noxias frugibus herbas, mira quadam auiditate depaſtæ, ſub noctem ad cymbali, ſeu tympani pulſum, in ſuas quæque cohortes, ac receptacula redeunt. Minutæ verò cymbæ non fluuiatilem modò, ſed ne marinum quidem ſaporis egregij piſcem interioribus incolis deeſſe patiuntur. Hæc Maffeius. Eadem ferè omnia Ioan. Gonzalez lib. 3. Hiſt. Sinarum, cap. 21.22. Martinus Ignatius in Itinerario Noui Orbis, cap. 12. inquit : *Nihil magis in admirationem rapit eos qui in Sinarum regionem proficiſcuntur, quàm innumerabilis nauigiorum frequentia quæ in ſingulis eius Regni portubus continuò viſuntur. Apud Machaum affirmabant rerum periti, adiecta etiam ſponſione, in ſolo Cantonis flumine plura nauigia eſſe, quàm in cunctis Hiſpaniæ portubus, quà vtroque mari alluitur.* Vide etiam quæ de his admiranda annotarunt Ortelius & Mercator in Tabula Sinarum.

Pænè omnem fidem ſuperant, quæ Ferdinandus Mendez Pintus in ſua Peregrinatione cap. 98. à ſe viſa refert de infinita nauigiorum multitudine in ſolo flumine Batampina Sinarum regionis : ait enim in eo flumine interdum in publicis nundinis, vltra viginti millia nauigiorum in modum pulcherrimæ vrbis congregari, præter Balones, & Guedees, & Manchuas, quæ ſunt minutiora nauigia ſine numero. Nicolaus Trigautius lib. 1. de Expeditione Sinica, cap. 3. inquit : *Ego aliud aſſerere fortè maiori fide auſim, non incredibile videri, tot in vno regno nauigia, quot in reliquo terrarum orbe poſſe numerari.* Vides ergo quam aptè, propriéque Iſaïas Indiam, Sinámque terram vmbræ alarum, propter abundantiam & copiam naualium, appellauerit.

Tremellius & Iunius Nouatores reddunt : *Væ terræ vmbroſæ oris,* vel *vmbræ alarum, id eſt, cuius oræ montibus maximis & opaciſſimis circumcluſæ ſunt : quales vndique ad mare Rubrum eſſe teſtatur Strabo libro Geograph. vltimo.* Arias Montanus : *O terra vmbroſa alis. Simplicitatem orationis cum ipſis rebus componentes, dicimus hoc loco ſignificari à Vate miram illam Indici ſoli fertilitatem, quod arbores proceriſſimas & ampliſſimas alit, præcipuè ſecundum flumina : quæ tametſi lato alueo ſunt, ramorum tamen ex arboribus productorum magnitudine, velut alis extenſiſſimis obumbrantur : ita vt, ſicut auctores antiquæ memoriæ prodidere, & Luſitani qui ea loca nunc frequentant, confirmare nobis ſolent, maxima nauigia in fluminibus ipſis, ſub arborum illarum ramis nauigent, quæ ſolis & ſplendorem & æſtum magnitudine ac denſitate arceant ſua, alterique ripæ arboribus ramos vltra alteram proferentibus. Quin & arundinibus, quod minimum inter arbuſta, ac tenuiſſimum genus eſſe ſolet, in regione illa, breuiores, tricenum pedum longitudinem, longioribus verò quinquagenum auctores adſcribant : tanta craſſitudine, vt quibuſdam ternum cubitorum, quibuſdam duplam diametron eſſe tradant. Arborum itaque huiuſmodi, & arundinum etiam deſcriptione Indiam apertè ſignificauit Iſaïas, illa fertilitate celeberrimam.* Hæc Montanus.

De ingentibus & innumeris Indiæ arboribus plura Cteſias Gnidius in Excerptis apud Photium, Diodorus Siculus lib. 2. cap. 35. & lib. 17. cap. 90. Strabo lib. 15. Plinius lib. 12. cap. 4. & ſequentibus, Q. Curtius lib. 9. & alij. Sed pauca ſubiicimus: *Siluæ prope in immenſum ſpatium diffuſæ, proceriſque & in eximiam altitudinem editis arboribus vmbroſæ.* Strabo : *Oneſicritus curioſius ea perſequens quæ ſunt in Muſicana terra, Indiæ Auſtraliſſima refert arbores quaſdam ingentes eſſe, quarum rami cùm ad duodenos cubitos creuerint, reliquum incrementum pronum faciant deflexi quouſque terram contingant : deinde terram ſubeant ac radices agant veluti traduces : mox rurſum in truncum exeant, a quo poſtquam auctí fuerint, eodem modo flectantur, & aliam propaginem efficiant, rurſúſque aliam, & ſic deinceps, vt ab vna arbore longum vmbraculum fiat, tabernaculo multis columnis innitenti ſimile. Refert ad hæc miras arborum magnitudines, quarum ſtipitem vix quinque homines complecti queant. Ariſtobulus ad Aceſinem, ac vbi is Hyarotidi permiſcetur, de arboribus dicit quæ ramos deflexos habent, & de earum magnitudine, vt ſub vna arbore, quinquaginta equites meridiari poſſint. Ille verò quadringentos ait : Qui dixerunt trans Hyarotidem viſam fuiſſe arborem, quæ vmbram in meridie faceret quinque ſtadiorum, cunctorum de arborum magnitudine ſermonem exceſſerunt.* Vide librum noſtrum de Paradiſo, cap. 16. Plinius lib. 12. cap. 6. de pala arbore:

arbore: *Maior alia, pomo, & suauitate præcellentior, quo sapientes Indorum viuunt. Folium alas auium imitatur, longitudine trium cubitorum, latitudine duûm.* Eadem Theophrastus lib.4. cap.4. Et lib.7. cap. 2. *Arbores quidem tantæ proceritatis traduntur, vt sagittis superari nequeant. Hæc facit vbertas soli, temperies cæli, abundantia aquarum, (si libeat credere) vt sub vna ficu turmæ condantur equitum.* Eadem Solinus cap.55. Virgilius 2. Georgicorum.

Aut quos Oceano propior gerit India lucos
Extremi sinus orbis, vbi æra vincere summum
Arboris haud vlla iactu potuere sagitta.

Et Valerius Flaccus lib.6.

Densior aut vnquam, nec celsior extulit vllas
Silua trabes, fessaque priùs rediere sagitta,
Arboris ad summum, quàm peruenere cacumen.

Hæc mirificè conueniunt verbis Isaiæ, *O terra vmbræ alarum.*

Sed & Sinarum regionem innumeris & procerissimis, opacissimisque abundare arboribus, omnes affirmant, & cum primis Ioannes Gonzalez lib.1.Rerum Sinicarum, cap.3.4.

Kimchius verò in libro Radicum, Isaiæ hanc pericopen ita interpretatur: *O terra inumbrans alis, id est, vmbram faciens mundo, ob magnitudinem ac multitudinem alarum suarum. Metaphorice indicat multitudinem negotiationum, mercium, & species varias rerum quæ ad alias terras ex illa egrediebantur.* Eadem habet Vatablus in Annotationibus Sanctandreanis. At quàm verè hæc in Indiam, & Sinam conueniant, facilè rerum periti intelligunt. Quis enim nescit prouerbio etiam iactari, beatas Orientis opes, atque incredibilem rerum pretiosissimarum copiam, & merces inæstimabiles ex India & Sina in omnes mundi regiones importari? Audi Plinium de suo æuo, lib.6. cap.23. *Dignæres, nullo anno, Imperij nostri H-S quingenties* (Millionem & quingenta millia aureorum.) *exhauriente India: & merces remittente, quæ apud nos centuplicato væneant.* Hæc de sola India: nam lib. 12. cap. 18. inquit: *Minimáque computatione, millies H-S* (Duos milliones, & semis.) *annis omnibus, India, & Seres, Peninsulâque illa,* (Malacam intelligit Delecampius.) *Imperio nostro adimunt.* Et lib.6.cap.2. celebrat emporia Indica.

Sed quæ de vnico emporio Calecuth Vartomannus lib.5. cap. 11. memorat, retulisse sufficiat contenti: ait enim: *Quum ego illic agerem, ex omnibus ferè Orientis partibus negotiatores aderant, cum primis Mahometani, alij ex regione Malacha, ex Bengala alij, nonnulli ex Tarnassari, ex Pegu, & Cyromandel alij. Nonnulli ex Zeilan, & de Samatra, id est, Taprobana, alij ex Colon, nonnulli ex Caicolon, alij ex Bethecala, & innumeri fermè alij, præsertim iam notiora nomina, videlicet Persæ, Arabes, Syri, Turcæ, Æthiopes, & ex regno Narsingæ complusculi. Tot aduenæ, éxque variis regionibus, per id tempus quo illic agebam, aderat in vrbe Calecuth florentissima.* Vulgatissima sunt quæ de Aromatibus Indicis, pretiosis frugibus, auro, argento, gemmis, margaritis, & id genus aliis nobilissimis mercibus, ex illis Orientalibus regionibus, & ex China, præsertim ad nos Europæos quotannis ferè deuectis, & cunctæ historiæ, & Lusitanorum nauigationes indubia fide testantur.

Chaldæus autem Paraphrastes verba Isaiæ in hunc modum expositit: *Væ terræ*, seu, *O terra, ad quam veniunt cum nauibus è terra longinqua, & vela sua extendunt, vt aquila volans alis suis.* Potuítne quidpiam appositius dici de India & Sina? Ad quam remotissimarum gentium, sed præcipuè Lusitanorum nauigationes ab vltimo Occidente, immenso superato Oceano, frequentissimè celebrantur.

Rabbi Abraham, teste Pagnino, ita interpretatus est: *O terra inumbrans alis, quia est terra lata.* Rectissimè id in Indiam & Sinam competit. De Indiæ quidem immani magnitudine multa Strabo lib. 15. & inter alia: *Ctesias dicit, Indiam non esse minorem reliqua Asia. Onesicritus eam esse trientem orbis habitati. Nearchus quatuor mensium iter per campum. Megasthenes & Deimachus moderatius: nam supra viginti millia stadiorum eam partem ponunt, quæ ab Australi mari in Caucasum tendit. Deimachus secundum quædam loca, supra XXX. millia.* Eadem habet Arrianus sub initium Commentarij Rerum Indicarum. Idem Strabo lib. 15. sub initium: *Apollodorus Parthicarum rerum scriptor affirmat, illas autem ipsas gentes quæ sunt nouem numero, inter Hydaspen, & Hypanim, ac vrbes quinque millia, quarum nulla Co Meropide esset minor: regionem hanc totam ab Alexandro subactam.*

Diodorus Siculus lib.2. cap.35. *Totius Indiæ magnitudo ab ortu versus occasum duodetriginta millibus stadiorum: à Septentrionibus versus Meridiem triginta duo millibus definiunt. Hæc tanta Indiæ magnitudo præ cæteris mundi partibus.*

Plinius lib.6. cap. 17. *Alexandri Magni comites in eo tractu Indiæ quem subegerant, scripserunt, quinque millia oppidorum fuisse: nullum Co minus, gentium sexaginta:* (alias, *nouem.*) *Indiámque tertiam partem esse terrarum omnium, multitudinem populorum innumeram, probabili sanè ratione.* Eadem Solinus in Polyhistore cap.55.

Arrianus in Commentario Rerum Indicarum: *Porrò gentes Indicas centum duodeuiginti in vniuersum statuit Megasthenes.* Et in Periplo Maris Erythræi: *India gentes plurimas, & populosissimas complectitur.*

De Sinarum verò regionis situ & magnitudine diximus exactè cap. 15. nunc pauca addimus: Maffeius lib. 6. *Regna seu Prouincias vastæ magnitudinis numerant quindecim, cum sua cuiusque metropoli: ad mare sex, mediterranea reliqua.* Et postea: *Vrbes præcipuæ magnitudinis celebrant ferme ducentas: inferioris autem ordinis longe plurimas: porrò castella & pagi, quorum nonnulli tribus familiarum milibus incoluntur, vicique passim ita multi sese offerunt, vt summa iniri vix possit.* Incredibilia planè sunt quæ Ioannes Gonzalez de amplitudine Regni Sinarum lib. 1. cap.6. 7. & 8. prodit: ait enim inter alia continere ambitu ferè ter mille leucas, & longitudine mille & octingentas. Vrbes numerat. DXCI. oppida MDXCIII. in quindecim Prouinciis: & id quidem, vt ipse affirmat, ex pluribus Sinarum scripturis. Vide quoque Ortelium & Mercatorem in Tabulis Chinæ. Vt cernas quam rectè & Indiam & Sinam, Isaias nuncupare potuerit, *terram vmbrosam alis*, seu *oris*, quòd vtraque sit latissima & amplissima regio.

Iam sensum nostri Vulgati aperiamus, *Cymbalo alarum.* Proculdubio intellexit *Tsiltsal*, esse singulare huius pluralis, *Tseltselim*, vel *Tsiltselim*, vt etiam Thalmudici, teste Kimchio, ex *Tsiltselim*, efformant singulare *Tsiltsal*. Porrò *Tseltselim*, vel *Tsiltselim*, significare cymbala, vel tintinnabula, tam Hebræi quàm nostri consentiunt, vt 2. Regum 6.5. & Psalm.150. 5. *In cymbalis benè sonantibus, in cymbalis iubilationis.* Nec aliud videtur Vulgatus per *cymbalum alarum*, innuere, quàm cymbas

bas ſeu naues, vel à ſonitu ſeu ſtridore quem naues plenis velis volantes reddere ſolent, *roſtris*, inquit Virgilius, *ſtridentibus* : vel quòd vela nauium ventis inflata cymbali, ſeu campanæ formam præ ſe ferant ; vel quòd cymbalum ſit inſtar vmbraculi. Symmachus dixit : *Sonitus alatus.* Marinus, *ſtrepitus*, (tinnitus) *alarum.*

Verùm eſt magna ſcripturæ fœcunditas : poſſis reddere : *O terra obtecta, (communita, occluſa,) oris*, ſeu *extremitatibus*, quòd Sinarum Magiſtratus acribus edictis cauerint, vel quemuis externum in regnum admitti, vel indigenam quempiam extra vagari : Aut certè indicet, murum illum immanem, qui regni fines munit, & regionis oras concludit ; quin & addit Maffeius lib. 6. *Ad limites regni, crebræ & minutæ viſuntur arces.* Aliter, *O terra Cymbalum orarum vel extremitatum*, ſeu *angulorum.* Subaudi terræ, ſeu orbis vt dictum id ſit eadem phraſi & ſenſu, quo Tiberius Imperator Apionem Grammaticum Alexandrinum appellabat, Cymbalum mundi, vt auctor eſt Plinius præfat. in libros Naturalis Hiſtoriæ, ob nominis nimirum celebritatem, inquit Eraſmus : quòd eius nominis fama per totum mundum reſonaret : Sanè Sinarum regio meritò dici poſſit ab Iſaïa, *Terra Cymbalum orarum*, & finium mundi, quòd totum mundum nominis ſui celebritate compleuerit : neque enim vllum totius orbis Imperium, vel bonitate ſoli, & cæli, vel opibus, diuitiis, aut magnitudine, & maieſtate ita illuſtre fuit, vt Sinarum : etverò nihil nunc magis celebratur aut perſonat in mundo, quàm Regnum Sinarum. Vel forſan Iſaïas ad ſua tempora reſpexit, quando Sinarum non niſi ſonus, & quaſi tinnitus, vel ſolum nomen audiretur in mundo, nulla adhuc eius gentis maiori cognitione percepta. *O terra cymbalum orarum*, quòd in extremis orbis oris ſita eſſet, & veluti in angulo mundi, tantum ſonus eius ad alias nationes perueniret : in reliquis ferè incognita & abſtruſa maneret. Canaph, angulum, extremitatem, oram etiam ſignificare liquet ex Iſaiæ 11. 12. & 24. 16.

Quæ eſt Trans flumina Æthiopiæ.

Hebraïcè ad verbum, *quæ de trans flumina Æthiopiæ*, ſeu *Chus.* Tremellius & Iunius : *quæ eſt ſecundùm flumina Æthiopiæ*, vel, *à tranſitu fluminum Æthiopiæ.* Æthiopiam hîc aliqui intelligunt totum illum terræ tractum à Sinu Arabico ad ſinum vſque Perſicum, habitatum à filiis Chus Geneſ. 10. 7. qui totam Arabiam, Meſopotamiam & Chaldæam complectitur, in qua regnauit Nemrod filius Chus. Hunc enim terrarum tractum dici in Scriptura Chus ſeu Æthiopiam obſeruant, atquè etiam Æthiopiam Aſiaticam ſeu Orientalem indigitant, vti latiùs differemus lib. 6. cap. 18. Flumina autem huius Æthiopiæ, vltra quæ ait Iſaïas eſſe Terram cymbalum alarum, interpretantur Euphratem & Tigrim, quæ per hanc Æthiopiam decurrentes, in mare Perſicum influunt. Atque vltra hæc flumina eſſe totum illum immenſum terrarum tractum, qui à Perſico Sinu vſque ad Indiam, & vltimas Sinarum oras protenditur, de quo loquitur Iſaias ; Terram vltra flumina Æthiopiæ, præcipuè Indiam & Sinam appellans. Vide Chriſtophorum Caſtrum in 5. Sophoniæ.

Verùm alij Æthiopiam hîc dici Indiam Orientalem putant : quaſi dicat, quæ eſt vltra flumina Indiæ Orientalis. Ita quidem Montanus, Chaldæus autem in conſimili Sophoniæ loco, pro Æthiopia Indiam repoſuit, vti cap. 21. videbimus. Ribera & Caſtrus in Sophoniæ 3. non probant hanc interpretationem, quòd Æthiopia in Scriptura nullo pacto ponatur pro India Orientali, ſiquidem filij Chus, qui Æthiopiæ nomen dedit, vltra Sinum Perſicum nullo modo incoluerint. At ex locis tantùm & regionibus quæ inhabitauerunt filij Chus, finire velle nomen Æthiopiæ in ſacris litteris, res eſt ab omni ratione prorſus aliena. Nam tametſi priores filij Chus, in tractu illo terrarum qui eſt inter vtrumque Sinum Perſicum & Arabicum primas colonias poſuerint : at quis neſcit Chus ſeu Æthiopiæ nomen, etiam ad Æthiopiam, ſub Ægypto propagatum, & in Scriptura, & externis auctoribus ? Nec opus eſt in re minimè dubia teſtes non neceſſarios adducere.

Equidem quamuis alibi in Sacris libris, quod ſciam, Chus, ſeu Æthiopia Indiam ſignificare non reperiatur ; at hoc Iſaïæ loco eam ipſam deſignare nulla ratio vetat : cùm certè præclari auctores Indiam Orientalem nomine Æthiopiæ interdum cenſuerint. Herodotus lib. 3. num. 101. *Indorum coïtus in propatulo eſt, ſicut pecorum : color ſimilis ac proximus Æthiopico : genitura quam in mulieres emittunt, non alba, quemadmodum cæterorum hominum, ſed atra, vt color corporis : qualem Æthiopes quoque emittunt.* Et lib. 7. numero 70. *Ii autem Æthiopes, qui ſunt ab ortu ſolis, cenſebantur cum Indis, ſpecie nihil admodum à cæteris differentes, ſed ſono vocis, dumtaxat, atque capillatura : nam Æthiopes qui ab ortu Solis ſunt rectos crines, qui ex Lybia, criſpiſſimos inter omnes homines habent. Æthiopes autem ij qui ex Aſia erant, pleraque arma quæ Indi geſtabant.*

Strabo lib. 1. pag. 24. *Simile eſt quod de Æthiopibus dixi, eſſe intelligendos ſcilicet quam accolunt per totam oram Oceani, à Solis ortu, vſque ad eius occaſum.*

Pauſanias lib. 2. Eliacorum extremo agens de Indiæ Seribus, vnde eſt Sericum, ait : *Satis conſtat Seriam Inſulam ſitam in Rubri Maris receſſu. Audiui, verò qui dicerent, non Mare Rubrum, ſed Serem amnem inſulam illam facere : non aliter quàm Nilus eam cui Delta nomen : neque enim mari vlla ex parte incingi. Qui inſulam hanc, quique proximas Abaſani, & Sacæan colunt, vno Æthiopum nomine cenſentur. Etſi non deſint, qui non Æthiopas, ſed Scythas Indis permiſtos eſſe eos dicant.* Poſtrema verba Sylburgius clariùs è Græco reddit : *Æthiopici generis ſunt, & hi Seres quos dixi, & quotquot contiguas inſulas tenent Abaſam & Sacæam.*

Apud Philoſtratum in vita Apollonij lib. 3. cap. 6. Iarchus philoſophus Indus hæc diſſerit : *Fuit itaque quondam tempus, quando hæc* Indiæ *loca Æthiopes incoluêre, genus Indicum ſanè : verùm Æthiopia nondum erat, ſed ad Meroen & Cataduppas finiebatur Ægyptus : cùm etiam ipſa Nili fontes præberet, & ad eiuſdem fluminis oſtia terminaretur. Quamdiu igitur hæc loca incoluerunt Æthiopes Gangis Regis ditioni ſubiecti, tunc & abundè terra ipſos alebat, diique illorum curam habebant. Poſteà verò quàm memoratum Regem interfecerunt, nec ab aliis Indis puri, impollutique ſunt habiti, neque terra vlterius in his locis conſiſtere eos permiſit.*

Et lib. 6. cap. 6. Apollonius in Æthiopes Gymnoſophiſtas hæc diſputat : *Huius autem Sapientiæ vos quoque conſultores Pythagoræ tunc fuiſtis, cùm Indorum ſapientiam laudabatis, propterea quod*

vos

vos quondam Indi fueritis. Sed quoniam pudore sermonis, qui vulgò ferebatur, quòd diuinis portentis ex ea terra pulsi huc veniſtis, aliud quiduis potius, quàm Aethiopes ab Indis venientes putari voluiſtis; atque omnia propter hanc euitandam opinionem à vobis facta ſunt. Omnem itaque illorum habitum exuiſtis, quaſi cum veſte ſimul & illud aſſumpturi, vt Aethiopes, non autem Indi putaremini. Sermones inſuper nequaquam eorum meritis dignos habuiſtis, quaſi calumniam exitaturi, ſi eos calumniati eſſetis, à quibus veniſtis. Et cap. 8. Nilus Gymnoſophiſta inquit: *Audiui colonos autem Indorum Aethiopes, paternam retinere diſciplinam, & antiquam reſpicere originem.*

Euſebius Cæſarienſis in Chronico, num. CCCCII. *Aethiopes ab Indo flumine conſurgentes, iuxta Aegyptum conſederunt.* S. Epiphanius in Anchorato, colum. 967. *Et Phiſon quidem eſt Ganges apud Indos appellatus & Aethiopes. Penetrat autem magnam Aethiopiam, & cadit ad Auſtrum.* Eadem ex S. Epiphanio deſcripſit Anaſtaſius Nicænus quæſt. 24. in Scripturam. S. Hieronymus, vel potius S. Beda de locis Actuum Apoſtolorum: *Aethiopum regio ab Indo flumine conſurgens, iuxta Aegyptum inter Nilum & Oceanum, & in Meridie ſub ipſa ſolis vicinitate iacet.* Vide Ludouicum Viues in 14. de Ciuit. Dei, cap. 17. & Franciſcum Gomaram in Generali Indiarum Hiſtoria, cap. 17. Iacob. Pamelium in Notis ad cap. 42. Apologetici Tertulliani.

Vincentius Bellouacenſis lib. 31. Speculi Hiſtorialis, cap. 10. *Chingis Cham miſit filium cum exercitu ſuo, contra Indos, qui & minorem Indiam ſubiecit. Hi ſunt nigri Saraceni, qui Æthiopes ſunt vocati.* Eadem habet S. Antoninus 3. part. Hiſtoriarum, cap. 8. §. 18.

Lib. 6. cap. 19. copiosè oſtendemus, Æthiopiam interiorem ſub Ægypto, Indiam quibuſque bonis auctoribus nuncupatam; & ſanè haud alia ratione probabili, niſi quòd Indo-Æthiopes ex India in Æthiopiam tranſmigrauerint, vti anteà ex magnis auctoribus dicebamus: & colore, multíſque rebus ſint perſimiles. Arrianus in Commentario Indico: *Nam & cæteris in rebus India haud diſſimilis Æthiopiæ eſt. At nec facie quidem ac vultu multum inter ſe differunt Indi & Æthiopes. Certè qui ad meridiem vergunt Indi Aethiopibus magis ſimiles ſunt, nigra facie, & nigra coma: ſed non æquè ſimi, neque ita criſpo capillitio.* Strabo lib. 15. pag. 475. *Ex hominibus Indiæ, meridionales colore Aethiopibus, aſpectu & capillo aliis perſimiles ſunt: nam propter veris humiditatem non criſpantur.* Iam ergo ex his quæ notamus facilè quiſque intelliget, quàm rectè & appoſitè Iſaïas, nomine Æthiopiæ, Indiam Orientalem potuerit ſignificare, eo quoque vocabulo à præſtantibus Scriptoribus appellatum.

Atqui hanc nominis Æthiopiæ interpretationem illud cum primis magis illuſtrat, veriſimiliorémque reddit, quod addit vates, *De trans flumina Aethiopiæ.* nulla enim notiore & certiore indicatione Indiam demonſtrare potuit, quàm à fluminum appellatione; cùm nulla ſit in orbe regio quæ plurib⁹ & maioribus abundet fluminibus, quàm India. Strabo lib. 15. *Tota india fluminibus irrigatur: quorum quædam in duo maxima irrumpunt, Indum atque Gangem: quædam propriis oſtiis in mare exeunt.* Et deinde multa de Indiæ amnibus commemorat. Et poſt alia: *Poſt Cophem erat Indus, poſteà Hydaſpes, indè Aceſines, ab hoc Hyarotis, poſtremò Hypanis, trans Hypanem, Ganges.*

Plinius lib. 6. cap. 17. *Amnium mira vaſtitas.* Et poſt pauca: *Seneca etiam apud nos, tentata Indiæ commentatione, ſexaginta amnes eius prodidit.*

Q. Curtius lib. 8. *Multiſque inclytis amnibus Caucaſo monte ortis, placidum per campos iter præbent.*

Arrianus in Commentario Rerum Indicarum: *Flumina tot ſunt in India, quot in reliqua Aſia: in his maximi ſunt Ganges, & Indus.* Et poſtquam multa Indiæ fluminum nomina enumerauit, de eorum curſu & magnitudine accuratè prodens, ſubdit: *Namque & aliorum complurium fluminum nomina Megaſthenes commemorat: quæ extra Gangem atque Indum feruntur in Orientale & Meridionale mare: ita quinquaginta octo in vniuerſum ſint Indiæ fluuij, omnes nauigabiles.* Et in Periplo Maris Erythræi: *Vniuerſa enim India pluribus fluminibus abundat.*

Verùm his vetuſtior Diod. Siculus lib. 2. cap. 37. *Amnes præterea multos habet India, magnóſque & nauigiis aptos, qui in Borealibus orti montibus, per campeſtria decurrunt, multique inter ſe commixti, in fluuium Gangem Indis vocitatum, ſeſe effundunt. Affinis autem Gangæ fluuius, quem Indum vocant, & ipſe à locis Septentrionalibus in Oceanum præcipitans, Indiam à cætera Aſia ſeparat: dúmque per longè patentes campos delabitur, complures, & quidem nauigabiles fluuios, inter quos Hypanis & Hydaſpes, Aceſinéſque ſpectatiſſimi, alueo recepta. Præter hæc, multa quoque alia diuerſi generis flumina, Indiæ terras interlabentia, crebris hortis omnigeniſque fructibus vberes reddunt. Quod autem India tot amnibus, & tanta aquarum copia redundet. Philoſophi eius loci ac Phyſici hanc afferunt cauſam: Adiacentes Scytharum, Bactrianúmque & Arianùm terras editiorem habere ſitum autumant quàm Indiam: hinc bonis rationibus conſequi, vt in ſubiectam vndique regionem humor exſudans & eliquéſcens, paulatim loca irriget, amneſque multos gignat.*

Ergo cùm Iſaïas terram appellat, *trans flumina Aethiopiæ*, facilè, concinneque intelligere poſſumus Indiam, præſertim vltra Gangem, & Sinam: imò & ipſam quoque Indiam ab Indo ad Gangem, quæ vaſtam illam prominentiam ad Cori vſque promontorium etiam complectitur: quòd hæc quoque maiori ex parte trans flumina Indiæ iaceat. Notandus verò Hebraïſmus, *De trans.* Hiſpanicè, *De tras.* Hebraïcum *Me Eber*, reddi quoque poſſe, *A latere fluminum, ſuper, ſecundùm, flumina Aethiopiæ.* Res eſt perſpicua, è Lexicis Sanctis, Merceri, Auenarij, Schindleri, & Notis Tremellij & Iunij in hunc locum. Vt rectè indicet & Indiam, & Sinam, quæ non minùs quàm India maximis fluminibus interluitur: imò magna pars hominum in fluminibus Sinæ degunt, vti Maffeius lib. 6. Gonzales lib. 3. cap. 21. 22. Pintus cap. 97. 98. 99. & omnes affirmant.

* * *

Sequentia eiuſdem Iſaïæ Oraculi verba elucidantur.

CAP. XX.

Qui mittit in mare Legatos.

LAtina exemplaria olim hîc geminam præferebant lectionem, fœmineam, *quæ*, & maſculeam, *qui*, & vtraque cum Hebraico textu ſtare poteſt. Participium enim *Soleach*, etſi maſculeum ſit, referri poſſit ad terram, quæ interdum Hebræis generis eſt maſculini. Vnde reddi ex Hebræo poteſt; *quæ mittit*: &, *qui mittit*. At verbum, *mittens*. vt etiam Sanctes reddidit. Forerius præcedentibus iungit: *Heus terra vmbra alarum, quæ à transflumina Æthiopiæ mittis in mare Legatos.* Sed repugnat Hebraïſmus accentus *Soph paſſuch*, poſt vocem *Æthiopiæ* additus Leo Iudas: *Væ terræ naſſæ alatæ, quæ eſt trans flumina Cuſch, mittenti Legatos per mare.* Tremellius & Iunius, *mittenti per mare Legatos.* Tranſlatio Sanctandreana, *quæ mittit per mare Legatos:* vt etiam Montanus. At LXX. S. Hieronymus, S. Cyrillus, Procopius, Theophylactus, Oecumenius, & è recentioribus Vatablus, Pellicanus, Clarius, Leo Caſtrus, & exemplaria Latinæ Veteris Editionis iuſſu Clementis VIII. edita, *qui mittit.* Omiſſis autem variis aliorum ſenſibus, illum exiſtimamus ſimpliciorem, *Mittens*, vel *mittit* Chriſtus: participium pro præſenti: vel, *qui* Chriſtus *mittit*: relatiuum pro Antecedente: *in mare Legatos.* Vatablus exponit: *qui mittit, id eſt, Chriſtus rex, qui mittendi poteſtatem habet, ſubaudi, mittet Legatos, &c.* Aliter, *qui mittit Legatos in mare* Chriſtus, *&c.* dicet: *Ite Angeli veloces, &c.* Proprium munus Chriſti Domini eſt, mittere Apoſtolos, Legatos, Miniſtros verbi ad propagandum Euangelium.

Appoſitè dixit, *in mare*: nam Euangelij Prædicatores qui ex Hiſpaniis in Indiam & Sinam mittuntur, vel ad Meridiem & Orientem, Luſitanorum claſſibus; vel ad Occidentem, Caſtellanorum nauibus in Molucas & Philippinas, &c. immenſum propemodum enauigant Oceanum. *Legatos.* Tſirim, cardines, quòd ſuper legatos, rerum & negotiorum cardines voluantur: & quòd re vera miniſtri verbi in Indiam & Sinam miſſi, ſint cardines Eccleſiæ illic ſurgentis. Eadem vox ſignificat, *angustias*, *preſſuras*: quas ſanè maximas, & innumeras patiuntur, qui Euangelium in terras illas important: vt qui plerúmque pro Chriſti nomine ſanguinem & vitam profundant. LXX. dixerunt, ὄμηρα, id eſt, *obſides*, *pignora.* Sunt planè Euangelici prædicatores, præſtantiſſimi quidam obſides, & ſacra quædam pignora ſalutis gentium, quibus Euangelium annunciant; quæ omnem fidem illis adſtruant, ſi Euangelio crediderint, & obedierint, æternam felicitatem conſecuturas. Leo Caſtrus ὄμηρα exponit, fœdera vel pacta, nempe æternum illud Filij Dei cum humano genere redemptionis Fœdus, Nouum ſcilicet Teſtamentum, & Euangelium quòd Verbi præcones in nationes illas feliciter inferunt.

Et in vaſis papyri ſuper aquas.

Tremellius & Iunius: *Et inſtrumentis ſcirpeis per ſuperficiem aquarum, id eſt, nauiculis è ſcirpo, iunco, aut papyro contextis, qualibus Ægyptij, Æthiopéſque propter Catadupos, Cataractas, & periculoſa vada vtebantur: tum quòd leuiores eſſent, & ἄσηπτοι, id eſt, non putreſcentes, vt refert Diod. Siculus lib. 1. tum quod aduerſis fluctibus, ſcopuliſque (quibus Nilus abundat) cederent, ac non diſſilirent, aut frangerentur ſicut lignum. Vide Plinium lib. 6. cap. 22.* Igitur hæc Iſaïæ verba proculdubio videntur permouiſſe quoſdam, vt de Ægypto, vel Æthiopia Iſaïam hîc loqui putauerint: nam nauigia ex papyro, ſeu iunco propria Ægyptiorum, & Æthiopum fuere. Herodotus lib. 2. num. 96. de Ægyptiis: *Naues eorum onerariæ ſunt factæ ex ſpina.* Et poſteà: *Curuatis autem in gyrum lignis non vtuntur, ſed introrſus compages byblo innectunt: & velis ex byblo vtuntur.*

Theophraſtus lib. 4. de Plantis, cap. 8. *Papyrus ipſe ad plurima vtilis, etenim ex eo nauigia faciunt, & è libro vela.* Plinius lib. 13. cap. 11. eadem Theophraſti verba mutuatus: *Ex ipſo quidem papyro nauigia texunt, & è libro vela.* Et lib. 7. c. 56. *Naues in Nilo fiunt ex papyro, & ſcirpo, & arundine.* Lucanus 4. Pharſaliæ:

Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro.

De Nauigiis Arundineis Meroenſium Æthiopum ad Nilum, Heliodorus lib. 10. Æthiopicorum: *Tranſmittebant Aſtaboram fluuium, alij per pontem, alij nauigiis ex arundine factis, quæ plurima & in multis partibus ripæ vacillabant. Sunt autem celerrima tum propter materiam, tum propter onus, quòd non plures quàm duos tréſue viros ferant. Arundo enim in duas partes diſſecta, ex qualibet ſectione nauigiolum præbet, ac efficit.*

At Montanus exiſtimat Iſaïam de India locutum. *Quæ tanta*, inquit, *fertilitate pollet, vt miraculum ſit gentibus aliis, videntibus nuncios illius in mare nauigantes, vſóſque iunceis, ſiue arundineis nauibus: quippe regionis illius arundinum ſingula internodia nautas binos, & quædam ternos etiam vehant. Hæc nauigia arundinum internodiis facta, illorum lingua Almadiæ dicuntur.*

Equidem non ita propria Ægypto eſt papyrus, quin etiam in India naſcatur. Strabo lib. 17. pag. 566. *Ægyptiacis verò ea adiicienda ſunt, quæ illorum propria dicuntur, vt Ægyptia faba, ex qua ciborium fit: item byblus: hæc enim ſolùm ibi ſunt, & in India.* Porrò Indos, vt Ægyptios, ex arundinibus nauigia conficere, certum eſt: Herodotus lib. 3. n. 98. *Indorum alij in paluſtribus fluminibus habitant, crudis victitantes piſcibus, quos agreſſi ex arundineis nauigiis exceptant: Singula autem nauigia è ſingulis arundinis internodiis fiunt.* Diodorus Siculus lib. 2. num. 74. *India circa fluuios, & paludes magnam arundinis copiam fert, cuius craſſitiem homo non facilè complectatur. Ex hac naues materia concinnatas eximium habere vſum dicitur, quòd carie ſcilicet non infeſtentur.* Pomponius Mela lib. 3. cap. 7. de arundinibus Indicis: *Arundinum fiſſa internodia, velut nauiculæ, binos, & quædam ternos etiam vehant.* De eiſdem Plinius lib 7. cap. 2. *Arundines verò tantæ proceritatis, vt ſingula internodia alueo nauigabili, ternos interdum homines ferant.* Et lib. 16. cap. 36. *Arundini quidem Indicæ arboreæ amplitudo, quales vulgò in templis videmus.* Et poſt pauca: *Nauigiorum vicem præſtant (ſi credimus) ſingula internodia: circa Aceſinem amnem maximè naſcuntur.* Solinus cap. 55. *Quæ paluſtria ſunt Indiæ, arundinem creant ita craſſam, vt fiſſis internodiis, lembi vice vectitet nauigantes.* Et mira ſunt ſanè, quæ recentiores rerum Indicarum auctores de magnitudine & craſ-

ſitudine Indicarum, & Sinicarum arundinum produnt.

Stukius in Scholiis ad Periplum Maris Erythræi, pag. 97. ait: *Nicolaus Contius ad Gangis ripas cannas ſiue arundines adeò longas, & craſſas ſcribit naſci, quas vnus homo brachiis non poſſit complecti: ex quibus ſcaphas exiguas, piſcatoriis nauigiolis ſimiles conficiunt: quarum ibi in nauigando maximus eſt vſus.* Vide Petrum Chirinum in Relatione Philippinarum, cap. 4. de his arundinibus quæ ipſe ſæpius vidit admiranda referentem. Sed & de nauigiis Indicis, quibus vſus arundinum inſit, Vartomannus lib. 5. ſuæ nauigationis, cap. 12. inquit: *Minora nauigia, vt ſunt cymbæ, & id genus alia, Parao nominant: hæc ſunt denos paſſus longa è ſolido ligno: remis, ac malo vtuntur arundineis.*

Sciendum verò nomen *Gomè*, quod hîc ſcirpum, iuncum, vel papyrum omnes interpretantur, Kimchium exiſtimare eſſe genus arboris admodum leuis: quales arbores, & ex eiuſmodi confecta nauigia non eſt dubium innumera eſſe in India, & Sina. Quid ſi hîc interpretemur, & in vaſis Iunci ſuper faciem aquarum? Hoc eſt, nauibus Iuncis, ſeu quæ Iunci appellantur, cap. 19. ex Maffeio annotauimus, maximas naues vento dumtaxat mobiles, vulgò à Sinis Iuncos appellari: quorum incredibili multitudine Sinarum regio abundet: de quibus multa etiam Gonzalez lib. 3. cap. 21. & Pintus in ſua Peregrinatione variis locis. Eorúmque nedum in Sina, ſed in India, & toto Oriente maximam eſſe frequentiam, & vſum, nimis eſt exploratum. De Iuncis Inſulæ Porne, vel Bornei in Molucis agit Maximilianus Tranſſyluanus in epiſt. de eiſdem Inſulis.

At quantumuis hæc omnia curiosè, & ſubtiliter excogitata videantur, haud tamen eum eſſe verborum Prophetæ ſenſum putamus, vt India, vel Sina dicantur ipſæ mittere in mare vaſa, ſeu nauigia iuncea, aut papyracea, quibus abundant: ſed potiùs Iſaïam ſignificare, Chriſtum Dominum mittere Legatos ſuos ad Indiam & Sinam in vaſis papyri ſuper aquas. At quænam ſint vaſa iſta papyri, iam diſquirendum. Interpretes ferè omnes naues, ſeu nauigia ex ſcirpo, ſeu papyro, aut iunco contexta, quales illæ erant, quas fabricabantur Ægyptij. Verùm cùm certo certius ſit, ingentes, robuſtiſſimæque contexturæ naues ex Hiſpaniis mitti in Indiam & Sinam, in hiſque vehi Legatos & verbi miniſtros; quid eſt quòd Diuinus Vates ait Chriſtum mittere Legatos per mare in nauibus iunceis, ſeu papyraceis, quæ ſunt paruæ, tenues, nec tantæ nauigationi pares? Forſan reſpexit Iſaïas ad eam nauigationem, quæ olim, & fortè Prophetæ tempore erat in vſu, nempe ex Ægypto & Sinu Arabico in Indiam & Taprobanem: nam hæc ſola tunc ferè agnoſcebatur, & frequentabatur in Indiam, de qua Strabo lib. 15. ſub initium: *Porrò mercatorum, qui hodie ex Ægypto per Nilum & Arabicum ſinum in Indiam nauigant, pauci etiam vſque ad Gangem perueniunt, & qui eò perueniunt, litterarum rudes ſunt, neque ad locorum hiſtoriam concipiendam idonei.* Et lib. 2. pag. 81. *Alexandrinorum mercatorum claſſis per Nilum iam nauigans & Arabicum ſinum vſque ad Indiam, multò iſta nobis, quàm olim fuerant, notiora reddidit. Quo tempore Gallus Ægypto præfuit, ad ipſum veni, vnáque vſque ad Sienem, & fines Æthiopiæ aſcendi, ibique comperi C X X. naues à Muris portu Indiam verſus nauigare: cùm ſub Ptolemæis regibus perpauci auderent nauigare, & merces Indicas aduehere.* Plinius de eadem nauigatione lib. 6. cap. 23. *Diúque ita nauigatum eſt, donec compendia inuenit mercator, lucróque India admota eſt: quippe omnibus annis nauigatur ſagittariorum cohortibus impoſitis: etenim pirata maximè infeſtabant. Nec pigebit totum curſum ab Ægypto exponere, nunc primùm certa notitia pateſcente.* Sequitur exactè deſcribere totum illum nauigationis curſum, quem, ſi libuerit, conſule.

Arrianus quoque in Maris Erythræi Periplo, nauigationem ex Ægypto in Indiam à multis iam retrò temporibus, ad ſuam vſque ætatem frequentatam, latiſſimè & accuratiſſimè exponit, duos eius nauigationis curſus explicans: illum adito, & Stukij etiam Scholia. Flauius Vopiſcus de Firmo Tyranno: *Idem & cum Blemmyis ſocietatem maximam tenuit: & cum Saracenis naues quoque ad Indos negotiatorias ſæpe miſit.*

Atqui celebrem eam nauigationem ex Ægypto in Indiam papyraceis nauibus confici ſolitam, Plinius eſt auctor, cùm lib. 6. cap. 22. de Taprobane ait: *Incipit ab Eoo mari inter ortum occaſúmque ſolis India prætenta: & quondam credita viginti dierum nauigatione à Praſiana gente diſtare, quia papyraceis nauibus, armamentiſque Nili peteretur: mox ad noſtrarum nauium curſus, ſeptem dierum interuallo taxato.* Solinus cap. 56. *Ab Eoo mari incipit, prætenta India. A Praſina Indorum gente, dierum viginti primò in eam fuit curſus, ſed cum papyraceis & Nili nauibus illò pergeretur: mox curſu noſtrarum nauium ſeptem dierum iter factum eſt.* Arrianus in Periplo: *Vniuerſum autem hunc commemoratum nauigationis curſum, atque orbem, olim paruis nauigiis ipſos Sinus ambientes, conficiebant.* Atque hæc mirè locum Iſaïæ illuſtrant: nam obumbrare quodammodo voluit Luſitanorum, & Caſtellanorum in Indiam & Sinam nauigationes, iis quæ ſuo tempore ex Ægypto nauibus papyraceis in eaſdem regiones inſtituebantur, nauigationibus: quòd eæ tunc eſſent notiſſimæ, & frequentiſſimæ.

Sed vt eſt Fons Hebraïcus vberrimus, plures, eóſque mirificos fundit ſenſus: Primò, *In vaſis inundationis, (fluctuationis) ſuper facies aquarum.* Hanc verbo *Gamà*, à quo *Gomè*, quod hîc ponitur, ſignificationem tribuit Auenarius: nimirum à tranſpoſito *Agam*, ſtagno: vt indicet maximas Hiſpanorum naues, pares ingentibus quibuſvis vndis & fluctibus. Secundò, *In vaſis abſorptionis, (& ingurgitationis.* (Id ſignificare notant verbum *Gama*, Reuclinus, Marinus, Mercerus, Schindlerus. Eodem penè ſenſu, vt innuat ingentes Hiſpanicas naues quæ aduerſus magnos Oceani gurgites, & abſorptiones, & vaſtas pelagi immenſi voragines, & diglutiones ſint durabiles. Tertiò, *Et in vaſis impetus. Gama*, eſt impetum in rem aliquam facere, Forſtero in Lexico, & Forerio Iſaïæ 9. 14. hoc eſt, nauibus magnis, quæ magno impetu ferantur, quales ſunt Hiſpanorum Indicæ. Quartò, *Et in vaſis curſus*: verbo *Gama* currendi ſignificatum adſcribit Oleaſtrius in 2. Exodi: id eſt, nauibus velociſſimi curſus. Nota Hebraïſmum, *vaſa* pro nauibus, qui eſt ipſiſſimus Hiſpaniſmus: nam vaſa etiam vocamus nauigia. Quintò, *Et in inſtrumentis papyri*: ſeu *Chartaceis, ſuper facies aquarum*: vt ſignificet inſtrumenta, diplomata, bullas, priuilegia, quibus muniti miniſtri verbi in eas nationes ſe conferunt: quibúſque eorum auctoritas, & poteſtas prædicandi, ſacramenta adminiſtrandi, Eccleſias fundandi, ligandi, ſoluendi pleniſſimè continetur, quæ

ſunt

ſunt veluti publica inſtrumenta ſui Apoſtolatus, & miſſionis. Item ſacras Indulgentias & Iubilæa Summorum Pontificum. Video iam ridentes Nouatores, hanc interpretationem. Meliùs plangerent ſuas hæreſes. Sextò, *& in ſupellectilibus papyri ſuper facies aquarum:* admirabili ſenſu. Non alias opes, diuitias, merces diuini iſti legati ſecum ferunt, niſi Breuiaria, Biblia, ſacros libros Doctorum, quibus Euangelium annuncient. Aut quòd eodem recidit: *& inſtrumentis* (armis) *papyri, &c.* Non aliis armis, quàm Bibliis ſacris, quàm verbo ipſo Dei, & libris SS. Patrum, rem gerunt, Imperia, regiones, regna, Chriſto ſubiiciunt. Septimò, *Et in inſtrumentis iunci*, (hami) *ſuper facies aquarum*: vt Gomè, ſit idem quòd *Agmon*, Iob 40. 21. *Iuncum*, ſeu *hamum in naſo eius*: ita enim ferè omnes exponunt, vt ſit periphraſis piſcatorum, ſeu prædicatorum: hos enim à Chriſto vocati piſcatores hominum, ſciunt omnes, quaſi dicat, Chriſtus mittet Legatos ſuos in mare, cum inſtrumentis iuncorum, hamorum, ſuper aquas, vt ſint piſcatores hominum. Noſtri vulgati, *In vaſis papyri ſuper aquas*: rectè fert 5. 6. & 7. explanationem. Poſſint quoque *vaſa papyri*, indicare naſſas piſcatorias, quæ ex vimine, & iunco contexi ſolent, vt ea etiam ratione piſcatores hominum, ſeu Verbi Diuini præcones circumloquatur, qui intra naſſam, & ſagenam Eccleſiæ homines tanquam piſces peritè capiant.

L X X. dixerunt: *Et epiſtolas byblinas, ſeu papyraceas, vel chartaceas, ſuper aquam:* qua etiam ratione legunt ſanctus Cyrillus, Procopius, Theophylactus, Oecumenius. Melchior Guillandinus Commentario de Papyro: *Quas ego*, inquit, *interpretor mandata in chartis deſcripta.* Huic L X X. tranſlationi facilè aptantur 5. & 6. expoſitio ſuperiùs poſita.

Ceterùm de papyro, eiúſque vſu ad chartas & libros, ſcripſit integrum Commentarium Melchior Guillandinus Borruſſus: & Ioſephus Scaliger Animaduerſiones in eundem Guillandinum.

Ite Angeli veloces.

Veloces; propriè, *leues*, *alleuiati*; L X X. *Ibunt enim nuncij leues.*

Inſtituti ratio non fert, hîc omnes aliorum interpretationes inſerere: eam omnium congruentiſſimam arbitramur, vt ij Angeli leues ſint Euangelij prædicatores, qui mittuntur in Indiam, & Sinas, atque vltimum Orientem. Fridericus Lumnius lib. 2. de extremo Iudicio, cap. 6. intelligit Patres Societatis Ieſu, Dominicanos, Franciſcanos. Rectè quidem, quòd ij præ cæteris Angelicum iſtud & Apoſtolicum euangelizandi munus exerceant: ſed nos & iſtos, & vniuersè omnes diuini Verbi præcones, qui in illis ampliſſimis Orientis regionibus Diuinam Chriſti Religionem fundare & propagare ſummis viribus ſtudent, facilè interpretamur.

Videant igitur ſacrati Viri, Euangelij ſatores, quàm digno, honoriſque pleno elogio ab Iſaïa ornentur, nimirum Angeli, Apoſtoli, ſummi Dei Nuntij, & Legati audiunt, vt ſciant tanto ſuo muneri ſatisfacere. Vocantur verò *Angeli leues*, hoc eſt, vt quàm velociſſimè ſuam legationem obeant; vel quolibet pondere alleuiati, nimirùm; vt admoneantur præclaræ ſuæ adminiſtrationis, quòd expediti, & liberi à ſæculi negotiis, cupiditatibus, affectibus, & toti vni huic re intenti, Euangelij prædicationem, ſalutémque animarum omni ſtudio curare debeant: illud Pauli Epheſior. 6. 14. ſibi proponentes: *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis*: vt promptè, expeditè, ſtrenuè, alacriter, propagando Euangelio incumbant.

Ad Gentem conuulſam.

Hebræum participium *Memuſac*, Sanctes, Schindlerus, *tractam.* Forſterus, Vatabli editio Sanctandreana, Forerius, Auenarius, Tremellius, Iunius, Pellicanus, Montanus, *diſtractam.* Marinus, *prolongatam.* Sanctes in Theſauro, protractam. Quòd vltimi terrarum populi ad Orientem ſint Indi, Cuachinchinæ, & Sinæ, in extremo orbis tractu diſtracti, prolongati, remoti à reliquo mundo; vel quòd ampliſſimis, & longiſſimis terrarum tractibus extendantur, vt cap. 19. oſtendebamus. Tremellius & Iunius: *Id eſt, diſperſam huc illuc, & multis locis occupatam.* Pellicanus: *diſtractam in varios errores, ritus, cultus, & Deos.* Reuchinus, *dilaceratam.* Chaldæus, *ad populum vim patientem*; ſcilicet, à Satana; quem Satanas dilaceratum tot vitiis, & idololatriis, ac perditum ſub iugo ſuo tyranicè premit. L X X. *ad gentem excelſam.* Præclaram & inclytam nationem ſe Sinæ iactant. Nec alienè reddes, cum Caſtro, ad gentem pretioſam; ob innumeras opes auri, argenti, margaritarum, & aliarum pretioſiſſimarum rerum, quibus India & Sina abundant. Noſter appoſitè dixit, *conuulſam*, quòd Sinæ excluſo penè commercio aliarum gentium, velut conuulſi, & diſcluſi maneant à reliquis nationibus. Vel quòd nulla ſit in toto orbe gens magis diuulſa & ſeparata à veri Dei cognitione.

Et dilaceratam.

Morat, omnes interpretantur, *expilatam, depilatam, euulſam*; nempè à Satana; vel quòd Sinæ ſint penè glabri, læues, rara barba, vt Maffeius lib. 6. Gonzalez lib. 1. cap. 10. Ortelius & Mercator in Tabulis Chinæ aiunt. Poſſis etiam reddere, *expolitam, politam, limatam*; quòd ſe Sinæ mortalium expoliti ſſimos, & acutiſſimos ferant: cùm omnes nationes cæcas, Europæos vnico, ſe binis oculis præditos autument, vti 17. cap. ſuperiùs notabamus. Chaldæus, *direptum*; cui vera omnia bona diabolus diripuit.

Ad Populum terribilem.

Nora, propriè terribilem, timendum, formidabilem, horribilem; nimirum ob vires & opes, quæ ſolent eſſe formidabiles. Kimchius, locum hunc interpretans, hæc habet in libro Radicum: *Rabbi Ionah, longinquum. Et non eſt opus à propria ſignificatione transferre: etſi ſenſus verſiculi eſt de populo remoto: quia longinquos, id eſt, eos qui veniunt è longinquo, homo timet, eo quòd illorum neſcit vires, & mores.* Vatablus: *Terribilem, id eſt, in cuius gratiam miracula multa terrentia ſpectatores edidit.* Montanus: *Appellatur populus terribilis, propter maxima, & ſtupenda ſigna, quibus ab initio aduentantis Euangelij hanc ſuam publicæ ſalutis expeditionem Deus eſt conteſtatus.* Equidem iſtud optimè in Indos,

& Sinas quadrat : quòd in illis regionibus, in earúmque gentium gratiam, Deus in prædicatione Euangelij, per ſuos miniſtros præclara, & ſtupenda miracula patrare iam cœperit pluráque, atque maiora deinceps patraturus proculdubio credatur. De inſigni miraculo Crucis S. Thomæ in India ſanguinem quotannis exſudantis, egimus fusè ſuperiùs cap. 10. De miraculis etiam à Matth. Scandelio in Sinarum regione perpetratis abundè ſcripſimus cap. 16. Etverò Epiſtolæ & Relationes Indicæ, Sinicæ, Iaponicæ Patrum Ieſuitarum, recentioréſque harum regionum hiſtoriæ, perſpicuè narrant in India, Cuachinchina, Sina, Molucis, Philippinis, Iaponiis, Deum maximis, & clariſſimis miraculorum facibus Euangelio præluxiſſe. Vide Thomam Bozium de Signis Eccleſiæ, lib. 5. cap. 2.

Chaldæus, *ad populum potentem.* Et Indi, & Sinæ, diuitiis, opibus, frequentia, & numero hominum ſunt reuerà potentiſſimi, & neſcio num vnquam in orbe extiterit florentius, & auguſtius aliud Imperium, vt Sinarum. LXX. in editione Complutenſi & Regia ; *& populum peregrinum, & durum.* In Romana verò : *& peregrinum populum, & peſſimum* : quæ nomina aptiſſimè Sinis, & Indis conueniunt.

Poſt quem non eſt alius.

Hebræa ad verbum, *ex ipſo & vltra* ; vel, *ex ipſo & hinc* ; aut, *ex ipſo & trans.* Sanctes, Forerius, *ex quo fuit & vltra* : ſeu, *deinceps.* Clarius, *à tempore quo ipſe cœpit vſque nunc.* Vatablus & Leo & Iudas, *ab eo tempore & poſtea* ; vel *deinceps.* Montanus, *ex quo primum eſſe cœpit vſque ad finem ſæculi* ; Chaldæus, *& olim, & deinceps.* Vatablus in Annotationibus Sanctandreanis : *Ad verbum, ad ipſo (ſubaudi, populo) & vltra : id eſt, ex quo ipſe cœpit eſſe populus: iam inde ab initio, à ſuo exortu, & poſteà. Alij, ab eo tempore & deinceps. Quidam Hebræorum exponunt, populum longinquum magis quàm ille & vltra, id eſt, magis longinquum, quàm diſtent Æthiopes, ac qui vltra eos habitant, à Ieroſolymis. Quam expoſitionem Doctus inter Hebræos reiicit.* Nempe Kimchius. Tremellius & Iunius, ex eo loco atque vlterius.

Sed nemo melius Noſtro : *poſt quem non eſt alius.* Adamus & Sà exponunt, *cui nullus comparandus.* Sed veriùs idem Sà, *quaſi dicat, habitantem in extremis terræ.* Quia vltimi hominum ad Orientem ſolem, ſunt Indi, Cuachinchinæ, Sinæ, Iaponij, poſt quos, nec vltra quos, non ſunt alij. In eundem ſenſum haud dubiè LXX. dixerunt, *quis vltra illum?* Symmachus, *poſt quem non eſt vltra.* Nec inepte interpretabimur : Ite Angeli veloces ad populum terribilem Indorum, & Sinarum : ex ipſo & vltra, ſeu vlteriùs vel, trans : nempe ex ipſo populo Indorum & Sinarum, tranſite vlteriùs verſus Auſtrum ad Inſulas Zeilan, Somatram, Iauas, Molucas, Philippinas, Iaponiorum, &c.

Ad gentem expectantem, & conculcatam.

Hebræa, *Goi Kau-Kau, u mebuſah*, variè reddunt. Sanctes in Theſauro ex Kimchio : *Gentem lineatim operantem, & conculcationis ; id eſt, paulatim, paulatim. Et eſt metaphora à cæmentario : ſicut enim cæmentarius extenſa linea (ſine extenſo filo, facit ordinem vnum, (vulgo, vn corſo in muro) & ſupra illum iterum extendit, vt faciat ordinem, (aut curſum) alium, & ſic paulatim, paulatim donec perficiat parietem. Et ſic qui aliquid facit, modò paululum, ſubinde aliud paululum facit, donec tandem illud perficiat. Vnde dicitur illud facere Kau-Kau, lineatim, id eſt, ad lineas (aut ad curſus, vulgò ad filo, ad filo.* Hiſpanicè etiam in parietibus formaceis dicimus, *tantos hilos de tapia.*

Idem Sanctes in ſua Tranſlatione, *gentem lineatim conculcatam.* Et in Theſauro in verbo *Bus: gentem perpendiculi, perpendiculi, & conculcationis*, vel *contemptus.* Forſterus in *Bus : Gentem perpendiculi, & conculcationis.* Et in *Kauah : gentem funiculi : id eſt, quæ per funiculos dimetienda erit. Vbi prius Kau in regimine, alterum in ſtatu abſoluto, vtrumque autem ſimul diſtributiuè ponitur.* Tremellius & Iunius : *gentem lineæ, & conculcationis* ; vel, *gentem omnibus delineantem, & conculcantem : id eſt, quæ omnibus aliis ius dare arrogat, imperare illis arbitratu ſuo, & pedibus illas iniquiſſimè terere.* Pellicanus : *gentem pedetentim & ſucceſſiuè docendam, diſponendam, ordinandam, & veluti ad normam dirigendam, quæ antea fuerat conculcata, contempta, neglecta.* Mercerus, *gentem regulæ, regulæ, & conculcationis, quaſi diceres, velut regulatim, ſeu lineatim, id eſt, paulatim conculcatam.* Clarius : *gentem paulatim conculcatam.* Forerius & Montanus : *gentem lineæ, lineæ, & conculcationis.* Addit Forerius : *id eſt, valdè lineatam, id eſt, frequentibus lineis complanatam, & ſolo æquatam, ſicut ſolent facere, qui diruta complanare volunt : non ſolùm enim ſeruit Kau ædificatoribus, ſed etiam deſtructoribus.* Sic Iſaïæ 34.11. *Et extendetur ſuper eam menſura*, linea, *vt redigatur ad nihilum; & perpendiculum in deſolationem.* Threnorum 2. verſic. 8. *Cogitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum*, lineam, *ſuum.* Vide 2. Regum 8. 2.

Vatablus in Annotationibus Sanctandreanis: *Gentem, lineæ, lineæ* ; vel, *funiculi, funiculi, & conculcationis. Metaphora tracta ab architectis, qui ordinem vnum, poſt ordinem alterum collocare ſolent. Id eſt, cui paulatim conculcatio euenit. Quidam Hebraïſmum vertunt, quæ ſenſim afflicta fuit, & tandem conculcata. Alij, vndique conculcatam : ac ſi quis duceret lineas, iiſque inter ſe coniunctis nullum locum vacuum relinqueret, vel ſulcos duceret in agro, quibus quoque glebas ſubigeret. Quidam vertunt, expectantem, expectantem, & conculcatam. Alij, auidè expectantem.* Et in Scholiis Salmanticenſibus: *gentem (inquam) linea linea, & conculcatio : ſubaudi, ei : id eſt, ad gentem quæ lineatim, hoc eſt, pedetentim conculcata fuit.* Leo Iudas : *gentem auidè expectantem, & conculcatam.* Marinus in *Me Buſa: gentem perpendiculi, perpendiculi, & conculcationis.* Et in Kau : *gentem funiculi, funiculi, & conculcatam. Hoc eſt, paulatim conculcatam* ; *ductum à cæmentariis, qui ordine ſupra ordinem murum fabricant.* Schindlerus : *gentem lineæ, lineæ, & conculcatam*; aut, *quæ paulatim conculcabitur* ; vel, *funiculis dimetiendam & diuidendam.* Addit aliam interpretationem ex Aben-Ezra : *gentem ſimilem puero diſcenti lineam poſt lineam.* Vt ſit affine loco Iſaiæ 28. 10. Montanus in Commentariis : *gentem expectare, expectare, & conculcatam.* Auenarius : *gentem perpendiculi, & conculcationis.* Chaldæus : *populum afflictum*, vel *oppreſſum.* LXX. *gens abſque ſpe, & conculcata*, vt etiam ſanctus Cyrillus & Procopius legunt.

Nunc

Nunc varios ſenſus & intelligentias verborum Prophetæ non hîc tranſcribo, ſuppetunt in Explanatoribus affatim. Hebræa tamen ſic capio, *gentem regulæ regulæ*, vel *normæ normæ*, vel *fili fili*, vel *perpendiculi perpendiculi*: hoc eſt, ad gentem regulatiſſimam, quæ omnia ad normam, & perpendiculum exigat, id eſt, prudentiſſimam, & politiciſſimam: vt ſunt profectò Sinæ. Nec abſurda fuerit interpretatio, *gentem collectionis collectionis*, vel *congregationis congregationis*, quæ ſe intra ſuos limites colligit, & continet: vt de Sinis ſuprà dicebamus, quibus nouas terras Imperio adiicere, externas nationes inducere, aut admittere, pedem Regno extrahere, eſt prorſus interdictum. Vel, *gentem collectionis collectionis, &c.* quòd immenſa multitudine, & frequentia incolentium congregetur. Illud, *gentem perpendiculi perpendiculi, &c.* forſan innuat inſanas, & artificioſiſſimas extructiones vrbium, murorum, pontium Regni Sinarum, quæ ſunt planè mirabiles, & à noſtris magnopere celebratæ. Vide Ioannem Gonzalez lib. 1. cap. 9.

Noſter, *expectantem*: & in Fonte geminatè, *expectantem, expectantem*: id eſt, tot iam ſæculis expectantem, vel auidè, & ſitibundè Euangelium præſtolantem. Ea enim geminatio Hebraico more vim ſignificatus intendit: *& conculcatam*: à diabolo tot vitiis, & idololatriis, contemptam & deſpectam à Deo. Quid ſi illud, *gentem valdè lineatam*, id eſt, *ad funiculum ſolo æquatam & complanatam*, atque *conculcatam*: indicet, tandem illud magnum Sinarum Imperium, Hiſpanorum armis maxima virtute euertendum, & ſubiugandum, vt ea ratione Chriſtianam Religionem faciliùs recipere poſſit.

Cuius diripuerunt flumina terram eius.

Quia nimirum terreſtre iter ad Indos, & Sinas vaſta, & innumera flumina abripiunt, & intercipiunt, vti Geographi docent; vel innumerabilia. & ingentia flumina quibus India & Sina interſecantur, magnam earum regionum terræ partem adimunt. Maffeius lib. 6. *Vrbes præterquam quòd magnis fluminibus pleræque alluuntur: ſunt etiam quæ ad ſubuectionis euectioniſque commoditatem canales nauium capaces, introrſus admittant: quales multis locis apud Belgas, & alicubi etiam in Italia cernimus.* Eadem alij omnes.

Iam quem fructum ſperare debeamus, ex iſta Angelorum velocium ad Indos & Sinas legatione, & Euangelij promulgatione, Diuinus Iſaias verſ. 7. expreſſit: *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum, à populo diuulſo, & dilacerato: à populo terribili, poſt quem non fuit alius; à gente expectante expectante, & conculcata, cuius diripuerunt flumina terram eius, ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion*: Proculdubio; *Verbum Domini Dei noſtri ſtabit in æternum.* Speramus ex diuino Oraculo Iſaïæ, magnam ex Indiæ, Cuachinchinæ, Iaponiorum, Sinarum, & aliarum Orientalium gentium populis copioſam, vberem, felicem ad Chriſti Eccleſiam futuram acceſſionem.

Fridericus Lumnius lib. 2. de Extremo Iudicio, cap. 1. & ſequentibus fusè differit hoc Iſaiæ vaticinium intelligendum de Nouo Orbe Occiduo à Chriſtophoro Columbo aperto, quem Indiam Occidentalem vocamus: vt etiam Luyſius Legionenſis in Abdiæ verſ. 20. & Acoſta lib. 1. de Natura Noui Orbis, cap. 15. Thomas verò Bozius lib. 20. de ſignis Eccleſiæ cap. 3. de Inſulis Æthiopici Maris, vt S. Laurentij & aliis, item etiam de Nouo Orbe Occiduo. Nec defuit Ioannes de la Puente lib. 3. Concordiæ Monarchiæ Romanæ, & Hiſpanicæ, qui noſtra ætate de Hiſpania totum Oraculum latiſſimè expoſuerit. Nemini præſcribimus, quiſque ſuo ſenſu fruatur: noſtrum nos ingenuè propoſuimus.

Elucidatur locus Sophoniæ 3. 10. Vltra flumina Æthiopiæ, inde ſupplices mei, filij diſperſorum meorum deferent munus mihi.

CAP. XXI.

HOc vaticinium idem eſſe cum illo Iſaïæ 18. 1. & 7. quòd nuper enarrauimus, & vtrumque eundem ferè ſenſum, & omnes interpretes conſentiunt, & res ipſa apertiſſimè clamat, cùm & verba eadem ſint propemodum. Nec nunc immorabimur in recenſendis aliorum interpretationibus: noſtra hæc eſt, verbis iſtis ampliſſimis Sophoniæ, prænuntiari celebrem ad Chriſti Fidem conuerſionem, Indiæ Orientalis, & longiſſimi totius terræ tractus ab India ad vltimas Sinarum oras, cum Inſulis Oceani Eoi, Zeilan, Somatra Ianis, Molucis, Philippinis, Iaponiis, &c. Quæ ſanè conuerſio, & iam fieri cœpta eſt, & continenter magnis miniſtrorum Verbi conatibus procuratur. Vide Ioannem Ferdinandum in Theſauro Scripturarum, cap. 58.

Huic noſtræ expoſitioni præluxiſſe videtur Ionathan Chaldæus Interpres, cùm paraphraſi exprimens hunc locum, ait: *Ab vlteriori ripa fluuiorum Hodu.* Annotat Montanus in cap. 3. Sophoniæ: *Quod nos Indiam, Hebræi, Chaldæi, Arabes, Syri, vel Hodus, vel Hondus, vel Hundu dicunt.* Equidem Eſther 1. 1. quòd Noſter habet, *qui regnauit ab India vſque Aethiopiam.* Hebraïcè, pro *India* eſt *Hodu*, quam vocem & Noſter, & omnes Indiam interpretantur. Beniamin Tudelenſis in Itinerario Indiam Hodu etiam vocat. Stukius in Scholiis ad Periplum Maris Erythræi Arriani, pag 60. ſcribit, Indiam citra Gangem ab incolis appellari Hynd.

Vatablus in Scholiis: *De vltra flumina Aethiopiæ, id eſt, de regione, quæ ſita eſt vltra fluuios Aethiopicæ Indicæ, ſeu Orientalis.* Hanc eandem Vatabli interpretationem ſequuntur Montanus, Sà, Caſtrus in 3. Sophoniæ, Thomas Bozius lib. 20. de Signis Eccleſiæ, cap. 3. De hac Æthiopia puto Beniamin Tudelenſem in Itinerario, pag. 98. Hæc ſcripſiſſe: *Hinc octo diebus in Hodu Mediterraneam veni, hoc eſt, Indiam Aethiopicam, quæ ſuæ gentis vocabulo Baghdaan dicitur, eadem eſt Eden, quæ regioni Thelaſſar adſcribitur.* Sed iſtum non rectè locorum ſitus deſcribere, ſatis videtur.

Verba Sophoniæ conſectemur: Hebræa: *De transflumina Chus, (Æthiopiæ) Atharai filia Putſai adducent munus meum.* Sanctes: *Hi qui ſunt transflumina Chus Hatharai, filia diſperſorum meorum, deferent munus meum.* Et in Theſauro ſecutus Kimchium: *De transflumina Chus Atharai filia Puthſai afferent munus meum. Eſt*, inquit, *nomen gentis ſecundùm Rabbi Dauid.* Forſterus in Athar:

De trans flumina Æthiopiæ, oratores meos, filiam dispersorum meorum adducent munus meum. Et in Puts: *De trans flumina Æthiopiæ, oratores mei, filia dispersorum meorum, adducunt munus mihi.* Vatablus: *De trans flumina Æthiopiæ, Atharai, & congregatio Putseorum afferent munus mihi. In signum scilicet obedientiæ.* Tremellius & Iunius: *E trans fluuial b is partibus Æthiopiæ, supplices mei filiæ dispersorum meorum afferent munus meum. Id est, de locis remotissimis, tum ex populis, tum ex gente Iudæorum dispersa.*

Marinus, *Trans flumina Æthiopiæ Atharai filia Putsai deferent munus meum.* Annotat verò: *Atharai nomen proprium mulieris. Verba nouo modo efficta satis ornatè à Propheta, quibus dispersionem describit, quæ sola oratione deberet inniti. Putsai nomen proprium viri eleganter effictum à Propheta. Est autem quasi diceres, dispersorum meorum.* Auenarius, *Trans flumina Aethiopiæ erunt supplicationes meæ: id est, supplices mei, qui in nomine meo orabunt.* Schindlerus, *trans flumina Æthiopiæ Atharai filia Putsai, (nomen gentis, aut familiæ, vel filia dispersorum meorum afferent munus meum. Cœtus mei populi dispersi.* Mercerus inquit: *Aly per accusatiuum de trans flumina Æthiopiæ, supplices meos, filiam dispersorum meorum adducent munus meum. Aly gentis nomen putant. Putæos.*

Paulus Palatius Pusæos paululum luxato vocabulo existimat eos esse, quos vocant Bissinos, vel Abyssinos, & totum locum de Christiano Abyssinorum Imperio in interioti Æthiopia explicat. Tu ipsum consule: nam nec nobis displicet ea interpretatio.

LXX. in editione Complutensi & Regia: *De finibus fluminum Aethiopiæ suscipiam dispersos meos: afferent victimas mihi.* In Romana verò: *De finibus fluminum Aethiopiæ suscipiam in dispersis meis: afferent victimas mihi.* Eusebius lib. 2. Demonstrationis Euangel. cap. 52. *A finibus fluminum Aethiopiæ suscipiam supplicantes mihi: filij dispersorum ferent hostias mihi.* Theodoretus in Sophon. 3. *De finibus fluminum Aethiopiæ suscipiam filios dispersorum mihi supplicantes, afferent victimas mihi.* Exponítque appositissimè ad nostram explanationem: *Cum in extremis terris habitantes, disciplinam præconum à me dispersorum acceperint, laudis victimas mihi afferent. Sic enim etiam Symmachus interpretatus est: A finibus fluuiorum Aethiopiæ supplicantes mihi filij dispersorum meorum, a me deferent munus mihi. Filij procreati ab his præconibus, quos in omnes gentes dispersi, spiritualia mihi dona afferent.*

Ergo hîc Vatem canere, ab vltimis terrarum finibus adducturum Deum per suos Euangelij præcones, multos ex gentibus ad Ecclesiam, Sanctus Hieronymus, Theodoretus, Haimo, Remigius, Albertus Magnus, Rupertus, Lyranus, Pellicanus, Tremellius, Iunius, Clarius, Vatablus, & ferè omnes intelligunt: sed peculiariter & propriè innuere conuersionem ad Christi Fidem Indiæ Orientalis, Sinarum, & Iaponiorum, &c. facilè nobis persuademus. Vide Ioannem Ferdinandum in Thesauro, verbo *Aethiopia*, seu cap. 58. Christoph. Castrum hîc, qui hanc nostram quoque probant interpretationem. Si accusandi casu legamus, *De vltra flumina Æthiopiæ supplices, (Oratores) meos, filiam dispersorum meorum, adducent munus meum*: vti Forsterus exposuit, sensus erit; Verbi præcones adducturos ad Christum multos supplices, & fideles ex illis gentibus Orientalibus, tanquam gratissimum Domino munus. Sed melior intelligentia est, *De vltra flumina Aethiopiæ* (Indicæ) *oratores mei, filia dispersorum meorum adducent munus meum.* Nimirum ab vltimis Orientis oris venient legati, oratores, ad Christum, ad Ecclesiam, ad Christi Vicarium supplices sese, & omnia sua dedentes; *& filia dispersorum*: id est, congregatio filiorum Dei, qui erant dispersi, sed iam aggregati in Ecclesiam Christi, Ioan. 11. 51. deferent munera Domino, in signum Fidei, subiectionis & obedientiæ. Nónne id nostra memoria, nobísque videntibus, & vniuerso mundo spectante factum est? Quando anno Salutis MDLXXXV. Dom. Manuius filius sororis Francisci regis Bungi, D. Michaël patruelis Prothasij regis Arimonorum, Insula Iaponiorum profecti, Romam peruenerunt, eorum regum legati, pretiosa munera deferentes, ad ipsum Christi Vicarium Ecclesiæ Catholicæ Pontificem Maximum: Atqui ibi à Gregorio XIII. & Xysto V. qui Gregorio successerat, honorificè excepti, & magnis donis ornati, in patriam reuersi sunt: Regibus illarum regionum, in Regum Christianorum numerum & ordinem cooptaris. Atqui id nullo sæculo aut visum, aut auditum fuit, vt à tam remotis, & diuisis toto orbe terris, magnorum Regum legati ad Christi Vicario præstandum sacramentum, per tam vasta & immensa maria, tam longo itinere confecto, confluerent: seséque peterent in Christi Ecclesiam aggregari.

Expendendum verò illud, Noster Interpres dixit, *munus mihi.* Hebraïcè, ad verbum est, *munus meum*; quia conuersio Orientalium gentium quæ Domino à ministris, & præconibus verbi tanquam pretiosum munus adducitur: reuera ipsius Domini opus insolidum est, ipsius auspiciis, gratia, virtute cœptum & perfectum. Deinde Hebraïcum *Iobilum*, quo etiam in hoc eodem vaticinio vsus est Isaias 18. 7. pro quo Vulgatus dixit, *deferent*, propriè est cum mora & pompa magnifica sensim deducere: *Minchah* verò & si generaliter sit munus, donarium, & oblatio, peculiariter tamen sumi pro artificio farinacio, & cibario quod Deo offertur, cuius sex species Leuitici 2. referuntur. Vide Forsterum & Mercerum in Lexicis. Vnde verba Sophoniæ in hunc modum apertissimè reddi possunt, Iubilabunt *sacrificium meum*: farinaceum, & cibarium. Nimirum iam in India, Sinis, Iaponiis, Philippinis, Molucis, &c. Maximo cum iubilo & pompa offertur, & celebratur sacrosanctum Corporis & Sanguinis Domini sacrificium cibarium & farinaceum, sub speciebus nimirum panis & vini. Sensímque cum maiestate & sacro apparatu festiuissimè deducitur, & circumducitur in solemni pompa & processione, ad consolationem, & deuotionem fidelium, pro ritu & more Christiano, cunctis gaudio, & lætitia spirituali gestientibus, & Deum suum piè adorantibus. Et paragoges *nun* in *Iubilum* apprimè significatum intendit, & amplificat, quasi dicat, Iubilabunt, non vtcumque, sed insigni, maximo, & magnifico gaudio & Iubilo. Nec dubito Iubilandi verbum ab Hebræo *Iabal* deductum.

Franciscus Ribera hanc à nobis adhibitam loci Sophoniæ interpretationem non probat. Nec libet altercari: nec nos sine auctoribus, & rationibus nostram explicationem confirmauimus. Nam si digladiari vellemus, nec illi quæ opponere, nec nobis quæ respondere possemus,

vnquam

vnquam defutura, certum est. Quisque suo fruatur ingenio.

De nouo orbe occiduo excursus.

Omnes cæli, seu terræ zonas humano genere inhabitari, cap. 22. Non captamus doctrinæ circuitus, nec opere pascimur, sed opportunam, imò necessariam tractationem adiicimus. Nam cùm ante Antichristum, & sæculi finem, sit Euangelium in toto mundo prædicandum, vti Christus Dominus affirmat, qua de re integro hoc quarto libro ex professo suscepta est nobis disputatio: hactenúsque iam demonstrauerimus in omnibus veteris orbis regionibus fuisse promulgatum: non potest ab instituto alienum videri de nouo orbe perquirere, & num omnes terræ zonæ humano genere in olantur, & an vbicumque viuunt homines, Salutis notitia sit audita, vel num supersint insignes aliquot terrarum tractus, vel cogniti, vel incogniti, quo nondum lux Euangelij penetrauerit.

Peruulgatum est Astrologos & Cosmographos cælum, & huic subiectam terram in quinque zonas, seu cingulos distribuisse. Hinc plerique veterum existimarunt duas tantùm ex his terræ fasciis, hoc est, temperatas esse hominibus habitabiles: nam duas extremas, & inter se oppositas, cælique verticibus ex vtraque mundi parte subnixas, nempe quæ hinc sub Aquilonis axe, & illinc sub polo Austrino, cælo subiectæ sunt infesto rigore, & æterno gelu, atque pruina premi, & sempiternam vtrobique caliginem esse. Mediam verò quam Torridam vocauere, qua solis orbita circumagitur, exustam flammis & crematam cominus ardore torreri, & afflatui continui caloris incensam, nullo modo habitari posse à victuris hominibus. Duas reliquas tantùm, alteram hinc, alteram inde, inter exustam, & rigentes temperari, & commodam habitationem hominum generi exhibere. Hæc pluribus docuêre, & validis argumentis confirmare conati sunt, Aristoteles 2. Meteororum, cap. 5. M. Tullius in Somnio Scipionis, Strabo lib. 2. Mela lib. 1. cap. 1. Plinius lib. 2. cap. 68. Macrobius Commentariis in Somnium Scipionis lib. 2. cap. 5. & alij. Sed audiamus Poëtas. Maro 1. Georgicorum:

Quinque tenent cælum zonæ, quarum vna coruſco
Semper ſole rubens, & Torrida ſemper ab igni eſt.
Quam circũ extremæ dextra, læuáque trahũtur,
Cæruleæ glacie concretæ, atque imbribus atris.
Has inter, mediámque duas mortalibus ægris
Munere conceſſa diuûm, & via ſecta per ambas.

Hadrianus Iunius lib. 3. Animaduersorum, cap. 5. in hos Virgilij versus hæc annotat: *Virgilianos de Zonarum descriptione versus auctori suo vindicemus. Is est Eratosthenes Cyrenæus, qui versibus Heroïcis librum conscripsit, cui Mercurio titulum indidit. Eratosthenicos ex Heraclide Pontico subiunciamus libro de Allegoriis Homericis: quos obiter astricta numeris oratione reddere non pigebit:*

Circum hunc funduntur Zonæ quinetũplicis orbes:
Glaucum ex his ſuperant cyanum nigredine bini:
Torrida zona vna eſt, ſabuloſáque tota rubentem,
Quem radij flammis feriunt Hyperionis acres
Continuis, recto & ſubiectam tramite torrent.
At geminæ cælo deductæ vtrimque reclini,
Imbribus vſque madẽt glaciali, aut frigore torpẽt.

Sed enimverò Poëtam noſtrum mutuatum eſſe ſuam deſcriptionem ex Auctore quem dixi, mecum ſentit Probus Grammaticus, quamquam verſus ipſos non profert: hæc enim eius ſunt verba in locum Virgilij prædictum. Hanc tamen, inquit, vniuerſam diſputationem certum eſt Virgilium tranſtuliſſe ab Eratoſthene, cuius liber eſt exametris verſibus ſcriptus, qui Hermes inſcribitur. Hæc Iunius, ex quo exscripserunt Iacobus Delecampius in Notis ad Plinium lib. 2. cap. 68. Henricus Salmuth in Commentariis ad Noua Reperta Guidonis Pancirolis tom. 1. de Nouo Orbe, Iacobus Pontanus in 1. Georgicorum Maronis, aduersum 233. Idem annotauit Achilles Statius in lib. 4. Catulli. Ouidius 1. Metamorphoseon:

Vtque duæ dextra cælum, totidémque ſiniſtra
Parte ſecant zonæ, quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei, totidémque plagæ tellure premuntur:
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu:
Nix tegit alta duas: totidẽ inter vtrãque locauit,
Temperiémque dedit, miſta cum frigore flamma.

Tibullus lib. 4. Elegia prima ad Messalam:

Et quinque in partes totus diſponitur orbis:
Atque duæ gelido vaſtantur frigore ſemper:
Illic & denſa tellus abſconditur vmbra,
Et nulla incepto perlabitur vnda liquore,
Sed durata riget dẽſam in glaciémque, niuémque:
Quippe vbi non vnquam Titan ſuperegerit ortus.
At media eſt Phœbi ſemper ſubiecta calori,
Seu proprior terris æſtiuum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces.
Non ergo preſſo tellus conſurgit aratro:
Nec frugem ſegetes præbent, nec pabula terræ.
Non illic colit arua Deus, Bacchúſve, Ceréſve,
Nulla nec exuſtas habitant animalia partes:
Fertilis hanc interpoſita eſt, intérque rigentes,
Noſtráq;, & huic aduerſa ſolo pars altera noſtro,
Quas ſimilis vtrinque tenens vicinia cæli
Temperat: alter & alterius vires necat aër.
Hìc placidus nobis per tempora labitur annus.

Claudianus lib. 1. de Raptu Proserpinæ:

Addit (natura) *quinque plagas: medium ſubtemine rubro*
Obſeſſam feruore notat: ſqualebat aduſtus
Limes, & aſſiduo ſitiebant ſtamina ſole.
Vitales vtrimque duas, quas mitis oberrat
Temperies habitanda viris, tum ſine ſupremo
Torpentes traxit geminas, brumáque perenni
Fœdat & æterno conſtringit frigore terras.

Lucretius lib. 5. de Rerum Natura:

Inde duas porrò propè parteis feruidus ardor,
Aſſiduúſque geli caſus mortalibus aufert.

M. Varro;

Ac quinque æthereis Zonis accingitur orbis
At vaſtant imas hiemes, mediámque calores:
Sic terræ extremas inter mediámque coluntur,
Quam ſolis valido nunquam vis auferat igne.

Auorum memoria Ioannes Picus Mirandulæ, & Concordiæ Princeps Romæ in publico doctissimorum hominum cœtu coram Alexandro VI. Pontifice, propositis assertionibus, acerrimè disputauit sub Torrida impossibilem esse humanam habitationem.

Et quamuis inter vetustos huius sententiæ auctores, constet duas temperatas zonas esse hominum habitationi peraccommodas, nonnulli tamen existimarunt, non ambas hominibus nostri generis habitari, sed solùm hanc Aquilonarem, quam nos incolimus: illam verò Australem sola ratione intelligi propter similem temperiem habi-

tari posse, sed à quibus, non licuisse vnquam agnoscere, quod ea zona penitus incognita manserit, propter interiectam torridam, quæ vtrique hominum generi facultatem ad se denegat commeandi. Atqui coniectura dumtaxat, & probabili ratione augurati sunt, eam ab hominibus incoli, sed non nostri, sed alterius generis: cùm ex nostra in illam, neque ex illa in nostram propter incendium interpositæ torridæ vllus vnquam potuerit penetrare. Cicero in Somnio Scipionis: *Cernis autem terram quasi quibusdam redimitam, & circundatam cingulis: è quibus duos maximè inter se diuersos, & cæli verticibus ipsis ex vtráque parte subnixos, obriguisse pruina vides: medium autem illum, & maximum solis ardore torreri. Duo sunt habitabiles: quorum Australis ille, in quo qui insistunt, aduersa vobis vrgent vestigia, nihil ad vestrum genus.* Et paulò superiùs: *Hos qui incolunt terram, non modo interruptos esse, itavt nihil inter ipsos, ab aliis ad alios manare possit.*

Plinius lib. 2. cap. 68. *Nam cùm sint cæli quinque partes, quas vocant zonas, infesto rigore, & æterno gelu premitur omne quidquid est subiectum duabus extremis, vtrinque circa vertices, hanc qui Septentrio vocatur, cúmque, qui aduersus illi, Australinus appellatur. Perpetua caligo vtrobique, & alieno molliorum siderum aspectu, maligna, ac pruina tantùm albicans lux. Media verò terrarum, quà solis orbita est, exusta flammis, & cremata cominus vapore torretur. Circa duæ tantùm inter exustam & rigentes, temperantur: eæque ipsæ inter se non pertuæ, propter incendium sideris. Ita terræ tres partes abstulit cælum.*

Macrobius lib. 2. in Somnium Scipionis, cap. 5. *Nam & Septentrionalis, & Australis extremitas perpetua obriguere pruinâ. Et hi velut duo sunt cingulí, quibus terra redimitur: sed ambo breues quasi extrema cingentes. Horum vterque habitationis impatiens est: quia torpor ille glacialis, nec animali, nec frugi vitam ministrat. Medius cingulus, & ideò maximus, æterno afflatu continui caloris vstus, spatium quod & lato ambitu, & prolixius occupauit, nimietate feruoris facit inhabitabile victuris. Inter extremos verò & medium, duo maiores vltimis, medio minores, vtriúsque vicinitatis intemperie temperantur. In hisque tantùm vitales auras natura dedit incolis carpere. Licèt igitur sint hæ duæ mortalibus ægris munere concessæ diuùm, quas diximus temperatas: non tamen ambæ zonæ hominibus nostri generis indultæ sunt: sed sola superior incolitur ab omni quale scire possumus hominum genere, Romani, Græciue sint, vel Barbaræ cuiúsque nationis. Illa verò inferior sola ratione intelligitur, quòd propter similem temperiem similiter incolitur. Sed à quibus non licuit vnquam nobis, nec licebit agnoscere. Interiecta enim torrida vtrique hominum generi commercium ad se denegat commeandi.*

Sed & Pomponius Mela lib. 1. cap. 1. *Terra zonis quinque distinguitur: mediam æstus infestat, frigus vltimas: reliquæ inhabitabiles, paria agunt anni tempora, verum non pariter. Antichthones alteram, nos alteram incolimus. Illius situ ob ardorem intercedentis plagæ incognito: huius dicendus est.* Sic igitur Cicero, Mela, Plinius, Macrobius, ex nostra temperata zona, coniecturam facientes putauerunt in Austrina temperata, non solùm Oceanum affusum, sed terram hominibus, verùm diuersi generis cultam, & habitatam interiici. Tamen illud erat manifestum delirium, alios in mundo esse homines, quàm ex Adam satos, & propagatos, ac propterea eiusdem omnino generis, & sanguinis nobiscum.

Ceterùm, & auctoritate, & ratione, & euidenti experientia tam compertum iam est omnes tetræ zonas ab hominibus habitari, vt pudeat, vel hæc in controuersiam vertere, vel argumentis rem alioqui clarissimam demonstrare.

Zonam rigentem Aquilonarem habitari.

Riphæos, Arimaspos, Hyperboreos, Arimphæos, Attacos gentes, sub ipso fermè Septentrionis axe plerique veterum cognouere. De his Plinius lib. 4. cap. 12. *Vltimique à tergo Meotarum Arimaspi: mox Riphæi montes, & assiduo niuis casu pinnarum similitudine Pterophoros appellata regio, pars mundi damnata, à natura rerum, & densa mersa caligine: neque in alio quàm rigoris opere, gelidisque Aquilonis conceptaculis. Ponè eos montes, vltraque Aquilonem, gens felix (si credimus) Hyperboreos appellauere, annoso degit æuo, fabulosis celebrata miraculis. Ibi creduntur esse cardines mundi, extremique siderum ambitus, semestri luce, & vna die solis auersi: non vt imperiti dixerunt, ab æquinoctio verno in autumnum. Semel in anno oriuntur iis, soles, brumáque semel occidunt. Regio aprica, felici temperie, omni afflatu noxio carens. Domus iis nemora, lucique, & deorum cultus: viritim, gregatímque discordia ignota, & ægritudo omnis. Mors non nisi satietate vitæ, epulatis, delibutísque senibus luxu, ex quadam rupe in mare salientibus, Hoc genus sepulturæ beatissimum.*

Solinus cap. 20. *Vltra Arimaspos, & Riphæum iugum, regio est assiduis obsessa niuibus; Pterophon dicunt: quippe casus continuarum pruinarum quiddam ibi exprimit simile pinnarum. Damnata pars mundi, & à rerum natura in nubem æternæ caliginis mersa, ipsísque prorsus Aquilonis conceptaculis rigentissima. Sola terrarum non nouit vices temporum, nec de cælo aliud accipit, quam hiemem sempiternam.* Et cap. 21. *Fabula erat de Hyperboreis, & rumor irritus, si quæ illinc ad nos vsque fluxerunt, temerè forent credita. Sed cùm probissimi auctores, & satis idonei sententias pares faciant, nullus falsum reformidet. De Hyperboreis rem loquemur. Incolunt penè Pterophoron, quem vltra Aquilonem accepimus iacere, gens beatissima: eam Asiæ quidam magis, quàm Europæ dederunt. Alij statuunt mediam inter vtrumque solem, Antipodum occidentem; & nostrum renascentem: quod aspernatur ratio, tam vasto mari duos orbes interfluente. Sunt igitur in Europa apud quos mundi cardines esse credunt, & extimos siderum ambitus, semestrem lucem, auersum tantùm vna die solem: quamquam existant, qui putant, non quotidie ibi solem vt nobis, sed vernali æquinoctio exoriri, autumnali occidere: ita sex mensibus infinitum diem, sex aliis continuam esse noctem. De cælo magnam clementiam auræ spirant salubriter, nihil noxij flatus habent. Domus sunt nemora, vel luci: in diem victum arbores subministrant. Discordiam nesciunt. Ægritudine non inquietantur. Ad innocentium omnibus æquale votum. Mortem arcessunt, & voluntario interitu castigant obeundi tarditatem. Quos satietas tenet vitæ, epulati, delibutique de rupe nota præcipitem casum in mare profundum destinant. Hoc sepulturæ genus optimum arbitrantur.*

Pomponius Mela lib. 3. c. 5. *In Asiatico littore primi Hyperborei, super Aquilonem Riphæósque montes,* sub

ſub ipſo ſiderum cardine iacent: vbi ſol non quotidie, vt nobis, ſed primum verno æquinoctio exortus, autumnali demum occidit: & ideo ſex menſibus dies, & totidem aliis nox vſque continua eſt. Terra anguſta, aprica, per ſe fertilis, cultores iuſtiſſimi, & diutius quàm vlli mortalium, & beatiùs viuunt: quippe feſto ſemper otio læti, non bella mouere, nón iurgia; ſacris operari. Habitant lucos, ſiluáſque, & vbi eos viuendi ſatietas, magiſque tædium cœpit, hilares, redimiti ſertis, ſemetipſos in pelagus ex certa rupe præcipites dant. Id eis funus eximium eſt. Hæc Mela, quem ante Plinium & Solinum ſcripſiſſe certum eſt. Andreas Schottus in hunc locum Melæ annotauit: *Hæc tranſtulit de Hyperboreis ex Callimacho, Hymno in Delum: quem cum his compone.*

Pauſanias Eliacorum 1. *Eſſe Hyperboreos ipſos gentem ſupra Aquilones, primus certè verſibus mandauit Olem Lycius in Hymno quem in Achæian fecit. Ariſteas Proconneſius mentionem dumtaxat Hyperboreorum fecit, cùm plura tamen de illis cognoſcere potuerit ab Iſſedonibus, ad quos ſe aliquando profectum, carminibus prodidit.*

Clemens Alexandrinus Stromate 1. *Hellanicus autem ſcribit, Hyperboreos habitaſſe vltra Riphæos montes: docere autem ipſos iuſtitiam, non veſcentes carnibus, ſed arborum fructibus. Ij ſexagenarios extra portas ducentes tollunt è medio.* De Hyperboreis agunt pluribus Herodotus lib. 4. num. 32. Diodorus Siculus lib. 2. num. 91. Ptolemæus lib. 5. cap. 9.

Iacobus Delecampius in Notis ad Plinij lib. 4. cap. 12. inquit: *Hyperboreos Inugros, & Vogolicos hodie vocari multi credunt; Permiis, Pecerris, Pinnagis ij contermini ſunt.*

De Arimphæis Plinius lib. 6. cap. 13. *Extra Scythas, vltráque Aquilonis initia, Hyperboreos aliqui poſuere, pluribus in Europa dictos. Primùm inde noſcitur promontorium Celtica Lytarmis, fluuius Carambucis, vbi laſſata cùm ſiderum vi Riphæorum montium deficiunt iuga. Ibique Arimphæos quoſdam accepimus, haud diſſimilem Hyperboreis gentem. Sedes illis nemora, alimenta bacca, capillus iuxta fœminis, viriſque in probro exiſtimatur: ritus clementes: Itaque ſacros haberi narrant, inuiolatóſque eſſe, etiam feris accolarum populis: nec ipſos modo, ſed illos etiam qui ad ipſos perfugerint.*

Solinus cap. 21. *Altera in Aſia gens eſt, ad initium Orientis æſtiui, vbi deficiunt Riphæorum montium iuga, Hyperboreis ſimilis, quos dicunt Arimphæos. Et ipſi arbuſtorum frondibus gaudent: baccas edunt: iuxta viros, ac fœminas tædet crinium. Itaque vterque ſexus cómas tondet. Amant quietem, non amant ladere. Sacri habentur: attrectaréque eos, etiam à ferociſſimis nationibus nefas ducitur. Quicumque periculum à ſuis metuit, ſi ad Arimphæos transfugerit, tutus eſt, velut Aſylo tegatur.*

Mela lib. 1. cap. 21. *Continuis rupibus, latè aſpera, & deſerta regio ad Arimphæos vſque permittitur. His iuſtiſſimi mores. Pro domibus nemora, alimenta bacca, & maribus, & fœminis nuda ſunt capita. Sacri itaque habentur, adeóque ipſos nemo de tam feris gentibus violat, vt aliis quoque ad eos confugiſſe pro Aſilo ſit.* Hos egregiè deſcribit Herodotus lib. 4. num. 24. quos Argippæos nominat.

Plinius lib. 6. cap. 17. *Eſt gens hominum Attacorum, apricis ab omni noxio afflatu ſecluſa collibus, eadem qua Hyperborei degunt temperie. De his priuatim condidit volumen Amometus, ſicut Hecataus de Hyperboreis.*

Quòd verò ex Plinio ſuperiùs deſcribebamus de Riphæorum regione Prerophoro, eſſe nimirum denſa merſam caligine, reuocant nobis in memoriam, quæ Marcus Paulus lib. 3. cap. 49. refert de regione tenebrarum ſub ipſo ferè Borea: *Eſt*, inquit, *adhuc alia regio, prioribus regionibus multo verſos Aquilonem interior, quippe quæ extremum Septentrionis occupat locum, quam obſcuritatem appellant, eo quòd multo per annum tempore ibi ſol non appareat: & tunc necdum noctu ibi tenebræ ſint, verùm & interdiu aër in modum crepuſculi caliginoſus ſit. Cuius regionis homines pulchri ſunt, magni, & corpulenti, ſed pallidi.* Sequitur multa de ea regione narrare, quæ tu conſules.

Ceterùm Riphæos, & Hyperboreos montes commentitios & fabuloſos eſſe Strabo lib. 7. affirmat: *Atque ignoratione horum locorum factum eſt, vt audirentur qui Riphæos montes, & Hyperboreos commentiti ſunt: taliáque de ora Oceani mendacia traderet Pytheas Maſſilienſis.* Idem prorſus autumant recentiores Matthias Michouienſis lib. 1. de Sarmatia, cap. 14. & in Præfatione eiuſdem libri, Paulus Iouius in libello de Legatione Moſcouitica, Guillielmus Stukius in Scholiis ad Periplum Ponti Euxini Arriani, pag. 163. Abraham Ortelius in Theſauro Geographico, in voce Hyperborei. At Sigiſmundus Liber in Commentariis rerum Moſcouiticarum, agens de regionibus Moſcouiæ verſus Boream, inquit: *Vltra hunc fluuium Petzoram altiſſimi montes ad ripas vſque protenduntur, quorum vertices ob continuos ventorum flatus, omni prorſus materia, graminéque ferè carent. Hi etſi variis in locis varia habeant nomina, communiter tamen Semnoi poyas, id eſt, cingulum mundi vocantur. In his montibus nidificant Gerofalcones, creſcunt etiam illic arbores cedri; circa quas nigerrimi Zebelli reperiuntur. Atque in Principis Moſcouiæ ditione hi montes ſoli viſuntur, qui veteribus Rhiphæi fortè, vel Hyperborei montes viſi ſunt: & quòd perpetuis niuibus, ac glacie rigeant, tranſiríque facile non poſſint, Engroneland prouinciam incognitam faciunt. Baſilius Ioannis filius Moſcouiæ Dux, aliquando ad exploranda vltra hos montes loca, gentéſque debellandas, duos Præfectos ex ſuis per Permiam & Petzoram miſerat: quorum vnus, me in Moſcouia exiſtente, ad hunc in viuis erat: mihíque de hac re percontanti, decem & ſeptem in aſcendendo monte dies ſe conſumpſiſſe dicebat: neque tamen montis verticem, qui patrio nomine Stolp, hoc eſt columna nuncupatur, ſuperare potuiſſe. Extenditur mons ille in Oceanum, vſque ad Oſtia Duuinæ, & Petzoræ fluuiorum.* Vide Iulium Scaligerum de Subtilitate, Exercitatione 37.

Sanè quamuis aſſeramus Riphæos & Hyperboreos montes non extare in rerum natura: at nullus recentiorum init inficias eas gentes eſſe, & viuere in cingulo Boreali, ſeu frigida zona.

Scandiam, ſeu Scandinauiam, quam Plinius lib. 4. cap. 13. clariſſimam, & alterum terrarum orbem appellat, magna ex parte in rigenti zona iacere certum eſt, & tamen habitatiſſimam eſſe conſtat, vel ex ſola Hilleuionum gente quingentis incolente pagis, inquit Plinius. Iornandes de rebus Geticis, cap. 4. eam vocat officinam gentium, aut certè velut vaginam nationum. Finmarchiam, Lappormiam, Scrickfinniam, Biarmiam, Finlandiam, quæ ſunt terræ in frigida zona, Arctico polo vicinæ, hominibus habitatas docet Olaus Magnus lib. 1. cap. 1. 2. 3. & lib. 4. cap. 18. Iſlandiam, & Groenlandiam, ſub ipſa Arcto hominibus cultas, diximus cap. 7. & res omnibus notiſſima. At de regionibus in cingulo frigido frequentia hominum inhabitatis, plura

reperies

reperies apud Matthiam Michouienſem lib. 1. de Sarmatia, cap. 14. Franciſcum Gomaram in Generali Indiarum Hiſtoria, cap. 4. Ortelium in Tabula Scandiæ, Mercatorem in Tabula Poli Arctici, pag. 41. & apud illos quos Ortelius laudat. Vide Oliuarium in Melam lib. 1. cap. 1.

In nouo verò orbe Occiduo, nondum eſt exploratum, quouſque tandem protendatur Continens ſupra Floridam, & Virginiam versùs Aquilonem & Occidentem. Non plurimis abhinc annis apertus eſt ingens terræ tractus, ſupra Nouam Hiſpaniam, & Regnum Mexicanum ad Aquilonem & Occidentem, qui propter ſimiles gentis mores, & naturam, appellatus eſt Nouum Mexicum. Ab Occidentali verò parte eiuſdem Noui orbis, non eſt adhuc compertum, quouſque terra excurrat ſupra Promontorium Mendocinum, & Californias verſus Orientem & Boream: exiſtimant tamen nonnulli ea parte latiſſimè, & longiſſimè fundi. At quis dubitet eam quæ ad frigidam vſque faſciam intenditur, habitabilem eſſe, pari ratione vt hanc noſtram veteris orbis. Vide Ioſephum Acoſtam lib. 3. Hiſtoriæ Naturalis Indiarum. c. 25.

De Cingulo frigido Auſtrali.

Nulla huius quod ſciatur, ad hanc vſque diem habita eſt notitia. Anno Salutis 1579. Ferdinandus Lamerus ſoluens è Collao Limæ, Prouinciæ Peruanæ, verſus axem Antarcticum, prætergreſſus Fretum Magellanicum, in Auſtrali Oceano, ad quinquaginta ſex gradus dumtaxat euectus eſt, quò nullus adhuc peruenit: at vlteriùs progredi, tempeſtatibus eſt prohibitus: vnde nihil adhuc de illa orbis parte certò cognoſci potuit. Coniectantur plerique tamen ſupra Boſphorum Magellanicum, Continentem longiſſimè ab Oriente in Occidentem extendi, à terra quam vocant Viſionis, ad Terram ignis, & Nouam vſque Guineam. Inſulæ enim Salomonis non multis retro annis in Auſtrali Oceano haud longè à Noua Guinea repertæ, quas aiunt à Peru diſtare octingentis leucis, putantur non longè ab iſſe ab Auſtrali illa Continenti ad Occidentem & Meridiem obuerſa. Coniectura etiam ducuntur ſatis valida, eandem Continentem ſupra fretum Magellanicum ad Antarcticum Polum latè diffundi, vt multa ſpatia terrarum in zona etiam frigida Auſtrali protendantur. Quis autem in controuerſiam vertat, ratione deducta ab Aquilonari faſcia rigente, vti demonſtrauimus, illam quoque Gelidam Auſtrinam habitari. Vide Ioſephum Acoſtam Hiſtoriæ Naturalis Indiarum, lib. 1. cap. 6. 16. & lib. 3. cap. 11. & 25. Sublimes, & inquietos Hiſpanorum animos, ceſſare neſcios, qui prodigioſa propemodum audacia Oceanum omnem ad Orientem & Occidentem penetrarunt, atque interiora Auſtri peruadere iam pergunt, ante non multos annos fauente Deo, ſperamus Auſtralem terram adhuc latentem nobis feliciter aperturos. Grandibus his cœptis pares conatus adiecit dux militaris ſtrenuus, & impiger Petrus Fernandus Quiros.

Zona temperata Noui Orbis.

Huius tantùm ſcitur ingens Prouincia Chile, vſque ad fluuium Angenteum ab Oriente, ad Fretum Magellanicum à Septentrione: & pars aliqua Promontorij Bonæ Spei, quæ in eam incidit: & nuper dicebamus latêre adhuc maximam Continentem Auſtralem, cuius partem Ortelius in Tabula Maris Pacifici, Nouam Guineam inſulam facit, Euripo diſcluſam à Continenti-Magellanica incognita: putant Nouam eſſe Guineam, non paruo eius tractu, vt augurantur, in zona Noui Orbis temperata conſtituto. Vide Acoſtam eiſdem locis, & lib. 1. cap. 9.

Zonam Torridam veteris, & noui Orbis habitari.

Strabo lib. 2. pag. 66. *Quòd ſi vt Eratoſthenes ait, plaga Æquatori ſubiecta, eſt temperata, in quod etiam Polybius conſentit, &c.* Vides Eratoſthenem & Polybium magnos Auctores ſentire ſub Æquinoctiali temperatam eſſe habitationem. Sed & Torridam habitabilem eſſe, docet quoque Auerroes in 4. Ariſtotelis de cælo, & mundo, & Albertus Magnus lib. de Natura Locorum, cap. 6. Nec defuerunt qui Paradiſum illum voluptatis hortum omnium delicatiſſimum & amœniſſimum à Deo initio rerum plantatum Geneſ. 2. ſub Æquinoctiali, vel in Torrida poſitum exiſtimauerint. De qua re egimus in Paradiſo noſtro, cap. 10.

Equidem Strabo, Mela, Plinius, Solinus, Arrianus, Ptolemæus, Taprobanem inſulam magnopere habitatam produnt: at ſi hæc eſt Somatra, mediam eam Æquator interſecat: ſi verò eſt Ceilanum, vt melior docet opinio, eſt in Torrida ſita, nec longè ab Æquinoctiali ad Boream.

Verùm in his iam non eſt anxie immorandum, cùm clariſſima, & euidentiſſima experientia, patefacto mundo prodigioſis Hiſpanorum nauigationibus conſtet, Torridam cultiſſimam & habitatiſſimam eſſe. In Africa iacent in Torrida, Zanaga, Nigritæ, Ialoffi, Congum, Sierra Leona, Guinea, Inſulæ Heſperides, S. Thomæ: Sophala, Mocambique, Quiloa, Melinde, Inſula S Laurentij, Socotora, Imperium ampliſſimum Abyſſinorum, & multæ aliæ regiones & inſulæ. Imo maior Africæ pars tota eſt in præuſta zona.

In Aſia, maior pars Arabiæ Felicis, item duæ illæ vallæ & cuneatæ prominentiæ, quæ Sinum magnum Gangeticum efficiunt: quarum altera in Cori promontorium, hodie caput Camorinum, altera in Auream Cherſoneſum, Nunc Malacham deſinit: in prima ſunt magna & florida Indiæ regna Cambaia, Decania, Cheulum, Goa, Calecuth, Cocinum, Meliapor, Narſinga, Biſnaga, & Mediterranea alia non pauca: in altera, Bengala, Pegu, Sian, Cambia, Malacha. Inſuper à Cori promontorio anguſto freto diſcluſa Ceilanum inſula diues opum: & à Malacha alio Euripo dirempta Somatra, ſub ipſo æquatore. Ad hæc ſupra Camboiam Orientem verſus eſt Quachinchina, & magna pars Regni Sinarum, item Inſulæ Molucæ, Zebu, Borneum, Mindanaum, Terrenate, Gilolum, vtraque Iaua, Philippinæ, & innumeræ aliæ, in ardenti cingulo poſitæ ſunt.

In Nouo Orbe Occiduo, ſunt in Torrida, Inſulæ S. Dominici, Cuba, Boriquena, & plures aliæ: item Noua Hiſpania, Aurea Caſtilia, Quito, Paria, Peruuia, Braſilia, & quæ inter vtramque inter iacet regio ſpatio mille leucarum, quam aiunt eſſe cultiſſimam, vbi aiunt eſſe Paititi, Aureum, Cæſares, & alia magna, ac florentiſſima regna, ſed nondum ſatis aperta: ad hæc Nouam Guineam, & Inſulas Salomonis. Omnes quas enumerauimus regiones in Torrida vtriuſque mundi poſitas, & alias plurimas eiuſdem zonæ eſſe humano

genere

genere cultiſſimas,& referti ſſimas tam perſpicuum eſt, & omnibus notiſſimum, vt ſinguraris eſſet amentiæ velle dubitare. Verùm de Torridæ habitatione copiosè diſſeruit Ioſephus Acoſta integro lib.2. De Natura Noui Orbis. Vide Gomaram in Generali Indiarum Hiſtoria lib. 4. Ioannem Oliuarium in lib. 1. Melæ, cap. 1.

Thomas Bozius lib. 15. de Signis Eccleſiæ, cap. 18. probandum ſibi deſumpſit, tres illas terræ zonas duas frigidas, & vnam exuſtam, quas veteres auctores inhabitabiles prodidere, reuera quidem manſiſſe incultas, & deſertas ab orbe condito ad Chriſti vſque Domini felicem exortum, ſaltem pro maiori parte inhabitatas: poſt Chriſti verò in mundum aduentum, cœpiſſe hominibus incoli, quouſque tandem iam noſtra ætate habitatoribus ſunt repletæ: atque hanc inter alias Chriſtum in mundum intuliſſe felicitatem,vt eius præſentia terra melior, atque vſibus humanis accommodatior ſit reddita: vt verè illud de Chriſti aduentu decantari poſſit Pſalm. 84. 1. *Benedixiſti Domine terram tuam.* Et verſ. 4. *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Et Iſaiæ 35. 1. *Lætabitur deſerta & inuia,& exultabit ſolitudo,& florebit quaſi lilium: germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans: gloria Lybani data eſt ei, decor Carmeli & Saron:ipſi viderunt gloriam Dei noſtri.* Sed hoc eſt planè nugari.

Antipodes eſſe.

CAP. XXIII.

ANtipodes irriſit Lucretius lib. 1. illis verſibus:

Illi cùm videant ſolem, nos ſidera noctis
Cernere, & alternis nobiſcum tempora cæli
Diuidere, & noctes paribus agitare diebus:
Sed vanus ſtolidis hæc omnia parturit error.

Lucianus in Demonacte Antipodas fabuloſos putat, cùm de eodem refert: *Phyſicum quoque ſuper Antipodibus diſſerentem, ſurgens deduxit ad puteum, illique vmbra in aqua commonſtrata, quæſiuit: Nunquid tales confirmas eſſe Antipodas?*

Lactantius Firmianus lib. 3. cap. 24. *Quid illi, qui eſſe contrarios veſtigiis noſtris antipodas putant, num aliquid loquuntur? Aut eſt quiſquam tam ineptus, qui credat eſſe homines, quorum veſtigia ſint ſuperiora, quàm capita? Aut ibi quæ apud nos iacent, vniuerſa pendere? fruges, & arbores deorſum verſus creſcere? pluuias, & niues, & grandinem ſurſum verſus cadere in terram? Et miratur aliquis hortos penſiles inter ſeptem mira narrari; cùm Philoſophi, & agros, & maria, & vrbes, & montes penſiles faciant? Huius quoque erroris aperienda nobis origo eſt: nam ſemper eodem modo falluntur. Cùm enim falſum aliquid in principio ſumpſerint, veriſimilitudine inducti, neceſſe eſt, eos in ea quæ conſequuntur, incurrere. Sic incidunt in multa ridicula, quia neceſſe eſt falſa eſſe, quæ rebus falſis congruunt. Cùm autem primis habuerint fidem, qualia ſunt ea quæ ſequuntur, non circumſpiciunt, ſed defendunt omnimodo: cùm debeant prima illa,vtrùmne vera ſint, an falſa ex conſequentibus iudicare.*

Quæ igitur illos ad Antipodas ratio perduxit? Videbant ſiderum curſus in occaſum meantium: ſolem atque lunam in eandem partem ſemper occidere, atque oriri ſemper ab eadem. Cùm autem non perſpicerent, quæ machinatio curſus eorum temperaret: nec quomodo ab Occaſu ad Orientem remearent; cælum autem ipſum in omnes partes putarent eſſe deuexum: quod ſic videri propter immenſam latitudinem neceſſe eſt: exiſtimarunt rotundum eſſe mundum ſicut pilam: & ex motu ſiderum opinati ſunt cælum volui: ſic aſtra, ſolémque cùm occiderint, volubilitate ipſa mundi ad ornatum referri. Itaque, & aëreos orbes fabricati ſunt, quaſi ad figuram mundi, eóſque celarunt portentoſis quibuſdam ſimulacris, quæ aſtra eſſe dicerent. Hanc igitur cæli rotunditatem illud ſequebatur, vt terra in medio ſinu eius eſſet concluſa. Quòd ſi ita eſſet, etiam ipſam terram globo ſimilem: neque enim fieri poſſet, vt non eſſet rotundum, quod rotundo concluſum teneretur. Si autem rotunda etiam terra eſſet, neceſſe eſſe, vt in omnes cæli partes eandem faciem gerat, id eſt, montes erigat, campos tendat, maria conſternat. Quòd ſi eſſet, etiam ſequebatur illud extremum, vt nulla ſit pars terræ, quæ non ab hominibus, cæteriſque animantibus incolatur. Sic pendulos iſtos Antipodas cæli rotunditas adinuenit.

Quòd ſi quæras ab iis, qui hæc portenta defendunt, quomodo non cadunt omnia in inferiorem illam cæli partem: reſpondent, hanc rerum eſſe naturam, vt pondera in medium ferantur, & ad medium connexa ſint omnia, ſicut radios videmus in rota: quæ autem leuia ſunt, vt nebula, fumus, ignis; à medio differantur vt cælum petant. Quid dicam de his neſcio, qui cùm ſemel aberrauerint, conſtanter in ſtultitia perſeuerant, & vanis vana defendunt: niſi quòd eos interdum puto, aut ioci cauſa philoſophari, aut prudentes, & ſcios mendacia defendenda ſuſcipere, quaſi vt ingenia ſua in malis rebus exerceant, vel oſtentent. At ego multis argumentis probare poſſem, nullo modo fieri poſſe, vt cælum terra ſit inferius, niſi liber iam concludendus eſſet. Hactenus Lactantius.

S. Auguſtinus lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 9. *Quòd verò & Antipodas eſſe fabulantur, id eſt, homines à contraria parte terræ, vbi ſol oritur, quando occidit nobis, aduerſa pedibus noſtris calcare veſtigia, nulla ratione credendum eſt. Neque hoc vlla hiſtorica cognitione didiciſſe ſe affirmant; ſed quaſi ratiocinando coniectant, eo quod inter conuexa cæli terra ſuſpenſa ſit: eundémque locum mundus habeat, & infimum & medium: & ex hoc opinantur alteram terræ partem quæ infra eſt, habitatione hominum carere non poſſe. Nec attendunt, etiamſi figura conglobata, & rotunda mundus eſſe credatur, ſiue aliqua ratione monſtretur: non tamen eſſe conſequens, vt etiam ex illa parte ab aquarum congerie nuda ſit terra. Deinde etiamſi nuda ſit, neque hoc ſtatim neceſſe eſt, vt homines habeat: quando nullo modo Scriptura iſta mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem,* (nempe vniuerſum genus hominum ex Adamo eſſe propagatum,) *eo quod eius prædicta complentur. Nimiſque abſurdum eſt, vt dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immenſitate traiecta nauigare, ac peruenire potuiſſe: vt etiam illic ex vno illo primo homine genus inſtitueretur humanum. Quapropter inter illos tunc hominum populos, qui per ſeptuaginta duas gentes, & totidem linguas colliguntur fuiſſe diuiſi, quæramus, ſi poſſumus inuenire illam in terris peregrinantem ciuitatem Dei, quæ vſque ad Diluuium, Arcámque perducta eſt: atque in filiis Noë per eorum benedictiones perfeueraſſe monſtratur.*

Procopius Gazæus in 1. Geneſ. *Quòd autem vniuerſa terra in aquis ſubſiſtat, nec vlla ſit pars eius*

quæ

quæ infra nos ſita eſt, aquis vacua, & denudata omnibus notum reor: nam ſic docet Scriptura: Qui expandit terram ſuper aquas. Et iterum: Quia ipſe ſuper maria fundauit eam. Sola igitur ſuperficies, quæ penes nos eſt, intelligitur, dum ait: Congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum. Nec decet, vt credamus, aliquam terram infra nos, cæli noſtri orbi oppoſitam. Nam ſi Antipodes forent, certè Chriſtus eò quoque profectus eſſet, & cætera quæ pertinent ad ſalutem humani generis ibi perfeciſſet. Sed & Adam prima generis noſtri origo, & ſerpens qui humanum genus dolo circumuenit, & diluuium quoque penes appoſitam regionem extitiſſent.

Sanctus Beda libro de Ratione Temporum, cap. 32. *Neque enim, vel Antipodarum vllatenus eſt fabulis accommodandus aſſenſus, vel aliquis refert Hiſtoricus vidiſſe, vel audiſſe, vel legiſſe ſe, qui meridianas in partes ſolem tranſierunt hybernum, itavt eo poſt tergum relicto, tranſgreſſis Æthiopum feruoribus, temperatas vltra eos, hinc calore, illinc rigore, atque habitabiles mortalium repererint ſedes.* Suſtulit quoque Antipodes Tzetzes Chiliade 7.

Vides non vna ratione inſignes auctores Antipodes amouiſſe. Lactantius, quia ſtultum putabat, terram figuræ eſſe globoſæ, & vndique cæli complexu coërceri, quaſi Antipodes pendulos cæli rotunditas conſtitueret. Sanctus Auguſtinus, quòd ab illa parte mundi nulla ſit terra, ſed Oceanus, quæ eſt etiam ratio Procopij, etſi eſſet, intercluſa ad illos commeandi via ad torridam Zonam, & impertranſibilem Oceanum, fateri cogeremur homines illos non eſſe de ſtirpe Adami primi parentis, quod eſt abſurdiſſimum: quæ ratio Procopiũ & Bedam permouit, vt Antipodes negarent.

Quòd verò Lactantius cælum ſphæricæ, ac rotundæ figuræ eſſe, tantopere inficiatus eſt, non ipſe ſolùm, ſed præſtantiſſimi quique Patres in eadem fuere ſententia, Auctor apud S. Iuſtinum quæſt. 130. S. Baſilius homil. 1. in Exaëmeron, S. Ambroſius lib. 1. in Exaëmeron, cap. 6. Sanctus Chryſoſtomus homil. 2. de Incomprehenſibili Dei Natura, & homil. 14. in epiſtol. ad Hebræos, Seuerianus & Acatius in Catena Græca in 1. Geneſ. Procopius in 1. Geneſ. Theophylactus in 8. cap. ad Hebræos, Euthymius in Pſalm. 103. Verùm de his vide pleniùs diſſerentes Xyſtum Senenſem lib. 5. Bibliothecæ, annotat. 3. Hieronymum Vielnium de ſex diebus conditi orbis, lect. 13. Benedictum Pererium lib. 2. in Geneſim, Ioſephum Acoſtam lib. 1. de Natura Noui Orbis, cap. 1. & 2. Aſcanium Martinengum in Gloſſa Magna Geneſis, pag. 608. & ſeqq. In figura mundi quantum diſſenſerint Philoſophi, Plutarchus lib. 2. de Placitis Philoſophorum, cap. 2. oſtendit his verbis: *Stoici globi figuram mundo aſſignant, alij turbinis, oui quidam. Epicurus, poſſe mundos eſſe globoſos, poſſe etiam alia eſſe figura.* Verùm Ariſtoteles cum omni Peripateticorum ſchola, & clariſſima experientia, cælum, terram, & mundum ipſum figuræ eſſe rotundæ, atque globoſæ perſpicuè demonſtrant, vt non poſſit iam de hac re vlla eſſe dubitatio. Sed ad Antipodes reuertamur.

Eſſe quidem Antipodes priſci quoque non pauci affirmarunt. Laërtius lib. 8. refert Pythagoram iſta docuiſſe: *Mundum rotundum effectum eſſe, qui terram, & ipſam rotundam, in qua circa habitetur, mediam complectatur. Atque etiam Antipodes eſſe, quibus ſumma eſſe, quæ apud nos infima ſunt.* Priſcianus citat hoc Fragmentum ex Salluſtio: *Maurique varium genus, vt alia Africæ, contendebant Antipodas vltra Æthiopiam cultu Perſarum iuſtos, & egregios agere.*

Marcus Manilius, qui ſub Auguſto ſcripſit, lib. 1. Aſtronomicon.

Ex quo colligitur terrarum forma rotunda.
Hanc circum variæ gentes hominũ atque ferarum,
Aëriæque colunt volucres: pars eius ad Arctos
Eminet: Auſtrinis pars eſt habitabilis oris,
Sub pedibúſque iacet noſtris, ſupráque videtur
Ipſa ſibi fallente ſolo decliuia longa,
Et pariter ſurgente via, paritérque cadente.
Hinc vbi ab occaſu noſtros ſol aſpicit ortus,
Illic orta dies ſopitas excitat vrbes,
Et cum luce refert operum vadimonia terris.
Nos in nocte ſumus, ſomnóſque in mẽbra locamus.
Pontus vtróſque ſuis diſtinguit, & alligat vndis.

Seneca epiſt. 112. *Qualis illorum conditio dicitur, quos natura, vt ait Virgilius, pedibus noſtris ſubditos è contrario poſuit,*

Nos vbi primus equis Oriens afflauit anhelis,
Illis ſera rubens accendit lumina veſper.

Maro 1. Georgicorum de zona vtraque temperata:

Has inter, mediámque duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ diuûm, & via ſecta per ambas.

Plinius lib. 2. cap. 65. de Antipodis: *Ingens hîc pugna litterarum, contráque vulgi, circumfundi terræ vndique homines, conuerſíſque inter ſe pedibus ſtare, & cunctis ſimilem eſſe cæli verticem, ac ſimili modo ex quacumque parte mediam calcari: illo quærente, cur non decidant contra ſiti? tanquam non & ratio præſto ſit, vt nos non decidere mirentur illi. Interuenit ſententia, quamuis indocili probabilis turbæ, in æquali globo, vt ſi ſit figura pineæ nucis, nihilominus terram vndique incoli.*

Macrobius lib. 2. in Somn. Scipionis cap. 5. *Eadem ratio nos non permittit ambigere, quin per illam quoque ſuperficiem terræ, quæ ad nos habetur inferior, integer zonarum ambitus, quæ hîc temperatæ ſunt, eodem ductu temperatus habeatur: atque ideò illic quoque eadem duæ zonæ à ſe diſtantes ſimiliter incolantur. Aut dicat quiſquis huic fidei obuiare maiult, quid ſit quod ab hac eum diſtinctione deterreat. Nam ſi nobis viuendi facultas eſt in hac terrarum parte, quam incolimus, quia calcantes humum, cælum ſuſpicimus ſuper verticem, quia ſol nobis, & oritur, & occidit, quia circumfuſo fruimur aëre, cuius ſpiramus hauſtum: cur non & illic aliquos viuere credamus, vbi eadem ſemper in promptu ſunt? Nam qui ibi dicuntur morari, eandem credendi ſunt ſpirare auram, quia eadem eſt in eiuſdem zonalis ambitus continuatione temperies. Idem ſol illis & obire dicitur noſtro ortu, & orietur cum nobis occidet. Calcabunt æquè vt nos humum, & ſuper verticem ſemper cælum videbunt. Nec metus erit, ne de terra in cælum decidant: cùm nihil vnquam poſſit ruere ſurſum. Si enim nobis, (quod aſſerere genus ioci eſt) deorſum habetur, vbi eſt terra; & ſurſum vbi eſt cælum: illis quoque ſurſum erit quod de inferiore ſuſpicent, nec aliquando in ſuperna caſuri ſunt.*

Affirmauerim quoque & apud illos, minus rerum peritos hæc exiſtimare de nobis, nec credere poſſe, in quo ſumus loco degere: ſed opinari, ſi quis ſub pedibus eorum tentaret ſtare, caſurum. Nunquam tamen apud nos quiſquam timuit ne caderet in cælum: ergo nec apud illos quiſquam in ſuperiora caſurus eſt: ſicut omnia nutu ſuo pondera in terram ferri, ſuperius relata docuerunt. Poſtremò quis ambigat in ſphæra terrã,

ita

ita ea quæ inferiora dicuntur, ſuperioribus ſuis eſſe contraria, vt eſt Oriens Occidenti? nam in vtraque parte per diametros habetur. Cùm ergo & Orientem & Occidentem ſimiliter conſtet habitari, quid eſt quod fidem huius quoque diuerſæ ſibi habitationis excludat? Hactenus Macrobius.

S. Auguſtinus libro de Categoriis, cap. 10. *Veteres enim ſupra & infra propter cæli, terræque diſtantiam contraria ſibi eſſe dixerunt: vnde quaquauerſum aſſerentes terram ſubter ſe, cælum ſuper. Contemplantibus enim nobis naturam rerum, terra quæ videtur in medio, vbique ſubtus eſt. Nam & Antipodes noſtri qui nobis dicuntur figere aduerſa veſtigia, cælum ſuper ſe habent. Claret igitur, ſemper terram in inferioribus conſtitutam.*

Annotabamus ſuperiùs cap. 22. Ciceronem, Macrobium, alióſque exiſtimare in Auſtrali temperato ſingulo homines Antichthones viuere, ſed alterius generis & ſtirpis quàm noſtræ; quod è diametro pugnat cum ſacris litteris. Adacti ſunt in id delirium, quòd pro certo habuerint Torridam zonam omnino eſſe inhabitabilem & impertranſibilem: quòd à nobis ſuperiori capite euidenter eſt confutatum. Sed iam nouus orbis detectus clariſſimè demonſtrauit Antichthones ſeu Antipodes eſſe, vt furor ſit de his amplius ambigere. Vide Ioachimum Vadianum Epiſtola ad Rudolphum Agricolam, quæ habetur ad finem Commentariorum eius in Melam, Gomaram in Generali Indiarum Hiſtoria, cap. 5. 6. & 7. & Acoſtam lib. 1. de Natura Noui Orbis, capite 7. & 8.

Nec tamen hîc omittimus, annotatum à Nouatoribus Ioanne Auentino lib. 3. Annalium Bojorum, & Reinerio Reineccio in Methodo Hiſtorica, fol. 27. pag. 1. circa annum Domini 745. controuerſiam exortam de Antipodis inter Virgilium Epiſcopum Saliſburgenſem, & Bonifacium Epiſcopum Moguntinum: *Virgilius Mathematum peritus pro concione dixerat eſſe Antipodes: Bonifacius earundem imperitior, eum reprehendit, quaſi alios homines, & per conſequens alium Chriſtum introducere vellet. Virgilius cauſam ſuam defendens, Bonifacium ad Regem Boiorum Vtilonem accuſauit. Bonifacius verò qui Pontificis Romani legatus erat in Germania, à Zacharia Pontifice litteras ad Vtilonem regem impetrauit, quibus Virgilij opinio damnata fuit, & exploſa.* Ita Nouatores.

Certùm eſt S. Bonifacium accuſare apud Zachariam Papam, Virgilium preſbyterum, quòd diceret nouum mundum reperiri, qui alio ſole, atque alia luna illuſtraretur. Zachariam verò Pontificem eum errorem damnaſſe in Epiſtola ad eundem S. Bonifacium, cuius initium eſt, *Sacris liminibus, &c.* In ea enim inter alia hæc habet: *Intimatum eſt etiam à Sanctitate tua, quod Virgilius ille (neſcimus ſi dicatur Presbyter) malignatus aduerſum te, eò quòd arguebatur à te erroneus eſſe à Catholica doctrina, ſeminaret odium inter te & Otilonum Ducem Boioariorum, dicens, quòd à nobis accepiſſet licentiam, vt vnius defuncti ex quatuor illis Epiſcopis, quos tua illic ordinauit fraternitas, diœceſim obtineret. Quod nequaquam verum eſt, quia mentita eſt iniquitas ſibi. De peruerſa autem doctrina, quam contra Dominum, & animam ſuam locutus eſt, quòd ſcilicet alius mundus, & alij homines ſub terra ſint, aliuſque ſol & luna: ſi conuictus fuerit ita confiteri, hunc accito Concilio ab Eccleſia pelle, Sacerdotij honore priuatum. Sed & nos ſcribentes prædicto Duci, euocatorias de prænominato Virgilio mittimus litteras, vt nobis præſentatus, & ſubtili indagatione requiſitus, ſi erroneus fuerit inuentus, canonicis decretis condemnetur. Qui enim ſeminant dolores, metunt eos.* Hæc Pontifex. Potuítne quidquam rectus & prudentius in ea cauſa ſtatui? Vt cernas Nouatorum ingenium non niſi calumnias vomere. Res fuit, Virgilius adſtruebat Antipodes; nonnulli imperitiores exiſtimabant eum, nouum alium mundum, alios homines, alium ſolem, & lunam ſtatuere, quod erat abſurdiſſimum dogma. Maligni autem quidam & indocti volentes ſerere odia inter Bonifacium & Virgilium, detulerunt ad Bonifacium, Virgilium introducere alium mundum, alios homines, alium ſolem & lunam: Bonifacium re minùs perſpecta, coarguiſſe erroris Virgilium apud Zachariam Rom. Pontificem: qui non damnauit neque exploſit ſententiam Virgilij de Antipodis, vt Nouatores ineptè garriunt; ſed prudentiſſimè reſcripſit, examinandum ſi alium mundum, diuerſos homines, alium ſolem & lunam ſub terra conſtitueret, & ſi ita ſentiret, deponendum. Quem etiam Pontifex Romam, cauſam eius cogniturus euocauit. Vides Pontificem nihil temerè & inconſultè feciſſe. Aliud enim eſt conſtituere Antipodes, quod error non eſt: & aliud alium mundum, alios homines, alium ſolem & lunam, quod error eſt. At cùm conſtet Virgilium poſtea nec depoſitum, nec damnatum, imò Saliſburgenſi Epiſcopatu auctum, virum extitiſſe doctrina & ſanctitate mirabilem, manifeſtè liquet ſententiam eius de Antipodis à S. Bonifacio & Zacharia Papa recognitam, deprehenſam eſſe nullo pacto cum fidei Orthodoxæ placitis pugnare. Conſule eiuſmodi rerum accuratiſſimum perueſtigatorem Baronium Annali 9. Anno Chriſti 748. numero 2. & 11. Extat Vita Virgilij virtutibus & miraculis clara Tomo VI. Antiquæ Lectionis Henrici Caniſij.

Vniuerſum Oceanum nauigari.

CAP. XXIV.

SAnctus Greg. Nazianzenus epiſt. 71. ad Poſthumianum: *Porrò vltra Gades mare ab hominibus tritici non poſſe Pindaro docenti aſſentior.* Et orat. 20. *Neque enim vltra Gades tranſmeare cuiquam conceſſum eſt.* Pindari ſententia in Nemeis eſt: *Non vlterior acceſſus ad Occidentem vltra Gadira.* Vide Iacobum Billium in Notis ad eam Nazianzeni Orationem, & Eraſmum, Paulúmque Manuccium in Adagiis.

At quid veteres de Oceani nauigatione tradiderint, reddamus. De Meridionali Oceano Herodotus lib. 4. num. 42. *Libya ſe ipſam monſtrat circumfluam mari eſſe, excepto dumtaxat, vbi Aſiæ contermina eſt, Neco Aegyptiorum rege, eorum quos nouimus, primo in hoc demonſtrando. Is poſtquam deſtitit à deprimenda foſſa à Nilo ad Arabicum Sinum, miſit nauibus quoſdam Phœnices, præcipiens vt tranſuectli columnas Herculeas, penetrarent, ad Septentrionale vſque mare, atque ita ad Ægyptum remearent. Phœnices igitur è Rubro Mari ſoluentes, abierunt in mare auſtrale: qui cùm autumnus aduenisſet, applicitis ad terram nauibus, ſementem faciebant: vt aſſiduè Libyes legerent, ac meſſem expectarent deinde meſſo frumento nauigabant. Ita biennio conſumpto, anno tertio ad Herculeas columnas declinantes, in*

Ægyptum remearunt, referentes quæ apud me fidem non habent, sed fortè apud aliquem alium: prætereuntes Africam, se habuisse solem ad dextram. Atque hunc in modum Libya primùm est cognita. Et quidem verissimum est, illos præteruehentes promontorium Bonæ spei vltra Tropicum Capricornij, solem ad dextram habuisse.

Strabo lib. 2. de Possidonio, inquit: *Facta deinde mentione eorum qui nauigando Libyam ambiuerint, scribit Herodotum in ea fuisse opinione, quosdam à Dario missos, ambitum istum confeciſſe.* Non à Dario, sed à Neco ait Herodotus. *Heraclidem verò Ponticum in Dialogo perhibere, Magum quendam à Gelone venisse qui se nauigio circumiuisse diceret: sed rem testibus carere.*

De nauigatione ab India ad Sinum Arabicum Herodotus lib. 4. cap. 44. hæc refert: *Darius cupidus cognoscendi vbinam Indus, qui secundus omnium fluminum crocodilos præstat, mare influat, misit nauibus, cùm alios quosdam, quos vera renunciaturos confidebat, tum Scylacem quendam Caryandeum. Isti a Caspatyro vrbe, & è terra Pactyia soluentes, secundo flumine auroram versus atque solem orientem nauigantes in mare: dehinc per ipsum mare occasum versus, tricesimo demum mense tenuerunt eum locum, vnde Rex Ægyptiorum* Necos, *eos Phœnices quos antea dixi, miserat ad Libyam circum nauigandam.*

Strabo lib. 2. *Præterea narrat* Possidonius *Eudoxum quendam Cyzicenum in Ægyptum venisse, quo tempore Euergetes secundus regnum tenuit. Forte tum à custodibus Arabici Sinus Indum quendam ad Regem fuisse allatum, dicentibus eum semimortuum ab ipsis inuentum fuisse, in naui solum deprehensum: neque se scire quis, aut cuias esset, quòd sermonem eius non intelligerent: eum à rege mandatum iis qui eum Græcam linguam docerent: hac percepta, hominem narrasse, ex India se nauigantem recto cursu excidisse, atque huc euasisse, sociis fame amissis: simúlque pollicitum, se nauigationis ad Indos monstratorem fore iis quibus eam rem Rex demandaret, quos inter & Eudoxus fuerit. Hunc ad Indos cum donis nauigasse, & eorum loco reportasse aromata, ac lapides pretiosos, quorum alios fluuij cum scrupis deuehunt, alij effodiuntur concreti ex humore, vt apud nos Crystalli.*

De Nauigatione verò ab Ægypto & Sinu Arabico in Indiam diximus plura superiùs cap. 20. ex Strabone, Plinio, Arriano, Vopisco: fuit enim olim satis peruagata: nam Plutarchus in Antonio hæc ait: *Cæsarionem, qui ex Cæsare Dictatore prognatus ferebatur, miserat mater* Cleopatra *cum magna pecuniæ summa per Æthiopiam in Indiam.* Et Dio lib. 68. de Traiano ad Persicum Sinum nauigante: *Venit ad Oceanum, cuius cognita natura, in eóque viso nauigio, quod cursum in Indiam tenebat, dixit: Ego quidem omnino, si iuuenis adhuc essem, in Indiam quoque traiicerem. De Indis enim cogitare cœpit, ac de rebus eius gentis curiosè quærere.* Sed & Trebellius Pollio auctor est Æmilianum Tyrannum Imperij, in Ægypto agentem parasse in Indos expeditionem.

De Nauigatione ex Arabico Sinu in Taprobanem insulam Plinius lib. 6. cap. 22. *Nobis diligentior notitia Claudij principatu contigit, legatis etiam ex Insula aduectis. Id accidit hoc modo: Anni Plocamij qui maris Rubri vectigal à fisco redemerat, libertus circa Arabiam nauigans, Aquilonibus raptus præter Carmaniam quintodecimo die Hippuros portum eius inuectus, hospitali Regis clementia, sex mensium tempore imbutus alloquio, percontanti postea enarrauit Romanos & Cæsarem.* Eadem omnino Solinus cap. 56.

De Nauigatione ab India vsque ad Gades, & Hispaniam Solinus cap. 60. hæc prodit: *Iuba igitur vniuersæ partis, quam plurimi propter solis ardorem per viam negauerunt, facta etiam vel gentium, vel insularum commemoratione ad confirmandæ fidei argumentum, omne illud mare ab India vsque ad Gades voluit intelligi nauigabile, Cori tamen flatibus, cuius spiritus præter Arabiam, Ægyptum, Mauritaniam euehere quamuis queant classem, dummodo ab eo promontorio Indiæ cursus dirigatur, quod alij Leptan Acram, alij Drepanum nominauerunt. Addidit & stationum loca, & spatiorum modum. Nam ab Indica prominentia ad Malacham insulam, affirmat esse quindecies centena millia passuum: à Malacha ad Sceneon ducenta viginti quinque millia. Inde ad insulam Sadanum centum quinquaginta millia. Sic confici ad apertum mare decies octies centena & septuaginta quinque millia. Idem opinioni plurimorum, qui ob solis flagrantiam, maximam partis istius regionem ferunt humano generi inaccessam, sic reluctatur, vt mercantium ibi transitus infestari ex Arabicis insulis dicat, quas Ascita habent Arabes, quibus è re nata datum nomen est. Nam bubulis vtribus contabulatas crates superponunt, vectatique hoc ratis genere, prætereuntes impetunt sagittis venenatis.*

Mela lib. 3. cap. 10. *Dubium aliquandiu fuit, essétne vltra pelagus, caperétne terra circuitum, an exusta æstu sine fine Africa se extenderet. Verùm & Hanno Carthaginiensis exploratum missus à suis, cùm per Oceani ostia exisset, magnam partem eius circumuectus, non se mari, sed commeatu defecisse commentario retulerat. Et Eudoxus quidam auorum nostrorum temporibus, cùm Lathyrum regem Alexandriæ profugeret, Arabico sinu egressus, per hoc pelagus, vt Nepos affirmat, Cades vsque peruectus est. Ideo eius oræ nota sunt aliqua.*

Plinius autem lib. 2. cap. 67. *Alio latere Gadium ab eodem Occidente, magna pars meridiani Sinus ambitu Mauritaniæ nauigatur hodie. Maiorem quidem eius partem, & Orientis victoriæ Magni Alexandri lustrauere vsque in Arabicum Sinum, in quo res gerente Cæsare Augusti filio, signa nauium ex Hispaniensibus naufragiis fuerunt agnita. Et Hanno Carthaginis potentia florente, circumuectus à Gadibus ad finem Arabiæ, nauigationem eam prodidit scripto: sicut ad extera Europæ noscenda missus eodem tempore Himilco. Præterea Cornelius Nepos auctor est Eudoxum quendam sua ætate, cùm Lathyrũ Regem fugeret, Arabico Sinu egressum, Gades vsque peruectum. Multóque ante eum Cælius Antipater vidisse se, qui nauigasset ex Hispania in Æthiopiam commercij gratia.*

Martianus lib. 5. *Cornelius auctor affirmat, quendam Eudoxum, fugientem regis insidias, ex Arabia in Gaditana peruenisse refugia. Cælius Antipater se hominem vidisse confirmat, qui negotiationis ardore in Æthiopiam ex Hispania nauigasset.*

Strabo lib. 2. pluribus narrat quomodo Eudoxus Cyzicenus missus à Cleopatra vxore Ptolemæi Euergetæ, ex Sinu Arabico, ventis supra Æthiopiam delatus, inuenerit summitatem proræ è naufragio superstitem, equo insculpto insignem, quam constaret Gaditanæ fuisse nauis: nam Gaditanorum mercatores, vti nauibus quas equos appellent, à proræ insignibus. Strabo tamen ipse pro veris non habet eas nauigationes ab Arabico Sinu, ad Gades, & ab Hispania in Indiam, multísque conatur fidem earũ eleuare. Sed frustrà est. Cùm

& ma

& magni auctores adstruant, & commodè fieri potuisse hodierna experientia demonstret.

Seneca etiam præfat. in Naturales Quæstiones inquit: *Quantum enim est, quod ab vltimis littoribus Hispaniæ vsque ad Indos iacet? Paucissimorum dierum spatium, si nauem suus ventus impleuit.*

Ceterùm omnem dubitationem sustulere immanes Lusitanorum & frequentissimæ nauigationes ex vltima Hispania, & portu Olyssiponico, in Æthiopiam, Arabiam, Indiam, Sinarum regionem, Iaponiam, vsque ad extremum Eoum Oceanum: quarum cursum cùm plerique accuratissimè exposuerint, nos breuiter quædam annotabimus. Paulus Iouius lib. 12. Historiarum hæc habet: *Enimverò paucis ante annis iubente Emanuële rege, Lusitani insana nauigatione Athlanticum, Fortunatásque insulas præteruecti, Promontorio Prasso & Bonæ Spei superatis, Æthiopicum littus adiuerant, gentes subegerant, Rubri maris ac Persici sinus angustias superarant. In Carmania atque India bello victis regibus, Cannanoræ, Cucini, & Calecutæ celeberrimis emporiis exercendæ mercaturæ sedes, arcésque posuerant. Proximè verò cùm nouorum ducum aduentu aucta esset classis, vltimos Indiæ, orbísque terminos sibi proposuerunt: atque ita felici ausu, eadem ducti peritia nauigandi, ab Calechuta præter Indum ac Gangem fluuios, ad Aream Chersonesum peruenerunt: vbi Regem Malachæ armis defensionem parantem, tormentorum nouitate absterritum, ac prælio victum, tributarium fecerunt. Ab alia quoque parte Indorum classibus sæpe deletis, custoditísque Erythræ faucibus, ac Sinus Arabici nauigatione Ægyptiis mercatoribus interclusa, Indici maris imperium tenuerunt.* Eadem ex Iouio desumpsit Surius in Commentario rerum in orbe gestarum, anno 1500. Idem Iouius lib. 4. multa paucis perstringens, inquit: *Indici maris emporia nobis Lusitanica classis aperuit, cùm ab Atlantico Oceano, vltimum Æthiopiæ promontorium ingenti spe, vnde ei nomen, inusitatóque ausu præteruecta, vltra Arabicum, Persicum, & Gangeticum vastissimos Sinus, ad Auream vsque Chersonesum, extremáque Sinarum littora, coëmundis aromatibus negotiationem extenderet.* Hæc Iouius.

Ioannes Petrus Maffeius lib. 1. Rerum Indicarum, eandem nauigationem ita describit: *Ab Olyssippone præter Gaditanum Fretum in meridiem nauigantibus ad læuam est Mauritania. Inde magno ambitu curnantur per Autololas, & Ichthyophagos populos (ea regio Guinea est) trans Cancri tropicum ad vsque Bagelungos Æquatori subiectos, & Agesymbam, qui antiquis noti orbis est terminus. Hosce vno omnes vocabulo Hesperios Æthiopas, sicut Eoos qui oppositam Africæ partem tenent, prisci cognominarunt. Dein per longissima spatia, obliquo trans Æquatorem & Capricornum excursu, ora in vastam prominentiam cuneatur: id Bonæ spei Caput, seu Promontorium est. Hinc rursus in Septentriones longissimo tractu per immanes & obscuri nominis Obios, Cafres, & Madagascarem olim, nunc Diui Laurentij insulam reflectitur littus ad nota iam antiquis promontoria Prasum & Aromata, quorum alterum hodie Mosambicum, alterum à Praso quingentis leucis & quinquaginta disiunctum Guardafu vulgus appellat. Is Africi littoris extremus in Oriente est limes. Inde præter duos inclytos sinus Arabicum & Persicum, quibus in modum Peninsulæ Felix Arabia cingitur, rectius in eam regionem traiectus est, qua Indo, & Gange duobus clarissimis inclusa fluminibus, India nominatur.*

In hac montes à Caucaso ad Cori promontorium, quod Comorini caput incolæ vocant, leucas circiter quadraginta perpetuo in Austrum iugo porrecti, circumfuso Oceano ingentes oras efficiunt duas: quarum altera in Occidentem obuersa, prænobiles vrbes continet, Calecutum Malabarici regni caput, emporiúmque nuper omnium frequentissimum, itémque Cocinum, Cananorem, Goam, aliásque complures. Altera in ortum spectans à Comorino tractu per Bengalæ fines, quà Ganges in Oceanum influit, pérque Pegusia, & eius tractus alia ditissima regna (quam terram Ophir ac Tharsis quidam haud sanè absurdis coniecturis existimant) desinit in Auream Chersonesum: qua in regione prænobile emporium Malaca visitur hodie. A Cori promontorio ad Siculi freti similitudinem exiguo admodum spatio auulsa cernitur insula Ceilanum, quam grauis auctor Ioannes Barrius Lusitanus multis rationibus Taprobanam olim fuisse contendit. Ab ea obliquus in Auream Chersonesum, & Chersoneso vicinam ingentem insulam Somatram cursus est, quam Geographorum vulgus Taprobanam putat. A Somatra porrò ad nobilissimas insulas, plurimasque, Iauam maiorem, ac minorem, Borneum, Bandam, & Boluccas, & Lequios, & Iaponios tenditur: itémque ad continentem oram Camboiæ, Ciampæ, Caucirecinæ, ac Sinarum. Vltrà Lusitanis incomperta nauigatio est. Huc vsque Maffeius.

De eadem Lusitanorum nauigatione iam trita, & peruagata, egerunt pluribus Aloysius Cadamustus, & Ludouicus Vartomannus in Suis Nauigationibus, quas scriptas ediderunt, Sebastianus Munsterus lib. 5. Cosmographiæ, pag. 1083. & 1103. Ioannes Barrus, Ferdinandus Lopezius Castaneda, Hieronymus Osorius, in Historiis Indicis, & innumeri alij, qui de gestis rebus Lusitanorum in India & Oriente ex professo perscripserunt: atque etiam peculiariter Ioannes Matalius Metellus Sequanus, in Epistola ad Antonium Augustinum.

At cùm consensu omnium prodatur, Vascum Gamam Lusitanum, primùm anno Domini 1498. superato Promontorio Bonæ-Spei ad Indiam vsque nauigasse, túneque primùm apertam, vel instauratam eam nauigationem, quæ tum tantùm priscorum scriptorum auctoritate, vel potiùs incerto rumore vtcumque nota erat: mirum est quòd Georgius Phranza Protouestiarius lib. 3. Chronici Orientalis cap. 1. referat, se anno Christi 1450. missum à Constantino Imperatore legatum ad Principem Iberorum Georgium, incidisse in Iberia in senem quendam circiter centenarium, qui in India primis pueritiæ annis peregrinatus fuerat: de quo post alia subdit: *Cùm Ephrem senex hic in regione illa aliquandiu vixisset, & linguam gentis probè didicisset, de reditu in patriam cogitasset, & cuidam incolæ mentem suam aperuisset, ductus est ab eo in locum, quo ab exterioribus Indis nauiculæ aromatis onustæ allabebantur. Earum vna conscensa, nauigauit, inuentíque nauem grandem Ibericam, qua in Portugalliam est est delatus. Et inde alia naui in Insulas Britannicas, & postremò in Iberiam, quò ego veneram.*

De nauigatione autem Borealis Oceani hæc Plinius lib. 2. cap. 67. *Septentrionalis verò Oceanus maiori ex parte nauigatus est auspiciis D. Augusti, Germaniam classe circumuecta ad Cimbrorum promontorium, & inde immenso mari prospecto, aut fama cognito ad Scythicam plagam, & humore nimio rigentia. Propter quod minimè verisimile est, illic maria deficere, vbi vis humoris superet. Iuxta verò ab ortu ex Indico mari sub eodem sidere*

pars tota vergens in Caſpium mare, pernauigata eſt Macedonum armis, Seleucho atque Antiocho regnantibus, qui & Seleucida atque Antiochida ab ipſis appellari voluere. Circa Caſpium quoque multa Oceani littora explorata, paruóque breuiùs, quàm totus, hinc aut illinc Septentrio eremigatus. Vt tamen coniecturæ locum ſic quoque non relinquat ingens argumentum Paludis Mæoticæ: ſiue ea illius Oceani Sinus eſt, vt multos aduerſo credidiſſe, ſiue anguſto diſcreti ſinu reſtagnatio. Et poſt pauca: *Idem Nepos* (Cornelius) *de Septentrionali circuitu tradit, Quinto Metello Celeri, Caij Afranij in Conſulatu Collegæ, ſed cum Galliæ Proconſuli Indos à Rege Sueuorum dono datos, qui ex India commercij cauſa nauigantes, tempeſtatibus eſſent in Germaniam abrepti.* Exſcripſit iſta Plinius ex Pomponio Mela lib.3. cap.5. vbi ait: *Cornelius Nepos vt recentior auctoritate, ſic certior, tradit: teſtem autem rei Q. Metellum Celerem adiicit, eúmque ita retuliſſe commemorat: Quum Galliis Proconſul præeſſet, Indos quoſdam à Rege Sueuorum dono ſibi datos. Vnde in eas terras deueniſſent, requirendo, cognoſſe, vi tempeſtatum ex Indicis æquoribus abreptos, emenſóſque intererant, tandem in Germaniæ littora exiſſe.*

Martianus Capella lib.5. *Idem Cornelius* (Nepos) *poſt captos Indos per Germaniam nauigauit.* Locum perſpicuè luxatum, ita ex Plinio reſtituit Andreas Scottus, *Idem Cornelius poſt: campos Indos per Germaniam nauigaſſe.*

Strabo lib. 11. pag.356. *Non conuenit etiam de hoc quòd quidam dicuntur circumnauigaſſe ab India in Hyrcaniam: fieri tamen id poſſe Patrocles pronunciauit.*

Paulus Iouius libello de Legatione Moſcouitica: *Satis tamen conſtat mare ad Aquilonem eſſe longè vaſtiſſimum, ita vt illinc ad Cataium legendo oram dextri littoris, niſi terra interſit, nauibus peruenirí poſſe, certiſſima coniectura credendum ſit. Pertinent enim Cataini ad extremam Orientis plagam Luſitanis in India cogniti, quum proximè ad coëmenda aromata per regionem Sinarum Malacam vſque ad Auream Cherſoneſum nauigauerint.*

Iulius Cæſar Scaliger Exercitatione 37. aduerſus Cardanum: *Neque igitur dixit Ariſtoteles, neque verum eſt, aquas non admittere eam partem quæ ſub Polo iacet. An verò per id mare poſſit ad Sinas inſtitui nauigatio, alia aliis in vtramque partem adducta ſunt argumenta: variéque aſſenſum eſt. Noſtra tamen hæc ſunt: A Duuinæ fluuij oſtiis, vnde curſum auſpicantur, legendum eſſe totum illum tractum, qui vniuerſam ambit Scythiam, ad eius Orientalem vſque angulum: in cuius flexu Septentrionem aut Aquilonem cum perpetuis illis Fauoniis commutandum. Quæ de re qui verba faciunt, illius & maris, & ventorum, & oræ naturam minus exploratam habere certum eſt. Adeò námque rari ſunt Zephyri, & Subſolani, vt panè ſint ignoti. Aquilonum frequentia tanta, vt illis imperium cœli, quaſi legitimum à natura commiſſum videatur. Vada infinita, cæca, limoſa. Hieme quæ decem ſæuit menſes, quaſi pauimento ſolidata maris ſuperficies; Aeſtate perpetua caligo, quæ pomeridianis horis vna aut altera vix diſcuſſa mox redintegratur. Tum verò maius à glacie periculum: cuius immenſæ cruſtæ fluitantes mobilium inſularum inter ſe concurſantium ſpeciem præbent. Vt veræ ſint eæ Symplegades, non illæ Græciæ mendacis. At Indicum mare liquidiſſimum, aquæ inoffenſæ æquabilitatis, ventos ipſos quaſi certis delegatos functionibus, per certas viciſſitudines, veluti alterum alterius vicarium, ſtatos dat. Soli námque parent flatus anniuerſarij. Etenim citra Arietem & Libram meante illo, ſpirant perpetuò Fauonij: vbi à nobis deuexo curſu fertur, tum illi remeant ex India ſecundis Subſolanis. Erroris ſumma illa: Cùm putant, duas in partes vniuerſum eſſe orbem ſectum, quaſi in Inſulas, Alteram à Callaico Promontorio, qui locus dicitur ab indigenis Finis Terræ, ad Cataium vſque: alteram ab ora Sinarum, ad anguſtias Darien. Quod ſi ita eſt, non laboro: non enim in his narrationibus vitium eſt recitantis, ſed mentientis picturæ. Quòd verò ait Plinius ex India in id mare appulſas naues, quantum ei ſit habendum fidei, reliqua ex hiſtoria patet, vbi ſcribit, illos in Caſpium prouectos eſſe. Caſpium enim Oceano nequaquam peruium.* At Plinius nunquam ſomniauit illos in Caſpium mare prouectos, ſed in Oceani oram vergentem in Caſpium.

De Nauigatione per Sarmaticum & Scythicum mare ad Sinarum regionem agit Gomara in Generali Indiarum Hiſtoria cap.11. vbi ait ſe de illa multa fando accepiſſe ab Olao Magno Archiepiſcopo Vpſalenſi, quo cum Bononiæ familiariter verſatus fuit. Vide quoque Ioannem Metellum in epiſt. ad Antonium Auguſtinum, præfixa Hieronymi Oſorij hiſtoriis, & equidem Septentrionalem Oceanum hodie nauigabilem eſſe, & per nouam Iemblam, in Tartariam, Cataium, ſeu Sinarum regionem nauigari poſſe, ex Petro Plancio Coſmographo oſtenditur in Deſcriptione Secundæ Nauigationis Hollandorum ſupra Noruegiam ad viam in Cataium vel Sinam explorandam an.1595. ſuſceptæ: extat ea 3. parte Indiæ Orientalis: vbi etiam habetur deſcriptio tertiæ Nauigationis Hollandorum, in Nouam Zemblam anno 1596. quæ eſt ſanè mirabilis. Vide quoque Victorem Palmam Appendice ad Chronographiam Genebrardi, an. 1596. & Gerardum Mercatorem in Tabula Poli Arctici, pag.41. Athlantis maioris.

De Nouo Orbe occiduo reperto.

CAP. XXV.

POſt mundi fabricam, eiúſque per Chriſtum inſtaurationem nullum maius & præſtantius opus extat in rerum natura, quàm noui Orbis Occidui apertio, & inuentio. Rem tametſi notiſſimam nos quoque ad omnem poſteritatis memoriam, noſtro iſto quod molimur opere conſignabimus. Paulus Iouius Hiſtoriarum 34. *Poſtquam Columbus Ligur admirando ingentis animi captu, eruditóque iudicio vir, & vti quibuſdam apparet, Hercule Græco inuſitatæ famæ gloria maior & illuſtrior alterum per terrarum orbem, vaſto atque intentato prioribus ſæculis Oceano, ad Occidentem nobis aperuit: non defuêre alij atque alij ex Hiſpanis, eo apud Hiſpalim defuncto, qui pari æmulatione laudis, & ſpe quæſtus, eadem littora ſecuti, vlteriores nouæ terræ, quam Pariam vocabant, terminos quæritarent, diſpari quidem fortuna ſuſcepti curſus, quum nonnulli eorum, vt credi par eſt, immenſo, inexploratóque abſorpti Oceano, nuſquam apparuerint: & aliqui ab Anthropophagis, qui Canibales appellantur, capti, comeſtique fœdam miſerabilis audaciæ memoriam reliquerint. Ea terra Aequatori ſubiecta, à Gaditano Freto rectà inter Occidentem, atque Meridiem nauigantibus, emenſo bis mille amplius leucarum itinere, occurrit, frondoſo ingentium rupium Promontorio, tanquam roſtro Oceanum proſcindens: nam æquis lateribus littora infinito tractu, hinc ad Occidentem, illinc*

ad

ad meridiem immenſis adhuc ſpatiis extenduntur.

Iacobus Auguſtinus Thuanus Hiſtoriarum 1. *Annus qui fuit reparatæ ſalutis CICCDXCII. Chriſtophori Columbi nauigatione, quæ Nouum Orbem in Athlantico mari Hiſpanis primò aperuit, nobilitatus eſt.*

Ioannes Petrus Maffeius in 1. Indicarum Rerum: *Chriſtophorus Columbus Ligur, ingentis animi vir, & rei nauticæ imprimis peritus, ex Aſtronomica diſciplina, & nonnullis veterum monumentis ſtatuit, trans noti orbis terminos magna terrarum ſpatia etiam in Occidentem patêre: deinde experiundi & cognoſcendi ſtudio, quod ſine magno apparatu ea res tentari non poſſet, Luſitano ante omnes regi eam expeditionem ſuaſit, ſuámque in id operam & induſtriam enixè detulit. A quo reiectus, tanquam inania & fabuloſa afferret, ad finitimum Caſtellæ Regem Ferdinandum eodem conſilio ſeſe contulit. Ibi cùm nihilo magis audiretur, inuicta quadam animi pertinacia, totum ferè ſeptennium vorando repulſas, vrgendo, inſtandóque per ſe, & per amicos, tandem aliquando peruicit, vt in eam inquiſitionem tria ſibi regio ſumptu adornata nauigia ad Hiſpalim oræ Beticæ præberentur. Cum his in Athlanticum Oceanum egreſſus, Canarias primùm Inſulas petiit: inde continua dierum aliquot velificatione in Oceanum prouectus, inſulas aperuit nouas, quas abs re, quòd primæ occurriſſent, Principes nominauit: & expoſito milite, nactus aurifodinas loco idoneo caſtra communiit: relictóque ibi præſidio, incolas fermè duodecim, & alia inuentæ eius regionis argumenta ſecum in Hiſpaniam reuexit.* Et poſt alia: *Ferdinandi, Carolique Cæſaris auſpiciis, idem Columbus, alique deinceps immortalitatis digniſſimi viri, ad Occaſum, Meridiémque immania terrarum ſpatia, cum incredibili prouentu auri & argenti, ſubinde patefecere: quo maximo ſubſidio Caſtella poſtmodum tantos, tamque aſſiduos terra, marique ſumptus prope infinita pecuniarum erogatione ſubſtinuit.* Hæc Maffeius.

Verùm quatuor ingentes Columbi nauigationes, quibus Nouum Orbem primus aperuit, luculenter deſcripſit Petrus Martyr Anglarienſis in Oceani Decadibus. Extant quoque eæ accuratiſſimè enarratæ in Nouo Orbe, Baſileæ impreſſo apud Ioannem Heruagium, anno 1555. tom. 2. Hiſpaniæ Illuſtratæ habetur Epiſtola Chriſtophori Columbi ad Raphaëlem Sanxis, de Nouo Orbe à ſe reperto. Zonzalus Fernandus Ouiedus in 1. parte Generalis Hiſtoriæ Indiarum, Franciſcus Lopes Gomara in generali Hiſtoria Indiarum, Petrus Cieça parte 2. Hiſt. Peruanæ, & innumeri alij, præſertim Hiſpanicarum Rerum Scriptores, de eadem Noui Orbis per Chriſtophorum Columbum inuentione copioſiſſimè & fideliſſimè differuerunt. Sed cum primis accuratè Auguſt. Iuſtinianus in Notis Octapli, Pſalmo 18. Verſ. 5.

Iuuat quoque præclariſſimum Columbi facinus verbis recentioris noſtræ gentis Hiſtorici percenſere. Ioannes Mariana Rer. Hiſpanic. lib. 26. cap. 3. in hunc modum refert: *Orbem terræ vniuerſum tres in partes antiqui diuiſerunt. Inuentæ demum auorum ætate nouæ nationes, terrarum tractatus immenſi quartam adiecere: quæ reliquis omnibus magnitudine fermè par, noui Orbis nomen inuenit: ad quem nullæ antiquorum litteræ, nulla penetrarunt arma. Rem planè mirabilem, maioribus denegatam laudem, noſtris hominibus, noſtróque ſæculo ſeruatam, qua nihil ab omni memoria contigit in Hiſpania, neque ad dignitatem honeſtius, neque ad celebritatem illuſtrius, neque fructu vberiori. Id qua ratione contigerit, & quibus opibus & induſtria ad Indos occiduos maris Athlantici fluctibus ſuperatis fuerit peruentum, explicandum eſt. Nauis quædam in Africæ commercio occupata ſuperioribus annis, ventorum violentia abrepta, ad ignotas terras & littora appulit. In reditu vectoribus & nautis fame extinctis, Nauarchus cum tribus, aut quatuor ſociis Maderam inſulam, quæ in ditione Luſitanorum erat, tandem tenuit, mortuo, quàm ſpiranti ſimilior. Agebat fortè in ea inſula Chriſtophorus Columbus, natione Ligur, (nam & vxorem in Luſitania duxerat) ingentis animi vir, ſingulari induſtria, quod erat præcipuum, rei nauticæ imprimis peritus. Excepit is hoſpitio Nauarchum: qui longinquæ nauigationis laboribus fracto corpore, breui extinctus, commentaria, quæ de tota nauigatione confecerat, Columbo reliquit. Quæ ſi vera cauſa fuit, ſiue ex Aſtronomica diſciplina, aut à quodam Marco Polo medico Florentino edoctus, ſtatuit quaſi rem minimè dubiam, trans noti Orbis terminos etiam ad occidentem ſolem, magna terrarum ſpatia patere, nouas, & incognitas gentes habitare, lingua, moribus, ſuperſtitionibus diſſonas. Hanc ſui animi cogitationem cum Luſitano Rege primùm, deinde cum Henrico VII. Angliæ rege communicauit. Somnia vtriſque afferre viſus eſt. Auctoris humilitas contemnebatur, vt maximè probabilia afferret. Repulſus tamen non deſtitit, non quieuit. Quin ad Ferdinandum Regem Hiſpanum ſe contulit, & cum nihilo magis audiretur, ſeptennij patientia peruicit tandem, quo tempore Granata de Mauris capta eſt, vt tres naues regiis ſumptibus inſtructæ eo duce experiuntur, an promiſſis reſponderent facta. Decem & ſeptem millia aurei mutuo ſumpti, propter inopiam ærarij bello Granatenſi exhauſti, tantæ molitioni initium præbuere. Sic ſolent ex paruis momenta maximarum rerum pendere. Inſtructis Columbus nauibus ad Palos Beticæ Portum, in Oceanum Athlanticum egreſſus, tertio Nonas Auguſti, paſſis velis, Canarias primùm inſulas petiit. Inde in occaſum directis proris, ſuperatiſque vaſti pelagi fluctibus, cum quibus non maior illi luctæ fuit, quàm cum ſociorum contumacia & deſperatione, conuitio efflagitantium, temerario vt incepto abſiſteret, neque eos in certum exilium raperet: tandem de menſe Octobri inſulas plures inuenit, ad eius regionis ſpatioſa littora quam Floridam deinde dixerunt. Eam, & inſulas, Lucalas ab incolis nuncupatas, ipſe in Regis gratiam, Principes dici voluit.*

Dum terræ eius conditionem, & diuitias explorat, atque agreſtes, feróſque hominum mores cicurare contendit, aliquandiu in illis Inſulis moratus, deinde extructa arce ex quo triginta octo è ſociis reliquit, Diegho Arana duce, decémque ex incolis in naues impoſitis, rediit in Hiſpaniam, confectæ nauigationis nuntius lætiſſimus, auri & copiarum, quas ea terra fundit, ſecum deferens ſpecimen, atque primitias. Prouocauit is ſucceſſus tum Reges, tum prouinciales, vt maiori ſtudio in eam nauigationem incumberent. Itaque Columbus repetitis nauigationibus, plures alias inſulas, in his Hiſpaniolam, & Cubam ſpatiis præ cæteris latiores, magnamque Continentis partem explorauit, eius quod à Freto Magellanico ad Boiadoris promontorium, immenſo marium & littorum tractu, ab Antarctica, ad Arcticam plagam excurrit, vltra quinque millia leucarum legentibus littora. Ad medium quidem ſpatium ſinuoſa ea littora & exeſa efficiunt, vt à Portu Nominis Dei, qui ad mare noſtrum eſt, vſque ad Panamam aduerſo, atque Auſtrico mari adiacentem vrbem, vix decem & octo leucas conficiant, quibus eà iter eſt. Vtriuſque maris littora ad Septentrionem longiſſimo tractu, noſtrorum diligentia ſunt explorata: neque hactenus tamen cognitum,

an Occidui Indi cum Orientalibus sint coniuncti : an verò supra Cataium Sinarum portum , supráque Cipangrim, aut Iaponem dirimatur Freto aliquo. Nouis alij nauigationibus , tum Columbo superstite , tum maximè , eius imitatione varias insulas & littora aperuerunt ad Occasum. Hactenus Mariana.

Ceterùm Ferdinandus Cortesius incredibili virtute , & rebus gestis vsque ad miraculum glorioſis Nouam Hispaniam & florentissimum Mexicanum regnum Hispanico Imperio subiecit. Vir sanè belli artibus cum quouis ex priscæ ætatis magnis ducibus meritò conferendus. Cuius præclara facinora , euersionémque Mexicani Imperij plerique insignes auctores stylo condidere: sed cùm primis Franciscus Gomara integro & egregio commentario. Extántque eiusdem Cortesij tres Narrationes suarum Expeditionum ad Carolum V. Cæsarem summa fide & sinceritate conscriptæ.

Franciscus Pizarrus & Didacus Almagrus Peruana ditissima regna armis subegerunt : qua de re Petrus Cieza, Augustinus Carate , Franciscus Gomara , Leuinus Apollonius integra volumina edidere.

Blaschus Nunius Valboa Mare Australe , seu Antarcticum , quod vocant Sur, primus aperuit, vti Paulus Iouius lib. 34. Historiarum, Gomara in Indiarum Historia, & plures alij fusè tradiderunt.

Ferdinandi Magallanis portentosam nauigationem , qua Fretum illud Magellanicum ab inuentore dictum, vnicum naturæ miraculum , primus à mundo condito penetrauit , Iouius lib. 34. Historiarum , Osorius lib. 11. de rebus Emanuëlis , Gomara in Hist. Indicarum , Sebastianus Munsterus lib.5. Cosmographiæ, pag. 1104. Maximilianus Transsiluanus epist. de Insulis Molucis , Thuanus lib. 1. Historiarum , Mariana Rer. Hispanic. lib. 26. cap. 3. Maffeius lib. 8. Rer. Indicarum , & plures alij accuratissimè descripserunt. In ea nauigatione extincto Magallane , Ioannes Sebastianus Canus ex oppido Cuetaria Vardulorum , in Naui Victoria cuius erat Nauarchus , vniuersum orbis ambitum circumnauigauit : qui nobili suo gentis stemmati postea orbem affixit, cum inscriptione, PRIMVS CIRCVMDEDISTI ME. Asserebat iste nauigasse se tunc quatuordecim mille leucas. Magnum Argonautam !

Deinceps Franciscum Dracum , & Thomam Candiscum consimili nauigationis cursu totum orbem circumlustrasse , annotauit Gerardus Mercator in Tabula Freti Magellanici , quæ est postrema Atlantis , vbi Fretum illud scitè depingit & describit.

Petrum Aluarum Captalem Lusitanum Brasiliam primùm patefeciſſe , anno Salutis M D. Osorius lib. 2. Maffeius lib. 2. Thuanus libro 1. Mariana lib. 26. c. 3. & alij sunt auctores, Alias partes Noui Orbis, insignes alij viri partim aperuere, partim armis deuicere : sed longum nimis esset de singulis dicere. Maneat clarissimis viris sua laus, tot , tantísque litterarum monumentis , ad omnem posteritatem commendata.

Ex Nouæ Hispaniæ oris ad Australem Oceanum , atque etiam ex Lima , aliísque portubus Peruanæ, & Chilensis regionis , facilem , quamuis longissimam esse nauigationem per Mare Sur, quod vulgò Pacificum , seu Dominarum appellant ad Insulas Molucas , Philippinas, Sinarum terras , Iaponios , &c. res est nulli non nota. Expressit & descripsit Mare Pacificum Ortelius eleganti Tabula in Orbis Theatro. Anno Christi M D L X X X I V. nauis quædam ex Collao Limæ soluens , & sub Æquatore perpetuum ducens cursum ab Oriente in Occidentem , spatio dumtaxat duorum mensium , itinere M M. & D. leucarum confecto , nusquam tellure conspecta , insulas Philippinas tenuit. Auctor Iosephus Acosta lib.3. Rer. Indic.cap.4.

Idem Acosta lib. 1. de Natura Noui orbis , cap. 16. inquit : *Non ita pridem classis nostra Aluaro Mendauio Duce, ex hoc Limano portu soluens, & per immensum Oceanum , Occidentem versus delata , studio nouam mundi plagam , huic Americæ Occidnæ oppositam perueſtigandi , post trimestre tandem tempus Insulas illas , & multas , & maximas, quas Salomonis vocare libuit : eásque aut magnæ nouæ Ginæ, aut alicui ingenti continenti hærere , constans fama est.* Eadem habet lib.3. cap. 4.

Vt illud Fretum ad Austrum à Magallane repertum est, ita quoque versus Boream supra Floridam aliud esse Fretum in Nouo Orbe, quo Oceanus ab ea parte terras dispescat , mutuíque meatu sese infundat , plerique haud vanè crediderunt. At quod nondum satis exploratus eiusmodi Euripus nihil de eo certi tradere possumus. Vide Gomaram Indicæ Historiæ cap. 22. Acostam lib. 3. cap. 12. & Mercatorem in Tabula Poli Arctici. Oceanum verò supra Magellanicum Fretum versus Polum Antarcticum non nisi ad L V I. gradum fuisse hactenus nauigatum à Ferdinando Lamero ; & ab altera parte Noui Orbis versus Polum Arcticum Mare Sur non nisi paulò supra Caput Mendosinum, cap. 22. annotabimus.

Adiicimus verè & opportunè , Hispanicum Imperium omnium quotquot vnquam fuerunt, spatiis terrarum maximum , cingere planè vniuersum mundi ambitum. Oras námque Africæ tenet , quà Oceanus alluit ab Angustiis Herculeis ad Ostium Sinus Arabici. Ibi Socotoram insulam , & multos in Arabia & Persia portus, atque Armuziam ad Sinum Persicum possidet. Ad Cambaiam Indi fluminis Dium insulam & vrbem. Hinc in littoribus maris Indici & Eoi plurimas vrbes , portus , emporia, vt in oris Goana , Narsingana , Bengalæ , Pegu , Sian obtinet. Inde Malacam , Molucas , Philippinas , & innumeras insulas in magno illo Archipelago, item Amacanem in terra Sinarum , & in Iaponia aliqua habet. Iaponia C L. tantùm leucarum interuallo à littoribus Hispaniæ Nouæ ad Quiuiram & Sibolam discluditur. Porrò Noua Guinea, Salomonis insulæ, & tota Australis Continens supra Magellanicas fauces ad Hispanicum Imperium pertinent. Deinde sequuntur Noui Orbis latissimæ regiones , nimirum vastus ille continentis tractus à Freto Magellanico excurrens ad Septentrionem, in quo sunt ampliſſima regna Brasilia, Chile, Peru, Paria, Noua Castilia, Hispania Noua, Florida, Nouum Mexicum, infinita propemodum spatia terrarum. Succedunt innumeræ insulæ Cuba, S. Dominici, & aliæ, Azores, Fortunatæ, & mox Hispania. Hæc omnia vnus Hispanus Monarcha Imperio coërcet , totúmque orbem per sua maria , suasque oras circumnauigare potest. Cui nunc rerum potienti Philippo I I I. Deus Optimus Maximus tantum Imperium securum , ac diuturnum conseruet , & augeat. Vide Bozium de Signis Ecclesiæ lib. 8. c. 1.

Num

Num Noui Orbis aliquam notitiam Antiqui habuerint.

CAP. XXVI.

FVisſe Priſcis incognitum exiſtimant Guido Pancirolus in Nouorepertis tit. 1. & Henricus Salmuth in Commentariis ad eundem Pancilorum, Gerardus Mercator in Atlante, in Tabula Noui Orbis, Auguſtinus Torniellus in Annalibus Mundi, anno 3043. Num.7. Alfonſus Herrera in Indica Hiſtoria. Sed plures multò ſunt, qui cognitum vtcúmque fuiſſe affirment, in qua nos etiam ſententia ſumus. Proferemus indicia & argumenta varia, quibus credamus non leuem rumorem apud priſcos de hoc eodem orbe nouo occiduo per Columbum patefacto, iam olim increbuiſſe.

Plato in Timæo maximè mirabilem narrationem orditur dè Atlantide inſula: ibi enim Critias inducit Sacerdotem quendam Ægyptium, qui Solonem, & Athenienſes alloquens ait: *Multa quidem & mirabilia veſtræ ciuitatis opera in monumentis noſtris leguntur, ſed vnum magnitudine & virtute præcipuum facinus. Traditur enim veſtra ciuitas reſtitiſſe olim innumeris hoſtium copiis, quæ ex Atlantico mari profectæ, prope iam cunctam Europam, Aſiámque obſederunt. Tunc enim erat Fretum illud nauigabile, habens in ore, & quaſi in veſtibulo eius inſulam, quam Herculis columnas cognominatis. Fertúrque inſula illa Libya ſimul & Aſia maior fuiſſe: per quam ad alias proximas inſulas patebat aditus: atque ex inſulis ad omnem continentem è conſpectu iacentem, vero mari vicinam: ſed intra os ipſum portus anguſto ſinu fuiſſe traditur. Pelagus illud verum mare, terræ quoque illæ vera erat continens. In hac Atlantide inſula maxima & admirabilis extitit Regum, qui toti inſulæ illi, multiſque aliis, & maximæ terræ continentis parti, præterea & his quæ penes nos ſunt, dominabantur. Siquidem tertiæ mundi parti, quæ Libya dicitur, vſque ad Ægyptum imperarunt: Europæ verò vſque ad Tyrrhenum mare. Horum vis omnis vnà collecta noſtram, O Solon, veſtrámque regionem, & quidquid intra Columnas Herculis continebatur, inuaſit. Tunc veſtræ ciuitatis virtus in omnes gentes enituit. Quæ cùm omnes magnanimitate, bellicíſque artibus antecelleret, partim vnà cum aliis Græcis, partim ſola, ceteris deſerentibus, extrema diſcrimina ſubiit, hoſtéſque expugnauit: eos verò qui nondum in eorum ditionem venerant, ne venirent, prohibuit: alios autem, nimirum nos quotquot cis Herculis columnas habitamus, omnes promiſcuè ſeruauit. Poſt hæc ingenti terræ motu, iugíque diei vnius & noctis alluuione factum eſt, vt terra dehiſcens, veſtros illos vna omnes bellicoſos homines abſorberet, & Atlantis inſula ſub vaſto gurgite mergeretur. Quam ob cauſam innauigabile pelagus illud propter abſorptæ inſulæ limum relictum fuit. Hæc O Socrates, eorum quæ Critias maior à Solone accepta narrabat, ſumma eſt.* Hactenus Critias iunior, ex Critiæ aui ſui relatione recenſet. Porrò Critias maior ea ſe à Solone accepiſſe, atque hunc à Sacerdote Ægyptio audiuiſſe affirmabat.

Idem Plato in Critia, ſiue Atlantico, refert Critiam iuniorem de Atlantide inſula longiſſimam narrationem texuiſſe, quam totam deſcribit, cuius initium eſt: *Nempe ſi ſufficienter memineri-mus, recenſuerimúſque nunc vobis, quæ quondam à Sacerdotibus tradita, à Solone huc aduecta fuere, videbimur theatro huic, vt arbitror, ſatis officio noſtro functi. Primùm autem commemoremus ſummam eſſe annorum nouem millium ex quo bellum extitiſſe traditum eſt inter eos omnes qui vltra, & eos qui citra columnas Herculis habitabant, quod in præſentia enarraturi ſumus. Horum quidem dux fuit hæc ciuitas Athenienſis, bellúmque omne, vt dicitur, confecit. Illorum autem, inſulæ Atlanticæ reges. Quam inſulam Libya, Aſiáque maiorem fuiſſe quandoque perhibuimus: poſtea verò cœnum ibi inuium, ſubmerſa inſula ex terræ concuſſione relictum, quod quidem hinc illuc altum in mare nauigantibus obſtat, ne vltra enauigare liceat.* Sequitur multa fuſiſſimè de Atlantide inſula deſcribere, quæ legentibus ſuauiſſimam voluptatem afferunt. Tu ſi voles perlege.

Ioſephus Acoſta lib. 1. de Natura Noui Orbis, cap. 22. multis argumentis conatur oſtendere totam eam Platonis orationem de Atlantide inſula, vel merè fabuloſam, & ridiculam, dignámque puerorum & anicularum cantilenis: vel parabolicam & allegoricam eſſe. Sed inuenit Acoſta qui ſe ſtrenuè confutaret Gregorium Garciam lib. 4. de Indorum Origine cap. 8. & ſequentibus. Cum Acoſta ſentit Henricus Salmuth in Nouorepertis, Titulo 1.

Marſilius Ficinus inſignis Platonis interpres in Commentario Critiæ hæc annotat: *Hanc autem* Platonis de Atlantide inſula *non fictam quidem, ſed veram hiſtoriam extitiſſe conſtat. Primò quidem, quia vbicunque fingit aliquid, ſolet fabulam nominare: hîc verò tanquam hiſtoriam audet aſſeuerare. Deinde idem omnino aſſerit in Timæo, appellans rem miram quidem, ſed omnino veram. Et à quibus accepta ſit, diligenter vtrobique recenſet, ſcilicet à maioribus ſuis atque gentilibus. Critias enim hic ab auo Critia, ille vero à Solone patruo ſuo, qui litteris quoque mandauit, Solon ab Ægyptiis Sacerdotibus. Præterea Proclus Marcelli cuiuſdam de rebus Æthiopum adducit hiſtorias, in quibus hæc manifeſtiſſimè confirmantur, Æthiopum rebus geſtis inſerta. Etſi Platonicorum nullus hiſtoriam negat, Porphyrius tamen, Proclus, & ante hos Origenes allegoriam inſuper volunt phyſicam continere. Quos equidem vereor, ne ſi conentur ſingula allegoriæ ad vnguem accommodare, ab ipſo Platone derideantur, in exordio Phædri, curioſas nimium in huiuſmodi rebus allegorias irridente.* Idem Marſilius in Compendio Timæi, cap. 4. inquit: *Narrat autem inter Dialogi huius exordia hiſtoriam de bello quodam inter Athenienſes Atlanticóſque commiſſo. Hanc itaque Crantor tempore primus Platonis interpres nudam abſque allegoria hiſtoriam accipit. Quidam verò contra, tanquam ſolam allegoriam. Sed hos redarguunt probatiſſimi quique Platonicorum, affirmantes quidem hiſtoriam, quia Plato dixerit, Sermo futurus eſt valdè mirabilis, ſed omnino verus.* Hæc Marſilius. Cuius ſententiam probant omnes illi quos mox proferemus, exiſtimantes Platonem intellexiſſe de Nouo Orbe.

Sanè vt Marſilius rectè annotabat, magnum argumentum eſt veræ narrationis, quòd Critias in Timæo eam orſurus, in hunc modum præfatus fuerit: *Audi, Socrates, miram quidem, ſed plenam veritatis hiſtoriam, quam Solon ſeptem ſapientum ſapientiſſimus recenſebat.* Potuítne clariùs loqui: vnde nullo pacto ſunt audiendi, qui fabulam, aut meram allegoriam eſſe volunt: niſi velimus Platonem nebulonem & impoſtorem facere.

Confirmant veram eſſe Platonis hiſtoriam de

Atlantide insula magni auctores Strabo lib. 2. *Quibus etiam Platonis sententiam commodè apponit Possidonius, fieri posse, vt non sit figmentum id quod de Atlantide insula fertur, de qua is ait tradidisse Solonem, qui ita ab Ægyptiis didicisset Sacerdotibus, delatam eam esse, cùm fuerit aliquando continente tota non minor insula. Existimabátque hoc rectius dici, quàm id, delatam fuisse ab eo ipso qui eam commentus fuerit : sicut apud Homerum accidit muro Achæorum.*

Plinius lib. 2. cap. 90. *In totum abstulit rerum natura terras, primùm omnium vbi Atlanticum mare est, si Platoni credimus, immenso spatio.*

Tertullianus Apologetici cap. 40. *Memorat & Plato maiorem Asiæ, & Africæ terram Atlantico mari ereptam.* Et de Pallio, cap. 2. *Et si ille Plato non mendax, Aeon in Atlantico Libyam, aut Asiam adæquans quæritur nunc.*

Arnobius 1. Aduersus Gentes : *Vt ante millia annorum decem, ab insula quæ perhibetur Atlantica Neptuni, sicut Plato demonstrat, magna erumperet vis hominum, vt innumeras funditus deleret atque extingueret nationes, nos fuimus causa?*

Ammianus, Marcellinus lib. 16. cap. 16. agens de terræ motibus qui Chasmaticæ dicuntur, ait : *Aut Chasmatia, qui grandiori motu patefactis subito voratrinis terrarum partes absorbent, vt in Atlantico mari, Europæo orbe potior insula.*

Quæ verò contra narrationem Platonis de Atlantica insula obiiciuntur, à multis diluta sunt; Illud verò de nouem millibus annorum, sciendum Ægyptios diuersas longè annorum rationes à nostris inire solitos, de qua re plura reperies apud Herodotum lib. 2. num. 11. 43. & 142. Diodorum Siculum lib. 1. num. 15. 28. & 29. Loërtium lib. 1. initio Prooëmij.

Quòd autem Plato dixit Oceanum extra Gades innauigabilem esse propter absorptæ insulæ Atlantidis limum relictum, adstipulatur etiam Aristoteles Meteoron lib. 2. cap. 1. his verbis : *Limus verò indicat Oceanum, qui extra columnas patet, non magnopere in profundum demitti. Flatus enim silent, quòd mare in cauo desidat.*

Ceterùm non pauci existimarunt eam Platonis de Atlantide relationem propriè ad Nouum Orbem pertinere, quam sic interpretantur : Atlantidem quidem insulam reuera quondam extitisse immensæ magnitudinis in Oceano, ad fauces Herculei Freti pertingentem : sed postea alluuione, terræ motu, & hausto furentis Oceani demersam : atque tunc ingens mare, vastissimum illud spatium, quod nunc a Gadibus ad primas Noui Orbis insulas, in Septentrionem, Meridiem, & Occidentem longè latéque diffusum protenditur, occupasse : relictis quibusdam tantæ insulæ veluti fragmentis, & vestigiis, nempe Fortunatis, Azoriis, Viridibus, & aliis. Et quamuis Platonis ætate, limo multo pelagus illud quod Atlantidem hausit, imperuium, atque innauigabile haberetur : paulatim tamen subsidente limo, & exuberante vi aquarum, factum nauigabile. Insulas verò ad quas ex Atlantide gradus, aditúsque patebat, esse illas quæ continenti Noui Orbis periacent, & nunc vocant de Barlouento, vt Sanctum Ioannem de Portu de vite, Iamaicam, Hispaniolam, Cubam, & plures eius tractus. Continentem autem amplissimam è conspectu illarum iacentem, ad quam ab iis insulis nauigaretur, esse Continentem Noui Orbis, quæ vasto & immani tractu effunditur per Floridam, Nouam Hispaniam, Pariam, Brasiliam, Peruuiam, ad angustias vsquè Magellanicas. Verum autem mare eidem Continenti vicinum, esse magnum Oceanum Australem siue *sur*, quod à Magellanico Freto Chilem, Peruuiam, & Nouam Hispaniam alluit : dictum verum mare, quod & Mediterraneis, & Atlantico sit maius. De quo Ortelium consule in Tabula Maris Pacifici.

In hunc modum Platonis de Atlantide Historiam capiunt plurimi, quos enumero, Augustinus Sarate præfat. ad Hist. Peruanam, Franciscus Gomara in generali Historia Indiarum ad finem, Franciscus Iunctinus Commentariis in Sphæram Ioannis de Sacroboſco, Iacobus Pamelius in Notis ad Tertulliani Apologeticon, num. 528. Iustus Lipsius lib. 2. Physiologiæ Stoicorum, dissert. 19. Liuius Sanutus 1. Geographiæ, lib. 2. Thomas Freigius in Synopsi Atlantica, Reinerius Reineccius in Methodo Historica, pag. 3. Simon Maiolus Colloquio 14. Theodorus Zuinzerus in Theatro Vitæ humanæ, Volumine 5. lib. 3. Verbo, *Geometria*, Titulo, *Imperiti*, §. *Ex priscis*, Abrahamus Ortelius in Theatro in Tabula Americæ, & Maris Pacifici, item in Thesauro Geographico, verbo *Atlantis*, & *Gades*, & *Gadiricus*, Ioannes Fungerus in Etymologico, verbo *Atlas*, Ioannes Pineda de Rebus Salomonis lib. 4. cap. 14. §. 6. & cap. 15. §. 3. Gregorius Garcia lib. 1. de Indorum origine, cap. 3. & lib. 4. cap. 8. & sequentibus. Vide nihilominus Acostam lib. 1. de Natura Noui Orbis, cap. 12.

Nec omittimus Augustinum Steuchum lib. 7. de Perenni Philosophia, cap. 5. Platonis de Atlantidis submersione expositionem, ad Noaticum diluuium detorsisse. Sanè prorsus extra rem. Atque hactenus de Platonis Atlantide.

Aristoteles in Mirabilibus Auscultationibus ista prodit. *Extra Columnas Herculis aiunt in mari à Cartaginiensibus Insulam fertilem, desertámque inuentam, vt quæ tam siluarum copia, quam fluminibus nauigationi idoneis abundet, cùm reliquis fructibus floreat vehementer, distans à Continente plurium dierum itinere. In qua cùm Carthaginenses quidam ob soli fertilitatem connubia agitare, ac habitare cœpissent, ferunt, Præsides, ne quis deinceps insulam ingrederetur, pœna capitis interdixisse, incolásque eiecisse, ne coitione, si habitare illic pergerent, facta, insulæ principatum consequerentur, Cartaginenses eâ felicitatis parte priuarent.* Et post multa alia : *Phœnices, aiunt, qui Gadiram inhabitant, dum vltra columnas Herculis nauigarent, vento Subsolano impulsos, ad regiones quasdam applicuisse, vlua, algáque plenas, quæ æstibus maris rigantur, exundationibus verò prorsus obruuntur aquis. Thunnorum copiam isthic innumerabilem inueniri tradunt, magnitudine, densitatéque incredibili, quos salsos vasis impositos, Carthaginem deportant : vnde soli non euehuntur, sed ob singularem bonitatem planè absumuntur.* Hæc Aristoteles. Eam verò Insulam fertilem à Carthaginensibus in Oceano repertam, esse vel Hispaniolam, vel Cubam, aut aliquam Continentis Noui Orbis partem, vt Floridam, vel Iucatanam, vel Pariam, quam nondum plenè perlustratam. Insulam tunc illi existimauerint, multi recentiores annotarunt, Florianus Ocampus lib. 3. Rerum Hispanicarum, cap. 20. Gonzalus Fernandus Ouiedus 1. parte generalis Indiarum lib. 2. cap. 3. Alexius Vanegas libro Naturali cap. 22. Franciscus Gomara in generali Historia Indiarum, cap. 15. 17. & ad finem Operis Gilbertus Genebrardus lib. 2. Chronogra

nographiæ, pag. 266. Reinerius Reineccius in Methodo Hiſtorica, pag.3. Simon Maiolus colloquio 14. Hadrianus Turnebus Aduerſariorum lib.20. cap. 11. Iuſtus Lipſius lib. 2. Phyſiologiæ Stoïcorum, diſſert.19. Ioannes Mariana lib.2. de Reb.Hiſp. cap.2. Ioſephus Acoſta lib.1. de Natura Noui Orbis, cap.11. Gregorius Garſias de Origine Indorum, lib. 1. cap. 2. §.2. & lib.2.cap.1. Vide Ioannem Langium Epiſtolarum Medicinalium lib.1. epiſt.63. Exiſtimauere Genebrardus & Vanegas multas in Nouum Orbem è Carthagine olim deductas colonias,de qua re per otium diſſerit Garſias toto lib.2. de Origine Indorum, & lib. 4. cap. vltimo.

Quòd verò Cornelius Vuytflyetus ſecretarius Regius in Senatu Brabantiæ in Deſcriptionis Ptolemaïcæ Augmento, ſeu Notitia Noui Orbis, fol.13. & 96. & hunc ſecutus Henricus Salmuth in Nouorepertis, titulo 1. contendunt Carthaginenſium eam nauigationem non fuiſſe in Nouum Orbem occiduum, ſed ad Auſtrum, in aliquam Inſulam Africæ obuerſam, nec multum ab ea diſtantem: nos numero & auctoritate Scriptorum potiorem cauſam habemus.

Illud verò quod Ariſtoteles ait, Phœnices vltra Herculis Columnas nauigantes, ad regiones quaſdam applicuiſſe, vlua, algáque plenas; id quidem Columbo cùm primùm in Nouum Orbem nauigauit, etiam contigiſſe, Pamelius ad cap.46. Apologetici Tertulliani annotauit, his verbis: *Chriſtophorus Columbus anno Domini* 1492. *III. Nonas Auguſti ex Hiſpaniis ſoluens, in mari illo per iter dierum aliquot tantam graminis vbertatem claſſi occurrentem inuenit, vt tanquam in pratis herba virentibus nauigare videretur. Sed mare illud gramineum tandem ſuperans, in Orbem Nouum appulſus eſt.* Eadem refert Gomara in Indica Hiſtoria, cap. 16. Sed & Ortelius in Tabula Maris Pacifici, inquit: *In hoc eodem maris fundo narrant Franciſcus Vlloa, & Antonius Pigaſſeta naſci herbam quatuordecim brachiorum altitudinis, emineréque eandem extra eius ſuperficiem ad altitudinem quatuor aut quinque brachiorum: adeo, vt interdum non per maria, ſed per viridantia prata vehi videantur. Locus quoque Ariſtotelis in Admirandis, huic non male conuenit, vbi ſcribit de Phœnicibus, qui Gadiram habitabant, dum extra Herculis columnas nauigaſſent, ad regiones quaſdam applicuiſſe, vlua, algaque plenas.* Citat quoque Iornandem in eandem ſententiam, cuius in Geticis, cap.1. hæc ſunt verba: *Oceani verò intranſmeabiles vlteriores fines nec cuiquam licuit tranfretare, quia reſiſtente vlua, & ventorum ſpiramine quieſcente, impermeabiles eſſe ſentiantur, & nulli cogniti, niſi ſoli ei qui eos conſtituit.*

Diod. Siculus lib.2. numero Marginali 96. & ſeqq.admiranda refert de Inſula quadam in Oceano verſus Meridiem à Iambulo quodam reperta: narratio eſt iucundiſſima, quam ob prolixitatem non hîc tranſcribimus,digna ſanè lectu in Auctore Ioannes Baptiſta Rhamnuſius in Commentatione eiuſdem Iambuli nauigationis, Ioannes Guilielmus Stukius in Scholiis ad Periplum Maris Erythræi Arriani, pag. 90. & ſeqq. Laurentius Rhodomanus in Notis ad Diodorum, eam Iambuli Inſulam putant eſſe Somatram, quam ipſi Taprobanem credunt. Reinerius Reineccius in Methodo Hiſtorica, pag.3.potius ad Nouum Orbem occiduum pertinere exiſtimauit. Ortelius in Theſauro Geographico, voce, *Cerne*, Inſulam Madagaſcar,ſeu S.Laurentij eſſe ſuſpicatur. Auguremur & nos Iambolum diuturna quatuor menſium nauigatione verſo à Meridie in Occidentem curſu, ſuperato Promontorio Bonæ Spei, tenuiſſe vel Braſiliam, quam crediderit inſulam, vel Hiſpaniolam, aut Cubam. Vel fortaſſe ad Inſulam aliquam Auſtrali Pſittacorum continenti obuerſam, nobis adhuc incompertam delatum.

Idem Diodorus lib.5. numero 207. & ſeqq. deſcribit magnam quandam ac fertiliſſimam & amœniſſimam inſulam in Oceano complurium dierum nauigatione à Libya in Occaſum poſitam, quam Phœnices à Gadibus nauigantes inuenerint. Eſt quidem pulchra hiſtoria, quam non ſine voluptate quiſque in Diodoro leget: omittimus tamen hîc inſerere ne nimium hanc diſſertationem extendamus.Neque verò aliam eam Diodori inſulam intelligimus, quam vel Hiſpaniolam, vel Cubam, aut partem aliquam magnæ Continentis Noui Orbis,creditam inſulam.

Et ſatis reor hanc Phœnicum nauigationem ad Inſulam illam delicatiſſimam, illam ipſam eſſe, quam paulo antea ex Ariſtotele narrabamus: ſiquidem hæc ſubdit Diodorus: *Hac igitur ratione Phœnices inueſtigata vltra columnas ora, cum Africæ littora legerent, ventorum procellis, ad longinquos in Oceano tractus, ſunt abrepti. Per multos tamen dies vi tempeſtatis ad inſulam de qua iam dictum, appulerunt, naturámque eius, & felicitatem,à ſe primitus cognitam, in aliorum deinde notitiam perduxerunt. Ideo Tyrrheni quoque maris imperium adepti, coloniam eò deſtinarunt. Sed Carthaginienſes, illis obſiterunt. Simul enim metuebant, ne plurimi ciuium ſuorum, bonitate inſulæ allecti, eò commigrarent. Simul etiam contra ſubitos fortunæ caſus, ſi exitioſum Reſpublica Carthaginienſium fortè damnum acciperet, refugium ſibi paratum eſſe volebant.Nam ſic maris adhuc potentes in inſulam victoribus ignotam, cum vniuerſis familiis tranſmigrare poſſe confidebant.*

Apud Senecam patrem Suaſoria 1. Auitus Orator hæc ait: *Fertiles in Oceano iacere terras, vltraque Oceanum rurſus alia littora, alium naſci Orbem. Clariùs,* inquit Lipſius, *non potuit effari, aut deſignare.* Sed irriſit ea Auitus,cum ſubdit: *Facile iſta finguntur, quia Oceanus nauigari non poteſt.* Et vt non probat,habemus tamen iam tum de Nouo Orbe ſparſum rumorem.

Seneca Filius in Medea,Actu 2.in Choro:

——Venient annis
Sæcula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus,Tiphyſque nouos
Detegat Orbes, nec ſit terris
Vltima Thule.

Intellexiſſe Senecam de Nouo Orbe, annotarunt Gomara in Indica Hiſtoria ad finem, Honcala in 22. Geneſis, Reineccius in Methodo Hiſtorica pag.3. Zuingerus in Theatro volumine 5. lib. 3. verbo, *Geometria*, Lipſius in Phyſiologia Stoica lib.1. diſſert. 19. Delrius Commentariis in Medeam, Ortelius in Tabula Noui Orbis, Acoſta lib.1. de Natura Noui Orbis, cap. 11. Garſias de Origine Indorum lib.1.cap.5.3.

Idem Seneca lib.5. Quæſt. Nat. cap. vlt. *Vnde ſcio an nunc aliquis magnæ gentis in abdito Dominus Fortunæ indulgentia tumens, non contineat intra terminos arma, an pâret claſſes ignota moliens? Vnde ſcio hic mihi an ille ventus bellum inuehet? Palam* inquit Lipſius, *oſtendit, magnos Reges & gentes vltra maria ignotos eſſe. Illis ignotos, nobis noſcendos.* Et lib.7. Quæſt. Nat. cap. 31. *Multa venienti ævi*

populus

populus ignota nobis sciet. Multa saculis tunc futuris, cùm memoria nostri exoleuerit, reseruantur. Pusilla res mundus est, nisi in illo quod quærat omnis mundus habeat.

Plutarchus Symposiacon 8. quæst. 9. *Morbus quidem gigni absque causa nullus potest, neque est vis vlla, quæ ex nihilo aliquid contra leges naturæ possit producere. Difficulter autem noua inuenietur causa, nisi nouum aërem, peregrinámque aquam, & ignotos cibos prioribus, ex aliis quibusdam mundis, aut intermundiis pronuntiemus nunc demum in nostrum hunc confluxisse.* Et quàm id verum in perinfami morbo illo Indico, ex Nouo Orbe consensu omnium ad nos deuecto!

Idem Plutarchus in Commentario de Facie quæ apparet in Orbe Lunæ, meminit cuiusdam magnæ Continentis, à qua magnum mare in Orbem cingitur, quæ distet ab Ogygia insula, quam putant esse Hiberniam, ad stadia quinque millia. Quam certè continentem nonnulli Nouum Orbem interpretantur, vti Abraham Ortelius in Thesauro, voce, *Atlantis*, & Gregorius Garsias lib. 1. de Indorum Origine, capite 3. §. 4.

Idem Plutarchus in Sertorio describit Altantides insulas duas in Altantico Oceano beatissimas quæ distent ab Africa duodecies centena millia passuum. Ortelius in Thesauro, voce, *Atlantis: Erunt fortasse, Spagnola, & Cuba, vt Postello placere video.* Et in Additionibus ad Thesaurum: *Malim ego S. Michaëlis & D. Mariæ ex Azoriis insulis interpretari, distantia enim harum, magis conuenit,* Nonius Marcellus de Numeris & Casibus: *Sallustius Historiarum lib. 9. Cuius duas Insulas propinquas interessisse, & decem stadiûm procul à Gadibus, satis constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere.* Has putat Ortelius esse illasmet Plutarchi, & in Nonio restituendum, *decem millibus stadiûm.* Vide ipsum in voce *Gades.*

Ælianus in varia Historia lib. 3. cap. 18. *Narrat Theopompus familiaritatem quandam inter Midam Phrygem & Silenum intercessisse. Hic Silenus erat nymphæ filius, & diis quidem conditione inferiore, mortalibus verò, mortéque superiore. Hi tum alia multa sunt inter se collocuti, tum hæc Silenus aliquando Midæ retulit: Europam, Asiam, & Libyam insulas esse, quas circumcirca Oceanus circumfluat. Continentem verò vnam extra hunc mundum existere, & magnitudinem ipsius infinitam & immensam esse narrabat. Alere diuersa animalia grandia, & homines qui eam inhabitant, duplo maiores esse nobis: neque tantum temporis spatium ad viuendum illis sufficere, quantum nobis: sed etiam illud duplum: & multas, magnasque ciuitates, atque viuendi rationes, & leges apud eas planè nostris contrarias esse constitutas.* Sequitur multa narrare de ea Continenti, quæ si libuerit, consule.

Respexit hunc Æliani locum Tertullianus aduersus Hermogenem, cap. 25. *Nisi & Sileno illi apud Midam regem adseueranti de alio orbe, credendum sit, auctore Theopompo.* Et de Pallio, cap. 2. *Viderit Anaximander si plures mundos putat, viderit si quis vspiam alius, scilicet sit mundus ad Meropas, vt Silenus penes aures Midæ blatiit, aptas sanè grandioribus fabulis.*

Ammianus Marcellinus lib. 17. cap. 7. de Obeliscis Ægyptiorum: *Formarum autem innumeras notas, Hieroglyphicas appellant, quas eis vndique videmus incisas, initialis sapientiæ vetus insigniuit auctoritas. Volucrum enim, ferarúmque etiam alieni mundi genera multas sculpentes, &c.* Vides aues, ac feras alieni mundi longè à nostris diuersas.

S. Clemens Rom. Pontifex in epist. ad Corinthios, ait: *Oceanus, & mundi qui trans ipsum sunt.* Mundos hosce trans Oceanum interpretantur magnam Continentem à Columbo repertam, & Continentem aliam huic obuersam, quam Magellanicam vocant, nondum satis cognitam, cuius pars existimatur Noua Guinea.

Origenes lib. 2. Periarchon, cap. 3. *Meminit sanè Clemens Apostolorum discipulus eorum quos Antisthonas Græci nominant, atque illius partes Orbis terræ, ad quas neque nostrorum quisquam transire ad nos: quos & ipsos mundos appellauit, cùm ait: Oceanus intransibilis est hominibus, & ij qui trans ipsum sunt mundi, qui iis eisdem Dominatoris rei dispositionibus gubernantur.*

S. Hieronymus in 2. Ephesiorum, elucidans Pauli verba illa, *Secundùm sæculum mundi huius,* inquit: *Quærimus quid sit quod ait Paulus,* secundum sæculum mundi huius? *vtrumnam & aliud sæculum sit, quod non pertineat ad mundum istum, sed ad mundos alios de quibus & Clemens in Epistola sua sic scribit: Oceanus, & mundi qui trans ipsum sunt.* Cæterùm de S. Clementis binis ad Corinthios Epistolis, plura ex Patribus collegêre Xystus lib. 2. Bibliothecæ, Baronius Annali 1. anno Christi 95. Posseuinus in Apparatu sacro, Binius in Notis ad vitam S. Clementis tom. 1. Conciliorum, Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Clemente. Sed cum primis agit de eisdem Photius in Bibliotheca num. 156. & 163. vbi perperam inquit: *Reprehendat verò hoc in illis quispiam, quod extra Oceanum mundos aliquos collocet.* Nimirum Photio non erat cognitus Nouus Orbis.

S. Hilarius in Psalmum 2. *Non enim ita in profundum demersa est terra, aut in latitudinem extensa, aut prolata in altum est, vt non vndique aut circumfusæ, aut subiacentis sibi naturæ contineatur obiectu. Hanc enim infernæ vastitudinis demersa & immensa abyssus sustentat: hanc circumfusi & superni aëris spiritus inumbrat atque ambit. Esse autem huius infernæ regionis, vastæque abyssi incolas plures, beati Ioannis Apocalypsi docemur, cum nullus neque in cælo, neque supra terram, neque infra terram obsignatum librum dignus est repertus aperire. Non vtique de mortuis, & in terram sepultis significare intelligitur, cùm ad tertij incolatus demonstrationem, non qui intra terram, neque qui mortui sunt, sed qui viuunt, nullum in se resignandi libri habuerint auctorem.* Quò etiam pertinere putat, illud Philip. 2. *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Vides, vt doceat S. Hilarius esse quosdam infernæ regionis in terra incolas, nobis inferos, quos non alios capimus quàm Antipodas, & Noui Orbis cultores. Quod verò infernæ regionis, vastæque abyssi incolas appellat, videtur respexisse ad antiquorum opinionem qui Manes & inferos in altero Hemisphærio subtus nostrum collocabant. Maro Georgicorum 1.

Hic vertex nobis semper sublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt, Manésque profúdi.

In quem locum Seruius: *Mirè autem ait Styx quasi de Inferis. Manésque profundi, vt ostenderet illud quod dicunt Philosophi, recedentes hinc animas, & illic alia corpora sortiri. Vnde & Lucanus ait: regit idem spiritus artus Orbe alio.* Hinc inferi nedum manes, damnatósque, sed Australes quoque & Antipodes nobis inferos, apud Priscos significant. Macrobius 1. Saturnaliorum, cap. 21. *Physici inferius*

inferius Hemiſphærium terræ Proſerpinam vocauerunt.

Seruius in 6. Æneidos, elucidans illud, *pelagine venis erroribus actus*, diſquirit, quî potuerit dicere Virgilius Æneam erroribus maris, viuum ad inferos deueniſſe, & ait: *Altiùs hoc intellige ſecundùm Corographos, qui volunt terram ſphæricam eſſe, & vndique aqua, & aëre ſuſtentari. Quod ſi ita eſt, ad Antipodes poteſt nauigatione perueniri: qui nobis inferi ſunt, vt nos illis. Hinc eſt quòd ſub terram Inferos dicimus. Tiberianus etiam dicit, epiſtolam eſſe ab Antipodibus ad nos vento allatam, quæ habet: Superi Inferis Salutem. Qua occaſione tractat reciprocum hoc quod diximus.*

Sanè mirum illud de Epiſtola Antipodum, vt illud etiam quod ex Guilielmo Neubringenſi refert Guilielmus Camdenus in Deſcriptione Britanniæ, in Icenis, qui ſunt Suffolk, pag. 363. in hunc modum: *Hinc in ipſo quaſi huius agri vmbilico exoritur apud Vulpet, id eſt, Luporum foſſa, ſi Neubringenſi credamus: qui non minus ſpecioſam fabellam de hoc loco contexuit, quàm ſit ipſa Luciani vera narratio: nimirum duos Puſiones colore viridi, ex Satyrorum genere, longo per ſubterraneos meatus itinere confecto, ex altero terrarum orbe, ſcilicet Antipodibus, & terra Sancti Martini hinc emerſiſſe. De quibus ſi plura velis, ipſum Auctorem adeas.* Hæc Camdenus. Vide de his lib. 8. cap. 17.

Marineus Siculus de Reb. Hiſp. lib. 19. cap. 16. hæc ſcribit: *Vnum tamen hoc loco quod eſt maximè memorabile, ſcitúque digniſſimum, non præteribo ſilentio, cùm præſertim fuerit ab aliis, vt arbitror, qui ſcripſere, prætermiſſum. In vna ſiquidem regione, quæ Continentis Americæ eſſe dicitur, cuius erat Epiſcopus Ioannes Quinetus Ordinis Minorum, ab hominibus, qui auri quærendi gratia, terras effodiebant, numiſma repertum eſt nomine Cæſaris Auguſti, & imagine ſignatum. Quod nactus Ioannes Rufus Archiepiſcopus Conſentinus, quaſi quid admirabile Romam miſit ad Summum Pontificem. Quæ res nimirum noſtri temporis nauigantibus, qui ſe priùs quàm alios illuc nauigaſſe iactabant, gloriam eripuit, quandoquidem numiſmatis huius argumento, iam conſtat ad Indos olim peruenisſe Romanos.* Inuictum Numiſmatis argumentum, quo vno gloria Columbi & Hiſpanicæ gentis tota miſerabiliter corruit. Siluiſſent id ſcilicet Romani, ſi ad illas regiones aliquando penetraſſent: adeo laudum ſuarum auari erant, vt in ſe nollent eas prodigere.

Opportunè tamen ſubiicio quæ Ortelius annotauit in Tabula Maris Pacifici, hiſce verbis: *Reperio nihilominus Noui Orbis partem Borealem, qua maximè verſus noſtram Europam, huiuſque Inſulas Groenlandiam, Iſlandiam, Friſlandiam ſe extendit, Eſtotilámque nominant, luſtratam olim à quibuſdam inſulæ Friſlandiæ piſcatoribus, tempeſtate ad huius littora appulſis: & deinde circa annum 1390. à quodam Antonio Zeno nobili Veneto denuo recognitam: idque auſpiciis Zichmi dictæ Friſlandiæ regis, viri illo ſæculo, hócque maris tractu magni animi, rebúſque bellicis, & victoria celebris. De huius expeditione extant Franciſci Marcolini Eclogæ, ſiue Excerptæ Italicè ſcriptæ, ex litteris Nicolai & Antonij Zenorum, nobilium Venetorum, qui in his partibus vixere: ex quibus hæc ſequentia de huius regionis deſcriptione ſubiicio: Eſtotilandiam dicit omnium neceſſariarum humano generi rerum fertilem. In medio eius eſſe montem altiſſimum, vnde quatuor emergunt flumina totam regionem irrigantia. Homines eſſe ingenioſos, atque omnis generis artium mechanicarum peritiſſimos. Litteras & linguam habere propriam. In Regis tamen huius bibliotheca cõſeruari libros aliquot Latinè ſcriptos: ab iis autem minimè intellectos, ibidem fortè ante aliquot annos à vicinis Europæis cum iis commercium habentibus relictos. Habent omne genus metalli: ac inprimis auri quo maximè abundant. Negotiantur cum Groenlandiæ incolis, vnde pelles, picem, & ſulphur aduehunt. Dicunt incolæ verſus Auſtrum regiones eſſe auro diuites, & populo frequentes: apud eos multa & vaſta nemora, ex quibus illis materia fabricandarum nauium, vrbiúmque: quarum, & arcium ibi magnus numerus. Magnetis lapidis in nauigando vſum, iis incognitum.*

Drogium quoque nominant quandam verſus meridiem regionem, quam Anthropophagi habitant, & quibus carnes humanæ in deliciis ſunt: quibus ſi deſtituantur, piſcationibus, quarum iis magnus vſus, viuunt. Poſt hanc, regiones amplas, & alterum quendam Orbem terrarum nouum, ſed gentem barbaram, nudè incedentem: contra frigus autem ſe animalium pellibus tegentem. Nullum iis metalli genus, venationibus victum quærunt. Vtuntur haſtis prælongis, in fronte cuſpide acuminatis, arcubúſque bellum inter ſe gerunt. Habent primates, & leges quaſdam quibus obediunt. Hinc porrò verſus Africum ventum, cælum magis temperatum, vbi vrbes, & templa idolorum, quibus viuos homines immolant, quorum carnes poſtea deuorant. Hos apud auri & argenti vſus. Atque hæc de hoc terrarum tractu ex dictis Electis. In quibus hoc quoque obſeruatu dignum, tunc temporis noſtris Europæis naucleris magnetis lapidis ductu nauigatæ hæc maria. Veterieorem enim huius in nauigationibus vſum in hiſtoria extare non exiſtimauerim. Atque hæc lubentius huic tabulæ attexui, quòd videam neminem eorum, qui Noui Orbis hiſtoriam litterarum monumentis tradidere, vllibi, nec vno verbo quidem meminiſſe. Hactenus Ortelius. Vide eundem in Tabula Noui Orbis, & in Scandiæ.

Noui Orbis Occidui primum repertorem fuiſſe Americum Veſpuctium, vnde ei nomen Americæ conflatum, affirmant Petrus Martyr Mediolanenſis, Petrus Appianus, Gemma Friſius, Guilielmus Poſtellus, quos laudat ac ſequitur Franciſcus Iunctinus Commentariis in Sphæram Ioannis de Sacroboſco. Verùm hanc palmam Columbo vel Colono deferunt, Michaël Villanouanus, & Sebaſtianus Munſterus apud eundem Iunctinum.

Æternùm & iuſtè querentur Hiſpani de illata ſibi ab exteris Scriptoribus immani iniuria, cum Nouum Orbem Americam ab Americo Veſputio Florentino nuncuparunt; quis enim neſcit Chriſtophorum Colonum (hoc enim verum eius nomen fuit) auſpiciis regum Hiſpaniæ primum extitiſſe repertorem? Et ſi quæ Americus patefecit, cum his quæ Colonus, & Hiſpani aperuerunt, & armis ſubiugarunt, conferantur, minima ſanè portio illa Americi cenſeri debet. Ergo perpetuò ſilentio Americæ nomen extinguendum, & verum, legitimúmque reſtituendum, vt ea tam vaſta mundi pars Colonia, vel Colonea, & Nouus Orbis Colonius vel Coloneus, ſeu Hiſpanicus deinceps appelletur. Vide Ortelium in Theſauro Geographico, voce, *Pila terræ.*

At argumenti ſimilitudine, non hîc omittimus, Valentinum Morauum, Iacobum Nouarchum, & alios nonnullos prodidiſſe, in calce Lunæ Promontorij, quod Luſitani *Rocham de Sintra* vocant, ad oram Oceani regnante Magno Emanuële, anno Domini M D V. refoſſam veſtuti operis marmoream columnam quadratam, quæ hoc

hoc Sibyllinos verſus inſculptos haberet.

Voluentur ſaxa, litteris & ordine lectis,
Cùm videas Occidens Orientis opes.
Ganges, Indus, Tagus, erit mirabile viſu,
Merces commutabit ſuas vterque ſibi.

Quibus ſignificabatur nauigationes illas in Indiam & emporia Orientis iam tum celebrari à Luſitanis cœptas, olim à Sibyllis fuiſſe prænuntiatas. Ferdinandus Lopez Caſtañeda, carmina iſta verè Sibyllina exiſtimans, ſuæ etiam Indicæ Hiſtoriæ inſeruit. Sed meram impoſturam fuiſſe cuiuſdam Hermi Charadi Luſitani, qui verſus illos à ſe fabricatos marmori indiderat, defoderátque, vt ſitu, humoréque terræ, aliquantulum deformatum marmor, vetuſtatis indicia præberet; rurſuſque per mercenarias operas quaſi caſu refoderat, quo tam nobili antiquitatis monumento Emanuëlis Regis, auidè in Orientis opes intenti gratiam, & pecunias aucuparet, auctores ſunt Cæſar Orlandius, Gaſpar Varrerius, Abraham Ortelius. Vide iſtum in Tabula Noui Orbis.

Exponitur Abdiæ Vaticinium de Nouo Orbe.

CAP. XXVII.

ABdiæ verba verſu 20. *Tranſmigratio Ieruſalem, quæ in Boſphoro eſt, poſſidebit ciuitates Auſtri.* Conditus eſt nobis in hunc Abdiæ locum certus & peculiaris commentarius, ſed nondum editus; ex quo, quæ nunc dicturi ſumus colligemus.

S. Hieronymus in Abdiam: *Vbi nos poſuimus Boſphorum, in Hebræo habetur Sepharad, quod neſcio cur LXX. Ephrata tranferre voluerint: cum Aquila & Symmachus, & Theodotion cum Hebraica veritate concordent.* Satis indicat tres iſtos priſcos interpretes vocem Hebraïcam *Sepharad* ininterpretatam in ſuis Editionibus reliquiſſe. LXX. in Romana editione *Ephrata* habent, vt S. Hieronymus in illis olim legerat. In Complutenſi verò & Regia, *Euphrata.* Serarius in Rabbino Poſteriore, Scrupulo 4. numero 1. *In quibuſdam Græcis codicibus inuenio Apharath, in aliis Aſphratha, in aliis Ephrata, in pleriſque, prout ipſemet atteſtatur S. Hieronymus, Sapharath.* Ribera in Abdiam: *Apud LXX. legerunt Hieronymus, & Cyrillus, & Theodoretus, Ephratha: ſed aly codices habent Apharath, ex quo non videtur dubium, eos quoque poſuiſſe Sepharath, ſed librariorum incuriâ mendum irrepſiſſe.* Textus Abdiæ in Theodoreto, *Euphratem*, præfert: ſed Theodoretus in Commentario *Ephratam* legit. In Hebraïco בִּסְפָרַד *Biſpharad*, ב *Beth* poteſt eſſe radicale & ſeruile: ſi radicale eſt vna dictio *Biſpharad:* ſi ſeruile, ſunt duæ dictiones, nempe, in *Sepharad.* Ergo *Biſpharad*, ſeu *Sepharad* Boſphorum interpretatus eſt S. Hieronymus. *Nos autem*, inquit, *ab Hebræo, qui nos in Scripturis erudiuit, didicimus Boſphorum vocari Sepharad.* Hoc etiam ſecuti ſunt Forſterus & Mercerus, coniecturam ex ſimilitudine vocis capientes, quaſi Græci vocabulum Boſphorus ex Biſpharad conflauerint, & nominis vetuſti originem obſcurauerint, vt ex *Pardes*, Paradiſum fecerunt, quaſi ſuum nomen eſſet, non ex Hebraïco fonte.

Duplicem Boſphorum auctores diſtinguunt, Thracium & Cimmerium. De Thracio plura Strabo lib. 12. Mela lib. 2. cap. 2. Plinius lib. 4. cap. 12. & lib. 5. cap. 37. Solinus cap. 17. Dionyſius Alexandrinus in Periegeſi, Ptolemæus lib. 3. cap. 11. ſed cum primis eum egregiè deſcribit Herodotus lib. 4. cap. 85. & ſeqq. Scripſit de Boſphoro peculiarem Commentarium Petrus Gillyus Albienſis. Vocant hodie *Eſtrecho de Conſtantinopola.*

De Cimmerio verò Herodotus lib. 4. numero 12. & 100. Diodorus Siculus lib. 12. num. 303. Strabo lib. 7. Dionyſius in Periegeſi, Plinius lib. 4. cap. 12. Mela lib. 2. cap. 1 Solinus cap. 22. & 45. Plutarchus in Pompeio, Epitome Liuiana lib. 98. & 101 Tacitus Annali 12. Ptolemæus lib. 5. cap. 9. Dio lib. 60. Ammianus lib. 31. cap. 7. De vtroque tamen Polybius lib. 4. hæc prodit: *Euenit, vt Mæotius quidem lacus in Pontum per os effundatur: Pontus verò in Propontidem. Nominatur autem os Mæotidis, Cimmerius Boſphorus: cuius latitudo eſt ſtadiorum plus minus XXX. longitudo LX. ora vniuerſa humilis eſt & vadoſa. Ipſius Pontios ſimiliter vocatur Boſporus Thracius: porrectum in longitudinem ad CXX. ſtadia, longitudo non vbique ſemper eadem.* Pomponius Mela lib. 1. cap. 1. *Mare vbi primùm ſe coarctat, Helleſpontus vocatur: Propontis, vbi expandit: vbi iterum preſſit, Thracius Boſporus: vbi iterum effundit, Pontus Euxinus: quà Paludi committitur, Cimmerius Boſphorus, & Palus ipſa Mæotis.* Plinius lib. 6. cap. 1. *Ad Boſphoros duos, vel bubus meabili tranſitu, vnde nomen anbolus, & tanquam in diſſociatione germanitas concors. Alitum quippe cantus, canúmque latratus inuicem audiuntur: vocis etiam humanæ commercia inter duos Orbes manente colloquio, niſi cùm id ipſum auferunt venti.* Sed de vtroque Boſphoro non pauca extant apud Arrianum in Periplo Ponti Euxini, & Guilielmum Stukium in Scholiis.

Iam diſquirendum diligentius eſt, num *Sepharad*, aut *Diſpharad* in hoc Abdiæ loco intelligi poſſit Hiſpania. Negant magnopere ex Proteſtantibus Ioannes Forſterus in Dictionario Hebraïco, Ioannes Mercerus in Theſauro Pagnini, & in Commentariis Abdiæ, Ioſephus Scaliger lib. 7. de Emendationibus Temporum, pag. 323. editionis Francofurdienſis anni 1593. Immanuel Tremellius, Franciſcus Iunius, Ioannes Druſus in Abdiam. Ex Catholicis Franciſcus Ribera in Abdiam, Antonius Poſſeuinus in Bibliotheca ſelecta editionis Colonienſis, anni 1607. lib. 16. cap. 13. Ioannes Pineda lib. 4. de Rebus Salomonis, cap. 14. §. 2. Didacus Valdes libro de Dignitate Rerum Hiſpaniæ, cap. 5. num. 5.

Cæterùm *Sepharad* in Abdia Hiſpaniam eſſe, innumeri propemodum affirmauere: quorum plurimos, quoniam in hac re nonnihil curæ poſuimus, fideliter hîc percenſebimus. Adſtruunt id ex Hebræis, Chaldæus Paraphraſtes diſertiſſimè in Abdiam, Ioſephus Ben-Gorion lib. 4. Iudaicarum Antiquitatum, cap. 15. Seder Olam Zuta, id eſt, Chronicon minus Hebraïcum, Computus Iudaïcus editus à Ioſepho Scaligero, Rabbi Selemoh in Abdiam, Kimchius in libro Radicum, Dauid de Pomis in Tſemach, ſeu Germine Dauidis, & omnes ferè Hebræi: nec enim aliter Hiſpaniam appellant, nec aliud eius nomen Hebraïcè norunt, niſi hoc ab Abdia proditum, *Sepharad.*

Ex Nouatoribus, Conradus Pellicanus Commentariis in Abdiam, Ioannes Auenarius & Valentinus Schindlerus in Lexicis Hebraïcis. Citatur à pleriſque in eandem ſententiam Guillielmus Poſtellus Barentonius. Hic vir paſſim inter Proteſtantes audiit: ſed in Catholica Romanæ Eccleſiæ fide &

de & communione obiiſſe teſtantur viri grauiſſimi, Bellarminus lib. .de Sacram. in genere, cap. 23. Florimundus Remundus lib. 2. de ortu & progreſſu hæreſum, cap. 15. num. 5. Nicolaus Orlandinus lib. 5. Hiſtoriæ Societatis Ieſu, num. 3. Iacobus Gaulterius in Chronographia, pag. 796. colum. 2. vt piis manibus hominis vſque ad miraculum eruditi, ſepulchrali hoc elogio parentemus.

Ex Catholicis, Nicolaus Lyranus, & Paulus Burgenſis in Abdiam, Ioan. Reuclinus in Dictionario Hebraïco, Alphonſus Camorenſis in Lexico Hebraico, Sanctes Pagninus in Theſauro Hebraico, Franciſcus Vatablus in Scholiis Salmanticenſibus, & in Annotationibus Sanctandreanis in Abdiam, Iſidorus Clarius in Abdiam, Arias Montanus in Phaleg, ſeu de gentium migrationibus, cap. 7. & 14. & in Abdiam, Guido Fabritius Bodeianus epiſtola ad Philippum Regem Catholicum, Syriacæ editioni Noui Teſtamenti præfixa tom. 5. Regiorum Bibliorum, vt in Dictionario Syro-Chaldaïco, verbo, *Aſphamia*, Marcus Marinus in Arca Noë, Antonius Poſſeuinus lib. 6. Bibliothecæ ſelectæ, cap. 14. editionis Romanæ, Paulus Palatius in Abdiam, Paulus Merula in Coſmographia, part. 2. lib. 2. cap. 1. Franciſcus Feuardentius in Notis ad ſancti Irenei lib. 1. cap. 3. Abraham Ortelius in Theſauro Geographico, voce *Sepharad*, Ludouicus Legionenſis in Abdiam, Ioannes Fungerus in Etymologico, verbo Hiſpania, Henricus Henriquez de Fine Hominis, cap. 23. littera H, in Commentario, Ioannes Ferdinandus in Theſauro Scripturarum, verbo, *Boſphorus*, Ioſephus Acoſta lib. 1. de Natura Noui Orbis, cap. 15. Ioannes Baptiſta Villalpandus in 27. Ezechielis, verſic. 14. Ioſephus Stephanus in 1. Machabæorum, 3. verſ. 36. Didacus Ximenius in Eccleſiaſtico Lexico, voce *Hiſpania*, Didacus Arzius Oratione 1. in Euangelium Dominicæ 24. poſt Pentecoſten, §. 9. & in additione 4. ad eandem Orationem, Didacus Caſtillus libro de Aduentu ſancti Iacobi in Hiſpanias, cap. 14. Andreas Schottus in Bibliotheca Hiſpanica, tom. 1. c. 1. Benedictus Iuſtinianus in 15. ad Romanos, verſ. 24. extremo, Emmanuel Sà in Abdiam, Ioannes de Ponte lib. 3. Concordiæ vtriuſque Monarchiæ Eccleſiaſticæ & Hiſpanicæ, cap. 28. §. 2. Gaſpar Eſcolanus Hiſtoriæ Valentinæ Decade 1. lib. 1. cap. 4. Didacus Matute in Proſapia Chriſti, ætate mundi 2. cap. 3. §. 2. Chriſtophorus Caſtrus in Commentariis in Abdiam.

Ergo ſi cum his omnibus ſentiamus, haud ægrè fecerimus Riberæ, qui contra validè obnititur: certè hîc neceſſe eſt vt fateatur, nos ſaltem auctoritate vincere. Argumenta eius Luyſius Legionenſis diſpulit, & nos copiosè in noſtro Commentario: nec libet nunc altercari. Et ſanè probamus quòd Montanus, Palatius, Luyſius, Caſtrus annotarunt. Hiſpaniam dictam ab Auctoribus Heſperiam, ſeu Sperida nedum ab Heſpero ſtella occidua, aut ab Heſpero Atlantis fratre: ſed potiùs deductum, & conflatum nomen ex Hebraïco *Biſſharad*, aut *Sepharad*: nam & ſono vocis mirificè conueniunt, & detractis vocalibus, quibus Hebræi carent, idem omnino eſt *Sperida*, & *Sepharad*. Vide infrà lib. 6. cap. 23.

At ſanctus Hieronymus *Sepharad*, Boſphorum poſuit in Editione Vulgata, & in Commentariis Thracium eſt interpretatus. Reſpondeo. Norunt eruditi ſanctum Hieronymum alio, & maiori ſpiritu vſum in Editione Vulgata, quàm in Commentariis: nunc nihil de explanatione eius in Commentariis, quam equidem, & aliorum Patrum Græcorum, & Latinorum non damno, nec refero, ſed meam hîc firmatum eo. Vulgata ſane editio Boſphorum habet, ſed noto duo.

Primum, Boſphori vocem poſitam in Vulgato, forſan non quidem Græco ſignificato, vt fretum, vel anguſtias maris, à bobus meabili tranſitu indicet, vt ſunt Boſphori Thracius, & Cimmerius: ſed potiùs relictum nomen ipſum Hebraïcum *Biſſharad*, vel *Sepharad* ininterpretatum, (quòd eius certa ratio haud ſatis eſſet explorata,) emollitum tamen, & conformatum ad Græcanicum & Latinum ſonum: & hîc Boſphorum, nihil aliud exprimere, quàm *Biſſharad*, ſeu *Sepharad*: relicta interim explanatoribus cura perquirendi quid ſit *Biſſharad*, vel *Sepharad*: non in Græca Boſphori, ſed in Hebraïca Biſpharad ſignificatione, nondum adhuc certò comperta. Nec eſt id alienum, aut inſolens in Scriptura Vulgata: ſic enim Geneſ. 2. 14. pro Hebraico *Huperath*, dixit *Euphrates*, Græcos ſecutus, ſed non in Græca vocis ratione; & Geneſ. 2. 12. pro Hebraïco *Bedolach*, repoſuit, *bdellium*, non quidem in Græco, aut Latino bdellij ſignificato, quo Bdellium eſt arboris ſpecies Plinio lib. 12. cap. 9. Dioſcoridi lib. 1. cap. 69. Galeno lib. 2. de Antidotis: ſed potiùs reliquit vocem Hebraïcam Bedolach ſine interpretatione, quamuis ad Græcam, & Latinam bdellij enunciationem conformatam: cùm præſtantiſſimi quique interpretes Bedolach, vel margaritam, vel aliam gemmam ſignificare contendant, vt dixi in Paradiſo cap. 43. & 44. Sic Auctor Lexici Complutenſis illud Vulgati Ezechielis 27. 15. *& ebeninos.* poſitum exiſtimat, non in ſignificatu ebeni arboris: ſed relictam vocem Hebræam *Hebenim*, pro ebore. Nec aliter Sophoniæ 3. 18. *Nugas qui à lege receſſerunt, congregabo.* Hebraïcè *Nugue*, vbi Montanus: *Nugas non eſt Latinæ ſignificationis hoc in loco, ſed Latinus interpres Hebraïcum verbum Nughe, plura etiam quàm vno Latino ſimplici nomine reddi poſſent, comprehendens, mutato tantùm fine, vt Hebraïcè pronuntiatur, reliquit.* Exodi 8. verſic. 16. *Sciniphes* poſuit pro *Cinim* Hebraïco. Obſeruarunt hunc in Vulgato morem Sanctes in Theſauro, Honcala & Delrius in 2. Geneſ. De quo nos pleniùs in Notis ad Geneſim 2. verſic. 12.

Secundum, Facilè adducor in ſententiam Montani, Luyſij, Arzij, Caſtri, quam ipſe in priori editione antequam hos auctores vidiſſem, iam expreſſeram; Boſphorum in Vulgato rectiſſimè intelligi poſſe Fretum ipſum Herculeum & Gaditanum, quòd reuera eſt Boſphorus: de quo plura Strabo lib. 2. Mela lib. 1. cap 1. Plinius lib. 3. in Proœmio, & cap. 5. & S. Victor Vticenſis lib. 1. de Perſecutione Vuandalica.

Expendamus vim vocis *Sepharad*, & videbimus aptè in Hiſpaniam conuenire. Sanctus Hieronymus hîc *Sepharad* lingua Aſſyriorum, terminum ſignificare ait, nempe *Sephar*, Syriacè & Chaldaïcè terminum, limitem, portum exprimit. Iunius & Tremellius, interpretantur, finem, ſeu terminum dominatus, à סוף *Soph*, id eſt, finis, & רד *Rad*, dominari. Eſt Hiſpania extrema terrarum, terminus, & finis veteris orbis, vltra quam nemo vnquam domina-

tum, & imperium extendit. Vnde in postremo ad Occasum Hispaniæ cardine est oppidum, quod *Finis-terræ dicitur*. Et Gades olim finem rerum humanarum credidere. Stephanus de Vrbibus, *Gadeira sic dicta veluti γῆς δειρὰς, id est, Terræ extremitas.* Et Silius Italicus lib. 1. de Bello Punico : *Atque hominum finem Gades.* Guido Boderianus, & Posseuinus, *Sepha rad*, exponunt, quasi *Sephar Rad*, id est, portum, seu limitem extendens. Nulla gens ab orbe condito, tam longè, latéque, terra, maríque fines, & terminos Imperij sui protulit vt Hispana, coniuncto nauigationibus, & victoriis Oriente, & Occidente, & alio mundo reperto, quem armis, & pietate subiecit. Possis ex Syro Chaldaïco enodare, *Portus sulcans*, vel *nauigans.* Quia nulla natio peritia, frequentia, & felicitate nauigandi ita excelluit, vt Hispana. Id quidem Hispaniæ nomen Syriacè significare dicemus lib. 6. cap. 23.

Nunc videndum, quæ sit in Abdia, *transmigratio Ierusalem*, quam in Bosphoro, hoc est, in Hispania sanctus Vates constituit. Annotarunt nonnulli Nabuchodonosorum Regem Chaldæorum in Hispaniam cum exercitu aduenisse. Iosephus lib. 10. Antiquitatum, cap. 11. extremo: *Megasthenes in Quarto rerum Indicarum volumine ostendere conatur, quòd hic Rex Nabuchodonosor, virtute & rerum gestarum magnitudine Herculem longè à tergo reliquerit : subiugasse enim eum & vrbem Africa primariam, & bonam partem Hispaniæ.* Græca ad verbum, & *Iberiam*, seu *Hispaniam.* Et lib. 1. in Apionem : *Megasthenes in Quarto Indicorum declarare contendit, prædictum Regem Babyloniorum, Herculem fortitudine, & rerum gestarum magnitudine præcessisse. Dixit enim eum, & maximam Africæ partem, & Hispaniam subiugasse.*

Strabo lib. 15. sub initium : *Patrocinatur nostro sermoni Megasthenes, Nauocodrosorum autem, qui magis à Chaldæis probatur, magis etiam quàm Herculem, vsque ad Columnas peruenisse : quousque etiam Tearconem : illum tamen ex Hispania exercitum in Thraciam, Pontúmque duxisse.* Tunc sanè Nabuchodonosorum multos Iudæos, vel captiuos, vel milites in eam Hispanicam expeditionem traxisse, qui posteà in Hispanica hæserint, genus in posteros propagauerint, nomina Hebraïca vrbibus à se conditis indiderint, pleríque suspicati sunt, & in his Stephanus Garibaius lib. 5. cap. 4. & Christophorus Castrus in Abdiam.

Mariana horum sententiam referens lib. 1. Rer. Hispanic. cap. 17. hæc ait: *Huius Nabuchodonosoris aduentu in Hispaniam, nonnulli cùm multos Iudæos in expeditionem traheret, arbitrati sunt, multa Hebraïca nomina cùm in Batica, tum in Carpentania locis adhæsisse, atque ex ea gente Toletum, Scalonam, Nouem, Maquedam, Iepem, aliáque minora oppida fuisse constituta ab Ascalone, Nobe, Mageddone, & Ioppe Palæstinæ vrbibus, appellationibus mutuatis. Toleti vocem à Toledoth deriuatam, quod nomen Hebræis progenies, familiásque significat, quæ magno numero eius vrbis fundamenta posuerint. Quam opinionem neque refellere operæ pretium est, neque probare animus, cùm leui coniectura nixa sit, neque veterum scriptorum fide, auctoritatéque fulciatur.* Hæc Mariana.

At Nabuchodonosori Hispanicam eam expeditionem multis argumentis euertere conati sunt Bernardus Aldrete lib. 3. de Origine Linguæ Castellanæ, & Petrus Mantuanus in animaduersionibus ad Historiam Ioannis Marianæ. Sed nescio an adhuc causam confecerint: mihi certè nondum persuaserunt. De ea re pleniùs egi in Commentario huius Abdiani Oraculi : & quia nostro nunc instituto non admodum necessaria est ea in Hispaniam vel Nabuchodonosori anabasis, vel Iudæorum migratio, non admodum pro illa pugnabo : annotasse contentus, aduentum Nabuchodonosori in Hispaniam à Megasthene traditum, mirificè quoque à multis recentioribus assertum Floriano Ocampo lib. 2. Rer. Hispanicarum cap. 22. Francisco Tarapha de Regibus Hispaniæ, cap. 37. Stephano Garibaio lib. 5. cap. 4. Francisco Ribera in Nahum 2. num. 18. Henrico Henriquez de Fine Hominis, cap. 23. §. 4. littera H, in Commentario, Ioanne Mariana lib. 1. cap. 17. Ioanne Pineda lib. 4. de Rebus Salomonis, cap. 14. §. 5. Christophoro Castro in Abdiam, vers. 20. Genebrardo lib. 2. Chronographiæ, p. 235. Tantùm addo in Excerptis ex Iulij Africani Pentabiblo, & priore libro Chronicorum Eusebij Cæsarienſis, quæ edidit Scaliger, de regno Nabuchodonosori ad Hispaniam vsque propagato hæc haberi : *Vixit verò Nabuchodonosor iudicans omnem terram à Caspianis portis, vsque in Heraclia finibus, & Ægyptum, & omnem Iudæam subiectos faciens sibi Pontum & totam Asiam, & omnem terram Romanorum, annos XIX.* Satis constat, Heracliæ fines esse Herculis Columnas. Seipsum auctor exposuit, cùm inferiùs de Alexandro Magno subdit: *Et omnes gentes subiugauit à Caspiacas portas, quæ sunt in Ortu Solis, vsque ad exteriores terminos Heraclij, qui iacent in exteriores Occidentis partibus, contra Garirum.* Vel potiùs Gadirum. Ita barbarus ille, sed bonæ frugis Scriptor loquitur. Nec est dubium quin fragmentum istud, vel ab Africano, vel ab Eusebio descripserit.

Præterea sub excidium Ierosolymitanum per Nabuchodonosorum illatum, plures Iudæorum in Hispaniam à Piro quodam Duce, qui Assyriorum Imperium obseruabat. fuisse traductos, qui in Bætica, & Carpetania sedes fixerint, Arias Montanus ex ipsis Hebræorum monumentis refert, cuius verba in Commentariis Abdiæ, hæc sunt: *Narrant enim Hebræi quo tempore sacrum Ierosolymorum Fanum ab Assyriis primum dirutum est, multos ex ea gente in Hispaniam, à Piro quodam Duce, qui Assyriorum Imperium obseruabat fuisse traductos : qui duobus primum locis consedisse dicuntur : alteri quidem nomen Lucina, frequentissimo illis sæculis in Batica prouincia oppido, quod nos vel Lucenam nunc dictam, vel quæ non longè ab hac in Illiberitana regione est, Lucentiam olim, nunc Sesam esse arbitramur : alteri verò Toleto regiæ Carpentanorum vrbi nomen fuit : quam quidam ex illis Hebraïco nomine Toledum dictam ex eo putant, quòd in ea vrbe Iudaïcarum familiarum distinctio maximè fuerit obseruata. Id ipsum autem Toledoth nomen significat generationes siue familias. Atque ab iis qui ea loca incoluere Iudæis, nomina quibusdam vicinis oppidis, ex relictorum in Syria locorum desiderio, aut etiam similitudine indidisse, vt Ascaloniæ, Makedæ, & aliis. Hac ex illorum antiquis Receptionibus, & ex Commentariis in posteriorem Regum librum habuimus.* Hæc Montanus.

Quibus vehementer refragatur Ribera in Abdiam, & Aldrete lib. 3. de origine Castellanæ linguæ, c. 5. nugas & mendacia Iudæorum reputantes. Sed tuentur Antonius Beuterus lib. 1. Rer. Hispan. cap. 24. & annot. 6. de Auctoribus Sacrorum Librorum, fol. 88. pag. 2. ex Figuerola Canonico Valentino, Montanus, Palatius, Luisius, Castrus in

in hunc Abdiæ locum, Arzius orat. 1. in Euangelium Dominicæ 24. poſt Pentecoſten, §. 9. Eſt proculdubio Iudæorum natio mendaciſſima: ſed in rem, in ſuperſtitionem ſuam: at hîc quodnam mendacij pretium? Et alioqui ſcimus Iudæos à Chaldaïco excidio in Ægyptum, aliáſque regiones ſparſos, Ieremiæ 40. 11. 12. 13. & cap. 43. 5. 6. 7.

Inſuper Seder Olam Zuta hæc tradit: *Venit Veſpaſianus* (Titus, qui Veſpaſianus quoque ſimpliciter dictus reperitur, vt in Præfatione Plinij ad ſuam hiſtoriam,) *& ſolo æquauit Ædem: traduxit in captiuitatem Iſraëlitas, familias multas domus Dauidicæ, & Iudam in Hiſpanias, quas vocamus Sepharad.*

Montanus in Abdiam, ex Hebræorum Commentariis, iſta refert: *In libro etiam qui de Ieiuniorum cauſis & rationibus, apud illos inſcribitur, legimus, Titum Veſpaſiani filium, quo tempore triumphum ex Iudæa capta reportauit, perſuaſum à Præfecto quodam, qui in Luſitania Prouincia erat, vt ſi quos ex iis, quos Ieroſolymis adduxerat, alio traducendos decerneret, ad ſe in Hiſpaniam tranſmitteret: eſſe enim illis opportunum, & commodum in Luſitania locum Emeritam Auguſtam Romanorum coloniam, tum primum reſtitutam, operibúſque maximis auctam. Atque ab hac gente, quæ poſteriori Fano diruto, abducta fuit, omnes illas quas Emeritæ primùm deinde, in Luſitania omni, & finitima Bæticæ parte fuêre, familias fuiſſe proſeminatas.* Hæc Montanus.

Ribera hanc etiam Iudæorum ſub Tito in Hiſpaniam deportationem, vt mendacio confictam explodit: ſed certè nullis idoneis argumentis. Aſtruunt eam Beuterus annot. 6. de Auctoribus diuinorum librorum, fol. 108. Stephanus in 1. Machabæorum 3. verſ. 36. Montanus, Luiſius, Caſtrus, Arzius, & Aldrete lib. 3. linguæ Caſtellanæ, cap. 6. Mariana verò lib. 4. cap. 4. inquit: *Veſpaſianus domita Iudæa, atque vrbe Ieroſolyma expugnata, euerſáque, cum filio Tito triumphum egit. Captiuorum Iudæorum partem in Hiſpaniam ablegatam, Emeritæ ſedes ad habitandum accepiſſe, Hebræorum libri teſtantur, vero an mendacio, non diſputamus.*

Ad hæc, Hadrianum Imperatorem poſt funeſtiſſimum bellum, quo Iudæos attriuit, multos ex ea gente captos in Hiſpaniam ablegaſſe, Genebrardus ex Ioſippo peruetuſto auctore Hebræo annotat lib. 3. Chronographiæ, pag. 381. hiſce verbis: *Hadrianus reliquias Iudæorum, quinquaginta duobus annis poſt Titum transfert in Hiſpanias. Ioſippus.* Ioannes Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ, anno Chriſtiano 137. ſcribit: *Bellum Iudaïcum in Palæſtina finem accepit, rebus Iudæorum penitus oppreſſis, inquit Euſebius. Quos verò Hadrianus eo bello Iudæos cepit, in Hiſpaniam exulatum miſit.* Eandem Iudæorum ſub Hadriano in Hiſpaniam tranſmigrationem aſſerunt Petrus Beuterus lib. 1. Hiſpanicæ Hiſtoriæ, cap. 24. & annotat. 6. fol. 89. Stephanus in 1. Machabæorum 3. verſ. 36. Luyſius, Caſtrus, Arſius, & alij. Vide Franciſcum Peñam in Notis ad vitam ſancti Raymundi lib. 1. cap. 29.

At ſi quis proteruè contendere velit, tres prædictas Iudæorum Hiſpanicas tranſmigrationes, mendaces, & commentitias eſſe: negare certè non poterit, à multis retro annis infinitam Iudæorum multitudinem in Hiſpaniis habitaſſe, qui vel violento, vel voluntario exilio in eam Prouinciam commigrauerint. Etſi alia huiuſce rei argumenta deficerent, illud abundè fuerit, quòd anno Domini 1492. publico Ferdinandi, & Iſabellæ edicto, pulſis Hiſpania Iudæis, immanis proditur exeuntium numerus. Hieronymus Surita lib. 2. de Rebus Ferdinandi, cap. 6. ait quoſdam tradere, ad quadraginta millia Iudæorum tunc eiecta. Genebrardus lib. 4. Chronographiæ, pag. 729. ſcribit, 120. vel 124. millia familiarum exulaſſe. Mariana lib. 26. cap. 1. inquit: *Plerique Scriptores centum, & ſeptuaginta familiarum millia abiiſſe confirmant.* Hieronymus Coneſtaggius lib. 1. de Coniunctione Regnorum Portugalliæ, & Caſtellæ, auctor eſt, circiter viginti millia familiarum Iudaicarum, quam ſingulæ decem amplius capitibus conſtarent, tunc in Luſitaniam commigraſſe. Vnde poſteà anno 1496. ab Emmanuele Rege eiectos, Oſorius lib. 1. de Rebus Emmanuelis refert.

Ex immenſo autem Iudæorum numero, qui tot ſæculis Hiſpanias incoluere, non eſt dubium, plurimos variis temporibus Fidem ſuſcepiſſe Chriſtianam: imò multos ex ea gente in Chriſtiana Religione, & doctrina, & optimis moribus claruiſſe, vti latè demonſtramus in Commentario Abdiano, cap. 31. ab illis Iudæis Chriſtianis propagatos innumeros eorum filios, & nepotes, ac poſteros, etiam conſtat, qui in Chriſtianiſmo nati, educati, piè, ſanctéque Fidem Chriſti profeſſi ſunt. Ergo Iudæos Hiſpanienſes iam factos Chriſtianos, hoc eſt, Iudæorum quî à Ieruſalem in Hiſpaniam commigrarunt, poſteros, Chriſtiana iam Religione imbutos, vocari hîc à ſacro Vate, *Tranſmigrationem Ieruſalem, quæ eſt in Boſphoro*, ſeu in Hiſpania, rectè, aptéque poſſumus intelligere.

Et ne hanc interpretationem vanam, aut futilem quiſquam arbitretur, dabimus eius auctores. Arias Montanus: *Vtramque ergo gentem Iudaïcam, & quæ prioris, & quæ poſterioris Fani tempore in Hiſpaniam adducta fuit, Ieroſolymitanam tranſmigrationem Vates nominat, in diuinam gratiam reſtitutam: itavt ſint in vnum iam cum iis terræ incolis, qui Chriſtianam Religionem ſuſceperint, populum, eiuſdem Religionis interuentu, imò in vnum corpus, cuius caput vnicum Chriſtus ſit, coniuncti, compacti, atque coagmentati.*

Luyſius Legionenſis: *Tranſmigratio Ieruſalem, quæ in Boſphoro eſt, id eſt, Fideles, qui Hiſpanias incolunt, oriundi tum à Gentibus, tum præcipuè ab iis Iudæis; qui Ieroſolymis euerſis in Hiſpaniam demigrarunt.* Didacus Arzius: *Exules, ſeu tranſmigratos, vel aduenas è Ieruſalem intelligit Abdias Hiſpanos Chriſtianos, & Orthodoxos, & Gentibus, & peculiariter è Iudæis illis oriundos, qui deſtructis Ieroſolymis, miſſi fuere in Hiſpanias, de quibus vaticinatus eſt.* Chriſtophorus Caſtrus: *Tranſmigratio Ieruſalem, quæ in Boſphoro eſt. Vel potius, Iudæi conuerſi in Hiſpania ad Fidem, qui in eam tranſmigrauerant, ſub Tito, aut ſub Hadriano.*

Porrò Ciuitates Auſtri, ſeu Plagæ Meridionalis, in Abdia intelligi poſſe Nouum Orbem Colonium, cuius maior & melior pars ad Auſtralem mundi plagam incumbit, annotarunt, Guido Fabritius Boderianus epiſtola ad Philippum II. Regem Catholicum, Syriacæ Editioni Noui Teſtamenti præfixa, Ioannes Zumarraga in Hiſpanica Hiſtoria, Ioſephus Acoſta lib. 1. de Natura Noui Orbis, cap. 15. Henricus Henriquez de Fine hominis, cap. 23. littera H, in Commentario, Ioannes Ferdinandus in Theſauro, verbo, *Boſphorus*, Luiſius Legionenſis, Caſtrus, Arzius

zius, locis sæpiùs laudatis, Gregorius Garsias lib.1. de Indorum Origine, cap. 3. §. 6. Didacus Matute in Prosapia Christi, Ætate Mundi 2.cap.3.§.2.

Ergo totius Abdiani vaticinij sensum ita concipimus: Iudæorum, qui è Ierusalem in Hispanias transmigrarunt, posteri Hispani, iam Christi Fideles & Orthodoxi effecti, possidebunt Nouum Orbem Colonium, Australes Antipodum regiones, Australem Oceanum, vulgò, *Sur*, alterum Austrinum axem, Australem, seu Magellanicam Continentem, Noui Orbis acquisitionem, & possessionem Sacer Abdias Iudæis Hispanis Christianis, potiùs quàm Gentilibus Hispanis Christianis adscribit, nimirum in gratiam Iudæorum, Gentilium suorum, quibus & hanc felicitatem prædicebat: cùm tamen dubium non sit, plures multo fuisse Hispanos Christianos è Gentibus oriundos, qui Nouum orbem possederunt. Hanc Abdiani oraculi explanationem multi Recentiores commendant. Luysius Legionensis: *Transmigratio Ierusalem, quæ in Bosphoro est, id est, Fideles qui Hispanias incolunt, oriundi tum à Gentibus, tum præcipuè ab iis Iudæis, qui Ierosolymis euersis, in Hispaniam demigrarunt. Possidebit ciuitates Austri, id est, nouum orbem, qui Hispaniæ Australis est, certè sub Australi plaga constitutus, possidebunt. Possidebunt autem, quia eum, & Euangelij doctrina, idolorum euerso cultu, Fidei Christianæ subiicient, & armis suo adiicient imperio.*

Didacus Arzius: *Ac si clariùs dixisset Abdias: Tempus aduenit Ecclesiæ felicissimum, quum Hispani oriundi è Ierosolymitanis, qui fuerunt, erúntque captiui in Hispanias ducti, iam veri Catholici effecti, & defensores Diuini Christi honoris, armati Zelo dilatandæ, & propagandæ Christianæ Fidei, amplissimum & vastissimum Oceanum penetrabunt, Nouum Orbem aperient, & Euangelica prædicatione Christo subiicient, & armis imperio suo subiugabunt.*

Christophorus Castrus: *Transmigratio Ierusalem, quæ in Bosphoro est. Hoc est, Iudæi conuersi in Hispania, ad Fidem, qui in eam transmigrauerant, sub Tito, aut sub Hadriano, possidebunt ciuitates Austri. Alij putant Nouum Orbem significari, qui Hispaniæ est Australis, aut sub Australi plaga constitutus: quem nostra ætate Hispani, & suo imperio subiecerunt, & Euangelij doctrina, idolorum cultu euerso, subdiderunt.* Eandem interpretationem secutus Luysium Legionensem, probat Gregorius Garsias lib. 1. de Indorum origine, cap. 3. §. 6. nec ab ea abludit Ferdinandus in Thesauro scripturarum, verbo *Bosphorus*. Ribera hanc expositionem his verbis proscindit: *Multi eorum, qui Nouum Orbem Americæ expugnarunt, filij superstunt, quos vt consulant, hortor, ac moneo, an velint ex Iudæorum gente oriundi videri.* Sed rogo, si fors ita tulisset, vt aliqui essent (nam fieri potuit,) erántne simplici hac Riberæ interrogatione casti, & mundi ab impuro sanguine? Quasi in potestate cuiusvis sit, esse quod velit. Sed ita ipse de re compertissima rectè locutus est: nec ego dubito, & magnos illos heroas, Colonum, Cortesium, Piçarros, Almagrum, aliósque clarissimos Noui Orbis Duces ab omni Iudaïco sanguine asséro. At Abdias non loquitur de Imperatoribus, & Ducibus, qui Orbem Nouum armis subiugarunt: sed de his qui possederunt; hoc est primùm incoluerunt, habitarunt, obtinuerunt, illuc mox vt apertus fuit commigrarunt, sedésque posuerunt: in his enim nonnullos fuisse Iudaicæ stirpis, sed Christi Fideles, si negare velimus, obruent nos sanè suo testimonio Historiæ omnes. Vide Gomaram in Generali Historia Indiarum. Editionis Antuerpianæ in octauo, per Martinum Nutium anno 1554. fol. 235. pag. 1. & fol. 255. pag. 1. & in Mexicana Historia fol. 211. pag. 1. & 232. pag. 2.

Aliam loci Abdiæ elucidationem in eundem de Nouo Orbe sensum adducere possumus, vt nomine Transmigrationis Ierusalem, quæ in Hispania est, intelligamus sanctum Iacobum Apostolum, eiúsque discipulos, qui è Ierusalem in Hispanias transmigrauit, in eáque Prouincia primus Christianam Religionem fundauit. Ita quidem capiunt Lyranus, Vatablus, Castrus in hunc locum, Feuardentius in lib. 1. sancti Irenei, cap. 3. Ioannes Ferdinandus in Thesauro Scripturarum, verbo, *Bosphorus*. Et profectò rectè appellatio hæc sancto Iacobo tribuitur: nam, vt superiùs notabamus, *Sepharad* Finem, vel terminum dominatus significat, quo nomine significari Hispaniam diximus, quòd ea semper habita fuerit terminus, & finis cuiuscúmque dominatus, & Imperij, quia in Hispania finis erat rerum, & habitati mundi; in cuius extremis oris est oppidum, quod *Finis terræ* vocatur, non longè ab Iria Flauia, quæ hodie *Padron* dicitur, propè vrbem Compostellam, in qua corpus sancti Iacobi seruatur. Et optimè conuenit, *Transmigratio Ierusalem*, id est, sanctus Iacobus, *quæ est in Sepharad*, hoc est in finibus terræ: nam in vltimo Orbis terræ angulo iacet corpus sancti Iacobi: atque in illis locis adhuc viuentem, diutius versatum sanctum Apostolum ex antiquis monumentis, quæ adhuc hodie manent, ostendit Ambrosius Morales lib. 9. Rerum Hispanicarum, cap. 7. *Possidebit ciuitates Austri*: id est Nouum Orbem Colonium, quòd nimirum auspiciis, ope, virtute sancti Iacobi potissimum, (quem vnicum patronum Hispanica gens habet, quemque in præliis, bellisque omnibus tanquam ducem sequi, & implorare consueuit, eiúsque nomen tanquam tesseram militarem, & certissimum præsidium præferre solet.) Nouum illum Orbem Hispani aperuerint, armis, & Christiana Religione subiugauerint. Nec mysterio vacat, quòd Vulgatus singulariter dixerit, *possidebit*: vt Auctorem tantæ rei sanctum Iacobum agnoscamus. Et fons Hebraïcus pluraliter *possidebunt*: vt Hispanos Christi cultores, & Noui mundi subactores, sed sub sancti Iacobi auspiciis intelligamus.

Expendendæ quoque voces illæ, *ciuitates Austri*. Hebraicè, reddi possunt, *Vrbes aridítatis, seu siccitatis*: vt indicet regiones sub Torrida Zona, sub qua magna Noui Orbis pars iacet, vel etiam arentes, & siccæ eo nomine dictæ, quòd vehementer sitirent imbrem Euangelij, tot iam sæculis steriles, & arentes, nihil digni Deo fructus producentes, sed spinas, & tribulos idololatriæ, & aliarum impietatum germinantes, & noxias herbas, infelices frutices.

Non affirmamus hanc nostram Abdiani vaticinij hactenus perductam & illustratam interpretationem, necessariam, & certissimam esse: sed tamen probabilem, verisimilem, aptam, congruentem non dubitamus asserere. Et in hac re (ne plura verba con

conſumamus) probamus cum primis Ioſephi Acoſtæ iudicium, qui lib. 1. de Natura Noui Orbis, cap. 15. hæc prudenter, ait: *Ad hunc ſanè modum, qui Abdiæ vaticinium accipere velit, non valdè improbandus eſt. Nam Spiritum omnia noſſe certum eſt, & tantæ huius rei, hoc eſt, Noui Orbis inuenti, & Chriſti ſubacti, ſatis probabile eſt in diuinis eloquiis nonnulla extare veſtigia.*

Num gentes Noui Orbis Occidui fuerint magna ex parte ex Iudæis decem Tribuum Iſraëliticarum in Oriente deperditarum propagatæ.

CAP. XXVIII.

GIlbertus Genebrardus Arelatenſis Archiepiſcopus, probabile exiſtimauit, partem illarum decem Tribuum Iſraël, quæ ſub Oſeæ earum Rege, à Salmanaſſare Aſſyrio captiuæ abductæ fuerant in Aſſyriam, atque in Hala & Habor ciuitatibus Medorum, iuxta fluuium Gozan conſederunt, vt Scriptura narrat, 4. Regum 17. 6. & cap. 18. 11. eſſe populos Noui Orbis ab Hiſpanis reperti. Sic autem loquitur lib. 1. Chronographiæ, pag. 162. *Eſt etiam probabile, earum partem eſſe populos Americæ, ſiue Indiæ Occidentalis. (Quod miror à nullo animaduerſum.) Primò, quia traduntur perditæ in Oriente. Rabbi Scelomoh Canticorum Salomonis 2. Secundò, quia in Inſulis S. Michaëlis, ſiue Azorum ad illum orbem pertinentibus ſepulchra ſubterranea à noſtris reperta ſunt, cum litteris Hebraicis antiquiſſimis, ſupernè quidem* מה טס אל *Ma tas El (quid volauit Deus) infernè autem* שעלבין מת רע אל, *Sçalbin meth da El, cum duobus apicibus, Sçalbim mortuus eſt, ſcito Deum. Teuetus lib. 23. Coſmographiæ, cap. 7. Tertiò, quia 4. Eſdræ, 13. profectæ narrantur in vlteriorem regionem, vbi nunquam inhabitauit genus humanum. Per introitus autem anguſtos fluminis, Euphratem introïerunt. Fecit enim eis Deus ſigna, & ſtitit venas fluminis quouſque tranſirent. Per eam enim regionem erat via multa itineris anni vnius, & dimidij: nam regio illa vocatur Aſſereth* עשרת. *Quaſi tranſito Euphrate, venerint Tartarica deſerta: indéque in illam terram incognitam, verſus Groëtlandiam. Nam ab illa parte America dicitur aperta, & ſine mari, cùm aliis ex partibus ſit mari clauſa, & peninſula. Quin & per anguſta freta, maria etiam vaſtiſſima, eò peruenire potuerunt, vt in regiones ſolo mari à Tartaria diremptas. Quartò, quia Iudæos appellant Clauſos, veteri traditione, & Kambala: conſtat autem Americos clauſos vndique mari, ac Americam, vel eſſe magnam inſulam, vel peninſulam. Nam adhuc dubitatur, vtrum à partibus Septentrionis iuncta ſit continenti Aſiæ, ſiue Tartariæ magnæ, vel ab ea freto dumtaxat excluſa: vt ab orbe Antarctico, verſus Auſtrum per fretum Magellanicum.* Hactenus Genebrardus. De Iudæis Clauſis agemus latiùs lib. 6. cap. 30. in 10. opinione, & lib. 11. cap. 18.

Quòd verò de tranſitu decem tribuum ex Aſereth regione in Nouũ Orbem Genebrardus annotauit, alio modo magis veriſimili confirmari poſſe videntur, ex his quæ inferiùs obſeruabimus Aſereth, quò abactæ fuerunt decem tribus, eſſe Promontorium, ſeu Iugum in extrema Tartaria mari incumbens, quòd Mela, Plinius, & alij Tabin appellant: at verò ab eo Promontorio Tabi paruo tantùm freto diuulſa dicitur America: Aniam enim vocant anguſtias Oceani, quæ Chinam & Tartariam à Colonio Orbe diſcludunt: qua parte Tribus Iſraëliticæ, facili, breuique traiectu potuerunt ſe infundere in Sibolam, Quiuiram, Nouum Mexicum, & alias regiones Noui Orbis. Vide Gregorium Garſiam lib. 3. de Indorum Origine, cap. 1.

Gentes Colonij Orbis, ex Iudæis magna ex parte fuiſſe propagatas, non deſunt argumenta quæ vtcumque fidem faciant. Primùm, Auguſtinus Dauila Archiepiſcopus Inſulæ S. Dominici, lib. 2. Hiſtoriæ Dominicanæ Noui Orbis, cap. 9. Ioſephus Acoſta lib. 7. Moralis Hiſtoriæ Indiarum, c. 4. Gregorius Garſias lib. 3. de Indorum Origine, c. 3. §. 5. referunt ex antiquis Indorum monumentis, Mexicanos in eam Nouæ Hiſpaniæ regionem olim adductos per longiſſima itinera, & magnos circuitus à ſupremo quodam Deo, illis interdum panem de cælo pluente, interdum è ſilice aquas largiſſimas eliciente, & alia miranda patrante, iis prorſus ſimilia, quæ in Scriptura ſacra narrantur in exitu filiorum Iſraël de Ægypto contigiſſe.

Addunt, in eo itinere circumductam quoque arcam iunco contextam, in qua ipſorum Deus Vitzili puerili incluſus deueheretur: & cum ſtatiua haberentur, primum omnium tenſo tabernaculo in medio caſtrorum, in quo Arcam deponerent: non niſi ad Arcæ imperium, quam Sacerdotes quatuor geſtarent, caſtra vel mouere, vel metari conſueuiſſe. Inſuper, ritus ſacrorum, cæremoniáſque à diuino illo Arcæ oraculo eiſdem traditas: plurimóſque annos in ea peregrinatione conſumptos. At hæc planè ſatis indicant Mexicanos Iudaicæ ſtirpis eſſe.

Apud gentem myſticam in oppido Tamazulapa inuentas eſſe inter barbaros illos, ſacras veſtes ſummi eorum Sacerdotis, magnopere illis conſimiles, quas Moſaïci Pontifices Maximi ſacris operaturi induebant, idem Auguſtinus Dauila, Mexico natus, & in iis regionibus toto ferè vitæ ſpatio verſatus, auctor eſt lib. 2. Hiſtoriæ Dominicanæ, cap. 90.

Gregorius Garſias lib. 3. de Indorum Origine, integro, ex inſtituto ſibi probandum ſuſcepit Indos Occidentales Noui Orbis Colonij incolas, ex Iudæis, vel Iſraëlitis decem tribuum ortos & propagatos eſſe. Mira ſunt profectò quorundam hominum ingenia. Vide quanam in re omnes, & eruditionis ſuæ & ſtudij neruos intenderit? Potuiſſet ſanè multò melius horas ſuas collocaſſe. Ego vt credam?

Nec pueri credent, niſi qui nondum ære lauantur.

Mihi non libet altercari, credat ipſe quantum velit, & ſuo fruatur ingenio. Me piget in prima editione, plura in confutanda ea ſententia verba conſumpſiſſe, quæ Pater ille, vt etiam Acoſtæ, egregiè ſcilicet diſiecit. Mirandum profectò eſt, Indos Iudæos conſeruaſſe memoriam Exodi, multarum cæremoniarum, legum, conſuetudinum Iſraëliticarum, vt Gregorius affirmat; & linguæ Hebreæ, litterarum, Circumciſionis, Meſſiæ, Patriarcharum, Patrum, Tribuum, familiarum, originis ſuæ, quarum rerum Iſraëlitæ ſemper obſeruantiſſimi fuêre; penitus apud ipſos extinctam, vt nec leuiſſimum veſtigium extet. De quauis gente poſſit id credi, potiùs quàm de Iudaïca. Vide Acoſtam lib. 1. de Natura Noui Orbis, cap. 23. pleniùs de his diſſerentem.

Genebrardi coniecturæ vanæ, futiles indignæ refutatione: aliorum, non arguunt Hebraïcam Indorum originem: sed diabolum simium esse Dei, qui diuina opera, cultum, & religionem sibi æmulanda proposuit. De origine verò Indorum Noui Orbis, nec nostri instituti est disquirere, nec certi quid afferri potest. Vide Iosephum Acostam lib. 1. de Natura Noui Orbis, cap. 16. 18. 19. 20. 21. 23. 24. 25. de his cum iudicio tractantem; & si farragines, & quisquilias aues, adito integrum Opus Gregorij Garsiæ de Indorum origine: ausim quouis pignore certare, inuenturum suos amatores.

An Ophir terra in Scriptura celebrata sit aliqua Noui Orbis Colonij regio.

CAP. XXIX.

FRanciscus Vatablus in Scholiis ad 3. Regum 9. vers. 28. inquit: *Ophir insula est remotissima à Sinu Etlanitico: nam tertio demum anno reuertebantur inde: vocatur hodie Hispaniola, sic nominata à Christophoro Columbo. In Occidente est, in terra inuenta nuper: est enim illic aurum laudatissimum.* Eadem repetit in 3. Regum 22. ad vers. 49. Petrus Martyr Anglarienſis lib. 1. Oceanicæ Decadis refert, se ex ore Christophori Coloni sæpiùs audisse, illum cùm primùm Hispaniolam aperuit, Ophiram sese inuenisse, iactasse. Hæc insula Hispaniola, alio nomine dicta sancti Dominici, nobis Hispanis notissima, olim ab incolis, Quisqueja, & Haithi nominata fuit, quam inter alios accuratè descripsit Franciscus Gomara in Generali Indiarum Historia, cap. 26. & sequentibus.

Plerique verò recentiores arbitrati sunt, Ophir esse ipsum Peru, ampliſſimam illam, & ditissimam Noui Orbis regionem, vnde tot diuitiæ inexausta propemodum vi per tot annos in Hispaniam classibus deuehuntur. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 122. *Habuit Salomon naues traiicientes in Tharsis* (Ophir) *Indiæ regionem ad aurum, argentum, lapides pretiosas, pauones, &c.* 2. *Paralipom.* 8. *Nauigatio erat trium annorum: quare profundè oportuit penetrare in Orientem, & Occidentem. Nam illa Portugallensium hodie, quamuis remotior anno absoluitur: & quando est diuturnissima, sesquianno. Inter hæc est aurum, quòd appellatur in Hebræo ibidem, cap. 3. Paruaim, quasi allatum ex vtroque Peru, quod hodie paret Hispano. Eandem nauigationem repetere voluit Iosaphat, cap. 20. Nec probabile id intelligi de nauigatione vulgari Indica: nam illa per mare Rubrum semper fuit tristissima, & cognita vniuersis gentibus, sine qua Orientis opes ad Syriæ, Asiæ minoris, Phœniciæ, Africæ, Europæ regiones nunquam alioqui peruenerunt. Dum ergo Scriptura hoc de Salomone & Iosaphat veluti singulare notat: posito etiam Paruaim vocabulo, quod dualis est numeri quis non cernit nouum hunc Orbem nominari? Qui potuit ab ipsis aperiri sulcato mari, siue versus occidentem more Hispanico, siue versus Orientem Molucis præternauigatis, vt faciunt Lusitani.* Eadem habet pag. 37. & lib. 4. pag. 739.

Arias Montanus in Sacro Bibliorum Apparatu, Libro Phaleg, in Præfatione: *Verùm etiam terram illam, ex qua tantâ optimi auri copia eliceretur, & ad alias gentes adsportaretur, eam, inquam, terram iam tum Paruaim appellatam esse, apertè docet auctor lib. 2. Paralipomenon. Quæ quidem dictio his qui, vel tantùm Hebraïcè sciunt legere, duas regiones olim Peru dictas, clarè demonstrat. Vnam quidem, quæ eodem vocabulo, hodierno etiam die Peru dicitur: alteram verò quæ Noua Hispania à nauigantibus est appellata. Eius autem regionis aurum purissimum, atque in maximo pretio apud omnes gentes fuisse constat. Atque interpres quidem ob ignotam sibi regionem, vel potius in eius quòd ipsa regio exhibebat, auri laudem, cùm in Hebræo ita scriptum legatur: Ve haZahab, azahab Paruaim, id est, Et aurum illud, aurum Peru, & Peru: nam Peru numero duali Paruaim dicitur, ille, inquam, conuertit: Et aurum erat probatissimum. Et cap. 9. eiusdem libri: Ophir secundum Abyssi magnæ littora adortum, genus, noménque produxit suum, ad duas regiones, angusto terrarum, sed longo isthmo interiecto distinctas, quæ ad Salomonis vsque, atque vlteriora etiam tempora integrum retinuêre vocabulum Ophir: quod paulò pòst inuersum, vtrique etiam parti seorsum adscriptum est: atque alterutra pars Peru: vtraque autem simul dualis numeri pronuntiatione Peruaim, siue Paruaim* פורים *dicta est.*

Franciscus Vatablus in 2. Paralip. 3. vers. 6. *Aurum autem erat aurum ex Paruaim. Paruaim numero duali dicitur apud Hebræos. Fortasse est locus ille, qui nostro tempore dicitur*, le grand Perru, ou, le petit Perru: *nam est maxima affinitas nominum. Locus erat ex quo aurum deportabatur. Tertio quoque anno reuertebatur illinc classis Salomonis.* Hæc Vatablus in Annotationibus Sanctandreanis: nam in Salmanticensibus absunt. Ex quo non est dubium suam sententiam quòd Ophir sit Peru accepisse Montanum & Genebrardum.

Valentinus Schindlerus in Pentaglotto, col. 1477. *Paruaim duæ regiones, quarum vna nomen Peru retinuit, auro & argento abundans: altera Hispaniola dici cœpit 2. Paralip. 3. vers. 6. Zacab Paruaim aurum Peruuianum.*

Ergo Ophir, & Paruaim esse ipsum Peru, docent Guilielmus Postellus in Compendio Cosmographico, Ioannes Goropius Becanus in Hispanicis, Antonius Possevinus lib. 2. Bibliothecæ selectæ, cap. 5. & lib. 16. cap. 14. prioris editionis Martinus Delrius Commentariis in Medeam Senecæ ad versum 378. Thomas Bozius lib. 20. de Signis Ecclesiæ cap. 3. Theodorus Zuingerus in Theatro Vitæ humanæ, Volumine 23. lib. 2. pag. 3969. columna 1. Marcus Marinus in arca Noë in voce *Ophir*, Ioannes Auenarius in Hebraïco Lexico in voce *Aphar*, Dauid Pomarius in Germine Dauid, in voce *Ophir*, Emanuel Sà in 3. Regum. 9. vers. 28. Rudericus Yepes in historia pueri Innocentis crucifixi, Gregorius Garsias, qui lib. 4. de Origine Indorum, per septem priora capita magnis argumentorum & solutionum plausſtris eandem sententiam tuetur. Ioannes Pineda qui in 28. Iob ad vers. 16. eam sententiam exposerat, lib. 14. de Rebus Salomonis, *cap.* 16. §. 6. censet minùs leuem, minúsque deformem, ac minimè indignam, quæ à sapientibus, & veritatis amantibus benignè audiatur.

Nauigationis autem Salomonis in Ophir geminos periplos Genebrardus obseruauit. Nimirum certum est soluisse naues ex Azió Gaber portu sinus Arabici, atque è Sinu egressas, & in magnum Oceanum inuectas, duplicé potuisse nauigationis cursum

con

conficere. Alterum à dextra verſus Occidentem ad promontorium Aromata hodie *Guardafu*, Magadazum, Melinde, Quiloam, Moſambicam, olim promontorium Braſum, Sophalam, Madagaſcaram, ſeu Inſulam S. Laurentij: ac ſuperato capite Bonæ-Spei, ad Braſiliam, Pariam, Caſtillam Auream, Inſulas, Hiſpaniolam, Cubam, & alias, item Darienem, Iucatanam, Themiſtitanam, ſeu Nouam Hiſpaniam, Floridam. Vel etiam infra Braſiliam per Fretum Magellanicum, ad Chilana & Peruana ditiſſima regna, ad nouam Hiſpaniam, indéque per mare Pacificum ad Molucas, Somatram, & Indiam, ad eundem Sinum Arabicum, vnde exierant, reuertiſſe.

Alterum verò à læua in Orientem, ad oras Felicis Arabiæ, ad Armuziam, littora Carmaniæ, Cambaiam, Dium, regna Decania, Chaulum, Goam, Calecuth, Cori promontorium, Ceilanum inſulam, & vtramque beatam oram Sinus magni Gangetici, nimirum Occidentalem, in qua ſunt Coromandel, Biſnaga, Narſinga; & Orientalem, in qua Bengala, Pegu. Sian, Malaca: inde ad Somatram, Iauas, Molucas, regionem Sinarum, Iaponios, & vaſtiſſimo illo Archipelago innumerabilium inſularum emenſo, ad inſulas Salomonis, & Nouam Guineam, ad Nouæ Hiſpaniæ oras, ad Peruana & Chilana regna; indéque per anguſtias Magellanicas in magnum Oceanum Atlanticum erumpentes ad Braſiliam, ad Promontorium Bonæ-Spei, túncque in Arabicum Sinum ſe recepiſſe. Vidéſque vt in vtroque periplo, iuxta Genebrardum, Salomoniæ naues vniuerſum Orbis ambitum circumnauigauerint. Argumenta verò quæ indicant Ophir eſſe Nouum orbem Colonium, hæc ſunt:

Primò, Quia Salomonica nauigatio erat trium annorum, vt Scriptura docet: oportebat igitur eſſe profundiſſimam, quæ vniuerſum Oceanum peruaderet, verſus Orientem, & Occidentem: tantundem enim temporis duraſſe nauigationem famoſæ nauis Victoriæ, nauarcho Ioanne Sebaſtiano Cano, quæ, totum orbem circumuecta eſt, ſcribit Gomara in Generali Indiarum Hiſtoria, cap. 92. & alij omnes affirmant.

Secundò Scriptura tradit aurum illud, de cuius laminis Salomon veſtiuit omnia interiora templi, vt parietes, trabes, poſtes, &c. Hebraicè nuncupatum aurum פרוים Paruain. Quòd enim Noſter 2. Paralipom. 3. 6. habet: *Porrò aurum erat probatiſſimum.* Hebræa ad verbum exprimuntur: *Et aurum, aurum, Paruaim.* Vatablus reddidit: *Aurum verò erat, aurum de Paruaim.* Et Sanctes. *Et aurum, aurum ex loco Paruaim.* Et quamuis *Paruaim* duali numero Hebraicè per ו *Vau* mobile, ſeu V conſonantem legatur: at ſi puncta à Maſſoretis appoſita non adeo curemus, poteſt per vau quieſcens, ſeu u, vocalem afferri, *Paruim*, vel *Peruim*, quaſi dicas aurum allatum ex Peruuiis, plurali numero, ex vtroque Peru, nempe ex ipſa prouincia Peru, & Noua Hiſpania. Equidem vocabuli conſonantia & affinitas fulſit egregiè coniecturam.

Tertiò, nomen Ophir, ſimplici litterarum metatheſi, vel facili luxatione, idem prorſus videri poſſit, quod *Peru*, vel, vt Hiſpani enuntiant, *Piru*. Siquidem quod nunc, per *p*, durum dicitur *Piru*. priſco Hebræorum pronuntiandi more pronuntiandum eſſet Phiru, per *P*, raphe: nam antiqui Hebraei, nullum *P* durum cognouerunt, ſed ſolum *P*, raphe, ſiue Græcum φ, vt ſanctus Hieronymus in 2. Danielis ad finem annotauit: quod etiam hodie Arabes obſeruant: poſteriores verò Hebraei *P*, durum, excogitarunt. Vide Genebrardum in Præfatione Pſalmorum, & Scaligerum in Euſebianis, pag. 111. & quæ dicemus lib. 6. cap. 38. Porrò Phiru eſſe tranſpoſitum Ophir, ſeu Vphir, quis non videt? vt hinc non leuis ſit coniectura olim Ophir, vel Vphir, vtroque enim modo ſonare poteſt Hebraïca prolatio) idem fuiſſe Hebraicè, quod *Phiru*: gaudet enim Hebraiſmus eiuſmodi tranſpoſitionibus, ſicuti de voce *Alghumim*, & *Almughim* poſteà dicemus. De qua re agit Forſterus Præfat. in ſuum Lexicon. Tria hæc Argumenta ſoluuntur cap. 37.

Aliæ opiniones de Ophir.

CAP. XXX.

COllector Gallus anonymus qui ex vetuſto auctore qui ſub Alexandro Seuero vixit, Chronicon tempore Caroli Magni concinnauit, quòd Caniſius Tomo 2, Antiquæ lectionis edidit lib. 1. cap. 6. ait: *Ophir de quo Armeni: & Euilath, vnde gens Helij, omnes Bactriani.* Eadem habent Excerpta Barbaro-Latina Euſebiana.

Exiſtimarunt alij Ophir eſſe Sophalam in littore Aethiopico, ſub ima Africâ, è regione inſulæ S. Laurentij, quam habet, à Meridie. Oleaſtrius in 10. Geneſ. hæc annotat: *Aliqui putant Ophir eſſe Zephalam India partem: neque immeritò, quia ad Ophir per mare Rubrum iter erat.* Aſſentitur huic ſententiæ Hector Pintus in 2. Ezechielis, & in 10. Danielis.

Genebrardus libro 1. Chronographiæ, pag. 32. elucidans, quiſnam fuerit Sabataca, filius Chus, cuius meminit Moſes Geneſ. 10. 7. hæc ait: *Sabataca Cephalecorum auctor in intima Africâ ſecundum littus maris Athiopici, quorum annales affirmant, Salomonis claſſem, illuc tertio quoque anno auri cauſa nauigaſſe.*

Ortelius in Theſauro Geographico in voce Ophir: *Ego Ophir cephalam, vel vt alij pronuntiant Sophalam Africæ verſus Orientem regionem interpretari cum Volaterrano malim, tum quod hæc teſte grauiſſimo Ioanne Barroſo, admodum aurifera ſit, adeo vt etiamnum nihil præter aurum, vt Luſitanorum teſtantur peregrinationes, exteris mercatoribus communicet: tum quod ſcribat in ſua Indica nauigatione Thomas Lopezius, hos Sofalenſes habere libros patria lingua ſcriptos, in quibus legitur, Salomonem regem tertio quoque anno hinc aurum tuliſſe.*

Stukius in Scholijs ad Periplum Maris Erithræi Arriani, pag. 36. inquit: *Zefala, ſeu Zophala pars Ægeſimbæ, auro opulentiſſima, quam nonnulli Ophir, cuius in ſacris litteris fit mentio, vnde aurum obrizum eſſe exiſtimant.*

Eſſe quidem Sophalam auro inſigniter fertilem, omnes affirmant. Mercatorum Epiſtolæ in Nouo Orbe excuſæ Baſilææ, anno 1555. pag. 94: *Aurifodina viſitur, quam appellant Zaphalam, vbi maiores noſtri affirmant vim auri ingentiſſimam eſſe, quàm alibi gentium.* Et in alia Epiſtola: *Cum his nauibus portum appulit Luſitanus quidam, qui viſit minam auri in regno Sophalæ,*

de qua mira refert. Asseuerat nobis ibi nauem Christianorum adhuc esse, & prope incredibilia de auri quantitate, quæ inibi reperitur, refert. Et post pauca : *Pro comperto etiam habemus, hanc aurifodinam fuisse minam Salomonis, vnde tot hausit thesauros.* Et inferiùs : *Res est profectò digna miratu! nam tota India, & Persis inde* (nempe ex Sophala) *suum aurum hauriebat, quæ nunc à Gentilibus possidetur.*

Osorius lib. 1. Rerum Emanuelis : *Zophala auro plurimum abundat.* Maffeius lib. 1. Rerum Indicarum : *Sophalam aurifodinis prænobilem terram.* Eius descriptionem habet Osorius lib. 4. Huc forsan faciunt quæ Plinius de Insula quadam ditissima maris Æthiopici his verbis refert, lib. 6. 31. *Insulas toto eo mari, Ephorus complures esse tradidit. Clitarchus verò Alexandro regi renunciatam adeo diuitem, vt equos incolæ talentis auri permutent.*

Ioannes Hugo Lintscotanus in Nauigatione sua ad Indiam, cap. 6. quæ extat part. 2. Indiæ Orientalis hæc de Sophala refert : *Ad eam munitionem sunt fodinæ auri Monomotapa dictæ. Fodinæ Monomotapæ abundant auro : estque illud peculiare quoddam genus mineræ, Lusitanis aurum de Botongoen, ouro en po, siue arena auri dictum: quod arenam quidem paruitate sua & minutijs refert : sed tam purum, putúmque, vt nullum præstantius sit in toto Oriente.*

Philippus Pigaffetta in Descriptione Regni Congi, cap. 9. lib. 2. quæ habetur parte. 1. Indiæ Orientalis, de Sophala hæc prodit : *Monomotapanum Imperium aurifodinis ditissimum, vt hinc in omnes circumiacentes regiones etiam per loca remotiora aurum magna copia distrahatur. Opinantur quidam Salomonem omne aurum, quo in structura Templi Ierosolymitani vsus est, ex hoc regno accepisse. Quod & verisimile videtur, multis ibi egregiæ antiquitatis apperentibus signis.* Ergo Sophalæ auri præstantia & abundantia permouit quosdam, vt Ophir in quam auri deuehendi causa classes Salomon mittere consueuerat, Sophalam existimauerint.

Augustinus Steuchus in Psalm. 44. vers. 10. enarrans illud, *in vestitu Deaurato*, quod Hebraïcè est, *cum massa auri Ophir.* hæc scribit : *Aurum hîc appellat Hebraïcum Ophir, quia ex Insula Ophir Sinus Persici afferebatur.* Tylon in hoc Sinu insulam margaritis celebrem memorat Plinius lib. 6. cap. 28. De qua vide plura Stukius in Scholiis ad Periplum Maris Erythræi, pag. 56. & Ortelius in Thesauro Geographico.

Nec defuerunt qui putauerint Ophir esse insulam Zipangri, auri, gemmarum, & margaritarum ferti illimam in Oceano Eoo, quam accuratè describit Marcus Paulus lib. 3. cap. 2. & seqq. Porrò Ortelius in Theatro in Tabulis Tartariæ, & Indiæ, & in Thesauro in voce *Chryse*, Zipangrim Pauli Veneti existimat esse Iapan, seu Iaponiorum insulas. Descripsit Iaponios exactè Maffeius Rerum Indicarum, 12. lib. Ortelius etiam, & Mercator in Tabulis Iaponiorum : & istorum rebus plenæ sunt Epistolæ Iesuitarum innumeræ ex Iapone missæ.

Rabbanus Maurus & Strabus Monachus in 3. Regum 9. hanc habent sententiam de Ophir: *Ophir nomen est prouinciæ in India, ab Ophir vno De posteris Heber nominatur, quæ & Terra Aurea appellatur : eo quòd montes aureos habeat, qui à leonibus, & sæuissimis bestiis incoluntur. Ad quos nullus aliter accedere audet, nisi qui in naui stantes iuxta littus, terram quam vnguibus leonum effossam inuenerint, in suam nauim recipiunt : vt si bestiæ eos senserint, facilè in mare recipiantur.* Eadem omnino de Ophir Lyranus, Tostatus, & alij docent. Accepta proculdubio à sancto Hieronymo epist. 4. ad Rusticum, vbi agens de Heuilath confini regione Ophir, nam Ophir, & Heuilath fratres, ait : *Per quem* Oceanum *vix anno perpetuò ad Indiam peruenitur, & ad Gangem fluuium, quem Phison sancta Scriptura commemorat : qui circumit totam terram Heuilath, & multa genera pigmentorum de Paradisi dicitur fonte deuehere. Vbi nascitur carbunculus, & smaragdus, & margarita candentia, & vniones, quibus nobilium fœminarum ardet ambitio: montes quoque aurei, quos adire propter gryphas & draconcs, & immensorum corporum monstra, hominibus impossibile est, vt ostendatur nobis quales custodes habeat auaritia.* Eadem habet sanctus Isidorus lib. 14. Originum, cap. 3.

Quæ sanè reuocant nobis in memoriam admiranda quæ auctores de formicis Indicis aurum eruentibus & custodientibus, atque de Gryphibus produnt Herodotus lib. 3. num. 102. *In ea solitudine Indiæ arenosa formicæ gignuntur, canum quidem magnitudine minores, vulpium verò maiores. Earum nonnullæ, & apud eos & apud Regem Persarum visuntur, hinc venatu captæ. Hæ formicæ in faciendis sub terra domiciliis egerunt arenam; vt apud Græcos formicæ, atque eodem modo, ipsa specie corporis simillimæ. Ea autem quæ egeritur arena auracea est : pro qua in desertum mittentes Indi, ternos singuli camelos iungunt, mares à lateribus, quos frenatos trahunt, fœminam in medio, in quam ipsi ascendunt, data opera vt à recentissimis fœtibus abstractas iungant. Etenim apud eos cameli cùm nihilo sint minori pernicitate quàm equi, tum verò ad ferenda onera multò valentiores. Hunc in modum iunctis camelis, Indi ad aurum legendum tendunt, vt quum feruentissimus fuerit æstus, sint in rapina. Siquidem præ æstu formicæ sub terra se occultas tenent, vbi ad locum Indi peruenere, culeis quos attulere, arena completis, rapti ssimè retrò se recipiunt. Quos protinus formicæ, vt à Persis fertur, olfactu perceptos insequuntur tanta pernicitate quanta, in alio est nullo: ita vt nisi viam, interim dum formicæ congregantur, anticipient Indi, nemo sit ipsorum inde euasurus. Ideóque camelos mares, quòd impares fœminis sunt in currendo, ne trahantur, dissoluunt : sed non vtrumque pariter. Fœmina verò pulli quem reliquit memor, nihil sibi remittit. Hac ratione Indi maiorem auri partem nanciscuntur, vt Persæ memorant, nam quod effoditur in eadem regione aurum, rarius est.*

Strabo lib. 15. pag. 485. *Formicarum autem aurum effodientium pelles vidisse idem ait Nearchus pardalis pelli persimiles. Megasthenes de formicis ait, apud Derdas, quæ magna gens est Indorum montanorum ad Orientem expositorum, planitiem quandam montanam esse ter mille stadiorum ambitu, & sub ea aurifodinas, quas formicæ effodiant, vulpibus magnitudine non minores, mira celeritate victum ex venatione comparantes. Fodere autem terram per hiemem, & ad ostium accumulare, quemadmodum solent talpæ. Huius auri ramenta, id enim sunt, parua decoctione egent. Vicini iumentis ea clam rapiunt, apertè enim non possunt, prohibentibus formicis, quæ & pugnant, & fugientes insectantur : quos cùm deprehenderint, vna cum iumentis interimunt. Vt ergo illas lateant, ferinas carnes per loca plurima disponunt : itaque ad prædam dissipatis formicis, auri ramenta ipsi adsportant : & fusionis ignari, cuique mercatori rudia diuendunt.*

Mela

Mela lib. 3. cap. 7. *Alit* India *formicas, non minores maximis canibus, quas more Gryphorum, aurum penitus egeſtum cum ſumma pernicie attingentium cuſtodire commemorant.*

Plinius lib. 11. cap. 31. *Indicæ formicæ cornua, Erythris in Æde Herculis fixa miraculo fuêre. Aurum ex cauernis egerunt terræ, in regione Septentrionalium Indorum, qui Darde vocantur. Ipſis color felium, magnitudo Ægypti luporum. Erutum hoc ab iis tempore hiberno, Indi furantur æſtiuo feruore conditis propter vaporem in cuniculos formicis, quæ tamen odore ſolicitatæ prouolant, crebróque lacerant, quamuis præuelocibus camelis fugientes. Tanta pernicitas, feritáſque eſt cum amore auri.*

Arrianus in Comment. Rer. Indicarum: *De formicis* Indicis *etiam ſcribit Nearchus, ſe quidem eas non vidiſſe, cuiuſmodi nonnulli tradunt in India naſci: pelles tamen earum non paucas ab ſe viſas in caſtra Macedonum allatas. Megaſthenes certa veráque eſſe, quæ de formicis ſcribuntur, dicit. Eas nimirum eſſe quæ aurum è terra effodiunt, non quidem auri ipſius cauſa, ſed vt ſibi antra, in quibus deliteſcant, parent: quemadmodum noſtræ etiam formicæ exiguæ cùm ſint, nonnihil terræ eruunt. Eſſe autem formicas illas vulpibus maiores, ratione magnitudinis earum, terrámque fodere quæ aurum miſtum habeat, & ex ea Indis aurum fieri. Sed Megaſthenes auditum narrat.*

Ælianus lib. 3. de Animalibus, cap. 4. *Formicæ Indicæ auri cuſtodes, Campylum appellatum fluuium nunquam tranſeunt.*

Lucianus in Gallo: *Tu formica fueras Indica, ex earum genere quæ aurum effodiunt.* Et in Epiſtolis Saturnalibus: *Vt formicæ tales, quales feruntur Indicæ, aurum è theſauris effoſſum, noctu in publicum efferant.*

Philoſtratus in Vita Apollonij lib. 6. cap. 1. eas formicas aurum eruentes in Æthiopia collocat, vt gryphes in India: *Indorum autem gryphes, & Æthiopum formicæ, licèt ſint forma diſſimiles, eadem tamen, vt ferunt, agere ſtudent: nam aurum vtrobique cuſtodire perhibentur, & terram auri feracem adamare.*

De Gryphibus verò quos S. Hieronymus, & S. Iſidorus dicebant aurum in India cuſtodire, Cteſias Gnidius in Excerptis Indicæ Hiſtoriæ apud Photium in Bibliotheca hæc prodit: *Aurum quoque habet India, ſed quod non reperitur in fluuiis, & abluitur, vt ſit in flumine Pactolo: ſed multi & ſpatioſi montes id ſuggerunt: quos incolunt gryphes, aues quadrupedes, lupi magnitudine, cruribus, & vnguibus leoninis: qui pennas in pectore rubras, in reliquo corpore nigras habent. Propter has illud quod in montibus eſt copioſum aurum non facilè obtinetur.*

Ælianus lib. 4. de Animalibus, cap. 27. *Gryphem Indicum animal audio ſimiliter quadrupedem vt leonem eſſe: robuſtiſſimis item exiſtere vnguibus, leonum ſimilibus: tum dorſum eius pinnis indui nigris, anteriorem corporis partem rubris, alas verò candidis. Cteſias eos ait ceruicis pennas caruleas & floridas habere: aquilino ore eſſe, & capite cuiuſmodi pictores fingunt: oculis autem igneis, nidóſque in montibus facere: vtque ætatis proceſſu grandes non capi, ita earum pullos comprehendi poſſe. Bactri autem Indis finitimi eos illic auri cuſtodes eſſe, aurúmque effodere aiunt, & ſimul eo ipſo nidos conſtruere: quòd verò auri in terram deciderit, Indos homines auferre. Contra Indi, eos auri, quòd veri quidem ſimile videtur, cuſtodes eſſe negant: neque enim Gryphes auri egere: ſed cùm ad colligendum aurum homines acceſſerunt, hos de pullis ſuis maiorem in modum timentes, pro eis pugnare. Indigenæ, quòd ab huiuſmodi animalium robore timeant, non interdiu, ſed ad collectionem auri noctu proficiſcuntur, quòd ſe tum melius latêre arbitrentur. Locus vbi Gryphes verſantur, ac vbi aurum effoditur, deſertiſſimus eſt: quocirca aurum venari ſtudentes, mille, aut bis mille armati eò perueniunt, ſimúlque ligones & ſaccos afferunt, ſilentem lunam obſeruantes. Quòd ſi Gryphes fallant, duplicem commoditatem aſſequuntur, quod & eorum vitæ ab illorum atrocitate ſeruatur, & ſimul aurum domum auehunt. Vbi auro purgato ab iis qui hanc artem callent, ingentes ſibi pro periculis opes comparant. Sin in furto deprehendantur, perierunt. Quum ſemel eò profecti ſunt, domum non niſi triennij, aut quadriennij interuallo reuertuntur.*

Philoſtratus de vita Apollonij lib. 3. cap. 14. *Aurum verò quòd Gryphes effodere dicuntur, petræ ſunt aureis guttis minutiſſimis conſperſæ, quas hæc fera roſtro diſcindit. Sunt enim huiuſmodi aues in India, & ſoli ſacræ eſſe perhibentur, eaſdémque quadrigis iungunt, qui ſolis imaginem apud Indos pingunt. Magnitudine autem, ac viribus leonibus pares illas eſſe tradunt, & ob petrarum cupiditatem ſibi inuicem inſidiari: elephantos quoque, ac dracones ſuperare. Volant autem non multùm, ſed quantùm tardigradæ aues. Non enim plumatæ ſunt, ſed rubra pellicula alarum coſtæ, tanquam digiti connectuntur. Itaque in gyrum delatæ aliquantulum volare, & è ſublimi pugnare poſſunt.* Vide fabulam de Gryphibus in Itinerario Beniamin, pag. 98.

Ceterùm Gryphes aurum cuſtodientes ad Borealem plagam apud Arimaſpos collocant, Herodotus lib. 3. num. 116. & lib. 4. num. 13. Mela lib. 2. cap. 1. Plinius lib. 7. cap. 2. Solinus cap. 20. Pauſanias lib. 1. Priſcianus in Periegeſi Dionyſij Alexandrini, Suidas in voce, *Abares*, Seruius in Eclogam 8. Virgilij. Quos, ſi libuerit, conſules: ſed reor eos fabuloſos, vti Plinius diſertè cenſet lib. 10. cap. 49.

Quæ Scriptura ſacra de Ophir tradit, expenduntur.

CAP. XXXI.

Libro 3. Regum 9. verſ. 26. hæc ponuntur: *Claſſem quoque fecit rex Salomon in Aſion-Gaber, quæ eſt iuxta Ailath in littore maris Rubri, in terra Idumææ. Miſitque Hiram in claſſe illa ſeruos ſuos viros nauticos, & gnaros maris cum ſeruis Salomonis. Qui cùm veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad regem Salomonem.* Idem legitur 2. Paralip. 8. 17.

Et 3. Regum, 10. 11. *Sed & claſſis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas pretioſas.* Idem ſcribitur 2. Paralip. 9. 10.

Et 3. Regum, 10. 22. *Claſſis regis Salomonis per mare cum claſſe Hiram ſemel tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & ſimias, & pauos.* Idem refertur 2. Paralip. 9. 21.

Sed & de Ioſaphath rege Iuda eandem Salomonis nauigationem in Ophir adornante, 3. Regum, 22. 49. dicitur: *Rex verò Ioſaphath fecerat claſſes in mari, quæ nauigarent in Ophir propter aurum; & ire non poterant, quia confractæ ſunt in Aſion-Gaber.* Idem habetur 2. Paralip. 20. 36. Verùm cùm in ea nauigatione facta fuerit quoque mentio Tharſis, diatribam de Tharſis in lib. 6. cap. 29. reſeruamus

mus, vt perueſtigatio de Ophir noſtram nunc teneat curam.

Ante omnia extra omnem controuerſiam ponimus, quod & omnes fatentur, & Scriptura ipſa perſpicuè oſtendit, Ophiricam nauigationem Salomonis factam fuiſſe ex Sinu Arabico in magnum Oceanum: cùm dicat Scriptura, ſoluiſſe claſſe ex Aſion-Gaber, quæ eſt iuxta Ailath in littore maris Rubri, in terra Idumæa. Ioſephus lib. 8. Antiquitatum, cap. 2. *Quin & Claſſem rex Salomon in Ægyptio Sinu ædificauit, in quodam loco ad Mare Rubrum, qui nominatur Aſion-Gaber. Hæc nunc Berenice vocatur, non procul ab Elana vrbe, quæ regio tunc in Hebræorum ditione cenſebatur.* Berenicem verò littoralem Sinus Arabici vrbem eſſe docet Ptolemeus, lib. 4. cap. 5. quam nunc *Choiſair*, vel *Alcheſer* dici, annotant Iacobus Zieglerus, Marius, Niger, Gerardus Mercator, Abraham Ortelius, Guillielmus Stukius. S. Hieronymus de Locis Hebraïcis: *Aſion-Gaber, in hoc loco claſſis Ioſaphath vi tempeſtatis attrita eſt. Fertur autem ipſa eſſe Eſſia haud procul ab Ailath in Mari Rubro.* Et de Ailath inquit: *Ailath in extremis finibus Palæſtinæ iuncta meridianæ ſolitudini, & Mari Rubro, vnde ex Ægypto Indiam, & inde ad Ægyptum nauigatur. Sedet autem ibi legio Romana cognomento decima: & olim quidem Ailath à veteribus, dicebatur, nunc verò appellatur Aila.* Vide Adrichomium in Tabula, & Deſcriptione deſerti Pharan. Quocirca vaniſſima fuit Goropij Becani cogitatio exiſtimantis Aſiongaber portum maris Mediterranei fuiſſe, indigna ſanè quæ refellatur. Vide Ortelium in Theſauro, voce, *Bætogabra*, & Pinedam lib. 4 de Salomone, cap. 7.

Illud tamen eſt in ambiguo, num illa Solomonis cum ſeruis Hiram, nauigatio in Ophir, quæ deſcribitur 3. Regum, 9. 26. & cap. 10. 11. ſit eadem omnino quæ 3. Regum, 10. 22. facta ab iiſdem Salomone & Hiram in Tharſis dicitur, vel diuerſa. Ioſephus, & hunc ſequuti, Ribera in 1. Ionæ, & Marinus in Arca Noë, in voce, *Tharſis*, & alij, vt Scholanus, & Ioannes de Ponte, diuerſas conſtituunt: nimirum illam in Ophir ex Sinu Arabico per Oceanum Erythræum in Indiam factam: illam verò in Tharſis, per mare Mediterraneum, ad eius celebriora emporia inſtitutam. Quaſi fœderatis his regibus Salomoni, & Hiramo duæ diuerſæ claſſes mercatoriæ fuerint, altera in Oceano, altera in Mediterraneo mari. Ioſephus quidem de Salomonis in Tharſis nauigatione lib. 8. Antiquit. cap. 2. ait: *Multa enim nauigia Rex in mari quod vocatur Tarſicum, habuit, quæ ad remotas gentes merces varias deferre iuſſit: pro quibus exportatis, aurum & argentum, Regi referebant, multúmque eboris, & mancipia Æthiopica, & Simias. Ea nauigatio in itu & reditu triennium integrum abſumebat.* Ita quidem in Ioſepho intelligunt mare Tarſicum, hoc eſt, Mediterraneum, quod Tarſum & Ciliciam alluit: nam & in Notitia Comitis Iſauriæ dicitur: *Tharſus mare.* Vel, vt eſt in Codice Fuluij Vrſini, *Tharſum mare.* Quamuis fortè ibi diſtinguendum, *Tharſus.* Nempe vrbs quæ ibi pingitur: & *Mare*, quod ibi quoque depingitur, & Ciliciam alluit. Forſan Ioſephus Tarſicum mare non intelligit Mediterraneum Ciliciam alluens, ſed Hebraïca nuncupatione mollita, Mare Tharſicum, qui Mare Tharſis dixerit, nempe Oceanum, quem Tharſis in Scriptura vocari ſtatim oſtendemus. Equidem Villalpandus tom. 2. in Ezechielem, pag. 513. col. 2. Ioſephum de Ophirica per Oceanum Nauigatione, præfatis illis verbis locutum exiſtimauit. Sed veriſimilius eſt, Ioſephum de Mediterraneo intellexiſſe: nam Antiq. 9 cap. 1. agens de nauigatione in Tharſis, quam Ioſaphath imitatione Salomonis inſtaurare curauit, 2. Paralip. 20. 36. affirmat factam in Pontum, & in emporia Thraciæ. De qua tamen re ad finem huius capitis dicemus.

Ioannes Pineda lib. 4. de Rebus Salomonis, cap. 5. magno argumentorum, & ſolutionum apparatu contra me diſputat, quòd exiſtimauerim vnam & eandem omnino fuiſſe Salomonis in Ophir, & in Tharſis nauigationem. Ego verò cunctis penitus adhuc introſpectis, in eadem perſeuero ſententia, nimirum omnibus illis Scripturæ locis, quæ ex 3. Reg. & 2. Paralip. de nauigatione Salomonis, & Ioſaphath in Ophir, & in Tharſis, initio huius capitis deſcripſi, non niſi vnam ſpecie nauigationem in regionem Ophir denarrari. Quam ſanè ſententiam meam nunc bifariam illuſtro.

Primùm, quòd Tharſis omnibus iis citatis locis ex 3. Reg. & 2. Paralip. ſit certa quædam, & peculiaris terra, vel regio, aut inſula, eadem nimirum quæ Ophir, aut illi proxima, ſeu finitima, vel certè quæ eadem Ophirica nauigatione, eodémque mari, & itinere adiretur. Et hoc quidem adiicimus in honorem ſancti Hieronymi, & aliorum Patrum, qui Tharſis Indiæ aliquam regionem eſſe exiſtimarunt, vti lib. 6. cap. 29. dicemus. Qua ratione diſputatio Pinedæ eo loco, me non petet.

Secundò, vt Tharſis eiſdem locis ex 3. Reg. & 2. Paralip. non ſit proprium nomen alicuius regionis, aut terræ: ſed ſignificet tantùm mare magnum, & altum, & hîc propriè Oceanum Erythræum & Indicum, per quem fieret ea nauigatio in Ophir. Et hoc cenſeo, veroſimilius & aptius cum ſenſu ſacri Textus conuenire: quod idcirco elucidabimus, ſimúlque argumenta Pinedæ expendemus.

Ergo 3. Reg. 10. 22. Hebraïcè ad verbum legitur: *Quia nauis Tharſis Regi* (ad Regem) *in mari, cum naui Chiram: vna* (vice) *ad tres annos venict* (veniebat) *nauis Tharſis, leuans* (portans) *aurum & argentum, Senhabim, & Kophim, & Thuchiim.* Et 2. Paralip. 9. 21. idem locus ſic Hebraïcè exprimitur: *Quia naues Regi,* (ad Regem) *ambulantes* (euntes) *Tharſis, cum ſeruis Churam, vna* (vice) *ad tres annos venient* (veniebant) *naues Tharſis, leuantes* (portantes) *aurum, & argentum, Senhabim, & Kophim, & Thuchuim.* Vbi non ſic dicitur, naues Salomonis iuiſſe in Tharſis, quaſi Tharſis aliqua terrarum regio extiterit, vt Ophir: ſed quòd erant naues Tharſis, vel veniebant naues Tharſis, quæ ibant in Ophir. Sed cur dictæ ſint naues Tharſis? Sic alibi loqui Scriptura ſolet, vt Pſalm. 47. verſ. 8. *Contéres naues Tharſis*: & quidem de generali hac loquendi phraſi dicemus abundè lib. 6. cap. 29. ſed quod propriè attinet ad hæc quæ hîc elucidamus loca, Caietanus in 3. Reg. 10. Marinus in voce *Tharſis*, notat iis locis dictas naues Tharſis, quaſi Tarſicas: vt non modò naues Tyrias, ſed etiam Tarſicas, illis nempe ſimiles, quæ apud Tarſum Ciliciæ fabricarentur, in ea claſſe miſerit Salomon. Vnde Caietanus cùm locum 3. Reg. 10. 22. ex Hebræo expreſſiſſet, addit: *Sic iacet in Hebræo, reliqua addunt interpretes. Tharſis enim non ſignificatur locus vnde portabantur hæc, ſed determinat naues.*

Ianſenius & Bochius in Pſalm. 47. ad verſ. 8. interpretantur, naues maximas, & celeberrimas, quales in Tharſo Ciliciæ conſtruebantur. Sed verius

rius & proprius exiſtimamus, hiſce locis, vt etiam aliis, dictas naues Tharſis, hoc eſt, marinas, ſeu Oceani: Tharſis enim, vt lib. 6. cap. 29. §. 2. obſeruabimus, appellat lingua ſancta mare magnum & altum, ſeu Oceanum, ſeu Mediterraneum: à quo dicuntur naues Tharſis, id eſt, marinæ, magnæ, præualidæ, quæ per mare magnum & vaſtum nauigare ſoleant, longis nimirùm & difficilibus nauigationibus aptæ, ac durabiles. Ita ſanè naues Tharſis his locis ex 3. Reg. & 2. Paralip. exponunt plerique recentiores, præſertim ij qui Hebraïca ex profeſſo tractarunt. Similiter Tharſis, cuius propriè iis eiſdem duobus locis Regum & Paralipomenon fit mentio, non certam aliquam terram, aut regionem denotare: ſed appellatiuè mare magnum, iidem ipſi auctores confirmant.

Ioannes Forſterus in Dictionario Hebraïco, cùm annotaſſet, Tharſis in Scriptura ſacra, generali appellatione mare altum & magnum dici, vel Mediterraneum, vel Oceanum; ſubdit exempla huius ſignificationis, ac inter alia: 1. *Regum*, 22. *Ioſaphath fecit nauis Tharſis, quæ irent in Ophir pro auro: ſed non iuerunt, quia fractæ ſunt naues. Et* 2. *Paralip.* 20. *naues quæ irent Tharſis: & fractæ ſunt naues, & non valuerunt ire ad Tharſis.* 2. *Paralip.* 9. *quia naues regis ibant Tharſis cum ſeruis Hiram: ſemel in tribus annis veniebant naues Tharſis.*

Leo Iudas quod 3. Reg. 10. 22. Hebraïcè eſt, *Quia naues Tharſis regi (erat) in mari, cum naui Churam: vna (vice) ad tres annos veniet (veniebat) nauis Tharſis, leuans, &c.* ipſe reddit: *Si quidem claſſis marina regi erat in mari, cum claſſe Hirami: ternis annis ſemel veniebat claſſis in mari, referens, &c.* Et 2. Paralip. 9. 21. quod Hebraïcè eſt: *Quia naues regi euntes Tharſis, cum ſeruis Churam, vna vice ad tres annos venient (veniebant) naues Tharſis, portantes, &c.* Ipſe exponit: *Siquidem claſſis regis ibat in mari cum ſeruis Hiram: ternis annis ſemel veniebat claſſis marina, afferens, &c.*

Tremellius Immanuel, & Franciſcus Iunius eundem locum ex 3. Reg. ita ex Hebræo expreſſêre: *Nam claſſis Oceani pro rege, cum claſſe Chirami erat: ſemel ternis annis veniebat claſſis ex Oceano afferens, &c.* In prioribus editionibus adiecere hoc ſcholion: *Claſſis Oceani comparata ad nauigationem Erythræi Oceani.* In poſtrema verò editione: *Comparata ad nauigationem Africani Oceani.* Mutauêre in peius. Locum verò ex 2. Paral. ita vertêre: *Nam naues regis obibant Oceanum cum ſeruis Churami: ſemel annis ternis veniebant naues Oceani, afferentes, &c.*

Matthæus Beroaldus lib. 4. Chronici, cap. 6. elucidans eundem ipſum locum ex 3. Reg. inquit: *Quòd ergo in hac hiſtoria Salomonica dicantur naues regis iuiſſe in Tharſis, id ita eſt accipiendum, vt intelligantur illæ naues petiuiſſe Oceanum, & ipſum mare ſulcaſſe, eo ſenſu quo nos dicimus*, Les nefs de Salomon allerent ſur mer: *Tharſis enim ſignificat mare. Quo ſenſu locus etiam ille qui eſt* 2. *Paralip. cap.* 9. *verſic.* 21. *ſumendus eſt, vbi habentur iſta: Siquidem naues regis ibant in Tharſis, cum ſeruis Hiram, ſemel in annis tribus. Id eſt, naues regis petebant mare, vel Oceanum quoque triennio, qua ratione dicimus*: Les vaiſſeaux de Salomon de trois ans en trois ans alloient ſur mer, & faiſoient le voyage de mer, ou de terres neuues. *Hoc eſt, quod vult intelligi Scriptura in hac hiſtoria, cùm dicit, naues ibant in Tharſis.*

Ioannes Auenarius in Lexico: *Tharſis eſt mare altum, quod Mediterraneum, ſeu Oceanus vocatur, in quo vehuntur naues magnæ, vt tranſeant in Ophir, pro auro & lapidibus pretioſis. Hinc etiam pro mari ſumitur* 1. *Regum*, 22. *Ioſaphath decem fecit naues Tharſis, vt irent in Ophir pro auro.*

Marcus Marinus in Arca Noë, hæc affert ſignificata de Tharſis pro Oceano: *Nauem Oceani (magnam, quæ vndas maris ſuſtinere poſſit) eſſe alicui in mari,* 1. *Regum,* 10. 22. *Facere naues Oceani, &c. vt ſuperiùs* 1. *Regum*, 22. 49. *Nauem Oceani venire, &c.* 1. *Regum,* 10. 22. *Vide etiam* 2. *Paralip.* 9. 21. *Naues alicui ire* (in) *Oceano,* 2. *Paralip.* 20. 36. *Naues non poſſe ire ad* (in) *Oceanum,* 2. *Paralip.* 20. 37.

Franciſcus Forerius in Iſaïæ 23. ad verſic. 10. *Mihi veriſimile fit, Tharſis eſſe nomen maris, vt ſuprà verſ.* 5. *annotaui; ſic appellatum mare altum tandiu exiſtimabo, quamdiu probabiliorem ſententiam alius non attulerit. Et naues Tharſis, quæ ad oram Maris rubri conficiebantur, per Mare Rubrum in Oceanum Indicum proficiſcebantur: quod pertranſeuntes applicabant ad Ophir, & littora alia Orientalia, vnde aurum, &c. deferebant.*

Didacus Ximenez in Lexico Eccleſiaſtico: *Sed melius eſt, vt Tharſis, quemadmodum vult S. Hieronymus, ſit mare: & quòd ire naues in Tharſis, ſit ire in mare, vel per mare.*

Benedictus Pererius in 10. Geneſ. ad verſic. 4. *Hinc factum eſt, vt id nominis Tharſis ad Oceanum ipſum ſignificandum, vt patet ex libris Regum, & Paralipomenon, ſit tranſlatum. Sic enim intelligi poteſt quod ſcriptum eſt in illis libris de claſſe regum Iuda, qua ex mari Rubro petebatur Tharſis, id eſt, mare Indicum.*

Franciſcus Ribera in 1. Ionæ, num. 18. *Quare naues Salomonis, quæ per tres annos ſemel ibant in Tharſis, non minùs probabiliter affirmare poſſumus, per Indicum Oceanũ iter feciſſe: non quòd Tharſis regio ſit Indiæ: ſed quòd Oceanus rectè Tharſis appelletur.*

Emanuel Sà in 3. Reg. 10. 22. *Ibant in Tharſis, id eſt, in mare.*

Chriſtianus Adrichomius in Pharan, num. 15. *Quod in Regum libris ſcribitur, claſſem iuiſſe in Tharſis, varia doctiſſimorum hominum ſententia eſt: nam vel India regio eſt hoc nomine: vel certè omne pelagus Tharſis nominatur.*

Auguſtinus Torniellus in Annalibus, ann. Mundi 3043. n. 9. *Siue Tharſis auriferam Indiæ ſignificet regionem, ſiue ipſum mare, per quod ad Ophir nauigabant.*

Chriſtophorus Caſtrus in 10. Ieremiæ, num. 10. *Inde quoque nomen Tharſis eſt extenſum ad mare Oceanum ſignificandum: quomodo explicant aliqui nauigationem in Tharſis claſſis nauium Salomonis,* 3. *Reg.* 10. 22. *&* 2. *Paral.* 9. 11. *Et Ioſaphath* 2. *Paralip.* 21. 36. 37. *nauigabant enim in Tharſis, hoc eſt in mare Oceanum, vel Indicum.*

Gaſpar Sanchez in 2. Iſaïæ, n. 23. *Quare Oceanus dicitur Tharſis, cùm in Tharſis nauigaſſe traditur claſſis Salomonis,* 3. *Reg.* 10. *& claſſis Ioſaphath,* 2. *Paral.* 20.

Nicolaus Serarius in 3. Reg. 10. verſ. 22. *Maximè verò mare Indicum hîc Tharſis vocatum.* Non eſt de nihilo, P. Pineda, quod tot auctores, Tharſis in Salomonica & Ioſaphatica nauigatione mare magnum, ſeu Oceanum intellexerint: non igitur magna mea culpa erit idipſum quoque docuiſſe.

Quocirca quod noſter Interpres dixit, *Ibat in Tharſis*, ſic commodè eſt capiendum, non quòd Tharſis ſit certa aliqua regio, aut terra ad quam claſſis Salomonis deſtinatò nauigaret: ſed quòd iret in Tharſis, id eſt, in mare, ſeu per mare magnum & altum, nempe Oceanum, in regionem tamen, ſeu terram certam, quæ diceretur Ophir. Cùm enim ea in Ophir nauigatio, tunc nota eſſet, & peruagata,

ſatiſ

satísque in præcedentibus accuratè descripta : per figuram intellectionis, & synecdochicè dixit tantùm, classem iuisse in mare Oceanum : intelligendo proculdubio, iuisse in mare magnum, seu Oceanum, ad regionem seu terram Ophir: quæ loquendi formula satis vsitata est in Scriptura : exempla possemus proferre non pauca, sed illud nunc sufficiat, Matth. 8. 11. *Multi ab Oriente & Occidente venient & recumbent cum Abraham, &c. in regno Dei.* Cùm certum sit, & à Meridie, & ab Aquilone : sed illos duos terminos expressit, hos intellexit.

Iam inspiciamus quæ nobis opponat Pater Pineda, Primùm, inquit: *Si non dicuntur naues euntes in Tharsis, sed naues Tharsis, probabit sanè* Maluenda *Latinum Interpretem perperam vertisse locum, atque adeo sensum corrupisse.* Respondeo, ego expressè dixi, 3. Regum, 10. 22. Hebraicè non dici naues iuisse in Tharsis, aut venisse de Tharsis, quod est verissimum : nec oppositum, quantumuis sudet, ostendet vnquam Pineda. Nego, Vulgatum perperam vertisse locum, aut sensum corrupisse : quem ipse paulò ibidem inferiùs, & suspicio & interpretor : sed affirmo Pinedam iniustè me arguere, quòd verba Vulgati aptè & concinnè in sensu cum Hebraico compono.

Secundò, addit: *Accipio lubens, quod ipse* Maluenda *negarat, rectè dici, naues in Tharsis, aut è Tharsis: atque bene est illum fateri, bene vertisse Vulgatum.* Negaui 3. Reg. 10. 22. in Hæbreo dici, naues in Tharsis, aut è Tharsis: etsi aliud Pineda ostenderit, fateor me victum. Adstruo, rectè Vulgatum dixisse, *in Tharsis.* Et quando negaui Vulgatum benè vertisse? De sensu, non de verbis Vulgati est quæstio, P. Pineda.

Tertiò, ait: *Sed esto, Tharsis aliquando appellatiuè pro mari accipiatur, inde certè non fit, classem Salomonicam nauigantem in Tharsis, non dirigi ad præstitutum alicuius regionis portum : secus stultissima esset nauigatio, quæ aliquò terrarum non dirigeretur, & ineptissimi nautæ, qui rogati, quò nauigarent, respondèrent, in Mare.* Adonde buena por essos mares adelante. *Quasi non semper per mare nauigetur? Aliquando & sæpe per flumina. Quasi per mare non contendant nauigantes ad certum aliquem portum? Non sanè semper vagantes piratæ. Quasi dicatur à sobrio viro, afferri de mari aurum, simias, pauones, dentes elephantorum, non ex certa regione terrarum.* Hæc verba Pinedæ compono cum meis: *Quod Noster dixit, Ibat in Tharsis: sic commodè est accipiendum, non quòd Classis Salomonis iret in certam aliquam insulam, vel continentem, quæ Tharsis vocaretur : sed quòd iret in mare, seu per mare magnum & altum, nempe Oceanum, in regionem Ophir.* Ego vnquam dixi aut somniaui, Salomonicam classem, non iuisse ad præstitum alicuius regionis portum? Disertissimè dixi, iuisse *in regionem Ophir :* & luculentè verba Vulgati interpretatus sum, quòd ea classis Ophir peteret per Tharsis, id est, Oceanum. Nec plura addo : nam non libenter altercor, præsertim cum amico.

Quem familiariter moneo, vt duo loca de me in suis scriptis emendet. Primum lib. 2. de Rebus Salomonis, c. 5. §. 2. vbi ait: *Amicus noster Pater Maluenda suo erudito Commentario de Paradiso, c. 29. scribit, hunc Gehon fuisse fontem propè muros Ierusalem, ex consensu omnium. Sic ipse existimauit, cùm tamen dissentiant nonnulli : nam Christianus Adrichomius in sua Ierusalem ex frequenti Neoticorum sententia, n. 236. scribit, montem fuisse appellatum Gihon, in quo vnctus fuerit Salomon.* At Adrichomius non dissentit: nam ipsamet pag. 175. col. 1. n. 232. ait: *Fons Gion inferior, &c.* Et num. 233. *Fons Gion superior, emanans à monte Gion, &c.* Et mirum in eadem pagina Pinedam vidisse montem, & non fontem Gion : & certè non satis attentè inspexit montem Gion : nam alioqui vidisset in eo fontem Gion manantem. Gion nomen erat & monti & fonti commune, qui ex eo oriebatur. Aspicere istud potuit in Tabula Geographica Ierusalem amici sui Villalpandi : & in Tabula quoque eiusdemmet Adrichomij. Et nónne Scriptura disertè Gehon fontem esse dicit, 2. Paral. 32. vers. 30. Ergo Gion ex consensu omnium & Adrichomij etiam, fuit mons & fons, vbi obunctus Salomon. Et si vnus tantùm dissentiret Adrichomius, tam graue peccatum erat meum, qui dixerim, *ex consensu omnium :* vt in amico non potuerit dissimulari?

Secundum, ibidem paulò inferiùs, cùm inquit: *Certè Steucho cap. 2. Cosmopœiæ, impingunt Pererius & Maluenda existimasse ad hunc Gion, id est, ad Euphratem, & extremos Terræ promissæ fines Salomonem inaugurandum perductum fuisse. Sed ij auctores inuenerunt in Eugubino, quod ego in illo accuratissimè inspecto non inuenio.* Et post pauca : *Itaque non fuit illa Eugubini sententia; sed Aben-Ezræ.* Sed accipe P. Pineda verba Eugubini, cap. 2. Cosmopœiæ, quam tu citas: ad comma enim illud sacri Contextus Genes. 2. *Nomen fluuio secundo Geon,* ita ait: *Ac forte Geon iste est, de quo liber Regum loquitur, cùm de Salomone vngendo pater præcipit: Et ducite eum in Geon, & vngat ibi eum Sadok Sacerdos, & Nathan Propheta in regem super Israël. Quod suspicatus est etiam Rabbi Abraham : quanquam Chaldæus transtulit Siloë : & sequitur Nicolaus cum Rabbi Salomone. Est, inquam, fortè Geon iste ille paradisiacus : nam Euphrates alter fluuius paradisi attingit Iudæam: erat enim vnus è terminis quibus terra sancta claudebatur. Itaque & Gehon potuit ad aliquod aliud latus eam attingere : ibique tanquam in finibus regni, reges inungi.* Hæc Steuchus. Vides vt perspicuè opinatus sit, Gehon paradisiacum illúmmet fuisse vbi Salomon obunctus. Hallucinatio Pinedæ in eo fuit, quòd laudato à se cap. 2. Eugubini Cosmopœiæ, ipse non Cosmopœiam, sed Annotationes, seu Recognitiones capitis 2. Geneseos eiusdem Steuchi inspexerit. Sed ad institutum redeamus.

Equidem vt omnis dubitatio penitus auferatur, palámque constet, vnam eamdémque nauigationem institui à Salomone solitam in Ophir & in Tharsis, ac Tharsis in ea nauigatione non esse nomen proprium alicuius terrarum, sed mare ipsum magnum, seu Oceanum significare, per quod classes ipsæ pergerent in regionem Ophir; ex illa ipsa Iosaphati regis Iudæ adornata nauigatione in Ophir, planissimè res tota cognoscetur. Nam cùm ipsam attentatam ab Iosaphato nauigationem in Ophir, & lib. 3. Regum, & 2. Paralipomenon describant : illam quam liber Regum asserit factam in Ophir, eandem ipsam liber Paralipomenon ait factam fuisse in Tharsis : Et quod in Paralipomenis Vulgatus, vt in Hebræo erat, reliquit, dicens, *in Tharsis*, vel *Tharsis*, solùm : in libro Regum, cùm in Hebræo sit eadem vox Tharsis, eam disertè expositi, *in mari :* vt luculenter explicare voluerit Tharsis illud de quo in Ophirica nauigatione est sermo, nihil aliud esse, quàm *mare.* Verba Vulgati in vtroque libro sunt hæc : 2. Paralipom. 20. 36. *Et* Iosaphath *particeps fuit* cum Ochozia rege Israël, *vt facerent naues, quæ irent in Tharsis : feceruntque classem in Asiongaber: contritæque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.* Et 3. Reg. 22. 49. *Rex verò Iosaphath fecerat classes in mari,*

quæ

quæ nauigarent in Ophir propter aurum : & ire non poterant, quia confractæ ſunt in Aſiongaber.

Hæc meliùs intelligentur, ſi vtrumque locum ad verbum ex Hebræo exprimamus. Ille Paralipomenon ita habet : *Et iunxit ſe cum eo*, vt Caietanus & Sanctes. Vel, *Et iunxit illum ſecum*, vt Cornelius Bertranus, & Montanus. Aut, *Et aſſociauit, (conſociauit) eum ſibi*, vel, *ſecum*, vt Auenarius & Marinus. Seu, *& aſſociauit ſe cum eo*, vt Forſterus: *ad facere naues ad ambulare Tharſis : & fecerunt naues in Aſion-Gaber. Et confractæ ſunt naues, & non præualuerunt ad venire ad Tharſis.* Alter verò Regum in hunc modum redditur : *Iehoſaphath fecit naues Tharſis, ad ambulare in Ophir, auro ad aurum: & non ambulauit, quia confractæ ſunt naues in Etſion-Gaber.*

LXX. Interpretes in Editione Romana locum Paralipomenon ita conuertunt : *Et eundo ad eum (vel & communicauit cum eo) ad faciendum nauigia ad eundum in Tharſis. Et fecit nauigia in Gaſion-Gaber. Et contrita ſunt nauigia, & non potuerunt ire in Tharſis.* Illum verò ex Regibus, in hunc modum exponunt, 3. Regum, 16. *Et rex Ioſaphath fecit nauem in Tarſis ad eundum in Sophir ad aurum: & non iuit, quoniam contrita eſt nauis in Gaſion-Gaber.* Hæc diſertè noſtram ſententiam firmant. Immanuël Tremellius & Franciſcus Iunius vtrumque locum ita ſunt interpretati, illum ex Paralipomenis : *Eum* (Ochoziam) *autem conſociauit ſibi* (Ioſaphath,) *ad faciendum naues quibus obirent Oceanum: & fecerunt naues Hetzione Gaberi : ita confractæ ſunt naues, neque obtinuerunt vim obeundi Oceanum.* Alterum verò ex Regibus : *Iehoſchaphato decem fuerunt naues Oceani, quæ proficiſcerentur Ophirum, auri cauſa : ſed non iuit, quia fracta eſt claſſis Hetzione Gaberi.* Leo Iudas eoſdem locos huiuſmodi paraphraſi elucidauit, illum Paralipomenon : *In hoc verò* (Ioſaphath) *conuenit cum eo* (Ochozia) *vt pararent naues quæ irent in mari : & fecerunt naues in Ezion-Gaber. Confractæque ſunt naues, neque potuerunt venire in mare.* Alium autem Regum : *Ioſaphath fecit quoque decem naues, quæ per mare veniebant in Ophir, vt aurum (adueherent:) ſed non profectæ ſunt, quoniam fractæ fuerunt naues illæ in Ezion-Gaber.* Vbi Vatablus in Annotationibus Sanctandreanis hæc obſeruat : *Naues Tharſis, id eſt, naues tales, quibus vti ſolent in mari illo magno.* Et in Scholiis Salmanticenſibus : *Naues Tharſis, id eſt, naues marinas. Verius eſt vt Tharſis accipiatur pro mari : fecit marinas naues, ad differentiam fluuialium. Tharſis ſignificat mare ipſum, vt hic.*

Quod verò Tremellius & Iunius, ac Leo Iudas in loco Regum dixerunt, *Fecit decem naues*, qua etiam ratione legit Auenarius, ſciendum in Hebraïcis codicibus variam hoc loco circumferri lectionem : nam in quibuſdam eſt עשה *Aſah*, id eſt, *fecit :* in aliis verò עשר *Aſſar*, id eſt, *decem.* Sed prior lectio frequentior eſt & præſtantior.

Ex his igitur quæ hactenus accuratè obſeruauimus, facilè quiſque cernet, Vulgatum Interpretem, vnum & idem nomen Hebraïcum Tharſis, quod vtroque loco, & illo Paralipomenon, & altero Regum in Hebraïco fonte ponitur, (cum proculdubio vtrobique de vna eadémque omnino nauigatione ſit ſermo) in loco Paralipomenon reliquiſſe ininterpretatum, dicendo, *in Tharſis*: in loco verò Regum explicatè expoſuiſſe, *in mari*: atque diſertiſſimè declaraſſe quid Spiritus Sanctus per vocem Tharſis vtroque loco ſignificare voluerit, nempe mare magnum, & alrum, nimirum Oceanum : & ex conſequenti vnam & eandem prorſus fuiſſe nauigationem in Tharſis, & in Ophir, ſcilicet, quæ per Tharſis, id eſt, Oceanum, perageretur in Ophir certam & præſtitutam regionem.

Quid ad hæc Pineda reſpondeat, non admodum laboro, quod video ſanè illud eſt, me, niſi prorſus in mero meridie cæcutio, rem ipſam, quod aiunt, acu tetigiſſe : quam etiam meam ſententiam & vidit & amplexus eſt Ioannes Baptiſta Villalpandus in 27. Ezechiëlis, pag. 15. colum. 1.

Verùm hîc animaduertendus eſt error Ioſephi, qui lib. 9. Originum Hebraïcarum, cap. 1. illam Ioſaphati nauigationem in Ophir, de qua nuper dicebamus, putat fuiſſe factam per mare Mediterraneum: ait enim : *Erat autem* Ioſaphatus *amicus & Achabi filio, qui tum Iſraëlitis præerat, cum quo inita ſocietate parandarum nauium, quæ merces in Pontum peterent, ac in emporia Thraciæ, iacturam fecit haud minimam. Nauigia enim abſumpta ſunt naufragiis, quòd non benè regerentur præ magnitudine.* Ceterùm cùm Scriptura affirmet, naues confractas in Aſiongaber portu Sinus Arabici, vti norunt omnes, certum eſt eam nauigationem non potuiſſe in Pontum inſtitui, ſeu ad emporia Thraciæ, ni ſuperato promontorio Bonæ Spei, & vniuerſa Africa circumnauigata, atque toto deinde mari Mediterraneo emenſo : quæ & longiſſima, & periculoſiſſima, & ſtultiſſima fuiſſet nauigatio : cùm ex Ioppe portu Mediterranei, facilis, prompta, breuis, expedita potuiſſet adornari.

Quæ importaret Ophirica nauigatio.

CAP. XXXII.

SI primùm cum cura perueſtigemus quænam eæ merces fuerint, quas claſſes Salomonis ex Ophir adueherent, haud difficile erit, ex iis regionem ipſam Ophir certiùs indagare.

Aurum, Argentum, Gemmæ pretioſæ.

Referuntur in primis attuliſſe *aurum, argentum, & gemmas pretioſas.* At quis ignorat, vnam eſſe in toto terrarum orbe Indiam Orientalem præ cæteris omnibus regionibus felici harum rerum prouentu famoſam? De ea Herodotus lib. 3. num. 106. *Et ſanè pulcherrimas quodammodo res extrema orbis habitari pars ſolita eſt. Infinita vis auri, partim effoſſi, partim per flumina deuecti, partim, vt indicaui, ſurrepti.* Nempe à formicis Indicis, de quibus cap. 30. dicebamus.

Cteſias Gnidius in Excerptis Indicis apud Photij Bibliothecam : *Abundat præterea argento hæc regio, in qua ſunt & argenti fodinæ. Aurum quoque habet India.*

Diodorus Siculus lib. 2. num. 73. *Magna in India vis auri, argenti, ferri, æris, lapidúmque cuiuſlibet generis pretioſorum : imò cæterorum ferè omnium quæ ad delicias & diuitias pertinent.* Et num. 86. *Multùm ibi argenti & auri, nec parum æris, ferríque, & ſtanni naſcitur : cæteráque omnia quæ ad ornatum & vſum conducant, abundè ſuppetunt.*

Strabo lib. 15. pag. 481. *Item auri & argenti metalla in montibus dicuntur egregia, vt Gorgus indicauit metallarius.* Et pagina 489. *Propinquius veritati eſt, quod refert Megaſthenes, flumina auri micas*

deferre. Et pag. 498. *Hæc regio lapides pretiosos fert, vt crystallum, & varios carbunculos, & margaritas.*

Q. Curtius lib. 8. Rer. Alex. Magni: *Dives regio habebatur, non auro modò, sed gemmis quoque, margaritísque. Clypei militares auro & ebore fulgere dicebantur.* Et post multa: *Aurum flumina vehunt. Gemmas margaritásque mare littoribus infundit: neque alia illis maior opulentiæ causa est. Lapilli ex auribus pendent: brachia quoque & lacertos auro colunt. Cùm rex sanè in publico conspici patitur, thuribula argentea ministri ferunt, totúmque iter, per quod ferri destinauit, odoribus complent. Aurea lectica, margaritis circumpendentibus, recubat. Regia auratas columnas habet: totas eas vitis auro cælata percurrit, quium quarum vsu maximè gaudent, argenteæ effigies opera distinguunt.*

Plinius lib. 2. cap. 19. *Fertilissimi sunt auri Dardæ, Setæ verò argenti: sed omnium in India propè, non modo in hoc tractu potentia, claritatéque antecedunt Prasij, amplissima vrbe, ditissimáque Palibotra.* Et cap. 20. *Mons altissimus Indicorum Capitalia: huius incolæ alio latere auri & argenti latè metalla effodiunt.* Et lib. 37. cap. 13. *Terrarum autem omnium maximè gemmifera est India.* Et lib. 33. cap. 1. *Turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices, ac temulentiæ causa tenere Indiam iuuat: & aurum iam accessio est.* Et lib. 6. cap. 21. *Extra ostium Indi, Chryse, & Argyre, fertiles metallis, vt credo. Nam quod aliqui tradidêre, aureum, argenteúmque iis solum esse, haud facile crediderim.*

Pomponius Mela lib. 3. cap. 7. *Ad Tabin insula est Chryse, ad Gangem Argyre: altera aurei soli, ita veteres tradidêre: altera argentei: atque ita, vt maximè videtur, aut ex re nomen, aut ex vocabulo ficta fabula est.*

Solinus cap. 55. Polyhistoris: *Extra Indi ostium sunt insulæ duæ, Chryse, & Argyre, adeò fœcundæ copia metallorum, vt plerique eas aurea sola prodiderint, & argentea habere.* De Chryse insula Dionysius in Periegesi:

At postquam——
Circuitu Eoos longo lustraueris æstus,
Aurea currenti se proferet insula, cui se
Exoriens Phœbus puro magis exhibet ore.

De Chryse vide Ortelium in Thesauro.

Solinus cap. 55. *Indicorum lapidum in adamantibus dignitas prima.*

Sed & recentiores de Indiæ opibus mira scribunt. De cultu Regis Calecuth Aloysius Cadamustus cap. 73. suæ Nauigationis, hæc prodit: *Igitur Rex Calecuth ædes eminentissimas habitat, habens pro toro regio locum concameratum instar sacelli cuiusdam: pelnis figuram referebat, vt nos quandoque imagines Sanctorum collocamus, suppositis viginti puluillis sericeis, nec non instratis aulais, thronum panno sericeo inumbrauerat, qui purpuram præsentabat: ipse verò nudus conspiciebatur totus: circumduxerat bombycinum pannum candidissimum, eundémque subtilissimum, quem auro exornauerant: in capite gerebat birretum aurei panni, qui cassidem ferream referebat: perforatas habebat aures, inque eis adamantes, & saphyri, vnionésque duo, quorum alter obrotundæ figuræ erat, alter verò instar pyramidis, nucis auellanæ magnitudinem excedebat. In brachiis verò armillas aureas, à cubito vsque ad manum, distinctas lapidibus pretiosis innumeris, eisdémque incredibilis valoris, Crura verò pariter exornabantur: & in digito pedis vernabat lapis pretiosus splendore incomparabili. Condalia etiam in digitis manuum, hoc est annulos omnifariam: habebat smaragdos, adamantes, & id genus alios complures. Inter hos lapides, quidam fabam magnitudine superabat, baltheúmque habebat aureum, gemmis innumeris distinctum, adeo vt æstimationem omnem excederet. A latere verò regiam sedem argenteam, quæ bases & bracteas aureas habebat, easdem gemmis multiiugis variatas. In sua regia conspeximus currum quendam, id est, genus vehiculi, nos carpentum dicimus, miro lapidum, & gemmarum apparatu condecoratum: eò vectus fuerat ex solita regia in has maritimas ades. Id genus vehiculi trahunt viri duo. Hunc exornabant quindecim, & viginti buccinæ argenteæ, quarum tres erant ex puro auro, ac ponderis non mediocris, adeo vt earum quamlibet vir vnus fere nequiret: oras verò earum ditabant lapides pretiosi, eásque mira varietate distinguentes. His adiungebantur vasa quatuor argentea, trulláque aurea.* Hactenus Aloysius.

Ludouicus Vartomannus lib. 5. suarum nauigationum, cap. 13. de diuitiis regis Calecuth hæc narrat: *Quas verò margaritas, & id genus pretiosos lapillos Rex cultus circumferat, vix expedire præ magnitudine rei possum: excedunt enim æstimationem omnem. Auribus pendebant lapilli pretiosi, lacertósque ac manus, pedésve ac crura tot monilium genera honestabant decentissimè, vt satis pro rei magnitudine referri non possint. Regis thesaurus immensus creditur, quippe qui vix binis cellis continetur. Thesaurum efficiunt innumeræ aureæ bracteæ, laminas appellamus: & rursum tantum signati auri, quantum onerandis centenis mulis abundè sufficeret. Id asseuerabant eorum sacerdotes, qui regis arcanorum sunt callentissimi. Estque in primis magni pendendum, in memorato thesauro, monilibus, & id genus multiiugis, eisdemque pretiosissimis lapillis oppletum scrinium, ternis longum palmis, & item latum, circiter binis: pluriſque esse creduntur, quàm vt emptorem nanciscantur.* Magna quoque sunt quæ de opibus & magnificentia regis Calecuth tradidere, Castañeda, Osorius, Maffeius, & alij in Historiis Indicis. Et nos de diuitiis Ophir plura addemus cap. 35.

Ligna Thyina.

CAP. XXXIII.

LIgna Thyïna memorat Sacra Scriptura his tantum locis, 3. Regum. 10. 11. & 12. *Sed & classis Hiram quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina, multa nimis, & gemmas pretiosas. Feciítque Rex de lignis thyinis fulchra domus Domini, & domus regiæ, & citharas, lyráſque cantoribus: non sunt allata huiusmodi ligna thyina, neque visa vsque in præsentem diem.* Et 2. Paralipomenon, 9. 10. & 11. *Sed & serui Hiram cum seruis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, & ligna thyina: & gemmas pretiosissimas: de quibus fecit Rex, de lignis scilicet thyinis gradus in domo Domini, & in domo Regis: citharas quoque, & psalteria cantoribus: nunquam visa sunt in terra Inda ligna talia.* Apocalypsis etiam 18. 12. nominatur *omne lignum thyinum.*

Sciendum, quòd tribus illis locis, quibus in 3. Regum, 10. 11. & 12. noster Vulgatus dixit, *ligna thyina*, Hebraïcè est, ligna אלמוגים *Almughim.* Et duobus illis locis, 2. Paralipomenon, 9. 11. & 12. in quibus idem Interpres posuit etiam ligna thyina, Hebraïcè est, ligna אלגומים *Alghumim.* Ergo de Almughim & Alghumim, & de Thyinis magna

est

est contentio inter eruditos. Dicemus primùm de Hebraïcis vocibus Almughim, & Algumim: deinde de Græca Thyinis. Equidem varia iudicia eorum qui Hebraïca ex instituto tractarunt, non modicam lucem inferent ad veriorem & certiorem earundem Hebraïcarum vocum significatum, & vsum eruendum. Ioannes Reuchlinus in Lexico Hebraïco: *Algom, significat genus ligni cuiusdam pretiosi. 2. Paralip. 9. attulerunt aurum de Ophir, & ligna thyina. Inuenitur & in quibusdam locis Almog: multi putant esse Corallium.* Et rursus: *Almog lignum quoddam pretiosum significat: quod quandoque reperitur Almog, quandoque Algom.* Finxit singularia, quæ non extant.

Alfonsus Zamorensis in Lexico: *Almug, genus ligni pretiosi.* Caietanus in 3. Regum, 10. *Almughim, multi Hebræi & Latini intelligunt significare corallia: miræ autem magnitudinis erant, si corallia erant. Et habetur in Hebræo, ligna coralliorum, non vnica dictio, quam interpretantur corallia: corallium species est lapidis extractum ex aquis, quamuis sub aquis speciem habeat ligni tanquam fruticis: effecit natura, vt arbor sub aquis, durescat in lapidem extracta ad aerem: & propterea vtrumque Hebraïca littera sonat, dicendo, ligna coralliorum. Si corallia intelligimus, mirum est, quòd ex eis citharæ & lyræ confectæ sint: quia tamen videmus hodie ex alabastro fieri cannas instrumenti musici, quod vulgò appellatur, organum, non est incredibile, ex coralliis constructas lyras & citharas fuisse.*

Sanctes in Thesauro: *Alghummim, id est corallia, secundum Rabbi Dauid in libro Radicum; Alij, inquit, dicunt, quòd est genus ligni, quo aliquid tingitur, quod vulgò dicitur versino. Et per metathesim litterarum Almughim.* Idem Sanctes in sua noua Translatione, tribus illis locis 3. Regum, *corallia* simpliciter dixit: in duobus verò Paralipomenon, *ligna Alghummim.*

Ioannes Forsterus in Dictionario: *Almyghim, ligna pretiosa, quibus vsus est Salomon in ædificando templo, & domo sua, & fabricandis instrumentis musicis. Fortè illa sunt, quæ Apocalypsis 18. lignum Thyinum dicit. Legitur etiam per metathesim litterarum Algymmim.*

Franciscus Vatablus in Annotationibus Sanctandreanis, in 3. Regum 10. vers. 11. & 12. *Almugim, corallia. Ad verbum, ligna Almughim dicuntur 2. Paralip. 9. 10. Algummim. Quidam, inquit Doctus inter Hebræos, vocant corallia: alij verò vocant Brezil. Talia corallia. Ad verbum: sic ligna Almughim, id est, tanta copia coralliorum, siue lignorum, quæ vocantur Bresil.* Et in Scholiis Salmanticensibus, semper *Corallia* interpretatur: *Non venit, inquam, tanta copia corallij. Vel, non venerunt tam magna corallia.* Et in 2. Paralip. 9. vers. 10. & 11. *Algummim, vel, vt in Regibus legitur, Almugim. Hebræi dicunt significare corallium. Alij melius dicunt significare ebenum. Intellige igitur hìc tabulas ebeni: ebenus enim fuit in maximo pretio.* Et in Sanctandreanis: *Ligna Algummim Doctiores existimant fuisse ebenum: tabulæ enim ebeni in maximo erant pretio.*

Ioannes Mercerus in Thesauro: *Algum, vel iuxta alios Algom: quamquam singulare non reperitur: ligni pretiosi genus. Sunt qui cedri genus esse putent, alij quod vulgò Bresilium vocamus* אל *al, videtur esse arriculus Arabicus, qui ea lingua nominibus, vt Hebraïcè He Haiediah, præponi solet. Hoc ligno vsus est Salomon in construendo templo, domo sua, & instrumentis musicis. Quidam coniectant esse lignum Thyinum Apocalyp. 18. Dicitur & litteris transpositis Almughim. In Kimchi Bresil scribitur. Idem inquit, Arabicè appellari* אלבקם *Albakam.*

Ioannes Auenarius in Libro Radicum: *Almughim, ligna quæ non facilè putrescunt, & dissoluuntur; componitur ex* אל *al, non, &* מוג *Mog, dissolutus est. Singulare eius non inuenitur in Bibliis. 1. Regum 10. 11. Adduxit de Ophir ligna Almughim multa nimis. Et vers. 12. Et fecit Rex ex lignis Almughim fulcra pro domo Dei. Pro his scribitur Algummim, 2. Paralip. 9. vers. 10. & 11. Quod etiam potest esse ex* אל, *al, &* אגם *agam, humidus instar stagni cuiusdam.* ר *vau cum Daghes sequente innuit duplicem lectionem.*

Arias Montanus in Naturæ Historia, pag. 173. *Ad ædificiorum ornamenta & elegantiam ligna Almugim ex Ophyra Salomonis regis tempore Tyriæ classe apportata legimus: quæ neque corallium dici possunt à nostris: námque corallium bituminis seu fluoris, non ligni genus est: neque quid apud interpretem nostrum significet Thyina satis nouimus. Certè illa & eleganti colore, & magno, densóque robore commendata videntur. Nec verò eadem esse ligna Algumim, cum iis quæ Almugim vocantur, & elementorum varia sedes, & locorum adnotata celebritas arguunt: námque Almughim ex Ophyra allata, & noua sui specie & elegantia Salomoni placuisse legimus: Algumim verò non ita peregrina illis fuerant: sed certo & vicino loco nata, & nota, hoc est, in Libani siluis. Certè illa Thyina, hæc pinea Latinus Interpres dixit, 2. Paralipom. 2. 8. Sed & ligna cedrina mitte mihi, & arceuthina, & pinea de Libano. Verum Vulgato more euenit, vt recens, & peregrinum nomen Algum, quod cum re noua etiam allatum fuerat, in noti vocabuli attriti sonum cederet, duarum tantum consonantium G, M, transpositione: atque eo tempore, quo Iudææ Regum Annales conscribebantur, Almugim nomen in Algumim migrarat: vt & regionis Vphir; ex quæ Almugim delata fuerant: eadem tempestate in Pirn conuersum erat, cum adspiratam litteram in vocum principiis illa lingua non ferat. Atque hac annotatione vtraque, & prioris & posterioris historiæ lectio facilè in his conciliatur vocabulis Almug, & Algum, Vphir, & Pirn. Nomen autem Almug peregrinum, vnà cum re adsportatum esse, ipsa litteratura quinque elementis constans arguit, rarissimi in Sacra lingua exempli.*

Idem Montanus in sua Sanctis Pagnini Nouæ Translationis recognitione, in locis 3. Regum, vbi Sanctes, pro *Almughim, corallia* verterat; ipse originariam voem, Almugim, extrusis in marginem, *coralliis*, reposuit: & in locis 2. Paralipomenon vbi Sanctes in sua Translatione Hebraïcam vocem *Algummim* reliquerat: ille reiecta in oram voce *Algummim*, in textu *Corallia* scripsit. Quo certè consilio, ipse viderit.

Marcus Marinus in Arca Noë: *Algumim, nomen plurale absque singulari, rarum: nam ter solùm legitur, & incertum quid significet. Certum est autem genus arboris esse: nec assentior illis, qui asserunt idem esse quod Almughim per transpositionem litterarum: nam hæc ligna deferebantur ex Ophir, vt 1. Regum, 10. 11. illa verò ex Libano asportabantur, vt 2. Paralipomenon 2. 8. Et Algumim ex Libano. Nisi malimus dicere, hæc ligna etiam in Libano nasci: sed rariora, & ob id deferri ex Ophir: nam 2. Paralipomenon 9. 10. legitur de seruis Hiram & Salomonis, quod adduxerint ex Ophir ligna Algumim, pro eo quod 1. Regum, 10. 11. scribitur Almughim, vel error est librariorum. Quidam cedri genus esse putant alij*

Breſilium, (*Verzino*) : *alij tandem lignum thyinum eſſe coniectant. Ex Hebræis nonnulli corallia interpretantur.* Et rurſus : *Almugbim, nomen plurale maſculinum genere, quod ter ſolum legitur in Scriptura ſacra, idem quod Algumim, vt omnes ferè volunt: etſi putem nonnihil differre, vt diximus, vide ſuprà.*

Didacus Ximenius in Lexico : *Almugim ligna thyina. Vbi doctus quidam arbitratur Almugim ſignificare Gallicè* du Breſil, *& Hiſpanicè* Braſil. *Non ſignificat, vt aliqui voluerunt, corallium.*

Dauid Pomarius in Tremach Dauid: *Algom, Corallium; Almog, Corallium in maris fundo reperitur : cuius tres ſunt ſpecies, album videlicet, rubeum, & nigrum : vim poſſidet adſtringendi, ſanguinem præſertim à naribus exeuntem. Quicunque, vt aiunt, in collo ſuſpenſum illud gerit, dæmones illum lædere nequeunt.* Nugæ.

Emanuël Sà in 3. Regum, 10. verſ. 11. *Almugim, quidam corallia vertunt, alij ebenum, alij lignum Braſilicum. Chaldæus Coralliorum.*

Ergo his locis 3. Reg. & 2. Paralip. 9. *Almughim*, & *Algumim*, *Corallia* ſunt interpretati Chaldæus Paraphraſtes, Kimchius, Caietanus, Sanctes, Vatablus, Pomarius. De Curalio hæc Plinius lib. 32. cap. 2. *Quantum apud nos Indis margaritis pretium eſt, tantum apud Indos in Curalio. Namque iſta perſuaſione gentium conſtant. Gignitur quidem & in Rubro mari, ſed nigrius : item in Perſico, vocatúrque Iace : laudatiſſimum in Gallico ſinu, circa Stœchadas inſulas, & in Siculo circa Heliam, ac Drepanum. Naſcitur & apud Grauiſcas, & ante Neapolim Campania : maximéque rubens, ſed molle, & ideo vtiliſſimum Erythris. Forma eſt ei fruticis, color viridis : bacca eius candidæ ſub aqua ac molles : exemptæ confeſtim durantur, & rubeſcunt, quaſi corna ſatiua ſpecie, atque magnitudine. Aiunt tactu protinus lapideſcere, ſi viuat. Itaque occupari, euellíque retibus, aut acri ferramento præcidi. Hac de cauſa curalium vocitatum interpretantur. Probatiſſimum quàm maximè rubens, & quàm ramoſiſſimum, nec ſcabroſum, aut lapideum, vel rurſus inane aut concauum. Auctoritas baccarum eius non minùs Indorum viris quoque pretioſa eſt, quàm fœminis noſtris Vniones Indici. Aruſpices eorum, vatéſque in primis religioſum id geſtamen amoliendis periculis arbitrantur. Itaque & decore & religione gaudent. Priùs quam hoc noteſceret, Galli gladios, ſcuta, galeas adornabant eo : nunc tanta penuria eſt vendibili merce, vt per quam rarò cernatur in ſuo orbe. Surculi infantiæ adalligati, tutelam habere creduntur. Contráque torminum, ac veſicæ, & calculorum mala in puluerem igne redacti, potíque cum aqua auxiliantur. Simili modo ex vino poti, aut ſi febris ſit, ex aqua, ſomnum afferunt. Ignibus diu repugnant. Sed eodem medicamine ſæpius poto tradunt lienem quoque abſumi. Sanguinem reiicientibus, execrantibúſque medentur. Cinis eorum miſcetur oculorum medicamentis. Spiſſat enim ac refrigerat. Vlcerum caua explet. Cicatrices extenuat.*

Matthiolus 2. in Dioſcoridem reprehendit Plinium, quòd curallio baccas adſcribat : quas nullas habet: etenim ex eo torno & lima formantur. Ceterùm ex Plinio manifeſtè liquet, Indiam non ferre curalium, cùm tanti id velut ex altero orbe allatum ibi æſtimetur. Et Vartomannus lib. 6. Nauigationum, cap. 16. refert ſe præſente, Perſam Mercatorem vendidiſſe regi Pegu duos corallij ramos duodecim pyropis, qui centenis auri millibus fuêre æſtimati. Vnde exiſtimo *Almughim*, vel *Algummim* non eſſe *Corallia*, cùm illa in tanta copia & præſtantia adueherentur ex Ophir, quam Indiam eſſe dicemus. Tremellius & Iunius in 3. Regum, 10. v. 11. *Nam quod Almughim Curalium Hebræi interpretantur, alienum eſt ab iſtis operibus ad quæ adhibebatur : neque fuiſſet tam procul aduehendum, cùm in mari mediterraneo, & præſertim rubro abundè creſcat.*

Ebenum verò eſſe exiſtimarunt Vatablus in 3. Regum, 10. verſ. 11. & 12. & Conradus Clingius cap. 67 Locorum Communium. Ebenum quidem in India naſci notiſſimus Virgilij verſus canit 2. Georgicorum.

—*Sola India nigrum*
Fert ebenum—

Plinius lib. 12. cap. 4. *Vnam è peculiaribus Indiæ arboribus Virgilius celebrauit ebenum, nuſquam alibi profeſſus. Herodotus etiam Æthiopiæ intelligi maluit, in tributi vicem Regibus Perſidis è materia eius centenas phalangas tertio quoque anno penſitaſſe Æthiopas cum auro & ebore, prodendo. Romæ eam magnus Pompeius in triumpho Mithridatico oſtendit. Accendi eam Fabianus negat : vritur tamen odore iucundo. Duo genera eius : rarum, id quod melius, arborem, trunco enodi materiæ, nigri ſplendoris, aut vel ſine arte protinus iucundi : alterum fruticoſum cytiſi modo, & tota India diſperſum.* Hæc ille, qui de ebeno plura lib. 16. cap. 40.

Solinus cap. 55. *Sed vt piper ſola India, ita & hebenum ſola mittit, nec tamen vniuerſa, verùm exigua ſui parte ſiluis hoc genus edit. Arbor plerumque tenuis & frequentior, vimine raro, in craſſitudinem caudicis extuberata, hiulco cortice, & admodum reiculato, dehiſcentibus venis, adeo vt per ipſos ſinus pars inita vix tenui libro contegatur. Lignum omne mediale eadem fermè & facie & nitore, qui eſt in lapide Gagate. Inde Reges ex eo ſceptra ſumunt: & quaſcumque deorum imagines non niſi ex hebeno habent. Iidem ferunt materia iſta liquorem non contineri noxium, & quidquid maleficum fuerit, tactu eius auerti. Hac gratia pocula ex Hebeno habent. Ita nihil mirum ſi peregrè ſit in pretio, quo etiam ipſi, quibus prouenit, honorantur. Hebenum ex India Romæ Mithridatico triumpho primum Magnus Pompeius exhibuit.*

Sed ante hos Theophraſtus lib. 4. de Plantis, cap. 4. *Hebenus quoque Indicæ regionis vernacula eſt. Huius duo genera conſtant, alterum materie laudatum, pulchrúmque : alterum vile, vitiatúmque : rarum, quod præſtantius : reliquum permultum habetur : colorem commendatum, non recondita, ſed ſtatim ſua natura capeſſit : fruticoſa eſt cytiſi modo.*

Strabo lib 15. pag. 483. *Megaſthenes auctor eſt, in India naſci quoque Hebenum.* Sed de Æthiopia.

Herodotus lib. 3. num. 114. *Hæc & auri multum fert, & cùm agreſtes omnes arbores, tum verò ebenum.* Et num. 97. recenſens tributa, quæ Æthiopes Regibus Perſarum penderent, ait : *Duos chœnices auri nondum igniti, & ducentas phalangas* (faſces) *ebeni.* Reſtituendum in Plinio *ducenas*, pro *centenas*,

Seruius elucidans illum Virgilij verſum--*Sola India nigrum Fert ebenum.* annotat : *Atqui in Ægypto naſcitur. Sed Indiam omnem plagam Æthiopiæ accipimus. Sanè, & hæc hebenus, & hoc ebenum dicitur : hic neutro vſus eſt, Lucanus verò ait : --Hebenus Nareotica vaſtos non operit poſtes. --Hebenus autem arbor eſt, quæ cæſa dureſcit in lapidem. Equidem materiam eſſe præſtantem, & aptiſſimam faciendis iis quæ Scriptura memorat Salomo*

Salomonem ex lignis Almughim in templo confeciſſe, non eſt dubium.

Porrò *Almughim* eſſe *Braſilium*, quidam apud Kimchium exiſtimant: à qua ſententia non penitus abſunt Vatablus, Ximenius locis citatis, & Thomas Bozius lib. 20. de ſignis Eccleſiæ, cap. 3. materia certè elegans, & conficiendis operibus Salomonis idonea: & quæ iuuat eorum opinionem, qui Ophir nouum Orbem Colonium arbitrantur: nam in eo eſt *Braſilia* regio horum lignorum feraciſſima, à quibus nomen accepit.

LXX. Interpretes 3. Regum, 10. verſ. 11. & 12. ligna Almughim reddiderunt ξύλα ἀπελέκητα, id eſt, *ligna non dolata*: ita enim meliores & frequentiores codices habent, teſte Nobilio: quamuis nonnulli, πελεκητά, id eſt, *dolata*: ſed prior lectio præfertur. Theodoretus in 3. lib. Regum, quæſtione 34. Ἀπελέκητα, *id eſt, non dolata, quanam vocet ligna? Leuia, vt opinor, & quæ ſunt liberata à ramis* (vel *acuminibus.*) *Ioſephus autem ea dixit pinea, minimè pineis, quæ ſunt apud nos ſimilia: ligno enim ficulneo eſſe & albiora, & denſiora.* Iidem LXX. 2. Paralip. 9. v. 10. & 11. *ligna Algummim*, interpretati ſunt ξύλα πεύκινα, id eſt, *ligna pinea.* Theodoretus in hunc locum: *Quæ aduehebantur autem ligna, picea vocauit Ioſephus.*

Etverò Ioſephus lib. 8. Antiquitatum, cap. 2. *Almughim*, & *Algumim* diſertiſſimè, *pinea* eſt interpretatus illis locis ex 3. Regum, & 2. Paralipom. 9. ſic enim ait: *Per idem tempus allatis ex Aurea, ſicut vocant, Terra, gemmis & lignis pineis, ex hac materie Rex fulcra templi, ac regiæ fecit: eiúſque parte vſus eſt ad inſtrumenta muſica, cinnyras, & nabla, quibus Leuitæ diuinos hymnos ſolent accinere, nunquam enim antehac tam elegans apportata fuerat. Sed nemo ſic cogitet, quæ nunc pinea ligna vocantur, queue ad alliciendos emptores hac appellatione mangoniζant negotiatores, illis eſſe ſimilia: illa enim aſpectu ficulneam materiem referunt, niſi quòd candidiora ſunt & fulgentiora. Id quod admonere officij noſtri duximus, nequis per ignorantiam in his diſcernendis fallatur, quandoquidem res Salomonis in huius materiei mentionem nos induxerunt.* Hanc Ioſephi ſententiam ſecutus eſt Villalpandus tomo 2. in Ezechielem, pag. 513.

Si in vocibus difficilis & obſcuri ſignificatus, coniecturis relictus ſit aliquis locus, אלמוגים *Almughim*, poſſit videri compoſitum, ex *al*, id eſt, *non*, & *mog.* diſſolui, liquefieri, quòd eſſent ligna materiei ſpiſſiſſimæ, & denſiſſimæ, vel imputribilia, vt cedri, ebenus, & id genus, vel אלגומים Algummim, ab *al* articulo emphatico Arabico, & *Gome*, iuncus, vt indicet iuncos Indicos magnos, & pretioſos, excellentíſque materiæ. Propoſui hanc notionem in priori editione hac modeſtia: *Poſſet alicui in mentem venire, &c.* Pineda ſtatim me auctorem eius ſententiæ facit, aítque: *Sed illi tandem longius longiſſimo abierunt,* (à vero ſcilicet) *qui ea ligna intelligi poſſe putarunt magnos Iuncos Indicos: nam ex illis non poſſent commodè confici fulchra, & gradus templi, atque alia inſtrumenta muſica.* Et adiicit in margine: *Maluenda lib. 3. de Antichriſto, cap. 22.* Sed ne lectorem detineamus, parum comperti videntur fuiſſe Indici iunci, & fulchra & gradus templi, vt alia omittam, Pinedæ. In libro Regum, *fulcra*, Hebraïcè, *Meſaad*, ſingulariter fulchrum, collectiuè pro plurali. Vatablus & Auenarius, interpretantur, ſuſtentacula illa quæ ſolent eſſe ex vtraque parte aſcenſus cuiuſpiam, quæ ex vtraque parte gradus ſuſtinent, quibus manibus inniti ſolent aſcendentes & deſcendentes. Acceperúntque id à Lyrano, & Strabo. Tremellius & Iunius, fulchrum, ſeu repagulum. *Synecdochicè pro aſcenſu repagulis vtrinque munito, quo à domo Regis ad Domum Dei ibatur. Sic enim accipiendum eſſe oſtenditur* 1. *Chronicor.* 26. 16. & 18. & 2. *Chronicor.* 9. 11. & 13. In Paralipomenon verò dicuntur, *Meſſilloth*, *gradus.* Kimchius, Sanctes, & alij reddunt, *tigna*: ſed non rectè, vt reor; Montanus, & Marinus, *eleuationes.* Vatablus annotat: *Doctiores interpretantur lequearia, vel ornamenta columnarum: nam vox Hebræa ab exaltando dicitur. In libro Regum fulchra. Meſſilloth igitur ſunt illa additamenta, quæ opponuntur laquearibus aut columnis ornamenti cauſa.* Forſterus, Auenarius, Schindlerus, *ſtratas*, ſeu *vias* reddunt. Forſan ſunt, *corredores*, ò *galerias*, ò *balcones.* Petrus Comeſtor, *ſedilia.* Tremellius & Iunius, *aggeres*, ſeu *aggeſtam viam.* Ergo eiuſmodi fabricandis, vt etiam inſtrumentis muſicis magnos Iuncos Indicos aptam materiam eſſe, perſpicuum eſt. Verùm cunctis probè perpenſis, in tanta rerum obſcuritate, nihil certius & verius exiſtimamus, quàm cum noſtro Vulgato, ligna *Almughim*, vel *Algumim* eſſe *ligna thyina.* Et certè non dubito S. Ioannem Apocalypſ. 18. 12. loca 3. Reg. & 2. Paralip. de lignis Almughim, & Algumim, vel reſpexiſſe, vel interpretatum, cùm dixit *omne lignum Thyinum.* Iam quæ ſint ligna Thyina, elucidemus.

Rabbanus & Strabus in 3. Regum, 10. *Impetribilia, & ſpinoſa in ſimilitudine albæ ſpinæ, Thyina rotunda ſunt, & candida.* Lyranus: *In libro de proprietatibus rerum dicitur, quod ſunt ligna valde alba & polita, ita quòd imagines ibi reſultant.* Petrus Comeſtor: *Ligna thyina erant ſimilia lignis Setim, & odorifera.* Hos ſecuti ſunt Toſtatus & Dionyſius Carthuſianus.

Franciſcus Ribera in 18. Apocalypſ. verſ. 12. accuratè demonſtrat ex Homero, Theophraſto, Plinio, Thyon, vel Thyion, vel Thyiam, certum & peculiare arboris odoratæ genus eſſe, vnde dicta ſint in Scriptura ſacra ligna Thyina. Theophraſtus lib. 1. de Hiſtoria Plantarum, cap. 15. *Virent ex ſylueſtribus perpetuò, iuniperus, ſmilax, thyia.* Et lib. 5. cap. 5. *Thyium, quod Thyia ab aliis appellatur, naſcitur apud Ammonis fanum, atque in Cyrenenſi agro: forma cupreſſo ſimilis, cum ramis, tum foliis, caudice, fructúque: vel potiùs, ceu cupreſſus ſilueſtris. Copioſam vel vbi vrbs hoc tempore eſt, comperiri affirmant: atque etiam memorant, contignationes quaſdam vetuſtiſſimas Thyi: perdurat enim materies hæc incorrupta omnino. Radice huius arboris nihil criſpius, eáque pretioſa opera conficiunt: ſimulacra ex iis ſculpere ſolent.* Et lib. 5. cap. 3. De Macedonica materia ad ædificia: *Lauis enim eſt, & in operibus firmam rigiditatem habet, naturámque thyiæ.* Et lib. 4. cap. 1. *Montium cacuminibus, locíſque algentibus Thyia naſcitur, & excelſa quidem.*

Plinius lib. 13. cap. 16. *Nota etiam Homero fuit, Thyon Græcè vocatur, ab aliis Thyia. Hanc igitur inter odores viri tradit in deliciis Circes,* (Calypſo, ait Homerus,) *quam deam volebat intelligi: magno errore eorum, qui odoramenta in eo vocabulo accipiunt: cùm præſertim eodem verſu, cedrum, laricémue vnà tradat: in quo manifeſtum eſt de arboribus tantum locutum. Theophraſtus, qui primus à magni Alexandri ætate*

ſcribit, quæ circa vrbis Romæ quadringenteſimum quadrageſimum geſta ſunt annum, magnum iam huic arbori honorem tribuit, memoratas ex ea referens templorum veterum contignationes, quandámque immortalitatem materiæ in tectis contra vitia omnia incorruptæ. Radice nihil criſpius, nec aliundè pretioſiora opera. Præcipuam autem eſſe eam arborem circa Ammonis delubrum. Naſci & in interiore Cyrenaïcæ parte. De menſis tamen tacuit; & aliàs nullius ante Ciceronianam vetuſtior memoria eſt, ex quo nouitiæ apparent. Alia eſt arbor eodem nomine, malum ferens execratum aliquibus odore & amaritudine, aliis expetitum, domos etiam decorans, nec dicenda verboſius. Citrum proculdubio intelligit, Thyium quoque dictam, de qua pretioſas menſas olim fecêre Romani. Vide eundē Plinium, cap. præced. & Macrobium lib. 3. Saturn. cap. 19. At perperam ipſe Macrobius ibidem, & eum ſecutus Hadrianus Turnebus Aduerſariorum lib. 18. cap. 4. Thyiam in Homero interpretantur Citrum, his verbis: *Nam & Homerus qui citreum Thyion appellat, oſtendit eſſe odoratum pomum.* Verba Homeri ſunt, 5. Odyſſææ.

—τηλόθι δ' ὀδμὴ
Κέδρου τ' εὐκεάτοιο θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει,
Καιομένων—

Id eſt:

—procul verò odor
Cedríque fiſſilis, thiíque per inſulam redolebat
Ardentium—

Hîc enim thyiam arborem à Theophraſto, & Plinio deſcriptam intelligi, ſatis oſtendit Plinius ſuperioribus verbis. Sed qui nuper Commentaria in Homerum ſcripſit Ioannes Spondanus, nec errorem animaduertit: & in tranſlatione Latina, *thuríſque*, reliquit.

Athenæus lib. 5. cap. 10. deſcribens Aphrodiſium, id eſt, Veneris ſacellum, quod in naui Hieronis Syracuſani exſtructum fuit, inquit: *Materia tecti è cupreſſo, ianuarum, ex ebore & thyia.* Budæus vertit, *ex odorata materia*, Delecampius, *è cedro* (potiùs, *citro*) *Athlantica.* Sed cur in Athenæo propriè Thyinum lignum, ex arbore Thyia non accipiemus? De lignis Thyinis agit quoque Dioſcorides lib. 1.

Ergo aptè & commodè in locis ex Regibus, Paralipomenon, & Apocalypſi, poſſumus interpretari ligna thyina, quæ nimirum ſunt ex peculiari illa arbore Thyia à Theophraſto & Plinio deſcripta. At nihilominus quædam obſtant. Primum quòd Theophraſtus ait, eam apud Ammonis fanum, & Cyrenaïcam naſci. Videtur quod non India. Sed Plinius explicauit, præcipuè ibi naſci: cùm & alibi poſſit. Secundò, Quòd à Plinio inter arbores Indicas non referatur. Retulit tantùm proprias Indiæ: hæc & Indica & Amonica, & Cyrenaïca. Tertiò, quòd Theophraſtus dicat, naſci in locis algentibus: cùm India ſit calidiſſima. Sed idem Theophraſtus tradit, apud Ammonem & Cyrenem prouenire, quæ ſunt loca calida. Quartò, quia S. Ioannes ait, & omne lignum thyinum: at huius thyiæ non ſcitur niſi vna ſpecies. Forſan ſunt plures. Quintò quòd neceſſe erat ligna thyina aduehi ex Ophir, cùm propius peti poſſent ex Cyrenaïca, & Ammonica. Forſan Ophitica erant maiora, præſtantiora, & plura.

Ceterùm mihi rem penitiùs intuenti ſemper arriſit ſententia Antonij Nebricenſis, Tertia Quinquagena, cap. 1. ligna thyina in Scriptura à noſtro Vulgato generaliter dici ligna omnia quæ odorem optimum ſpirant, qualia ſunt cedrus, cupreſſus, iuniperus, thyia, & id genus alia, à Græco verbo θύω, id eſt, rebus odoratis ſuffio, odorem iucundum emitto: poſitúmque in Scriptura genus tantùm lignorum odoratorum, non determinatam alicuius arboris ſpeciem. Et quidem ſatis indicant verba Apocalypſis, *& omne lignum thyinum*, id eſt, omne lignum odoratum. Atqui ſic intelligimus ad Salomonem aduecta eſſe ex Ophir varia ligna thyina, id eſt, odorata, diuerſorum generum. Et vt preſſiùs rem ſtringamus, exiſtimo allata tunc ad illum Regem fuiſſe diuerſa genera lignorum odoratorum Ophiricæ regionis, ſeu Indiæ Orientalis propria, quæ nullibi alibi gentium naſcerentur, quibus ſanè ampliſſima illa terra abundat, ac inter alia ebenum quoque: cùm videamus noſtra etiam ætate à Luſitanis frequenter varia & præſtantiſſima, atque odorata ligna, nullibi alibi viſa, ex India ad pretioſiora quæque opera, ad nos importari. Et ſic ſimpliciſſimè capio verba ſacri contextus: *Non ſunt allata huiuſmodi thyina, neque viſa vſque in præſentem diem.* Equidem in India multas præſtantiſſimas, & odoratas arbores naſci, quæ alibi terrarum non proueniant, ex Theophraſto, Plinio, & recentioribus rerum Indicarum auctoribus, manifeſtius eſt, quàm vt demonſtratione ſit opus.

Conſultò diſtuli locum 2. Paralipomenon 2. verſ. 8. *Sed & ligna cedrina mitte mihi, & arceuthina, & pinea de Libano.* Eodem prorſus LXX. Hebræa ad verbum: *Et mitte mihi ligna Arazim, Beroſim, & Algummim de Libano.* Antonius Nebriſſenſis in Tertia Quinquagena cap. 1. hæc annotat: *Vulgò legitur: Sed & ligna cedrina, & arcentina; & pinea mitte mihi, antiqui* codices habent: *Sed & ligna cedrina, & cupreſſina, & archeutina, & pinea mitte mihi. Sed ei quod eſt pinea in Hebræo nihil reſpondet.* Mirum quod ait de voce *cupreſſina*, hîc olim lecta, quod à nullo annotatum extat. Addit verò Antonius: *Sed cùm Hieronymus rectè ſit interpretatus Arazim in cedrina, rectè quoque Beroſim in cupreſſina, videamus an rectè verterit in Arceuthina Algummim, ſiue Almugim: nam vtrumque legitur, ex illorum conſuetudine, qui plerumque litteras & ſyllabas inuertunt. Quòd ſi rectè interpretatus eſt hoc loco, perperam in 3. Regum, cap. 10. tranſtulit thyina. Aut igitur in alterutro loco mendum eſt librariorum, aut in Paralipomenis ſpeciem pro genere poſuit: in tertio Regum ipſum tantum genus lignorum: Sunt autem ligna thyina, quæ odorem optimum ſpirant, qualis eſt cedrus, cypreſſus, & iuniperus, qua nulla eſt arbor odoratior, dicta thyina à θυόω verbo Græco, quod eſt odorem emitto.* Sed quod Antonius ait, *Beroſim* rectè à S. Hieronymo interpretatum *cupreſſina*, ipſe viderit; cùm cupreſſina hîc ſit vox nihili, & Beroſim nullo pacto ſint cupreſſi, & alioqui S. Hieronymus *Beroſim* abietes, vel ligna abiegna vertere ſoleat, & nullibi cupreſſina.

In loco verò 3. Regum, 5. verſ. 8. & 10. qui huic 2. Paralipom. 2. verſ. 8. propriè reſpondet, tam in Hebræo, quàm in LXX. & in Vulgato duo tantùm genera lignorum ponuntur, nempe *Arazim*, & *Beroſim*, hoc eſt *cedri*, & *abietes*: nec ibi vlla Algumim mentio. Ioſephus 8. Antiquit. cap. 2. hæc ipſa loca Regum & Paralipomenon recenſens, primum ait ab Hiramo miſſas trabes cedrinas, & cypariſſinas: inferiùs verò addit, miſſam cedri atque pinus materiem. Kimchius, & Sanctes in libro Radicum, hîc *Algumim*, *corallia* interpretantur. Montanus, *breſilia*. Sà, *Pinea*, alij, *braſilia*,

ſeu

ſeu corallia. Vatablus annotat: *Docti inter Hebræos dicunt vocem Hebræam* Algumim *hîc ſignificare corallium: verùm doctioribus hoc non probatur, cùm de Libano loquatur, & corallium in mari naſcatur, poſtea dureſcat in lapidem.* Et hæc eſt veritas.

Hic ſanè locus, cur non fatear? vehementer me torſit ſemper. Nam ſi Vulgatus Latina verba ordine Hebræis reſpondentia poſuit, non eſt dubium, quin hîc *algumim*, *pinea* reddiderit. Sed quomodo alibi dixit *thyina?* facilè Montanus reſpondeat, diuerſam vocem omnino eſſe *Algumim* quæ ponitur hoc loco, & quæ 2. Paralip. 9. verſ. 10. & 11. ſcribitur. Vide quæ ex illo auctore ſuperiùs hoc ipſo capite deſcribebamus. Nec quieſcit animus: nam numeremus verba: hîc in Hebræo ordine ponuntur, *Arazim, Beroſim, Algumim.* Noſter, *cedrina*, *arceuthina*, *pinea.* De prima voce *Arazim* non eſt dubium, *cedros* ſignificare. Quod verò *arceuthina* pro *Beroſim* poſuit, id quidem nouum in Vulgato, præter morem, & vnicum. Occurrit vox *Beroſim* in Scriptura 19. vicibus tantum, in quibus omnibus locis Vulgatus ſemper *abietes* reddit, quatuor exceptis, 2. Samuël. 6. 5. vbi, *fabrefactis*, Pſalm. 104. 17. *dux eorum*, & Nahum 2. 3. *agitatores*: & hîc, vbi *arceuthina*: quod ſanè mirum, cùm nec ipſe Vulgatus alibi, nec Hebræi, nec vllus vnquam *Beroſim*, *Iuniperos* ſignificare tradiderit: ſed vel *abietes*, vel *buxos*, vel *fraxinos*, & Leoni Iudæ *pinos*, vel *piceas.*

Suſpicio ſit, Vulgatum non eodem ordine reddidiſſe voces Hebraïcas, vt ſunt in Fonte, & pro *Arazim* dixiſſe *cedrina*, pro *Beroſim pinea*, quòd pinea materia abieti ſit ſimilior, vt Theophraſtus lib. 3. de Plantis, cap. 10. & Plinius lib. 16. cap. 10. diſertè annotarunt: pro *Algumim* autem repoſuiſſe *arceuthina*, id eſt Iuniperina, quæ eſt ſpecies ex præcipuis *Thyinorum*, hoc eſt, odoratorum lignorum. De Iunipero plura Plinius lib. 16. cap. 40.

Si in Vulgato vetera exemplaria quæ pro *pinea*, *thyina* legerent voce ſatis conſimili, reperiri poſſent, ceſſaret omnis quæſtio. In codicibus Caietani, pro *arceuthina*, legitur *archetina*, forſan *archethyina*, id eſt, *principalia*, & primaria thyina, ac ſi dicas, thyina præſtantiſſima, thyina primæ notæ, quod inſtituto mirè congruit.

Vtcumque ſit, tametſi demus *Algumim* 2. Paralipom. 2. verſ. 8. diuerſa eſſe ab *Almuggim* 3. Reg. 10. verſ. 11. & 12. & ab *Algumim* 2. Paralipom. 9. verſ. 10. & 11. at *Algumim*, 2. Paralipom. 9. verſ. 10. & 11. eadem prorſus eſſe, quæ *Amulghim*, 3. Regum 10. verſ. 11. & 12. ſiue metatheſi, ſiue efformatione, tam certum eſt, vt delirium fuerit dubitare, cùm de vna eadémque omnino re, & de eiſdem lignis vtrobique ſermo ſit.

Pineda lib. 4. de Reb. Salomonis, cap. 18. §. 2. num. marginali 2. extremo, & num. 5. initio: & lib. 5. cap. 5. §. 14. num. marginali 83. apertiſſimè ait, Vulgatum Interpretem 2. Paralipomenon, 2. verſ. 8. *Algumim* reddidiſſe, *pinea*, & *arceuthina.* Quid hoc portenti? Et quid vulgatus fecit de *Beroſim?* Vni voci *Algumim*, ſimul, & ſemel duo ſignificata diuerſorum generum in eodem Scripturæ loco dedit: & interim *Beroſim* alget?

Dentes elephantorum, Simiæ, Paui.

CAP. XXXIV.

DEntes elephantorum. Hebr. vnica dictio *Senhabim.* Cajetanus ſimpliciter *elephantos* interpretatur. Ceterùm, Chaldæus, LXX. Vulgatus, & omnes miro conſenſu, *Senhabim*, dictionem compoſitam affirmant, ex *Sen*, id eſt, *dens*, & *habim*, elephanti. Vnus refragatur Pineda, ſed malo cum pluribus ſentire: præſertim cùm refellat ratione prorſus inualida. Sed ex qua lingua ſit *Habim* pro elephantis, nemo hactenus expediuit: niſi cui forſan in mentem veniat, *Habim*, eſſe ex tranſpoſito *Baham*, vnde eſt *Behemah*, id eſt, beſtia, & *Behemoth*, quo nomine certum eſt elephantum vocari Iob 40. verſ. 10. vel ſit ab *Ahab*, quaſi dicas, dentes deſiderabiles, expetibiles, ob pretium ſcilicet, & præſtantiam.

De elephantis Indicis Diodorus Siculus lib. 2. num. 89. *Habet India plurimos, maximóſque elephantes, qui fortitudine etiam, ac robore excellant.*

Strabo lib. 15. pag. 485. de Indicis elephantis: *Oneſicritus dicit eos ad trecenteſimum annum viuere, raros ad quingenteſimum: circiter ducenteſimum robuſtiſſimos eſſe, in vtero geſtare ad decennium. Maiores Libycis ac validiores, cùm ipſe, tum alij perhibent, cùm proboſcidibus propugnacula deiiciant, & arbores radicitus euellánt.*

T. Liuius lib. 37. cap. 39. *Ne pari quidem numero Indicis Afri elephanti reſiſtunt, ſiue quia magnitudine (longe enim illis præſtant) ſiue robore animorum vincuntur.*

Q. Curtius lib. 8. rerum Alexandri: *Elephantorum maior eſt vis, quàm quos in Africa domitant, & viribus magnitudo reſpondet.*

Plinius lib. 8. cap. 11. *Elephantes fert Africa, vltrà Syrticas ſolitudines, & in Mauritania: ferunt Æthiopes & Troglodítæ: ſed maximos India.*

Solinus cap. 28. *Indicos elephantos Mauri timent, & quaſi paruitatis ſuæ conſcij, aſpernantur ab his videri.*

Ælianns lib. 13. Hiſt. Animalium, cap. 8. *Cæterùm Indici elephanti nouem cubitorum altitudine, latitudine verò quinque habentur. Maximi illi qui Praſij appellantur. Secundi verò ab iis exiſtimantur Taxilæ nuncupati.* Et lib. 17. cap. 29. *Indorum regem hoſtibus bellum inferentem, bellatorum centena millia elephantorum antecedunt: tum verò aliorum maximorum & fortiſſimorum tria millia ſubſequuntur, ad hoſtiles muros ipſo incurſu euertendos inſtitutorum. Quum enim rex iubet, euertunt, idque pectorum ſuorum vi & impetu. Hoc ſe audiuiſſe Cteſias ſcribit: idémque Babylone ſe vidiſſe dicit, palmas ab iis ad moderatoris ſui iuſſum, violentiſſimo impetu extirpatas.*

Arrianus in Indico Commentario multa de elephantis Indicis, eorúmque venatione admiranda, ex Strabone deſcripta commemorat.

Philoſtratus lib. 2. de Vita Apollonij, cap. 6. plura narrat de multitudine & magnitudine Indicorum elephantorum: ac inter alia: *Quanto autem equo Nyſæo maior eſt Libycus elephas; tanto Libycis elephantis maiores ſunt Indici.*

Marcus tamen Paulus agens de inſula Medaigaſcar, quam omnes aiunt eſſe inſulam S. Laurentij ſub ima Africa, lib. 3. cap. 39. hæc refert: *Produ-*

cit hac insula plurimos elephantos, vt nulla in orbe sit regio, quæ plures illa habeat. Est in ea, & in alia insula, quæ Cuzibet vocatur, magna eboris nundinatio. Nam in toto orbe non putatur maior esse elephantinorum dentium copia, quàm in his duabus insulis. Sunt præterea in hac insula multa nemora sandalorum rubeorum, quorum gratia multæ ibi fiunt mercantiæ. Iuuant hæc eorum opinionem qui Ophir, vel Tharsis in Africa ad Oceanum fuisse credunt, nempe Sophalam, aut Madaigascarem : vnde classes Salomonis adueherent dentes elephantorum, & ligna forsan Brasilia.

Assentitur Marco Iulius Cæsar Scaliger exercitatione 204. cùm ait : *Notum est ex auctorum fide, Indicos elephantos esse maiores Afris. At iis qui in insula Maidegascar oriuntur, cedunt Indi.*

De elephantorum verò dentibus Plinius lib. 8. cap. 3. scribit : *Prædam ipsi elephantes in se expetendam sciunt solam esse in armis suis, quæ Iuba cornua appellat : Herodotus tantò antiquior, & consuetudo melius, dentes. Quam ob rem deciduos casu aliquo, vel senecta defodiunt. Hoc solùm ebur est, cætero, & in his quoque quà corpus intexit, vilitas ossea : quamquam nuper ossa etiam in laminas secari cœpere penuria. Etenim rara amplitudo iam dentium, præterquam ex India reperitur. Cætera in nostro Orbe cessere luxuriæ.*

Hîc illud obiter noto, dentes elephantorum cornua appellasse quoque præter Iubam, M. Varronem lib. 6. de Ling. Latina : *Nam quos*, inquit, *dentes multi dicunt, sunt cornua.* Sed Iubam etiam refutat Philostratus lib. 2. de Vita Apollonij, cap. 6. Cæterùm Ezechielis 27. 15. *Carnoth sen. Cornua dentis*, vel *eboris*, nam *Dens* simpliciter positum pro *ebore* extat 3. Reg. 10. 18. & cap. 22. 39. & Psalm. 44. 9. & alias.

Idem Plinius lib. 8. cap. 10. *Magnitudo dentium videtur quidem in templis præcipua : sed tamen in extremis Africæ, quà confinis Æthiopiæ est, postium vicem in domiciliis præbere, sepésque in his, & pecorum stabulis pro palis, elephantorum dentibus fieri, Polylius tradit, auctore Gulussa regulo.*

Sed & Aloysius Cadamustus cap. 43. & 44. suarum nauigationum, de elephantis Africæ agens, hæc refert : *Vidi ego aliquando illic occisum elephantem perquam mediocrem, cuius dentium amplitudo palmos ternos excedebat, eminebat ad duos palmos, verùm palmus contectus carne maxillæ immergebatur, vt totus occultaretur, vt sunt aliorum radices dentium. Et quoniam eorum senecta dentibus cognoscitur, aiebant argumento dentium amplitudinis ferè despicabilis, ipsum haudquaquam annosum fore, si conferatur aliis procerioribus, quorum dentes tantæ sunt magnitudinis, vt vicem postium suppleant, & pro palis sepes muniant, teste Plinio. Et vt ipsi referebant, nonnullis eò amplitudinis crescunt dentes, vt duodecim palmarum mensuram excedant. Et licèt præfecerim, hunc elephantum, si spectentur cæteri, minimè fuisse conspicuum : erat tamen tantæ proceritatis, vt vnus plus carnium haberet, quàm tauri quinque nostri.* Et post alia subdit : *Donaui Principem* Henricum Lusitanum *dente palmorum duodecim mirè à natura exornato.*

His consentientia tradit Iulius Cæsar Scaliger Exercitatione 104. *Vidi equidem vnum dentem me longè proceriorem. Itaque Aloysius Mustus octonum pedum agnoscit. In Indicis historiis scriptum est, duos elephanti dentes dependisse pondo trecenta viginti quinque.*

Herodotus lib. 3. num. 97. de tributo quod Æthiopes pendebant Regi Persarum, inquit : *Tertio quoque anno munera portabant, portántque ad meam vsque memoriam, binos semodios auri rudis, & ducenos fasces ebeni, & quinos Æthiopes pueros, & vicenos grandes elephantorum dentes.* Plinius lib. 12. cap. 4. *Non omittendum id quoque, vicenos dentes elephantorum grandes, quoniam ita significauit Herodotus, Æthiopas eadem causa pendere solitos. Tanta ebori auctoritas erat. Vrbis nostræ trecentesimo decimo anno : tunc enim auctor ille historiam eam condidit Thuriis in Italia.*

Quod ad Simias attinet, abundat iis Africa, sed proculdubio Salomoni ex Ophir aduectæ magnitudine, specie, colore, pulchritudine, aliisque naturæ dotibus fuere eximiæ, cùm tanquam res planè insignes & singulares adsportarentur. Et sanè sunt Indicæ Simiæ mirabiles. Strabo lib. 15. pag. 480. *Dicunt esse in ea silua maximam ingentium cercopithecorum, id est, caudatarum simiarum multitudinem : adeo vt cùm Macedones aliquando multos in collibus quibusdam apertis vidissent ordinibus stare instructis, (nam id animal ad humanum accedit captum, non minus quàm elephantes) exercitum putauerint esse, & in eos tanquam hostes contenderint : à Taxilo autem, qui tum cum Alexandro erat, re cognita cessasse.* Et pag. 483. *Megasthenes auctor est, cercopithecos maximis canibus maiores, & totos albos præter faciem, quæ nigra est (cùm apud alios contrarium sit) caudæ longitudine supra duos cubitos : cæterùm marsuctissimos esse, neque malignè insidiari, aut furari.*

Plinius lib. 8. cap. 21. *Orsei Indi simias candentes toto corpore venantur.* Et anteà dixerat : *Cercopithecos nigris capitibus, pilo asinino, & dissimiles cæteris voce.*

Arrianus in Commentario Indico : *Ergo neque de simiarum magnitudine, vel quod pulchræ apud Indos simiæ sint, vel quomodo capiantur, dicam : nota enim omnibus dixerim, præterquam fortasse, quod pulchræ sint.*

Ælianus lib. 16. de Historia Animalium, cap. 10. *In Prasiis Indicis simiarum genus esse ferunt, humanis sensibus, & magnitudine Hircanorum canum : tum earum comam etsi naturalem, artificio tamen homini veritatis imperito elaboratam videri : tum barbam ipsarum speciem satyricæ similitudinémque gerere, caudámque leoninæ similem spectari : reliquo corpore albas capite, & extrema cauda flauas esse.* Et lib. 17. cap. 25. *In India Clitarchus tradit, simiarum genera colore varia, & magnitudine præstantia oriri : tantámque earum in montibus multitudinem esse, vt vel Alexandrum Philippi filium magnis copiis septum ea frequentes perterrefecerint : quòd arbitraretur se sibi insidiantem exercitum videre. Nam cùm Alexandro se ostenderunt casu, excelso & recto corpore erant.*

Philostratus in Vita Apollonij lib. 3. cap. 15. *Preterea & simiarum genus longè diuersum ab iis, quas apud piperis arbores inuenerant. Sunt enim hæ nigræ, villosaque, & paruis hominibus similes.*

Quin & Photius in Excerptis Indicis Ctesiæ : *Dicit Ctesias de paruis simiis, caudas quatuor cubitorum habentibus.*

Recentiores, M. Paulus lib. 3. cap. 15. de regno Basman in Iaua minore : *Abundat quoque regio ipsa diuersis simiis magnis & paruis, hominibus simillimis.*

Scaliger Exercitatione 204. *In India mediterranea ingentes corpore, audacia ciuiles, vltro citróque non solum per agros, sed etiam per oppida in mercatibus, sine maleficio, aut offensione ciuium commeare.*

Tot

Tot earum ſunt ſpecies, forma, colore, cauda, iubis, magnitudine differentes, vt non parum negoty faceſſat hiſtoriæ ordinem meditanti. Etvero videmus ex Orientali India Luſitanorum claſſibus deferri plurimos & pulcherrimos cercopithecos. Sunt quoque in Nouo Orbe Colonio innumeri, ſed neutiquam magnitudine, forma, varietate, pulchritudine cum Indicis comparandi. De quorum ſolertia & ingenio affatim ſcripſit Ioſephus Acoſta lib.4. Hiſtoriæ Noui Orbis,cap.39.

Quos autem Noſter Vulgatus dixit, *Pauos*, vel *Pauones*, Hebraïcus fons vocat תוכיים *Thuchiiim*. Quam vocem Kimchius in libro Radicum ita enodat: *Thuchiiim. Dixit in eo Thargum, & Tauuaſin: & Tauuas forſan quod vocant eum in lingua barbara Paon. Et ſunt interpretantes Thuchiiim, animal quod vocant in lingua barbara Maiimon.* Nos dicimus *Gato maimon*. De voce verò *Tauuas* Elias in Thiſbi hæc annotat: *Thauuas, Eſther 1. in verſu, In diebus illis, cùm ſederet Rex Aſſuerus, &c. Thargum Ieroſolymitanum habet: Et è regione eius erat pauo aureus. Et Melachim 1. Simias & pauones. Thargum, ve Kophim, ve Tauuaſin. Auis eſt quæ etiam in lingua Arabica Thauuas vocatur, & in lingua Italica Pauone, & in lingua Germanica Pfohen.* Proculdubio eſt Græcum Ταὼς. de qua voce vide Athenæum lib.9. cap. 12. & in eum Caſauboni Animaduerſiones. Ergo Hebræi omnes,& Recentiores cum Chaldæo Paraphraſte & Vulgaro Interprete *Thuchiiim*, pauones eſſe affirmant. Hanc vocem LXX. in melioribus & frequentioribus codicibus omiſerunt. Forſterus & Mercerus putant eſſe peregrinam. Ioſephus 8. Antiquit. cap.2. videtur expoſuiſſe, *mancipia Æthiopica*. Forſan dicti *Thuchiiim* à *Toch*,id eſt, medium, quod pauones ſuperbia & oſtentatione ſemper in medio eſſe appetant, & ab omnibus videri. Hanc enim eorum eſſe naturam Plinius lib.10. cap.20. Ælianus de Animalium natura lib.5. cap. 21. tradunt, & Philoſtratus de Heroicis,in Alexandro.

De Indicis Pauonibus Ælianus lib. 16. cap. 2. *Sunt & Pauones Indici maximi omnium.* Et lib.13. cap.18. ſcribit ali eos in hortis regum Indicorum. Et lib.5. cap. 21. *Alexander Macedo eiuſmodi aues apud Indos videns, earum admiratione commotus, in eos qui has occiderent, grauem pœnam conſtituit.* De Pauone Indico rem planè miram Ælianus lib. 11. cap.33. narrat, quem tu conſules: & aliam Athenæus lib.13.c.8.

Si augurandum ſit, forſan ſub Thuchiiim comprehenſi quoque Pſittaci, voce non penitus abludente, vti etiam Tremellius & Iunius expoſuere. Nam hos quoque in ea nauigatione ad Salomonem allatos annotauit Toſtatus in 2.Paralipom.9. quæſt.5. Et forſan Vulgatus pauos generali vocabulo ſignificauit aues verſicolores & puchras quæ in deliciis eſſe ſolent. Et quamuis Colonius Orbis plurimas eiuſmodi aues mittat, at ſunt Indici pſittaci cæteris præſtantiores, & pulchriores.

Plinius lib. 10. cap. 42. *Super omnia humanas voces reddunt pſittaci quidem etiam ſermocinantes. India hanc auem mittit: ſittacen vocat, viridem toto corpore, torque tantùm miniato in ceruice diſtinctam. Imperatores ſalutat, & quæ accipit verba pronuntiat, in vino præcipuè laſciua. Capiti eius duritia eadem quæ roſtro. Hoc cùm loqui diſcit, ferreo verberatur radio: non ſentit aliter ictus. Cùm deuolat, roſtro ſe excipit, illi innititur, leuiorémque ſe ita pedum infirmitati facit.*

Solinus cap.55. *Sola India mittit Pſittacum auem colore viridi, torquéque puniceo: cuius roſtri tanta duritia eſt, vt cum è ſublimi præcipitatur in ſaxum, niſu ſe oris excipiat, & quodam quaſi præſidio vtatur extraordinariæ firmitatis. Caput verò tam valens, vt ſi quando addiſcendum, plagis ſit admonendus, (nam ſtudet vt homines alloquatur) ferrea clauicula ſit verberandus. Dum pullus eſt, atque adeò intra alterum ætatis ſuæ annum, quæ monſtrata ſunt, & citiùs diſcit, & tenaciùs retinet. Maior paulò ſegnior eſt, & obliuioſus & indocilis. Inter nobiles & plebeios diſcretionem facit digitorum numerus. Qui præſtant, quinos in pede habent digitos, cæteri ternos. Lingua lata, multóque latior quam cæteris auibus: vnde perficitur, vt articulata verba penitus eloquatur. Quod ingenium ita Romæ delicia mirata ſunt, vt Barbari pſittacos mercedem fecerint.*

Arrianus in Commentario Indico: *Pſittacos autem Nearchus narrat tanquam rem mirum apud Indos naſci, & cuiuſmodi auis ſit pſittacus deſcribit, ac vocem humanam exprimere ait. Ego quoniam multas eius generis aues vidi, nonnullas etiam volantes, noui autem, nihilque de ea tanquam mirum narrabo.*

Ælianus lib. 13. de Animal. cap. 18. de regiis ædibus regum Indicorum: *Vbi etiam pſittaci aluntur, & ſurſum deorſum vltrò citróque circù regem verſantur. Nec pſittacum idcirco Indorum quiſquam, etſi eorum magna illic multitudo ſit edit: quod eos ſacros putent, & Brachmanes quidem ex auibus plurimi hunc æſtiment.* Et lib 16.cap.2. *Apud Indos intelligo pſittacos aues naſci, quorum ſupra etiam nobis mentio facta eſt. Hi verba quæ didicerint, tanquam pueri reddunt, & ſermonis imitatione humani loquaces euadunt.*

Apuleius 2.Floridorum: *Pſittacus auis, India auis eſt: inſtar illi minimo minùs quàm columbarum, ſed nec colorum columbarum: non enim lacteus ille, vel liuidus, vel vtrumque ſubluteus, aut ſparſus eſt: ſed color pſittaco viridis & intimis plumulis, & extimis palmulis, niſi quòd ſola ceruice diſtinguitur. Enimvero cerulea eius circulo mineo, velut aurea torque, pari fulgoris circum actu cingitur & coronatur. Roſtri prima duritia: quum in petram quampiam concitus altiſſimo volatu præcipitat, roſtro ſe velut anchora excipit. Sed & capiti eadem duritia, quæ roſtro. Quum ſermonem noſtrum cogitur æmulari, ferrea clauicula caput tunditur, imperium magiſtri vt perſentiſcat: hæc ferula diſcenti. Diſcit autem ſtatim pullus vſque ad duos ætatis ſuæ annos, dum facilè os vtique conformetur, quum tenera lingua vti conuibretur. Senex autem captus, & indocilis eſt, & obliuioſus. Verùm ad diſciplinam humani ſermonis, facilior eſt pſittacus qui glande veſcitur, & cuius in pedibus, vt hominis quini digituli numerantur: non enim omnibus pſittacis id inſigne, ſed illud omnibus proprium. Quo eius lingua latior quàm cæteris auibus, eò facilius verba hominis articulantur, patentiore plectro & palato. Id verò quod dicit, ita ſimiliter nobis canit, vel potius eloquitur, vt vocem ſi audias, hominem putes.*

Photius in Excerptis Indicis Cteſiæ: *De aue pſittaco, quam lingua humana, & voce præditam eſſe dicit, corui magnitudine, & roſtro purpureo, barbámque geſtare nigram, collum habere cæruleum, quemadmodum cinnabari: loquíque ipſam Indicè, vt hominem, nec non Græce, ſi Græcum ſermonem docta fuerit.*

Memorabile eſt quod Olympiodorus Hiſtoricus in Eclogis apud Photium, *Refert de pſittaco, quorum annos ipſe viginti vixerit, vt nullam fere humanarum actionum, quam non imitaretur, omiſerit. Saltabat enim & canebat, & ſuo quemque nomine compellabat: aliáque id genus exprimebat.*

Nec

Nec absimile quod Cælius Lectionum Antiq. lib.3. cap.32. narrat, his verbis : *Caterùm nec silebo parte hac miraculum insigne nostris visum temporibus : Psittacus hic fuit Ascanij Cardinalis Romæ aureis centum comparatus nummis, qui articulatissimè continuatis perpetuò verbis Christianæ veritatis symbolum integrè pronuntiabat, perinde ac vir peritus enuntiaret. Quod quia præclarum est, ac dictu rarissimum, non fuit concilium transilire per incuriam.* Nec minùs miranda sunt quæ quotidie ab psittacis in hoc genere per Hispaniam fieri videmus, quorum magna est copia : nam & Hispanica disticha canunt, & prætereuntes propriis nominibus compellant, tam clarè & expeditè, vt putes homines loqui. Sed & recentiores auctores qui res Indicas tradidêre, mira de Indicis psittacis narrant.

Ergo ex his quæ hactenus de mercibus pretiosis ex Ophir ad Salomonem allatis copiosè diximus, magnum argumentum eruitur eas propriæ ei ex India Orientali adsportatas fuisse : præsertim cùm dentes elephantorum non potuerint ex nouo Orbe Colonio deuehi, vbi nulli vnquam elephanti sunt visi. Nec est verisimile Salomonem relicta viciniori India, rerum omnium præpotissimarum beata copia, inclyta, nauigationem longissimam laboriosissimam, adde, vt est certius, tunc incognitam, aut saltim non adeò exploratam suscepisse. At de his satis, nec libet argumentis & solutionibus sine numero belligerare. Nunquam crediderim Ophir ad quam Salomon classes mittebat, esse Peru, aut Nouam Hispaniam, aut aliam noui Orbis Occidui regionem. Refutarunt eam sententiam quòd Ophir sit Petu, Pererius lib.3. Comment. in Genes. Acosta lib. 1. de Natura Noui Orbis, cap.13. & 14. Pineda in Iob 28. vers.16. Berradius tom.1. Hist. Euang. lib.5. cap.11. Henricus Salmuth in Nouorepertis, titulo 1. de Nouo Orbe, Augustinus Torniellus in Annal. anno mundi 3043. num.7.

Ophir esse regionem Indiæ Orientalis.

CAP. XXXV.

MOses Genes.10.29. inter primarios posteros Sem, ac filios Iectan, recenset Ophir & Heuila. Atqui de Ophir, & Heuila, & aliis filiis Iectan, ibidem à Mose commemoratis Iosephus lib.1. Antiquit. cap 7. hæc ait : *Hi à Cophene flumine Indiæ, ad Assyriam vsque habitant.* Quæ si versa sunt, videntur Ophir & Heuila nihil ad gentes quæ inter Indum & Gangem incolunt, pertinere : cùm ex Strabone lib.15. Plinio lib. 6. cap.21. Arriano lib.4. rerum Alexandri, Philostrato lib.2. cap.3. & 4. constet, Indum vltra Cophem, seu Cophenem esse, ipsúmque Cophenem esse veluti terminum Occidentalem Indiæ. Ergo si Ophir & Heuila à Cophene flumine, retro ad Assyriam vsque habitarunt, terras citra Occidentales Indiæ terminos Syriæ propriores incoluisse videntur.

Sed existimo codices Iosephi in damno esse : nam S. Hieronymus in Traditionibus Hebraïcis, ea ipsa Iosephi verba recensens, ait : *Possederunt autem à Cophene fluuio omnem Indiæ regionem, quæ vocatur Ieria.* Et in locis Hebraïcis : *Ophir, sicut in Regnorum libris legimus, est insula vnde aurum afferebatur Salomoni. Fuit autem vnus de posteris Heber, nomine Ophir, ex cuius stirpe venientes à fluuio Cophene vsque ad regionem Indiæ, quæ vocatur Ieria, habitasse refert Iosephus : à quo puto regionem vocabulum consecutam.* Sed & de Heuila fratre Ophir idem S. Hieronymus in Locis Hebraïcis ait : *Sed & vnus de minoribus Noë, Euila dictus est : quem Iosephus refert cum fratribus suis à flumine Cophene, & regione Indiæ, vsque ad eum locum qui appellatur Ieria, possedisse.* Imò & Iosephus ipse eodem cap. 7. paulò anteà dixerat : *Semæ verò tertio Noë filio filij fuerunt quinque, qui Asiam vsque ad Indicum Oceanum incoluerunt, ab Euphrate propagandæ ditionis initio facto.* Et S. Hieronymus in Traditionibus, de eisdem filiis Sem : *Hi ab Euphrate fluuio partem Asiæ vsque ad Indicum Oceanum tenent.* Et S. Epiphanius in Anchorato, colum.1022. ait, filios Sem obtinuisse à Persida & Bactris vsque ad Indiam. Ex quibus perspicuum est, Iosephum, S. Hieronymum, S. Epiphanium existimasse Ophir & Heuila, cum aliis fratribus tenuisse regiones à Cophene flumine, vlterius versus Orientem, nempe ipsam propriè dictam Indiam : & non à Cophene retro versus Occidentem ad Assyriam, vt mendosa proculdubio Iosephi lectio significat. Nec dubitamus, cum consensu omnium, Iosephum, & S. Hieronymum Cophenem amnem statuisse terminum Occidentalem regionum quas habuerunt, Ophir, & Heuila, & alij posteri Iectam : non Orientalem.

Illud quoque manifestè liquet, S. Hieronymum in Iosepho non Assyriam, sed Ieriam legisse : sed cùm Ieria sit nihili vocabulum, nec apud vllum auctorem inter Indiæ regiones nominetur : non dubito, in Iosepho S. Hieronymo restituendam veram lectionem, nempe *Seriam*, vel *Sericam*, vnde *Seres* populi Orientis, cunctis Geographis celebres. Atqui in Iosepho facili lapsu, ab indocto librario pro σηρίας, vel σηρίας, quæ erat vera lectio, videtur positum συρίας id est, Syriam, vel Assyriam. Quid si in Iosepho, *Sophiram?* Ortelius in Theatro, in Tabula Indiæ hæc annotat : *India in duas regiones Gange flumine interluente dirimitur : quarum altera quæ Occidentalis est, Intra Gangem dicitur : altera ad Orientem magis, Extra Gangem cognominatur. In sacris voluminibus illam Euilath, hanc Seriam vocitatam legimus, Dominico Nigro teste.* Vbi nomen Seriæ in Scriptura? nisi forsan in his locis Iosephi, & S. Hieronymi. Melius dixisset Ophiriam.

Illud igitur auctoritate Iosephi & S. Hieronymi habemus Ophir esse Indiæ regionem sic dictam ab Ophir filio Iectam, qui primus eam incoluerit. Et quidem sustulit omnem dubitationem sacrata Vulgati auctoritas, qui perspicuè Iob 28.16. Ophir Indiam est interpretatus : nam quod in Fonte ad verbum est : *Non æstimabitur in massa* (auri) *Ophir*, ipse reddit : *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus.* Verùm vt certum est, non totam Indiam esse Ophir, sed certam eius partem : nam Heuila, aliíque fratres Ophir, alias Indiæ regiones tenuerunt, quas de suis nominibus appellarunt : ita diligenter perquirendum est, quænam Indiæ regio dicta sit Ophir.

Ioannes Reuchlinus in Hebraïco Lexico hæc habet : *Ophir filius fuit Iectan de stirpe Sem, cuius cognatio in Oriente habitauit, vt Genes.* 10. *Quando diuisæ sunt terræ & insulæ secundum familias filiorum Noë. Vnde Iectam cum liberis suis fertilissimum Indiæ fluuium Gangem, & proximam illi terram omnium ditissimam possedit. Eius duo filij Ophir & Heuilah largissimas auri fodinas sortiti sunt : quapropter regiones illæ nomina sumpserunt à duobus illis*

domi

dominis & poſſeſſoribus ſuis Ophir & Heuilah, vt Geneſ. 2. Nomen vni Phiſon: ipſe eſt qui circuit omnem terram Heuilah; vbi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum eſt. De altero ſcribitur 3. Regum, 9. Miſitque Hiram in claſſe illa, &c. qui cùm veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurum, &c.

Ioannes Forſterus in Lexico: *Ophir filius Iectan qui fuit nepos ipſius Sem, fratrem habuit Hauila: atque iſti duo fratres incoluerunt Indiæ regiones ad Gangem fluuium, quæ ipſorum nominibus appellatæ, auri fuerunt, & lapidum pretioſorum ditiſſimæ: ſicut de Hauila extat teſtimonium Geneſ. 2. Nomen vnius fluuij Phiſcon, & ipſe eſt qui circuit totam terram Hauila: vbi eſt aurum, & aurum terræ illius eſt optimum. Deinde auri in Ophir mentio fit, cùm alibi ſæpius, tum 1. Regum, 9. &c.* Eadem totidem verbis Mercerus in Theſauro ex Forſtero deſcribit.

In Paradiſo claris argumentis demonſtrauimus, Heuila eſſe Indiæ regionem: & coniecturabamus eſſe Gangaridam regionem, ſeu Bengalam, qua Ganges in Sinum Gangeticum exonerat, ſono etiam vocis applaudente. Quæ noſtra coniectura non admodum probata eſt Bernardo Aldrete Antiquitatum Hiſpanicarum & Africanarum lib. 3. cap. 9. magiſque putat eſſe Chaul prope Dabul in regno Decan, non longè à Gange. Sed ſi nos non fallunt Ortelius in Theatro & Mercator in Atlante maiore, vterque noſtri ſæculi Ptolemæus, in Tabulis Geographicis Indiæ, ducentas, & quinquaginta ferè leucas abeſt Chaul à Gange. Adde, quòd Chaul vrbs tantum eſt, non regio aut prouincia, vt Heuila, & Bengala.

Ioſephus de Ophir regione ad quam Salomonis claſſes nauigabant, lib. 8. Antiq. cap. 2. hæc ſcribit: *Quin & claſſem Rex* Salomon *in Ægyptio Sinu ædificauit, in quodam loco ad Mare Rubrum, qui nominatur Aſion gaber. Hæc nunc Berenice vocatur, non procul ab Elana vrbe, quæ regio tum in Hebræorum ditione cenſebatur. Et in hac quoque claſſe munificentia Iromi Regis amici fuit vſui. Viros enim gubernatores, & nauticæ rei peritos & miſit quoquot voluit: qui nauigantes cum regiis procuratoribus in regionem Indiæ, olim Sophiram, nunc auream terram nominatam, aurum illi adferrent. Hi collectis circiter quadringentis talentis, retrò ad Regem ſunt reuerſi.* Et poſtea: *Per idem tempus allatis ex aurea, ſicut vocant, Terra gemmis, & lignis pineis, &c.*

Theodoretus in 3. Regum, quæſt. 31. *Quid eſt Ophir? Eſt quædam regio Aſiæ, quam Geographi nominant Auream.*

Procopius Gazæus in 13. Iſaïæ, pag. 211. *Eſt verò Sophir Indiæ regio, in qua pretioſos lapides aiunt reperiri.*

Olympiodorus in 28. Iob. *Sophir regio eſt apud Indos, in qua tum pretioſi lapides, tum præſtantiſſimum aurum procreatur.*

Rabbanus & Strabus in 3. Regum, 9. *Ophir nomen Prouinciæ in India, ab Ophir vno de poſteris Heber nominantur: quæ & terra Aurea appellatur.* Eadem Comeſtor, Lyranus, Toſtatus.

Sed quid eſt quod Ioſephus, & Græci plerique Patres pro Ophir dicunt Sophir, aut Suphir? Nimirum ſecuti Septuaginta Interpretes qui pro Ophir legunt Sophir 3. Regum, 9. verſ. 28. & cap. 10. verſ. 11. & cap. 16. & 2. Paralip. 8. verſ. 14. & cap. 9. verſ. 10. & Iſaiæ 13. verſ. 12. Vbi etiam S. Cyrillus, *lapidem ex Sophir*, interpretatur, *Lapidem Indicum.* Druſius lib. 11. Obſeruationum, cap. 9. exiſtimat librarij mendum eſſe in LXX. ſic enim ait: *Conſtat* in LXX. *errorem eſſe in ſcriptura vulgata: neque mihi dubium, quin cauſa erroris fuerit librariis littera ξ, quæ in ſe continet duas conſonantes, videlicet κ, & σ, quarum poſterior, vt ſolet, coaluit cum dictione ſequenti. Nihil procliuius.* ἐξ ὤφειρ, ἐκ σόυφειρ.

Ergo Ophir, vel Sophir Ioſephus, Theodoretus, Rabbanus, Strabus, & alij Indiæ regionem, quæ Aurea terra nominetur, eſſe affirmant. De Aurea Terra, vel regione Indiæ, Arrianus in Periplo Maris Erythræi extremo: *Poſt hæc loca verſus Ortum nauigantibus, & habentibus à dextris quidem Oceanum, à ſiniſtris verò reliquas partes exteriores, occurrit Ganges, & quæ circum illum extrema Orientis Continens, Aurea dicta. Circa illam eſt Ganges maximus Indiæ fluuius. Feruntur præterea eiſdem in locis aurifodinæ eſſe.* Et Ptolemæus lib. 7. cap. 2. *Super Argenteam autem regionem, in qua multa eſſe dicuntur metalla non ſignata, ſuperiacet autem Aurea regio, Beſyngitis propinquans, quæ & ipſa metalla auri quamplurima habet.* De aurea verò Cherſoneſo agit eod. loco: & Stephanus Byzantius de Vrbibus, annotat Auream Cherſoneſum in India extra Gangem à Martiano Geographo commemorari.

Sciendum tamen Auream regionem diuerſam longè ſtatui à Ptolemæo ab Aurea Cherſoneſo, vt manifeſtè liquet ex eodem cap. 2. libri 7. & Vndecima Aſiæ Tabula. Aurea enim regio ponitur ab eo ſupra Argenteam regionem vltra Gangem: cùm Aurea Cherſoneſus multò vlteriùs versùs Orientem & Meridiem ab eodem conſtituatur: nimirum inter Gangaridum regionem, hodie Bengalam, & Auream Cherſoneſum, interiacent regiones Argentea, Aurea, Beſiingites, Lectores. Etverò Aureæ Continenti eundem propemodum ſitum quam Ptolemæus, etiam Arrianus aſſignare videtur. Auream Cherſoneſum Mercator inſulam Iapan eſſe exiſtimauit. Vide eius de ea re diſputationem apud Stukium in ſcholiis Peripli Erythræi, pag. 102. Sed omnes ferè aiunt eſſe Malacham. At Ortelius in Theatro: *Mihi*, inquit, *Samotra videtur. Inſulam eſſe ignorauit antiquitas: quia minimè à Græcis aut Latinis circumnauigata.* Quod quidem valde probo. Vnde Ortelio, Lectorum regio Ptolemæi, potius erit Malacha. De Aurea Cherſoneſo plura obſeruauit Stukius in Scholiis ad Periplum Maris Erythræi, pag. 98.

Si in Ptolemæo & Arriano locorum ſitus rectè & verè deſcripti ſunt in terris tunc non admodum cognitis, Aurea regio videtur eſſe Pegu, aut certè non longè abeſſe: quod etiam annotauit Gaſpar Varrerius in Commentario de Ophirica regione. Quocirca ſi Ophir eſt Aurea Terra, vt vult Ioſephus, cui plurimi aſſentiuntur, facile intelligimus, Ophir eſſe opulentiſſimum, & ditiſſimum regnum Pegu. Gaſpar Varrerius qui hæc exquiſitè perueſtigauit, inquit: *Quapropter omnem illam oram, quæ Peguſiis, Malaca, & Somatra continetur, apud diuinam Hiſtoriam Ophiram regionem eſſe appellatam, facilè contenderim, ob locorum vicinitatem, quam inter ſe habent: nam ora ea maritima à Sinu Gangetico in Peguſium, hinc autem in Malacham excurrit.* Quam ego ſententiam non poſſum non vehementer probare. Sed referamus breuiter recentiorum eadem de re ſententias. Reuchlinus, Foſterus, Mercerus in Lexicis aiunt Ophir eſſe regionem Indiæ non procul à Gange. Honcala Geneſ. 10. cum S. Hieronymo, regionem Indiæ aſſerit. Ribera in 1. Ionæ: *Ophir autem*

tem insula est nobilissima & maxima, quam veteres falsò existimarunt esse peninsulam, & Chersonesum; supra quam insulam in Continente est vrbs Malacha, ad Septentrionem, & regnum eiusdem nominis. Hodie aut Zamatra dicitur.

Ferrerius in 13. Isaiæ, vers. 12. *Ex Ophir autem loco Orientali effodi optimum aurum, testis est Moses.* Adamus Sasbout in eundem Isaiæ locum: *Est autem Ophir insula Indiæ, ex qua aurum laudatissimum euehebatur.* Matthias Bredembachius in Psalm. 44. *Erat autem aurum optimum, ex Ophir Indiæ regione aduectum, cuius fit mentio 3. Reg. 9.* Pererius lib. 3. Comment. in Genes. regionem Indiæ esse astruit. Maffeius lib. 1. Rer. Indic. *Altera in Ortum spectans ora, à Comorino tractu, per Bengalæ fines, quà Ganges in Oceanum influit: pérque Pegusia, & eius tractus alia ditissima regna (quam terram Ophir ac Tharsis, quidam haud sanè absurdis coniecturis existimant:) desinit in Aueam Chersonesum: qua in regione prænobile emporium Malacha visitur hodie.* Et lib. 16. *Ex Bonferri Franciscani postea litteris de origine Pegusiorum acceptum, stirpem eos ab Iudæis exulibus ducere, qui ab Salomone dominati ad Ophiranas aurifodinas, ea loca primi tenuerint.*

Acosta lib. 1. de Natura Noui Orbis, cap. 13. *In Orientali potiùs India, quam in Occidentali Ophir esse existimem.* Agellius in Psalm. 44. vers. 9. *Ophir regio est Indiæ optimi auri ferax.* Fungerus in Trilingui Etymologico: *Ophir à Iosepho Iudaïc. Antiquit. lib. 8. cap. 2. perhibetur fuisse Aurea Chersonesus, in India sita supra Gangem, Ortum versus, iuxta Sinum quem Magnum appellant.* Laurentius Ananias in Fabrica mundi, tract. 4. existimat esse insulam Malachæ vicinam, nempe Samatram, Barradius tom. 1. Historiæ Euangelicæ lib. 5. cap. 13. *Crediderim ergo Ophir esse regionem Orientalis Indiæ, ab Ophir filio Iectan, sic dictam.* Et posteà de rebus pretiosis ad Salomonem aduectis: *Hæc omnia deferebantur ex terra Ophir, siue Tharsis, hoc est, ex Insula, quam Samatram nos appellamus, ex Pegu, & Malacha, quæ Aurea Chersonesus vocatur. Vbi eboris, aurique magna copia.* Emanuël Sa in 3. Regum, 9. vers. 28. *Ophir, hodie dicitur Peru: vel est Angola: vnde Lusitanis multùm auri. Hieronymus epist. 140. locum putat esse in India. Quidam Malacam credunt, alij insulam prope Malacam, quæ hodie Zamatra vocatur.* Christophorus Castrus in Ieremiæ 10. numero 11. *Ophir sunt qui existiment esse insulam Malacæ propinquam Zeffalam, vel Zamatram: alij Taprobanam, miris modis à priscis celebratam.* Zeffalam Malacæ propinquam? Apagè. Nam est immane interuallum, ab ima Africa ad extremam Indiam.

Torniellus in Annal. an. mundi 3043. num. 8. *Magis placet illorum sententia, qui Ophir inter Orientales Indiæ regiones ponunt. Quæ verò fuerit ista regio, non est omnino clarum. Quidam enim opinantur fuisse insignem illam insulam, quæ nunc Somatra, antiquitus verò & communiter putant Cosmographi, Taprobana dicebatur. Alij autem non insulam aliquam, sed illam Indiæ regionem quam Ptolemæus Geographiæ lib. 7. in Tabula Asiæ 11. Auream Chersonesum vocat: nunc autem Malacam appellant. Et hoc videtur magis congruere.* Ioan. Buxtorfius in Lexico Hebr. *Ophir, proprium nomen viri Genes. 10. 29. item regionis cuiusdam Indiæ, auri pretiosi ditissimæ, 1. Reg. 9. 28. quam Iosephus lib. 8. cap. 2. dicit olim Sophiram, nunc auream terram appellari.*

Andreas Capella in 20. Ierem. vers. 9. *Ophir regio quædam, quæ vt refert Iosephus lib. 8. etiam Aurea Terra nuncupatur.*

Ioan. Maldonatus in Ieremiæ 10. vers. 9. *Regio Ophir, quæ, vt videtur Iosephus sentire, erat aurea Chersonesus.*

Stukius in Scholiis ad Periplum Maris Erythræi, pag. 98. *Constat Auream Chersonesum cognominatam ob auri magnam vim, quæ in illa nascitur. Quidam, vt Iosephus, existimarunt hanc esse regionem, illam Ophir, ex qua sacræ literæ testantur, magnam auri optimi copiam Salomoni fuisse aduectam. Alij tamen volunt Ophir esse Cephalam: alij regionem Pegu hodie dictam: nonnulli Taprobanam, siue Sumatram: quæ omnes auro abundant.*

Franc. Iunius, & Tremellius Emanuel in Notis ad 3. Reg. 9. aiunt, *Ophir esse Auream Chersonesum, vt explicat Iosephus.* Valentinus Schindlerus in Pentaglotto: *Ophir filius Iectan, ex posteris Sem: vnde Ophir regio Indiæ auro abundans nomen accepit: quæ & Aurea Terra, teste Iosepho, libro 8. Antiquitatum. Inde quoque aurum Ophir.*

Henricus Salmuth in Nouorepertis, Titulo 1. de Nouo Orbe: *Quapropter verosimilius est, Salomonicam classem ad terram Ophir dimissam, ad Taprobanem, Malacham, Auream Chersonesum, aliásque Orientis auriferas terras nauigasse. Nam Taprobanem olim Auream Chersonesum à quibusdam auctoribus: ab aliis verò Ophir dictam, ex qua Salomon opum suarum magnitudinem implesset, etiam Ioannes Linschoten tradit in Nauigatione Indiæ Orientalis, cap. 19.* Verba Ioannis Hugonis Lintscotani cap. 21. sunt: *Insula quæ olim Taprobanæ nomine insignis fuit, hodie Sumatra dicta: à quibusdam verò Historicis Chersonesus Aurea appellatur. Sunt qui dicant, Ophir esse, vnde Rex Salomon aurum templo ædificando acceperit: qua de re in sacris literis agitur.* Extat eius Nauigatio 2. Part. Indiæ Orientalis.

Nec dubitari potest, tametsi Salomonis classes propriè & destinatò Ophiricam regionem petissent, alia quoque vtriusque Indiæ ditissima emporia in itu & reditu Ophirico frequentasse, nimirum insulam Zeilam, Bengalam, & id genus terras, vnde res pretiosissimas deuehere potuerint.

E re erit, vestigia quædam Ophiricæ Salomonis nauigationis in Indiam, post multa sæcula relicta, à quibusdam obseruata hîc inserere. Iosephus Barbarus Patritius Venetus, qui se affirmat anno Domini 1471. legatum à senatu Veneto missum ad Asimbeium Vssumcassanum Persarum regem, in Persico suo Itinerario agens de Armuzia, aliisque portubus Indicæ nauigationis hæc prodit: *Vnius illinc* (nempe à Camara vrbe) *diei itinere distat pons quidam, qui supra Bendamyrum latissimum fluuium extructus est. Pontem hunc Salomonem ad Oumaiæ villam ædificasse ferunt. Mons illi vicinus rotundus quidam est, qui ab vno latere disruptus esse videtur: ad eundem accessus sex passus in altitudinem tendit. In summitate montis planities est: circum autem circa columnæ quadraginta, quæ Cilminar appellantur, quod nostro idiomate quadraginta columnas significat. Harum qualibet viginti brachiorum longitudinis est, crassa verò adeò, vt tres circumplecti homines eam possint: quædam ex his destructæ iam sunt. Et ex hoc colligi potuit, ædificium aliquod splendidum quondam ibi fuisse. Posteà supra planitiem illam saxum est solidum, in quo exculptæ plurimæ hominum sunt imagines, gigantum instar proceræ: & supra omnes has figura in circulo vna similis iis nostris, per quas Deum*

Patrem

Patrem intelligimus, eiuſdémque in manu globum fingimus: & ſupra eam aliæ ſunt ſculpturæ paruæ in oppoſitu figuræ cuiuſdam hominis, arcui incubantis, quæ Salomonis repræſentare perſonam dicitur: inferiùs aliæ multæ ſunt, quæ maiores ſuos ſupra tenent: atque inter minores illas figura quædam eſt, quæ in capite Papalem geſtat mitram: hæc brachium extenſum, manúmque apertam habet, quaſi benedictionem illis, quæ infra ſunt, impertitura: eæ autem vniuerſæ eam reſpiciunt, videntúrque certiſſimè atque auidè benedictionem expectare. Paulo antè figura quædam grandis, equeſtriſque eſt, quæ hominem præ ſe fert robuſtum, & validum: & hanc dicunt eſſe Samſonem. Eam penes figuræ ſunt aliæ innumerabiles habitu omnes Gallico veſtitæ, capillis longis. Ac omnes quidem illæ figuræ ſtatura ſunt media. Duorum illinc dierum itinere villa quædam diſtat Thimar dicta: & ab eadem ſimili rurſum ſpatio alia quædam villa, vbi monumentum quoddam extructum eſt, in eadémque ſepultam Salomonis matrem eſſe dicunt. Supra hoc capella facta, & in pariete illius characteres Arabici ad hunc modum expreſſi: Mater Sulcimen, *hoc eſt*, Mater Solomonis. *Locus ille ab incolis indigitatur*, Meſſeth Sulcimen. *Quod nos Templum Salomonis eſſe dicimus. Porta illius Orientem verſus ſpectat.* Hactenus Ioſephus. Exſcripſit eadem ex Ioſepho Petrus Bizarus Sentinas lib.12. Perſicæ Hiſtoriæ. Non poſſum in hac narratione, ſi vera eſt, aliud intelligere, quàm nautas illos Salomonicæ claſſis, & Ophiricæ nauigationis, eo in loco & matri Salomonis honoris gratia cœnotaphium exſtruxiſſe: & Salomoni monumentum aliquod. Nam alibi ſepultis, alibi cœnotaphia etiam cum inſcriptionibus conſtrui ſolita, docet Dionyſius Halicarnaſſeus Romanarum Rerum lib. 1. vbi de variis Æneæ ſepulchris differit. Et ſunt ea de re plura obſeruata Ioanni Kirchmanno lib.3. de Funeribus Romanorum, cap. 27.

Ferdinandus Mendez Pintus Peregrinationis ſuæ cap. 20. agens de regno Campar, quod eſt in ora Samatiæ oppoſita continenti Malachæ, inquit: *Affirmant indigenæ ex propriis gentis Annalibus, in hoc regno habuiſſe Reginam Saba ædes commercij: vnde aſſerunt quendam eius in rebus Agentem, cui nomen erat Nauſem, miſiſſe ad illam ingentem auri ſummam: quam illa poſtmodum Salomoni donauerit ad Templi fabricam, & ornatum.* Hæc ille. Forſan Salomon exemplo Reginæ inuitatus, Ophiricam nauigationem aggreſſus eſt.

Et quidem noſtra de Ophir ſententia illuſtratur quoque haud dubiè Eupolemi vetuſti Scriptoris auctoritate, qui apud Euſebium lib. 9. Præparationis Euangelicæ, cap.4. de Dauid rege hæc narrat: *Itaque comparaſſe ipſum æris, argenti, auri talenta non pauca: lapides etiam, & ligna cupreſſi atque cedri: naues enim eum præparaſſe in Achanis Arabiæ ciuitate, miſiſſéque in Inſulam Vrphen in Rubro Mari poſitam, auri metallis abundantiſſimam: vnde in Iudæam innumerabilia pænè pondo auri delata fuiſſe.* Hæc ille. Nec mirum exoticum auctorem non penitus res Iudaïcas perſpectas habuiſſe: & Ophiricam Salomonis nauigationem Dauidi patri adſcripſiſſe. Nam Vrphen inſulam Ophir ipſum ſignificaſſe, non eſt cur ambigamus. Rectéque dixit poſitam in Rubro Mari: ſiquidem Erythræum, ſeu Rubrum Mare antiquis dici Oceanum magnum ab Æthiopia vſque interiorem Indiam & Auream Cherſoneſum in Paradiſo cap. 49. abundè demonſtrauimus: & ex vno Arriani Maris Erythræi periplo; id facilè colliqueſcit. *Tironem*, inquit Scaliger in Guilandinum, *in litteris admodum eſſe oportet, qui de hoc dubitet.*

Sed vt hoc etiam auido lectori adiiciamus, ipſum expendere velim, num Ophir, ſit *Vppara* conſentiente voce, quod Arrianus in Periplo ait eſſe Indiæ emporium, Suppara habet Ptolemæus lib. 7. cap. 1. ſed fortaſſe legendum Vppara, vt in Arriano. Ex ſitu locorum videtur Vppara fuiſſe vltra Calecuth, non longo tamen interuallo. Verùm à communi de Ophir ſententia non recedo.

Pretioſas merces quas Ophirica nauigatio importabat, optimè conuenire iis terris Indiæ, in quas tunc naues Salomonis nauigaſſe diximus.

CAP. XXXVI.

DE extrema India Dionyſius Alexandrinus in Periegeſi:

Indorum felix ſe porrigit vltima tellus:
Horum pars auri venas, ortúmque requirens,
Vomeribus curuis diteis proſcindit arenas:
——aliiſque reſectos
Cura eſt argenteos elephantûm radere dentes:
Veſtigant alij torrentum littora, propter
Berylli glaucum lapidem, nitidiue adamantis
Lumina, vel viridis pulchram fulgoris Iaſpin,
Aut glaucum lapidem, rutila cum luce topazi,
Aut amethyſtum ridentem lene ruborem.
Omnigenas quippe edit opes hæc terra Colonis.

Sed de regno & terra Pegu, quam propriè exiſtimamus eſſe Ophir, Ludouicus Vartomannus lib. 6. ſuæ Nauigationis, cap. 15. hæc prodit: *Ibi perpauci ſunt elephantes, reliqua verò animalia, & auium genera complura illic conſpiciuntur. Habent præſertim pſittacos vocaliores, quàm vſquam alibi offenderim, eoſdémque pulchriores. Sunt item ibi proceriora ligna, fabricandíſque ædibus aptiora, quàm viderim vnquam. Inueniuntur ibi feles, qui vnguentum illud fragrantiſſimum gignunt, quod vulgò Zibellum dicitur, Mittit memorata vrbs præter monilia, præſertim pyropos. Illud etiam noueritis in vrbe præfata adamantes grandiores, margaritáſque longè pluris eſſe, quàm apud nos.* Et cap. 16. de diuitiis Regis Pegu inquit: *Omnium tamen eſt ditiſſimus quippe qui tanto monilium cultu, & cum primis pyropum exornatur, vt vel maxima vrbs tanti non væniret, quanti ſunt gemmæ, vniones, margaritæ, & id genus lapilli pretioſi, quibus is elegantiſſimè honeſtatur. In digitis verò condalia, & gemmæ nitent, crura autem bracteæ ex puriſſimo auro longè inſigniunt, intercurſantibus pyropis mirandum in modum micantibus; vt breue faciam, manus, lacertos, auréſque omni genere monilium onuſtas circumfert, adeò vt aures pondere gemmarum appenſo, pendulæ ad medium palmum conſpiciantur: propterea ſit, vt ſi quiſpiam tenebricoſa nocte regem conſpicatus fuerit, non aliter illi lumen clariſſimum illuceat, quàm ſi Phœbus ipſe radios ſuos vibrauiſſet.*

In Regione Aurea conſtituit Ptolemæus lib. 2. cap. 2. *Triglyphon*, vel *Triglypton regiam quod & Trilingum. In hac, inquit, Galli gallinacei barbati eſſe dicuntur, & corui, & pſittaci albi.* At Triglypton, Caſtaldus, Belloforeſtus, Stukius, Mercator, Ortelius, Maffeius, rectè & verè exiſtimant eſſe

Pegu vrbem : addit Stukius : *Ipsius verò Pegu regnum maximis opibus, diuitiis, mercibus abundat.* Osorius lib. 12. de Rebus Emanuëlis : *Pegu regio est latissima, & maxima fertilitate prædita. Gemmis præterea variis, & auri, & argenti metallis abundat. Multis in rebus sunt Sinis vitæ cultu simillimi.*

Ferdinandus Mendez Pintus cap. 148. suæ peregrinationis describit thesaurum Regis Pegu, qui erat in Martabano maritima vrbe Pegu, atque ex ore Pauli Sexias Lusitani qui illum vidit, tradit, fuisse magnas ædes in modum templi, plenas laterculis & frustis ex solido auro, vsque ad tectorum summa fastigia : vt duæ ingentes onerariæ naues vix totum illud aurum caperent : *ad hæc viginti sex grandiores arcas, in quibus erant thesauri Bresagueni quondam Regis Pegu : præterea auri centum triginta millia biçarum, hoc est, sexaginta quinque auri milliones. Argenti verò tam immanes aceruos, vt quatuor maiores onerariæ ferre non possent : fuisse etiam statuam Quiay Frigau Idoli ex auro solido gemmis innumeris inæstimabilis pretij adopertam, cui vix similis in toto orbe reperiri posset.* Eodem capite addit : Regem Bramaa auexisse ex vrbe Martabano, quam sexcentis millibus pugnatorum cepit & euertit, prædam plusquam centum auri millionum.

Anno Domini 1614. Madriti vidimus fidelissimam relationem ad Philippum Regem ex India missam, quam nobis ostendit Comes Salinarum Lusitanici Senatus Præses, Philippo Britto de Nicote Lusitano Duci strenuissimo, qui cum delecta Lusitanorum militum legione, cum sociis & amicis regibus magno prælio interfuerat, parta victoria, in parte prædæ cessisse septingentos auri milliones ex thesauris Regis Pegu : quos superiores reges congesserant : nec tamen hanc fuisse maiorem thesaurorum partem.

De innumeris elephantis Regni Pegu multa scribit Ioannes Hugo Lintscotanus in 4. parte Indiæ Orientalis, cap. 2.

De Aurea Chersoneso, siue ea sit Malacha, vt omnes ferè aiunt, siue sit Somatra vt magis Ortelio placet : mirum est quòd scribat ista Ortelius in Thesauro in voce *Ophir* : *Sed hanc Chersonesum auri diuitem olim fuisse, nemo veterum, quod sciam, auctor est : neque nunc etiam esse, ex recentioribus palam est.* Sed non de nihilo censendum est Aureæ ei factam appellationem. Emanuël Lusitaniæ Rex epist. ad Leonem X. Pontificem hæc ait : *Aurea Chersonesus quam Malacham accolæ appellant, ea est inter Signum Magnum, & Gangeticum sita. Vrbs miræ magnitudinis, vt quæ viginti quinque millium, & amplius larium censeatur. Terra ipsa fœcundissima, ac nobilissimarum quas fert India mercium feracissima : celebratissimum ob id emporium : vbi non modò varia aromata, & omnigeni odores : sed auri quoque & argenti, margaritarum, ac pretiosorum lapillorum magna copia affluit.* Eadem habet Stukius in Scholiis ad Periplum Maris Erythræi, pag. 98.

Sed & Munsterus libro 5. Cosmographiæ, pag. 1082. *Aurea Chersonesus : hæc peninsula habet ob nobilitatem suam hanc denominationem, eo quod abundet auro, lapidibus pretiosis, & variis aromatum generibus. Vocatur nostro æuo Malacha : estque ibi celeberrimum emporium.* Et Vartomannus lib. 6. cap. 17. *Aromata & complura alia mercimonia omnifariam eodem conuehentur. Aruis inerrant alites instar regionis Calecuth : verùm psittaci sunt illis longè meliores. Mittunt item arua Sandalium, stanúmque, elephantes, pauos, &c.*

De Samatræ verò insulæ diuitiis & opibus fusè scribit Vartomannus lib. 6. cap. 18. & seqq. & inter alia ait : *Mittit ea regio numerosius proceriores quàm vnquam alibi conspexerim, elephantos, eosdémque meliores.*

Osorius lib. 6. Rerum Emanuëlis : *Zamatra est Æquinoctiali circulo subiecta, & Aureæ Chersoneso ea parte, quæ ad Austrum pertinet, opposita. Regio est mira fertilitate prædita. Abundat ea insula plurimum auro, cuius gratia in eam mercatores vndique commeant.*

Stukius in Scholiis ad Periplum Arriani Rubri Maris : *Sumatram Osorius auri abundantissimam esse dicit : cuius gratia mercatores in eam vndique commeent. Barbosa similiter multas in illa aurifodinas, aurique magnam copiam reperiri scribit. Idem in Menancabo certo quodam illius insulæ regno fontem esse auriferum testatur.* Maffeius lib. 4. Rerum Indic. *Auri est apprimè ferax, ex quo Chersonesum Aueam prisci appellarunt. E siluis inter alia primæ notæ sandalum album, agallochum : itémque vulgare piper, & piper oblongum, &c. mittit.* Magna est quæstio, num celebris auctoribus Taprobana sit quæ hodiè Samotra : an potiùs Ceilanum. Esse Samotram Vartomannus, Munsterus, Osorius, Mercator, Linscotanus, Salmuth, & plerique alij, ac fermè Geographorum vulgus. Sed esse Ceïlanum, Ioannes Barrus, Andreas Corsalus, Garcias ab Horto, Gaspar Varrerius, Petrus Maffeius, Abraham Ortelius existimant : in quorum sententiam ipse libens eo. Agit ea de re pleniùs in Scholiis Peripli Maris Erythræi, pag. 88. vsque ad 93.

Diuitias Taprobanæ mirificè Scriptores extulere. Strabo lib. 15. pag. 473. *In ea elephantos gigni dicunt.* Dionysius Alexandrinus in Periegesi :

Ingens Coliadis se protinus insula diues
Taprobanæ feret, Asiacûm genitrix elephantûm.

Plinius lib. 6. cap. 22. *Onesicritus elephantos ibi maiores, bellicosiorésque quàm in India gigni scripsit. Megasthenes, auri margaritarúmque grandium fertiliorem quàm Indiam.* Et post multa : *Sed ne Taprobane quidem, quamuis extra orbem à natura relegata, nostris vitiis caret. Aurum, argentúmque est ibi in pretio ; gemmæ, margaritæque in honore multò præstantiores, & totius luxuriæ nostræ cumulus. Ipsorum opes maiores esse dicebant : sed apud nos opulentiæ maiorem vsum.* Solinus cap. 56. *Elephantis repleta est, maioribus multo quàm quos fert India. Margaritis scatet, & gemmis omnibus.* Et post alia : *Mirantur aurum, & ad gratiam poculorum omnium gemmarum adhibent apparatum. Margaritas legunt plurimas, maximásque.*

De opibus verò insulæ Ceilani multi prodidêre. Marcus Paulus lib. 3. cap. 22. *Seilam vna putatur de melioribus mundi insulis. Habet insula ditissimum regem. Mittit hæc insula multos lapides pretiosos, præsertim rubinos, sapphyros, topazios, amethystos, & alios nobiles lapides. Habet rex insulæ rubinum, quo pretiosior in orbe non putatur esse : nam habet longitudinem vnius palmi, & crassitudinem trium digitorum : rutilat vt ignis ardens, omni carens macula. Obtulit magnus Cham insignem ciuitatem quandam illi regi pro hoc lapide : verùm recusauit rex, saltem ex eo nomine, quòd à prædecessoribus suis illum habuerit.*

Ludouicus Vartomannus lib. 6. cap. 3. *Fert regio in primis elephantos complures, inibique pyropos eruunt : non longè enim vt pote ad geminum lapidem, visitur mons vastissimæ longitudinis, ad cuius radices*

pyropi

pyropi inueniuntur. Hi ſunt lapilli pretioſi, vulgò rubini appellantur. Haud procul ab dicto monte innumeri pretioſi lapilli inueniuntur, interfluente maximo amne, hyacinthi præſertim, ſaphirique, ac topazij, & id genus lapides complures.

Munſterus lib. 5. Coſmographiæ, pag. 1091. *Eſt Zaylon regio latiſſima, & refert imprimis elephantos complures: habet etiam montem vaſtiſſimæ longitudinis, ad cuius radices pyropi, vulgo rubini inueniuntur, hyacinthi, ſapphiri, topazij, & id genus lapides complures.*

Oſorius lib. 4. de Rebus Emanuëlis: *Multi præterea pretioſiſſimi lapides, atque multiplices è ſaxorum ingentium venis eruuntur: & gemmæ etiam incredibili multitudine, & ſingulari colore, atque fulgore, extractis oſtreis è profundo maris gurgite, reperiuntur. Ad hæc miram elephantorum copiam nutrit.*

Stukius in Scholiis ad Periplum Maris Erythræi, pag. 92. 93. *Siluæ præterea omnis generis auibus reſonant, plurimi ſunt ibi pauones, gallinæ, &c. Auri & argenti, atque ferri plena eſt. Multi denique pretioſiſſimi, atque multiplices lapides, vt adamantes, rubini, ſapphiri, topazij, amethyſti è ſaxorum ingentium venis eruuntur, & margaritæ etiam incredibili multitudine, & ſingulari colore atque fulgore. Hæc de beatiſſima illa inſula Indicarum nauigationum auctores paſſim prædicant.*

Maffeius lib. 3. Rer. Indic. *Elephantes gignit egregiè bellicoſos ac dociles: plurimas fert gemmas: verum præcipua claritate ſapphiros, chryſolithos, pſeudopalos, ac pyropos: itemque aromata pretioſa.*

Hugo Lintſcotanus in Indica Nauigatione, cap. 16. *Sunt in hac inſula gemmæ omnis generis, excepto adamante, ſunt ſapphiri, rubini, topazij, ſpinelli, granati, robaſſi, & quidem totius Orientis optimæ. Capiuntur ibidem vniones, ſed viliores illis, qui Bareni ad Armuſſiam capiuntur. Sunt ibi venæ auri & argenti, aliorúmque metallorum. Elephantorum ibi greges ſunt innumeri, neque per totam Indiam inuenies illis nobiliores, nec generoſiores. Experientia teſtatur in hunc diem, quòd ſi quis ex cæteris Indiæ elephantis ad hoſce adueniant, non niſi cum reuerentia quadam & delato honore eos accedant.* Deſcripſerunt hanc Ceilanum inſulam omnes quos modò citauimus: ſed inſignis eius deſcriptio extat in Athlante Maiore Gerardi Mercatoris, cum pulchra geographica Tabula, pag. 349.

De Tarnaſari vrbe in Ora Occidua Sinus Gangetici hæc habet Vartomannus lib. 6. cap. 7. *Aruis etiam inerrant paui complures, pſittaci item omnium pulcherrimi, albicantes, ſepteno præſertim colore diſtincti.* Eadem habet Munſterus lib. 5. Coſmographiæ, pag. 1091.

De regno Bengalæ Vartomannus lib. 6. cap. 13. inter alia: *Huius regni tanta eſt rerum omnium vbertas, vt nihil quod ad humanos vſus pertineat, deſideres. Ob eam rem nuſquam alibi ditiores, locupletioréſque inueniuntur negotiatores: Sunt etiam ibi innumeri exteri mangones, qui gemmas, lapilloſve pretioſos præſtinant ab incolis.* Eadem Oſorius lib. 11. & Stukius in Scholiis ad Periplum Maris Erythræi, pag. 97.

De regno Auaa vltra Bengalam, Stukius ex Odoardo Barboſa, pag. 100. annotat: *Regio Aua elephantis abundat. In eadem omnis generis gemmæ, imprimis verò rubini, & ſpinelli (qui & ipſi rubinis colore ſimiles, ſplendore ſunt inferiores) plurimi naſcuntur.* De Siam regno, Pegu confini ſubdit: *Auri magna copia, tum in vniuerſo regno, tum verò atque in primis in regione Paan reperitur, quæ eſt iuxta Malacham.* Et poſt alia: *Regni proceres, non modo crepitacula aurea, quod Peguenſes quoque, & alij facere ſolent, verùm etiam adamantes gemmas in membro virili geſtare conſueuerunt.* Addit Oſorius lib. 7. extremo: *Siamenſe regnum duodecim millia elephantorum habere dicitur: è quibus quatuor millia ſemper ad ſubitos bellorum caſus armata ſunt.*

Nec mirum; de Rege Calaminam interioris Indiæ vltra Pegu, refert Ferdinandus Pintus in ſua Peregrinatione, cap. 165. *Habere ad bella quinquaginta ſex millia elephantorum. Atque ex annuis redditibus capere viginti milliones auri.* Idem auctor cap. 39. ſcribit, *in Regno Indiæ Quitiruano, eſſe Xincaleu Aurifodinam, quæ ſingulis annis redderet viginti duos auri milliones.* Et de argenti fodina vrbis, *Quangeparu Regni Quachinchinæ*, addit idem Ferdinandus cap. 132. *Hauriri quotannis quatuor millia talentûm argenti, hoc eſt, Hiſpanicè.* Quintales.

Innumera, & immania, ac planè incredibilia ſunt, quæ de opibus, & diuitiis Indiæ Orientalis auctores plurimi tradidere: vt non ſit mirum ex Ophir, aliiſque emporiis Indiæ Salomonices claſſes aurum & argentum in tanta abundantia, & alias pretioſiſſimas merces, quas Scriptura commemorat, deuexiſſe. Et facile creditu eſt, ne dum eas quas diximus regiones, ſed etiam Cocinum, Calecuthum, Goam, & alia viciniora Indica emporia Salomonis naues frequentaſſe. Caietanus in 3. Regum, 10. opportunè notauit: *Intelligo, quòd quemadmodum Salomon miſit in Ophir pro auro: ita mittebat ad inſulas aromatum, puta Taprobanam, Calicuth. &c. quemadmodum Sultanus Ægypti faciebat ætate noſtra: & modò facit rex Portugalliæ.*

Hîc paucis reſpondendum, primùm P. Pinedæ: deinde cuidam alteri. Pineda lib. 4. de Rebus Salomonis, cap. 17. numero marginali 1. in Villalpandum & in me, quòd dixerimus omnes eas merces quas Scriptura memorat claſſes Salomonis attuliſſe, nempe aurum, argentum, gemmas pretioſas; ligna thyina, ebur, ſimias, pauos, ex vna eademque Ophirica regione, ſeu India Orientali: tametſi forſan ex diuerſis eiuſdem Indiæ locis adſportaſſe; ita inquit: *Quare corrigendi omnino (Villalpandus & Maluenda) qui rem vtramque cõfundunt, atque vtriuſque regionis (Ophir & Tharſis) merces permiſcent, & c.*

Corriguntur quidem manifeſtè lapſus, & errores; aut in rebus ahuc cõtrouerſis iuris eſt cuiuſque in ſuo abundare ſenſu. Iam Pineda extra omnem aleam poſuit Tharſis in ea Salomonica nauigatione non eſſe Oceanum Erythræum, aut non eſſe certam aliquam Indiæ regionem: vel eſſe Hiſpaniam; vt contrarium aſſerentes omnino corrigendos cenſeat? Fruatur lautè ipſe ſua opinione: non inuideo: mihi certè, & multis quos ſecutus ſum, nondum eam perſuaſit.

Durius illud quod Ferdinandus quidam Scalantius in Clypeo Concionatorum lib. 5. cap. 36. col. 1122. ſcribit in hæc verba: *In ſacris Bibliis luce clarius mentio fit de vtroque Peru. Sed quod diximus Ophir eſſe ampliſſimam illam regionem Americanam, vulgò dictam Peru, licèt doctiſſimis placeat, nempe Benedicto Ariæ Montano, Poſtello, Becano, Genebrardo, Bozio, Marino, Pomario, Poſſeuino: diſplicet tamen Thomæ Maluendæ lib. 3. de Antichriſto. Sed eius argumenta perpendimus, & adeo leuia inuenimus, vt nihil valeant.* Hæc ille.

Ergo funditus debellatum est aduersus Maluendam. Et vnde sciuit ipse placuisse Montano, Postello, Becano, &c. nisi à me: Pauca dicam. Mei moris est in eiusmodi rebus non multùm argumentorum & solutionum congerere, tum quia id pædagogicum est, nec horum vllus finis, si libeat nugari: tum quia non libenter altercor. Sententiæ nouitiæ refutationem ad Pererium, Acostam, aliósque ablegaui: potuisset Scalantius illos inuisere, atque expendere num eorum argumenta nihil valerent: quæ mihi, & cuiuis cordato, non possunt non grauia, & prudentia videri. Apud me magnum & vnicum fuit argumentum auctoritas Iosephi, S. Hieronymi, Theodoreti, Procopij, Olympiodori, Rabbani, Strabi, & plurimorum doctissimorum hominum, quos c. 35. laudaui, Ophir esse in India Orientali: imo & vulgati interpretis, qui Ophir Indiam asseruit. Hæc Scalantio nihil valeant: mihi permultum, & sua æstimatione maximum. Satis se rerum quas tractandas suscepit non admodum peritum probat, cùm eadem columna ait: *Quod alij fabulantur de India Orientali* (scilicet quòd sit Ophir) *merum est figmentum.* Quàm pudet me ista audire!

Hæc ego de Scalantio libentiùs præterissem, nisi per eorum occasionem lector mihi necessariò admonendus fuisset, vt in hoc scriptore quædam caueret emendatione digna lib. 6. cap. vltimo, §. *Diu multúmque flagraui.* colum. 1287. & seqq. Translationem Bibliorum Tigurinam, auctore Leone Iuda, cuius lectio iure, maiorum auctoritate, piis est interdicta, summis laudibus effert. Leonem Iudam appellat *Tigurinæ Ecclesiæ Episcopum, pio zelo feruentem, optimum virum, felicis memoriæ*, quem addit, *ad Dominum felicissimè migrasse.* Subdit deinde: *fidelissimis & religiosissimis fratribus, pastoribus verbi, Ecclesiarum ministris per agrum Tigurinum.* Ad hæc, Rudolphum Gualterum, Petrum Cholinum vocat, *optimos & doctissimos viros.* Quæ omnia & alia eiusmodi quæ ibidem scripsit, desumpsit ex Præfatione eisdem Bibliis ab hæretico & damnato auctore præfixa. Ignorauit hic Pater Leonem Iudam, ministros Tigurinos, Rudolphum Gualterum, & Petrum Cholinum, quos tantis laudibus onerat, hæreticos, & damnatæ memoriæ fuisse. Abradenda igitur ab eius Clypeo ea omnia quæ ex ea Præfatione descripsit.

Dissoluuntur Argumenta, quòd Ophir sit Peru, cap. 29. posita.

CAP. XXXVII.

PRima obiectio erat, Nauigationem in Ophir durasse triennio. Verba Scripturæ sunt 3. Reg. 10. 22. *Classis regis semel per tres annos ibat in Tharsis.* Forsan non ait, singulas nauigationes in itu: & reditu triennium insumpsisse: sed tantùm instituisse solitas ex triennio in triennium. Pineda lib. 4. De rebus Salomonis, cap. 16. §. 4. numero marginali. 6. ait: *Nam quòd Acosta & Maluenda dicunt, non insumptum triennium in singulis nauigationibus, sed tantùm ex tertio in tertium annum nauigasse: si non repugnat Scripturæ, at repugnat vniuersis Scripturæ interpretibus.* Vide vt non omnes sentiant cum Pineda, Acosta libro 1. de Natura Noui Orbis, capite 18. *Neque enim sacræ litteræ docent, integrum triennium in ea nauigatione expleri solitum: sed semel per tres annos, hoc est, quouis triennio classem mitti solitam.* Varrerius in Commentario de Ophirica regione: *Quamquam illa verba sacræ historiæ, semel per tres annos, etiam in hunc sensum, & fortasse veriorem explicari posse arbitramur, vt trinis annis semel classis Salomonis solita sit in Ophiricam regionem nauigare: non autem quòd perpetuos tres annos in hac nauigatione insumpserit. Accidere namque poterat, vt ex tam longa nauigatione naues adeò dissipatæ & dissolutæ redderentur, vt integrum triennium, tum in nauigatione peragenda, tum in classe, maris iactationibus corrupta & conquassata reficienda insumeretur. Quemadmodum accidere nostris nauibus in Indiam nauigantibus solitum est, vt quàm paucissimas extitisse credamus, quæ duas amplius nauigationes in tam longinquas oras perficere quiuerint. Nec sic integræ omnibus suis partibus redierint, vt non refici & instaurari ad iterum nauigandum, malis, carinis, lateribus, proris, puppibus, antennis, velis, gubernaculis, aliisque eiusmodi, ad earum robur, & firmitatem stabiliendam pertinentibus, opus eis fuerit.* Nec ab hac sententia plurimùm abest Matthæus Beroaldus lib. 4. Chronici, cap. 6. cuius verba posuimus suprà cap. 31. Equidem verba sacri Contextus nec in vulgata editione, nec in Hebraica veritate cogunt vt intelligamus triennium in ea nauigatione consumptum.

Sed quia Iosephus lib. 8. Antiquit. capite 2. ait: *Ea nauigatio in itu & reditu triennium integrum absumebat.* Et S. Hieronymus in 2. Isaiæ, ad vers. 15. *Habuit & Salomon naues quæ ibant in Tharsis, & post tres annos reuertebantur, afferebántque regi argentum, & aurum, ebur, & simias.* Dicamus etiam nos integro triennio durasse. At inde non sequitur totum Orientem & Occidentem penetrasse, aut totum Oceanum perlustrasse. Nam multæ difficultates incidere potuerunt, quæ tantam moram eidem nauigationi iniicerent. Quæ sunt à nobis accuratè explicandæ: præsertim cùm vsu & experientia compertum sit, nostro tempore eos qui à Mari Rubro ad Auream Chersonesum nauigant, in itu & reditu, plurimùm annum dumtaxat vnum conficere.

De difficultate nauigationis à Sinu Arabico in Taprobanem Plinius libro 6. capite 22. hæc annotat: *Mare interest vadosum, senis non amplius altitudinis passibus, sed certis canalibus adeò profundum, vt nullæ anchoræ sidant: ob id nauibus vtrinque proræ, ne per angustias aluei circumagi sit necesse. Siderum in nauigando nulla obseruatio: septentrio non cernitur, sed volucres secum vehunt, emittentes sæpius, meatúmque earum terras petentium coimitantes. Nec plusquam ternis mensibus in anno nauigant. Cauent à solstitio maximè centum dies: tunc illo mari hiberno.* Solinus in Polyhistore capite 56. *Mare vadosum interiacet, altitudinis non amplius senûm passuum, certis autem canalibus adeò altum, vt nullæ vnquam anchoræ ad profundi illius ima potuerint peruenire. Nullæ in nauigando siderum obseruatio: nam neque Septentriones illic conspiciuntur, nec vigiliæ vnquam apparent. Lunam ab octaua in sextam decimam tantùm supra terram vident. Lucet ibi Canopos, sidus clarum & amplissimum. Solem Orientem dextra habent, Occidentem sinistra.*

Obser

Obseruatione itaque nauigandi nulla suppetente, per quam ad destinata pergentes, portum capiant: vehunt alites, quarum meatus terram petentes, regendi cursus magistros habent. Quaternis non amplius mensibus in anno nauigatur.

Aloysius Cadamustus, suæ Nauigationis cap. 55. de nauibus Indicis hæc ait: *Vnum tantùm malum habent, id est, arborem: nec nauigant, nisi ventum habeant in puppi: adeóque æstibus maris interturbantur, vt nonnunquam semestri ferè continuo, vt tranquillum fiat mare, expectent.* Et cap. 61. *Inibi nauigant absque pixide, sed solo quadrante ligneo: quæres visa est difficilis admodum, & in primis cùm cælum obumbratur nubibus, adeo vt stellæ videri non possint.*

Ludouicus Vartomannus de difficultate Indicæ nauigationis hæc habet lib. 5. cap. 12. *E Perside vsque ad eam plagam, cui Cumerin nomen est, (ea Meridiem versus abest à Calecuth octo dierum itinere) octonis mensibus, id est, inter Septembrem & Aprilem maria sulcant. A Kalendis autem Maiis vsque ad mensem Sextilem medium ab hoc latere sinus vrbis Calecuth, temperandum est à nauigationibus, ob niniiam pelagi sæuitiam: nam vndabundo, indignantíque Oceano haud tutò nanes committuntur.*

Verùm quod magis eas nauigationes difficiles reddebat & tardas, illud erat, quod tunc nondum esset in vsu nautica pixis, quam Aciculam, vel Bruxulam vocant, vnicum planè naturæ miraculum, quo nimirum ferrum tacto magnete Septentriones perpetuò aspicit. Cuius ope vasta & longissima maria sulcari possunt: & eius absque præsidio, maxima cum difficultate & labore vel etiam paruæ nauigationes conficiuntur. Hanc enim veteribus fuisse incognitam, donec circa annum Domini 1300. Amalphi, à ciue quodam Amalphitano reperta sit, docent Flauius Blondus in Italia illustrata in Amalphi, Lilius Gyraldus libro de Nauigiis cap. 1. Hadrianus Turnebus lib. 20. Aduersariorum, cap. 4. Guillielmus Philander Annotationibus in Vitruuium, lib. 10. cap. 14. Franciscus Gomara in Hist. Gener. Indiarum, cap. 10. Petrus Cieza lib. 2. Hist. Peruanæ, cap. 9. Ioannes Bodinus in Methodo Historica, cap. 7. versus finem, Guido Pancirolus in Nouorepertis, tit. 11. Henricus Salmuth in Notis ad Pancirolum, eodem tit. Alexander Sardus de Rerum Inuentoribus, Abraham Ortelius in Theatro in Tabula Maris Pacifici, Ioannes Mariana lib. 1. Rer. Hisp. cap. 20. Iosephus Acosta lib. 1. de Natura Noui Orbis, cap. 16. & 17. Gaspar Varrerius in Comment. de Ophirica regione, Genebrardus lib. 4. Chronographiæ, pag. 690. 691. & alij: vnde vulgatus versiculus:

Prima dedit nautis vsum magnetis Amalphis.

Solus Leuinus Lemnius lib. 3. de occultis naturæ miraculis, cap. 4. affirmat antiquis quoque fuisse eius instrumenti vsum, & commoditatem. Cuius sententiam, vt strenuè cum paucis sentiret, secutus est Pineda lib. 4. de Rebus Salomonis, cap. 5. §. 4. Veteriorem Aciculæ vsum non extare in historiis, quàm illum in nauigatione Antonij Zeni ad annum Domini 1390. existimat Ortelius in Tabula Maris Pacifici. Osorius lib. 1. de Rebus Emanuëlis auctor est Vaschum Gamam cùm primùm in Indiam nauigaret, anno salutis 1498. incidisse ad Mosambicum in quosdam Arabes nautas, qui vterentur in nauigando acu nauicularia. Formam huius præclari instrumenti cùm multi descripserint, Osorius tamen ibidem cum primis accuratissimè.

Secunda Obiectio erat de auro *Paruaïm*. Sed nimis est subtilis & curiosa enodatio illa *Paruaim*, quasi sit vtrumque Peru. Et quis vnquam Nouam Hispaniam alterum Peru appellauit? Sed vnde ditissimæ illi regioni factum sit nomen Peru, paucis disquirendum.

Iosephus Acosta lib. 1. de Natura Noui Orbis, cap. 13. *Nomen ipsum Peru in his regionibus, neque antiquum est, neque generale: sed quemadmodum in his ferè Noui Orbis expeditionibus contigit, vt regio de nomine ignota, primo quoque vocabulo appellaretur, atque id esset sæpe fortuitum: ita quoque in hoc Peruano regno factum est. Ex fluuio quodam, in quem nostrates inciderunt, eo nomine dicto, quemadmodum antiquiores nobis tradidêre, tota hæc regio Peru deinceps vocata est. Vsque adeóque id verum est, vt indigenæ vocabulum ipsum* Peru *hodie quoque ignorent. Neque ab aliis quam ab Hispanis, si qui illorum ita nominant, nominare didicerunt.* A flumine quoque Peru regionem illam appellatam, quòd eius initium sit à Septentrione, annotauit Gomara in Generali Indiarum Historia, & Sarate lib. 1. Historiæ Peru, cap. 1. & Ortelius in Tabula Peruuiæ.

Leuinus Apollonius lib. 1. de Rebus Peruuinis: *Franciscus Pizarrus post satis diuturnam littoris ignoti explorationem, ad Peruuinam gentem appulit: Distat ea non amplius quinquaginta passuum millibus Panamaide. Erátque tum planè gens obscura, inculta, inops: verùm quod Pizarrum primum exceperit, suam appellationem in vniuersam regionem diffudit, qua vltra mille ducentas leucas perpetuo littore ad Antarcticum polum extenditur.* Disertus quidam vir humaniorum litterarum apud Ponteuedram, quæ olim fuit Hellenes, in Gallecia, professor in Notis ad Virgilij Georgica, à se Hispanico carmine eleganter expressa, quæ etiam edita extant, ait, Hispanos duce Francisco Pizarro in eam regionem appulsos, ostenso auro, rogasse incolas vbi aurum reperiretur, voce Hispanica subinde repetentes, *Oro, Oro*; Indos verò non satis intelligentes quæ dicerentur, suspicantes tamen interrogari se de eo metallo; ac vocem Hispanicam exprimere gestientes, clamoribus respondisse, *Biru, Biru*, quasi, *Oro, Oro*: simul digito demonstrantes auriferam illam versus Austrum Peruensem regionem: ac si dixissent ibi esse auri plurimum. Vnde nostri arrepta occasione, existimarunt terras illas appellari Peru: atque deinceps id nomen regioni hæsisse.

Gregorius Garsias lib. 4. de Indorum origine, cap. 4. §. 2. me carpit, quòd dixerim, Indos non intelligentes vocem hispanicam *Oro, Oro*, respondisse, nihilominus & indicasse vbi aurum nasceretur. Nam si vocem non intelligebant, quomodo cognouerunt se interrogari de auro? Quasiverò qui inter se commercio linguæ non mutuò intelligunt; ex rebus ipsis ostensis, aliisque signis non, vtcunque percipere possint, quæ dicuntur: vocem non intelligebant, sed rem. Sed sunt hæc puerilia, & indignè facio, neque ipsum suggillo, quòd respondeo.

Pater Pineda in Iob 28. vers. 16. num. 4. scribit, narrasse sibi Garsiam Lassum ex nobili Indarum Peruensium sanguine, Hispanos primùm in eas terras deuectos, correptum piscatorem rogasse, quî ea regio vocaretur: ipsum verò suspicatum interrogari de suo nomine, frequenter respondisse *Beru, Beru*, quæ vox est familiarissima maritimis hominibus Peruanis. Hinc que Hispanos nomen terris fecisse.

Sed quid est *Aurum Paruaim?* Lexicon Complutense, Caietanus, Sanctes, Vatablus, Leo Iudas, Alfonsus Zamorensis, & alij tantum notant, Paruaim, proprium loci nomen esse, vnde aurum probatissimum afferebatur: sed cuiusnam terrarum, non explicant. Hebræorum nonnulli existimant nomen esse deductum à פר *Par*, id est, iuuenco, quod aurum illud colore iuuenci sanguinem referret. Ioannes Buxtorfius in Lexico Hebraïco hæc scribit: *Paruaim nomen proprium loci, vbi auri præstantissimi copia, 2. Paralipom. 3. 6. Quidam regnum Indiæ Peru esse putant. In Notis interpretis doctissimi, Aurum Paruaim, id est, ex Chaula, vbi præstantissimum aurum fuisse testatur Moses Genes. 22. 11. Est enim in ea, siue Characenorum regno, Parbasia (siue Barbatia) oppidum corrupto nomine dictum, pro Paruaiimis, Plinio Naturalis Historiæ lib. 6. cap. 28. Quod aurum Dauid ex deuictis regibus regioni illi finitimis, consecutus ad hos vsus asseruauerat, 1. Regum, 6. 20.* Hæc ille. Sed sunt meræ nugæ, Tremellij & Francisci Iunij, ex quibus Buxtorfius ista descripsit ad verbum. In re obscura, suspicor, *Paruaim*, vel si puncta negligas, *Paruim*, vel *Pharuim*, idem esse quod *Ophirim*, vel *Ophiraim*, nempe transpositum, quod antiqui pronuntiabant Pharuaim. Id autem siue plurale, siue duale sit, non absurdè intelligo, vtrumque Ophir, nempe Auream terram, id est, *Pegu*: & Auream Chersonesum, id est Malacham siue Samatram, vt cap. 35. abundè dixi.

Ophirim verò & *Paruaim* existimamus esse à פרח *Parah*, fructificare: vel פאר *Pëer*, splendere; dictúmque illud *aurum paruaim*, vel ophiraim, quòd mirè crescret & fructificaret, vi inexhausta: vel quòd mirificè splenderet rutilo fulgore. Vnde Hieronymus epist. 140. ad Principiam: *Ophir nomen est auri, vel à loco Indiæ, vel à colore nomine indito.*

Ex his S. Hieronymi verbis plerique putant dictum aurum Obrysum, quasi Ophirizum, ex Ophir loco Indiæ. Ita Forsterus, Mercerus, Marinus, Schindlerus, Buxtorfius in Lexicis Hebraïcis. Philippus Beroaldus ad cap. 44. Suetonij in Nerone, Matthæus Beroaldus lib. 4. Chronici, cap. 6. Andreas Capella in Ieremiæ 10. vers. 9. Ioannes Drusius lib. 4. Obseruationum, cap. 15. Pererius in Daniel, 10. vers. 6. Delrius in Canticor. 5. vers. 11. & 15. Ioannes Fungerus in Trilingui Etymologico, Henricus Salmuth in Nouorepertis, tit. 1. pag. 32. Reclamant tamen Marcellus Donatus in Dilucidationibus ad cap. 44. Suetonij in Nerone, & Ioannes Pineda lib. 4. de Rebus Salomonis, cap. 18. §. 6. De auro Obryso Plinius lib. 33. cap. 3. *Auríque experimento ignis est, vt simili colore rubeat, quo ignis: atque ipsum obrysum vocant.* S. Isidorus lib. 16. Originum, cap. 17. *Obryzum aurum dictum, quòd obradiet splendore: est enim coloris optimi, quòd Hebræi Ophaz, Græci Cirron vocant.* Id est, fuluum. Vide de hoc loco S. Isidori Notas Ioannis Griali, & Drusium lib. 1. Obseruationum, cap. 10. At de auro obryzo reperies plura apud Marcellum Donatum, Læuinum Torrentium ad 44. cap. Suetonij in Nerone, Iacobum Delecampium in Notis ad Plinij lib. 33. cap. 3. Fungerum & Pinedam locis nuper citatis, Henricum Stephanum in Appendice ad Thesaurum.

De vbertate verò & præstantia auri Ophir, seu Indiæ, Forsterus in voce חתם *Chetem*, hæc annotat: *Scribunt autem historici, quòd in India frustum auri obrysi effossum sit, quod pondo quadraginta duo cum dodrante æquauerit: frequens esse quod quatuor pondo habeat: & quandoque ad septem etiam accedere.* Eadem habet Mercerus in Thesauro.

Nec illud omittimus, quamuis *Paruaim* dualem præferat formam, non propterea dualem significatum habere: nam sunt vocabula Hebræa forma duali, quæ re ipsa vel pluralia vel singularia sunt: vt *Maim*, aquæ, *Samaim*, cœli, *Mizraim*, Ægyptus.

Tertia Obiectio de metathesi Ophir, in Phiru, vel Piru, nulla solida nititur ratione. Quòd verò Genebrardus prætexebat, nauigationem Salomonis & Iosaphath in Ophir, non posse intelligi vulgarem illam Indicam tritissimam, vniuersis gentibus cognitam: cùm hoc tanquam singulare Scriptura de illis Regibus notet: facilè diluitur. Primùm Scriptura haud sanè vt rem singularem ac nouam eam nauigationem memorat: sed simpliciter narrat Salomonem nauigationes instituisse in Ophir: cùm tamen tunc hæ velificationes ab aliis gentibus potuerint quoque exerceri. Deinde in Salomone potuere illæ nauigationes singulariter notari, vel quia nulli ante ipsum Reges Iudææ eas tentauerint: vel quia procul ab Ierusalem per Mare Rubrum in Oceanum Indicum peragerentur; cùm frequentiores & tutiores essent ab Ioppe in emporia maris mediterranei: vel quia vim auri ingentiorem, maiores rerum pretiosissimarum opes adueherent. Atque hactenus de Ophir.

Arias Montanus in Libro Phaleg, Antonius Possevinus lib. 2. Bibliothecæ Selectæ, cap. 5. crediderunt, Iobab illum Genes. 10. vers. 28. incoluisse regionem Noui Orbis Pariam, auro, margaritísque fertilem: & Iectam illum Genes. 10. vers. 26. dedisse nomen Chersoneso Iucatan: & Sephar montem Orientalem Genes. 10. 29. esse montes Andes in Peruana regione, omnium altissimos & longissimos. Sed hæc pro animi sui sententia, nulla firma ratione vel auctoritate excogitasse videntur: quæ Augustinus Torniellus in Annalibus, anno Mundi 1931. num. 45. & 53. confutauit.

Num in nouo Orbe Occiduo, ante eius apertionem per Colonum, vllibi aliquando prædicatum fuerit Christi Euangelium.

CAP. XXXVIII.

VEstigia quædam prædicati Euangelij in vastissimo illo Orbe, iam antequam illum Hispani armis subiugauerint: nonnulli obseruarunt & prodiderunt. Stephanus Salazarius monachus Carthusianus, qui diu in Noua Hispania versatus, multa de his se sedula inquisitione perscrutatum ait, Discursu 16. in Symbolum Apostolicum, istiusmodi refert.

Primùm Indus quispiam vrbis Chollolæ, probatæ fidei, narrabat, Mexicanorum antiqua monumenta (nam eam gentem Annales rerum suarum, in coriis & foliis introrsus complicatis, picturis & hieroglyphicis litteris conscribere solitam constat) continere, hominem quendam candido colore, & barbatum ex remotis & ignotis regionibus in Mexicana regna deuenisse, qui nouam religionem, ac peregrina sacra, ritúsque induceret, idola demoliretur: sed hunc ab Indis fuisse interfectum, supérque occisi corpus Mexanicos sumptuosi operis templum extruxisse.

Insuper,

Inſuper, fama eſt, in Cuzco celebri Peruanæ prouinciæ vrbe Hiſpanos, cùm eam primùm ſunt ingreſſi, reperiſſe auream hominis ſtatuam, cum barba, quam Indi recepta apud eos vetuſta traditione, aſſerebant cuiuſdam hominis fuiſſe, qui multis retrò ſæculis eo corporis habitu & ornatu, quem ſtatua præferebat, in eas regiones appulerit, per mare vectus nullo nauigio, pallio tantùm ſuper aquas extenſo inſidens, ſtupendo miraculo. Hunc nouam per eas terras, mirabilémque diſſeminaſſe religionem: quæ primùm recepta, tandem prorſus exoleuiſſet. Eundémque vaticinio præmonuiſſe incolas, cùm ea doctrina, ac ſacra quæ ipſe tunc inferebat, penitus apud eos extincta & obliuione ſepulta eſſent, venturas in eas prouincias exteras ac procul diſſitas gentes, candidas & barbatas (ſunt enim eius Orbis Noui homines colore ſubrufo & rubicundo, glabri prorſus & imberbes) ipſi ſimiles, qui regionem armis ſub imperium mitterent, & religionem eandem, qua ipſe eos tunc imbueret, poſtliminio reſtituerent. Ob hæc Peruanos ſtatuam illius viri dedicaſſe, magnáque in veneratione per multa ſæcula habuiſſe, atque inter patrios Deos coluiſſe.

Ad hæc, in inſula Cozumela, ſeu Acuzamil propè Cherſoneſum Iucatanam, memorant Indos ſolitos publicè Crucem adorare: cui vt reliquis ſuis diis, ſeu idolis diuinitatem tribuerent.

Præterea, in Prouincia Chiapa, nobiliores & primores eius gentis, antiqua quadam traditione & doctrina veluti per manus à maioribus accepta imbutos, multa, maximáque Chriſtianæ religionis myſteria, & cognouiſſe, & palam profiteri ſolitos. Nam ſacroſanctam Trinitatem, Filij Dei Incarnationem, Natiuitatem ex Virgine, Paſſionem, Reſurrectionem, Aſcenſionem haud obſcurè aſſeruiſſe. Patrem enim ab iis appellatum Icona Græco vocabulo quod imaginem ſignificat, Filium, Bacab, Spiritum Sanctum verò Eſtruach, Hebraïca voce pro Haruach. Porrò Filium dicebant natum ex Virgine quadam integerrima, quæ etiam partu edito, virgo permanſerit: Virgini autem nomen fuiſſe *Chibirias*: (fortè deprauato nomine pro Maria:) matrem verò Virginis appellatam *Iſchen*. At Filium illum hominem factum, flagellatum, ſpinarum ſerto coronatum, crucifixum, mortuum fuiſſe: tertia inde die viuum ſurrexiſſe, in cælos conſpicuè conſcendiſſe: ac Spiritum ſuum in Diſcipulos miſiſſe. Hæc omnia Chiapenſes iam olim credidiſſe, Salazarius prodit. Sed nolens ſuam in his fidem obſtringere, ad auctorem lectores amandat Bartholomæum Caſaum, Dominicanum, Epiſcopum Chiapenſem, qui in Apologia pro Indis, ea omnia ſcripta, teſtatáque reliquerit.

Illud etiam obſeruant vocabulum *Mexico*, quod clariſſimæ & totius Noui Orbis florentiſſimæ vrbis eſt nomen, Hebraïcum propemodum videri, quod ſignificat, Meſſias, ſeu Chriſtus eius, Pſal. 2. 2. *Aduerſus Dominum, & aduerſus* משיחו *Meſcicho, Chriſtum eius.*

Illud eſt quoque mirabile. In editiſſimo montium Metztitlan, (quod Mexicana lingua Montes Lunæ interpretantur) vertice, in dextro montis latere ad hunc vſque diem extat ingens Crux, in rupe exciſa, laterculis ac teſſerulis ceruleis, & albicantibus miro artificio per totum diſtincta: è regione verò Crucis in læuo montis eiuſdem latere, viſitur Lunæ effigies in cornua curuatæ, eadem arte, ac opere, nimirum albis & ceruleis teſſerulis in ſaxo expreſſa. Colores autem tam Crucis quàm lunæ adeo viui ac perennes durant, vt nec imber, nec ſol, nec vis vlla, nec diuturniſſimum tempus diluere, aut deformare hactenus quiuerint. Ait Salazarius ſe ea ſæpe vidiſſe, nec vnquam cauſam, rationémque earum imaginum, quamuis accuratè à pluribus Mexicanis ætatis prouectiſſimæ perquiſierit, aſſequi potuiſſe.

Addit etiam, montanos horum locorum incolas, ſibi comam in circulum attondere, in morem noſtrorum monachorum, cetero capite deraſo, hoc eſt, coronas ducere. Hæc igitur omnia præfatum auctorem impulerunt, vt ſuſpicaretur, forſan temporibus Apoſtolorum, tenuem aliquam Euangelij auram in Nouum illum Orbem peruaſiſſe: nimirum bono aliquo Angelo, quempiam Apoſtolum, aut Apoſtolicum virum per aëra abreptum illuc pertuliſſe: vt quondam Habacuc ex Iudæa in Babylonem, & Philippum Diaconum ex Gaza in Azotum ab Angelo per aëra perductos Scriptura commemorat. Sed alia annuntianti in Nouo Orbe Euangelij indicia ex aliis Scriptoribus referamus.

Franciſcus Gomara in Generali Indiarum Hiſtoria, cap. 53. narrat, in Inſula Acuzamil prope Iucatanum, repertas eſſe à noſtris Hiſpanis, cùm primùm illud duce Ferdinando Corteſio peruenere, complures Cruces ligneas, & æreas. Et in Iucatano ingenti peninſula non paucas cruces in ſepulchris inuentas. Quod etiam annotauit Lipſius in Notis ad lib. 3. de Cruce, cap. 13. Hinc nonnulli in eam ſuſpicionem deuenêre, tempore Hiſpanicæ cladis per Mauros ſub Ruderico Rege, aliquos Hiſpanorum in ſumma rerum deſperatione profugos ac tempeſtatibus actos, eas terras tenuiſſe, vbi ſupremum diem obientes, curaſſe ſuper buſta ſua cruces ritu Chriſtiano conſtitui.

Idem Gomara cap. 121. ſcribit, in Peruana prouincia Guacas quoſdam (ita idola ſua nuncupant) ſolitos ab Indis ornari cum thiaris, ſeu mitris, & pedis paſtoralibus, ad eum prorſus modum, quo Epiſcopi noſtri, cùm ſacris operantur, induti procedunt. Eiuſce verò rei cauſam Peruanos tametſi ſæpiùs rogatos, nunquam ſciuiſſe reddere. Leuinus Apollonius lib. 1. de Rebus Peruuinis, de templis huius gentis, inquit: *In his delubris inuenere Hiſpani ſceptra, ac mitras noſtrorum Epiſcoporum inſignibus planè ſimiles: integra multis in locis ſimulacra conſpexere Antiſtitum Chriſtianorum more mitrata. Barbari frequenter rogati, qua ratione eorum ornamentorum ſit introducta cognitio, nihil reſpondere vnquam certius potuerunt, præterquam longis maiorum monumentis ad ſe perueniſſe. Quare ipſi cùm aliquando Thomam Verlangium Terræ-firmæ Præſulem ſacrata ornatum Mitra Miſſificantem viderent, mirabundi aſſerebant ſuo Guacæ perſimilem eſſe, adeóque, num Chriſtianorum Guaca is eſſet, interrogabant.*

Ioſephus Acoſta qui in Nouo illo Orbe diu vixit, & multa de gentis moribus & ritibus acri ſtudio perueſtigauit, iſta refert lib. 5. Hiſtoriæ Indiarum, cap. 27. Peruanos ſoli tres ſtatuas per omnia ſimiles ponere conſueuiſſe, cum his nominibus, Apointi, Churiinti, Inti quoaqui, hoc eſt, Pater Sol, Filius Sol, Frater Sol. Coluiſſe etiam peculiare idolum, quod appellabant Tangatanga, quódque aiebant, eſſe in vno tres, & vnum in tribus. Hæc latiùs Acoſta perſequitur. Prætereà ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, & diuinam Commu-

nionem Indos Peruenſes peculiari quodam, ſed falſo ritu imitari conatos, pluribus docet idem Acoſta, lib. 5. cap. 23.

Solemnem etiam pompam, ac publicam ſupplicationem, qua nos venerandum Chriſti Saluatoris corpus quotannis ſtata die per vicos & plateas feſta lætitia, piè ac religiosè circumducimus, Mexicanos ſuo modo præpoſterè repræſentare ſolitos, idem auctor fusè demonſtrat lib. 5. cap. 24.

Ad hæc expiatricem criminum Exomologeſim, & pœnitentiam, Peruanis vſurpatam, ſed gentilico, & barbarico, ac planè diabolico ritu, idem Acoſta cap. 25. deſcribit.

Aquam inſuper luſtralem, quam nos Benedictam vocamus, Baptiſmum, Matrimonij ritus, Iobeleum, Indulgentias, & alia eiuſmodi plura Chriſtianis Sacris & myſteriis ſimilia Indos æmulari tentaſſe, idem Acoſta oſtendit, cap. 26. & ſeqq. Nomina quoque Pauli & Titi Ingas Peruanos imponere ſibi conſueuiſſe, prædictus Acoſta affirmat, lib. 1. cap. 13.

Denique Indos Occidentales nouiſſe vniuerſale Diluuium, credidiſſe animæ immortalitatem; præmia, ac ſupplicia bonorum, & malorum poſt hanc vitam; receptacula ſeu loca diuerſa animarum in alio ſæculo, pro cuiuſque meritis: oraſſe pro mortuis, illis parentaſſe, ac pro eiſdem obtuliſſe, & ſacrificaſſe: Aſceteria & Monaſteria virorum ac mulierum habuiſſe: ieiunia exercuiſſe ſolemnia: Dies feſtos celebraſſe, & id genus alia ritibus Chriſtianæ religionis ſimilia coluiſſe, omnes Rerum Noui Orbis auctores, vno ore teſtantur. Et ſi de his plura ſcire aues, habes innumeras quas conſulas Noui Orbis hiſtorias conſcriptas à diuerſis, vt à Petro Martyre Anglerienſi, primo illius Orbis Epiſcopo, Gonzalo Ferdinando Ouetenſi, Aluaro Nunneſio Bucephalo, Ferdinando Corteſio, Franciſco Gomara, Petro Cieza, Auguſtino Zarate, Leuino Appollonio, Andrea Theueto, Polo Ondegardo, Ioanne Touario, Ioſepho Acoſta, & aliis. Extant etiam Hiſtoriæ Americæ Partes Nouem, Francofurti in Germania excuſæ, cum figuris typis æneis expreſſis.

Emmanuel Nobrega Preſbyter Societatis Ieſu, qui multis annis eſt in Braſilia verſatus, Præfecturámque ſociorum in ea Prouincia geſſit, in epiſt. ad Martinum Alzpilcuetam anno 1549. ex Braſiliæ vrbe Saluatoris data, teſtatur, adhuc apud Braſilios à maioribus per manus acceptam conſeruari memoriam, S. Thomam Apoſtolum ad oras illas appuliſſe. Quinimò veteres incolas S. Vincentij, quod eſt oppidum ad initia Braſiliæ ſitum, narrare maiores ſuos ab Apoſtolo Thoma didiciſſe, quibus veſci cibis ſine morbi, vel mortis metu, ac ſuſpicione poſſent. Inſuper, tradere, in comitem quendam Apoſtoli à furentibus barbaris iactas aliquando ſagittas, in ipſos qui iacerent, magno impetu retortas. Oſtendere quoque Braſilios veſtigia pedum diuini Apoſtoli Thomæ ſcopulo impreſſa, quæ ſe vidiſſe affirmat idem Nobrega in epiſt. anni 1552. Refert iſta etiam Thomas Bozius de Signis Eccleſiæ lib. 5. cap. 12.

Nec illud omittendum, Mexicanos habuiſſe quendam miniſtrorum Eccleſiaſticorum ordinem, quaſi Acolythorum, Diaconorum, & Sacerdotum, & ſtatis horis diurnis, nocturníſque, veluti Eccleſiaſtica officia diis ſuis perſoluiſſe. Atque ipſum ſupremum, ſummúmque ſuorum ſacerdotem, Papam nuncupaſſe. Verùm de his pleniùs prodentes conſule Gomaram in Mexicana Hiſtoria, fol. 315. & ſeqq. Acoſtam lib. 5. Hiſtoriæ Indicarum, cap. 14.

Ceterùm eiuſmodi omnia prædicati Euangelij in Orbe Colonio hactenus à nobis commemorata veſtigia, qualemcumque ſuſpicionem excitare quidem poſſunt, iam olim in illis regionibus Euangelium inſonuiſſe, ante Coloni nauigationes: certam tamen & indubiam fidem facere nequaquam poſſunt: nam factu & creditu procliue eſt, ea non tam eſſe prædicati illic Euangelij indicia; ſed prauam cacodæmonis æmulationem, ſeu cacozeliam, qui perpetuo veri Dei ſimiam, & improbum hiſtrionem agit, amátque eiſdem quibus Deus ritibus adorari: deteſtandúmque ſuperſtitionis errorem in gentibus ſuffuratis, & ementitis Summi Dei Sacris, & honoribus, fulcire, fouere, & ſtabilire conatur. Quocirca, quouſque ſedula aliquorum diligentia, & impigro ſtudio, maiora, firmiora, & illuſtriora eiuſce rei ſigna promantur, quod factu cum primis difficile arbitramur, in eam libentiùs ſententiam imus, infelices illas nationes immanium peccatorum demeritis iuſto Dei iudicio, relictas olim in impietatis barathro, Euangelij lucem nunquam aſpexiſſe, niſi poſtquam eam illuc Hiſpani, ingenti virtute, & gloria intulerunt.

Accepimus Didacum quendam Duranum Dominicanum, de antiquitatibus Mexicanorum volumen condidiſſe: vbi de ſignis & veſtigiis prædicati apud eas gentes Euangelij diſſerat: Promiſit idem argumentum Auguſtinus Dauila Padilla Archiepiſcopus S. Dominici, in Mexicana Ordinis Prædicatorum Hiſtoria; ſed horum labores nondum aſpeximus.

Nondum hoc noſtro tempore prædicatum iam eſſe Euangelium in toto ſimpliciter orbe terrarum.

CAP. XXXIX.

CVnctis probè perpenſis, vero magis conſentaneum exiſtimamus, tempore Apoſtolorum, non fuiſſe Euangelium in omnibus veteris, & tunc cogniti Orbis regionibus prædicatum: ſicque multo probabiliorem eorum aſſertionem reputamus, qui, vti ſuperiùs cap. 3. vidimus, adſtruebant, non paucas antiqui Orbis regiones, poſt Apoſtolorum tempora, audiuiſſe primum Euangelium. Si tamen quiſpiam contra niti contenderit, non magnopere repugnauerim.

Inſuper ab Apoſtolico ſæculo, ad hanc vſque noſtram ætatem, ſedecim propemodum integris ſæculis, annuntiatum iam Chriſti Euangelium in cunctis veteris Orbis prouinciis, & regionibus, hoc ipſo lib. 4. à cap. 4. ad 14. incluſiuè latè demonſtrauimus.

Quòd verò in Sinarum regnis ante Luſitanicas nauigationes auorum memoria primum ſuſceptas, Euangelium iam fuerit auditum, probabile cumprimis oſtendimus ſuperiùs cap. 16.

De Iaponiorum inſulis, num ante earum recentiorem apertionem, illic iam Euangelium inſonuerit, nihil certi quod affirmemus in promptu adeſt. Patrum Ieſuitarum Epiſtolæ, Ortelio teſte in Tabula Indiæ, referunt Iaponios eadem fermè ſemina quæ Sinas, prædicati apud illos Euangelij oſtendiſſe.

De

De Molucis insulis, & aliis, vbi à nostris reperti sunt Mahometani, facilè crediderim olim aliquando illuc Euangelium penetrasse: nam quò Mahometis peruasit, cur non potuit Christi veri Dei cognitio peruenire? Idem prorsus existimari par est de Borneo, Zebu, Mindanao, & aliis vastissimis illius Archipelagi, ac de vtraque Iaua, vbi quoque Mahometis deliria locum inuenere. De Philippinis verò & remotioribus aliis, probabilius arbitramur, ante Hispanorum in illas Insulas appulsum, iacuisse in idololatriæ impietatibus, neque auditam Christianam religionem. Gratiæ immensæ summo Deo reddantur, quòd omnes eæ insulæ Christi benignitate per Patres Dominicanos, Franciscanos, Iesuitas, & alios verbi Dei ministros Euangelium iam audiunt, & cum gaudio suscipiunt: quod sanè vberrimo salutis prouentu mirificè crescit & fructificat, innumeris hominibus sese ad Christi Ecclesiam aggregantibus. Vide superiùs cap. 16.

De Nouo Orbe Occiduo, eiúsque quaqua versum adiacentibus insulis iam superiori capite existimauimus, ante eius per Colonum, Hispanosque duces patefactionem, nullo vnquam tempore Euangelium illuc peruenisse. Hisce tamen temporibus nostris quidquid Noui Orbis, seu Insularum, seu Continentis apertum & cognitum est, atque Hispanico Imperio paret, totum iam in Christianas leges concessit, vt omnes perspicuè sciunt. De illis verò regionibus, quæ nondum in Orbe Colonio sunt patefactæ, quæ putantur esse ingentes atque vastissimæ, vt tota Continens supra Fretum Magellanicum ab Oriente in Occidentem, atque in Austrum extensa, cum proximis insulis, & Noua Guinea, atque Salomonis insulis: insuper mille & amplius leucarum spatio excurrens tellus inter Peru & Brasiliam: ad hæc totus terrarum tractus, qui supra Floridam & Virginiam in Aquilonem extenditur: rursúsque & illa portio quæ super caput Mendosinum & Californias in Orientem & Septentrionem diffunditur, de quibus fusè egimus suprà cap. 22. de his inquam, ampliſſimis regionibus, quæ adhuc incognitæ manent, facilè inducimur vt putemus nondum adhuc in illis prædicatum fuisse Christi Euangelium: sed manere interim etiam hac nostra ætate in errorem tenebris obcæcatas. Speramus autem, faciente Deo, aperiendas, & perlustrandas Hispanorum nauigationibus & expeditionibus: tuncque in illas inferendum Euangelium, & promulgandam Christianam fidem. Neque enim mundi finis erit, aut Antichristus veniet, nisi priùs terræ, atque insulæ omnes quæ hactenus incognitæ manent, aperiantur, in illisque Euangelium annuntietur, vt cap. 45. dicemus.

Iosephus Acosta lib. 1. de Temporibus Nouissimis, cap. 17. cùm sibi desumpsisset ex professo probandum, quod est planè verissimum, quodque nos hîc astruimus, nimirum, Nondum esse promulgationem Euangelij vbique gentium factam, in hunc modum differit: *Nostra verò & parentum nostrorum ætate, tam magna orbis pars reperta est, vt meritò dilatum Iudicium constet, vsque dum tot gentium populis salutis via aperiretur, ostenderétque se Deus fidelem in omnibus verbis suis. An verò quidquid in hoc vniuerso vbique gentium est, patuerit iam, neque restent ignotæ adhuc nationes, quibus annuntietur Christus, vnde celerem mundi dissolutionem meritò expectare possimus, ingentis operæ est velle decernere. Illud perspicuum est hoc sæculo ab anno propemodum quingentesimo supra milles imum, plus terrarum, atque hominum esse detectum, quò Euangelij nuntius intrauerit, quam totis mille superioribus annis. Itaque tempora diuino concilio definita plurimum festinare, omnis vir sapiens coniicere non temerè potest. At si humanis opinionibus aliquid assignandum est, videor equidem mihi habere nonnullas, eásque non leues coniecturas, quibus magis adducor, vt nondum esse arbitrer absolutam Euangelij prædicationem, quam Dominus dixit in toto orbe faciendam. Primùm multæ adhuc regiones sunt, eæque amplissimæ, in quibus non est fides Christiana proposita. In hac ipsa America accepimus à testibus fide dignis, atque in iis à Fratre quodam nostræ Societatis, occurrisse iam pridem populos perquam frequentes, cùm in maximo fluuio Maranione, Orsua duce nauigarent, noua regna quærentes Hispani, eósque pro barbarorum modo satis cultos, quos ne salutauerint quidem. Et fama est magna Paytiti cuiusdam magnæ prouinciæ. Et Cæsarum alij narrant nescio quæ fabulosa, & gigantum Patagonum, & aliorum complurium supra Fretum Magallanicum. Iis certè omnibus nondum est Euangelium prædicatum, & quidquid intra Oram huius Oceani Australis.* (Scribebat Acosta in Peru) *& illius Septentrionalis interiacet, ferè ignotum est: neque est verisimile tanta spatia terrarum habitatoribus esse vacua. Hæc de notissima nobis Prouincia* (Peruuia scilicet) *Quid de insulis Salomoniis, & toto illo tractu terrarum? Quid de iis qui ad alterum mundi verticem spectant, supra Promontorium Mendosinum? Quid de Noua Guinea appellata? Reuera tot & tantæ regiones, non sunt frustra repertæ, sed diuina prouidentia agi credendum est, vt primùm innotuerint, mox adeantur, tandem salutis nuntium accipiant.* Hactenus Acosta: qui de his quoque agit lib. 3. Hist. Indiarum, cap. 25. Sed & cap. 18. eiusdem libri 1. de Temporibus nouissimis, hæc addit: *An restent nouæ Orbis prouinciæ & regiones nondum patefactæ, non satis compertum habetur. Nautarum quidem narrationibus alias esse terras oppositas, prospectas procul, non etiam exploratas, constans fama est. Esse autem reuera plurimas alias regiones nondum hominibus cognitas, rationis videtur habere non modicum. Etenim vniuerso huic Oceano Peruensi, si Occidentem versus recta contempleris ex Oriente, nulla regio opposita adhuc scitur: neque fit verosimile tanta pelagi spatia sine terra excurrere, quanta nusquam in toto orbe hactenus visa sunt. Iam verò quousque porrigatur terra illa Continens post Fretum Magallanicum, nouit nemo: nisi quod paucis abhinc annis non esse continentem, sed insulam, vndique Oceano circumscriptam, postquam Angli huc penetrarunt, rumor est: falsóne, an verè iactatus, incertum.*

Itaque cùm ad Polum Arcticum Zona temperata latissimè habitetur; duæ reliquæ, etsi minùs frequenter habitentur; tamen probabile est, ad hunc alterum Polum Antarcticum esse habitabilem terræ portionem multo maiorem eâ, quæ nobis hactenus nota est. Nam quam hactenus nouimus, ea est adeò exigua, vt cum habitatione alterius verticis comparata vix trium ad quinquaginta habeat rationem. Hæc ille. Vide quoque de his Suarez tomo 2. disp. 56. sect. 1. Iustinianum in Paulum Rom. 10. vers. 18.

Ceterùm vnicè probamus sententiam illam S. Vincentij Ferrerij, quam superiùs cap. 4. extremo descripsimus, nimirum, Christi Euangelium per Fratres Prædicatores, ac Minores (addamus etiam Augustinianos, Iesuitas, & alios, ne quos merita laude fraudemus) ab ipsa sanctissimorum Ordinum primæua fundatione, continenter prædicari,

ac

ac tandem generaliter prædicandum in totius orbis cunctis regionibus, nempe in omnibus prouinciis ac insulis tam Veteris quàm Noui Orbis, tam apertis quàm aperiendis. Nam vt omittamus sacrarum istarum Religionum instituta ad animarum salutem potissimum esse destinata,& vt Christianam Fidem vbique gentium propagare omni studio curent ; quis tam remotus mundi angulus poterit reperiri, quo intra quadringentos annos, quibus sacra hæc Sodalitia in Orbe florent, aliqui Religiosi ex iis Ordinibus causa disseminandi Euangelij non penetrarit?

Equidem Innocentius IV. in Bulla quadam apertè testatur, se anno Domini 1253. misisse Fratres Ordinis Prædicatorum, in Prouincias Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Ghotorum, Sicororum, Rutheriorum, Iacobitarum, Nubianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mosthelitarum, Tartarorum, Hungarorum maioris Hungariæ, aliarúmque infidelium nationum ad Orientem. Idem quoque se feciss professi sunt Nicolaus IV. & Ioannes XXII. qui tres Pontifices, plurimùm laudant prædictos Religiosos ad prædicandum illis nationibus Euangelium à Sede Apostolica missos, quos in memoratis regionibus, vt etiam in Valachorum, Nestorianorum, & Moschouitarum, in prædicationis munere egregiam operam nauauerint. Eadem ex se præstitisse affirmant Innocentius VI. & Gregorius IX. in peculiaribus suis Diplomatibus. Habentur autem horum omnium quinque Pontificum diplomata in libro Priuilegiorum Ordinis Prædicatorum fideliter exscripta. Vide Vincentium Iustinianum Antistium in Scholiis epist. S. Vincentij Ferrerij ad Benedictum XIII. Antipapam.

Hieronymus Paulus in Prouinciali omnium Ecclesiarum Cathredalium vniuersi Orbis, hæc annotat : *Dominus Clemens Papa V. fecit Fratrem Ioannem de Monte Coruino Ordinis Minorum existentem in dominio Tartarorum Archiepiscopum Cambaliensem in partibus Orientis, & fecit consecrari in Curia nouem Fratres Ordinis eiusdem in Episcopos: quos misit ad partes illas Suffraganeos & in auxilium ipsius Archiepiscopi. Dominus Ioannes XXII. fecit quendam, de Ordine Prædicatorum Archiepiscopum Soltamensem in partibus Aquilonis, & eodem modo misit sibi septem Fratres ipsius Ordinis pro Suffraganeis : quos fecit consecrari in Curia in Episcopos.*

Egimus superiùs cap. 7. extremo de Monasterio S. Thomæ Ordinis Prædicatorum in Groenlandia, sub ipso ferè Septentrionis Axe. At si in hæc tam longè remota loca Fratres Dominicani iam tot retro annis lucem Euangelij intulere : sanè à Minoribus haud cessatum fuisse facilè possumus intelligere.Et vt interim vetustiora omittamus,certissimum se vatem S.Vincentius probauit, cùm apertè conspiciamus, in cunctis regionibus, prouinciis, insulis, quas tum Lusitani, tum Castellani aperuerunt, atque imperio suo subdiderunt : quæ sanè in Africa, in Asia, in Nouo Orbe sunt innumeræ, & latissimæ ; per Dominicanos, Franciscanos,Augustinianos, Iesuitas, Euangelium prædicatum, idololatriam sublatam, Christianam religionem fundatam : indiésque longiùs, latiúsque per nouas terras & regiones quæ recèns deteguntur continenter eosdem Religiosos ministros Euangelium propagare : vt ex præteritis & præsentibus coniecturam haud dubiam in posterum statuamus,per eosdem Verbi ministros, beatis successibus in omnibus mundi partibus tam Veteris quàm Noui Orbis tandem Euangelium esse annuntiandum. Hæc sanè notissima sunt è recentioribus Lusitanicis & Castellanicis historiis. Vide Thomam Bozium lib. 4. de Signis Ecclesiæ, cap. 2. & 3.

---

*Exponuntur verba Psalm.*18. 5. In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines Orbis terræ verba eorum.

CAP. XL.

QVi existimarunt Euangelium iam ipso Apostolorum tempore per vniuersum mundum prædicatum, hoc potissimum Psalmi oraculo à Paulo de Apostolorum prædicatione interpretato nitebantur : quod proinde accuratè à nobis explicabitur. *Sonus eorum.* Hebraïcè est קום *Kauam*, quid autem sit *Kau*, linguæ Sanctæ tractatores variè elucidant.

Alfonsus Camorensis: *Kau, linea, regula, vel norma.*

Reuclinus : *Kau, regula,norma,linea,directorium, perpendiculum. Et quia per illa mensurarum directoria ædificatur,idcirco tale vocabulum ad ædificationem & architectonicam transsumitur.*

Forsterus : *Kau primò significat applicationem animi ad rem aliquam. Isaiæ 28. Mandatum ad mandatum ; mandatum ad mandatum : expectatio ad expectationem ; expectatio ad expectationem. Secundò significat funiculum mensorium, qui ad materiam, seu ad ipsa applicatur : & quo metiuntur, & mensurantur regiones terrarum. Est autem in Prophetis obseruandum, quòd duplicem ponant funiculum, vnum ad ædificandum ; alterum in malum ad destruendum.*

Mercerus : *Kau, non expectationem significat Iesaiæ 28.10. vt quidam putant, seu applicationem animi ad aliquid : sed normam,regulam, directorium, quod ædificiis, vel materiæ admouetur. Quidam funiculum mersorium reddunt : sed errant, quòd credant huius ad terram metiendam vsum fuisse : cùm sit propriè regula structoria : etsi figuratè Prophetæ in contrarium vsurpent interdum ad destruendum.* Carpit Forsterum : sed sine ratione : à Forstero stant Forerius, Marinus, Schindlerus, Buxtorfius, Agellius, Lorinus, Montanus.

Forerius in 28. Isaiæ, vers.13. *Nomen Kau non nisi funiculum significat, eum potissimum, quo mensores, & fabri lignarij, & latomi vtuntur : vnde pro mensura, & pro dimenso accipitur.* Eadem habet ad vers.17. Et in 34. Isaiæ, vers.11. inquit : *Kau funem seu lineam illam notat, quam latomi extendunt : éstque non solùm ædificantium, sed etiam destruentium, & solo æquantium, cùm nihil superemineré volunt.*

Dauid Pomarius : *Kau funiculus, regula,directorium, perpendiculum,linea.*

Marinus : *Kau, perpendiculum, ædificij regula, filum quo vtuntur cæmentarij, vt murum ordine æquali construant : & forsitan sic dictum à collectione : est enim funiculus ex multis filis congregatis effectus. Vel certè potiùs est simpliciter funiculus,tam ædificij quàm dimensionis, in bonum ædificandi causa, vel in malum destruendi ergò.*

Aliena

Auenatius: *Kau, linea, cui vtendum eſt operariis inter laborandum, funiculus ſtructorius, linea cui incubant, vel ad quam ſpectant fabri lignarij & cæmentarij.*

Valentinus Schindlerus: *Kau, linea, filum lineum, funiculus tenuis, quem minio, cretâ, aut atramento imbuunt fabri, vt lineam rectam ducant, cuius ductum ſequantur in materia exæquanda, & complananda: amuſſis, funiculus cretæ aut rubrica illitus, quo dirigunt ſaxa aut ligna: libella, perpendiculum, inſtrumentum quo filum plumbo appenſo, explorant ſtructuræ in altum rectitudinem: funiculus tam ædificij, quàm dimenſionis: in bonum ædificandi causâ, in malum deſtruendi ergò. Per metonymiam ædificium. In Prophetis autem vſurpatur duplex linea vna ædificationis, altera deſtructionis.*

Ioannes Buxtorfius: *Kau, linea, delineatio, regula, amuſſis, filum menſorium.*

Montanus in Iſaiæ 28. verſ. 10. *Kau, lineam, ſiue filum, ſiue menſuram ſignificat, qua aliquid menſuratur: atque ita redditum eſt ab Interprete noſtro, Ieremiæ 31. verſ. 39. Iſaiæ 34. 11. 17.*

Agellius in Pſalm. 18. verſ. 4. *Kau Hebræi, quos ſecutus eſt Aquila, lineam, ſeu reſticulam menſoriam, quæ canon Græcè dicitur, ſignificare aſſerunt: vel normam, ſeu regulam, ſeu menſorium funiculum, perimetrum. Non deſunt qui Kau ſcripturam ſignificare velint: perinde ac ſi Kau idem ſit quod Thau, id eſt, ſignum.*

Lorinus in Pſalm. 18. verſ. 5. *Kau ſignificat regulam, normam, amuſſim, funiculum menſorium, perimetrum, ſtructuram ad lineam confectam, directorium, perpendiculum, filum, ſeriem; vel, vt alij volunt, idem quod Thau, ſignum ſcriptum, ſeu ſcripturam, lineam, aut verſum deſcriptum.*

Occurrit vox iſta *Kau*, in Scriptura quinquies & vigeſies, quam Vulgatus diuersè exponit 3. Reg. 7. verſ. 23. *reſticulam*, 2. Paralipomenon 4. verſ. 2. 4. Regum 21. verſ. 13. Threnorum 2. verſ. 8. Ezechielis 47. verſ. 3 *funiculum*. Iob. 38. verſ. 5. *lineam*. Pſalm. 18. verſ. 5. *ſonum*. Iſaiæ 18. verſ. 2. & 7. quater, *expectantem*. Iſaiæ 28. verſ. 10. & 13. octies: quater, *expecta*; & quater *rexpecta*. Eodem cap. verſ. 17. *pondus*. Iſaiæ, 34. verſ. 11. & 17. *menſuram*. Iſaiæ 44. verſ. 13. & Ieremiæ 31. verſ. 39. *normam*. Zachariæ 1. verſ. 17. *perpendiculum*.

Sed in præſenti loco Pſalmi, vocem *Kauam*, quam variè interpretes enodent, inſpiciamus. Chaldæus, *effectus eorum*, vel *proſpectus eorum*, vel *extenſio*, ſeu, *ductus corporis eorum*. Aquila, *canon eorum*. Symmachus: *Echo eorum*. Rabbini, Himmanuel, Scelomoh, Aben-Ezra, *linea eorum*. Kimchius, & Pomarius, *ædificium*, ſeu *ſtructura eorum*. Complutenſes, *linea, ſeu norma eorum*. Reuchlinus, *norma, directio, regula, ædificatio, & architectonea eorum*. Caietanus, *filum eorum*. Steuchus, *ordo eorum, vel harmonia, moderamen, normáque eorum, vel tractus eorum*. Felix Pratenſis, *curſus eorum*. Auguſtinus Iuſtinianus, *filum*, ſiue, *linea*, vel *ſtructura*, ſiue *ædificium eorum*. Sanctes, *linea eorum*. Et in Theſauro, *linea (filum) eorum*, vel *ædificium eorum*. Conradus Pellicanus, & Leo Iudas, Mariana, *regula eorum*. Textus Campenſis, *Oratio eorum*. Paraphraſis Campenſis, *doctrina eorum*. Munſterus, *directio eorum*. Iſidorus Clarius in notis quas manu ſcriptas habemus, *linea*, vel *directio*, vel *ædificium eorum*. Vatablus in Editione Salmanticenſi, *amuſſis eorum*. In Sanctandreana verò, *linea*, vel *filum*, vel *directio*, vel *ædificium*, vel *amuſſis eorum*. Forſterus, *funiculus eorum*. Agathius Chuidaſerius, *ſtructura eorum*. Mercerus, *norma*, id eſt, *ſtructura eorum*. Auenatius, *funiculus*, id eſt, *amuſſis eorum*. Oleaſtrius in Exodi 7. *linea*, ſeu *curſus eorum ad modum lineæ*. Bredembachius, & Flaminius, *regula*, ſeu *amuſſis eorum*. Marinus, *funiculus eorum*. Genebrardus, *linea*, vel *ſtructura eorum*. Oſorius iunior, *filum eorum*, Schindlerus, *lineam ipſorum*, vel *ædificium ipſorum, vel funiculus influentiæ ipſorum. Alij, inquit, ſplendor ipſorum; quia ſplendor, & ſcintillæ ſpeciem linearum referunt*. Figueirus, *ædificium*, ſeu *conſtructio eorum*. Agellius, *reſticula*, vel, *perimetrum eorum*. Tremelius, Iunius, Buxtorfius, *delineatio eorum, id eſt, quum eos delineauit Deus ſecundo creationis die, Geneſ. 1. 6*. Pellicanus, *Zona eorum*. de quinque Zonis, quibus cælum reliquum mundum ſuo amplexu coërcet, & ambit. Montanus, *linea, verſus, pauſa, regula eorum*. At LXX. Vulgatus, & S. Hieronymus in peculiari ſua ex Hebraïco Tranſlatione, *ſonus eorum*.

Iam ſenſus, & ſententiæ oraculi plures explanationes colligamus.

Primò, In omnem terram exiuit filum eorum. Cajetanus: *Regula verò ex ſimilitudine fili ſignificatur. Deſcribit enim cælos ad ſimilitudinem quodammodo artificis extendentis filum pro regula operis, vt videmus maximè in fabricis, & in iis quæ ad menſuram linearum fieri debent. Et intendit per hoc, quod omnes nationes mundi accipiunt filum à cælis, pro quanto accipiunt rationes, regulas, menſuras operum ſuorum à cæleſtibus motibus, influxibus, &c. Inde enim accipimus diuerſas rationes ac menſuras operandi ex diuerſitate temporum, diei, & noctis, & partium diei, mane, & meridie, &c. menſium, annorum, ætatis, & veris: inde rationes agriculturæ, & alendorum animaliun, annonæ, & veſtitus humani, venationum, præliorum, & breuiter omnium humanorum operum. Et hoc commune eſt omnibus quantumcunque barbaris*. Hanc expoſitionem probat quoque Lorinus.

Secundò, Kimchius, *In omnem terram exiuit ædificium eorum, id eſt, opus, aut effectus ſphærarum, ſtellarúmque exiuit in orbem terrarum. Kau*, id eſt, normam metonymicè accepit Kimchius pro ædificio, & ſtructura, quòd ædificia fiant ad normam & regulam ſtructoriam: & ædificium hîc actiuè poſuit, nimirum non ipſam ſtructuram qua cæli ædificati ſunt, ſed pro ædificio quod cæli in vniuerſa terra ædificant, quaſi dicat: Ædificium cælorum, hoc eſt, opus quod cæli ipſi ædificant, nempe ipſorum effectus & influxus in omnem terram permeant, vbique terrarum cæli ædificant, nempe ſuos exercent effectus, & influxus: ſuo motu, virtute, efficientia vbique agunt & operantur, mundanæ fabricæ opificium, & ſtructuram conſeruant & tuentur: quia ceſſante motu cælorum, ceſſarent omnia. Hunc ſenſum innuiſſe videtur Chaldæus, cùm locum ita reddidit: *In omnem terram extenſi ſunt effectus eorum*. & ſequuntur Schindlerus & Oſorius iunior.

Tertiò, Rabbi Scelomo, *In omnem terram exiuit linea eorum, id eſt, cælorum quia ſunt extenſi ſuper faciem vniuerſæ terræ*. Ergo linea eorum, ſeu filum eorum, id eſt, extenſio, ductus, tractus cælorum. Forerius in Iſaiæ 28. v. 13. de verbo קוה *Kauah*, à quo eſt קו *Kau*, linea hæc annotat: *Eſt nempe lineas ducere intenta oculorum acie, quod eſt propriè perſpectiuæ, & Geometriæ. Quare vbi in Geneſi Vulgatus dixit, Congregentur aquæ in locum vnum. Sic intelligi poteſt: Ratione quadam veluti Geometrica circumſcribantur aquæ in loco vno. Et illud Ieremiæ 3. Congregabuntur ad eam: nos diceremus: Rectà, veluti per lineam tendent ad eam omnes gentes*. At de notione verbi Kauah pluribus agunt Forſterus, & Mercerus.

Mercerus. Ergò hîc exponi poterit: Lineatim ducuntur cæli ,& accuratiſſima quadam geometrica ratione, extenduntur ſuper omnem terram, eam circumquaque ambiunt & circumplexu coërcent lineis ſuis parallelis : cùm ipſa reſpectu cælorum ſit punctum & centrum : cæli verò eius circumferentia,& à centro ad circumferentiam ducantur certiſſimæ lineæ. Ita etiam exponunt Steuchus, & Oſorius iunior,& Lorinus,& Agellius.

Quartò, *In omnem terram exiuit curſus eorum.* Volunt enim verbum *Kauah* confluentiam & fluxum ſignificare : de aquis enim dicitur Geneſ. 1. verſ.6. ſed non qualemcumque curſum, ſed certa quadam ratione veluti ad lineam & normam, id eſt,curſum vniformem, regularem: vt hîc intelligatur de motu,cursúque cælorum,circum terram, maximè vniformi,& regulari: & ſeorſim de modo rapto & diurno,qui magis eſt conſpicuus.Ita Felix, Titelmanus,Lorinus,hîc,& Oleaſtrius inExod.7.

Quintò, *In omnem terram exiuit linea eorum.* id eſt,Scriptura, oratio, doctrina eorum,quòd Scriptura per plures lineas & verſus ducatur; vel,quod eodem recidit,*pictura eorum*,quòd linea pro pictura ſumatur in notis Adagiis, *lineas ducere*, *Lineam mittere*, & verſu Seatij: *Linea quæ veterem longè fateatur Apellem*, vt innuat Dauid pulcherrimam illam cælorum picturam & ſcripturam ; qui inſtar libri, tot ſtellis,ſideribus,ſignis,figuris Zodiaci, quaſi litteris & hieroglyphicis characteribus, atque elegantiſſimis imaginibus , videntur eſſe picti, deſcripti, exarati. Vnde in Scriptura ſacra cæli librorum nomine nuncupantur,Iſaiæ 34.4. & Apocalyp. 6. 14. Hinc Origenes apud Euſebium lib.6.Præparationis Euangelij, ex Apocryphorum delitamentis ita perſcribit : *Eſt vniuerſum cælum, quaſi liber quidam apertus , omnia futura in ſe conſcripta continens. Idcirco in Oratione Ioſeph quod à Iacob dicitur, ſic intelligi poteſt. Legi enim, inquit in tabulis cæli , quæcunque contingent vobis & filiis veſtris. Forſitan etiam illud , Complicabuntur cæli vt liber, ſignificatiuas futurorum rationes conſummatas, & vt ita dixerim, adimpletas forè oſtendit.* Hæc ille. De Apochrypho autem libro Oratio Ioſeph inſcripto,vide Xyſtum Senenſem lib.2.Bibliothecæ. Sed eiuſmodi Origenis commentum ex media Iudiciaria vanitate hauſtum, prorſus repudiandũ eſt.

Ergo peraccommodo & apto ſenſu ſcripturam cælorum hoc Pſalmi loco,nonnulli elucidant.Vatablus in Annotationibus Sanctandreanis:*Pro linea, & amuſſi quidam vertunt Scripturam : quòd in cælis tanquam in volumine omnibus conſpicuo deſcripta ſit Dei gloria. Iſaiæ* 28.10.*Kau, pro verſu, ſiue ſcriptura poni dicunt , vbi dicitur , Præceptum ad præceptum ; præceptum ad præceptum : verſus ad verſum,&c. Senſum itaque talem eſſe Gloriam Dei non obſcuris litterulis notatam,ſed ſplendido charactere expreſſam eſſe: cuius lectio omnibus expoſita ſit ac facilis.*

Agellius : *Non deſunt qui Kau , hoc loco non lineam aut perimetrum, ſed ſcripturam ſignificare malint : ſcriptura inquit,cælorum in omnibus locis legitur, in cælo , tanquam in maximo naturæ libro exarata & deſcripta:illámque intelligunt,qui vbique ſunt homines.*

Acceperunt iſti ex Aben-Ezra qui ait : *In omnem terram exiuit linea eorum. Et linea eſt Scriptura:quia ſcriptura eorum legitur vbique , & intelligunt quæ ſit eius ratio omnes intelligentes in cunctis locis terræ.* Ita quoque locum interpretantur Textus , & Paraphraſis Campenſis , Richardus Cenomanus , & Lorinus. Ac ſi dicat , In omnem terram exiuit linea,ſeu ſcriptura,aut doctrina cælorum: quia omnes ſapientes vbique terrarum , ſciunt & intelligunt mirabiles rationes ſtructuræ cælorum : vbique habetur, docetur , & celebratur cognitio , & ſcientia de cælis: quæ ſanè magna,& perampla eſt, item vtilis,& neceſſaria,nempe corporum præſtantiſſimorum , quorum ſcire motus, aſpectus, influxus magnopere conducit ad regulandas & moderandas naturales humanæ vitæ operationes.

Oſorius ſenior in Paraphraſi : *Cæli diſciplina,admirabili via,& ratione in omnes orbis regiones procedit : mundíque totius vox & oratio ab omnibus nationibus audiri & intelligi poteſt. Nulla enim gens eſt, quæ non facilè poſſit ex naturæ operibus , quæ oculis omnium , noctes , diéſque ſubiecta ſunt , vim diuinam cogitatione complecti, Rectoríſque ſummi diuinitatem contemplari.*

Sextò,*In omnem terram egreſſus eſt funiculus ipſorum* , nempe funiculus influentiæ cælorum. Ita Schindlerus.Nimirum quia veluti funiculo & reſti deſcendunt cælorum influxus in hæc inferiora. Quò alluſiſſe putant Homerum initio 15. Iliados, cùm refert Iouem funiculo aureo ſuſpendiſſe è cælo Iunonem : nempe nexum elementorum & influxum à cælo. Vide Pierium lib. 48. Hieroglyphicorum,in Incude, & Cælium Auguſtinum Curionem lib. 2. Hieroglyphicorum, in Iunone.

Septimò,Arias Montanus ita locum interpretatur : *Kau,pro quo ſonus Interpres reddidit noſter , lineam,verſum, pauſam,regulámque ſignificat.Námque idem vocabulum à diuerſis artificibus rectè in ſuam cuiuſque vſurpatur artem,vt regulæ nomen, quæ architectorum inſtrumentum notiſſimum ad artium fermocinalium,atque adeo ad morum diſciplinam transfertur: regulæ ipſius vis & ius in extrema ſecundum longitudinem linea conſiſtit. Atque hoc primum annotandum. Deinde etiam illud, Artium ac Diſciplinarum ſumma & communia præcepta verſibus & carminibus tradere apud priſcos moris fuiſſe : quòd ille modus & ad memoriam , & ad animi diſcentis alacritatem , numeris præcipuè & arte ſeſe commendet.Ita quæ maximè diſci & ſciri oporteret, elegantiſſimis committebantur verſibus. Vtramque autem annotationem exigere nobis videtur vox Kau, cui Latina nomina regula , & verſus interpretando aptantur.* Hæc Montanus. Vult ergo hunc eſſe Prophetæ ſenſum : In omnem terram exiuit linea, ſeu verſus eorum. Id eſt,verſibus , & carminibus certa lege & regula conſtrictis,ad inſignem præſtantiæ,& memoriæ commendationem, per vniuerſum terrarum orbem celebratur admirabile cælorum opificium ad amuſſim & regulam abſolutiſſimè conſtructum. Equidem ipſe Montanus exponens vocem *Kau* quæ Iſaiæ 28.verſ.10.& 13. octies reperitur,inquit: *Exiſtimamus autem verbum Kau,pro quo Interpres noſter expecta reddidit,hoc loco ad carminis certos modos à compoſitore expectatos & obſeruatos eſſe referendum.* Vnde hunc locum Pſalmi ita Carmine expreſſit : *Quà patent terræ , penetrant canentis Ætheris verſus.*

Octauò,Forſterus:*In omnem terram exiuit funiculus eorum.Id eſt,dimenſum eorum in doctrina Euangelij & eius propagatione : ad quam Paulus Apoſtolus quoque alludit 2.Corinth.*10.13.*Nos autem non in immenſum gloriabimur , ſed ſecundùm menſuram regulæ qua menſus eſt nobis Deus pertingendi ad vos,&c.* Reiicit hanc annotationem Mercerus his verbis : *Alieniùs quidam putant huc Paulum alludere 2.ad Corinth.*10. *vbi ſe non in immenſum gloriari dicit, ſed iuxta menſuram regulæ,&c.Eo enim loco de Euangelij aut doctrinæ cæleſtis propagatione propriè non eſt ſermo. Figuratè tamen dictum eſt.* At S.Chryſoſtomus, Theophylactus,

lactus, Oecumenius,imò etiam & Theodoretus de prædicatione Euangelij diſertè Paulum locutum affirmant : ex quibus Forſterum ſuam accepiſſe obſeruationem non dubito. Vtinam ſic ſemper hic Nouator erraſſet.

Nonò, *In omnem terram exiuit regula eorum*, ſeu norma, linea, canon, directorium, perpendiculum eorum, hoc eſt, ſtructura, fabrica eorum ad normam & lineam, & perpendiculum exactiſſimè facta. Antecedens pro conſequenti: ac ſi dicat : In extremis quibuſque terræ partibus & oris, ac per totum ipſum terrarum orbem conſpicitur admiranda iſta corporum cæleſtium fabrica, incomprehenſibili arte, & ſapientia à ſummo opifice ad omnem amuſſim confecta, ad lineámque, & directorium accuratiſſimè reſpondens : ipſorum immutabilis ordo, grauiſſima diſpoſitio, pulcherrimáque deſcriptio ac delineatio vbique cernitur, & omnes in admirationem, laudeſque ſapientiſſimi opificis rapit : Mira cælorum architectura, elegantiſſima iſta mundi machina, vbique terrarum celebrat ſummi Fabricatoris infinitam potentiam, ſapientiam, ingenium : cunctóſque mortales in ſtuporem adducit, ad cultúmque, & venerationem veri Dei mirabiliter accendit. Nulla eſt tam fera, ac barbara natio, támque à communi humanitatis ſenſu aliena : quæ accuratiſſimam & formoſiſſimam cælorum ſtructuram, & harmoniam contemplans, ad eius architecti & diuini opificis cognitionem, amorem, cultum non penitus perduci ac omnino pertrahi quèat. Et planè elegantiſſima proſopopœia, ſimul cum phraſi Hebraïcæ linguæ, quam illo Pſalmo Rex vates diuinè perſequitur. Neque enim cæli, cùm ſint rationis & mentis expertes, loquuntur, prædicant, enarrant, voces habent, aut verba : ſed prædicare, & celebrare homines faciunt. Theodoretus : *Secundùm Aquilam, In omnem terram exiuit canon, ſeu ordo ipſorum. Nam nec ſermonem, inquit, emittentes, nec verba proferentes ; ſed regulam, & proprium ordinem demonſtrantes, omnem terram atque mare ad diuinas laudes decantandas inuitant.* Interpretatio hæc eſt peruulgata recentiorum, Reuchlini, Vatabli, Titelmani, Folengij, Merceri, Figuerij, Oſorij iunioris, Lorini, Bredembachij, Flaminij, Genebrardi, Buxtorfij, & aliorum. Reddidit hunc locum paraphraſtico carmine Ioannes Gagnæius in hunc modum :

Immutabilis ille ordo videlicet
Ædis ſtelliferæ, ac totius ætheris,
Terram perſonat omnem,
Atque omnes procul inſulas.
Structura illa Dei nempe adeo elegans,
Ad certam veluti condita lineam,
Et rectiſſimam amuſſim,
Quidnam, obſecro, aliud ſonant,
Quàm magni artificis tum ſapientiam,
Tum miram bonitatem atque potentiam,
Quæ peruenerit vſque
Fines Orbis ad vltimos ?
Nam nullus populus, nulláque gens fuit,
Quin ad tanti operis contuitum ſtupens
Certò confiteatur
Cæli vnum artificem Deum.

Annotat Maſius in 2. Ioſue, verſ. 18. ex affini Chaldaico nomine קוֹאֵי *Koë*, quod textorem ſignificat, Hebraïcum *Kauah* קָוָה, olim contexere etiam ſignificaſſe : vnde *Kau* vocabulum dictum fuerit, nempe funiculus ex multis filis contextus. Hinc poſſemus hîc exponere : *In omnem terram egredietur contextum*, textura, *eorum*. Nimirum de admirabili, & picturata fabrica cælorum : qui ad inſtar pulcherrimi aulæi & periſtromatis, ſcitiſſimo ornatu, & variegato opere contexti ſunt. Vnde initio Pſalmi, cælum ſeu Firmamentum Hebraica voce nuncupauit רָקִיעַ *Rakia*, hoc eſt, extenſionem, ſeu expanſionem : de quo nomine lib. 40. Hieroglyphicorum, in Stellis, Pierius hæc obſeruat : *Nimirum illa extenſio in modum pellis tanquam litteris inſcriptæ luminaribus, & ſtellis, dicitur Rakia : & ῥάκος Græcis corium eſt : nos verò tentorium illud Firmamentum appellamus : & aulæa picturata vulgus etiam vbique hodie Racia nuncupat. Porrò cælum à cælatura appellatum Probus putat.* Hæc Pierius Nos eiuſmodi variegato opere contexta aulæa, *Paños de Raz*, ſeu *Tapiceria* vocamus. Et Pſalm. 103. 2. *Extendens cælos, ſicut pellem.* Hebraico *ſicut cortinam*, aulæum, velum.

Repoſuimus quæ varij Interpretes ad huius oraculi explanationem attulere: verùm vt eſt præclara Scripturæ vbertas, conemur aliquid & nos. Primò, *In omnem terram exiuit confluentia*, influentia, influxus *eorum*. Secundò, *In omnem terram egreſſa eſt congregatio*, collectatio, glomus, id eſt globus *eorum*. Tertiò, *In omnem terram exiuit intentio*, vel amplexus, ſeu ambitus eorum. Quartò, *In omnem terram egreſſa eſt incubatio*, ſeu incubitus *eorum*. Quia cæli omnia inferiora fouent, incubant, animant.

Et quamuis hiſtorico, & litterali ſenſu hæc verba de cælis Propheta conceperit : at ſublimiori & prophetica mente, nemo pius dubitet de Apoſtolis eſſe loquutum, vt poſteà dicemus, in quos concinnè & appoſitè oraculum conuenire facilè quiſque conferre & intelligere poteſt. Sed breuiter dicamus, arcana & recondita intelligentia ceciniſſe diuinum Vatem. Primò, Apoſtolos ſpiritales & animatos cælos, extitiſſe veriſſimam regulam & amuſſim, & cæleſtis doctrinæ fidei, & morum, atque omnis probitatis & integritatis toti orbi, ad quorum fidei & vitæ perpendiculum & normam exigenda fuit omnis doctrina & probitas Chriſtiana. Secundò, ædificaſſe Chriſti Eccleſiam vbique terrarum : ſuis exemplis, doctrinis, precibus, interceſſione veluti efficaciſſimis influxibus, fouere, continere, conſeruare, tueri totum orbem Chriſtianum. Tertiò, Eorundem curſum, prædicationem, doctrinam, Sacrarum Scripturarum canonem, quem ipſi Spiritu Sancto dictante, condiderunt, peruagata totum mundum. Quartò, Pulcherrimam ipſam Eccleſiæ ſtructuram, picturam, harmoniam, ſymmetriam, texturam, & immenſæ elegantiæ fabricam, ad exactiſſimam formam, & amuſſim adornatam, eius primarij artifices, & fundamentales lapides poſt Chriſtum, fuere Apoſtoli, quibus elegantiſſimi ædificij tota moles impoſita eſt, exiuiſſe in omnem terram, vbique gentium fuiſſe feliciſſimè fundatam, & erectam.

Huc pertinet illud præclarum Zachariæ vaticinium, 1. verſ. 16. *Domus mea*, id eſt, Eccleſia, *ædificabitur in ea*, Ieruſalem & tota terra *& perpendiculum*, id eſt, verbum Dei, quod eſt veluti inſtrumentum ædificij diuini, & certa regula quæ non variatur, neque corrumpitur, *extendetur ſuper Ieruſalem*, vt locum ſanè interpretantur Forſterus & Mercerus. Quò alluſiſſe videtur Paulus, cùm ait, ſe vt ſapientem architectum fundamentum poſuiſſe, 1. Corinth. 3. 10.

Apologia pro Septuaginta Interpretum translatione, & editione Vulgata.

CAP. XLI.

SEptuaginta Interpretes, Vulgatus, & S.Hieronymus in peculiari à se edita Psalmorum ex Hebraïca veritate translatione, Hebraïcum *Kauam*, reddiderunt ὁ φθογγὸς αὐτῶν *sonus eorum*: quam interpretationem, non solùm probat Ecclesia, sed & Paulus Rom. 10. vers.18. disertè sequitur: Sanctes in Thesauro hæc annotat: *Kauam LXX. & Hieronymus exponunt, sonus eorum: sed in tota Scriptura non inuenitur significare sonum.*

Ergo non pauci,vt LXX. & Vulgati, imò & Pauli interpretationem tueantur, asserunt Hebraïcum textum hoc loco esse deprauatum facili lapsu, vnius tantùm litteræ permutatione, quod incuria librariorum potuit accidere. Nimirum initio à Propheta scriptum קולם, *Kolam*, *vox*, seu *sonus eorum*: postea ל *lamed* vitio exscribentium degeneasse in ו *vau*, scribíque cœpisse קוים *Kauam*, *linea eorum*. Priorem illam, veram & genuinam lectionem secutos LXX. & Vulgatum, ac S.Hieronymum, vti sanè vetustissimi tunc codices habebant Hebraïci: hanc verò posteriorem vitio in codices Hebraïcos illapsam, obtinuisse apud recentiores, & nouatores. Ita existimant Steuchus, Richardus Cenomanus, Agellius, Lorinus in hunc locum, Lindanus de optimo genere interpretandi, lib. 1. cap. 4. Leo Castrensis lib. 5. Apologetici, pag. 508. Iulius Rogerius de Scripturis Canonicis, cap.45. Nicolaus Ramos part.2. Assertionis Vulgatæ, cap. 1. Marcus Marinus in Arca Noë, in Voce *Kau*, Alfonsus Salmeron Prolegomeno 4. in Euangelia, Nicolaus Serarius in Prolegomenis Bibliacis, cap. 12. quæstiunc. 2. Rob.Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei, cap. 2. in Comment. Psalm. 18. vers. 4. vbi inquit: *In Hebræo legitur, pro, sonus eorum, Kauam, quod significat linea, siue regula eorum. At videntur LXX. legisse, non* קוים *Kauam, sed* קולם *Kolam, vnica littera addita quod est sonus eorum. Nam si legissent Kauam nunquam vertissent* φθογγὸς αὐτῶν *id est, sonus eorum, nisi imperitissimi fuissent. Adde quòd S. Hieronymus quoque ex Hebræo vertit, sonus eorum. Et sic etiam citauit Apostolus ad Romanos* 10. *Ex quo intelligimus textum Hebraïcum esse corruptum vitio scriptorum, idque post S. Hieronymi tempora.*

Ergo potissima istorum ratio, cur hîc Hebræa deprauata censeant, est: Quia necesse est aut LXX. & Vulgatum, & S.Hieronymum, imò & Apostolum Paulum insciriæ, aut oscitantiæ coarguere, quòd vocem Hebraïcam Kauam perperàm interpretati sunt: aut ingenuè fateri, Hebraïcum Fontem hîc esse deprauatum, & pro *Kauam*, olim verè, & integrè scriptum *Kolam*. Quasiverò nullus reperiri possit modus asserendi Paulum, LXX. & Vulgatum, nisi causando textus Hebraïci corruptelam. Qui contendunt Hebraïca Scripturæ exemplaria, vel incuria, vel malitia Iudæorum multis locis in damno esse, robustiora alia arcessant argumenta: nam hoc non magni esse momenti, mox perspicuum reddemus. Mirum Hebræos qui in notandis Cheri, & Chetib, hoc est variis Hebraïci Textus lectionibus nimium solent esse ad ineptias vsque morosi: nullam hoc loco diuersæ lectionis iniecisse mentionem:cùm constet plerisque aliis locis eam solitos præferre lectionem,quæ magis Christianis faueat.

Genebrardus existimauit, forsan LXX. accepisse *Kol* קול pro קו *Kau* per apocopen poëticam: nimirùm causa metri. Nec admodum Lorino displicet, Verùm non magnopere probauerim: Cùm quod tunc Hebræa non potuissent reddi, ex notione & vi vocis *Kau*, quam amplissimam monstrauimus: perirétque tanta Fontis fœcunditas, quanta nuper est à nobis patefacta: tum quòd cùm commodè fieri potest, cùm verba propriè capi possunt, non est confugiendum ad figuras: nam quæ erunt tam aliena, aut dura, quæ figuris adaptari, & concoqui non queant.

Igitur facilè quisque prudens assentietur, eam Pauli, & LXX. ac Vulgati defensionem esse præferendam; quæ sic eorum auctoritatem tuetur, vt etiam integritati, & puritati textus Hebraici consultum hîc velit. Nimirùm dicimus LXX. Paulum, Vulgatum, non aliud Hebraïcè legisse aut intellexisse, quàm *Kauam*, non *Kolam*: sed sensus magis, quàm verbi habuisse rationem, locutionémque molliuisse, vt planiorem redderent, aptiúsque ad sequentis hemistichij verba accommodarent: *& in fines orbis terræ verba eorum.* proinde dixisse, pro,*Kauam*, *sonus eorum*, quod sonus, vox, verba mirè conueniant. Forsan respicientes mysterium prædicationis Apostolicæ, quæ per vniuersum mundum insonuit, vt eam disertiùs exprimerent, pro *Kauam*, LXX. reposuêre, *sonus eorum.* Atque istam LXX. Vulgati, & Pauli cum Hebraïca veritate consiliationem, (ne nos primi habeamur auctores) erudite excogitarunt Steuchus, Titelmanus, Bredembachius, Mercerus, Genebrardus, Montanus, Lorinus, Figuerius, & Delrius parte 1. Adagiorum sacrorum, Adagio. 323.

Explicatur LXX. & nostri Vulgati sensus.

CAP. XLII.

QVod ergo LXX. & Vulgatus reddiderunt In omnem terram exiuit sonus eorum. Variè quoque explanari potest. Primò, de cælis ad sensum Fontis originarij: Cælorum accuratissima structura, & pulcherrima fabrica, tanta arte, & varietate confecta, vbique terrarum personat, ac celebratur. Secundò, de sono Apostolicæ prædicationis per vniuersum mundum, vt Paulus interpretatur:de qua interpretatione dicemus c.seq.

Tertiò, Posset quispiam haud prorsus ineptè secum reputare, num LXX. ad antiquorum opinionem respexerint, qui tradiderunt cælestes orbes motu suo diuinum quendam & suauissimum sonum & concentum edere. In qua opinione fuêre Orphæus, Pythagoras, Plato, Eratosthenes, Cicero, Plinius, Ptolemæus, Chalcidius, Proclus, Themistius, Macrobius, Simplicius, Seruius, & alij. De qua re qui plura nosse cupit (quia de his longiùs differendi otium nobis non est) adeat M. Tulium in Somnio Scipionis, Plinium lib. 2. cap. 3. Macrobium lib. 2. in Somnium Scipionis, cap. 1. 2. 3. 4.

Philo de Somniis in hunc modum differit: *Cælum perpetuo concentu suorum motuum reddit harmoniam*

"iam suauissimam : quæ si posset ad nostras aures per-"uenire, in nobis excitaret impotentes amores, & in-sanum desiderium, quo stimulati, rerum ad victum necessariarum obliuisceremur : non pasti cibo, potúque per fauces dimisso, sed quemadmodum immortalitatis candidati, consummatæ musicæ diuinis cantibus, quales cùm Moses extra corpus raptus audiuisset, fertur, per quadraginta dies, totidémque noctes, nec panem, nec aquam gustasse. Itaque cælum instrumentum musicæ archetypum. Videtur mihi non propter alia sic elaboratum, quàm, vt rerum Patris hymni scitè, decantentur, & musicè.

S. Ambrosius Præfat. comment. in Psalmos : *Ipsum axem cæli fert quorundam sermo, quadam perpetui concentus suauitate versari : vt si assuetudo permitteret, sonus eius extremis terrarum partibus audiretur, vbi sunt quædam secretæ naturæ. Nec id ab ipsius naturæ vsu alienum videtur, quandoquidem vox emissa gratiori plausu in nemoribus resultet, aut montibus, & suauiori sono ipsi reddant quod acceperint.*

Licentius in Carmine ad S. Augustinum præceptorem, quod idem S. August. recitat epist. 59.

Quis numerum dedit ille tonis, mundúmque tonanti.

Disseruit canere, parilésque agitare choreas.

S. Anselmus de Imagine mundi : *Septem cælorum orbes cum dulcisona harmonia voluuntur, ac suauissimi concentus eorum circuitione efficiuntur, qui sonus ideo ad nostras aures non peruenit, quia vltra aërem fit, & eius magnitudo nostrum angustum auditum excedit. Nullus enim à nobis sonus percipitur, nisi qui in aere efficitur : à terra autem vsque ad firmamentum, cælestis musica mensuratur, ad cuius exemplum nostra musica inuenta est.* Idem quoque sensit Boëtius in procœmio Arithmeticæ : nec ab eadem opinione multùm absunt è recentioribus Cælius Rhodiginus lib. 1. Lect. antiq. cap. 19. Franciscus Georgius in Harmonia Mundi cantico 1. tomo 8. cap. 16. & cantico 3. modulo 11. concentu 1. & 2.

Obseruat etiam idem Georgius, Accentus Hebraïcos, & Seruos, & Reges, & Grammaticos, & Musicos, qui in Hebraïca Sacræ Scripturæ veritate continentur, motum, concentúmque cælorum designare, atque exprimere : qui etiam hæc addit: *Litteræ illæ Hebraïcæ dicuntur scriptæ in sede Dei, quod cælum est, instar cuius figurarum sunt formatæ litteræ ipsæ, quibus vsus fuit Moses in danda Lege, vt memini me vidisse, si antiquitati attestanti fides adhibenda est.* Neque iis absimilia Plinius prodit lib. 2. cap. 3. cùm ait : *Esse innumeras cælo effigies animalium, rerúmque cunctarum impressas, nec (vt in volucrum notamus oris) læuitate continua lubricum corpus, quod clarissimi auctores dixêre tenerum, rerum argumentis indicatur: quoniam inde deciduis rerum omnium seminibus, innumeræ in mari præcipuè ac plerunque confusis monstrificæ gignantur effigies. Præterea visus probatione, alibi plaustri, alibi vrsi, tauri alibi, alibi litteræ figura candidiore, medio super verticem circulo.* At illud de accentibus Hebraïcis, & litteris instar cælestium figuratum efformatis, quo loco habendum sit, prudens quisque iudicet.

Certè cælorum musicum concentum, Aristoteles lib. 2. de cælo, cap. 9. & vniuersa Peripateticorum schola, magnis argumentis explodit : & contra eandem sententiam Franciscus Vallesius in Sacra Philosophia, cap. 39. ex professo disseruit S. Basilius Homilia 3. in Hexaëmeron, ita in illam declamat : *Quos quidem cælos ita asserunt concinnè inseri vnum alteri, quemadmodum si cadi aut vascula in sese inserta sint. Hos proinde sic insertos, dum motu contrario ex aduerso vniuersi in orbem versantur, asseuerant æthere per hos circumquaque perrupto, sonum reddi concinnum suaue resonantis harmoniæ, quæ mellicæ omnis melodiæ mellitissimam exuperet & iucundam suauitatem. Subin assertores istius commenti, si quando reposcuntur, fidem vt faciant, ac sensu ipso confirment, hæc ita se habere ; quid aiunt ? Nos per primariam ad eum sonum assuetudinem, nimirum ab ipso mox ortu, ita huic aures consuesse commodare, vt intentiore eiusmodi audiendi cura sensus ipse obsurduerit nobis, ac deperierit, perinde atque ij hominum, quorum aures crebris ictibus in excusoriis officinis & continenter pulsatæ, sic occalluerunt, surdæ vt sint. Quorum impostluram planè veteratoriam, & ruinosa carie præflaccidam coarguere, (cùm mox audita nulli non se cognoscibilem ostentet, & conspicuam) non vtique viri est aut scientis parcere tempori, aut certè coniectantis, quo intelligentiæ acumine sint præditi auditores.*

S. Ambrosius lib. 2. Hexaëmeron, cap. 2. *Dauid etiam cælos cælorum in illo laudantium Dominum constituit choro. Quem imitantes Philosophi, quinque stellarum, solis, & lunæ globorum consonum motum introduxerunt : quorum orbibus, vel potius globis connexa memorant omnia, quos sibi innexos, & veluti insertos versari retro, & contrario cæteris motu ferri arbitrantur: eóque impulsu, & motu ipsorum orbium, ducem quendam, & plenum suauitatis atque artis, & gratissimi modulaminis sonum reddi : cùm scissus aer tam artifici motu, & acuta cum grauibus tempestate, ita varios æquabiliter concentus efficiat, vt omnem supergrediatur musici carminis suauitatem. Huius rei fidem si requiras atque expetas, sensu nobis, & auditu probari hæsitant. Nam si vera forent, quomodo tanto motu orbium concrepante, cùm ille cælestis orbis, cui affixos ferunt stellarum cursus, qui sine intermissione voluuntur, concitatiorem habeat conuersionem, atque acutum sonum excitet : hic autem lunaris grauissimum, non audiretur à nobis, cùm leuiora audire soleamus? Fidem ergo eius disputationis si testimonio nostro, & auditus munere exigamus probari, referunt obsurduisse aures nostras ; & hebetiorem nobis sensum audiendi factum, propter illam à principio nostræ generationis concepti sonitus consuetudinem. Et exemplũ afferunt* (Cicero in Somnio Scipionis,) *eo quòd Nilus fluuiorũ maximus, eo videlicet loci vbi se ex altissimis mõtibus in Cataduparilla præcipitat, magnitudine fragoris sui aures accolarũ obstruat, vt audiendi munere carere dicantur. Sed facilè his ipsa respondet veritas. Nam qui tonitrua audimus nubium collisione generata, tantorum orbium conuersiones, qui maiori vtique sicut motu ferri æstimantur, ita vehementiores sonitus excitarent, non audiremus? Addunt præterea, ideò sonum hunc non peruenire ad terras, ne capti homines per suauitatem eius atque dulcedinem quam celerrimus ille cælorum efficit motus ab Orientalibus partibus vsque ad Occasum, propria negotia atque opera derelinquerent, & omnia hîc otiosa remanerent, quodam humanæ ad cælestes sonos mentis excessu.* Hactenus S. Ambrosius.

Haud nos latet S. Ireneum lib. 1. aduersus hæreses, cap. 10. & S. Epiphanium hæresi 34. inter Marcosiorum detestanda dogmata recensuisse, sonos quosdam ab illis tributos cælorum sphæris. Verùm SS. Patres non musicum cælorum concentum, qualem nonnulli Philosophorum asseruerunt : sed prodigiosa quædam portenta, quæ in cælorum sono Marci sectatores confingebant, coarguisse videtur.

Nec tamen in hoc non sumus, vt opinionem de cælorum musico concentu tueri velimus : sed cuperemus nihilominus eandem acriùs expendi, nec vt prorsus absurdam ablegari : cùm alioqui

sciamus, quanta probabilitate doceant Theologi corpora Beatorum glorioſa poſt vniuerſalem redintegrationem, ſuos habitura ſenſuum vſus externorum, & mirabiles, atque harmonicos ſonos in cælo futuros, quibus audiendi ſenſus ſumma voluptate ac dulcedine compleantur, vt Sotus 4. Sent. diſtinct. 49. quæſt 4. artic. 5. Suares tomo 2. in 3. partem diſp. 47. ſect. 6. annotarunt.

Adde quòd S. Iob neſcio quid de muſica cælorum innuiſſe viſus eſt. 38. verſ. 37. *Concentum cæli dormire qui faciet ?* Hebræa : Nible (nabla) cæli quis quieſcere faciet ? Eſt autem *Nibel* inſtrumentum muſicum, quod Græci, Latiníque voce ab Hebræa deflexa Nablum, vel Nablium appellant: de cuius forma & figura plura Ioſephus lib. 7. Antiquit. cap. 10. & recentiores Cælius Rhodiginus lib. 9. Lect. Antiq. cap. 4. Angelus Politianus in Centuria Miſcellaneornm, cap. 14. Reuchlinus, Forſterus, Mercerus, Auenarius, Marinus, Pomarius, Schindlerus, Buxtorfius in Hebraïcis Lexicis, Forerius in Iſaïæ. 5. verſ. 12. Genebrardus in Pſalm. 32. verſ. 3. & in Pſalm. 150. verſ. 4. Stunica in Iob. 38. verſ. 37. Lorinus in Sapientiæ 19. verſ 17. Symmachus exponit: organa cæli quis ornabit?

S. Auguſtinus: Organa cæli in terram declinauit. At Hebræi Rab. Moſeh, Aben Ezra, Rab. Leui Ben-Gerſon, Kimchius, & recentiores, Caietanus, Reuchlinus, Sanctes, Stuchus, Forſterus, Tremellius, & Iunius, Pellicanus, Clarius, Auenarius, Marinus. Sthunica, Schindlerus, Pineda, Buxtorfius, *Nible cæli* interpretantur, *vtres*, ſeu *lagenas cæli*, hoc eſt, *nubes*, vel *nubila*, conſentiente voce: nam nubes veluti vtres continent, & effundunt imbres, vel pluuias ſuper terram. Acceperunt à Chaldæo Paraphraſte, qui habet : *Et nubes quæ ſunt ſimiles vtribus, quis habitare faciet ?* Sed ſenſus Vulgati proculdubio præferendus, præſertim quod alias in Scriptura vox *Nebelim* in metaphorica nubium ſignificatione non reperiatur. Xyſtus Senenſis lib. 5. Biblioth. annot. 105. ait, ſe vberiùs de muſica cælorum harmonia egiſſe in quæſtionibus Phyſicis in diuinas Scripturas : quod opus nondum vidimus.

Lorinus inquit: *Sed veros externos edi ſonos nunc à corporibus cæleſtibus, nollem probabile Maluenda dixiſſet.* Ego *probabile* dixi ? Propemodum exclamatum ibam : Hæc profectà vis eſt. Verba mea ſunt : nec vt prorſus abſurdum ablegari. Quantum verò interſit, inter, *non prorſus abſurdum*, & *probabile*, quis non videt? Quam parum autem Ioannes Bochius extimuerit concentum cælorum muſicum vtcumque credere, verba eius in Pſal. 18. obſeruationibus perſpicuè indicant, cùm ait: *Locus hic ad litteram de cælis videtur intelligi: poſſet quoque referri ad ſonitum cæleſtem, vel concentum harmonicum, qui in cælis eſt: quam muſicam ex cæli volubilitate (etiamſi non audiamus, quia maior ſonus eſt, quam vt humanarum aurium recipiatur anguſtiis) vocat Macrobius in Somnium Scipionis lib. 2. cap. 4. Exemplo incolarum ad Nili Catadupa habitantium, quorum aures obſurdeſcunt magnitudine fragoris, quem Nilus ex altiſſimis montibus præcipitans excitat. Cicero eodem loco De Harmonia, quam cæleſtia corpora efficiunt, ex ſententia Pythagoreorum tractat Ariſtoteles de cælo lib. 2 cap. 9. Quamobrem interrogat vir Sanctus Iob capite 38. Concentum cæli quis dormire faciet ?*

Elucidantur verba Pauli Romanor. 10. verſ. 18. Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum : & in fines orbis terræ verba eorum.

CAP. XLIII.

ISidorus Clarius in Pſalm. 18. verſ. 5. exiſtimat Paulum per ſimilitudinem tantùm, & quandam accommodationem tranſtuliſſe verba illa Pſalmi, *In omnem terram exiuit ſonus eorum*, &c. ad Apoſtolorum prædicationem in vniuerſo mundo : ſic enim ait : *Paulus ad Romanos 10. hoc teſtimonio Pſalmi vſus eſt per ſimilitudinem : quòd ſcilicet, ita Apoſtolorum prædicatio mundo fuerit declarata, quemadmodum cæli gloriam Dei prædicant in quauis orbis terræ parte. In eundem ſe habet modum, & illud 2. Corinth. 8. cùm enim hortaretur, vt Corinthy ex ſua abundantia ſancirent fratrum in Iudæa inopiam, ſubiecit, Sicut ſcriptum eſt, Qui multùm, ei nihil redundabat : qui parum, ei nihil deerat. Non enim negat id ſcriptum fuiſſe de manna, Exodi 6. ſe vult hortari, vt ita ſtuderent Sancti res vitæ æquare, vt manna olim ex æquo populo tribuebatur. Sic de boue triturante 1. Timoth. 5. & 1. Corinth. 9.* Ab hac ſententia non multùm abludere videtur Vatablus in Annotationibus Salmanticenſibus.

Verùm nullo pacto probanda eſt eiuſmodi interpretatio, quam etiam exploſit Adamus, & Toletus, nimirum quia ſingularis, & noua eſt, atque à communi Interpretum mente aliena. Qui omnes ferè conſentiunt, præfata Dauidis verba litterali, & hiſtorico ſenſu de cælis : ſublimiori verò & allegorica intelligentia de Apoſtolis eſſe capienda. S. Paulum autem allegoricè de Apoſtolorum prædicatione in vniuerſa terra fuiſſe interpretatum. Nimirum ſonum & celebrationem admirabilem cæleſtis fabricæ, quæ per vniuerſum mundum diffunditur, typum & allegoriam eſſe Apoſtolicæ prædicationis in omnem terram. Sic S. Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Thryphone, pag. 102. Tertullianus aduerſus Iudæos, cap. 7. & lib. 3. contra Marcionem, cap. 22. & lib. 4. capite 43. & lib 5. cap. 19. & de Fuga in Perſecutione, cap. 6. S. Athanaſius orat. 2. contra Arrianos, Euſebius Cæſarienſis lib. 2. Hiſt. Eccleſiaſticæ, cap. 3. S. Gaudentius Tractatu 8. in Exodum, Origenes, S. Chyſoſtomus, Oecumenius in 10. ad Romanos, S. Auguſtinus, Arnobius, Caſſiodorus in Pſal. 18. & idem S. Auguſtinus epiſt. 80. ad Heſychium. Hoc ipſum annotant innumeri recentiores, Lyranus, Steuchus, Vatablus, Bredembachius, Titelmanus, Folengius, Ianſenius, Genebrardus, Bochius, Bellarminus, Lorinus in Pſalm. 18. Caietanus, in Pſalm. 18. & in 10. Romanor. Adamus Saſbouth, Guillandus, Estius, Iuſtinianus, Toletus, Pererius, Sa, Adamus, Cornelius à Lapide in 10. ad Romanos.

Salmeron, & Toletus exiſtimant Dauidem litteraliter quoque de Apoſtolis intellexiſſe. Ait enim Toletus: *Verba Dauidis litteraliter etiam de Apoſtolis intelligenda : ſunt enim verba prophetica : de cælis autem intellecta non ſunt prophetica. Nec nouum eſt in eiſdem verbis Scripturæ plures eſſe ſenſus litterales.* Id non admodum probant Lorinus, Cornelius, & Iuſtinianus. Addunt tamen : *Non eſſe negandum, auctore præſertim Paulo, hunc myſticum ſenſum de Apoſtolis, præcipuè fuiſſe Spiritui Sancto pro*

propoſitum, atque idcirco dici poſſe verum ac proprium ſenſum, ſed propheticum. Ad voces tantùm, vt mihi videtur, diſcordia redit.

Non dubitarim, Dauidem hæc verba proferentem, & ſenſum, & mentem, ſimul in cælos, ſed præcipuè, & propheticè in Apoſtolos intendiſſe, eiſdémque verbis, & cælos, ſed ſublimiùs Apoſtolos dixiſſe. Et hic ſenſus cur non litteralis propheticus dicetur, quem & verba, & mens vatis ſignificant? vtcumque ſit, verborum Dauidis de Apoſtolis intelligentia, ſeu litteralis, ſeu allegorica ſit, in dubiam fidem, & auctoritatem retinet.

Quidam tamen curioſiùs annotarunt, Paulum verba Dauidis non alio ſenſu accepiſſe, aut adduxiſſe niſi de cælis, nec de Apoſtolis vllo pacto interpretatum. Vatablus in Annotationibus Sanctandreanis in Pſal. 18. verſ. 5. *Quidam allegoricè Paulum ad Roman.* 10. 18. *locum iſtum adduxiſſe ſcribunt, dicentes, ſonum Euangelicæ prædicationis, per Apoſtolos factæ, peruenisſe in omnes terras. Verùm ſi propiùs locum Pauli intueamur, vt doctus quidam admonet, Paulus à litterali ſenſu huius loci non receſſit. Nondum enim Apoſtolorum prædicatio exierat in regiones longinquas, Iudææ finibus adhuc incluſa. Sed cùm Iudæi ſpecie ſacrilegij non carere ducerent, quòd Paulus ſalutis promiſſionem gentibus vulgaret: quærit an non ipſæ quoque gentes audiſſent? Ac reſpondet ex hoc loco apertam fuiſſe ſcholam in qua pietatem & Dei cultum diſcerent, quia in omnem terram exiuit, &c. volens dicere, iam anteactis ſæculis Deum patefeciſſe gentibus ſuam gloriam: atque hoc amplioris doctrinæ fuiſſe præludium. Nam etſi ad tempus ſeparata fuit electi populi conditio à Gentibus: mirum tamen videri non debere, quòd vtriſque tandem Deus promiſcuè ſe patefaceret, quos pridem communiter ad ſe inuitaſſet.*

Mercerus in Theſauro Hebraico agens de eodem Pſalmi oraculo, *In omnem terram exiuit, &c.* inquit: *Iuxta Græcorum editionem tunc receptam, & vſitatam inter Gentes citat, vt & alias, Paulus ad Roman.* 10. *Vbi ego non dubitarim, relatiuum Eorum, vt in Pſalmo, ad cælos referre, quorum doctrinam nemo non audierit; (vt eo loco docere inſtituit, fidem eſſe ex auditu,) cùm ex viſibilibus iis inuiſibilia Dei cognoſcantur: etſi vulgò ad Apoſtolos referant. Huius rei me vir noſtræ ætate doctiſſimus, & acerrimo iudicio præditus admonuit. Qui vtinam tandem loca, quæ in nouum Teſtamentum obſeruauit, ſingulari eruditione, edat.* Nec dubito iſtos, à Theodoro Beza accepiſſe.

Hanc verborum Pauli interpretationem Ianſenius, & Pererius referunt etiam, ſuppreſſis auctoribus, ſed non improbant. Vide Oſorium ad Roman. 10. Non probaui ego in priore huius operis editione, animaduertíque, poſteà ab Eſtio, & Iuſtiniano reiectam. Equidem Paulus ſatis perſpicuè loqui videtur de auditu Fidei per verbum Chriſti, & de auditu, & prædicatione Euangelij: à qua longè abeſt naturalis illa cognitio & auditio Dei quam gentes hauriunt ex pulchra & eleganti cælorum fabrica.

Ergo dicamus cum Patribus, & recentioribus vniuerſis Paulum de Apoſtolorum prædicatione fuiſſe locutum. Sed qua ratione affirmat, Apoſtolos ipſos iam ſua ætate Euangelium per vniuerſam terram prædicaſſe?

Primò, S. Auguſtinus epiſt. 80. ad Heſychium, annotat Paulum accepiſſe præteritum pro futuro more prophetico propter rerum certitudinem: quemadmodum & Dauid idem canens, præteritum pro futuro poſuit, iuxta Vulgatum, LXX. & Hebraïcum in Pſalmo. Verba S. Auguſtini ſunt: *Quod autem dixit Apoſtolus, Numquid non audierunt? In omnem terram exiit ſonus eorum, &c. quamuis locutus ſit præteriti temporis verbis, tamen, quod futurum, fuerat dixit: non quòd iam factum, atque completum: ſicut ipſe Propheta, quo vſus eſt teſte, non ait, In omnem terram exiturus eſt, ſed exiit, inquit, ſonus eorum, quod vtique nondum factum erat. Quale eſt etiam illud, Foderunt manus meas, & pedes meos, quod tam longè poſteà factum nouimus.* Eodem modo interpretantur Pauli verba Strabus Monachus in 10. Romanor. Sotus in 4. Sentent. diſtinct. 46. quæſt. 1. art. 1. Viguerius Inſtitutionum cap. 21. §. 2. verſ. 8. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 4. Sà, Toletus, Cornelius in 10. Romanor. Non valdè probat hanc interpretationem S. Thomas, his verbis: *Nulla enim ratio eſſet auferendi excuſationem infidelibus, per hoc quod in futurum erant audituri.* Sanè Paulus de præterito diſertè loqui videtur, *Nunquid non audierunt? Nunquid Iſraël non cognouit?* & appoſitè reſpondet, *Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum,* &c. μενοῦνγε atqui, imò verò, certè, verè, ſeriò aſſeuerantis eſt.

Secundò, Paulum affirmare, ſuo iam tempore prædicatum fuiſſe Euangelium in toto orbe, non quidem per præſentes Verbi miniſtros, cum fructu aliquo, & Eccleſiarum plantatione, vbique gentium: ſed per famam ſaltem aliquam, & ſparſum Euangelij rumorem, qui tum iam ad omnes gentes potuit peruenire. Ita Ambroſiaſter, S. Thomas in 10. Roman. & 1. 2. quæſt. 106. art. 4. ad 4. Guillandus in 10. ad Roman. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. cap. 4. Suarez tomo 2. diſp. 56. ſect. 1. Iuſtinianus. Si Paulus illis verbis: *Nunquid non audierunt?* de Iudæis propriè loquitur, vt volunt S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Ambroſiaſter, & auctor nomine Theoduli Cæle Syriæ Preſbyteri, Caietanus, Titelmanus, Guillandus, Eſtius, Iuſtinianus, Oſorius, recte ſubſiſtere poteſt interpretatio, quaſi dicat: Quî fieri poteſt vt Iudæi Euangelium apud illos natum, & primùm publicatum non audierint: cùm iam fama eius totum orbem ſaltem veterem peruaſerit?

Si verò Paulus illud, *Nunquid non audierunt?* vniuerſè de gentibus dixit vti docent S. Thomas, Adamus, Toletus, Cornelius, expoſitio locum non habet, cùm ſola fama & rumor Euangelij ad gentes perlata, non ſatis ſit, vt rectè dicantur audiuiſſe Euangelium, ſine vllo incredulitatis prætextu.

Tertiò, Paulum figuratè dixiſſe ſuo iam tempore prædicatum Euangelium in toto orbe, nimirum per figuram intellectionis, non in toto ſimpliciter, ſed vel in toto orbo Romano, vel in maiori parte orbis huius noſtri antiqui & cogniti, vt hyperbolicè, & ſynecdochicè, ita locutus fuerit. Similia ſunt Lucæ 2. v. 1. *Exiit edictum à Cæſare Auguſto vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Et Act. 2. v. 5. *ex omni natione quæ ſub cælo eſt.* Ita Caietanus, Guillandus, Eſtius, Iuſtinianus, in 10. Roman. Viguerius Inſtitutionum cap. 21. §. 2. verſ. 8. Sotus 4. Sentent. diſtinct. 46. quæſt. 1. art. 2. & in 10 Roman. Ianſenius in 24. Matth. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, capite 4. Suarez tom 2. diſputatione 56. ſectione 1. Maldonatus in Matth. 24. verſu 14. Hanc interpretationem cæteris prætulerim. Obiicies, Paulus allegoricè de Apoſtolis interpretatur, quæ Dauid hiſtoricè de cælis dixit: at cælorum ſonus in omnem ſimpliciter terræ ambitum exiit, ergo & Apoſtolorum.

Respondeo, Primò, allegoriam non in omnibus exigendam, ad historiæ amussim: nec in omnibus eidem respondere.

Secundò, Dauidem allegoricè intellexisse de Apostolis, & eorum deinceps successoribus per omne tempus, vsque ad finem mundi: quia prophetiam de futuris texebat: Paulum verò arctasse ad Apostolos, & Apostolicos sui dumtaxat temporis, quia præteritorum, aut præsentium historiam explicabat. Aliter Suarez, quem vide. Atqui ex iis planè solutum est Argumentum. Primum, eorum, qui asserebant iam ipsa Apostolorum ætate Euangelium in vniuerso mundo fuisse annuntiatum, quod capite 1. huius libri posuimus.

Dissoluuntur duo alia argumenta cap. 1. superiùs adducta, pro prædicatione Apostolorum in toto orbe.

CAP. XLIV.

VErba autem Pauli Coloss. 1. v. 5. hyperbolicè intelligenda, quasi dicat, in præcipuis orbis partibus iam tum prædicatum Euangelium, annotarunt Adamus, Iustinianus, Cornelius. Caietanus obseruat loqui Apostolum tantùm de vniuerso mundo tunc communiter noto. Bellarm. lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 4. inquit: *Cùm autem ait Paulus Coloss. 1. Euangelium esse in toto mundo, non voluit dicere esse actu, sed vertute: quia nimirum iactum fuerat per Apostolos semen verbi diuini in mundum, quod paulatim fructificando, & crescendo, totum mundum repleturum erat.* Vnde S. Augustinus epist. 80. *Quamuis Euangelium nondum tenebat vniuersum: sed fructificare illud in vniuerso mundo dixit & crescere.*

Quòd verò Paulus addit vers. 23. *Quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cælo est.* Caietanus his verbis elucidat: *Euangelium describit à communitate: quia scilicet commune est vniuerso generi humano. Et dicit hoc ad differentiam particularium Euangeliorum quæ diuersi hæretici prædicant: non enim prædicant Euangelium commune vniuerso mundo, sed propriæ sectæ. Nec intelligas asseri à Paulo quòd tunc temporis iam prædicatum fuisset Euangelium vniuerso generi humano, ita quòd ad vniuersos peruenerit: sed quòd tunc temporis prædicatum est, extendendum in vniuersa creatura, quæ sub cælo est, hoc est, in vniuerso genere humano, ad differentiam, vt dictum est, Euangeliorum per conuenticula.* Satis fuerit dicere vsum etiam hîc Paulum hyperbolicè, quod iam tum in præcipuis mundi regionibus Euangelium personuisset, vti Erasmus, Adamus, Iustinianus, Cornelius, annotarunt.

Quòd autem tertio loco obiectum fuerat de mandato Christi Apostolis impositio, vt in vniuerso mundo Euangelium prædicarent, Tertullianus id præceptum enarrans lib. 4. aduersus Marcionem, cap. 43. ait: *Siquidem & Apostolos mittens ad prædicandum vniuersis nationibus, in omnem terram, & in terminos terræ voces eorum, Psalmum adimplendo præcepit.* Sed facilè dicimus, illud Domini præceptum nedum ad Apostolos, sed etiam ad eorum successores pertinuisse, in quibus continenter impletur. Iussit quidem Dominus vt vbiuis gentium possent Apostoli, Euangelium prædicarent: maiori ex parte id illi perfecerunt, quæ reliqua sunt, adiiciunt eorum posteri. Atqui idem Tertullianus eiusdem libri cap. 2. eodem modo præceptum Christi interpretatus, inquit: *Constituimus imprimis, Euangelicum instrumentum Apostolos auctores habere, quibus hoc munus Euangelij promulgandi ab ipso Domino sit impositum: si & Apostolicos, non tamen solos, sed cum Apostolis, & post Apostolos: quoniam prædicatio discipulorum suspecta fieri posset de gloriæ studio, si non adsistat illi auctoritas magistrorum, imò Christi, qui magistros Apostolos fecit.*

Hoc ipsum verba quæ Dominus statim adiecit, perspicuè declarant: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Neque enim vndecim illi Apostoli, quibuscum tunc Christus loquebatur, ad consummationem vsque sæculi vitam propagaturi erant: sed alij, atque alij qui in eorum locum successerunt, vt S. Augustinus lib. 6. de Genesi cap. 8. Theophylactus, & alij recentiores interpretes in Math. 28. annotarunt. S. Augustinus epist. 80. ad Hesychium pulchrè ad institutum: *Quo pacto igitur ab Apostolis est prædicatio ista completa, quando adhuc vsque sunt Gentes, quod certissimum est nobis, in quibus modò cœpit, & in quibus nondum cœpit impleri? Non itaque sic dictum est Apostolis, Eritis mihi testes in Ierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque ad extremum terræ, tanquam ipsi soli quibus tunc loquebatur, tantum munus fuerint adimpleturi: sed sicut eis solis videtur dixisse quod dixit, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi: quod tamen eum vniuersæ Ecclesiæ promisisse, quæ aliis morientibus, aliis nascentibus, hîc vsque in sæculi consummationem futura est, quis non intelligat? Sicut ad eos illud ait, quod ad eos omninò non pertinet, & tamen sic dictum est tanquam ad eos solos pertineret: Cùm videritis hæc omnia, scitote quia propè est in ianuis. Ad quos enim hoc pertinet, nisi ad eos qui in carne tunc erunt, quum omnia complebuntur? Quanto magis illud quod ex magna parte per eos agendum fuit, quamuis & posteris eorum eadem actio seruaretur?*

Quod verò ex Paulo addebatur, Romanorum fidem iam tunc annuntiari in vniuerso mundo: rectè quidem dixit Paulus, *annunciari*, non annuntiatam iam esse: quia tunc propagabatur in orbe. Aut fuerit hyperbole, pro in maiori parte orbis.

Quod denique opponebatur Paulum & reliquos Apostolos Euangelium latissimè sparsisse: fatemur & nos, prædicasse eos in præcipuis orbis noti regionibus: sed non in omnibus, neque in Nouo Orbe, satis iam in superioribus demonstrauimus.

Explicantur verba Christi, Matthæi 24. v. 14. Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.

CAP. XLV.

NOn conueniunt Interpretes, quam consummationem hîc Dominus intellexerit, num illam

illam Ieroſolymæ & Templi ſupremam deuaſtationem per Titum ; an nouiſſimum orbis interitum. Equidem referente Matthæo initio capitis 24. duo aut tria Diſcipuli à Domino cognoſcere voluerunt, nimirum, Quando Ieruſalem & Templum exſcindenda eſſent ? &, Quod ſignum aduentus Chriſti ad vniuerſale Iudicium, & Conſummationis mundi futurum eſſet? Eorum verba ſunt : *Dic nobis quando hæc erunt ?* nempe, excidium vrbis & Templi, *& quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſæculi ?* Id quidem diſertè annotarunt S. Hilarius, S. Hieronymus, ſanctus Chryſoſtomus, Theophylactus, & plerique recentiorum.

Nec illud omittimus, diſcipulos tres iſtas interrogationes idcirco coniunxiſſe, quòd exiſtimarent, ſtatim poſt vrbis & Templi euerſionem, futurum occaſum mundi. S. Chryſoſtomus : *Duo interrogant, Vnum, Quando hæc erunt ? templi huius ſcilicet euerſio : Alterum, Quod aduentus tui ſignum eſt ? Putabant enim tunc etiam ſtatim aduentum ipſius futurum.* Idem quoque obſeruarunt Lyranus, Gagnæius, Maldonatus, Franciſcus Lucas in Matth. 24.

Ergo cùm Chriſtus aſſerit, *Et prædicabitur hoc Euangelium Regni, &c. & tunc veniet conſummatio.* non loqui de conſummatione mundi, ſed de illa vrbis & Templi deſtructione per Titum, S. Hilarius, S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, in Matth. 24. S. Beda in 13. Marci, Zacharias Chryſopolitanus, S. Anſelmus, Toſtatus, Lyranus, Conradus, Pellicanus, Gagnæius, Ianſenius, Salmeron, Barradius, in Matth. 24. Iuſtinianus ad Rom. 10. verſ. 18. & alij exiſtimarunt. S. Hilarius canone 25. in Matth. enarrans præfata Domini verba, inquit : *Ac tum per omnes orbis partes viris Apoſtolicis diſperſis, Euangelij veritas prædicabitur. Et cùm vniuerſis fuerit cognitio ſacramenti cælestis inuecta, tum Ieruſalem occaſus & finis incumbet, vt prædicationis fidem, & infidelium pœna, & metus ciuitatis erutæ conſequatur.* S. Chryſoſtomus : *Et tunc veniet conſummatio. Conſummatio ſcilicet Ieroſolymorum.* Theophylactus : *Et tunc veniet conſummatio. Non mundi, ſed Ieruſalem.*

Ceterùm multò probabilior & frequentior ea eſt interpretatio, quæ docet, Chriſtum hîc de conſummatione ſæculi reuera loquutum. Cuius expoſitionis auctores ſunt, Tatianus Syrus, Origenes, Iuuencus, S. Cyrillus Ieroſolymitanus, S. Hieronymus, S. Ambroſius, S. Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, S. Proſper, Theodoretus, S. Beda, S. Ioannes Damaſcenus, & alij, quorum ſententias cap. ſequenti deſcribemus : S. Leander Oratione de Laude gentium, habita in Concilio Toletano III. ex recentioribus verò eandem probant, Caietanus, Titelmanus, Sa, Maldonatus, Franciſcus Lucas in 24. Matth. Sotus in 4. Sentent. Diſtin. 46. quæſt. 2. art. 1. & in 10 ad Rom. Sanderus lib. 8. de Viſibili Eccleſiæ Monarchia, cap. 14. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 4. Fridericus Lumnius lib. 1. de extremo Iudicio, cap. 11. Gregorius de Valentia Tomo 4. diſp. 11. quæſt. 2. punct. 1. Ribera in Michææ 4. num. 23. Suarez tomo 2. in 3. partem, diſp. 56. ſect. 1. Acoſta de Nouiſſimis Temporibus, cap. 16. Leſſius diſp. de Antichriſto, Demonſtr. 8. & alij.

At Strabus Monachus, S. Anſelmus, Anſelmus Laudunenſis, Dionyſius Carthuſianus, Bredembachius, Sà, Acoſta, Franciſcus Lucas in 24. Matth. Ioannes Echius homilia 1. Dominicæ 26. poſt Pentecoſten, Henricus Henriquez de Fine Hominis cap. 22. §. 3. de vtraque conſummatione & Ieruſalem, & mundi oraculum Chriſti interpretantur. Vtcumque ſit, illud pro certo ſumamus Dominum hîc propriè & directè de conſummatione ſæculi feciſſe ſermonem : claris rationibus.

Primò, quia cùm ait, *& tunc veniet conſummatio*, rectà reſpondiſſe videtur ad id quod Diſcipuli ipſum interrogauerant, *Quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſæculi ?* De conſummatione ſæculi expreſsè rogarunt diſcipuli : De eadem reſpondiſſe Chriſtum, cur ambigimus ? quaſi dicat : Quæſiſtis, quod ſignum erit conſummationis ſæculi ? Reſpondeo : Hoc futurum eſſe ſignum, nempe, *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio.* Sæculi proculdubio.

Secundò, Græca non ſimpliciter habent, *& tunc veniet conſummatio*, ſed cum articulo emphatico, *& tunc veniet illa conſummatio.* ſeu, *ille finis.* τὸ τέλος. nimirum eadem propemodum vox eſt, quæ ſuperiùs in interrogatione Diſcipulorum : *Quod ſignum aduentus tui, & τῆς συντελείας, illius conſummationis ſæculi ?* Ac ſi dicat : Et tunc veniet illa conſummatio ſæculi de qua anteà quæſiſtis.

Tertiò, Patres & recentiores, qui miro conſenſu docent Prædicationem Euangelij in toto orbe terrarum ſignum eſſe quod antecedet aduentum Antichriſti, & conſummationem ſæculi, quos ſequenti capite magno numero percenſebimus, non aliunde planè id accepiſſe putantur, niſi ex hac Chriſti prædictione : *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio*, vt ex diſertis eorum verbis ſtatim oſtendemus. Intellexerunt igitur Chriſtum hîc de ſuprema orbis conſummatione locutum. Fixum ergo nobis ſit, Diſcipulos poſtulaſſe à Domino ſignum aliquod conſummationis ſæculi : & Chriſtum propoſuiſſe illud fore ſignum, nempe prædicationem Euangelij in vniuerſo orbe. Quia verò Prædicatio hæc Euangelij in toto Orbe, præclarum admodum & illuſtre ſignum Antichriſti venturi & occaſus mundi futurum eſt, cum cura illud, hoc eſt verba Chriſti, elucidemus.

Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe. Euangelij prædicationem in vniuerſo orbe bifariam capere poſſumus. Primò, diuulgationem Euangelij per famam ac rumorem tantum per gentes ſparſum. Secundò per proprios ac præſentes prædicatores, qui illud ritè coram annuntient. Hac diſtinctione conati ſunt aliqui diſcrepantes Patrum ſententias de prædicatione Euangelij in toto orbe, tempore Apoſtolorum conciliare. Nam qui affirmant Apoſtolorum ætate Euangelium prædicatum fuiſſe per vniuerſum mundum, quos cap. 1. huius libri recenſuimus, videntur intellexiſſe de prædicatione Euangelij primo modo : quia ipſo Apoſtolorum tempore, ad prouincias & gentes ad quas prædic tores adire nequiuerunt, rumor & fama ſaltem Euangelij proculdubio penetrauit, nimirum, vel ex vicinis tegionibus, vel ex allatis nuntiis & litteris, vel ex peregrinantibus, vel quauis alia ratione. Qui verò docent, Apoſtolorum tempore non fuiſſe Euangelium iam in toto orbe prædicatum, quos huius libri cap. 3. retulimus, loquuti ſunt de prædicatione Euangelij ſecundo modo, quod eſt planè veriſſimum. Agunt pleniùs de eiuſmodi variarum opinionum conciliatione S. Thomas ad Rom. 10.

lect. 3. & 1. 2. quæst. 106. art. 4. ad 4. Toſtatus in Matth. 24. Guillandus & Iuſtinianus in 10. Rom. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 4. Suarez tom. 2. in 3. p. diſput. 56. ſect. 1. Henricus Henriquez de Fine hominis cap. 22. §. 3. & alij. Verùm crediderim tempore Apoſtolorum, nec tenuem ſaltem Euangelij rumorem in omnes penitus Noui Orbis regiones penetraſſe: quod etiam Suarez annotauit.

Quod autem ad præſens inſtitutum propriè pertinet, non deſunt, qui velint, cùm Chriſtus ait, *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe* intellexiſſe de prædicatione Euangelij in vniuerſo orbe primo modo, ſcilicet, per rumorem ſaltim ac famam. S. Hieronymus in hunc locum: *Signum Dominici aduentus eſt, Euangelium in toto orbe prædicari: vt nullus ſit excuſabilis. Quod aut iam completum, aut in breui cernimus eſſe complendum. Non enim puto aliquam remanſiſſe gentem, quæ Chriſti nomen ignoret: & quanquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non poteſt ignorare.*

Verùm extra omnem controuerſiam ſtatuimus, loquutum hîc Dominum de prædicatione Euangelij in toto mundo per certos & præſentes prædicatores, qui illud ritè annuntient: ex ſenſu ferè communi Interpretum: ſed id poſteà claris rationibus euincemus. Vide Caietanum.

In vniuerſo Orbe. Ianſenius, Sà, Maldonatus, & Barradius in 24. Matth. Iuſtinianus in Rom. 10. volunt hîc vniuerſum orbem ſynecdochicè intelligi, id eſt, non quidem vniuerſum orbem ſimpliciter: ſed præcipuas partes huius veteris Orbis. Sanè qui ſentiunt Chriſtum hîc de conſummatione Ieruſalem prædixiſſe: & alioqui vident antè eam euerſionem Euangelium in toto ſimpliciter Orbe non fuiſſe prædicatum: in promptu dicere habent, vniuerſum Orbem hoc loco ſynecdochicè tantùm eſſe accipiendum. Equidem Dionyſius Carthuſianus, Franciſcus Lucas, & alij ita conciliant diuerſas Patrum ſententias interpretantium hunc locum. Nam qui de conſummatione Ieruſalem exponunt, intelligunt hîc vniuerſum orbem Synecdochicè: qui verò de conſummatione mundi interpretantur, vniuerſum orbem propriè & ſimpliciter capiunt. Et vtrumque verum eſt: ſiquidem ante excidium Ieroſolymorum in maiori orbis antiqui parte per Apoſtolos & Apoſtolicos prædicatum eſt Euangelium: & ante mundi conſummationem, haud dubiè in toto ſimpliciter orbe, & veteri, & nouo prædicabitur.

Sed non dubitamus affirmare, Chriſtum hîc vniuerſum orbem intellexiſſe, vniuerſam ſimpliciter terram, quàm longè, latéque ſub cælo diffunditur, humano genere cultam, & habitatam, tam veteris, quàm noui orbis, tam cognitam, quàm hactenus incognitam: (ſi quæ adhuc ignota manet) ita vt milla omnino prouincia, regio, terra, natio, gens ſit in toto penitus orbe, quæ aliquando ante finem rerum, Euangelium non audiat per præſentes prædicatores. Et Græca id planè ſignificant, nam pro in *vniuerſo orbe*, habent, ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ, *in tota habitata*. Scilicet, *terra*. Syrus, *in toto ſæculo*. Hanc interpretationem paulò pòſt validè firmabimus. Nunc ſatis ſit, eam plurium, & meliorum interpretum eſſe, & mirè cum ſeqq. Domini verbis congruere. Vide Caietanum, & Franciſcum Lucam in hunc locum.

In teſtimonium omnibus gentibus. Variè exponunt. Primò, *in teſtimonium*, id eſt, in legem; ſiue vt ſit lex omnibus gentibus. Euangelium enim eſt Lex Euangelica. Sic Matth. 84. *quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis.* Teſtimonium, pro Lege paſſim in Scriptura Pſal. 80. v. 6. *teſtimonium in Ioſeph poſuit illud.* Et pluries Pſalm. 118. Secundò, ita vt ſit teſtimonium, ita vt teſtetur omnibus gentibus, æternam ſalutem ipſis eſſe propoſitam, ſi Euangelium receperint: contra verò perditionem æternam, ſi abiecerint. Ita Lyranus, Caietanus, Sà, Franciſcus Lucas. Tertiò, vt ſit expoſitum, conteſtatum, ratum, firmum diuinæ veritatis & voluntatis, ac publicæ ſalutis teſtimonium, ac veluti publicum, authenticum, & obſignatum inſtrumentum, quo Dei veritas & voluntas de ſeruando genere humano publicè teſtata, ſolemnitérque propoſita omnibus gentibus proſtet. Quartò, *In teſtimonium*, hoc eſt, in reprehenſionem, redargutionem, condemnationem, nimirum vt nulla gens poſſit Euangelij ignorationem in ſui excuſationem prætexere: quin potiùs ipſum Euangelium ritè annuntiatum omnibus nationibus futurum ineluctabile teſtimonium in die Iudicij iuſtæ condemnationis earum gentium, qui cùm illud audierint, non tamen receperint. Ita S. Hieronymus, S. Chryſoſtomus, S. Beda, Theophylactus, Euthymius, Zacharias Chryſopolitanus, S. Anſelmus, Caietanus Bredembachius, Ianſenius, Sà, Maldonatus, Barradius, & plurimi alij: nam eſt receptior interpretatio. Sic accipiunt illud Matth. 10. 18. *in teſtimonium illis, & gentibus.*

Exiſtit tamen hoc loco difficultas, cùm verba illa Pauli Romanor. 10. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Superiùs cap. 43. interpretati ſimus vel de prædicatione Euangelij per rumorem ſaltem, & famam, vel de toto orbe ſynecdochicè ſeu hyperbolicè, hoc eſt de præcipuis orbis antiqui partibus: quid eſt quòd nunc hoc vaticinium Chriſti: *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe.* non niſi de prædicatione Euangelij per præſentes miniſtros, & in toto ſimpliciter orbe, & veteri, & nouo exponamus? Cùm ſanè & Paulus, & Chriſtus de prædicatione Euangelij in toto orbe loquantur: & vtriuſque verba ſint propemodum eadem. Cur ergo ferant tam diuerſas explanationes? Reſpondeo multas eſſe cauſas ac rationes, eáſque haud parui momenti, cur præſens Chriſti oraculum de prædicatione Euangelij in toto ſimpliciter orbe terrarum, per præſentes verbi miniſtros neceſſariò exponendum ducamus: quæ tamen locum non habent in ſenſu verborum Pauli: Eas in hunc modum expendimus.

Primò, Conſtat Chriſtum hîc præſtituiſſe certiſſimum conſummationis mundi ſignum, Prædicationem Euangelij in vniuerſo orbe: at nimis alienum, remotum, atque adeò incertum eſſet hoc ſignum, ſi tantùm intellexiſſet, prædicandum Euangelium in præcipuis veteris ſolum orbis partibus, vel per rumorem dumtaxat ac famam: ſi quidem hoc iam multis ante finem mundi ſæculis factum eſſe, nemo eſt qui dubitet. Imò Apoſtolorum ætate prædicatum iam Euangelium in maiori antiqui mundi parte, fusè ſuperiùs demonſtrauimus.

Secundò, Affirmat Dominus, prædicandum Euangelium in vniuerſo orbe, *in teſtimonium omnibus gentibus*, hoc eſt, vt nulla gens ſit excuſabilis, quòd Euangelium non receperit, quia non audierit, vt paulò anteà, ex ſenſu fermè communi Interpretum exponebamus: at ſi non cunctis omni-

no

no vtriuſque orbis nationibus Euangelium prædicetur : vel eius tantummodo rumor ad eas perueniat: poterunt multæ gentes in die Iudicij excuſationem ſuæ incredulitatis obtendere : nimirum, quòd ipſis vel nullo pacto ſit Euangelium annuntiatum: vel quòd ad eas leuis tantùm Euangelij rumor, & tenuis fama incertis & obſcuris indiciis permeauerit. Nam quomodo crederent, ſi non audierunt?

Tertiò, vt ſcitè S. Auguſtinus epiſtola 80. ad Heſychium philoſophatur,omnes nationes & gentes totius quàm latè ſub cælo patet, orbis, ſunt Chriſto, à Parte æterno promiſſæ & datæ in poſſeſſionem atque hereditatem : quia omnes, nulla penitus excepta, ſunt capaces æternæ ſalutis, & pro omnibus vniuersè Chriſtus mortuus eſt. Pſal. 2. v.8. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſal.71.8. & 11. *Dominabitur à mari vſque ad mare: & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.* Pſalm.85. 9. *Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine.* Sophoniæ 2. 11. *Adorabunt eum omnes de loco ſuo, omnes inſulæ gentium. Malachiæ* 1. 11. *Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Et Ioannes Apocalyp.7. v.9. numerat electos ex omnibus gentibus, & populis & linguis. Sexcenta ſunt eiuſmodi vaticinia paſſim in Scripturis obuia. At quomodo Chriſtus omnes gentes poſſidere poterit, in iis regnare, ab eis adorari, &c. niſi illis omnibus Euangelium prædicetur? Sunt profectò rationes iſtæ perſpicuæ : quæ tamen locum non habent in Paulinis verbis, vti cap.43. quiſque videre poteſt: ſiquidem Paulus diſertè loquitur de prædicatione Euangelij,quæ iam ſuo tempore facta fuerat : Chriſtus de ea, quæ ſignum eſt venturæ conſummationis ſæculi, & complenda adhuc reſtat. Vide Bellarminum lib.3. de Rom. Pontifice, cap. 4. & Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 56. ſect. 1. qui hæc accuratè elucidant. Sed reliqua Chriſti verba ſectemur.

Et tunc veniet conſummatio. Sæculi, vti fusè demonſtrauimus. Primum illud perſpicuè ex Chriſti verbis habemus, non futuram ſæculi conſummationem, niſi priùs prædicatum fuerit Euangelium in toto ſimpliciter orbe & veteri & nouo,vt nulla in mundo relinquatur natio ſeu gens, quæ illud à prædicatore ritè non audiat. Sed illud hîc dubitationem habet, num his verbis ſignificet Chriſtus, ſtatim vt Euangelium prædicatum fuerit in toto ſimpliciter orbe, affuturum ſæculi finem: nimirum proximè, vel non multò pòſt Euangelij eam vniuerſalem prædicationem, finiendum mundum. S. Anſelmus exponens hæc verba Chriſti, inquit: *Et tunc veniet conſummatio. Non dicit ſtatim, ſed non priùs veniet conſummatio ciuitatis vel mundi.* Eadem omnino ſcribit Anſelmus Laudunenſis in Gloſſa interlineari. Ioannes Maldonatus hęc eadem verba Domini enarrans,ait:*Ceterùm non videtur ſenſus eſſe, quemadmodum Hieronymus exiſtimat, Euangelij per totum terrarum orbem prædicationem certum eſſe ſignum inſtantis mundi conſummationis : nec enim certum vllum habemus ſignum, & iſtud eſt nimis Chriſti ſententiam arctare. Sed ſenſus, vt opinor,eſt, conſummationem mundi non antè futuram, quàm Euangelium per omnes orbis oras prædicatum ſit. Hoc enim certum, Euangelium priùs omnibus gentibus prædicandum : illud incertum, an ſimul atque prædicatum fuerit, finiendus ſit mundus.* Franciſcus Lucas: *Non dicit, tunc ſtatim veniet, ſed tunc, non priùs veniet. Non dicit, quòd ſimulatque Euangelium in toto orbe terrarum fuerit prædicatum, aderit rerum finis: ſed quòd non priùs aderit.* Et poſt alia : *Ceterùm quàm citò, aut quàm tardè aderit mundi finis, poſtquam omnes gentes Euangelium audierint, non declarat Ieſus. Itaque & hoc ſignum eſt conſummationis, non tam inſtantis, quàm futuræ : propiùs tamen inſtare ſignificans, quàm cætera hactenus ſigna : niſi quòd propter eas, quæ incognitæ eſſe, & adhuc latere poſſunt gentes, difficile erit ſcire,quandónam ad vnam omnibus fuerit prædicatum.* Nec ab hac mente abeſſe videtur Caietanus, cùm exponit : *Et tunc omnibus prædictis adimpletis, & non ante.* Et aliis interiectis : *Prædicationem autem Euangelij apud omnes gentes, pro ſigno infallibili conſummationis mundi,ex definitione diuina. Sic vt Diſcipuli diſcerent ſigna neceſſariò præcedentia conſummationem ſæculi : & non ſigna monſtrantia conſummationem mundi quaſi in ianuis, ſeu ad certum tempus poſt ſigna hæc.* Dominicus Sotus in 4. Sentent. diſt. 46. quæſt.1. art.1. *Haud ergo prædicationem Euangelij in vniuerſo orbe Chriſtus tanquam ſignum poſuit, poſt quod ſtatim futura eſt conſummatio ſæculi, vt ad Heſychium ait Auguſtinus: hoc enim dumtaxat ſibi voluit, quod non veniet finis mundi, antequam Euangelium prædicetur in vniuerſo orbe. Atque hoc ſonant verba illa : Et tunc, id eſt,poſteà, tandem,erit conſummatio.*

Sed proculdubio illud eſt probabilius,& verbis Domini accommodatius, Chriſtum hîc certum ac proximum mundi conſummationis ſignum præfixiſſe, ipſam nimirum Euangelij prædicationem in vniuerſo orbe : ita vt eiuſmodi vniuerſalem Euangelij prædicationem, proximè, vel certè non multò pòſt tempore interitus mundi ſubſequatur. Franciſcus Suarez,qui rem totam cum ſtudio perueſtigauit, hæc annotat : *Nec poteſt conuenienter dici, Chriſtum ſolum ſignificaſſe non futuram ſæculi conſummationem, donec præcedat vniuerſalis prædicatio. Nam verbum illud,* & tunc veniet, *in ſua proprietate & rigore proximam conſecutionem vnius poſt aliud ſignificat: & quanquam neceſſe non ſit, quod ſæculi conſummatio poſt vniuerſalem prædicationem immediatè futura ſit : tamen vt minimum ſignificatur illo modo loquendi, inter vnam rem & aliam non interpoſitum iri magnam temporis moram.* Hoc ipſum oſtendunt perſpicuæ rationes.

Primò,Cùm Apoſtoli Chriſtum rogarunt,*Quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſæculi?* directè ipſe reſpondit : *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio,* Sæculi.Quis igitur non videt his verbis Chriſtum propoſuiſſe certum ſignum conſummationis ſæculi futurum, quum prædicatum fuerit Euangelium in toto orbe. Id enim interrogabant Apoſtoli : & rectà Chriſtus reſpondit : Rogaſtis me de ſigno conſummationis ſæculi: ecce id erit ſignum, nempe quum prædicatum fuerit Euangelium in vniuerſo orbe, tunc erit ſæculi finis. At quale ſignum tam remotum alienum ac planè incertum eſſet prædicatio Euangelij per omnes mundi partes,ipſius mundi interitus: niſi proximè, aut certè non longo tempore poſt vniuerſalem eam Euangelij prædicationem, mundi conſummatio futura ſit?

Secundò, Tam perſpicua verba, *Et tunc veniet conſummatio*, poſsúntne aliud ſignificare, quàm, vt prædicatũ fuerit Euangeliũ cunctis ſub cælo nationibus, tunc non multum abeſſe ſæculi clauſulam? quid enim aliud particula *Tunc* indicat? Quaſi dicat:

cat: Statim, mox, ipso tempore, &c. Sic Paulus prænuntians certum ac propinquum aduentus Antichristi signum, Romani scilicet Imperij extinctionem, eodem vsus est verbo 2. Thessal. 2. v. 7. *Tantùm qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille Iniquus.* Vt suo loco exactè demonstrabimus.

Tertiò, Quæcumque Christus eo cap. 24. Matthæi, prædixit signa, cum excidij Ierosolymitani, tum orbis occasus, fuerunt propria, certa, & proxima, vt sanè verba ipsa Domini inspicientibus manifestum redditur: Cur igitur istud prædicationis Euangelij non erit eiusmodi?

Quartò, Consensus Patrum, & Recentiorum, quem capite sequenti referemus, Prædicationem vniuersalem Euangelij esse signum certissimum proximè instantis Antichristi, & mundi finis: non planè aliunde acceptus videtur, quàm ex his Dominicis verbis: intellexerunt enim proculdubio Patres Christum hîc certum primum consummationis sæculi signum præfixisse, Prædicationem Euangelij in toto orbe.

Traditio Patrum, Prædicationem Euangelij in toto terrarum orbe, certum esse signum proximè aduenientis Antichristi, & mundi finis.

CAP. XLVI.

TAtianus Syrus in Harmonia Euangeliorum, verba Domini: *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio:* interpretans, ait: *Dum Euangelium vniuersos gentium fines occupauerit: tum enim finem instare mundi: quem & ipsum portenta quædam præcedent in sole, luna, & stellis, & pelago, Matth. 24.*

Origenes Tract. 28. in Matthæum, eadem verba Domini elucidans, simúlque de statu rerum sub mundi finem disputans, inquit: *Et in hoc statu constitutis rebus, Euangelium quod prius non fuerat prædicatum in toto mundo, (multi enim non solum barbararum, sed etiam nostrarum gentium vsque nunc non audierunt Christianitatis verbum) tunc autem prædicabitur, vt omnis gens audiat Euangelicam prædicationem, & nemo derelinquatur qui non audiuit: & tunc erit sæculi finis. Sic & nondum est prædicatum Euangelium in toto orbe. Non enim fertur prædicatum esse Euangelium apud omnes Æthiopas, maximè apud eos qui sunt vltra flumen: sed nec apud Seres, nec apud Orientem audierunt Christianitatis sermonem. Quid autem dicamus de Britannis, aut Germanis, qui sunt circa Oceanum, vel apud barbaros, Dacos, & Sarmatas, & Scythas, quorum plurimi nondum audierunt Euangelij verbum: audituri sunt autem in ipsa sæculi consummatione. Aspice enim quod ait, Et prædicabitur hoc Euangelium regni in toto orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Si autem vult quis temerè dicere prædicatum esse iam Euangelium regni in toto orbe in testimonium omnibus gentibus: consequenter dicere poterit, & quod ait: Tunc erit finis, iam finem venisse. Quod dicere temeritatis est magna, & hominis non intelligentis, qua Paulus ad Thessal. epist. 2. dicit, dicens: Ne quis vos seducat vllo modo, quasi instet dies Domini: quoniam nisi venerit primum discessio, & reuelatus fuerit homo peccati, filius interitus, &c. non erit Domini dies. Hæc secundum simplicem exposuimus traditionem.*

Iuuencus Presbyter Hispanus, Poëta clarissimus Hist. Euangelicæ lib. 4. idem Domini oraculum in hunc modum carmine reddidit:

Regnorum cæli celebratio peruolutabit
In cunctas terræ metas. Gens omnis habebit
Testem lucifluo sanctæ sermone salutis:
Et tunc finis erit currentia sæcula soluens.

S. Cyrillus Ierosolymitanus catech. 15. agens de signis antecessuris aduentum Domini ad Iudicium; inquit: *Habes & hoc signum: Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc erit finis. Et ferè, vt videmus, totus mundus doctrina Christi repletus est. Et quid postea fiet? Deinde dicit: Quando itaque videritis abominationem desolationis, quæ prædicta est à Daniele propheta stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Fraternum odium deinceps locum dabit Antichristo.*

S. Ambrosius lib. 10. in Lucam, cap. 20. eadem Christi verba enarrans, ait: *Prædicetur Euangelium, vt sæculum destruatur. Sicut enim præcessit in orbem terræ Euangelij prædicatio, cui iam & Gothi, & Armeni crediderunt: & ideo mundi finem videmus.*

S. Hieronymus in Matth. 24. idem vaticinium Christi exponens, scribit: *Signum Domini aduentus est, Euangelium in toto orbe prædicari, vt nullus sit excusabilis.*

S. Chrysostomus serm. de Consummatione sæculi, interprete Gerardo Vossio, amico nostro: *Et prædicabitur Euangelium hoc in vniuerso orbe, in testimonium cunctis gentibus, & tunc veniet consummatio ac finis: Atqui consideremus non esse locum sub cælo, vbi non sit prædicatum Euangelium; quare restat nunc vt expectes finem.* Homilia 21. in Math. de die extremi Iudicij verba faciens, ait: *Est quippe res ipsa prorsus ambigua, & omnino nescimus an etiam nostra ætate hæc omnia finiantur, & dies ille metuendus adueniat, atque horribile nobis ostendatur tribunal: nam & signa multa prorsus impleta sunt, & Euangelium toto iam ferè orbe personuit.* Et homilia 1. in Epist. 2. Thessalon. *Ponit autem & ipse Dominus multa signa aduentus eius: vnum quidem maximum, dicens: Quando prædicabitur Euangelium apud omnes gentes.*

S. Augustinus epist. 78. ad Hesychium: *Opportunitas verò illius temporis* (nempe finis mundi) *profectò non erit antequam prædicetur Euangelium in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus. Apertissima enim de hac re legitur sententia Saluatoris, dicentis: Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Tunc veniet, qui est, nisi ante non veniet? Quanto post ergo veniat, incertum nobis est; ante tamen non esse venturum, dubitare vtique non debemus. Si ergo susciperent hunc laborem serui Dei, vt peragrato orbe terrarum, quantum possent, colligerent quod remanet gentium, vbi nondum est Euangelium prædicatum, hinc aduertere vtcumque possemus, quantum hoc tempus longe sit à fine sæculi. Quòd si propter quædam loca inaccessibilia & inhospita fieri posse non creditur, vt à seruis Dei peragretur orbis, & quot, quantæque sint gentes sine Christi Euangelio fideliter renuntietur: multò minùs existimo Scripturis posse comprehendi, quanta vsque ad finem futura sint tempora, quandoquidem in eis legimus: Nemo potest cognoscere tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Vnde si iam nobis certissimè nunciatum fuisset, in omnibus gentibus Euangelium prædicari, nec sic possemus*

mus dicere, quantum temporis remaneret vſque ad finem : ſed magis magiſque iam propinquare meritò diceremus.

Et epiſt. 80. ad eundem Heſychium : *Neſcio tamen verum intueri aliquid certius in hac quæſtione de fine mundi poſſemus, ſi vlla ratione ſeu facultate poſſumus, quàm illud quod in epiſtola priore iam poſuit, quando Euangelio mundus vniuerſus impleatur.* Et poſt alia : *Si ergo latet, quando Eccleſia fructificante, atque creſcente, vniuerſus omnino à mari vſque ad mare orbis implebitur, proculdubio latet, quando finis erit : ante quippe non erit.* Vide eundem S. Auguſtinum, de Agone Chriſtiano cap. 29. & de Vnitate Eccleſiæ, cap. 15.

S. Proſper de Promiſſionibus, & Prædictionibus Dei, part. 3. cap. 40. cùm ei capiti tale præfixiſſet argumentum : *Quòd cùm omnes crediderint gentes, veniet finis.* Deinde ſubiungit : *Firmat hæc Dominus in Euangelio Matth. dicens : Et prædicabitur Euangelium hoc in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis.* Et in Reſponſione ad 4. Capitulum Gallorum : *Videat etiam quomodo tueatur denuntiationem ipſius Veritatis, dicentis : Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Nutat námque (quod dici nefas eſt) fides Verbi, ſi ante quadringentos annos Euangelio impletus eſt mundus, & adhuc Domini differtur aduentus.*

Theodoretus in 2. Theſſal. 2. enarrans verba illa Pauli de Antichriſto : *Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore*, inquit : *Cùm enim didiciſſet diuinus Apoſtolus, dixiſſe Dominum, oportere Euangelium prædicari in omnibus gentibus, & tunc finem futurum : videret autem adhuc vigere cultum idolorum : dixit ſequens doctrinam Domini, fore vt priùs euertatur ſuperſtitio, & impius dæmonum cultus, & vbique fulgeat diuina prædicatio : & tunc appareat veritatis aduerſarius.*

Primaſius in 14. Apocalyps. *Inſtantiſſimè horam Iudicij eius iam iamque nuntiat affuturam : ideo huiuſmodi Prædicationem Euangelij, neceſſariò præmiſit omnibus exhibendam : ſicut & Dominus dicit : Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio.*

S. Beda in Matth. 24. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni, &c. & tunc veniet conſummatio. Perſpicuè ſignificat, non antè adueniſſe mundi finem, quàm Euangelium in toto orbe prædicetur. Opportunitatem verò tunc illius temporis eſſe, cùm prædicatum fuerit Euangelium omnibus gentibus, ad adiutorium ſcilicet, & ſalutem credentibus, in teſtimonium verò & damnationem, illud non credentibus.*

S. Ioannes Damaſcenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 27. *Primum ergo Euangelium apud omnes gentes prædicetur neceſſe eſt : ac tum reuelabitur iniquus ille, cuius erit aduentus ſecundum operationem Satanæ.* Et paulò anteà præmiſerat : *Primùm itaque, quemadmodum Dominus dixit, Euangelium apud omnes gentes prædicari neceſſe eſt : ac tum ille Antichriſtus ad prodendam Iudæorum impietatem veniet.*

Theophylactus in 2. Theſſal. 2. ad verba illa Pauli : *Tantùm vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus*, ait : *Cùm enim, inquit, detinens error deſierit, idolorúmque cultura fuerit extincta, tunc Antichriſtus aduenier : quemadmodum & Dominus dixit : Prædicabitur Euangelium hoc in teſtimonium eis, túmque aderit finis.*

Oecumenius in 2. Theſſalonicenſ. 2. ad verba illa Pauli : *Et reuelatus fuerit homo peccati*, inquit: *Extinguetur enim error qui orbem occupat, ceſſabitque idolorum ſeductio : & tunc reuelabitur iniquus ille : Nam & hoc dixit Dominus : Prædicabitur Euangelium in omnes terminos terræ ad teſtimonium illis, & tunc veniet conſummatio.*

Atqui ne ſimus in aliorum ſententiis commemorandis longiores, idem omnino docent S. Thom. Rom. 10. lect. 3. Viguerius Inſtit. Theologicarum cap. 21. §. 2. verſ. 8. Sotus 4. Sentent. diſt. 46. quæſt. 1. art. 1. & quæſt. 2. art. 1. Fridericus Lumnius lib. 1. de Extremo Iudicio, cap. 11. Gregorius Valentia tom. 4. diſput. 11. quæſt. 2. puncto 1. Sanderus lib. 8. de Viſibili Eccleſiæ Monarchia, cap. 14. Bellarm. lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 4. Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 56. ſect. 1. Bozius de Signis Eccleſiæ lib. 24. cap. 6. Acoſta lib. 1. de Nouiſſimis temporibus, cap. 16. Leſſius in diſp. de Antichriſto, Demonſtratione 8. & alij.

Et quod cum primis maximi faciendum eſt, Catechiſmus Romanus ex Decreto S. Conc. Trid. iuſſu Pij V. editus, part. 1. in Expoſitione articuli 7. Symboli Apoſtolici, cap. 8. §. 7. hæc habet : *Tria hæc præcipua ſigna Iudicium anteceſſura eſſe, ſacræ litteræ declarant, Prædicationem Euangelij per vniuerſum orbem, Diſceſſionem, Antichriſtum. Inquit enim Dominus : Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.*

Elucidatur magis id Signum : ſimúlque diſquiritur, Num omnes gentes ante Antichriſti aduentum, & finem mundi, creditura ſint Euangelio.

CAP. XLVII.

ANte omnia fixum illud eſſe debet, Prædicationem vniuerſalem Euangelij de qua diximus, nedum anteceſſuram ipſam mundi conſummationem : ſed etiam Antichriſti aduentum : Signúmque futurum certiſſimum vtriuſque, proximè quidem Antichriſti, paulò verò remotiùs mundi finis : nam hic Antichriſtum non longè excipiet. Id quidem diſertè affirmant, S. Cyrillus, Theodoretus, S. Damaſcenus, Theophylactus, Oecumenius & alij, recentiores omnes quos : capite præcedenti citauimus. Suffragatúrque manifeſtiſſima ratio.

Primò, Chriſtus, Matth. 24. ſigna interituri mundi prænuntians, priùs ponit Prædicationem Euangelij in vniuerſo orbe, antequam veniat *tribulatio* illa *magna, qualis non fuit ab initio mundi, nec poſteà fiet.* hanc autem horrendam tribulationem eam ipſam fore quam Antichriſtus extremis temporibus Eccleſiæ illaturus eſt, lib...cap... ex ſenſu communi Patrum oſtendemus : præcedet igitur Prædicatio Euangelij in toto orbe aduentum Antichriſti.

Secundò, Non eſt veriſimile ſæuiente Antichriſti tyrannide, & omnia occupante, locum futurum prædicationi Euangelij in illis regionibus in quibus hactenus nondum promulgatum fuerat : Antichriſto atrociter miniſtros Verbi vbique interficiente & fugante, atque publica omnia Chriſtianæ religio

religionis officia crudeliſſimè interdicente : poſt interitum verò Antichriſti non adeo longum tempus futurum eſt ad finem vſque rerum, vt ſuo loco dicemus, in quo poſſit vniuerſalis illa Euangelij prædicatio expleri : neceſſe ergo eſt vt ante aduentum Antichriſti Euangelium in toto ſimpliciter orbe prædicetur.

Tertiò, Rationi conſentaneum videtur, vt antequam Antichriſtus ſuam auſpicetur tyrannidem, iam ſit Euangelium vniuerſo mundo annuntiatum : ne vlla gens aut natio quæ Antichriſtum receperit, vllam ignorantiæ excuſationem prætexere poſſit, quòd falſum Chriſtum admiſerit, quæ verùm nunquam audierit. Vide Bellarm. lib. 3. de Romano Pontif. cap. 4. & Suarez tomo 2. in 3. part. diſp. 56. ſect. 1.

Deinde obſeruamus, nos Prædicationem Euangelij in toto ſimpliciter orbe, non ſic intellig re fore ſignum proximè inſtantis Antichriſti, & mundi finis, quaſi præter eam Euangelij prædicationem, quæ ab initio Eccleſiæ ad hanc vſque diem exercetur in orbe ; ante aduentum Antichriſti, & rerum occaſum, certo aliquo tempore noua quædam & ſolemnis Euangelij prædicatio inſtituenda, & adornanda ſit in vniuerſo mundo, veluti tota ſimul & continua, vnico, vt ita dicam, impetu, & curſu ſuſcepta : ita planè vt etiam in regionibus in quibus iam anteà promulgatum fuerat Euangelium, ſed poſteà penitus obliterarum, verbi gratia, in maiori parte Aſiæ, & Africæ, &c. denuò ſit prædicandum ; nimirum in recens & inſtauratum teſtimonium omnibus gentibus, in proximo & propinquo Iudicij die : ſed potiùs non aliam Euangelij generalem in mundo prædicationem ſignum certum aduenientis Antichriſti & mundi finis futuram nos exiſtimare, niſi illam quæ ab ipſo Pentecoſtes die per Apoſtolos cœpta, iam per ſeptemdecim ſæcula in orbe exercetur : nunc has, nunc illas, ſeu veteris, ſeu noui Orbis obeundo regiones : incertum verò quamdiu duratura in poſterum, quouſque omnes peruadat nationes, in quibus nondum Euangelij tuba inſonuit : nullámque relinquat, vbi non ritè & legitimè proponatur, & audiatur : túncque veniet Antichriſtus & rerum finis. Nam Euangelij annuntiationem nondum penetraſſe cunctas Orbis Noui plagas, multáſque adhuc ſupereſſe gentes auditus Euangelij prorſus expertes, ſuprà cap. 39. fusè demonſtrauimus. Et quamuis ſæpius contingat, vt in vna aliqua prouincia ſeu regione ſemel, & iterum Euangelium prædicetur : at pertinere id ad vberiorem, ſed non neceſſariam ad expletionem oraculi Chriſti, Euangelij promulgationem rectè arbitramur.

Illud enim ſolum neceſſarium reputamus, vt in terris in quibus nunquam auditum fuerat Euangelium, ſemel tantùm legitimè annuncietur per præſentes miniſtros : vt ſic tandem in aduentu Antichriſti nulla in toto mundo prætermiſſa ſit gens, cui aliquando non fuerit propoſitum & expoſitum Euangelium. Quòd ſi poſt ritè prædicatum ſemel Euangelium in aliqua natione, contingat ipſam, vel per hæreſim, vel per apoſtaſiam, vel per paganiſmum, Euangelio reluctari, vel ab eo ſuſcepto deficere, vt Euangelij memoria prorſus oblitterata in ea gente remanſerit, nihil eſt neceſſe, vt in eadem natione iterum Euangelium prædicetur, antequam Antichriſtus aduenial : cùm neque id oraculum Chriſti, neque vllum aliud vaticinium, neque Patrum auctoritas, aut aliqua ratio certò futurum edicat. Prudenter itaque Pater Suarez inquit : *Quare licèt definitè negari non poſſit ita eſſe futurum, quia hoc etiam ignoratur : tamen neque affirmari poteſt, cùm non ſit reuelatum.*

Nec illud omittimus, eiuſmodi Prædicationem Euangelij in vniuerſo mundo, quam ex Dominica prædictione dicimus futuram ſignum mundanæ conſummationis, neceſſariò intelligi peragendam eſſe per orthodoxos & legitimos Sanctæ Eccleſiæ miniſtros, qui Euangelium iuxta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ catholicam doctrinam & fidem ſincerè, purè, fidelitérque exponant non per miniſtros hæreticos deprauatum & corruptum prauis erroribus & falſis interpretationibus Euangelium tradentes : neque enim hæreticorum Euangelium eſt Euangelium regni : neque id poteſt vllo pacto in teſtimonium gentibus prædicari. Illud ſanè mirabile quotquot ad hanc vſque diem poſt exortam in mundo Euangelij lucem, factæ ſunt nouæ atque inſignes Euangelij prædicationes, ac fidei propagationes in omnibus penè totius orbis regionibus, quæ nunquam anteà Euangelium audierant, non niſi à miniſtris Catholicæ Eccleſiæ, id eſt, Romanæ ; fide & communione coniunctis, peractas. Vix enim reperiri poterit, hæreticos vllam gentem primùm ad Chriſti, & Euangelij cognitionem, etiam ipſorum admixtis erroribus, adduxiſſe. Quod eſt inter alia veræ noſtræ Eccleſiæ euidentiſſimum ſignum, & ingens diuinæ prouidentiæ documentum. Nationes quidem Chriſtianas, & orthodoxas corrumpere, & in errores præcipitare ipſi conſueuerunt : at barbaras & infideles Chriſto lucrifacere atque adiungere non poſſunt : non enim praua eorum opera vti vult Deus in cauſa ſalutis humanæ. Eſt quidem id argumentum præclarum, ac latè patens, in quod ſtylus ſe abundè effundere poſſet : ſed copioſè iam verſatum à Bozio lib. 4. integro de Signis Eccleſiæ, & Bellarmino lib. 4. de Eccleſia, cap. 12.

Id quod in Nouo orbe luculentiſſimè cernimus : quidquid enim in eo ab anno Salutis 1492. quo primùm detegi cœpit, ad hæc vſque noſtra tempora, vbique Chriſtianitatis plantatum eſt : non niſi prædicatione, & doctrina orthodoxorum Romanæ Eccleſiæ miniſtrorum conſtat effectum. Conati ſunt Caluiniſtæ ſæpius, & colonias eò ducere, & nouitiam ſuam religionem in eas gentes inſerere : ſed fruſtra, & irrito ſemper conatu, & vano ſucceſſu : nam eorum cuncta molimina Hiſpani mox diſiecêre.

Etverò ſi ex ſeptemdecim ſæculorum more & experientia certam, vt par eſt, in poſterum coniecturam facere nos oportet : non eſt dubium, quin in reliquis quæ ſuperſunt orbis regionibus, ad quas lumen Euangelij nondum penetrauit, non niſi per orthodoxos miniſtros fidei, & communionis Romanæ Eccleſiæ in illis prædicandum Euangelium.

Iam nunc operoſiùs diſquirendum, quem fructum tandem latura ſit vniuerſalis hæc Euangelij in mundo prædicatio : num omnes tandem gentes ſuſcepturæ ſint Chriſti fidem ? Sunt planè in numero diuinarum Scripturarum oracula, quæ canunt omnes gentes totius mundi ceſſuras Chriſto in poſſeſſionem, Chriſtum adoraturas, in illis regnaturum, haud dubiè per fidem, Filium Dei. Pſalm. 2. verſ. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem : & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſal. 71. v. 8. & 11.

Domi

Dominabitur à mari, vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Psal. 85. 9. *Omnes gentes quascumque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine.* Isaïæ 2. 2. *Et fluent ad eum omnes gentes.* Sophoniæ 3. 9. *Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini & seruiant ei humero vno.* Ioannis 10. 16. *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus Pastor.* cap. 11. vers. 51. *Quòd Iesus moriturus erat pro gente: & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum.* Roman. 11. 25. *Donec plenitudo gentium intraret.* Omitto alia eiusmodi vaticinia. Vide S. Prosperum, de Promissionibus, & Prædictionibus Dei, cap. 35. & 40.

S. Leander Hispalensis Episcopus homil. in Laudem Ecclesiæ, habita in Concilio Toletano III. in hunc modum disserit: *Non dubitamus totum mundum posse in Christo credere, atque ad vnam Ecclesiam conuenire, quoniam rursus ipso testificante didicimus in Euangelio: Et prædicabitur, inquit, hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc, inquit, veniet consummatio. Si ergo remansit pars aliqua mundi, vel gens barbara, quam fides non irradiauerit Christi, profectò creditura, atque in vnam Ecclesiam esse venturam, nullo modo dubitemus, si ea quæ Dominus dixit vera esse putamus.* Hæc ille. Vide verba S. Prosperi supra cap. 46.

Lyranus in Matth. 24. *Considerandum autem quòd alia est prædicatio Euangelij futura in omnibus gentibus, quantum ad efficaciam, sic quòd omnes gentes recipient Fidem Christi, & hoc erit in consummatione saculi.*

Verùm in hac re quia nihil perspicuè, & explicatè traditum à priscis Patribus accepimus, quæ recentiores aliqui annotarunt, transcribemus. Sanctus Vincentius Ferrerius epistola ad Benedictum XIII. Antipapam: *Quinta opinio est dicentium, omnes gentes reducendas ad vnam Fidem Catholicam ante aduentum Antichristi. Quod non videtur verum.*

Dominicus Sotus in 4. Sentent. dist. 46. quæst. 1. art. 1. *Imo verò sunt qui autument vniuersos tunc* (nempe sub finem mundi,) *mortales Christianum nomen professuros: sic illud intelligentes Ioan. 10. vt fiat vnum ouile, & vnus Pastor. Nulla tamen apparet necessaria ratio, quæ hoc conuincat. Sensus enim illius, vt fiat vnum ouile, non est alius, quàm quòd nemo extra Ecclesiam Christi seruari potest. Quòd autem omnes re vera in ouile sint ingressuri, non est concessu necessarium: neque quod ait Paulus, plenitudinem gentium fidem professum iri, aliter intelligitur, quàm vniuersi qui prædestinati sunt per Fidem Christi seruandi, intrabunt, iuxta illud Daniel. 12. In tempore illo* (loquitur enim de fine mundi) *saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro.*

Franciscus Ribera in Michææ 4. num. 23. *Existimo enim nullam esse in orbe nationem, in qua non sit Euangelium prædicandum ante diem Iudicij, vt à Domino prædictum est, Matth. 24. Et prædicabitur hoc Euangelium regni, in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Quare nec vlla natio est ex qua non sint aliqui prædestinati. Apoc. 7. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis. Itaque rectè exponunt Lyranus in Isaïæ 2. & Hadrianus Finus lib. 7. cap. 5. non omnes omnium gentium homines venturos esse ad Christum, & ad Ecclesiam: venturos tamen esse multos ex singulis nationibus.*

Hieronymus Osorius de Sapientia, lib. 1. *Et tamen sunt qui dicant, nondum gentes vniuersas Christum sequi: quasi sit necesse per gentes vniuersas omnes homines intelligi: & non ex omnibus gentibus esse delectos, qui diuinam hæreditatem cernerent: aut parum constet, Vniuersitatis nomine nationem vnam, voluntatis consensione conspirantem, contineri. Nunquam enim deerunt, qui pietati furenter aduersentur: & tamen interim ex omnibus nationibus permulti alacritate mirabili ad Christum confluent.*

Ioannes Maldonatus in Ioan. 10. vers. 16. elucidans Christi verba: *Et fiet vnum ouile, & vnus Pastor:* inquit: *Fore vt ante mundi consummationem omnes simul Iudæi, & Gentes Christiani fiant, itaque vnum sit ouile, & vnus Pastor, error est ex hoc loco natus, pessimo interprete vulgo. Nec enim sensus est, omnes esse in Christum credituros, & venturos ad Ecclesiam: sed inter eos qui ex Iudæis, & eos qui ex Gentibus crediturí sunt, nullum fore discrimen.*

Fridericus Lumnius lib. 1. de extremo Iudicio, cap. 11. *Sufficit enim pro manifestatione diuinæ miserationis, vt in genere omnibus mundi partibus Euangelij Sacramentum, pax, gratia, salus prædicetur, licèt singuli quique ex omnibus gentibus non crediderint. Non enim omnium est, nec erit Fides: sed credent quotquot præordinati sunt ad vitam æternam.*

Sebastianus Barradius tom. 3. in Hist. Euangelicam, lib. 2. cap. 6. ad verba Domini, Ioan. 10. vers. 16. *Et fiet vnum ouile, & vnus Pastor.* ait: *Quæstio exoritur: Num ante extremum Iudicij diem, vnum sit futurum ouile omnium hominum, & vnus Pastor: ita vt omnes in Christum credant, & in ouile Ecclesiæ, ac Fidem aggregentur? Pannonius Apocal. 20. affirmantem sequitur sententiam, &c. Respondeo, me in sanctorum Patrum libris huiusmodi opinionem non reperisse, &c. Hic autem locus quem explicamus, opinioni minimè fauet. Significat enim vnum fore, ouile, vnúmque populum Christianum: ex duobus populis gentili, & Iudæo conflatum: non verò vnum fore, ita vt nulli extra ouile sint homines, qui in Christum non credant.*

Franciscus Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 56. sect. 1. *In hac re nihil video esse in Scriptura perspicuè prædictum, neque ab antiquis Doctoribus traditum. Hæc videntur verisimiliora. Primò ita esse Euangelium per vniuersum orbem prædicandum, vt vbique, id est, in omnibus regionibus, & præcipuis prouinciis templa fundentur, & Christiana Religio recipiatur, & exerceatur: & hoc modo Christus vbique agnoscatur, & colatur. Per se, ac sine alia probatione verisimile est, si Euangelium vbique est prædicandum, non per famam & rumorem, sed per proprios prædicatores, vbique etiam fructificaturum; atque adeo vbique esse Ecclesiam propagandam, & fundandam. Quod etiam euentus ipsarum rerum quas experimur, satis confirmat. Hoc enim modo & fructu vidimus Euangelium esse disseminatum in remotissimis regionibus, de quibus ante centum annos vix esse potuisset humana spes. Quapropter eundem modò in ceteris regionibus sperare licet exitum.*

Secundò dicendum est, licèt vbique sit fundanda & propaganda Ecclesia: non tamen omnes in vniuersum homines esse credituros. Hoc enim nec necessarium est, nec vllo testimonio probabili affirmari potest, neque est consentaneum humano ingenio, ac libertati, nec experientiæ, nec modo diuinæ prædestinationis, quæ ita videtur res hominum disposuisse, ordinasse, ac permisisse, vt semper sint inter eos boni & mali, fideles & infideles. Quod variis parabolis in Euangelio Christus significauit: & in omnibus indicat hanc permixtionem vsque ad finem mundi duraturam. Quocirca licèt per hanc vniuersalem prædicationem ex omnibus nationibus ali-

qui sint conuertendi: non tamen necesse est, vt omnes homines cuiusuis nationis conuertantur, vt rectè notauit Franciscus Ribera Michææ 4. citans Lyranum, & Hadrianum Finum lib. 7. cap. 5. Neque etiam mihi constat, an vbique sit idololatria tollenda. Fieri enim potest vt in eisdem prouinciis, vel ciuitatibus fundentur Ecclesiæ Christianorum, & tamen idolorum templa non euertantur, vt in principio Ecclesiæ accidit, & nunc in Iaponia conspicimus. Et hoc satis esset ad complementum huius prædictionis & signi de quo agimus: quamuis non constet an sit maiorem effectum habiturum.

Tertiò, non videtur necessarium, vt per hanc vniuersalem Euangelij prædicationem efficiatur, vt aliquo tempore ante Iudicium vniuersus mundus totus simul in Christum credat, & Catholicam amplectatur Religionem. Nam Christi prædictio, in qua Signum potissimum fundatur, satis verificatur, si paulatim, & successiuè Euangelium in vniuerso mundo prædicetur: quamuis fortasse cùm ad vnam partem orbis peruenerit, alia quæ illud audierat, & susceperat, vel per hæresim, vel per paganismum, aut aliud apostasiæ genus ab illo discedat. Hactenus Suarez.

His nos addimus: Per hanc vniuersalem à fundata Ecclesia ad Antichristum, & finem vsque mundi, Euangelij in vniuerso orbe prædicationem, (tametsi ea in maiori orbis parte hactenus iam vberrimum tulerit fructum, innumeris prouinciis integris in Christi leges adductis) haud esse necesse, vt omnes in vniuersum homines, nullo excepto: vel omnes nationes, & gentes totius mundi, saltem pro maiori earum parte, vno aliquo simul tempore in Christum credant, Ecclesias publicè erigant, & Christiana sacra solemniter celebrent; ita planè vt aliquo certo tempore totus simpliciter, ac simul Orbis Christi Religionem profiteatur: neque rursus opus esse, vt saltem successiuè, diuersisque temporibus, omnes, nulla excepta, vtriusque Orbis & Veteris, & Noui prouinciæ, communi & publico decreto, vel facto Christianam Fidem ante aduentum Antichristi suscipiant: cùm id nulla Scriptura indicet, nulla Patrum auctoritas prodat, nulla grauis, ac solida ratio persuadeat. Equidem certissima rerum experientia ab ipsis Ecclesiæ auspiciis ad hanc vsque diem perducta docet, nihil horum hactenus vnquam factum fuisse: sed neque futurum aliquando esse, ipsi iam exhibiti rerum euentus indubiam in posterum fidem pollicentur. Satis namque superque esse videtur, vt in omnibus simpliciter totius vtriúsque Orbis & Veteris & Noui prouinciis; diuersis temporibus, per præsentes Verbi ministros cum aliquo fructu & conuersione fidelium, & aliquarum Ecclesiarum plantatione, & factæ Religionis vsu & exercitio prædicetur Euangelium antequam veniat Antichristus: vt nulla natio, aut gens in die Iudicij obtendere possit Euangelij ignorationem. Atque ad hunc planè modum intelligenda sunt Scripturarum oracula quæ canunt Christum in cunctis gentibus & nationibus per Fidem credentium regnaturum.

Nec dubitamus hanc nostram sententiam, quòd non sint omnes homines totius mundi in Christum crediturí consentaneam esse menti SS. Patrum. S. Chrysostomus homil. 76. in Matth. 24. enarrans verba Domini de prædicatione Euangelij in toto orbe, inquit: *Quid autem est in testimonium omnibus gentibus? Vbique, inquit, prædicabitur: sed non omnes vbique credent. In testimonium autem non credentibus vbique prædicabitur, hoc est, in redargutionem, reprehensionem, & testimonium. Nam qui crediderunt, aduersus incredulos testabuntur, & condemnabunt eos.* Hæc ille: nec dissimilia tradunt Theophylactus, & Euthymius.

S. Augustinus epist 80. ad Hesychium elucidans vaticinia Prophetarum, quæ superiùs hoc capite adduximus, de regno Christi in toto mundo, sic scribit: *Hinc ostendens, quàm nulla pars relinquatur orbis terrarum, vbi non sit Ecclesia, quando nulla relinquitur insularum, quarum nonnullæ etiam in Oceano sunt constitutæ, & quasdam earum iam Euangelium suscepisse didicimus: atque ita & in insulis singulis quibúsque impleatur.* Et post pauca: *In quibus ergo gentibus nondum est Ecclesia, oportet vt sit, non vt omnes qui ibi fuerint, credant: omnes enim gentes promissæ sunt, non omnes homines omnium gentium: non enim omnium est Fides. Credit itaque omnis gens in omnibus qui electi sunt ante constitutionem mundi: in ceteris non credit.*

Verùm hîc opportunè monemus, cùm Christus ait, Prædicandum Euangelium in testimonium omnibus gentibus. Noluisse quidem adimere omnem ignorantiæ excusationem omnibus & singulis hominibus omnium totius orbis gentium, quocunque vixerint, aut victuri sunt tempore: iam enim ex placitis Theologiæ scimus, multos teneri posse inuincibili ignorantia Fidei & Religionis Christianæ, quæ eos excuset: cùm in eis infidelitas nullum sit peccatum: de qua re videndus S. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 1. eiúsque interpretes ibidem; Franciscus Victoria Relectione 1. de Indis, sect. 1. Dominicus Sotus de Iure & Iustitia, lib. 5. quæst. 3. art. 5. & alij: sed tantùm amputasse Dominum ignorationis Euangelij prætextum omnibus vniuersè nationibus, & gentibus, quòd saltem aliquo tempore Euangelium ritè audientes, noluerint illud recipere.

Quando verò hoc Signum, nempe Prædicatio Euangelij in toto simpliciter orbe terrarum, ad implendum sit, latet adhuc in diuini pectoris arcano: cùm sciri non possit quòd adhuc in orbe terrarum regiones nondum apertæ & patefactæ supersint, in quibus primum debeat prædicari Euangelium. Vnde S. Augustinus epist. 80. ad Hesychium: *Si ergo latet, quando Ecclesia fructificante, atque crescente vniuersus omnino à mari vsque ad mare orbis implebitur, proculdubio latet quando finis erit: ante quippè non erit.* Vide superiùs cap. 39. & Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 56. sect. 1. Iustinianum in Roman. 10. versic. 18. Acostam lib. 1. de Nouissimis temporibus, cap. 18.

Num autem extincto Antichristo, iterum prædicandum sit Euangelium in toto orbe: omnésque tunc homines ad Fidem & Ecclesiam Christi reducendi, differemus ex professo inferiùs.

DE

DE ANTICHRISTO

Liber Quintus.

DE ALTERO SIGNO ANTECESSVRO Antichriſtum, quod erit Romani Imperij deſolatio.

Vaticinia Ioannis Apoſtoli de myſtica Babylone.

CAPVT PRIMVM.

NVs Babylonis in hunc modum diuinus Euangeliſta vaticinatus eſt Apocal. 14. 8. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna: quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes.* Et c. 16. 19. *Et Babylon magna venit in memoriã ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius.* Et c. 17. 1. *Et venit vnus de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem phialas, & locutus eſt mecum, dicens: Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt, qui inhabitant terram de vino proſtitutionis eius. Et abſtulit me in ſpiritu in deſertum. Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurato auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius. Et in fronte eius nomen ſcriptum: Myſterium: Babylon magna mater fornicationum, & abominationum terræ. Et vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Ieſu. Et miratus ſum cùm vidiſſem illam admiratione magna. Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ, quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem. Beſtia quã vidiſti fuit & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes terram, (quorum non ſunt ſcripta nomina in Libro Vitæ à conſtitutione mundi) videntes beſtiam quæ erat, & non eſt. Et hic eſt ſenſus, qui habet ſapientiam. Septem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet, & reges ſeptem ſunt. Quinque ceciderũt, vnus eſt, & alius nondum venit: & cùm venerit, oportet illum breue tempus manere. Et beſtia quæ erat, & non eſt, & ipſa octaua eſt, & de ſeptem eſt, & in interitum vadit. Et decem cornua quæ vidiſti, decem reges ſunt: qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam reges vna hora accipient poſt beſtiam. Hi vnum conſilium habent, & virtutem, & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent. Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos: quoniam Dominus Dominorum eſt, & Rex regum, & qui cum illo ſunt, vocati, electi, & fideles. Et dixit mihi: Aquæ, quas vidiſti, vbi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes, & linguæ. Et decem cornua quæ vidiſti in beſtia, hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt. Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant quod placitum eſt illi: vt dent regnum ſuum beſtiæ, donec conſummentur verba Dei. Et mulier, quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.*

Et cap. 18. 1. *Et poſt hæc vidi alium Angelum deſcendentem de cælo, habentem poteſtatem magnam, & terra illuminata eſt a gloria eius. Et exclamauit in fortitudine, dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna: & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ, & odibilis: quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes: & reges terræ cum illa fornicati ſunt: & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti ſunt. Et audiui aliam vocem de cælo, dicentem: Exite de illa populus meus, vt ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad cælum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum eius. Reddite illi, ſicut & ipſa reddidit vobis: & duplicate duplicia ſecundum opera eius: in populo quo miſcuit, miſcete illi duplum. Quantùm gloriauit ſe, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentũ & luctum: quia in corde ſuo dicit: Sedeo regina: & vidua non ſum: & luctũ non videbo. Ideo in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis eſt Deus, qui iudicabit illam. Et flebunt, & plangent ſe ſuper illam reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt, & in deliciis vixerunt, cùm viderint fumum incendij eius: longè ſtantes, propter timorem tormentorum eius dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis: quoniam vna hora venit iudicium tuum. Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt ſuper illam: quoniã merces eorũ nemo emet amplius: merces auri, & argẽti, & lapidis pretioſi, & margaritæ, & byſſi, & purpuræ, & ſerici, & cocci, (& omne lignum thiinum, & omnia vaſa eboris, & omnia vaſa de lapide pretioſo, & æramento, & ferro, & marmore, & cinnamomum) & odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & ſimilæ, & tritici, & iumentorum, & ouium, & equorum, & rhedarium, & mancipiorum, & animarum hominum. Et poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerũt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius illa iam non inuenient.*

Mercatores horum qui diuites facti sunt, ab ea longè stabunt propter timorem tormentorum eius, flentes, ac lugentes, & dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat byſſo, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioſo & margaritis: quoniam vna hora deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ, & omnis gubernator, & omnis qui in locum nauigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longè ſteterunt, & clamauerunt videntes locum incendij eius, dicentes: Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ? Et miſerunt puluerem ſuper capita ſua, & clamauerunt flentes, & lugentes, dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt omnes qui habebãt naues in mari de pretiis eius: quoniam vna hora deſolata eſt. Exulta ſuper eam cælum, & ſancti Apoſtoli, & Prophetæ: quoniam iudicauit Deus iudicium veſtrum de illa. Et ſuſtulit vnus Angelus fortis lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur. Et vox citharœdorum, & muſicorum, & tibia canentium, & tuba non audietur in te amplius: & omnis artifex omnis artis non inuenitur in te amplius: & vox molæ non audietur in te amplius: & lux lucernæ, non lucebit in te amplius: & vox ſponſi, & ſponſæ non audietur adhuc in te: quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes. Et in ea ſanguis Prophetarum & ſanctorum inuentus eſt: & omnium qui interfecti ſunt in terra.

Et cap. 19. 1. *Poſt hæc audiui quaſi vocem turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluia: Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt: quia vera, & iuſta iudicia ſunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua, & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus eius. Et iterum dixerunt: Alleluia. Et fumus eius aſcendit in ſæcula ſæculorum.*

Hæc ſunt S. Ioannis oracula de ſceleribus & impietate Babylonis, atque de ſupremo, & ſempiterno eius excidio.

Atqui ſatis apertè Euangeliſta ſignificat nomine Babylonis ciuitatis magnæ, non ſe illam intelligere vrbem, quæ in Chaldæa ſita eſt ad confluentem Euphratis: non enim de vera & propria Chaldaïca Babylone loquitur: ſed de myſtica alia, & figurata Babylone, quam Aſſyriaca illa Babylon adumbrat. Id quidem Ioannes ſatis ſignificauit illis verbis: *Et in fronte eius ſcriptum: Myſterium: Babylon magna.* Equidem vox illa, *Myſterium*, proculdubio indicat myſticum eſſe quod diſſerit, & de Babylone quadam allegorica & typica, ſe inſtituiſſe ſermonem. Vti ſanè communis interpretum conſenſus exploratum habet. Quocirca probandum non eſt quod Andreas Cæſarienſis Epiſcopus cap. 53. in Apocalypſim, exponens verba Ioannis de Babylone, inquit: *Verius tamen nomen illud meretricis in eam vrbem conuenit, quæ apud Perſas imperium tenuit. Quare familiarius quoque & Babylon & meretrix, quàm cæteræ nominatur.* Præſertim cùm Ioannes manifeſtè dicat, Babyloniam, de qua ipſe loquitur, ſuper ſeptem montes ſedere: atqui conſtet Babylonem Chaldaïcam, non ſuper montes, ſed in ingenti planitie ſitam, vt ex Herodoto, Strabone, aliiſque docuimus lib. 3. cap. 13.

Ceterùm quænam intelligenda ſit Babylon illa, cuius impietatem, & funeſtiſſimum excidium Ioannes deſcribit, ardua, & ingentis operis perquiſitio eſt: quam, Deo aſpirante, iam aggrediamur.

Auctores qui Babylonem in Apocalypſi cœtum impiorum, ſeu ciuitatem diaboli interpretantur.

CAP. II.

MYſterium Babylonis plerique ſic referant: vt Babylonis nomine nihil aliud velint à Ioanne ſignificari, niſi totam impiorum hominum colluuiem, quaſi vrbem quandam Ciuitati Dei contrariam, & in qua diabolus regnum improbitatis exerceat: vel ſi mauis mundum cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis.

Tyconius Afer homil. 11. in Apocalypſ. elucidans quid Ioannes per Babylonem intellexerit, inquit: *Non abhorret à Fide, vt beſtia ipſa impia ciuitas intelligatur, id eſt, congregatio, vel conſpiratio hominum impiorum, vel ſuperborum, quæ Babylonia dicitur, & interpretatur confuſio: & ad ipſam pertinent, quicumque res confuſione dignas exercere voluerint. Ipſe eſt populus infidelium, contrarius populo fideli, & ciuitati Dei.* Et poſt alia: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna. Babylonem ciuitatem impiam, ſicut iam ſuprà dictum eſt, diaboli congregationem dicit, id eſt, populum ipſi conſentientem: & omnem concupiſcentiam, & corruptelam quam in perniciem ſui, & humani generis exquirit. Nam ſicut Eccleſia ciuitas Dei eſt & omnis conuerſatio cæleſtis: ita & contrà ciuitas eſt diaboli Babylon in omni mundo.* Et homil. 16. *Quotieſcumque Babyloniam* (in Apocalypſi) *nominari auditis, nolite ciuitatem de lapidibus factam intelligere, quia Babylonia confuſio interpretatur: ſed homines ſuperbos, raptores, luxurioſos, & impios in malis ſuis perſeuerantes, ipſius nomen ſignare cognoſcite.* Plura alia in eandem ſententiam habet homil. 15. 16. & 17.

S. Auguſtinus in 2. Expoſitione in Pſalm. 26. *Eſt quædam ciuitas quæ Babylonia dicitur. Ciuitas iſta ſocietas eſt omnium impiorum ab Oriente vſque ad Occidentem: ipſa habet regnum terrenum.* Et in Pſalm. 61. *Omnes qui terrena ſapiunt, omnes qui felicitatem terrenam Deo præferunt, omnes qui ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, ad vnam illam ciuitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia myſticè, & habet regem diabolum.* Et in Pſalm. 86. *Babylon ciuitas dicitur ſecundùm ſæculum. Quomodo vna ciuitas ſancta Ieruſalem, vna ciuitas iniqua Babylon. Omnes iniqui ad Babyloniam pertinent, quomodo omnes Sancti ad Ieruſalem. Piorum ciuitas Ieruſalem: impiorum ciuitas Babylon.* Et lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 18. *Et quid dicemus, niſi de medio Babylonis eſſe fugiendum. Quod præceptum propheticum ita ſpiritaliter intelligitur, vt de huius ſæculi Ciuitate, quæ profectò & Angelorum & hominum ſocietas impiorum eſt, fidei paſſibus, quæ per dilectionem operatur, in Deum viuum proficiendo fugiamus.*

Sanctus Proſper in Dimidio Temporis cap. 7. elucidans verba illa Ioannis de Babylone: *Vidi mulierem illam ebriam Sanctorum ſanguine, & ſanguine Martyrum Chriſti Ieſu*, ait: *Hæc eſt Babylonia illa magna per mundum ſpolianda trophæis. Eiuſque filia eſt miſera quæcumque facta eius & ſuperbiam imitatur. Nec eam vno in loco exiſtimes ciuitatem, quæ tota eſt ſparſa in orbe. De qua in Apocalypſi Ioannis dicitur: Reddite ei, ſicut & ipſa reddidit vobis, &c.*

Andreas Cæſarienſis Epiſcopus cap. 41. in Apocalypſim: *Nomine ex re ipſa ſumpto, mundi huius confuſionem, vitaque præſentis turbas Babylonem appellat Ioannes.* & cap. 51. *Et confuſa illa Babylon, inquit,*

inquit Ioannes, variis vitæ huius curis diuulſa, atque diſtracta, opibúſque ex iniquitate conflatis magnificata: necnon numeroſa illa hominum multitudo diuinæ iræ calicem bibet.

Aretas Cæſarienſis Epiſcopus cap. 41. in Apoc. *Nec Babylon quidquam aliud præterquam confuſionem deſignat. Et quæ nam eſt Babylon? Nihil aliud ſanè quam corruptibilis hic mundus.*

Primaſius in 14. Apocalypſis: *Babylon interpretatur confuſio. Significatur autem in ea diaboli ciuitas, ac populus, omníſque corruptela vitiorum, quam in ſui perniciem & humani generis ſemper exercet.* Et in cap. 16. *Babylon confuſam deſignat omnium multitudinem perditorum.* Et multa in eandem ſententiam affert ad cap. 17. & 18.

Sanctus Beda in 14. Apocalypſis: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna. Ciuitatem Diaboli ruinoſam iam cecidiſſe dicit. Hæc eſt ciuitas impiorum, ex omnibus congregata gentibus.* Et in cap. 17. initio, exponens, quæ ſit Babylon, de qua Ioannes loquitur, inquit: *Perditorum multitudo, quæ relicto Creatore, dæmonibus ſe proſtrauit conſtuprandam in fluctibus diſcordium populorum ſedere memoratur.* Plura ſubiicit in eandem ſententiam eodem capite, & ſequenti.

Ambroſius Anſbertus in 14. Apocalypſ. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna. Babylon autem interpretatum confuſio ſonat. Et quid aliud Babylonis nomine, niſi mundus in maligno poſitus intelligitur? totum ſcilicet corpus diaboli, totáque ciuitas eius.* Plurima addit de eadem re, cap. 16. 17. & 18.

Ambroſiaſter in cap. 11. Apocalypſis: *Conſiderandum, quia vbicumque in hoc libro ciuitas magna ponitur, Babylonem, quæ eſt ciuitas diaboli, & ex omnibus reprobis conſtat, ſignificat.* Et in 14. Apocal. *Cecidit, cecidit Babylon magna. Per Babylonem ſicut ſuperiùs diximus, ciuitas diaboli deſignatur, quæ ex omnibus impiis conſtat.* Hoc ipſum docet ad cap. 16. 17. & 18.

Haimo in illud Apocalypſ. 17. *Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam,* inquit: *Ipſam vocat mulierem, quam paulò ſuperiùs vocauit meretricem, id eſt, omnium malorum congregationem. Beſtia autem diabolum ſignificat, ſuper quem omnes reprobi ſedent, qui eo hortante per diuerſa vitia currunt. Quæ rectè meretrix appellatur, vt oſtendatur ex qua parte regnum diaboli ampliùs prænaleat.*

Strabus in 17. Apocal. interpretans illud: *Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ:* id eſt, *Babylonis*, inquit: *Cauſam damnationis malorum, qui relicto Creatore, fornicantur cum dæmone, idola colendo, terrena amando, immunditiæ ſeruiendo.* Et alia addit ad idem inſtitutum.

Sanctus Anſelmus Cantuarienſis in 14. Apocal. *Cecidit, cecidit Babylon. Confuſio, vitiis ciuitas prauis munita.* Eandémque Babylonis pro cœtu impiorum intelligentiam perſequitur cap. 16. 17. & 18.

Anſelmus Laudunenſis in Gloſſa interlineali Apocalypſ. 16. verſ. 19. ad verba illa. *Et Babylon magna, &c.* apponit: *Id eſt, collectio peccatorum.* Et in cap. 14. verſ. 8. ad illud, *Cecidit, cecidit Babylon illa magna*: interiicit huiuſmodi Scholion: *Id eſt, omnes confuſi in vitiis.* Eandem expoſitionem perducit cap. 17. & 18. Apocal.

Rupertus in 14. Apoc. *Cecidit, cecidit Babylon. Babylon, quod interpretatur confuſio, regnum eſt peccati, principatus mundi, & latrocinium diaboli.* Eandem quoque interpretationem ſequitur in c. 17 & 18.

Atqui Ioannem in oraculis de Babylone in Apocalypſi poſitis, cœtum improborum omnium, & ciuitatem diaboli, Babylonis appellatione intellexiſſe, docent etiam Petrus Bulengerus, Emanuel Sà, S. Thomas, Cælius Pannonius, Ioannes Gagneius, Ottho Friſingenſis in Chronico, lib. 8 c. 21. & 22. Gaſpar Melus in 14. 16. 17. 18. Apocalypſis, Andreas Alciatus Emblemate 6. & Claudius Minoës in commentariis eiuſdem Emblematis, Foterius in 13. Iſaiæ, verſic. 22. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 13. & lib. 4. cap. 4 extremo, Suarez tom. 2. in 3 part. diſput. 56. ſect. 2. & aduerſus Regem Angliæ, lib. 5. qui eſt de Antichriſto, cap. 4. & 7. Sanderus lib. 8. de Viſibili Eccleſiæ Monarchia, cap. 8. & 47. Caſtrius in cap. 51. Ieremiæ, num. 27.

Excogitarunt alij varias Apocalypticæ Babylonis interpretationes; Lyranus in 14. Apocalypſ. Georgius Ederus lib. 4. Oeconomiæ Bibliorum, tabula 231. cum euentu, exiſtimarunt Ioannem ſub typo Babylonis de Conſtantinopolitano Græcorum Imperio Romanæ Eccleſiæ aduerſo, atque ſchiſmate, & hæreſibus deformato vaticinia texuiſſe. Idem Lyranus in 16. & 18. Apocalypſ. & Ederus lib. 4. Oeconomiæ, tabula 252. & 253. cum euentibus, Babylonem apud Ioannem eſſe volunt regnum Mahometanorum? Chriſti Eccleſiæ adeò infenſum & inimicum. Quam explanationem ſanctus Antoninus ſectatus eſt 1. part. Hiſt. tit. 6. cap. 1. §. 11. & 15. Tu auctores ipſos adibis ſuas enarrationes non modica difficultate, ac labore concinnantes: nobis interim non tantùm otij, vt hæc latiùs exequamur.

Sed vt inſpiciat Lector quàm non facilè, ac promptè vera & certa Babylonis in Apocalypſi intelligentia ſtatui poſſit, ſubiiciam in medium tam varia, & diuerſa quæ Andreas & Aretas Cæſaræenſes Epiſcopi ea de re annotarunt. Andreas in Apocal. cap. 41. *Nomine ex re ipſa ſumpto mundi huius confuſionem, vitæque præſentis turbas Babylonem appellat Ioannes.* Aretas in Apocal. 41. *Ecquænam eſt Babylon? Nihil aliud ſanè quam corruptibilis hic mundus.* & eodem cap. 41. *Et quod mundus hic ad Babylonem transferatur, adiectionum illud inſinuat, nempe magna. Nequaquam enim ad diſtinctionem paruæ, ſed ad declarandum quid ſit, appenditur. At ſi quis ad Babylonem illam, quæ eſt in Chaldæa, accommodare id voluerit, nihil refert: modò tam multa, quæ iuxta illius imitationem mundo huic inani facto congruunt, ipſam illam pro archetypo inſinuet.*

Andreas cap. 52. *Nos per hanc Babylonem, vel vniuerſale orbis terræ regnum, in vnum quaſi corpus conflatum inſinuatum exiſtimamus: aut prænobilem, ac præpotentem quampiam ciuitatem, quæ vſque ad Antichriſti aduentum principatum in terrarum orbe ſit obtentura: ſiquidem antiqua Roma iam olim Imperij maieſtatem amiſit: niſi quis forſan arbitretur, priſtinam dignitatem & maieſtatem ſuo poſteà tempore denuò recuperaturam.* Et cap. 53. *Siue Babylonem præuiſam ab Apoſtolo illam accipias, quæ olim apud Perſas regnauit, & etiamnum regnat: ſiue veterem Romam antiquum ius & ditionem denuo adeptam: ſiue nouam Romam: ſiue orbis Imperium, ex variis principatibus in vnum quaſi corpus redactum, &c.* Aretas cap. 52. *Babylonem, non Romam dicit illam veterem, propterea quod multi in ea temporibus Græcorum Martyres immania paſſi ſunt ſupplicia: non mundum vniuerſum: licèt nonnulli ſermonem hunc comprobare videantur. Nam dictus eſt, Babylon, & magna, vt qui ex vanis vitæ huius curis, diſtractionibúſque magnitudinem habeat. Si enim mundus per Babylonem ſignificatus eſſet, quænam diſtinctio inſularum eſſet à*

mundo, cùm & ipsæ partes sint mundi? Restat igitur, vt alia quadam competenti ratione hanc Babylonem intelligamus. Et quænam hæc? Nulla sanè alia quàm Constantinopolis, in qua olim colebatur iustitia, nunc autem in ea homicidæ habitant, &c. Et c. 53. *Per meretricem autem non adeò antiquam illam Romam acutè debemus intelligere, vt mundum hunc, qui & sanguinibus innumerabilibus, & regibus pluribus, quam ipsa Roma abundat: vtpotè qui ab initio fornicarius iudicatus fuerit. Nonnulli vero alij huius Apocalypsis interpretes per meretricem antiquam intellexere Romam: vel vniuersale regnum quod ad secundum vsque Domini aduentum protenditur.* Et ad finem capitis: *Dum vero fornicationis matrem dicit, quamcunque rursus volueris, siue veterem Romam, siue nouam, seu tempus aduentus Antichristi, à vero aberrare non poteris.*

Andreas cap. 54. *Probabile sit sanè hunc locum non agere de Prisca Babylone, aut de veteri, aut noua Roma, aut de quauis alia peculiari ciuitate: sed de orbe vniuerso, eiusdémque inquilinis.* Et post multa: *Videri queat impiam illam Babylonem, quæ apud Persium extat, denotari: vt quæ multorum Sanctorum sanguinem diuersis temporibus offuderit, & vsque ad præsentem diem effundere non desinit, magiisque, & incantationibus, & ceteris superstitionibus studiosè semper dedita fuerit. Verum huic opinioni aduersari videtur, quòd plerique veteres Ecclesiæ Doctores, hæc contra eam Babylonem prædicta tradant, quæ apud Romanos extat.* Et post pauca: *Ea propter, vt ante quoque dictum est, rectius per regnum hoc accipitur Orbis Imperium, in vnum quasi corpus ex variis membris, quæ iam inde ab initio vsque modo extiterunt, conflatum, rerúmque potitum.*

Aretas cap. 55. *Oracula quæ præmanibus habemus, omni dubio procul accipienda sunt non de Babylone, non de Roma veteri, non de noua, nec de alia quauis ciuitate: sed de vniuerso corruptibili hoc mundo.* Et multis interiectis: *Hinc certissimum est, quòd nequaquam de vna tantummodo ciuitate sermo creatur, sed de vniuerso hoc corruptibili orbe accipere liceat. Neque enim Babylon, neque Roma, neque alia quælibet vrbs ex nauium dumtaxat profectione ditescit, sed solus hic mundus.* Cernis, quàm nihil comperti exploratiue habuerint insignes ij duo Patres in expositione mysterij Babylonis.

Non esse repudiandam multorum interpretationem, Ioannem Babylonis nomine cœtum impiorum intellexisse.

CAP. III.

RIbera, Viegas, Alcasar, communem illam & peruulgatam explanationem, qua Babylon vniuersam diaboli ciuitatem adumbrat, magnis argumentis conantur euertere. Ceterùm nunquam duxerim, tot Patrum & recentiorum celebrem expositionem esse prorsus abiiciendam. Nam rectè, & aptè congruere cum toto ductu verborum Ioannis de Babylone, haud multo labore demonstrare possemus, si partes hic interpretis nobis agendæ essent: sed quia id abundè præstitum est à Gagnæio, Melo, Bulengero, Pannonio, & aliis, sat fuerit potiora, quæ contra obiiciuntur dissoluere.

Primò, cap. 14. v. 8. *Babylon, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes.* Quas gentes? Si ipsa Babylon est ipsæmet gentes impiæ? Addit c. 17. v. 2. *Cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt qui habitant terram à vino prostitutionis eius.* Reges fornicantes, & alij omnes impij ebrij, sunt ipsissima Babylon, cum qua igitur Babylone fornicati sunt? Num secum ipsis? Respondeo. Babylon, id est, collectio improborum, potat omnes gentes, hoc est, imbuit impietate omnia sua membra particularia. Vel quod in idem recidit: Seipsam inebriat, & deprauat impietate ciuesque huius derestandæ ciuitatis sese mutuò pelliciunt & prouocant ad idololatriam, & scelera omnia. Aut *omnes gentes*, quæ nondum hactenus fuerant deprauatæ. Primasius. *A vino fornicationis suæ ceciderunt vniuersæ gentes, cùm hæc ciuitas quæ optatur, atque ex omnibus conflata gentibus aggregatur, ipsa biberit ex vino fornicationis. Omnes enim gentes erroribus inebriatæ, ipsa est ciuitas: sed vnam diuidit more suo.* S. Beda: *Ciuitas impiorum ex omnibus congregata gentibus, ipsa gentes, id est, sua membra vino inebriat erroris.* Ambrosiaster: *Sed cùm Babylon nihil sit aliud quàm omnes gentes, id est, omnes reprobi, quomodo omnes gentes a vino iræ suæ potauit? Verùm cùm vnus alterum docuit, & ille tertium, & tertius quartum, & ita in omnes homines error diabolicus transiit; vtique Babylon omnes gentes vino iræ Dei potauit.* Ambrosius Ansbertus: *Sciendum etiam quia cùm ipsa ciuitas omnes gentes propinat, seipsam, quæ ex eisdem gentibus constare videtur, inebriat. Sed diuiditur genus in partes, vel species, vt imitatione præcedentium, per singulas nationes subsequens genita proles perire doceatur.* S. Anselmus: *Potat quidem Babylon a vera semita deuiando, aliquos de omni gente.* Cælius Pannonius: *Sed adhuc scrupulum alicui iniicit illud, quod dicitur: Babylon vino fornicationis & iræ potare omnes gentes. Cùm enim Babylon non sit aliud, quàm vniuersitas reproborum: quomodo ergo ipsa dicatur potare omnes gentes, cùm ipsa non aliud sit, quàm omnes gentes in pereuntibus. Sed ego quæstioni alia quæstione occurram. Quæro igitur qua ratione dicatur Ecclesia sancta docere omnes credentes, cùm ipsa non aliud sit, quàm omnes credentes: & tamen vtique Ecclesia docet passim credentes, & edicta dat credentibus. Sic ergo Babylon à vino iræ fornicationis suæ potas omnes gentes.* Gagnæius: *Quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes: id est, quæ impietatis, & idololatriæ furore inebriata, & cum deis alienis fornicata potauit omnes gentes: quando se inuicem Babylonis illius ciues, id est, membra diaboli, ad impietatem & idololatriam prouocauerunt.* Eadem ferè Bulengerus, Melus, & alij.

Ad alia Ioannis verba: *Cum qua Babylone fornicati sunt reges terræ, &c.* Dicimus, Reges terræ impios, & principes aliis qui in pessimo hoc malorum corpore primatum tenent, ipsos plerúmque esse cæteris nequiores, ac se magis quàm alios in hoc cœtu sceleribus polluere, atque contaminare. Quasi dicat: Principes improborum collectione, vt primarium locum obtinent, ita esse reliquis deteriores. Tyconius homil. 16. in Apocalyps. *Babylonia malorum hominum imaginem gerit; ideo de eis in sequentibus dicit: Quoniam ex vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes, & Reges terræ, qui cum ea fornicati sunt, id est, cum inuicem. Non enim cum vna meretrice omnes reges fornicari possunt, sed dum se luxuriosè, qui sunt membra meretricis, inuicem corrumpunt, cum meretrice, id est, luxuriosa conuersatione fornicari dicuntur.* Sanctus Beda: *Vniuersitas partibus præeminet. Reges enim & inhabitatores terræ sunt singuli terrena superbè petentes, quos illecebra sæculi vitiorum libidine constuprat, & insania mentis ebriat.* Ambrosiaster: *Cum qua reges terræ fornicati esse dicuntur,*

tur, quia ſcelera Babylonis auxerunt potius quàm deſtruxerunt. Anſbertus: *Quia ex duabus, atque in duabus perſonis nefandum fornicationis committitur ſcelus, idcirco ordinem ſeruans Spiritus ſanctus, reges terræ cum meretrice fornicatos dicit, cùm ipſa meretrix in illis regibus, atque terrigenis diuiſa intelligatur. Vnum enim idémque diaboli corpus in varias, ſed congruas ſpecies, iuxta morem ſacri eloquij diuiditur. Quia namque antiqui hoſtis regnum, contempto Creatore, terrenis voluptatibus inhiat, rectè meretricis vocabulo deſignatur: quia verò momentaneæ dominationis ſupercilio in ſuperbiam erigitur, iure regum appellatione figuratur. Sic ergo de meretrice dicitur, Cum qua fornicati ſunt reges terræ: ac ſi diceretur: Reprobi terrenos honores, ac voluptates ſuperbè appetentes, ipſiſque pro Deo vtentes vnum meretricis corpus ſeipſos fecerunt. Et inebriati ſunt, qui inhabitant terram, de vino fornicationis eius. Hinc manifeſtè apparet, vnum diaboli corpus varias diuidi in ſpecies, variis nuncupari vocabulis. Numquid reges terræ cum meretrice fornicantes, terram non inhabitant? Aut numquid iidem ipſi qui meretrici adhærent, de vino fornicationis eius non bibunt? Quis hoc dixerit? Ipſi ergo ſunt, vt dictum eſt, ipſa meretrix, ipſi meretrici adhærentes, ipſi terram inhabitantes, ipſi de vino meretricis ebrietate nutantes. Quia verò præcedentium malorum exempla, ſubſequentium ſunt imitationis detrimenta: poteſt hoc loco ita vnum meretricis corpus intelligi diuiſum, vt ipſo meretricis nomine, ac regum terræ, auctores malorum: inhabitantes verò terram, imitatores eorundem accipiantur.* Gagnæius: *Cum qua fornicati ſunt reges terræ: id eſt, ij qui principem locum inter terrenos obtinent, & regere alios debebant, deuiantes, ac lapſantes erigere: vitiis illorum conformes, & ipſi à Deo primi defecêre, & cum diabolo, ac mundo fornicati fuêre.* Similia habent Pannonius, Bulengerus, Melus, & alij.

Secundò, cap. 18. verſic. 8. *Vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur. Et flebunt, & plangent ſe ſuper illam reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt, & in deliciis vixerunt, cùm viderint fumum incendij eius: longè ſtantes, propter timorem tormentorum, &c.* Etenim ſi vna die tota Babylon periit, & combuſta, atque deleta eſt, cùm in ipſa ſint reges, & mercatores impij, quomodo ij eam lugebunt, & à longè ſtabunt aſpicientes eius incendium, cùm ſint ipſi præcipua pars Babylonis quæ periit? aut quænam tormenta timebunt, cùm ipſi ſint in medio tormentorum? dolebunt potiùs quàm timebunt dicere debuiſſet. Reſpondeo. Aretas, & alij Reges terræ hîc dæmones interpretantur, ſicuti Dominus diabolum principem huius mundi vocat: & Paulus dæmones *Coſmocratoras*, hoc eſt, mundi rectores, & imperatores. Plerique verò eoſdemmet reges impios, & Dei hoſtes, de quibus nuper dicebamus, exponunt. Siue ergo ij, ſiue illi intelligantur, rectè dicitur, reges terræ, ac mercatores ingentem luctum excitaturos ſuper Babylonis clade, hoc eſt, ſuper totius impij corporis diſſipatione & interitu, cuius ipſi primariæ partes extiterunt: quia nimirum ſimul cum illo æterno incendio conflagrabunt. Referuntur verò à longè ſtare metu tormentorum eius: non quidem à longè ſitu, & poſitione corporum, cùm ipſi ſanè membra interna ſint ipſius Babylonis, eáque inſigniora, & in eodem quo ipſa incendio ardeant: ſed à longè, ſcilicet animo & voluntate, quantum in ipſis erit, procul ſe ab illius tormentis facere cupientes: quæ tamen vitare non poterunt, cùm ipſi grauiſſimè omnium ſint torquendi. Quemadmodum qui ad ſupplicium, ſeu ad mortem certiſſimè trahuntur, tametſi non dubitent ſe morituros eſſe, cùm tamen ſcelerum ſocios ad mortem rapi vident, procul ſe ab illis quantum poſſunt, abſtrahere conantur, inani ſpe euadere cupientes, ſi aliquod eſſet effugium.

Tyconius: *longè ſtantes non corpore, ſed animo.* Eadem totidem verbis S. Beda. Ambroſiaſter: *Sed mirum valdè eſt, quòd longè ſtare dicantur, cùm in eiſdem pœnis, & ipſi ſint demergendi, in quibus & ceteri reprobi, qui per Babylonem deſignantur. Stabunt igitur longè mente, & voluntate, non corpore, horrentes ſcelera ſua, quibus æternaliter cruciabuntur. Stabunt longè per deſiderium aliud deſiderantes, id eſt, requiem, & aliud patientes, id eſt, tormenta æterna.* Anſelmus Laudunenſis: *Longè ſtantes, voluntate ſcilicet, quia vellent fugere ſi poſſent.* S. Anſelmus: *Longè ſtantes voluntate.* Rupertus: *Longè ſtabunt, non tam loco, quàm defectu cordis & animo inualido.* Gagnæius: *Longè ſtantes, non longè quidem corpore, cùm de corpore ſint ipſius Babylonis: ſed quantum in ſe erit, procul ſe ab illis tormentis facientes, quum vitare ea non poſſint, voluntate tamen procul & animo abhorrentes. Sic qui ad mortem, & crucem cum multis damnantur, etſi non dubitant ſe ad mortem trahendos, quum tamen ſocios ad mortem trahi vident, procul ſe ab illis faciunt, euaſuri, ſiquidem eis liceret.* Eodem prorſus modo interpretantur Claudius à Monte Martyrum, Pannonius, Bulengerus, Melus, Suarez, & alij.

Primaſius verò aliter interpretatur, his verbis: *Quomodo ſit certum eandem Babyloniam diuerſis ſignificari vocabulis, & ſiue ex regibus terræ, ſiue ex gentibus, ſiue ex mercatoribus exiſtere, ſeipſa ſuccenſa, illi dicuntur à longè conſequenter ſtare, eámque non communem dolendo cruciatum, ſed libera conſideratione miſerabiliter deplorare, niſi quia vt præmiſi, aut non hîc omnimodum iam finem mundi debemus accipere, ſed diminutionem rerum humanarum, & contritionem gentium diuerſarum? Sæcularium quippe diuitiarum pompam dicit auferri, per quam prauis voluptatibus adimplendis circumfluens carnalium deliciarum opportuna quodammodo importunitatem ſuffragabatur occaſio: quâ ſublata, per defectum, & deſolationem diuinis modo iudicijs irrogatam, ceteri ſuperſtites aliorum perhibentur interitum plangere. Ideo dicuntur à longè ſtare, & metu pœnæ ſimilis formidare.* Eadem ferè verba habet Anſbertus è Primaſio mutuatus: ac inter alia: *Oſtendit qualiter Babylonia ſuperſtes, deſolationem Babyloniæ pereuntis defleat.* Sed tamen hanc explanationem haud ſuperiori æquauerim.

Adiicimus, & aliam interpretationem: Ioannem præfatis verbis deſcripſiſſe initium incendij, & euerſionis ciuitatis impiorum. Tunc ergo cùm terreni Reges, & præcipua huius improbi cœtus membra videbunt totam malorum cateruam in die Iudicij iamiam imminentibus flammarum ignis æterni globis abſorberi: ſanè flebunt, ac ſeſe modis omnibus conabuntur auertere: & tormenta illa ſuprema ſuis iam capitibus impendentia, vehementer horrebunt, & vitare cupient.

Quòd ſi id minus arriſerit, addimus, forſan Ioannem vſum eleganti proſopopœia, ſeu metaphora, aut paraboła, ſeu figurato ſermone, qualis pleriſque fuiſſe videtur cœtus ille, & collocutio Angelorum & Dei cum diabolo, 3. Regum, 22. & Iob 1. de qua fusè diſſeruit Pineda in 1. Iob, verſic. 6. Vt enim diuinus Euangeliſta arcanè ſignificaret interitum ciuitatis profanæ, ſci-

tè effinxit cladem, & deuastationem quasi alicuius florentissimæ vrbis, quæ incendio, & horrenda strage à fundamentis euertitur: multáque graphicè depinxit, quæ in clarissimarum vrbium excidiis contingere solent. At satis constat in prosopopœis, parabolis, mètaphoris, plura interdum ad ornatum, decorémque descriptionis tanquam emblemata interseri, quæ nihil opus est rei figuratæ, aut significatæ conuenire: vt stultum prorsus sit omnia parabolæ ornamenta ad rem adumbratam iustè, & exactè aptare velle. Nihil frequentius ab Interpretibus Euangeliorum, in Parabolis Christi elucidandis annotatum reperies. Quocirca nihil necesse est vt lamenta regum, mercatorúmque, procul se subducentium à clade Babylonis, quod fieri solet in magnarum vrbium euersionibus, in clade, & ruina ciuitatis diaboli euentura putemus. Sunt enim ea emblemata orationis, cum tota prosopopœia nihil aliud significari Ioanni propositum fuerit, quàm supremum, & sempiternum excidium, colluuionis improborum, lugendum, ac penitus horrendum.

Tertiò, cap. 17. versic. 16. *Et decem cornua quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igne concremabunt.* At decem Reges impij, tantùm abest vt odio habeant collectionem impiorum, aut ipsam exscindant, aut incendio absumant; vt potiùs ipsam diaboli ciuitatem pro viribus tueri, augere, & propagare nitantur, vtpotè cuius ipsi sint præcipua membra. Respondeo. De his decem regibus copiosior nobis futurus est sermo inferiùs, cap. 30.

Nunc sat fuerit annotare, qui Babylonem hîc cœtum impiorum interpretantur, aptè, & commodè hos decem reges intelligere, vniuersitatem regum improborum Christo, & Ecclesiæ aduersantium, præsertim eos, qui extremis mundi temporibus futuri sunt.

Ij ergo Reges in fine mundi ciuitatem diaboli odient, desolabunt, & concremabunt. Quod equidem variis modis exponi potest.

Primò, Quia se mutuò odiis, seditionibus, bellis ciuilibus, cladibus intestinis, præliis consident, distrahent, incendent: quod passim fieri in mundo videmus: sed illo supremo sæculi occasu atrociùs, & crudeliùs fiet: quando, *consurget gens in gentem, & regnum in regnum:* vti Dominus Matth. 24. versic. 27. prædixit. Qua ratione totum ipsum diaboli corpus, impiis regibus, ductoribus, discerpetur, lacerabitur, dissipabitur, gladiósque in viscera sua conuertet. Forsan innuit Ioannes prælium illud magnum Gog, & Magog, de quo Ezechiel 28. versic. 21. *Gladius vniuscuiusque in fratrem suum dirigetur*: vti latiùs lib. 6. cap. 30. illud exponemus.

Secundò, Quòd nimirum Reges impij omnibus aliis diabolicæ colluuionis, ac sibi ipsis cum primis, omnium libidinum, ac flagitiorum genera permittent, laxásque peccandi effundent habenas; suáque auctoritate, vt exemplo ad omnia scelera pellicient, qua ratione rectè dicuntur odire, lacerare, exurere Babylonem, iuxta illud Ioan. 12. versic. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Et Galat. 5. versic. 15. *Quod si inuicem mordetis, & comeditis: videte ne ab inuicem consummamini.*

Tyconius homilia 15. in Apocalyps. *Ideo dixit, quòd odio habbant meretricem, quia homines luxurioſi, superbi, cupidi, & elati, non solùm Sanctos persequuntur: sed etiam seipsos odio habent: in quibus impletur quod scriptum est Psalm. 10. versic. 5. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Et carnes eius edunt. Hoc ideo: quia se inuicem secundùm Apostolum mordent, & comedunt, Galat. 5. vers 15.*

Primasius: *Odio insectabunt meretricem: quod gemino modo intelligi potest, siue quia, sicut legimus Prouerb. 13. versic. 10. Inter superbos semper iurgia sunt, siue quia omnis qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Qui enim sibi nequam, cui bonus? Et carnes eius deuorábunt, & ipsam igne cremabunt. Illi nocentes, qui in me insurgunt, vt edant carnes meas; suas manducabunt, & igne cremabunt. Postea quam eorum excessibus Deus ad iracundiam prouocatus, desolauerit mundum: ipsos dicit facere, quod in ipsis iure contigerit.*

Andreas: *Diabolus mortalium hostis, scelerúmque incensor & vltor, decem illa cornua sibi obnoxia impellet & inflammabit, vt populosam illam ciuitatem, à diuinis præceptis exfornicatam, ipsiúsque voluptati seduló obsecundantem, in solitudinem redigere, eiusdémque sanguinem, instar carniuoræ belluæ sese explere, animum inducerent.*

S. Beda: *Hi odient fornicariam. Gloriam mundi, quam nunc lasciuo complectuntur amore, maximo tunc incipient odio detestari, cùm se viderint in fine damnandos. Potest & aliter intelligi, siue quòd inter superbos semper iurgia sint: siue quòd omnis qui diligit iniquitatem, odit animam suam.*

Anſbertus: *Vnum igitur, idémque malorum corpus, cùm fornicariam odit, se ipsum odio insequitur: quia sicut scriptum est Psal. 10. vers. 5. qui diligit iniquitatem odit animam suam. Vel certè, quia sicut legimus Prouerb. 13. vers. 10. semper inter superbos iurgia sunt, idcirco reges, & bestia fornicariam odisse, id est, seipsos, narrantur: de quibus per Paulum dicitur Galat. 5. vers. 26. Inuicem inuidentes, inuicem odientes. Vel certè Reges terræ & bestiam, fornicariam odisse est, ipsas carnalium vitiorum illecebras nouissimi examinis die in odium eius conuerti. Sed nihil proderit odisse tunc malum quod fecerunt, quando ipso malo non carebunt.* Eadem fermè Haimo.

Rupertus: *Quis enim nesciat de regibus mundi, quantis odiis semper fuerint inquieti? & cui sua inquietudine fuerint infesti, nisi ipsi cupiditati & gloriæ mundi, cum qua vtique fornicati sunt? &c.*

Gagnæius: *Reges illi impij, & reprobi odient fornicariam, illam videlicet diaboli ciuitatem, videntes se vnà cum ea perituros, & in æterna barathrum damnationis præcipitatum iri. Vbi verò ait, quòd carnes eius manducabunt, & eam igni comburent, quidam hyperbolicam locutionem esse putant, ad odij maiorem vehementiam exprimendam. Alij exponunt, quòd ij reges fornicariam illam impiorum collectionem odio habebunt, quando omnia illis libidinum & flagitiorum genera permittentes, sua auctoritate & imperio ad maiorem semper impietatem concitabunt: quomodo qui animam suam amat, & talia illi indulget, perdere eam, ac verè odisse in Euangelio dicitur. Et desolatam facient eam, ac nudam, destitutam scilicet, & nunc bonis operibus & fide: & olim futuris gaudiis omnibus. Et carnes eius manducabunt; quia scientes se semel abiectos, & à Deo reprobatos esse, de corporali spirituálique aliorum damnatione gaudebunt, ducentes pro solatio habere sui similes. Et ipsam igni concremabunt: quando suo exemplo in æterna incendia præcipitabunt.* Atque in eandem fermè rationem hunc locum Apocalypsis interpretati sunt Pannonius, Bulengerus, Melus, & alij.

At illud mihi admirationi est, & ægrè facit, quòd

Ribera, Viegas, & alij, communem hanc tot Patrum, & recentiorum Interpretum expoſitionem de Babylone pro impiorum cœtu, nec nouis, nec aliis argumentis euertere conentur, quàm iiſmet-ipſis,quæ & Patres,& recentiores iam & ſibi obiecerunt,& confutarunt: cùm tamen nec Ribera,nec Viegas eas confutationes refellere meminerint. Si obiecta iam à Patribus viſa, & diluta,eos à ſua explanatione tuenda, non deterruerunt,cur nos ergo mouere debent?

Alcaſar verò eandem ineluctabili argumento diſiecit: cuius hæc ſunt verba: *Sed aduerſus hanc exponendi viam militat validiſſimè Apocalypſeos acoluthia, & conſequentia. In qua euidens eſt,deflagrationi Babylonis ſuccedere mille pacis annos: his bella Gogi,& Magogi,quæ ſunt Antichriſti, & eius præcurſorum. Quis ergo non videat nec impiorum omnium multitudinem ante mille illos Eccleſiaſticæ pacis annos finiri? Hoc argumentum ita mihi ſemper firmum,& efficax viſum eſt,vt huius expoſitionis auctores ſi conſequenter loquantur, teneantur ad aſſerendum,nullum in Apocalypſi ordinem & rerum conſecutionem ſeruari.*

Hæc eſt illa Alcaſaris præclara & admiranda libri Apocalypſis acoluthia,noua,nunquam anteà viſa,vel audita, ab ipſo primùm inuenta,& excogitata, quadraginta & amplius annorum laboribus efficta & efformata, vaſta & immani commentariorum mole explicata, plurimis tibicinibus fulta: qua ſola ſæpius ruunt, aut eluduntur variorum Apocalypſis vaticiniorum conſenſu ferè receptæ interpretationes. Fruere tu illa P. Alcaſar: nam mihi ſanè nunquam perſuadebis, ſi ſapio. Vnde, rogo, didiciſti in Prophetarum oraculis, cuius generis eſt Apocalypſis, ordinem,& acoluthiam continentem totius libri tenere? Non id te docuit S. Hieronymus, qui princeps eſt in explanatione Prophetarum, non reliqui Patres, non doctiſſimi quique recentiores. In S. Hieronymo paſſim illæ voces occurrunt. *In Prophetis nequaquam ordo ſeruatur: Aliud enim eſt hiſtoriam,aliud prophetiam ſcribere: Ne ſi ordinem Scriptura conſeruet, non ſit vaticinium, ſed narratio.* Et de Apocalypſi ſingulariter Victorinus: *Nec aſpiciendus eſt ordo dictorum, quoniam ſæpè Spiritus ſanctus, vbi ad nouiſſimi temporis finem percurrerit, rurſus ad eadem tempora redit, & ſupplet ea quæ minùs dixit. Nec requirēdus eſt ordo in Apocalypſi, ſed intellectus. Sequendus eſt enim & ipſe Propheta.* At hæc ſunt omnibus perſuagatiſſima, de quibus plenè diſſeruere Laurentius Villauincentius lib. 2. de ratione ſtudij Theologici, cap. 13. obſeruat. 5. & 6. Martinus Cantapetrenſis lib. 5. Hypotypoſeon, cap. 1. col. 363. Chriſtophorus Caſtrius in Iſagoge ad Ieremiam, c. 3. Pererius diſp. 7. & 9. in Apocal. & innumeri alij. Vidi quæ diſputas notat 9. Procemiali: ſed, planiſſimè dico, ſunt vaniſſima. Ignoſce, nam ita loqui coëgit me veterum notarum, receptarum, præſertim etiam conſenſu auctorum tuæ Societatis approbatarum, Apocalypſis interpretationum amor,& veneratio. Ergo nuda,& ſola acoluthia tua,vis tot Patrum & recentiorum explanationem cadere de Babylonia ciuitate impiorum? nugæ, non tam obtuſa geſtamus ingenia, vt te id obtinere poſſe putemus. Annotatione 20.& 21. ſpondes Apocalypſis tuam explicandi rationem te tueri abſque vlla iniuria grauiſſimarum expoſitionum. Si præſtitiſſes, fuiſſet vtcumque tolerabile: at cùm ad particularia deſcendis,promiſſa non ſeruas: ecce nunc cum tua acoluthia,grauiſſima Patrum, & recentiorum expoſitio de Babylone pro cœtu improborum,ſtare neutiquam poteſt,vt tu ingenuè fateris. Quid ergo æquius eſt vt concidat, num Patrum,& Recentiorum grauiſſima interpretatio,an tua acoluthia à te primùm inuenta & concinnata? Scio,Pater,ſcio,plura Scripturæ loca plures ferre ſenſus litterales: ſed non qui ſe mutuò deſtruant,& vnus cum alio ſtare non poſſit. Scio in Scripturis eſſe comparationes, ſed non quæ rem comparatam & veritatem ipſam euertant. Verùm non ſemel nobis tecum deinceps futurus eſt ſermo.

Exiſtimarunt alij Babylonem Apocalypſis eſſe vrbem Romam.

CAP. IV.

TErtullianus aduerſus Iudæos, cap. 9. *Sic & Babylon apud Ioannem noſtrum, Romanæ vrbis figuram portat: proinde & magnæ, & regno ſuperbæ,& Sanctorum debellatricis.* Et lib. 3. in Marcionem, c. 13. *Sic & Babylon etiam apud Ioannem noſtrum, Romanæ vrbis figura eſt: proinde magnæ, & regno ſuperbæ, & Sanctorum Dei debellatricis.*

S. Hieronymus Præfat. in libros Didymi de Spiritu ſancto; *de Roma*, inquit: *Cùm in Babylone verſarer, & purpuratæ meretricis eſſem colonus, & iure Quiritum viuerem.* Et epiſt. 151. ad Algaſiam, q. 11. *Nec vult apertè* Paulus *dicere Romanum Imperium eſſe deſtruendum,quod ipſi qui imperant æternum putant. Vnde ſecundùm Apocalypſim Ioannis, in fronte purpuratæ meretricis ſcriptum eſt nomen blaſphemiæ, id eſt, Romæ æternæ.* Et in Iſaïæ 47. *Non ipſam Babylonem quidam,ſed Romanam vrbem interpretantur,quæ in Apocalypſi Ioannis, & in Epiſtola Petri, Babylon ſpecialiter appellatur.* Et epiſt. 17. Paulæ & Euſtochij ad Marcellam,vt commigret Bethlehem: *Et hic puto locus ſanctior eſt Tarpeia rupe, quæ de cælo ſæpiùs fulminata oſtendit, quod Domino diſpliceret. Lege Apocalypſim Ioannis,& quid de muliere purpurata,& ſcripta in fronte eius blaſphemia, ſeptem montibus, aquis multis,& Babylonis cantetur exitu,contuere. Exite,inquit Dominus,de illa populus meus,& ne participes ſitis delictorum eius: & de plagis eius non accipiatis. Fugite de medio Babylonis, & ſaluate vnuſquiſque animam ſuam. Cecidit enim,cecidit Babylon magna,& facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi. Eſt quidem ibi ſancta Eccleſia, ſunt trophæa Apoſtolorum & Martyrum: eſt Chriſti vera confeſſio, eſt ab Apoſtolo prædicata fides,& gentilitate calcata, in ſublime ſe quotidie erigens vocabulum Chriſtianum: ſed ipſa ambitio, potentia, magnitudo vrbis, videri & videre,ſalutari,& ſalutare,laudare, & detrahere, vel audire,vel proloqui, & tantam frequentiam hominum ſaltem inuitum videre, à propoſito Monachorum, & quiete aliena ſunt.*

Andreas c. 52. in Apoc. enarrans illud Apoc. 17. *Veni & oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ,* ait: *Hanc meretricem quidam veterem Romam deſignare putant, vt quæ ſuper ſeptem colles exædificata tradatur.* Et cap. 54. *Plerique veteres Eccleſiæ Doctores hæc contra eam Babylonem prædicta tradunt,quæ apud Romanos extat: cùm ob alia,tum verò maximè quòd in quarta Beſtia, nempe in Romano Imperio viſa ſint decem cornua, è quibus vnum inde enatum, tria mox radicitus euertit: cetera verò ſibi ſubiungat.*

Aretas c. 53. in Apoc. ad verba illa c. 17. *Oſtendam tibi iudicium meretricis magnæ,* inquit: *Nonnulli verò alij huius Apocalypſis interpretes,per meretricem,antiquam intellexere Romam.*

Primasius ad illud Apocalyps.17. *Habentem capita septem, & cornua decem,* scribit: *Propterea autem septem capita, septem montes, per sapientiæ sensum monet consequenter intelligi, vt Romam, quæ super septem montes præsidet, significans, omni quondam orbi Monarchiæ præfuit dominatu, ad istorum regum similitudinem adduxisset, & in Romæ nomine totius regni potentiam figuraret.*

Ansbertus in Apoc.17. eadem ferè Primasij verba transcribens, ait: *Propterea autem septem capita, septem montes decémque reges esse per Sapientiæ sensum in subsequentibus cognoscere Angelus monuit: vt ad istorum regum similitudinem, Romam, quæ super septem montes præsidens, omni quondam orbi Monarchiæ præfuit dominatu, se adduxisse ostenderet: atque in ipsius ciuitatis nomine totius terreni regni potentiam figurasse.*

Victorinus in Apocalyps. *Capita septem, montes sunt, in quibus mulier sedet, id est, ciuitas Romana.* Et posteà: *Et vidi inquit Ioannes, mulierem ebriam de sanguine Sanctorum. Decreto Senatus illius consummatæ malitiæ, & omnem contra Fidei prædicationem etiam latam indulgentiam, ipse dedit decretum in vniuersis gentibus.*

Ambrosiastes in 17. Apocalyps. *Meretrix ista in aliquibus locis Romam specialiter, quæ tunc Ecclesiam Dei persequebatur, demonstrat.* Equidem innumeri recentiorum Babylonem in Apocalypsi Romam significare, magno consensu tradiderunt, Cœlius Rodiginus Lectionum antiq. lib.8.c.11. & lib.18.cap.34. Steuchus in Encomio Vrbis Romæ, Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap.8. Lindanus lib.4. Panopliæ, cap.82. Xystus Senensis lib.2. Bibliothecæ, verbo *Meretricis magnæ*, Pamelius ad lib.3. Tertulliani in Marcionem, n.98. Treius in 2.Thessal.2. Genebrardus lib.3. Chronographiæ, pag. 436. Victorius in Scholiis epist. 17. S. Hieronymi, Bellarminus de Romano Pontifice lib.2.c.2. & lib.3. cap.13. Baronius Annali 1. anno Christi 45.num.16. Suarez tom.2.in 3.part.S.Thomæ, disp.56. sect.2. & lib.5. contra Anglicanos errores, cap. 4. & 7. Alphonsus Mendoza in Quodlibetis, quæst.4. Scholastica, §.6. Guillielmus Estius in 4.sentent. distinct.47. §.9. Henricus Henriquez de Fine Hominis, cap. 23. §. 3. Ioannes Maldonatus in 7. Daniel. vers.7. Iustinianus in 2 Thessal.2. ad vers. 3. Cornelius à Lapide in 2. Thessalon. 2. ad vers.8. Gregorius de Valentia tom.4. disput.11. quæst.2. punct.2. §.3. Lorinus ad 1.Petri 5.vers.13. Lessius de Antichristo, demonstrat.12. Becanus de Antichristo, cap.1. Coquæus ad 18. de Ciuit. Dei, cap.2[illegible]. Florimundus de Antichristo, cap.26. Ferrerius de Antichristo, cap.33. Ribera, Sà, Viegas, Alcasar, in 14. & 17. Apocal. Neque ab hac interpretatione abludit Gagnæius ad finem 17. Apocalyps. quem sequitur Petrus Bulengerus.

Nec mirum, tot auctores Babylonem Apocalypsis Romam exposuisse, cùm in multis Roma Babyloni fuerit quàm simillima, vt rectè cum illa nomen quoque communicauerit. Sanctus Augustinus 18.de Ciuit.Dei, cap.2. *Babylonia quasi prima Roma, & ipsa Roma quasi secunda Babylonia est.* & cap.22. *Ne multis morer, condita est Roma velut altera Babylon, & veluti prioris filia Babylonis, per quam Deo placuit orbem debellare terrarum.* Multa in eandem sententiam adnectit: & plura adhuc Orosius lib.2. cap.2. & 3. atque inter alia: *Ecce similis Babyloniæ artus & Romæ, similis potentia, similis magnitudo, similia tempora, similia bona, similia mala: tametsi non similis exitus, similisve defectus. Illa enim regnum amisit, hæc retinet: illa interfectione Regis orbata, hæc incolumi Imperatore secura est. Et hoc quare? Quoniam ibi in Rege, libidinum turpitudo punita, hîc Christianæ Religionis continentissima æquitas in Rege seruata est. Ibi absque Religionis reuerentia, auiditatem voluptatis licentia furoris impleuit: hîc & Christiani fuêre qui parcerent, & Christiani quibus parcerent, & Christiani propter quorum memoriam, & in quorum memoria parcerent.* Rectè tu quidem Orosi, de clade Romæ sub Alarico Rege Gothorum: at si Roma à Deo desciscat suus eam Babylonis consimilis exitus fortasse manebit. Etverò qui Babylonis Romæque res, casus, euenta contulerit, inueniet in Roma viuam propemodum Babylonis effigiem. Cæsar Bulengerus lib. 1. de Imperatore Romano, cap.2.& Ortelius in Thesauro Geographico annotarunt, Auctorem libri de Limitibus agrorum à Turnebo editum, Babylonem Romam non semel vocare, nimirum ob amplitudinem. In Pseudosibyllinis lib. 5. Roma Babylon dicitur istis versibus de Nerone:

——Perdet multos, miserámque parentem.
Aufugiet Babylone malus rex, horribilísque.

Et iam lib.3.cap.17. demonstrauimus à S.Petro Apostolo Romæ Babylonis nomen affictum.

Atqui sacrum Euangelistam Romam Babylonis nomine designasse, cùm multa persuadeant, de quibus in sequentibus, illa cum primis videntur euincere. Primum, cap.17.9. *Septem capita, septem montes sunt super quos Mulier sedet.* Id quidem propriè nonnisi in Romam competere facilè quisque in animum inducet: quæ, vt omnes norunt, super septem montes, seu colles fundata fuit. M. Varro: *Vbi nunc est Roma septem montium demissior infimus locus.* Dionysius Halicarnasseus lib.4. *Ceterùm Seruius Tullius postquam septem colles imo muro complexus est, in quatuor regiones vrbem diuisit, & ab ipsis collibus vnamquamque denominauit, primam Palatinam, secundam Suburanam, tertiam Collatinam, quartam Exquilinam.* Plinius lib.3.c.5. *Mœnia eius collegêre ambitu, Imperatoribus, Censoribúsque Vespasianis, anno Conditæ DCCCXXIIX. passuum XIII.* (emendant Lipsius Bulengerus XXIII.) *MCC. complexa montes septem: ipsa diuiditur in regiones XIV. compitalarium CCLXV.*

Virgilius Æneidos 6.

Septémque vna sibi muro circumdabit arces.

Ouidius 1. de Tristibus, Elegia 4.

Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus, Imperij, Roma, Deúmque locus.

Statius lib. 1. Silua 2.

——Septem geminæ mœnia Romæ.

Et Silua 5.

——Septena culmina.

Et lib. 2. Silua vltima:

Sed septem iuga, Martiúmque Tibrim.

Et lib. 4. Silua 3.

Septem montibus admouere Baïas.

Propertius lib. 3. Elegia 10.

Septem vrbs alta iugis, toti quæ præsidet orbi.

Silius lib. 19. Belli Punici:

——Septémque arces fumare videntur.

Martialis lib. 4.

Hinc septem dominos videre montes.

Claudianus de 6. Consulatu Honorij.

Erexit subitas turres, cinctósque coëgit.
Septem continuo montes iuuenescere muro.

Et de Consulatu Olybrij & Probini:

——Collésque canoris,
Plausibus impulsi septena voce resultant.

Et

Et de Nuptiis Honorij & Mariæ:

Aurea ſeptem geminas
Roma coronet arces.

Et Panegyrico 3. in Stiliconem:

Quæ ſeptem ſcopulis zonas imitatur olympi.

Prudentius Hymno de S. Romano Martyre:

Diuûm fauore cùm puer Mauortius
Fundaret arcem ſepticollem Romulus.

Seruius in illud Æneidos 6.

Septémque vna ſibi muro circumdabit arces.

Annotat: *Benè vrbem Romam dicit ſeptem incluſiſſe montes, & medium tenuit: nam grandis eſt inde dubitatio: & alij dicunt, breues ſeptem colliculos à Romulo incluſos, qui tamen aliis nominibus appellabantur. Alij volunt, hos ipſos qui nunc ſunt, à Romulo incluſos, id eſt, Palatinum, Quirinalem, Auentinum, Cælium, Viminalem, Exquilinum, & Ianicularem. Alij verò volunt, hos quidem fuiſſe, aliis tamen nominibus appellatos, quæ mutata ſunt poſteà.* At quo quiſque tempore, & à quibus regibus ij montes muris Vrbis incluſi fuerint, domibus inædificatis, ex Varrone, Dionyſio, Liuio, Feſto, aliiſque auctoribus abundè docent Leander Albertus in 4. Regione Italiæ, Onuphrius in Roma, Ioannes Roſinus, & Thomas Dempſterus lib. 1. Romanarum Antiquitatum.

Hinc apud Romanos Decembri menſe feſtus dies Septimontium agebatur, à ſeptem nimirum montibus Vrbis. Varro lib. 5. de Lingua Latina: *Dies ſeptimontium nominatus eſt ab eis ſeptem montibus in queis ſita vrbs eſt.* Feſtus: *Septimontio, vt ait Antiſtius Labeo, hiſce montibus Feriæ, Palatio, cui ſacrificium quod fit, Palatuar dicitur; Veliæ, cui item ſacrificium, Fagutali, Suburæ, Cermalo, Oppio, Cælio monti, Ciſpio monti. Septimontium dies appellatur menſe Decembri, qui dicitur in Faſtis Agonalia, quòd eo die in ſeptem montibus fiunt Sacrificia, Palacio, Velia, Fagutali, Subura, Cermalo, Cælio, Oppio, Ciſpio.* Annotant eruditi, mirum eſſe hoc Feſti loco, pro ſeptem montibus, octo loca Vrbis enumerari.

Plutarchus Problemate 69. *Cur feſto die, qui Septimontium dicitur, vſu vehiculorum, quæ iumentis traherentur, antiquitus abſtinuerunt, idque etiamnum obſeruant antiquitatis ſtudioſi? Feriæ autem iſtæ inſtitutæ ſunt propter adiectum ſeptimum Romæ collem, quo facta eſt, Septicollis.* Suetonius in Domitiano cap. 4. *Septimontiali ſacro quidem, Senatui, equitique panariis, plebei ſportellis, cum obſonio diſtributis, initium veſcendi primus fecit.* Tertullianus de Idololatria, cap. 10. *Etiam ſtrenæ captandæ, & Septimontium, & brumæ, & charæ cognationis honoraria exigenda omina, flore ſcholæ coronandæ.* At de Septimontio plura annotarunt, Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib. 6. cap. 11. Lilius Gyraldus de Diis Gentium, Syntagmate 17. Ianus Parraſius epiſt. 57. tom. 2. Theſauri Critici Gruteriani, Hadrianus Iunius in Faſtis, ad iij. Idus Decembris, Ioſephus Scaliger in Caſtigationibus ad Feſtum, Iacobus Pamelius, & Franciſcus Iunius in Notis ad librum Tertulliani de Idololatria, Rudolphus Hoſpinianus de origine Feſtorum, c. 30. Ioan. Guillielmus Stukius lib. 1. Antiq. Conuiualium, cap. 33. Ioannes Roſinus de Antiquitatibus Romanorum, lib. 4. cap. 16. Stephanus Pighius præfat. in 1. Annalium Romanorum, Ioannes Fungerus in Trilingui Etymologico, Ludouicus Cerda in 6. Æneidos, pag. 739.

Deinde Apoc. 17. 18. dicitur: *Et mulier quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.* Non potuit expreſſiùs Romam indicare. Proprium Romæ epithetum, *Magna.* Virgilius 12. Æneidos:

——*Magnæ ſpes altera Romæ.*

Et lib. 5.

——*Hinc maxima porrò*
Accepit Roma——

Et lib. 7.

——*Nunc maxima rerum*
Roma colit.

Et Egloga 1.

Verùm hæc tantùm alias inter caput extulit vrbes,
Quantùm lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Manilius lib. 4. Aſtronomicon:

Italia in ſumma quam rerum maxima Roma
Impoſuit terris, cælóque adiungitur ipſa.

Horatius 1. Satyrarum:

Egreſſum magna me accepit Aricia Roma.

Propertius lib. 4. Elegia 1.

Hoc quodcũq; vides Hoſpes, quã maxima Roma eſt.

Et pulchrè Lucanus 9. Pharſaliæ:

——*Vrbem populis, victiſque frequentem*
Gentibus, & generis (coëat ſi turba) capacem
Humani.——

Illud verò, *quæ habet regnum ſuper reges terræ.* Diſertiſſima eſt periphraſis Romæ. Cicero Orat. poſt reditum in Senatum: *Roma arx omnium terrarum.* Et in Catilinam: *Arx omnium gentium.* Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 1. *Vrbem terræ, mariſque dominam, quam Romani incolunt.*

Erinna Poëtria, quæ ſub Pompei. æuum vixiſſe traditur, de Roma:

Nam dedit ſoli tibi cana Parca
Regium ſceptrum, minimè atterendum:
Vipotens rerum domineris vna,
Imperitéſque.
Ad tuum currum, retinente fræno,
Colla telluris, tumidique ponti
Illigas, & tu populos gubernas
Firma per æuum.

Manilius lib. 4. Aſtronomicon:

——*Condita Roma*
Et propriis frænat pendentem nutibus orbem:
Orbis & imperium retinet.——
——*Et poſitas gentes tollítque, premítque.*

Dionyſius Afer: in Periegeſi:

Romámque genitrix regum dominatur in orbem.

Ouidius 4. Faſtorum:

Vrbs oritur——
Victorem terris impoſitura pedem.

Tibullus lib. 2. Elegia 5.

Roma tuum nomen terris fatale regendis.

Rutilius lib. 1. Itinerarij:

Exaudi Regina tui pulcherrima mundi.

Ammianus lib. 16. cap. 17. *Romam ingreſſus, Imperij, virtutúmque omnium larem.*

Mamertinus in Genethliaco Maximiani: *Ipſa etiam gentium domina Roma.* Cicero Philippica 6. *Populi Romani victoris, Dominique omnium gentium.* Et ad finem: *Quem dij immortales omnibus gentibus imperare voluerunt.* Virgilius 1. Æneidos.

Romanos rerum dominos, gentémque togatam.

Et lib. 7.

——*Quorúmque ab ſtirpe nepotes*
Omnia ſub pedibus vertique, regique videbunt.

Ariſtides Oratione de Laudibus Romæ: *Vt in ſingulis ſit vrbibus, ita vos totum orbem vt vnam ciuitatem adminiſtrantes, omnibus populis magiſtratus datis.* Innumera ſunt in Auctoribus Imperij Romæ in omnes gentis elogia. His adde, quòd Ioannes Græco articulo emphaticè Babylonem appellat:

lat : *Cecidit, cecidit Babylon, illa vrbs, illa magna.* Quis autem neſcit, ſolo & nudo vrbis nomine antonomaſticè non aliam quàm Romam intelligi conſueuiſſe ? quam Athenæus lib. 1. Deipnoſophiſtarum, cap. 17. *Vranopolim*, id eſt, cæleſtem vrbem appellat.

Verùm hîc opportunè monemus, ſi Ioannes, vt plerique exiſtimant, Romam in Apocalypſi Babylonis nuncupatione intelligi voluit, atque de ea tot infanda, & horrenda pronuntiauit, apagè vt ea de ipſa Romana Eccleſia, vel per ſomnium quiſquam cordatus & prudens accipiat. Ioannes diſertiſſimè de vrbe loquitur : at quis non videt aliud eſſe vrbem Romam, aliud verò Eccleſiam in vrbe ipſa exiſtentem ? vrbs enim Romana locus eſt in quo Eccleſia Romana continetur. Vt etiam S. Petrus Romam Babylonis nomine vocans, vrbem ab Eccleſia luculenter diſcreuit, illis verbis : *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone coëlecta.* Fundabatur enim tunc Eccleſia Dei in Vrbe Roma.

Sed neque ipſam vrbem Romam Ioannem Babylonis titulo dehoneſtare potuit, poſtquam ea Vrbs, eiurata idololatria, & omni impietate, ſe Chriſti iugo, ſub Catholicis Principibus & Pontificibus adiunxit, & quandiu ita orthodoxa in vera & ſancta Religione permanſura eſt : perſpicuè ſiquidem diuinus Apoſtolus non niſi de vrbe quadam impia, Eccleſiæ maſtyge, Sanctorum interfectrice, idolorum cultu fœdata loquitur, qualis nimirum Roma fuit temporibus Neronis, Domitiani, & aliorum ethnicorum Principum, Chriſtianæ Religionis hoſtium : & qualis forſitan erit propè finem ſæculi, vt poſteà dicemus : à quibus criminibus quam longiſſimè abeſt Romana vrbs Chriſtiana, & Orthodoxa. Vnde pulchrè ſanctus Hieronymus lib. 2. in Iouinianum extremo : *Sed vt ad te loquar, quæ ſcriptam in fronte blaſphemiam Chriſti confeſſione deleſti, vrbs potens, vrbs orbis domina, vrbs Apoſtoli voce laudata. Interpretare vocabulum tuum, Roma aut fortitudinis nomen eſt apud Græcos, aut ſublimitatis iuxta Hebræos. Serua quod diceris. Virtus te excelſam facit : nam voluptas humilem. Maledictionem quam tibi Saluator in Apocalypſi comminatus es, potes effugere per pœnitentiam.* Et epiſtola 17. ad Marcellam : poſtquam Apocalypſis de Babylone vaticinia in Romam effuſa dixiſſet, adiecit antidotum : *Eſt quidem ibi ſancta Eccleſia, ſunt trophea Apoſtolorum, & Martyrum, eſt Chriſti vera confeſſio, eſt ab Apoſtolo prædicata Fides, & gentilitate calcata, in ſublime ſe quotidie erigens vocabulum Chriſtianum.* Vtcumque ſit, Ioannem de Romana Eccleſia ſub typo Babylonis nullo pacto intellexiſſe, aduerſus Nouatores, à plurimis Recentiorum eſt accuratiſſimè demonſtratum, vt noſtra hîc opera haud poſſit deſiderari. Videndi cum primis Sanderus, Pamelius, Bellarminus, Baronius, Ribera, Suarez, Viegas, Leſſius, Florimundus, Ferrerius, locis ſuperiùs hoc ipſo capite notatis.

Oracula Ioannis de myſtica Babylone non niſi in Romam ethnicam, & impiam conuenire.

CAP. V.

QVæcumque horrenda, pudenda, atque infortunata Ioannes de Babylone, id eſt, Roma in Apocalypſi perſcripſit, nullo pacto de Vrbe Romana Chriſtiana & Orthodoxa, qualis ſub Romanis Pontificibus degit, intelligenda eſſe : ſed de Roma ethnica, & idolorum cultui addicta, qualis erat ſub Nerone, Domitiano, (cuius imperio Ioannes ſuam Apocalypſim condebat) Traiano, Commodo, Decio, Diocletiano, aliiſque ſæuiſſimis Eccleſiæ perſecutoribus, plena abominationibus, & impietatibus, Sanctorum Martyrum ſanguine ebria, omnium vitiorum ſentina, Chriſtiani nominis hoſtis iuratiſſima, & luculentis Apoſtoli verbis oſtendi poteſt.

Cap. 14. 8. *De vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes.* Et cap. 17. 1. *Quæ ſedet ſuper aquas multas : cum qua fornicati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt, qui habitant terram de vino proſtitutionis eius.* Et verſ. 4. *Habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione & immunditia fornicationis eius. Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.* Et cap. 18. 23. *Quia in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes.* Quis neſcit fornicationis vocabulo in Scriptura idololatriam plerumque ſignificari ? Vnde conſtat hæc non de Roma Chriſtiana, ſed de gentili, & idolis dedita dici : quæ multis gentibus imperitans, idololatriæ arx erat, & ampliſſima officina. Arnobius lib. 6. *Ciuitas Maxima, & cunctorum numinum cultrix.* S. Leo ſerm. 1. de Petro & Paulo : *Hæc autem ciuitas cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſeruiebat erroribus : & magnam ſibi aſſumpſiſſe videbatur religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem.* Et poſt alia : *Ibi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum, quidquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum.*

Mirabilis planè eſt locus Polibij lib. 6. de Romanorum ſuperſtitione : *Sed nulla æquè præſtare cæteris populis Romanos arbitror, ac opinione illa quam de diis habent. Atque adeò quæ res apud reliquos mortales vitio vertitur, ea ipſa continere Romanam Rempublicam mihi videtur, ſuperſtitionem dico. Nam quod meritò multi mirentur, vſque eo apud hos ſuperſtitio in maius eſt exaggerata, & cùm in priuatam hominum vitam, tum in publica concilia eſt inducta, vt non queat magis.*

At illud eſt ſanè compertum, Romanos recepiſſe in ſuam vrbem cunctarum ferè gentium deos, præterquam vnum Hebræorum Deum, vti etiam auctor eſt Cicero pro Flacco. Nimirum cunctos falſos colebant : verùm repudiabant. Oenomaus gentilis Philoſophus lib. de Falſitate Oraculorum, apud Euſebium lib. 5. Præparationis Euangelicæ, cap. 15. hæc ſcribit : *Triginta deorum millia in terra eſſe cenſet Heſiodus : ego autem multo plures lapideos, atque ligneos, hominum creatores, ac dominos eſſe video.* De vno Iouis nomine Tertullianus Apologetici, cap. 14. *Romanus Cynicus Varro trecentos Ioues, ſiue Iupiteres dicendum, ſine capitibus introducit.* Suſpicor legendum, *ſuis capitibus*, id eſt, in ſua capita cenſos : nam quæ Iunius comminiſcitur, vana. Minutius in Octauio : *Et ne longius multos Ioues obeam, tot ſunt Iouis monſtra, quot nomina.* Tertullianus Apologetici, c. 10. irridens Romanorum deorum turbam : *Nec ego per ſingulos decurram, tot, ac tantos, nouos, veteres, Barbaros, Græcos, Romanos, peregrinos, captiuos, adoptiuos, proprios, communes, maſculos, fœminas, ruſticos, vrbanos, nauticos, militares (otioſum eſt etiam titulos perſequi) vt colligam in compendium, & hæc non quo cognoſcatis, ſed recognoſcatis : certè enim oblitos agitis.*

Et pulchrè Arnobius lib. 3. aduerſus Gentes : *Ergo eſſe dicendum eſt quoſdam capitones, bilunculos, frontones, labeones : in iis alios mentones, nauimes, atque naſicas :*

naſicas: hos diſſloſis naribus, illos reſimis, nonnullos turgentibus malis, aut buccarum cumulatione ſacriuoces, nanos, longos, medios, macilentos, pingues, craſſos: hos capillorum intorſionibus criſpulos, caluitiis alios & glabritatibus raſos: neque opinari nos falſo, veſtræ & produnt, étque indicant officinæ. Siquidem cum factitis, atque informatis deos, hos crinitos effingitis, alios læues, ſenes, iuuenes, pueros, aquilos, cæſios, rauos, ſeminudos, intectos, aut ne frigus incommodet, fluidarum veſtium ſuperiectione perfuſos.

Verùm ſi Veterum commentaria, & pro Religione Chriſtiana aduerſus ethnicos, præſertim Romanos conſcriptas Apologias euoluamus, vt S. Iuſtini martyris, Athenagoræ, S. Theophili Antiocheni, Tatiani Syri, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis, Minutij, S. Cypriani, Arnobij, Lactantij, & aliorum: reperiemus haud dubiè Romam olim refertiſſimam fuiſſe diis, non ſolum propè innumeris atque ridiculis, ſed abſurdis etiam, & portentoſis, turpibus, pudendis, immanibus, horrendis, atque feralibus. De quibus latiùs vide Michaëlem Medinam lib. 2. de Recta in Deum Fide, cap. 5. Lilium Gyraldum ſeptemdecim integris Syntagmatis de Diis Gentium, Ioannem Roſinum, ac Thomam Demſterum toto lib. 2. Romanarum Antiquitatum.

Aurea quædam Plinij verba de diis Gentium præterire non poſſumus: ſic enim lib. 2. c. 7. philoſophatur: *Innumeros quidem deos credere, atque etiam ex virtutibus, vitiiſque hominum, vt Pudicitiam, Concordiam, Mentem, Spem, Honorem, Clementiam. Fidem, aut, vt Democrito placuit; duos omnino, Pœnam, & Beneficium, maiorem ad ſecordiam accedit. Fragilis & laborioſa mortalitas in partes iſta digeſſit, infirmitatis ſuæ memor, vt portionibus quiſque coleret quo maximè indigeret. Itaque nomina alia aliis gentibus, & numina in iiſdem innumerabilia reperimus: inferis quoque in genera deſcriptis, morbiſque & multis etiam peſtibus, dum eſſe placatas trepido metu cupimus. Ideóque etiam publicè Febri fanum in Palatio dicatum eſt, Orbonæ ad ædem Larium ara, & Malæ Fortunæ Exquiliis. Quamobrem maior cœlitum populus etiam quam hominum intelligi poteſt: cùm ſinguli quoque ex ſemetipſis totidem deos faciant Iunones, Genioſque adoptando ſibi. Gentes verò quædam animalia, aliqua & obſcœna pro diis habent, ac multa dictu magis pudenda, per fœtidos cibos, & alia ſimilia iurantes. Matrimonia quidem inter Deos credi, tantóque auo ex iis neminem naſci, & alios eſſe grandæuos, ſempérque canos, alios inuenes, atque pueros, atricolores, aligeros, claudos, ouo editos, & alternis diebus viuentes, morientéſque, puerilium propè deliramentorum eſt. Sed ſuper omnem impudentiam, adulteria inter ipſos fingi, mox iurgia, & odia, atque etiam furtorum eſſe, & ſcelerum numina.* Potuitne quidquam eruditius ac verius dici ab homine impio, & atheo ad ſternendam idololatriam?

Eadem ipſa iam priùs ſenſiſſe Ciceronem, Lactantius lib. 1. c. 17. ita refert: *Stoicos Cicero ſecutus, de diis, ac religionibus eorum hanc ſententiam tulit: Videtiſne igitur vt à Phyſicis rebus benè atque vtiliter inuentis, tracta ratio ſit ad commentitios ac fictos deos? Quæ res genuit falſas opiniones, errorémque turbulentos, ſuperſtitiones penè aniles: & forma enim deorum nobis, & ætates, & veſtitus, ornatúſque noti ſunt: genera præterea, coniugia, cognationes omnes, omniaque traducta ad ſimilitudinem imbecillitatis humanæ. Quid planiùs, quid verius dici poteſt? Romanæ Philoſophiæ princeps, & ampliſſimo Sacerdotio præditus commentitios, ac fictos deos redarguit: quorum cultus ſuperſtitiones penè aniles eſſe teſtatur: falſis opinionibus erroribúſque turbulentis implicatos eſſe homines queritur. Nam totus liber tertius de Natura deorum, omnes funditus religiones euertit, ac delet.* Pluribus aliis locis Lactantius meminit ſcriptorum Ciceronis quibus falſorum numinum religionem conuellit.

Atqui quòd M. Tullij libri de Natura Deorum, gentilium deos fortiſſimè euerterent, conatos nonnullos Romanorum eos abolere, Arnobius lib. 3. aduerſus gentes, ita teſtatur: *Adduci enim primum hoc vt credamus, non poſſumus, immortalem illam, præſtantiſſimámque naturam diuiſam eſſe per ſexus, & eſſe partem vnam mares, partem eſſe alteram fœminas. Quemquidem locum plenè iam dudum homines pectoris viui, tam Romanis litteris explicauere, quàm Græcis. Et antè omnes Tullius Romani diſertiſſimus generis, nullam veritus impietatis inuidiam, ingenuè, conſtanter, & liberè, quid ſuper tali opinatione ſentiret, pietate maiore monſtrauit. A quo ſi res ſumere indicij veritate conſcriptas, non verborum luculentias pergeritis, perorata eſſet hæc cauſa, nec ſecundas, vt dicitur, actiones, nobis ab infantibus poſtularet. Sed quid aucupia verborum, ſplendorémque ſermonis peti ab hoc dicam, cùm ſciam eſſe non paucos, qui auerſentur, & fugiant libros de hoc eius, nec in aurem velint admittere lectionem opinionum ſuarum præſumpta vincentem? Cúmque alios audiam muſſitare indignanter, & dicere, oportere ſtatui per Senatum, aboleantur vt hæc ſcripta, quibus Chriſtiana religio comprobetur, & vetuſtatis opprimatur auctoritas? Quinimo ſi fidibus exploratum vos dicere quidquam de diis veſtris, erroris conuincite Ciceronem, temeraria, & impia dicta refellitote, redarguite, reprobate: nam intercipere ſcripta, & publicatam velle ſubmergere lectionem, non eſt deos defendere, ſed veritatis teſtificationem timere.* At de his ſatis, in quæ diuertiſſe, non fuit ingratum.

Addit inſuper Ioannes cap. 17. 6. *Babylonem*, id eſt, Romam fuiſſe *ebriam de ſanguine Sanctorum, & Martyrum Ieſu.* Et cap. 18. 24. *Et in ea ſanguis Prophetarum, & Sanctorum inuentus eſt: & omnium qui interfecti ſunt in terra.* Quod in nullam vrbem aptiùs quàm in Romam conuenire videtur, qualis erat tempore illo, quo Ioannes Apocalypſ. videbat, ac poſteà ſub multis principibus fuit, nimirum populi Dei ſæua trucidatrix, martyrum Ieſu ſanguine madens. Nam præterquam quod duo illa mundi lumina Petrum & Paulum effodit, in nulla parte terrarum truculentiores Chriſtianorum carnificinæ extiterunt, vt Romæ. Et vt interim omittamus innumerabiles Martyres in variis Prouinciis, & vrbibus à Romanis Præſidibus trucidatos, quorum omnium ſanguinem verè ipſa Roma fudiſſe cenſenda eſt: neque nunc enumeratis ſingulis martyribus Romæ paſſis, qui tamen vaſto numero reperiuntur: maiores tantùm quaſdam ſummas Romæ coronatorum martyrum, ex publicis ipſis Eccleſiæ tabulis, hoc eſt, Romano Martyrologio, delibare viſum eſt, quod & ſolatio, & voluptati erit.

I. Ianuarij: *Romæ via Appia coronæ ſanctorum militum triginta martyrum ſub Diocletiano Imperatore*: Idem habent Martyrologia S. Bedæ, Vſuardi, S. Adonis, Notkeri.

II. Ianuarij: *Romæ commemoratio plurimorum Sanctorum martyrum, qui ſpreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi ſacri codices iubebantur, potiùs corpora carnificibus, quàm ſancta dare canibus maluerunt.*

XIII. Ianuarij : *Romæ via Lauicana coronæ Sanctorum militum quadraginta, quas sub Gallieno Imperatore pro confessione veræ fidei percipere meruerunt.* Eadem S.Beda, Vsuardus, S.Ado, Notkerus.

IX. Februarij: *Romæ passio sanctorum martyrum, Alexandri, & aliorum triginta octo coronatorum.*

XVII. Februarij : *Romæ passio S.Faustini, quem alij quadraginta quatuor secuti sunt ad coronam.*

I. Martij : *Romæ Sanctorum Martyrum ducentorum sexaginta quos iussit primò Claudius pro Christi nomine damnatos extra portam Salariam arenam fodere, deinde in Amphitheatro militum sagittis interfici.* Eadem S.Beda, Vsuardus, S.Ado, Notkerus.

II. Martij : *Romæ plurimorum Sanctorum Martyrum, qui sub Alexandro Imperatore, & Vlpiano Præfecto diu cruciati ad extremum capitali sententia damnati sunt.* Eadem S.Beda, Vsuardus, S. Ado, Notkerus.

IV. Martij : *Romæ via Appia Sanctorum Martyrum nongentorum, qui positi sunt in Cœmiterio ad S. Cæciliam.* Eadem S. Beda, Vsuardus, S. Ado, Notkerus.

XIV. Martij : *Romæ Sanctorum quadraginta septem Martyrum, qui baptizati sunt à Beato Apostolo Petro, cùm teneretur in custodia Mamertini cum Coapostolo suo Paulo, vbi nouem menses detenti sunt: qui omnes sub deuotissima fidei confessione Neroniano gladio consumpti sunt.* Eadem S. Beda, Vsuardus, S.Ado, Notkerus : & Acta SS.Processi & Martiniani apud Surium tomo 4.

XXV. Martij : *Romæ Sanctorum ducentorum sexaginta duorum Martyrum.* Adito Notas Baronij.

X. Aprilis : *Romæ natalis plurimorum Sanctorum Martyrum, quos Sanctus Alexander Papa, cùm detineretur in carcere baptizauit. Hos autem omnes Aurelianus Præfectus naui vetustæ impositos, in altum mare deduci, & illic ligatis ad colla lapidibus mergi præcepit.* Eadem S.Beda, Vsuardus, S.Ado, Notkerus, & Acta S.Alexandri Papæ apud Surium tomo 3.

XXIV. Aprilis : *Romæ Sancti Sabæ ductoris militum, qui accusatus quòd Christianos in carcere detentos visitaret, coram Iudice Christum liberè professus est : à quo facibus adustus, in lebetem picis feruentis iniectus, cùm euasisset illæsus, eo miraculo Septuaginta viros ad Christum conuertit : qui omnes in confessione fidei constanter permanentes, gladio cæsi sunt: postremò ipse demersus in flumen, martyrium consummauit.* Eadem habet & fusiùs Menologium Græcorum.

XXVI. Aprilis : *Romæ Sancti Marcellini Papæ & Martyris, qui sub Diocletiano pro fide Christi vnà cum Claudio, Cyrino, & Antonino capite truncatus est : quo tempore magna fuit persecutio, ita vt intra vnum mensem decem & septem millia Christianorum Martyrio coronarentur.* Eadem S.Beda, Vsuardus, S.Ado, Notkerus, eadem die : Rabbanus verò in suo Martyrologio 26. Maij.

X. Maij : *Romæ beati Calepodij presbyteri, & Martyris, quem Alexander Imperator gladio fecit occidi, & corpus eius per ciuitatem trahi, atque in Tiberim iactari : quod inuentum Callistus Papa sepeliuit. Decollatus est etiam Palmatius Consul cum vxore & filiis, & aliis promiscui sexus quadraginta duobus de domo sua. Simplicius quoque Senator cum vxore, & sexaginta octo de familia sua. Item, & Felix cum vxore sua Blanda : quorum capita suspensa sunt per diuersas portas Vrbis ad exemplum Christianorum.* Eadem S. Beda, Vsuardus, S.Ado. Rabbanus, Notkerus.

XXVI. Maij : *Romæ Sanctorum Martyrum Simitrij presbyteri, & aliorum viginti duorum, qui sub Antonino pio passi sunt.* Eadem S.Beda, Vsuardus, S.Ado, Notkerus.

XVII. Iunij : *Romæ natalis Sanctorum ducentorum, & sexaginta duorum Martyrum, qui in persecutione Diocletiani pro fide Christi necati, positi sunt via Salaria veteri ad Cliuum Cucumeris.* Eadem S.Beda, Vsuardus, S. Ado.

XXIV. Iunij : *Romæ commemoratio Sanctorum plurimorum Martyrum, qui sub Nerone Imperatore de vrbis incendio per calumniam accusati, diuerso mortis genere, ab eodem iussi sunt sæuissimè interfici: quorum alij ferarum tergis contecti, laniatibus canum expositi sunt, alij crucibus affixi, alique incendio traditi, vt vbi defecisset dies in vsum nocturni luminis vrerentur. Erant hi omnes Apostolorum discipuli, & primitiæ Martyrum, quas Romana Ecclesia, fertilis ager Martyrum, ante Apostolorum necem transmisit ad Dominum.* Fidem perspicuam iis astruunt Tacitus Annali 15. Suetonius in Nerone, cap. 19. Seuerus Sulpitius lib. 2. Sacræ Historiæ.

Eadem XXIV. Iunij : *Romæ Sanctorum Martyrum Fausti, & aliorum viginti trium.* Eadem S. Beda, Rabbanus.

IX. Iulij : *Romæ ad Guttam iugiter manantem natalis Sanctorum Martyrum Zenonis & aliorum decem millium ducentorum trium.* Eadem S. Beda, Vsuardus, S.Ado, Notkerus.

XXIX. Iulij : *Romæ Sanctorum Martyrum Lucillæ, & Floræ virginum, Eugenij, Antonini, Theodori, & sociorum decem & octo, qui sub Gallieno Imperatore illustre Martyrium obierunt.* Vide de his Ioannem Molanum in Additionibus ad Vsuadum, & Baronij Notas.

I. Augusti : *Romæ via Latina Sanctorum Martyrum Boni Presbyteri, Fausti, & Mauri, cum aliis nouem, in Actis Sancti Stephani Papæ describuntur.* Eadem Vsuardus hac die, & Græcorum Monologium 2. Augusti.

V. Augusti : *Romæ passio Sanctorum Martyrum viginti trium, qui in persecutione Diocletiani via Salaria veteri, capite truncati, ibidem sepulti sunt ad Cliuum Cucumeris.* Hos memorant Acta SS.Martyrum Abundij, & Abundantij, quæ Notis illustrata ediderunt Romæ Patres Societatis Iesu, anno 1584.

VII. Augusti : *Romæ Sanctorum Martyrum Petri & Iuliani cum aliis decem & octo.* Eadem S.Beda, Vsuardus, S. Ado, Notkerus.

X. Augusti : *Romæ passio Sanctorum centum sexaginta quinque militum Martyrum sub Aureliano Imperatore.* Eadem S.Beda, Vsuardus, S.Ado, Notkerus.

XIII. Augusti: *Romæ beati Hippoliti Martyris, qui pro confessionis gloria sub Valeriano Imperatore, post alia tormenta, ligatis pedibus ad colla indomitorum equorum, per cardetum & tribulos crudeliter tractus, toto corpore lacerato emisit spiritum. Passi sunt etiam eodem die beata Concordia eius n trix, & alij decem & nouem de domo sua, qui extra portam Tiburtinam decollati sunt, & vna cum eo in agro Verano sepulti.* Eadem S.Beda, Vsuardus, S.Ado, Rabbanus, Notkerus, & Acta S.Laurentij apud Surium t.4.

XIV. Septembris : *Romæ via Appia beati Cornelij Papæ & Martyris, qui in persecutione Decij post exilij relegationem, iussus est plumbatis cædi, & sic cum aliis viginti & vno promiscui sexus decollari. Sed & Serealis miles cum Salustia vxore sua, quos idem Cornelius in fide instruxerat, eodem die capite plexi sunt.* Eadem S.Beda, Vsuardus, S. Ado, Rabbanus, Notkerus.

XXVI. Septembris : *Romæ Sancti, Callistrati Mar*

Martyris,& aliorum quadraginta nouem militum,qui in perſecutione Diocletiani, cùm Callistratus inſutus culeo,& in mare demerſus,Dei ope euaſiſſet incolumis, conuerſi ad Chriſtum,cum eo pariter Martyrium ſubierunt. Eadem Menologium Græcorum 27.Septembris, & Acta eorundem Martyrum apud Surium tomo 5.

I. Octobris: *Romæ beati Aretæ Martyris, & aliorum quingentorum quatuor.* Eadem Vſuardus.

XXV. Octobris: *Romæ natalis Sanctorum quadraginta ſex militum, qui ſimul baptizati à Dionyſio Papa, mox iubente Claudio Imperatore decollati ſunt, ac Via Salaria ſepulti: vbi & alij Martyres centum viginti & vnus poſiti ſunt: inter quos fuerunt quatuor milites Chriſti,Theodoſius,Lucius, Marcus,& Petrus.* Eadem S.Beda,Vſuardus,S.Ado, Rabbanus, Notkerus.

III. Decembris: *Romæ Sanctorum Martyrum Claudij tribuni, & vxoris eius Hilariæ, ac filiorum Iaſonis & Mauri cum Septuaginta militibus: ex quibus Claudium iuſſit Numerianus Imperator ingenti ſaxo alligatum in flumen præcipitem dari, milites verò, & filios ipſius Claudij capitali ſententia puniri.* Eadem S. Beda, Vſuardus, S.Ado, & Acta SS. Martyrum Chryſanthi, & Dariæ apud Surium tomo 5.

XV. Decembris: *Romæ Sanctorum Martyrum Irenei, Antonij, Theodori, Saturnini, Victoris, & aliorum decem & ſeptem.*

XXII. Decembris: *Romæ via Lauicana inter duas Lauros, natalis Sanctorum triginta Martyrum, qui omnes vna die in perſecutione Diocletiani Martyrio coronati ſunt.* Eadem habent S.Beda, Vſuardus, S.Ado, Rabbanus in ſuis Martyrologiis. Cernis igitur perſpicuè, quanto Martyrum ſanguine pagana olim Roma inundauerit. Quod & Prudentius Periſtephanôn Hymno 11.diſertè cecinit.

Non contentus humum celſæ intra mœnia Romæ
Tingere iuſtorum cædibus aſſiduis.
Ianiculum cùm iam madidũ,Fora,Roſtra,Suburram
Cerneret eluuie ſanguinis effluere.

Thomas Bozius lib.7. de ſignis Eccleſiæ, c.5. annotauit: *Numerari plura in Vrbe ſola quàm trecenta Martyrum millia.* Sed præſtitiſſet tam certi numeri certum prodidiſſe auctorem. Immanem tamen eſſe multitudinem non eſt dubium: conſtátque viginti ſeptem Summos Pontifices Martyrio occubuiſſe. Ergo quàm verè, quàm aptè Ioannes Romam Sanctorum ſanguine ebriam affirmauit.

Pergit diuinus Apoſtolus Apocalyp. 17. 3. *Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ.* Beſtiam coccineam proculdubio regnum diaboli appellauit,cui Roma præſidet coccineum rectè dictum,vel propter crudeliratem, quaſi cruentum, & ſanguinarium: vel propter opes, delitias, luxum, faſtum, ſuperbiam, quæ coccini appellatione, veluti ſymbolo ſignificantur. Victorinus: *Sedere autem eam ſuper beſtiam rufam, actricem homicidiorum, diaboli imago eſt.* Addit verſ. 4. *Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis.* Superbas diuitias, & exquiſitiſſimum faſtum hæc indicant: & de nulla vrbe rectius aut verius dici potuerunt, vt de Roma gentili, quum rerum potiebatur, quæ in hoc luxuriæ genere cunctas vicit vrbes. Percurramus ſingula, circumdata purpura. Plinius lib. 9. c. 39. *Purpuræ vſum Romæ ſemper fuiſſe video. Nepos Cornelius qui D. Auguſtini principatu obiit: Me, inquit, iuuene violaceæ purpura vigebat, cuius libra denariis centum vænibat: nec multo poſt rubra Tarentina. Huic ſucceſſit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Hac P. Lentulus Spinter Ædilis Curulis primus in prætexta vſus improbabatur. Quæ purpura quis non iam, inquit, Tricliniaria facit? Spinter Ædilis fuit vrbis conditæ anno Septingenteſimo, Ciceronе Conſule. Dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta eſſet.* At de Tyria purpura, & qualiter ea primum inuenta fuit, Iullius Pollux Onomaſtici lib. 1. cap.4.Achilles Tatius de Amoribus Clitophontis & Leucippes lib.2. pag.35. & 36. Nonnus Panopolitanus lib.40. Dionyſiacon, Caſſiodorus lib.1. Variarum, epiſt. 2. Cedrenus in Annalibus pag.15. ſeu fabulam, ſeu narrationem mirabilem inſtruunt. Vſum purpuræ notum olim, nunc ignorari, docent Guido Pancirolus, & Henricus Salmuth in Deperditis, cap. 1.

Seneca Conſolatione ad Heluiam cap. 11. *Saturatam multo conchylio purpuram,intextam auro, variiſque coloribus diſtinctam & artibus.* Petronius in Satyrico, pag.156. de vitiis Romanis:

Aſſyria concham laudabat miles in vnda
Quæſitus tellure nitor certauerat oſtro.

Mirum quàm variè primum verſum Critici torſerint. Henricus Stephanus, *Heſperiæ coccum laudabat miles in ora.* Coccum præcipuè Hiſpaniæ eſſe, ſcribit Plinius lib. 9. cap. 41. & lib.16. c. 8. Et cur non illis in mentem venit, Et Tyria conch. l. m. i. vnda? Purpuram verò maximè fuiſſe Romanorum Imperatorum, qui etiam naſcebantur, & educabantur in purpura, vnde dicti Porphyrogeniti pluribus docet Cæſar Bulengerus lib.2.de Imperatore Romano,cap.4. & 9.

Et inaurata auro. Seneca epiſt. 95. *Auro tecta perfundimus.* Et conſolatione ad Heluiam,1.cap.10. *Quorum tecta nondum auro fulgebant.* Plinius libro 33. cap. 3. *Nero Pompeij Theatrum operuit auro in vnum diem, quod Tyridati regi Armeniæ oſtenderet. Et quota pars ea apparatus fuit Aureæ domus ambientis vrbem.* Manilius lib.4. Aſtronomicôn:

—Triclinia templis
Concertant, tectique auro, iam veſcimur aurum.

Et cur Lipſius vult, *veſcimur auro?* cùm illud ſit ſignificantius, *iam veſcimur aurum.* Quaſi, iam mandimus aurum, præ opulentia & luxu. Phauorinus apud Gellium lib.15. cap. 8. *Si proportione pergit luxuria creſcere, quid relinquitur, niſi vt delibari ſibi cœnas ineant, quando ſtratus auro, argento, purpura amplior aliquis hominibus, quàm diis immortalibus adornatur.* Ita hunc locum reſtituit Scaliger in Manilium.

Plinius lib. 33. cap. 3. *At Hercules, idem tu Brute, mulierum pedibus aurum geſtari tacuiſti. Habeant feminæ in armillis, digitiſque totis, collo, auribus, ſpiris: diſcurrant catenæ circa latera, & incerta margaritarum pondera è collo dominarum auro pendeant, vt in ſomno quoque vnionum conſcientia adſit: etiamne pedibus induitur.* Et inferiùs: *Nos vidimus Agrippinam Claudij Principis, edente eo nauali prælij ſpectaculum, aſſidentem ei, indutam paludamento ex auro textili ſine alia materie.* Et cap. 11. *Lectos verò mulierum iam pridem totos operiri argento, & triclinia quædam, quibus argentum addidiſſe primus traditur Caruillius Pollio eques Romanus. Idem & aureos fecit.* Et ſub initium eiuſdem cap. *Noſtráque ætate Poppæa coniunx Neronis Principis delicatioribus iumentis ſuis ſolcas ex*

auro quoque induere solebat. Et lib.33. cap.3. *Messalla orator prodidit Antonium III. Virum aureis vsum vasis in omnibus obcœnis desideriis, pudendo crimine etiam Cleopatræ.* Martialis in Bassum:

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro,
Basse bibis vitro.

Lamptidius in Heliogabalo: *Onus ventris auro excepit: in myrrhinis & onychinis minxit.* Illud portento simile quod de eodem idem auctor prodit: *Scrobe auri porticum strauit, & argenti, dolens, quòd non posset & electri: idque frequenter quacumque fecit iter pedibus, vsque ad equum, vel carpentum, vt fit hodie de aurosa arena.* Herodianus libro 5. de pompa qua idem Antonius deum suum ex vrbe in suburbanum templum transtulit: *Totúmque iter ita retrorsum currens, ac deum semper aspectans confecit. Ac ne caderet, laberetúrue, ignarus quò tenderet, aurosam substrauerant arenam plurimam, militésque eum vtrinque retentabant quo tutiùs retrocederet.* Eiusmodi luxum Romanis obiectat Synesius de Regno: *Imo verò neque pauimentum ipsum vobis tolerabile est, neque si in nudo solo ambuletis: sed spargenda aurosa terra, quam exulterioribus continentibus vehicula vobis, & arcuariæ naues aduehunt: nec aspernandus eorum est exercitus, qui fossitium hunc puluerem respergunt.*

Et lapide pretioso, & margaritis. Seneca epist. 110. *Sed in quodam apparatu vidi totas opes vrbis cælatas ex auro, & argento, & iis quæ pretium auri, argentíque vicerunt: exquisitos colores, & vestes vltra non tantum nostrum, sed vltra finem hostium aduectas.* Et lib. 1. quæst. natural. cap. 17. *Rerum iam potiente luxuria, specula totis paria corporibus, auro, argentóque cælata sunt, denique gemmis adornata: & pluris vnum ex iis fœmina constitit, quam antiquarum dos fuit illa, quæ publicè dabatur Imperatorum pauperum filiabus. An tu existimas, ex auro nitidum habuisse Scipionis filias speculum, cùm illis dos fuisset as graue? Non fecisset illis Senatus dotem, si habuissent. Iam libertinorum virgunculis in vnum speculum non sufficit illa dos, quam dedit Senatus pro Scipione. Processit enim immodestius, paulatim opibus ipsis inuitata luxuria, & incrementum ingens vitia acceperunt: adcóque omnia indiscreta sunt peruersissimis artibus, vt quidquid mundus muliebris vocatur, sarcina viriles sint: minus dico, etiam militares.*

Et 2. de Benef. cap. 12. *C. Cæsar dedit vitam Pompeio Penno: deinde absoluto & agenti gratias, porrexit osculandum sinistrum pedem. Aiunt soccum auratum, imò aureum margaritis distinctum ostendere eum voluisse:* Plinius lib. 37. cap. 2. de Pompeio: *Tolerabiliorem tamen fecit causam Caij Principis, qui super omnia muliebria, socculos induebat è margaritis: & Neronis Principis, qui sceptra & personas, & cubicula viatoria vnionibus construebat.* De Heliogabalo Lampridius: *Vsus est aurea omni tunica, vsus & purpurea, vsus & de gemmis Persica. Habuit & in calceamentis gemmas, & quidem sculptas.* Vopiscus de Carino: *Habuit gemmas in calceis.* Aurelius Victor in Cæsaribus, capite 39. de Diocletiano: *Quippe qui primus ex auro veste quæsita, serici ac purpuræ, gemmarúmque vim plantis concupierit.* Eutropius lib. 9. *Ornamenta gemmarum vestibus, calceamentisque indidit.* Eadem Eusebius in Chronico, & Zonaras tomo 1. Annalium.

Seneca de Remediis Fortuitorum: *Non cuius auriculis vtrinque bina patrimonia pendeant: non quam margaritæ suffocent.* Et lib. 7. de beneficiis, cap. 9. *Video vniones, non singulos singulis auribus comparatos: iam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt: iunguntur inter se, & insuper alij binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina, ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.* Plinius lib. 9. cap. 357. de vnionibus in luxu Romanarum: *Hos digitis suspendere, & binos, ac ternos auribus fœminarum gloria est. Subeunt luxuriæ eius nomina, & tædia exquisita perditiore portatu: siquidem cùm id fecere, crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant, & collisu ipso margaritarum. Affectántque iam & pauperes, lictorem feminæ in publico vnionem esse dictitantes. Quin & pedibus, nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis socculis addunt: neque enim gestare iam margaritas, nisi calcent, ac per vniones etiam ambulent, satis est. Lolliam Paulinam, quæ fuit Caij Principis matrona, nec serio quidem, ac solemni cæremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna, vidi smaragdis, margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque: quæ summa quadringenties H-S* (vnum millionem, & ducenta millia aureorum) *colligebat: ipsam confestim paratam nuncupationem tabulis probare. Nec dona prodigi Principis fuerant, sed auitæ opes, Prouinciarum scilicet spoliis partæ. Hic est rapinarum exitus. Hoc fuit quare M. Lollius infamatus Regum muneribus in toto Oriente, interdicta amicitia à Caio Cæsare Augusti filio, venenum biberet, vt neptis eius quadringenties H-S operta spectaretur ad lucernas.* Eadem habet Solinus capite 56. Manilius 5. Astronomicon:

Pérque caput ducti lapides, per colla, manúsque,
Et pedibus niueis fulserunt aurea vincla.

Tertullianus de Habitu muliebri, cap. 7. *Et in peronibus vniones emergere de luto cupiunt.* Et cap. 9. extremo: *Breuissimis loculis patrimonium grande profertur, vno lino decies H-S* (triginta millia aureorum) *inseritur saltus & insulas tenera ceruix fert. Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt: & sinistra per singulos digitos, de saccis singulis ludit.* Synesius de Regno; in Romanos ita perorat: *Num ex quo purpurati & inaurati estis, lapillósque ex montibus, & Barbaro mari quæsitos, alios redimitis, alios subligatis, alios cingitis, alios appenditis, alios fibulatis, aliis insidetis? Quocirca in spectaculum euasistis mira varietate distinctum, pauonum instar.* Non esset finis si cuncta quæ auctores de Romanis opibus & superbia tradidere, transcribere hîc vellemus. Sed Romam ethnicam cultam & ornatam qualem Ioannes depinxit, accuratè exhibuimus.

Elucidantur adhuc alia quæ Ioannes de Roma ethnica perscribit.

CAP. VI.

MErces opulentas quæ Romam aduectabantur, diuinus Apostolus Apocalyps. 18. vers. 12. & 13. sigillatim enumerat, quas breuiter expendemus.

Merces

Merces auri & argenti. Plinius lib. 33. cap. 3. *Et nos fecimus, quæ poſteri fabuloſa arbitrentur. Cæſar qui poſteà Dictator fuit, primus in Ædilitate munere patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo vſus eſt: feráſque argenteis vaſis inceſſere tum primum viſum. Mox, quod etiam in municipiis æmulantur, C. Antonius ludos ſcena argentea fecit. Item L. Murena & Caius Princeps in circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo CXXIV. millia.* Et poſt alia: *Caius Cæſar primo introitu vrbis in ciuili bello ſuo, ex Ærario protulit laterum aureorum XXVI. millia, & in numerato pondo CCCM. Nec fuit aliis temporibus Reſpublica locupletior. Laquearia nunc & in priuatis domibus auro tegunt.* Romam ex vectigalibus & tributis cepiſſe quotannis centum & quinquaginta milliones, Lipſius de Magnitudine Romana lib. 2. cap. 3. extremo pronuntiat: quantum hodiéque Sinarum Rex ex ſuo regno capit, vti affirmat Nicolaus Trigautius de Rebus Sinarum lib. 1. cap. 6. tametſi Maffeius, & alij centum viginti milliones Regi illi tribuant. Tam immani ſummæ Romanorum vectigalium, accedebat aurum, quod ex triumphis, ex aurifodinis, & quod coronarium dicebatur, Romam incredibili copia inferebatur, de qua re vide Lipſium lib. 2. de Romana Magnitudine, cap. 5. 8. 9.

Et lapides pretioſi & margaritæ. Plinius in Proœmio libri 33. *Turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices, ac temulentiæ cauſa tenere Indiam iuuat: & aurum iam acceſſio eſt.* Et lib. 6. c. 23. *Digna res, nullo anno Imperij noſtri minus H-S quingenties* (millionem & dimidium) *exhauriente India, & merces remittente, quæ apud nos centuplicato væneant.* Et lib. 12. cap. 18. *Verùm Arabiæ etiamnum felicius mare eſt: ex illo námque margaritas mittit. Minimáque computatione, millies H-S* (tres milliones) *annis omnibus India, & Seres, Peninſuláque illa Imperio noſtro adimunt. Tanto nobis deliciæ & fœminæ conſtant.*

Et byſſi. Plinius lib. 19. cap. 1. *Ergo huic lino Aſbeſtino principatus in toto orbe: proximus byſſino, mulierum maximè deliciis circa Elim in Achaia genito: quaternis denariis ſcripula eius permutata quondam, vt auri reperio.* Iulius Pollux Onomaſtici lib. 7. cap. 17. *Byſſus lini quædam ſpecies apud Indos: nunc verò apud Ægyptios, ex arbore lana quædam fit, ex qua veſtem confectam, lino maximè ſimilem eſſe quiſpiam dixerit, ſola denſitate excepta. Denſior enim arbori fructus enaſcitur, nuci ſimilis, triplici munitus cortice: qua dirempta, poſtquam inſtar nucis floruerit, interius hoc quos lanam refert, eximitur, vnde ſubtegmen conficitur: ſtamen autem illi ſubtendunt lineum.* Philoſtratus lib. 2. de vita Apollonij, cap. 9. *Scribit autem Damis homines qui ſecus Indum flumen habitant, lineis veſtibus amiciri. Linum autem in agris plurimum naſci: calceamenta vero ex arborum corticibus facta geſtare: galero etiam pluuiis temporibus vti: nobiliores autem byſſo indui. Byſſum autem ex arbore naſci ferunt, quæ altitudine quidem populum æquat: foliis autem ſalici æquiparatur. Cum vidiſſet Apollonius byſſum, gauiſus eſt, quod fuſco amictui quem geſtabat, non diſſimilis admodum eſſet. Byſſum autem dicunt in Ægyptum ex India deferri, quòd illa in pleriſque ſacris vtantur Ægyptij.* S. Iſidorus lib. 19. Originum, cap. 27. *Byſſum genus eſt quoddam lini nimium candidi, & molliſſimi, quod Græci papatem vocant.* Quaſi lanugineum. Clemens Alexandrinus 1. Stromate, capite 7. *Quin etiam tempore Semiramidis regis Ægyptiorum, narrant inuentas fuiſſe veſtes byſſinas.* Sed quis iſte Semiramis inter Ægypti Reges? nullus. De Byſſo vide Henrici Stephani Appendicem ad Theſaurum Græcum. Olim fuiſſe in vſu, nunc verò nullam eius ſupereſſe notitiam Pancirolus & Salmuth in deperditis annotarunt. Conſentiunt plerique Byſſi vocem factam ab Hebraïca בּוּץ Buz: de qua Forſterus: *Buz, byſſus: eſt autem byſſus genus ſubtiliſſimi & candidiſſimi lini naſcens in Palæſtina, in folliculis, vt ſunt papauerum folliculi: inde fit candidiſſima linea veſtis, quæ non conſumitur igni, ſed purgatur flammis: ac hodie Venetis nota eſt.* Eadem omnino Mercerus: ſed nugantur: byſſumque cum Aſbeſtino confundunt, quæ Plinius diſertè diſcreuit. Schindlerus verò: *Buz, byſſus genus ligni optimi, tenuiſſimi, molliſſimi, & candidiſſimi: quod tantum in Ægypto, præſertim circa oppidum Sombat ſeritur, ac copioſè prouenit, indéque per totum orbem diſtrahitur, & ex eo veſtes, præſertim ſacræ, vela & conopea ſiue retia conficiuntur: ac nomen habet à colore, quod ſit albiſſimum.* Æque iſte nugatur. Frequens byſſi mentio in Scriptura inter pretioſas veſtes. At de byſſo plura Cælius Rhodiginus Antiquarum lectionum lib. 23. capite 8. Lazarus Bayfius de Re veſtiaria. Non tamen omittendus locus Pauſaniæ lib. 5. in Eliacis, num. 151. *Inter Elei agri miracula byſſus eſt: hîc enim tantùm, nec alibi vſpiam in tota Græcia naſcitur: tenuitate quidem nihil eſt impar ei quam fert Hebræorum terra: minus vtique flaua.* Vides celebratiſſimam byſſum in Palæſtina naſci, vnde crebrior eius vſus ſacris litteris memoratus. Idem Pauſanias lib. 6. num. 204. *Eſt enimvero Eleorum ager, & cetera ferax, & byſſum educat feliciſſimè.* Byſſus Hebræis alio vocabulo dicitur שֵׁשׁ, *ſes.* Hoc putant in fila tortum: illud in lana adhuc. Aut hoc Hebræum: illud exoticum nomen, vide Forſterum, Mercerum, Marinum. Hieronymus Pradus in Ezechiël. 16. verſ. 10. Byſſum eſſe goſſipion, ſeu noſtrum, *coton*, ſeu *algodon* pluribus diſputat: ſed abſurdè: cùm goſſipion Plinius, & omnes à Byſſo diſcriminent. Pradi errorem arguit quoque Cornelius à lapide in Exodi 25. v. 4. vide notas noſtras Hebraicas in eum Exodi locum, & purpuræ. Purpuræ conſiderationem exequitur Plinius lib. 9. cap. 36. 37. 38. 39. 40. & nos ſuperiore capite, nonnulla notauimus. Quantus Romæ purpuræ vſus & luxus olim fuerit, notiſſimum: Plinius lib. 9. cap. 36. *Huic faſces, ſecuréſque Romanæ viam faciunt: idémque pro maieſtate pueritiæ eſt: diſtinguit ab equite curiam: Diis aduocatur placandis, omnémque veſtem illuminat: in triumphali miſcetur auro. Quapropter excuſata & purpura ſit inſaniæ.* Vide Notas hîc Delecampij. Præfecturam tingendæ & fucandę purpurę apud Tyrum, nobilem cumprimis extitiſſe, Ex Euſebio lib. 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 26. & Ammiano Marcellino lib. 14. c. 30. diſces.

& ſerici. Plinius libro 6. capite 17. *Seres lanicio ſiluarum nobiles, perfuſam aqua depectentes frondium canitiem: vnde geminus fœminis noſtris labor, redordiendi fila, rurſúſque texendi. Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, vt in publico matrona ttanſluceat.* Solimus cap. 53. alias 58. *Seres aquarum aſpergine inundatis frondibus, & lanuginis teneram ſubtilitatem humore domant ad obſequium. Hoc illud eſt ſericum in vſum*

publicum damno ſeueritatis admiſſum: & quo oſtentare potiùs corpora, quàm veſtire, primò fœminis, nunc etiam viris perſuaſit luxuria libido.

Strabo lib. 15. pag. 477. de Indiæ arboribus: *In quibuſdam lanam innaſci, ex qua Nearchus ait ſindonas ſubtilis & reticulati operis texi, & Macedones ea pro tomento vti: ſerica etiam eiuſdem generis eſſe, byſſo ſcilicet ex corticibus quibuſdam excarminata.* Seneca lib. 7. de Benef. cap. 9. *Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt quo defendi aut corpus, aut denique pudor poſſit: quibus ſumptis, mulier parum liquidò nudam ſe non eſſe iurabit. Hæc ingenti ſumma, ab ignotis etiam ad commercium gentibus accerſiuntur, vt matronæ noſtræ, ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo, quàm in publico oſtendant.* Seneca pater controuerſia 7. lib. 2. *Vt adultera tenui veſte perſpicua ſit: & nihil in corpore vxoris ſuæ plus maritus quàm quilibet alienus agnouerit.* Et controuerſia 13. *veſtémque nihil in matrona tecturam.* Et Seneca filius, epiſtola 90. *Telas quibus veſtis nihil celatura conſicitur: in qua non dico nullum corpori auxilium, ſed nullum pudori eſt.* Item Seneca in Hippolyto, Actu 2. verſ. 386.

Quæ fila ramis vltimis Seres legunt.

Et in Hercule Oetæo, verſ. 667. de lana:

Quæ Phœbeis ſubditus Euris,
Legit Eois Ser arboribus.

Pauſanias in Eliacis lib. 5. num. 205. *Sed enim quæ fila ad textrinam vſurpant Seres, ea nulla è ſtirpe ſunt: naſcitur in eorum terra vermis, quem Serem Græci, ipſi Seres longè alio appellant nomine: magnitudine eſt id inſectum dupla maximè ſcarabei: cetera ſimile eſt araneis, quæ ſub arboribus texunt: ſed & pedes habet octo, perinde vt araneæ: hæc animacula nutriunt Seres in domiciliis æſtiuo* pariter & hyberno *tempore ad hanc rem accommodatis. Opus quod faciunt, filum eſt tenuiſſimum, pedibus eorum circumuolutum. Annos ferme quatuor panico alitur: quinto demum (neque enim longior contingit vita) viridem apponunt arundinem: quo pabulo beſtiola illa omnium maximè delectatur: eo ſaturum, ſagina rumpitur: educunt inde è viſceribus plura ſtaminum volumina.*

Dio lib. 43. de ſpectaculis Cæſaris Dictatoris: *Vnum commemorabo ſumptuoſitatis, quæ tunc à Cæſare adhibita eſt, exemplum, ex quo reliqua omnia deprehendi poſſunt. Nequis enim ſpectantium à ſole moleſtaretur, ſericas cortinas, vt quidam auctores ſunt, ſuper eos extendit. Eſt autem ſericum textura barbaricæ luxuriæ, ab iiſque ad luxum mulierum inuecta.* Tacitus annali 2. *Decretúmque ab Senatu, ne vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent, ne veſtis ſerica viros fœdaret.* Dio lib. 57. *Tiberius edixit, nequis Serica veſte vteretur, nequis aurea vaſa, niſi ad rem ſacram haberet.* Vopiſcus in Aureliano: *Veſtem holoſericam neque ipſe in veſtiario ſuo habuit, neque alteri vtendam dedit. Et cùm ab eo vxor ſua peteret, vt vnico pallio blatteo ſerico vteretur, ille reſpondit: Abſit vt auro fila penſentur: libra enim auri tunc libra ſerici fuit.* Ammianus libro 23. capite 28. *Agunt autem ipſi quietiùs Seres, armorum ſemper & prœliorum expertes, vtque hominibus ſedatis & placidis eſt otium voluptabile, nulli finitimorum moleſti, cœli apud eos iucunda ſalubriſque temperies, aëris facies munda, leniúmque ventorum commodiſſimus flatus: & abundè ſiluæ ſublucidæ, à quibus arborum fœtus aquarum aſperginibus crebris, velut quædam vellera molientes, ex lanugine & liquore mixtam ſubtilitatem tenerrimam pectunt nentéſque ſubtegmina conficiunt ſericum, ad vſus antehac nobilium, nunc etiam infimorum ſine vlla diſcretione proficiens. Ipſi præter alios frugaliſſimi, pacatioris vitæ cultores, vitantes reliquorum mortalium cœtus. Cúmque ad coëmenda fila, vel quædam alia fluuium tranſierint aduenæ, nulla ſermonum vice propoſitarum rerum pretia ſolis oculis æſtimantur: & ita ſunt abſtinentes, vt apud ſe tradentes gignentia, nihil ipſi comparent aduentitium.* Pollux lib. . Onomaſtici, cap. 17. *Bombyces vermiculi ſunt à quibus fila ducuntur: quemadmodum & araneus. Sunt etiam nonnulli qui Seres ab aliis quibuſdam animalibus telas ſuas colligere tradant.*

Virgilius 2. Georgicorum:

Velleráque vt foliis depectant tenuia Seres.

In quem locum Seruius: *Apud Indos, & Seres ſunt quidam in arboribus vermes, & bombyces appellantur, qui in aranearum morem tenuiſſima fila deducunt: vnde eſt ſericum: nam lanam arboream non poſſumus accipere, quia vbique procreatur.*

Claudianus de Conſulatu Olybrij, & Probini:

Stamine quod molli tondent de ſtipite Seres.

Tertullianus de habitu muliebri cap. 1. *Et Seres arbores nerent.* Heliodorus Æthiopicorum lib. 10. cap. 29. *Poſt hunc & Serum adducebantur legati, araneorum qui ſunt apud illos, ſtamina, & texturas, veſtem alteram purpureo colore tinctam, alteram candidiſſimam afferentes.* Procopius de Bello Perſico lib. 1. cap. 16. *Iuſtinianus Iulianum legatum miſit, vt Æthiopes quidem ex Indis Sericum mercantes, ac Romanis mittentes, ipſi quidem pecuniæ maximæ ſint domini, Romanis verò cauſa exiſtant, vt non amplius nummos in hoſtes Serici emendi gratia transferre cogantur, ex quo veſtem conficere conſueuerunt, quam olim Medicam, nunc verò Sericam vocant.* Et paulò inferiùs: *Æthiopes enim mercari ex Indis Sericum non poterant, quod continuo Perſarum mercatores apud ipſos portus exiſtentes, vbi priùs Indorum naues applicant, veluti regionem incolentes proximam, omnes commeatus emere conſueuerunt,* Res erat, Iuſtinus nolebat à Perſis Romani Imperij hoſtibus, ſed ab Æthiopibus Sericum emi. Suidas: *Seres gens vbi Sericum naſcitur, quam Græci olim veſtem Medicam appellabant. Sub Iuſtiniano legatos miſerunt Chriſtiani ad Æthiopes, vt Sericum ex India mercati, Romanis venderent, ipſique magna pecunia potirentur: & id tantum lucri Romanis conferrent, ne pecuniam ſuam poſthac ad hoſtes transferre cogerentur.* Georgius Piſides de Mundi opificio, verſu 1264.

Iam qualis eſt lex Sericis quæ vermibus.
Præclara ſuadet vellera hæc contexere.

Theophanes Byzantius lib. 1. hiſtoriarum, apud Photium in Bibliotheca: *Bombycum originem homo quidam Perſa, Iuſtiniano Imperante, Conſtantinopoli oſtendit, nunquam antea Romanis cognitam. Hic Perſa è Serum regione profectus, vermium ſemen ferula incluſum Conſtantinopolim ſaluum deportauit: ac vere ineunte, in alimentum mori foliis ſemina impoſuit, quæ foliis nutrita, & in alas ſe induerunt, & mirè cœperunt operari. Ergo Bombycum ortum, texendique artificium cùm poſt Turcis Iuſtinianus Imperator oſtendiſſet, vehementer obſtupuerunt: nam Serum illi tum emporia portúſque tenebant, quæ Perſæ priùs tenuerant.* Theophylactus Simocatta lib. 7. Hiſtoriæ Mauritij Imperatoris, cap. 9. *Hos autem Indos in plaga Boreali habitantes albis corporibus eſſe prædi-*

cant

cant. Bombycum, vnde fila ſerica magna, & diuerſicolor apud eos copia: in quibus curandis Barbari magnum, & artificioſum ſtudium præſtare ſolent.

S. Iſidorus lib. 19. originum, cap. 27. *Sericum dictum, quia id Seres primi miſerunt. Vermiculi enim ibi naſci perhibentur, à quibus hæc circum arbores fila ducuntur: vermes autem ipſi Græcè Bombyces nominantur.* Zonaras in Iuſtiniano: *Eodem etiam Procopio auctore, Iuſtiniani temporibus tela Serica à Romanis texi cœpit, quæ priùs à Perſicis mercatoribus tantum afferebatur, cùm ignorarent, quomodo fierent, neque ſcirent fila eſſe vermium. Ceterùm duo monachi ex India Byzantium profecti, originem illius declararunt, polliciti ſe fœtum illorum vermium oua nimirum perexigua allaturos, & oſtenſuros Romanis quemadmodum illa fouendo animata in vermes mutentur, & Sericum texant, natura magiſtra vſi. Eos monachos Iuſtinianus in præſentia muneribus, de cetero magnis pollicitationibus ad illud præſtandum confirmauit. Itaque Serum ouа Byzantium attulerunt, & in ſimo collocata, in vermes transformarunt, & mori foliis aluerunt, indéque Sericum confecerunt. Ex eo igitur Romani cognouere, quo pacto Sericum conficiatur.*

Nicephorus lib. 17. Hiſtor. Eccleſ. cap. 32. de Iuſtiniani temporibus: *Et tum primùm ex India metaxa Conſtantinopolim eſt allata.* Metaxæ meminere quoque Theopyhlactus Simocatta Hiſtoriæ Mauritianæ lib. 7. apud Photium, Suidas in voce *Seres*, & *Serica*. Gloſſæ veteres: *Mataxa, σιρὰ*, vel potius *σειρὰ*, id eſt, catena, funis, reſtis. Lexicon Græcum vetus: *σιρὰ, ciuiſa*. Haud dubium, quin mataxa ſit, quam Hiſpani vocant *Madexa*: eſſe Sericum, ſatis conſtat. Metaxæ mentio extat Lege *Lotas* codice de Muricilegis, lib. 11. & Metaxariorum negotiatorum, Lege fin. C. de Pignor. Agit de Mataxa Turnebus Aduerſariorum lib. 2. cap. 3. & fusè Lilius Gyraldus lib. de Nauigiis, cap. 15. atque Reineccius in 1. Parte Heroici Syntagmatis in regno Æthiopum, pag. 282. item Andreas Scothuſin Notis ad Bibliothecã Photij, in Theophylacto Simocatta, lib. 7. Henricus Stephanus in Appendice Theſauri, colum. 1442. Otho Friſingenſis in Rebus Friderici I. lib. 1. cap. 33. de claſſe Rogerij regis Siciliæ: *Inde ad interiora Græciæ progreſſi, Corinthum, Thebas, Athenas antiqua nobilitate celebres expugnant: ac maxima ibidem præda direpta, opifices etiam, qui Sericos pannos texere ſolent, ob ignominiam Imperatoris illius, ſuique Principis gloriam, captiuos deducunt. Quos Rogerius in Palermo Siciliæ metropoli collocans artem illam textendi ſuos edocere præcepit. Et ex hinc prædicta ars illa priùs à Græcis tantùm inter Chriſtianos habita, Romanis patêre cœpit ingeniis.*

Iam hîc ingens eruditorum pugna, num Sericum illud veterum, ſit hoc noſtrum in tota Europa frequentiſſimum, quod vocamus *Sedam*, vel *Setam* ex vermium notiſſimorum viſceribus conflatum. Permulti diuerſum faciunt, priſcorúmque Sericum non ex vermibus illis, ſed ex arborum lana apud Seres tantum Indiæ populos olim confici ſolitum, vti Virgilius, Strabo, Seneca, Plinius, Solinus, Claudianus, Ammianus produnt. At iam hoc tempore compertiſſimum habetur, nullum aliud apud Seres olim fuiſſe Sericum, aut nunc eſſe, quàm illud ipſum quod hodie in tota Europa ex vermium viſceribus educitur, quodque *Sedam* appellamus. Quod enim nunc Sericum ex Sinarum regione, quam Seres eſſe plerique annotant, ad nos defertur, illud ipſiſſimum eſt quod etiam olim in Sinis, & nunc in tota Europa ex vermium textura conficitur. Nec in hac re vllus iam dubitandi locus relinquitur. Id quod iam vtcunque viderant Pauſanias, Pollux, Seruius, S. Iſidorus, Heliodorus, Piſides, Zonaras. Nam veterum alij, qui Sericum ex lana arborum eſſe dixerunt, aut rem certè adeò longinquam non plenè ſciuerunt, aut poëticè locuti videntur, quòd etiam Serici illi vermes in arboribus corymbos illos ſuos, vnde fit Sericum, exſtruxerunt. Sed de Serico plura Philippus Beroaldus Annotationibus in Seruium §. 55. Andreas Tiraquellus in legibus connubialibus, lege 3. num. 18. Andreas Alciatus ad 11. Annalem Taciti, Hieronymus Cardanus de ſubtilitate lib. 9. pag. 363. Iulius Scaliger de Subtilitate, exercit. 158. cap. 9 Lazarus Bayfius de re veſtiaria, cap. 5. & 6. Ioannes Brodæus lib. 2. Miſcellaneorum, cap. 22. Polydorus Virgilius de Inuentoribus rerum lib. 3. cap. 6. Petrus Faber Semeſtrium lib. 1. cap. 16. Hier. Mercurialis lib. 1. variarum lectionum, cap. 24. Marſilius Cagnatus lib. 4. Variarum obſeruationum, cap. 11. Iuſtus Lipſius ad 2. Annalium Taciti, Excurſu 1. Martinus Del-rio in Commentariis ad Senecæ Hippolytum ad verſum 386. Iacobus Pontanus in 2. Georgicorum, ad verſ. 121. Guido Pancirollus, & Henricus Salmuth in Nouorepertis, Titulo 24. Ioannes Fungerus in Trilingui Etymologico, Ioannes Baptiſta Villalpandus in 27. Ezechielis, ad verſ. 16. Thomas Dempſterus Antiquit. Romanarum lib. 5. cap. 31. Claudius Salmatius in Notis ad Flauij Vopiſci Aurelianum, ad pag. 124. ad verſ. 27.

Vox Serici in Vulgata editione Sacræ Scripturæ ter tantùm occurrit, Eſther 8. v. 15. *amictus Serico pallio*, vbi tamen Hebraïcum *Buz* omnes byſſinum exponunt. Ezechiel. 27. 16. *& byſſum, & Sericum*, vbi vocem Hebræam *ramoth*, Reuchlinus veſtes ex pilis vnicornis, ſeu naricornis interpretatur, ridiculè. Forſterus, *cornua vnicornium*, Sanctes, Vatablus, Leo Iudas, Mercerus, Marinus, Auenarius, Schindlerus, ſecuti Kimchium, *corallia*, Tremellius Iunius, Buxtorfius, *Sandraſtos*. De quibus Plinius lib. 37. cap. 7. Polychronius, *amethyſtos*, de qua gemma Plinius lib. 37. cap. 9. Illud Forſteri ſequitur Villalpandus, & eſt veriſimile.

In Hebraïco Iſaiæ 19. 9. fit mentio *Seri Koth*, quod Serica interpretantur Forſterus, Forerius, Mercerus, Auenarius, Marinus, Buxtorfius. Vide eo loco Forerium.

Et cocci. Plinius lib. 9. cap. 41. *Coccóque tinctum Tyrio tingere, vt fieret hyſginum. Coccum Galatiæ rubens granum, aut circa Emeritam Luſitaniæ in maxima laude eſt.* Et lib. 16. cap. 8. *Cocci granum hoc primóque ceu ſcapus fruticis paruæ aquifoliæ ilicis: cuſculium vocant: penſionem alteram tributi pauperibus Hiſpaniæ donat. Gignitur & in Galatia, Africa, Piſidia, Cilicia: peſſimum in Sardinia.* Delecampius, pro *cuſculio*, tentat *quiſquilium*. Neſciuit quid eſſet *cuſculium*, quod Hiſpanicè dicimus *coſcoio*. Et lib. 24. cap. 4. *Coccum ilicis. Eſt autem genus ex eo in Attica fere, & Aſia naſcens, celerrimè in vermiculum ſe mutans, quod ideo ſcolecion vocant, improbántque.* Et lib. 22. cap. 2. *Iam vero infici veſtes ſcimus admirabili fuco. Atque vt ſileamus Galatiæ, Africæ, Luſitaniæ cocci granum Imperatoriis dicatum paludamentis, &c.* Silius.

At contra ardenti radiabat ſcipio cocco.

Theophraſtus Hiſtoriæ plantarum lib. 3. cap. 8. *Ilex coccum puniceum gignit.* Pauſanias in Phoſicis lib. 10. num. 354. *Maiorem campi partem in*

Ambryſſenſium finibus occupant vites, & hyſgæ ij frutices denſis continuantur ordinibus, ſicuti vites: ac fruticem quidem iſtum Iones, & reliquæ Græci nominis gentes coccon nominant. Galatæ verò, qui ſupra Phrygiam habitant, vernacula ſibi voce hyſgen appellant. Magnitudo ei ferme eadem quæ rhamno, folia nigriora & molliora quàm lentiſci: nam caterà lentiſco perſimilis. Fructus qualis ferè ſolani, erui magnitudine. Gignitur in huius plantæ fructu puſillum animal. Id ſi maturo grano exilierit, volucre iam libero fertur cælo, culici ſimillimum. Verum eas baccas, priùs quàm conceptum interius animal maturetur, legunt: eiúſque animalis cruore lanas inficiunt. De hyſgino vide Plinium lib.9.cap.41.& lib.35.cap.6. ac Notas ibi Delecampij.

In Scriptura ſacra vbi Hebraïcè ponitur תולע *Thola*, vel תולעת *Tholáath* id eſt, *vermiculus*, Interpres vulgatus reddere ſolet, *coccum*, vel *coccinum*. De qua voce Forſterus: *Tholá, legitur in numero ſingulari pro ſingulari vermiculi ſpecie, qui ex grano cuiuſdam fruticis, figura lentis aut piſi naſcitur. Ideóque Græcis κόκκος, ſimiliter & Latinis coccus, atque lana ſeu veſtis ex eo colore tincta, coccinum dicitur. Frutex ille in Gallia Narbonenſi naſcitur: & pannos eius vermiculi colore tinctos Scharlacum ruſtici vocant, quod ex Græco Scolecion, quod vermiculum ſonat, haud dubiè factum exiſtimo. Scribit & Pauſanias talem fruticem lentiſci ſpecie in regione Græciæ naſci, quæ Phocenſis dicitur. Scribunt & in Aſia regione Galatarum abundè, naſci. Recens audiui, & in Polonia naſci, & granum nominari Iſeruoitz: ac magnum quæſtum olim habuiſſe Polonos ex venditione eius vermiculi, adeò vt in veſtigalibus circiter ſex millia aureorum Regi ex ea materia tantùm acceſſerint: nunc verò minus, appetitur, vel quia in Hiſpania inuenta eſt terra, quæ etiamſi minus durabilem colorem efficit, tamen minore pretio emitur: vel quia Polonos tædet ſumptuum, & aſſiduitatis in apparando: nam grana collecta, poſtea in areis collocanda ſunt, & per aliquot dies quotidie riganda ceruiſia: poſt hanc rigationem vertuntur in vermiculos.* Eadem ferme Mercerus & Schindlerus in Theſauris, Forerius in Iſaiæ 1.18. Vide etiam Ariam Montanum in eundem Iſaiæ locum, & Martinum Delrium in Commentariis ad Medæam Senecæ, pag.23. & 24. Coccum, vel Coccinum eſſe quod vulgo vocant Scarlatam, vel Cochininam, perſpicuum eſt. In Luſitanica naſci prope oppidum Setubal, Forerius & Schindlerus annotant. In Valentino regno coccum egregiè prouenire, nos ipſi videmus: vnde à cocco, id eſt, grano Granam vocamus pannos cocco infectos. De cocco plura Henricus Stephanus in Appendice Græci Theſauri. Iſaiæ 1.18. *Si fuerint errata veſtra ſicut coccina, Dibapha*, vel, *bis-tincta, ſicut nix albeſcent: ſi rubeſcent ſicut Thola*, (*vermiculus, coccus*) *ſicut lana erunt.*

Et omne lignum thynum. De thynis diximus affatim lib.4. cap.33.

Et omnia vaſa eboris. De luxu vaſorum eburneorum agit Plinius lib.8. cap.3. qui etiam lib.16. cap.43. *capere tingi animalium cornua, dentes ſecari, lignúmque ebore diſtingui, mox operiri.* Varro lib.8. de lingua Latina: *Cur malimus habere lectos alios ex ebore, alios ex teſtudine.* Iuuenalis Satyra 11.

——Latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta hienes,
Et Mauri celeres, & Mauro obſcurior Indus
Et quos depoſuit Nabathæo bellua ſaltu,
Iam nimios, Capitique graues——

Hinc Flauius Vopiſcus in Tacito: *Nam diu hæc S.C. quæ ad Principes pertinebant, in libris elephantinis ſcribebantur.* Nimirum in tabulis eboreis, honoris gratia. Eboreorum codicum meminit & Vlpianus lege 2. de legatis tertio. Idem Vopiſcus de Firmo Tyranno: Cum Sarracenis naues quoque ad Indos negotiatorias ſæpè, miſit. *Ipſe quoque dicitur habuiſſe duos dentes elephanti, pedum denûm: è quibus Aurelianus ipſe Sellam conſtituerat facere, additis aliis duabus, in qua Iupiter aureus & gemmatus ſederet, cum prætexta, ponendus in templo Solis.* Plinius lib. 8. cap. 10. *Dentibus ingens pretium, & Deorum ſimulacris laudatiſſima ex iis materia. Magnitudo dentium videtur quidem in templis præcipua.*

Et omnia vaſa de lapide pretioſo. Mira in iis Romana luxuria. Sed pauca tantùm attingo. Plinius lib.37.cap.2. *Eadem Pompeij victoria primum in Vrbem murrhina induxit: primúſque Pompeius ſex pocula ex eo triumpho Capitolino Ioui dicauit: quæ protinus ad hominum vſus tranſiere, abacis etiam, eſcariiſque vaſis inde expetitis. Excreſcítque indies eius rei luxus, murrhino octoginta Seſtertiis empto, capaci planè ad Sextarios tres calice. Potauit ex eo ante hos annos Conſularis ob amorem obroſo eius margine, vt tamen iniuria illa pretium augeret: neque eſt hodie murrhini alterius præſtantior indicatura. T. Petronius Conſularis moriturus, inuidia Neronis Principis, vt menſam eius exhæredaret, trullam murrhinam trecentis ſeſtertiis emptam fregit. Sed Nero, vt par erat principem, vicit omnes trecentis ſeſtertiis capidem vnam parando. Memorandas res, tanti Imperatorem Patremque patriæ bibiſſe.* Sequitur deſcribere murrhina, quæ Iulius Scaliger Exercitatione 92. exiſtimat eſſe quæ nunc Porcellanæ dicuntur. Ipſe viderit. In deperditis numerant Pancirollus, & Salmuth, cap. 7. Vide Bayfium de Re vaſcularia: & eius Epitomen à Carolo Stephano editam. Seneca lib.7. de Beneficiis, cap. 9. *Video murrhina pocula, parum ſcilicet, luxuria magno furit, niſi quod vomant, capacibus gemmis inter ſe propinarent.*

De Cryſtallinis Plinius lib.37. cap.2. *Magnitudo ampliſſima adhuc viſa nobis erat, quam in Capitolio Liuia Auguſta dicauerat, librarum circiter quinquaginta. Xenocrates auctor eſt, vas amphorale viſum, & aliqui ex India cryſtallum Sextariorum quatuor. Alius hîc furor H-S CLM. trullam vnam non ante multos annos mercatam à matre familias nec diuite. Idem Nero amiſſarum rerum nuntio accepto, duos calices cryſtallinos in ſuprema ira fregit illiſos. Hæc fuit ratio ſæculum ſuum punientis, nequis alius ex his biberet.* Seneca ibidem: *Video iſtic cryſtallina quorum accendit fragilitas pretium: omnium enim rerum voluptas apud imperitos, ipſo quo fugarè debat periculo creſcit.* Plinius in Procœmio libri 33. *Murrhina, & cryſtallina ex eadem tellure effodimus, quibus pretium faceret ipſa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria exiſtimata eſt, habere quod poſſet ſtatim totum perire. Nec hoc fuit ſatis, turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices.* Martialis lib. 3.

Cryſtalliniſque, myrrhiniſque propinat.

Verùm Græca Ioannis habent, & *omnia vaſa de ligno pretioſiſſimo.* Qua ratione legunt Andreas, Aretas, Primaſius, & recentiores Interpretes, Eraſmus, Sanctes, Vatablus, Montanus. Innuit menſarum apparatum apud Romanos. Plinius lib. 15. cap.15. *Arbor citri, & menſarum inſania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt. Extat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, & quod magis mirum eſt, illo ano empta H-S X. Memoratur, & Galli Aſi-*

nij.

nij H-S.XI. venundatæ ſunt & duæ Iubæ Regi vendente: quarum alteri prætium fuit H-S. XV. alteri paulominus. Multa adnectit lectu digna de luxuria & pretio menſarum Tertullianus de pallio, cap. 5. *Marcus Tullius quingentis millibus nummûm orbem citri emit: quæ bis tantum Aſinius Gallus pro menſa eiuſdem Mauritaniæ numerat.* Seneca 7. de Beneficiis, cap. 9. *Video iſtic menſas, & æſtimatum lignum Senatoris cenſu, eò pretioſius, quod illud in plures nodos arboris infelicitas torſerit.* Senatoris cenſus ſub Auguſto is erat quo Ciceronis citrea menſa conſtitit, nempe viginti quinque millia aureorum. Petronius pag. 157.

— *Ecce Afris, eruta terris*
Citrea menſa, greges ſeruorum, oſtrúmque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum:
Quæ turbant cenſum, hoſtile ac malè, nobile lignum.

Lipſius, Vvou Vveren, Erhardus, & alij, mirè turbant hos verſus, qui ſic rectè leguntur. Dio lib. 61. de Seneca: *Qui luxum aliorum damnabat, quingentas menſas habuit de ligno citrino, pedibus eburneis, ſimiles & pares inter ſe, in quibus cœnabat.*

& æramento, Græcè, *& ære.* Nulla amplior luxuriæ materia apud Romanos. Plinius lib. 34. cap. 1. *Æri in vſu proximum eſt prætium, imò verò ante argentum, ac penè etiam ante aurum, Corinthio.* Æris tres potiſſimum ſpecies enumerat Plinius, Corinthium, Deliacum, Ægineticum. Infinita ac propè incredibilia ſunt quæ Plinius narrat de vſu & luxu æris in templorum ornamentis, ſimulachris, ſtatuis, ſignis Deûm, hominúmque, coloſſis, vaſis, aliiſque operibus, eorúmque præſtantia, pretio, artificio, per octo priora capita lib. 34. Vide quoque Bayſium in re vaſcularia.

& ferro. Naturam, vſum, commoditates ferri pulchrè expendit Plinius lib. 34. cap. 15. & 14. aitque: *Metalla ferri, optimo, peſſimóque vitæ inſtrumento. Siquidem hoc tellurem ſcindimus, ſerimus arbuſta, ponimus pomaria, vites ſqualore deciſo annis omnibus cogimus iuueneſcere. Hoc exſtruimus tecta, cædimus ſaxa, omnéſque ad alios vſus ferro vtimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominus ſolùm, ſed etiam miſſili volucríque, nunc tormentis excuſſo, nunc lacertis, nunc verò pennato: quam ſceleratiſſimam humani ingenij fraudem arbitror: ſiquidem, vt ocyus mors perueniret ad hominem, aliter illam fecimus, pennáſque ferro dedimus.*

& marmore. Præclarè Plinius initio lib. 36. *Lapidum natura reſtat, hoc eſt, præcipua morum inſania, etiam vt gemmæ cum ſuccinis, atque cryſtalli, cum murrhinis ſileantur. Montes cædimus, trahimúſque nulla alia, quàm deliciarum cauſa, quos tranſcendiſſe quoque mirum fuit. In portento prope maiores habuere Alpeis ab Annibale exſuperatas, & poſtea à Cimbris: nunc ipſæ cæduntur in mille genera marmorum: promontoria aperiuntur mari, & rerum natura agitur in planum. Euehimus ea, quæ ſeparandis gentibus pro terminis conſtituta erant: nauéſque marmorum cauſa fiunt, ac per fluctus, ſæuiſſimam rerum naturæ partem, huc illúcque portantur iuga montium, maiore etiam num veſania, quàm cùm ad frigidos potus vas petitur innubila, caláque proximæ rupes cauantur, vt bibatur glacie. Secum quiſque cogitet quæ pretia horum audiat, quas vehi, trahique, moles, videat.* Innumera, & fidem vincentia ſunt quæ de marmorum operibus, eorúmque varietate, nobilitate, elegantia, pulchritudine, pretio, vſu, luxúque Plinius memorat primis aliquot capitibus lib. 36. quem tu conſulas.

& cinnamomum, hanc ſpeciem deſcribunt Theophraſtus lib. 9. de Hiſtoria plantarum, cap. 5. Dioſcorides lib. 1. cap. 13. Solinus cap. 33. Philoſtratus in vita Apollonij lib. 3. cap. 1. Plinius lib. 12. cap. 19. qui ait: *Pretia quondam fuere in libras denariûm mille. Auctum id parte dimidia eſt, inceſſis, vt ferunt, ſiluis ira Barbarorum. Coronas ex cinnamomo interraſili auro incluſas, primus omnium in templis Capitolij atque Pacis dicauit Imperator Veſpaſianus Auguſtus. Radicem eius magni ponderis vidimus in palatij templo quod fecerat Diuo Auguſto coniux Auguſta, aureæ pateræ impoſitam: ex qua guttæ editæ annis omnibus, in grana durabantur, donec id delubrum incendio conſumptum eſt.* Cinnamonum aliud eſſe à caſſia, ſeu *canella*, norunt eruditi. Cinnamomum Hebræis dicitur, קנמון *Kinnamon*, caſſia verò ſeu *canella* קנה *Kaneh*. Galenus lib. 1. de Antidotis ſcribit, cinnamomum rarum inuentu fuiſſe, præterquam in armariis Imperatorum. Veri cinnamomi notitiam exoleuiſſe annotarunt Scaliger Exercitatione 144. Pancirollus & Salmuth in Deperditis, cap. 9. Ex cinnamomo vnguentum fieri ſolitum, *cinnamominum* dictum prodit Plinius lib. 13. cap. 1. quod vnguentorum omnium craſſiſſimum eſſe affirmat: & Apulcius lib. 2. Mileſiarum, indicat, cum de pulchra muliere ait: *Cinnama fragans, & balſama rorans.* Subſtituunt verò nunc cinnamomi vocem pro canella, vti Scaliger, & alij.

& Vnguenti. Plinius lib. 13. cap. 3. *Hæc eſt materia luxus è cunctis maximè ſuperuacui. Margaritæ enim, gemmæque ad hæredem tamen tranſeunt: veſtes prorogant tempus: vnguenta illico expirant, ac ſuis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, vt tranſeunte fœmina odor inuitet etiam aliud agentes. Excedúntque quadringentos denarios libræ. Tanti emitur voluptas aliena! Etenim odorem qui gerit, ipſe non ſentit. Vidimus etiam veſtigia pedum tingi, quod M. Othonem monſtraſſe Neroni Principi ferebant. Quæſo, vt qualiter ſentiretur, iuuarétque ab ea parte corporis. Necnon aliquem ex priuatis audiuimus iuſſiſſe ſpargi parietes balinearum vnguento, atque Caium Principem ſolia temperari: ac ne principale videatur hoc bonum, & poſtea quendam ex ſeruis Neronis. Maximè tamen mirum eſt, hanc gratiam penetraſſe & in caſtra. Aquilæ certè ac ſigna, pulueruleuta illa, & cuſtodiis horrida, inunguntur feſtis diebus: vtinam dicere poſſemus, quis primus inſtituiſſet. Ita eſt, nimirum hac mercede corruptæ, terrarum orbem deuicere aquilæ. Iſta patrocinia quærimus vitiis, vt per hoc ius ſumantur ſub caſſide vnguenta. At hercule iam quidam etiam in potus addunt, tantique amaritudo eſt, vt odore prodigo fruantur ex vtraque parte corporis. L. Plotium L. Plancij bis Conſulis, Cenſoriſque fratrem, proſcriptum à Triumviris in Salernitana latebra vnguenti odore proditum conſtat. Quo dedecore tota Proſcriptio abſoluta eſt.* At de Plotio eadem Valerius Maximus lib. 6. cap. 8. Solinus cap. 48. de variis generibus vnguentorum, eorúmque pretiis immanibus, & vſu apud Romanos, plura Plinius lib. 13. cap. 12. & 3. & de pretiis peculiariter cap. 1. ait: *Pretia ei à XXXV. ad X. CCC.* Seneca Epiſt. 86. *Parum eſt ſumere vnguentum, niſi bis die, térque renouetur, ne euaneſcat in corpore.*

& odoramentorum, & thuris. De generibus thuris, & Myrrhæ, aliorúmque odorum, eorúmque natura, pretiis, luxu, pleniſſimè diſſerit Plinius lib. 12. cap. 14. 15. 16. 17. 18. de thure ait cap. 14. *Itaque optimi thuris libra XVI. pretium habet, ſecunda XV. tertia XIV.* & cap. 16. de pretiis myrrhæ: *Pretia ex occaſione ementium varia:*

varia: Stactæ verò à vi ad L. Satiuæ ſummum ad XXII. Erythræ ad XVI. Troglodyticæ nucleo ad XIII. eius vero quam odorariam vocant, ad XIII. At illud mirum quod cap. 18. ſcribit: *Periti rerum aſſeuerant, non ferre tantum annuo fœtu Felicem Arabiam, quantum Nero Princeps nouiſſimo Poppææ ſuæ die concremauerit.*

& Vini. De Vini natura ciúſque generibus, abundantia, luxu apud Romanos multa & mira conſcribit Plinius lib. 14. à cap. 5. ad finem libri. Equidem cap. 22. inquit: *Quanto tamen in potu vita ingenioſior apparebit, ad bibendum generibus centum nonaginta quinque vini, ſi ſpecies vero æſtimentur, penè duplici numero excogitatis.* At illud prodigioſum quod de Heliogabalo Lampridius prodit: *Fertur in Euripis vino plenis nauales Circenſes exhibuiſſe.* Euripos vocat, naumachiarum lacus, quòd eſſent longiores quàm latiores. Incredibilis inſania, lacus vino implere, in quibus naues concurrere poſſent. Nec illud omittimus de luxu Romanorum in vino, quod Plinius lib. 14. cap. 22. ait: *Iam verò quæ vaſa adulteriis cælata? tanquam per ſe parum doceat libidines temulentia. Ita vina ex libidine hauriuntur.* Et in procœmio lib. 33. *In poculis libidines cælare iuuit, ac per obſcœnitates bibere.*

Et olei. Plinius lib. 15. cap. 2. *Principatum in hoc quoque bono obtinuit Italia toto orbe, maximè agro venafro, eiúſque parte quæ licinianum fundit oleum, vnde & liciniæ gloria præcipua oliuæ.*

Et ſimilæ. Græcè σεμίδαλις, ſimila, vel ſimilago. De ſimilagine multa Plinius lib. 18. cap. 10. De ſimila verò videndi cum primis Antonius Nebriſſenſis tertia Quinquagena, cap. 4. & Henricus Stephanus in Appendice Græci Theſauri. Similam & Similaginem eſſe eandem rem non eſt dubium, & videntur in Scriptura Sacra idem ſignificare. Ego non dubito Ioannem hac voce voluiſſe exprimere id quod Sacræ litteræ Hebraïcè vocant סלת *Soleth*, quam eſſe farinam tritici ſubtiliter molitam, & expreſſam, nempe puriorem & mundiorem, cùm Hebræi, tum plerique noſtrorum affirmant. Sed vide varietatem, Forſterus: *Soleth, ſimila, ſimilago, id eſt, farina alba, & flos, ſeu deliciæ farinæ triticeæ: & in hoc differt à Kemach id eſt, fariña, quæ eſt communis ex omni frumento, quòd ſcilicet Soleth eſt ex tritico, & Hebræis dicta ſtrata, & in Sacris etiam vſurpata: Kemath autem non niſi in profano & vulgari panis vſu, & in oblatione Zelotypiæ.* Mercerus: *Soleth differt à Kemach farina, quæ communis eſt, cùm ſimila ſit puriſſima, ſunt qui à Salah deflectant, quaſi conculcationem ſeu expreſſionem farinæ dixeris: ſimilæ maximus erat vſus in Sacris, vt paſſim in Moſe videre eſt: farinæ vero non niſi ferè in pane vulgari, & in oblatione Zelotypiæ, Numerorum 5.* Marinus: *Soleth, ſimilam, ſimilaginem omnes ferè interpretati ſunt, Il fiore della farina, farina eletta. Quidam ex aduerſo, non leuibus coniecturis arbitrantur quòd ſit farina, ſicuti eſt molita, & ſic differt à Kemach, quæ farina purgata eſt. Farina con la ſemola. Eius vſus frequens in ſacrificiis.* Pomarius: *Soleth, panis candidus, de cuius tritico fæces, ſeu quiſquiliæ ſunt per cribrum amotæ. Farina pura, quæ meo iudicio eſt illa, quæ ex corde frumenti excernitur. Appellatur ſemmolella, cuius præcipuus vſus in Regno Neopolitano, præ aliis Italiæ partibus.*

Id ſequitur Nebriſſenſis, cuius hæc ſunt verba: *Sed nos quid ſimila ſit, breuiter dicamus. Granum tritici molitum in tres partes reſoluitur; in cutem illam tenuem, quam furfures Medici, Plinius & Columella Saluiatum appellant: in nucleum, hoc eſt, ſemen illud dulce & glutinoſum in medio ſinu grani; quod eſt genitale ſemen vnde erumpit radix, atque tritici herba primùm, ac deinceps calamus: in corpus denique, quod defendendi ſeminis gratia eſt à natura excogitatum, & quod cadens in terra moritur, Ioan. 12. Hoc friabile eſt, atque in farinam reſolubile, cùm ſemen lentore ſuo vix reſolui poſſit, Farina igitur ex tritico his tribus conſtat, Saluiato, ſemine, corpore: quæ cum ſetaceo excernitur, vt dicit Virgilius in Moreto,*

Subſidit ſincera, foraminibúſque liquatur
Emendata ceres.

Reliqua duo eminent: quæ rurſus in eodem ſetaceo concuſſa, ſupernatat ſaluiatum, ſemen verò ſuo pondere it peſſum. Atque ita ex crebra ſetacei concuſſione ſecernitur ſaluiatum à ſemine. Et hoc ſemen eſt quod nos aſſeueramus dici ſimilam illam, ex qua ſibi offerri ſacrificij oblationem Deus in Scriptura toties exigit, & ad multos mortalium vſus accommodatam, vt dicit Martialis.

Nec poteris ſimilæ dotes numerare, nec vſus,
Piſtori toties cùm ſit & apta coco.

Interrogati verò Hebræi, quid Soleth ſibi velit, acemit, dicunt: atqui in Bœtica mea, acemit, vocant, id quod ego ſimilam dico: ex qua in feſtorum celebritatibus faciunt delicatiſſimos panes, quales ſibi Deus offerri vult Leuitici 23. & 24. & Mauri atque Æthiopes qui apud nos degunt, ſuum illum peculiarem cibum concinnant, quem alcuzcuz appellant. Adſtipulantur quoque Tarraconenſes, quos opici Arragonenſes dicunt, paucis litteris mutatis ſemola, pro ſimila vocant. Temperatur autem cibus ille oleo, melle, aromatíſque. Neſciuit Antonius quid nobis Tarraconenſibus eſſet *Semola*; non quod ipſe putat: ſed triticum ipſum craſſius molitum. Antonio in deſcriptione ſimilæ adſtipulantur Ribera in 18. Apocalyp. Ximenius in Eccleſiaſtico Lexico, & alij. At Henricus Stephanus ex Ioanne Gorræo hæc annotat Σεμίδαλις, *ſimila, ſimilago: eſt farina ex tritico communi facta: ex qua confectus panis* Σεμιδαλίτης *dictus eſt, cui ſecundum inter panes bonitatis locum aſſignat Galenus De alimentis lib. 1. Primum enim tribuit ſiligineo, vt qui ex puriſſimi & optimi tritici farina, quæ ſiligo dicitur, conficiatur. Ex quo apparet, quid diſcriminis ſit inter ſimilaginem & ſiliginem: hoc enim nomine optimum triticum vel eius farinam, illo autem paulò deterius & commune veteres deſignabant: in quo quod puriſſimum eſt, pollen dicebatur, vt flos in ſiligine, quemadmodum annotauit Plinius lib. 18. cap. 10. Hæc Gorræus.*

Equidem ſimilam vel ſimilaginem non eſſe pollen, & Nebriſſenſis annotauit, & Plinij ea de re ſunt verba perſpicua: *Similago*, inquit, *ex tritico fit laudatiſſima. Ex Africo iuſtum eſt, è modiis redire ſemodios, & pollinis ſextarios quinque. Ita autem appellant in tritico, quod florem in ſiligine. Hoc æraria officinæ chartariæque vtuntur. Præterea ſecundarij ſextarios quatuor, furfurúmque tantundem. Panes verò è modio ſimilaginis CXXII. è floris modio CXVII. Pretium huic annona media, in modios farinæ, quadraginta aſſes, ſimilagini caſtratæ octonis aſſibus amplius, ſiligini caſtratæ duplum. Eſt & alia diſtinctio, ſimilago L. pollen autem XVII. pondo panis reddere viſa: tritici XXX. cum triente, & ſecundarij pæxis quinas ſelibras, totidem cibarij, & furfurum ſextarios ſex.* Ioannes Druſius capite 5. in Leuiticum hæc ex Hebræis obſeruat: *Farina Kemach dicitur ſimila Soleth, quæ farina purior eſt, & tritici. Rabbi Salomon: Non eſt ſimila niſi ex tritico, ſicut dicitur, ſimila triticorum, aut tritici*

Aben-

Aben-Ezra, Soleth, farina tritici puri, quæ in lingua Cedarena Semid (Forte Baticum Acemit.) ſed hîc variant Hebræi. Rabbi Dauid in libro Radicum: Soleth eſt farina molita molitione craſſa, ſiue groſſa: & ſic dixerunt in Deuteroſi, vannus educit farinam, & retinet ſimilam. Quæ ſi vera, tum Soleth, erit farina craſſior. Sic in polline variant authores: nam alij dicunt eſſe farinam è furfuribus expurgatiſſimam: aliis eſt farina impurior, vt Celſo medico. De his aliquid certi ſtatuere non eſt meum. Ionathan Leuit. 2. 1. vocat Kemacha Semida, farinam ſimilam, Nam ſemida ſimila eſt, etiam in lingua Arabica, vt dictum eſt. Hæc Druſius.

Ipſe non dubitarim, *Soleth*, ſeu ſimilam eſſe, farinam ex tritico purgatiſſimam, quæ præter furfures, & pollinem, & ſecundarium, excernitur. Vide Plinium lib. 18. cap. 9. & 10. Id forſan fuerit quod Deuteronom, 32. 14. dicitur *medulla* tritici, Hebraïcè, *adeps renum tritici.*

& tritici. Illud profectò ingens & admirandum, quod Roma plebi frumenta gratis in alimenta diuideret: poſt labores, quot ſumptus in eam rem adhibendi? De Romana frumentatione, quia res eſt nulli non comperta, nihil addam, præſertim cùm de ea pleniſſimè diſſeruerit Lipſius, lib. 1. Electorum, cap. 8. & lib. 2. de Magnitudine Romana, cap. 10. qui colligit, *Frumentum vrbi illatum annuum fuiſſe ſexcenties centena millia modiorum: atque indies circiter centum ſexaginta quatuor millia octoginta tria.*

& iumentorum. Plinius lib. 8. cap. 43. *Aſinum CCCC. nummûm emptum Q. Axio Senatori, auctor eſt M. Varro, haud ſcio an omnium pretio animalium victo.* Scribit id M. Varro de Re ruſtica lib. 3. cap. 2. Budæus in Plinio & in Varrone legit, *quadringentis millibus nummûm.* Summa eſt immanis & incredibilis pro aſino, nempe quadraginta millia aureorum. Libri editi in Varrone habent: *quem mihi quadraginta millibus emptum oſtendebat.* id eſt, quatuor millibus aureorum. Idem Plinius lib. 11. cap. 41. de lacte aſinino: *Conferre aliquid & candori in mulierum cute exiſtimatur. Poppæa certè Domitij Neronis Coniunx, quingentas ſecum per omnia trahens fœtas,* (aſinas) *balnearum etiam ſolio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutem credens.* Et lib. 28. cap. 12. *Cutem in facie erugari & tenereſcere, & candorem cuſtodire lacte aſinino putant. Notúmque eſt quaſdam quotidie quingentas* (aſinas fœtas) *cuſtodito numero fouere. Poppæa hoc Neronis Principis inſtituit balnearium quoque ſic ſolio temperato, aſinarum gregibus ob hoc eam comitantibus.* Iuuenalis Satyra 6. de Poppæa.

—Atque illo lacte fouetur,
Propter quod ſecum comites educit aſſellas,
Exul Hyperboreum ſi dimittatur ad axem.

Vetus Iuuenalis Interpres à Pithæo editus, annotat: *Poppæa vxor Neronis adeo diligens in excolenda forma fuit, vt eam quinquaginta* (quingẽtæ) *aſinæ ſequerentur miſſam in exilium, quarum lacte candorem corporis prouocabat.* At quid illud de Poppææ exilio? nugæ non cepit mentem Iuuenalis Grammaticus, vult enim Poppæam traxiſſe quingentas aſinas quocúmque, etiam longiſſimè pergentem. Varro lib. 2. de Re ruſtica, cap. 6. *In Italia in agro Reatino optimi & maximi aſini ſunt.* Et poſt alia: *Greges fiunt ferè mercatorum, vt eorum qui è Brundiſino, aut Appulia aſellis doſſuariis comportant ad mare oleum, aut vinum, itemque frumentum, aut quid aliud.* Seneca in Conſolatione ad Heluiam, cap. 11. *Iumentorum corpora differta, & coacta pingueſcere.* Et Epiſt. 87. *Quid ad rem pertinent multæ iſtæ ſaginatæ, vnius omnes coloris? Quid iſta vehicula cælata?*

—Inſtrati oſtro alipedes, pictiſque tapetis,
Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent.
Tecti auro fuluum mandunt ſub dentibus aurum.

& equorum. Studium Romanorum in alendis equis ad Circenſes, nulli non notum. Pauca tantum ſingularia annotabo. Suetonius de Caligula cap. 55. *Incitato equo, cuius cauſa pridie Circenſes, ne inquietaretur, vicinia ſilentium per milites indicere ſolebat, præter equile marmoreum, & præſepe eburneum, prætérque purpurea tegumenta, ac monile è gemmis, domum etiam & familiam, & ſupellectilem dedit, quo lautiùs nomine eius inuitati, acciperentur: conſulatum quoque traditur deſtinaſſe.* Dio lib. 59. de eodem Caio: *Quendam ſuorum equorum, Incitatum nomine ad cœnam quoque adhibebat, & ei in auro hordeum* (& inauratum ei hordeum) *apponebat, & in poculis aureis vinum propinabat: ſalutem eius ac fortunam iurabat, Conſulémque ſe eum creaturum pollicebatur: facturus ſi diuitiùs vixiſſet.* Et ad finem eiuſdem libri, vanitatem Caij deſcribens, ſe ipſum Deum conſtituentis, ait: *Ipſe etiam ſibi Sacerdos fuit, equúmque ſuum collegam Sacerdotij aſciuit.* dignum tali Deo ſacerdotem. Viſa éſtne vnquam in natura maior inſania?

Iulius Capitolinus de Vero Imperatore Marci fratre: *Nam & volucris equo praſino aureum ſimulacrum fuerat, quod & ſecum portabat. Cui quidem paſſas vuas & nucleos in vicem hordei in præſepe ponebat, quem ſagis fuco tinctis coopertum, in Tiberianam ad ſe adduci iubebat. Cui mortuo ſepulchrum in Vaticano fecit. In cuius equi gratiam primùm cœperunt equis aurei velut brauia poſtulari. In tanto autem equus ille honore fuit, vt ei à populo praſianorum ſæpius modius aureorum poſtularetur.* Similis Caianæ dementia. Famoſus quoque eſt in lapidibus Aquilo equus ſæpè in Circenſibus victor. Vide Gruterianas Inſcriptiones, & Lipſium in Epiſt. ad Valentem Acidatum.

& rhedarum. Plinius lib. 33. cap. 11. *At nos carrucas ex argento cælare inuenimus.* Et lib. 34. cap. 17. *Deinde & argentum incoquere ſimili modo cœpere, equorum maximè ornamentis. Cœpêre deinde & eſſeda, & vehicula, & petorita exornare: ſimilique modo ad aurea quoque, non modo argentea ſtaticula inanis luxuria peruenit: quæque in ſcyphis cerni prodigium erat, hæc in vehiculis atteri, cultus vocatur.* Suetonius de Nerone, cap. 30. *Nunquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis, canuſinatis mulionibus.* Lampridius de Heliogabalo: *Imperator verò etiam ſexcenta vehicula dicitur duxiſſe, aſſerens, decem millibus camelorum Perſarum regem iter facere, & Neronem quingentis carrucis iniiſſe.* Mille potius, vt ait Suetonius. Lampridius de Alexandro Seuero: *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus, vt argentatas haberent, permiſit: intereſſe Romanæ dignitatis putans, vt iis tantæ vrbis Senatores vectarentur.* Vopiſcus de Aureliano: *Dedit præterea poteſtatem, vt argenteas priuati carrucas haberent: cùm antea ærata, & eborata vehicula fuiſſent.* Metellus in Quirinalibus, de Decio Imperatore.

Ibant in Theatrum data
Auro largi fluuij munera Cæſaris:
Carrucas ibi gemmeas
Thraces regis equi abripiunt feri.

& mancipiorum. Seneca in Conſolatione ad Heluiam, cap. 11. *Seruorum turbam, quæ quamuis magnam*

magnam domum anguſtet. Plinius lib. 32. cap. 1. *At nunc tibi quoque ac potus anulo vindicantur à rapina. Hoc profecêre mancipiorum legiones, & in domo turba externa, ac ſeruorum quoque cauſa nomenclator adhibendus.* Et lib. 33. cap. 10. *C. Cæcilius Claudius Iſidorus teſtamento ſuo edixit, Quamuis multa ciuili bello perdidiſſet, tamen relinquere ſeruorum quatuor millia centum ſedecim,* Dio lib. 58. *Seianus Floralibus ad ridendum Tiberium, (caluus enim erat) omnia caluorum miniſterio ad noctem vſque peregerat. Lumen quoque diſcedentibus à Theatro per puerorum raſis capitibus quinque millia præbuerunt.* De Proclo Tyranno Vopiſcus: *Fertur denique eo tempore, quo ſumpſit Imperium, duo millia ſeruorum ſuorum armaſſe.* Athenæus in Deipnoſophiſtis lib. 6. cap. 20. *Hîc Laurentius interfatus: Atqui ô bone Maſſuri, probè noſti, Romanos, inquit, quamplurimos ſeruos poſſediſſe, ex illiſque permultos habuiſſe mancipiorum & decem millia, & viginti, atque etiam plura, non quæſtus & prouentus gratia, qua ſpe Nicias Græcorum ditiſſimus ſeruos comparabat: verùm magna ex parte, vt Romanorum cuique comitum, anteambulonum, & aſſeclarum ingens ſit numerus.*

Hæc qui conſiderauerit, minùs iam mirabitur illa Senecæ 7. de Beneficiis, cap. 10. *Vaſta ſpatia terrarum colenda per vinctos, & familia bellicoſis nationibus maior.* Petronius pag. 157.

Citrea menſa, greges ſeruorum, oſtrúmque renidens.

Vt videas quàm ingens ſeruorum numerus Romanis fuerit, audi Liuianam Epitomen lib. 56. *Bellum ſeruile in Sicilia ortum, cùm opprimi à Prætoribus minimè valuiſſet: C. Fuluio Conſuli mandatum eſt: cuius belli initium fuit Eunus ſeruus, natione Syrus, qui contracta agreſtium ſeruorum manu, & ſolutis ergaſtulis, iuſti exercitus numerum impleuit. Cleon quoque alter ſeruus ad Septuaginta millia ſeruorum contraxit: copiis iunctis, contra populum Romanum, exercitúſque eius bellum ſæpe numero geſſerunt.* At de hoc ſeruili bello plura Plutarchus in Craſſo, Florus lib. 3. c. 19. & alij.

& animarum hominum. Animas hominum hîc optima quæque & pretioſiſſima, atque cum primis deſideratiſſima, & omne genus deliciarum quæ homines valde cupiunt & amant, quibúſque maximè capiuntur, quaſi dicas, deſideria hominum, interpretantur, Varablus, Gagnæius, Sa, & alij. Animam enim Hebraïca phraſi pro deſiderio poni ſæpius in ſacris litteris, nulli non notum. Vide Forſterum, Mercerum, Marinum, Schindlerum in Theſauris, in *Nephes*, id eſt, anima, Villauicentium & Sa in Phraſibus. Verè Propertius de Roma.

Natura hîc poſuit quidquid vbique fuit.

At Ribera & Viegas *animas hominum* exponunt, mancipia quæ emebantur, vt pugnarent in Amphitheatro cum beſtiis, aut in Gladiatoriis muneribus. De qua re vide Lipſium lib. 2. Saturnalium, cap. 3. At quot animæ in eiuſmodi ſpectacula impenderentur, vix credi poteſt. De ſolis gladiatoribus Lipſius ex bonis auctoribus lib. 1. Saturnalium, cap. 12. inquit: *Numerum cum animis veſtris recenſete dierum quos dixi, hominúmque: mentior, ſi non vnus aliquis menſis Europæ ſtetit vicenis capitum millibus, aut tricenis.* Quis verò dubitet maiorem horum partem Romæ erogatam? Proculdubio hîc Ioannes reſpexit ad locum Ezechiel. 27. 13. vt etiam in his quæ de mercibus Romam importari ſolitis ſcribit, imitatus videtur totum illud 27. cap. Ezechielis, vbi Vates fusè Tyrias merces deſcribit: Quod enim eo verſ. 13. Noſter dixit *mancipia*, Hebraïcè eſt, *in anima hominum.* LXX. *in animabus hominum.* Omnéſque ferè interpretantur, mancipia ſeu ſeruos. Atque hæc ſatis de opibus & magnitudine Romæ quondam ethnicæ & Chriſtianæ religionis hoſtis, quam S. Ioannes pulcherrimè deſcripſit.

Quorundam opinio, Romam circa extrema mundi tempora à Chriſtiana Fide, & ſuo Pontifice defecturam: ad antiquam potentiam, opes, magnitudinem, Imperium orbis, atque etiam ad ethnicíſmum, & perſecutiones Eccleſiæ redituram: ac demum incendio, & perenni excidio perituram.

CAP. VII.

REcentiorum nonnulli, exiſtimantes Ioannem quæcumque de Babylone tradidit, de Roma reuera intellexiſſe, mirabilem oraculorum Ioannis de Roma interpretationem excogitarunt. Cùm enim, vti prædiximus fixum eſſe debeat, Euangeliſtam de Roma tam dira prodentem, nullo pacto de Eccleſia Romana, aut de Roma Chriſtiana Orthodoxa, ſed tantùm de Roma ethnica, & impia feciſſe ſermonem; obſeruant, ſi penitiùs introſpiciantur quæ Ioannes de ſupremo Romæ caſu prædixit, eſſe cum primis veriſimile, Deum extremis mundi temporibus recordaturum omnium ſcelerum, & impietatum, atque in Eccleſiam perſecutionum quæ Roma illa gentilis ſub Monarchis ethnicis quondam exercuit. His addendum, Romam circa finem ſæculi, innumera alia noua, atque prioribus vel paria, vel ſuperiora flagitia ad vetera illa accumulaturam: túncque Deum tot, tantíſque & antiquis & nouis Romæ ſceleribus grauiſſimè offenſum & irritatum, extremas pœnas de ingratiſſima vrbe ſumpturum, eamque horrendo excidio funditus deleturum. Quod quidem in hunc modum futurum eſſe coniectant.

Nam cùm adhuc ſtet Roma, certúmque ſit, quamdiu ea orthodoxa permanſerit, & ſuo paruerit Pontifici, exitium illud quod Ioannes minatur, contingere illi haudquaquam poſſe: nimirum quòd ab illis impietatibus, ob quas perituram Ioannes affirmat; quàm longiſſimè abſit: ſed potiùs ſit ſancta, pia, & veriſſimæ religionis ſinceriſſima cultrix: facilè reputare poſſumus, Romam venturis temporibus, imò circa finem rerum, Chriſtianam religionem deſerturam, ſuum Epiſcopum repudiaturam, & priſtinum idolorum cultum inſtauraturam, Eccleſiam perſecuturam, ad antiqua flagitia noua multa & atrociora addituram. Ac tunc quidem poſt electum Pontificem, & profligatos ſeu trucidatos cunctos Eccleſiæ Ordines, breui ad immanem potentiam, opes, delicias, magnitudinem, amplitudinémque Imperij, qualem (niſi certè maiorem) olim, cùm eſſet orbis domina, ſub ethnicis Principibus habuit, peruenturam. Quo etiam tempore, ſuo ſub Imperio decem potiſſimos Reges habituram tanquã adminiſtros, ac præcipua robora. Atque tunc florente Romæ potentia, ac immenſa opum vi, crudeliùs quàm vmquam præteritis ſæculis ſub Nerone, Domitiano, Decio, Diocletiano, aliiſque factum fuerit, ab impia

pia ista vrbe atrocissimam excitandam in Christi Ecclesiam persecutionem, effundendum Martyrum sanguinem, & omnia Christiana sacra pessum danda.

Verùm enimverò quum Roma potentiæ apicem, culménque felicitatis tenere videbitur, tunc fluxam, fragilémque futuram eius magnitudinem: nam decem illos reges, qui eius imperio parebant, insurrecturos in illam, orbem, Imperiumque Romanum in partes distracturos, ac iure belli inter se diuisuros: adhæc in Vrbem ipsam Romam ingentes exercitus ducturos, illámque incendio & horrendo excidio à fundamentis euersuros, vt excisa penitus, omníque habitatore vacua relinquatur in sempiternum: seuero planè ac stupendo diuinæ vindictæ exemplo. Hæc omnia de Roma sub typo Babylonis vaticinatum S. Apostolum, quidam credidere: summámque horum oraculorum hanc esse putant: *Romam propè finem sæculi, propter Apostasiam à Fide & Pontifice, aliáque immania scelera, incendio à decem Regibus delendam.* Quæ quidem omnia quàm maximè esse mira, etiam ipsi huiusce interpretationis architecti haud diffitentur. Sed ne eos somniare, aut diuinare existimemus, depósito omni opinionum studio vel præiudicio, rationes seu coniecturas quibus in eam sententiam inducti fuêre, acriùs expendi postulant: nec plus sibi credi cupiunt, quàm ratio aut veritas persuaserint.

Primùm, Ioannem de Roma ethnica, & Christianæ religionis dira infectatrice verba fecisse, cuius idolomaniam, impietatem, scelera, opes, luxum, amplitudinem Imperij latè descripserit, abundè in præcedentibus demonstrauimus.

Ad hæc, Romam propter veterem illum idolorum cultum, effusúmque olim sanguinem Martyrum, aliáque detestanda antiqua flagitia, incendio tandem in fine sæculi consumendam, Ioannes perspicuè indicare visus est, cùm de flagitiis ait, cap. 18. 4. *Habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius. Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ. Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu.* Et cap. 18. 3. *Quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati sunt: & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti sunt.* Idem cap. 17. 1. & c. 18. 23. *Quia in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes. Et in ea sanguis Prophetarum & Sanctorum inuentus est: & omnium qui interfecti sunt in terra.* De supplicio verò cap. 16. 19. *Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius,* & cap. 18. 5. *Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius,* & vers. 8. *Ideo vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis est Deus qui iudicabit illam,* & vers. 20 *Exulta super eam cælum, & Sancti Apostoli, & Prophetæ: quoniam iudicauit Deus iudicium vestrum de illa.* Et cap. 19. 2. *Quia vera & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de Meretrice magna quæ corrupit terram in prostitutione sua: & vindicauit sanguinem Sanctorum suorum de manibus eius. Et fumus eius ascendit in sæcula sæculorum.* Ac si dixisset: Recordabitur tandem Deus ad finem sæculi (nam de eo tempore Ioannes loqui videtur) omnium scelerum & impietatum Romæ, quæ olim sub Nerone, Domitiano, Traiano, & sequentibus paganis Principibus Ecclesiæ persecutoribus admisit, cùm in immensum promouenda & propaganda idololatria, tum Ecclesiam opprimendo, Apostolos & Martyres trucidando, Christianum sanguinem sine fine fundendo: ac tunc statuet extremas pœnas de impia Meretrice sumere, sanctorúmque pium cruorem in ea seuerissimè vlcisci. ipsámque funditus in sempiternum delere: ob quam vindictam Sancti mirum in modum exultabunt, diuinam iustitiam æternùm celebrantes.

Insuper, Romam circiter postrema mundi tempora, à Fide Christiana defecturam, ad antiquum idolorum cultum, opes, delicias, superbiam, fastum, luxum, ac Imperij magnitudinem redituram, Pontificem profligaturam, Ecclesiam Christi atrociter persecuturam, Martyrum sanguinem crudeliter effusuram: denique pristinum illum potentiæ, & impietatis statum, quem sub gentilibus Monarchis habuit, aut certè maiorem instauraturam: ob quæ tandem incendio pereat: ex iis quæ ex Ioanne hactenus adduximus, aptè probari posse videtur.

Primò, Nequaquam enim Deus Romam in fine mundi deleturus creditur propter sola illa antiqua scelera, si ipsa vrbs, vt modò facit, Christianam Fidem, & suum Pontificem conseruet. Quid enim Orthodoxi, Romani & Ecclesiæ Dei fideles alumni suppliciorum mereri possint propter vetera illa maiorum suorum in Christi Ecclesiam admissa peccata, propter exoletum illum ethnicismum, & deorum impium cultum, si ipsi in vera & Catholica Fide permanserint? Ergo cùm diuinus Ioannes affirmet, Romam in mundi fine destruendam, par est existimare, ipsam propè sæculi occasum, veteri gentilismo, & priscis parentum impietatibus, nouam apostasiam, nouáque infanda scelera, & sæuissimas Ecclesiæ vexationes addituram: ob quæ iusto Dei iudicio exscindatur.

Secundò, verba illa cap. 18. 5. de supremo excidio Romæ, *Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius.* Innuere videntur, prope mundi interitum, Romam cumulum priscorum peccatorum, recentibus & fœdioribus additis adaucturam: præsentiúmque scelerum immanitatem refricaturam Deo memoriam vetustissimarum impietatum.

Tertiò, Addit Ioannes vers. 9. *Et flebunt, & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt, cùm viderint fumum incendij eius, longè stantes propter timorem tormentorum eius, dicentes: Væ, væ, ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum.* Satis hæc indicant, incendium Romæ circiter sæculi occasum futurum propter recentia Romæ crimina, quando etiam reges terræ, qui extremis illis mundi temporibus, pari impietate se cum illa contaminabunt, eius flebunt exitium. Neque enim illi, qui multis retrò sæculis, nimirum sub ethnicis Romanis Principibus, peccatorum Romæ fuere participes, eisdem idolomaniæ, & Ecclesiæ persecutionum sceleribus innexi, tunc ad finem rerum, Vrbis ruinam deplorare poterunt.

Quartò, cùm se Roma superbè iactat cap. 18. 7. *Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.* In id tempus aptè conuenire videtur, quando ipsa propè sæculi interitum, rerum potens, & plena diuitiis, ejecto legitimo sponso, Romano Pontifice, impietate tumens, vanissimas has voces effundet. Quamuis sponsum meum & Episcopum

ciecerim, vidua tamen non sum, cùm sim orbis domina, & culmen magnitudinis & felicitatis attigerim: tot sub me reges habens, qui mihi & maritorum, & fratrum, ac filiorum loco esse possunt.

Denique, Romam eo tempore decem habitura Reges suo subiectos imperio, qui eam tunc maximè florentem è culmine rerum deiiciant,& funditus deleant, eiúsque imperium inter se partiantur, disertè perscribere videtur Ioannes cap.17. 12. *Et decem cornua quæ vidisti,decem Reges sunt.*Et ver.16. *Et decem cornua quæ vidisti in Bestia, ij odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igne concremabunt.* Verùm de his decem Regibus fusior nobis posteà instituetur disputatio. Tempore autem, quo ij decem Reges in orbe post excisam Romam, Imperij per partes sceptra tenebunt, venturum Antichristum, ex diuinis oraculis in sequentibus accuratè demonstrabimus. Ipsum verò Romæ supremum ac sempiternum excidium, Ioannes cap.17. 18. & 19. copiosè enarrat: futurum verò prope finem rerum, ipsa oraculorum series, ac tenor locorum inter se collocatorum, & ductus prophetici sensus facilè euincunt.

Equidem si cuncta quæ Sanctus Euangelista de Roma sub typo Babylonis exponit, attentè considerentur: proculdubio apparet, nec absurdè, nec ineptè cùm hactenus perducta recentiorum Interpretatione congruere. A qua sanè non multùm abluſit Andreas Cæsarienſis Episcopus cap.52. in 17. Apocalyp. qui elucidans, quæ sit illa Babylon de qua Ioannes tam multa eo capite vaticinatur, inquit: *Nos autem ex iis coniecturam facientes, quæ hinc sequuntur, per hanc Babylonem insinuatam existimamus, prænobilem ac præsentem quampiam ciuitatem, quæ vsque ad Antichristi aduentum principatum in terrarum orbe sit obtentura: siquidem antiqua Roma iam olim Impery maiestatem amisit: nisi quis forsan arbitretur pristinam dignitatem & maiestatem suo posteà tempore denuò recuperaturam. Verùm hoc admisso, ciuitas illa magna, quæ hodiè primatum obtinet, è medio facessat oportet.* En propemodum Riberæ & recentiorum opinionem de Roma prope mundi finem. Quin & Pseudo-Sibyllinis libris plura inserta extant, quæ & cladem Romæ sub mundi finem, perspicuè canant, & cum verbis Ioannis, atque recenti ista explanatione conuenire videantur. lib. 2.

—Hominum tum denique sæclum
Existet decimum, quando qui sidera fecit
Concussor terræ, statuarum frangat amorem,
Et Romæ populum, quæ septem continet arces,
Concutiet: dires deleta peribit opum vis,
Vulcano crebris miscente incendia flammis.

Et lib. 3.

Europæque nimis magnus dolor exorietur,
Saturni de gente notha, seruisque creata.
Illa etiam firmam Babylona domabit, & omnis
Quantum sol lustrat, terræ regina vocata,
Tristibus infelix fatis euersa peribit,
Nec iam deinde vagos compescet lege nepotes.

Et paulò antè:

O auro locuples Roma prognata Latina
Virgo tenella, procis multis optata frequenter,
Ebria non vllo cum mundo, seruáque nubes.
Sæpe tibi vellet teneros hera dura capillos,
Et pœnas repetens ad terram sternet ab alto.
Fiet Roma ruina: ita digerit omnia fatum.

Et lib. 7.

Roma ferox animi, post fracta Macedonis arma,
Fulgure perstringens cælum: sed te Deus omni
Robore priuabit, cùm firma videberis esse.

Et lib. 8.

Par tibi de cælo, sublimis vertice Roma,
Aduenient clades, & flexo vertice prima
Complanaberis, & tota absumeris ab igni,
In tua deuergens sola: diuitiæque peribunt:
Inque tuis degent vulpésque, lupique ruinis.
Tunc deserta, quasi nunquam sis nata, iacebis.

Hæc mirè congruunt verbis Ioannis de Roma, cap. 18. 2. *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis.* Et versu 8. *Ideo in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur.* Sequitur portò Sibylla:

Tum finis mundi, tum lux extrema propinquat,
Iudiciúmque Dei æterni, lectisque probisque.
Sed Romæ præcedet ineluctabilis ira.
Infelix vita aduenient, tempúsque cruentum.

Et posteà:

Roma tuas primas cernens pœnas, fremitúmque
Nec tibi iam seruile iugum ceruice subibit
Aut Syrus, aut Græcus, vel Barbarus, aut alius quis
Ex scindêre luésque quod vnquamcumq; patrasti,
Et trepidans, donec persolueris omnia, flebis:
Túque triumphus eris mundo, tu dedecus orbis.

Auctores præfatæ opinionis, de eáque iudicium.

CAP. VIII.

QVod equidem scire potuimus, eius sententiæ primus auctor videtur fuisse Franciscus Ribera in 14. Apocalyp. num. 24. & seq. hunc mox sequuti sunt Gaspar Melus in 14. Apocal. & Blasius Viegas in Apocal. 17. sect. 3. & in cap. 18. sect. 4. qui fusè & explicatè eam opinionem, atque interpretationem firmare & stabilire conantur. Adstipulati eidem etiam sunt alij, quorum verba subiungo. Robertus Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap.4. extremo,inquit:*Neque obstat, quòd tempore Antichristi Roma desolanda, & cremanda videatur,vt deducitur ex cap.17. Apocalypsis. Nam hoc non fiet nisi in fine mundi: & præterea tunc etiam summus Pontifex, Romanus Pontifex dicetur, & erit, licèt Romæ non habitet, sicut accidit tempore Totilæ regis Gothorum.* Et lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 13. adducens quædam Scripturæ loca, quibus demonstret Sedem Regni Antichristi non Romæ sed Ierosolymis figendam, ait: *Secundus locus est Apocalypsis 17. vbi Ioannes dicit, decem Reges, qui sibi diuident Romanum Imperium, & quibus regnantibus veniet Antichristus, odio habituros purpuratam Meretricem, id est, Romam, & eam desolatam facturos, atque etiam igne concrematuros. Quomodo ergo erit sedes Antichristi, si illo ipso tempore debet euerti & comburi?* Atqui hanc Romæ,Romanique Imperij euersionem, & in decem Reges distractionem anteceſſuram Regnum Antichristi, siquidem Antichristus non veniet nisi Roma destructa & extirpata, & Romano Imperio à decem illis Regibus qui eam deleuerunt, vsurpato, idem Bellarminus capite 5. eiusdem libri pluribus ostendit.

Franciscus Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 56. sect.2.

sect. 2. §. *Respondetur*, agens de eorum interpretatione, qui Babylonem in Apocalypsi Romam intelligunt, ita scribit: *Hanc si expositionem admittamus, quam Gagnæius in Apocalypsim dicit esse probabilem, & ex recentioribus nonnulli ex eruditis, qui contra hæreticos scribunt, illam amplectuntur: qui aduertunt, Ioannem non esse locutum de Romana Ecclesia, sed de Vrbe, non Christiana, sed ethnica: locutus enim de illa est, considerando eum statum, quem habebat, quando ipse scripsit: & si fortasse in fine mundi similem habitura est, à Fide, & obedientia Rom. Pontificis deficiens, ab ethnicis tyrannis subiugata.*

Ludouicus Alcasar in Proœmio Apocalypsis, notatione 13. inquit: *Scio à Maluenda lib. 4. de Antichristo, c. 5. opinionem hanc tribui Suario & Bellarmino: sed immeritò, vt suo loco videbimus.* Vidisti, lector, nunc verba Bellarmini & Suaris, tu iam vide quam immeritò illis eam opinionem tribuerim. Et quid illud, *vt suo loco videbimus?* oblitus est penitus Bellarminum & Suarem suo loco à mea calumnia vindicare: nam in tota deinceps vasta illa Commentariorum mole, ne vllum de ea calumnia verbum, Scio Suarez in opere aduersus Anglicanos errores lib. 6. cap. 7. aliter sensisse; sed ipse scribens anno 1604. nondum diuinare potueram quidnam Suarez scripturus erat anno 1613. Quinimo cap. 21. eiusdem libri, ait: *Vlterius addo, quod in dicto cap. 7. ex opinione multorum sapientum retuli, non esse incredibile, Romam prope Antichristi tempora, vel in illis, à gentibus iterum superandam esse, & ad priorem statum ethnicum reuocandam, electa inde Ecclesia, vel ita afflicta vt quasi in angulo, vel in cauernis terræ delitescat: & tunc impleri optimè poterit prophetia Ioannis in Roma ethnica.* Sed iam alios præfatæ opinionis auctores referamus.

Thomas Bozius de Signis Ecclesiæ lib. 24. c. 6. hæc habet. *Iam cùm Roma plerúmque aut etiam semper ex magna parte, quoties Imperatores arma in Pontificem Romanum mouerunt, aduersus hunc pro illo pugnarit, & in ipsa vrbe innumeri veræ pietatis cultores sint interempti: tunc diuinitus fiet, vt quemadmodum Roma est incendio Neronis, qui primus in Ecclesiam bella mouit, absumpta, & succedentibus temporibus, quoties hæc accidebant, ingentes passa est calamitates & clades: sic velut adultera ex antiquo tempore, priorum scelerum, illorúmque, quorum tunc erit rea, pœnas dabit, & vnà cum Romani Imperij dignitate ac potestate ab Antichristo, & eius copiis funditus euertetur. Quod docemur è cap. 17. Apocalypsis.*

Henricus Henriquez de Fine Hominis, cap. 23. §. 3. littera, m, in Commentario: *Roma dum tempore Pauli, & postea tempore Antichristi, seruiet idololatriæ, dicitur Babylon.* Tempore Antichristi dixit: id est, prope tempora Antichristi. Repetit eadem §. 5. littera, 6. in Commentario, & vtroque loco citat in suam sententiam Riberam.

Leonardus Lessius in disp. de Antichristo, demonstr. 12. §. *Tertiò probatur*, in hunc modum disserit: *Tempore Antichristi Roma erit deleta, vt apertè colligitur Apocalyp. 17. vbi dicitur, decem illos Reges, qui breui tempore regna potientur, odio habituros fornicariam, eámque igni combusturos, & tradituros regnum suum Bestiæ, seu Antichristo. Deinde explicans, quænam illa mulier sit*, Mulier *inquit*, quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ. *Quibus verbis apertè designat Romam, qualis erat tempore S. Ioannis, & qualis futura est sub finem mundi, vt optimè ostendit Ribera in hunc locum, & in cap. 14. Apocalyps. num. 51. & seq. Neque alicui videri debet incredibile, Romam aliquando rursus imperium obtenturam. Quid enim si Turca Italiam, impiis quibusdam Christianis eum accersentibus vel inuita ntibus, aliquando obtineat, & sedem Regni Romæ constituat? Quo facto mirum non esset, si vicina regna hæreticorum factionibus debilitata & dissecta, in eius quoque potestatem venirent: præsertim cùm hæretici Turcam regnare malint, quàm Pontificem, aut Regem probè catholicum. Hoc euentu, an non omnia quæ olim Romano Imperio paruerunt, rursus Romæ subessent, & ipsa rursus orbi sicut olim dominaretur? Rursus facilè fieri potest, vt tam vastum Imperium scindatur, & in decem Reges diuidatur: à quibus deinde ipsa Roma, quæ illos afflixerat, exscindatur. Magna paucis sæculis potest fieri rerum conuersio. Verùm quomodo ista futura sint, Deo permittamus. Hoc tamen constat, Romam ab illis regibus ante regnum Antichristi, vel sub initium illius, esse euertendam.* Vide quoque de his Ieremiam Ferrerium lib. 1. de Antichristo, cap. 33. pag. 1025.

Cornelius à Lapide Commentariis in 2. Thessalon. 2. hæc habet: *Tertiò Roma sub finem mundi ad pristinam Imperij dignitatem, æquè ac scelera, & à Christianismo ad ethnicismum redibit: Pontificémque suum expellet, & fideles & adhærentes persequetur: vti fecit tempore Neronis, Decij, & aliorum Imperatorum gentilium. Vnde in Apocalypsi cap. 17. vers. 18. & seq. Roma sub finem mundi futura vocatur Babylon, meretrix magna, sedens super septem montes, ebria sanguine Sanctorum, & Martyrum Iesu: quæ vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes. Id est, supplicia suæ idololatriæ, (hæc enim à Prophetis vocatur fornicatio) aliorúmque scelerum consequentium deriuauit in omnes gentes, hoc ipso, quo eas ad suam idololatriam, aliáque scelera imitanda compulit.*

Ceterùm Francis. Suarez lib. 5. aduersus Anglicanos errores cap. 7. suum de hac opinione iudicium hisce verbis exponit: *Modus ille, quo vir eruditus Thomas Maluenda vltimum excidium Romanum describit, iuxta eorum sententiam, qui de Romana vrbe prophetias Apocalypsis intelligunt, neque ab omnibus qui illum sensum approbant, asseritur; nec mihi videtur necessarius, aut cogente fundamento fultus. Ait enim Romam circa finem mundi ad plura & maiora scelera & flagitia redituram quàm priùs, quum esset ethnica, commiserit: nam & fidem negabit, & Pontificem à se abiiciet, & Ecclesiasticos ordines trucidabit: & ad idololatriam redibit: nam antiquam temporalem potentiam iterum recuperabit, cum maiori amplitudine & imperij maiestate, quàm anteà habuerit: decémque Reges potentissimos sibi subiectos habebit, quorum opera Sanctos persequetur acerbiùs, & martyriis crudelioribus afficiet, quàm sub Imperatoribus ethnicis passi fuerint. Posteà verò intra breue tempus, ait, Reges illos à Roma defecturos, & aduersus illam insurrecturos, ac penitus deleturos, Deo id permittente in vindictam scelerum eius, tam præteritorum quàm illo tempore præsentium. Credendum enim est, Deum non permissurum tam graue Romæ supplicium, nisi ipsa priùs antiquis peccatis noua superadderet, & iram Dei in se excitaret. Atque ad hunc modum accommodat quæ in cap. 17. & 18. Ioannes prædicit. Ac tandem post destructionem à decem regibus factam, venturum esse dicit Antichristum, iuxta alias prophetias. Hæc verò omnia licèt impossibilia non sint: neque enim cum aliqua prophetia aut promissione Romæ facta, quam*

ego sciam, repugnent, non videntur mihi necessaria, nec satis fundata. Hæc Suarez. Et ad oram hîc eius libri affixum est: *Doctoris cuiusdam Catholici opinio impugnatur.*

Ego Suaris modò mentem non excutio, num reuerà existimarit, me eam de Romæ apostasia, & interitu prope aduentum Antichristi, opinionem secutum: sed qui hæc eius verba legerint, poterúntne aliud intelligere, quàm me, meámque sententiam à Suare impugnari? Sed cur me obsecro, auctorem eius opinionis verbis ambiguis traducere voluit, quam non ego primus aut solus, sed eius Societatis Patres ante me excogitarunt Ribera, & Viegas, quos ipse rectè & vidisse & legisse potuit? Cur non etiam cum illis, vt mecum altercabatur? nam ego eam interpretationem ex illis ad verbum ferè transcripsi, & proposui. Deinde cur non antequam me arriperet, eiusmet opinionis quam ipse olim vtcumque probauerat, palinodiam recantabat? Nam quamuis hîc eam à se amoliri satagat: disertè tamen disp. 56. sect. 2. hæc priùs scripserat: *Etsi fortasse in fine mundi similem statum* idololatriæ & potentiæ *habitura est, à Fide & obedientia Romani Pontificis deficiens, ab ethnicis tyrannis subiugata.* Hæc quantum absunt à Riberæ opinione? Denique Maluendam eam opinionem amplexum? nihil minus. Perspicua & luculenta sunt verba mea lib. 4. de Antichristo, cap. 5. prioris editionis, quibus me ab ea sententia & interpretatione alienum expresè professus sum. Ipsa legantur: & calumnia obtunso collo terga dabit.

Iam Suarez multa mole argumentorum eam de Romæ nouissima apostasia & magnitudine Imperij sententiam, & Apocalypsis explanationem conuellere aggressus est. Sed nescio num suis rationibus causam confecerit: eas persequi singulas in animo non est, quod & molestum, nec è re nostra sit. Existimat quidem Suarez ex vaticiniis Apocalypsis de Babylonis, id est, Romæ excidio, certò haberi Romam tandem aliquando esse omninò & irreparabiliter euertendam: vnde fit verisimile, id futurum esse prope diem iudicij, & tempore Antichristi, vel circa: nimirum circa finem sæculi funditus destruendam: sed quod ante hanc supremam cladem, Roma sit ad idololatriam, Imperij immanem potentiam, persecutiones Ecclesiæ reditura, atque propter eiusmodi impietates delenda, neutiquam ex iis oraculis colligi, & esse incertissimum. Deleri, inquit, poterit, cùm propter scelera Christianorum, quæ circa extrema illa tempora vehementer excrescent, tum ad probationem & examen piorum, qui in ea tunc erunt: tum etiam propter multorum ciuium eius apostasiam à fide, quamuis Pontifex, & Ecclesia, & præcipua eius capita in Religione Christi permaneant. Ceterùm qui Apocalypsis oracula de Babylonis, id est, Romæ damnatione & interitu attentè considerauerit, aliter equidem sentire non poterit, quàm S. Ioannem illud planè significasse, Romam ob idololatriam & effusum sanguinem Martyrum, siue hæc vetera, seu noua sint eius flagitia, tandem extremas pœnas & supplicia luituram. Vide caput præcedens. De Romæ tamen excidio in fine sæculi, dicemus abundè infrà cap. 30. in IV. Expositione.

Ludouicus Alcasar de prædicta Riberæ, & recentiorum opinione notatione 13. Proëmiali in Apocalyps. num. 4. ita censuit: *Hi auctores rem nouam, incertam, & improbabilem in medium adducunt, dum asserunt Romam Catholicam religionem deserturam, & futuram idololatriæ metropolim, ac sæuissimam Christianæ Ecclesiæ oppugnatricem.* Et num. 9. *Existimo nouam hanc opinionem nullam in se probabilitatem habere. Nec tamen seueriori illam nota dignam censeo: licèt enim nulla mihi subeat dubitatio, quin Roma nunquam sit ad idololatriam regressura: ceterùm nihil est quod grauioris censuræ nota prædictæ opinioni inuratur.* Addit argumenta quibus illam euertat, sed infirmiora illis Suaris.

Ego quidem præfatam Riberæ de suprema Romæ apostasia, potentia, & sceleribus nouissimis, atque interitu sententiam, nec penitus absurdam, nec à verisimilitudine, aut à verbis oraculorum Apocalypsis prorsus alienam, semper existimaui: sed tamen de illa eadem statuo quæ olim; nempe ex formula; *Non liquere.* Nec mihi planè placere. Nobiscum quoque sensit Benedictus Iustinianus in 2. Thessal. 2. ad vers. 3.

Verùm hîc opportunè monemus, si ea recentiorum opinio de Romæ apostasia vera vtcumque esset, extremis illis mundi temporibus quamuis Roma ad ethnicismum & priscum Imperium redeat, suúmque Pontificem exigat: Ecclesiam tamen Christi eum suo legitimo Pastore Romano & œcumenico Episcopo inter eas procellas & turbines etsi afflictam, eiectam, profugam, nihilominus constantem & inuiolabilem in fide & religione Christiana & orthodoxa mansuram: siquidem nunquam aduersus eam portæ inferi prævalebunt. Tunc autem Rom. Pontifex Roma exactus, aliò commigrabit, vel ob persecutionem in deserta se condet, & latitabit. Forsan in Orientem ac Terram Sanctam eo tempore secedet: nam quum veniet Antichristus futuros plures Christianos in Palæstina, libro 6. capite 40. docebimus.

Bifariam autem intelligi potest, Romani Pontificis sedem & thronum à Roma posse transferri aut mutari. Primò, manente semper Pontifice ipso re & nomine Episcopo Vrbis Romæ, quamuis alibi & non Romæ habitet: quod aliquando iam contigisse constat: nimirum illis septuaginta annis, quibus Romani aliquot Pontifices vixerunt in Galliis, Auenione Apostolica Sede collocata à Clemente V. anno 1305. vsque ad 1376. quo Gregorius XI. Sedem Romæ restituit. Secundò, si propter hæreses, aut pestem, aut clades, vel alia exorientia mala, seu propter Romanorum ciuium ab Ecclesia & Religione Christiana defectionem, vel aliis grauissimis de causis, Summus totius Ecclesiæ Pontifex, maturo & prudenti consilio ac decreto, thronum Apostolicum omnium supremum, à Roma in aliam vrbem, aut Ecclesiam transferret: vt ea ratione supremus vniuersalis Ecclesiæ Antistes, successor Petri, Christi Vicarius iam non ampliùs esset, nec diceretur Romanus Episcopus, sed peculiariter illius vrbis seu Ecclesiæ in quæ translatam à Roma Sedem fixisset: simúlque vniuersè totius Ecclesiæ Catholicæ per totum orbem diffusæ Oecumenicus Patriarcha. Vel si nullibi locorum peculiaris Episcopatus sedem constituisset, vniuersalis totius orbis Episcopus, Christianorum Pontifex Maximus, & Christi in terris verus & legitimus Vicarius, Petrique successor permaneret.

Atqui vtroque modo & primo illo, & secundo posse Sedem Apostolicam Rom. Pontificis à Roma transfer

transferri, concedunt inſignes Theologi, Thomas Vualdenſis lib. 2. Doctrinalis Fidei, cap. 41. Dominicus Sotus in 4. ſententiarum, diſtinct. 24. quæſt. 2. art. 5. in fine, Gaſpar Caſalius Conimbricenſis Epiſcopus lib. 2. Axiomatum Chriſtianorum, art. 3. cap. 8. Antonius Cordubenſis lib. 4. quæſt. 1. propoſitione 8. dubio 2. Gilbertus Genebrardus lib. 4. Chronographiæ, pag. 707. Rob. Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontifice, cap. 4. Suares tomo 2. in 3. part. diſp. 56. ſect. 2. Alfonſus Mendoza in Quodlibetis, quæſt. 4. ſcholaſtica, num. 7. & alij. De qua re accuratiùs diſquirere non eſt huius loci. Nos interim in hac controuerſia, vt in omnibus aliis, Eccleſiæ iudicio ſtamus.

Etverò iuxta recentiorum de Romæ à fide Chriſti in fine ſæculi defectione opinionem, vtroque modo Apoſtolicam Romani Pontificis Sedem extremo illo mundi tempore poſſe ab Vrbe Roma aliò dimoueri atque transferri, facilè quiſque poterit æſtimare. Bellarminus tamen loco nuper citato potiùs priori modo futurum eſſe coniectatur, ſic enim ait: *Neque obſtat, quòd tempore Antichriſti Roma deſolanda & cremanda videatur, vt deducitur ex cap. 17. Apocalypſis: nam hoc non fiet niſi in fine mundi: & præterea tunc etiam Summus Pontifex, Romanus Pontifex dicetur, & erit, licèt Romæ non habitet, vt accidit tempore Totilæ regis Gothorum.* Quando Roma ad ſolitudinem penitus fuit, vti cap. 11. inferiùs videbimus.

Inſuper illud annotamus, ſi illa recentiorum ſententia de Romæ in fine ſæculi impietate, & priſtino Imperio recuperato vera eſſet: quamuis apertè cernamus, Romam noſtro hoc æuo multùm abeſſe ab antiqua illa maieſtate & magnitudine terreni Imperij, quà olim ſub Monarchis habuit, nec vllam pateſcere aut ſterni viam ad ingens illud priſcum faſtigium redeundi: at nemo non nouit, quàm breui momento vertantur res humanæ, quàm ſubito quædam corruant Imperia, aliáque conſurgant, vt ſunt omnia caſibus, viciſſitudinibus, & inconſtantiæ obnoxia: ac planè nihil eſſe inſtabilius iis, quæ tantopere vt æterna miramur. Relege quædam verba Leonardi Leſſij in hanc rem, quæ ſuperiori capite deſcripſimus.

Oracula Apocalypſis de excidio Babylonis, id eſt, Romæ, poſſe rectè exponi de cladibus & euerſionibus Vrbis & Imperij Romani, ſub Alarico, Geïſerico, Odoacre, Totila, Attila, & aliis Barbarij Regibus.

CAP. IX.

NE quis exiſtimet, recentiorum de Romæ apoſtaſia & caſu circa finem rerum interpretationem neceſſariam, certámque eſſe: ſciat vaticinia Ioannis de Babylonis, id eſt, Romæ ſupremo excidio, aptè, commodè, rectè intelligi poſſe de Roma antiqua, ethnica, gentium domitrice, déque Romano Imperio illo veteri, gentili, impio: atque de cladibus & de vaſtationibus Vrbis & Imperij, quas iam olim ob idololatriam, & effuſum ſanguinem martyrum à diuerſis Regibus & gentibus pertulit. Equidem Tertullianus, S. Hieronymus, & alij veteres, quos cap. 4. laudauimus, quum Babylonem Apocalypticam Romam interpretantur, diſertè ſe loqui fatentur de Roma illa priſca, rerum potiente, deorum cultrice, Sanctorum debellatrice, déque eius Imperio, qualis erat ſæculo Ioannis, & aliquot ſequentibus ætatibus fuit: nec de fine mundi vllum eos verbum feciſſe, perſpicuum eſt, aut quòd poſtremis Chriſti temporibus fidem Chriſtianam ſit deſertura, vel leuiter indicarunt: ſed ob ſcelera illa antiqua diuinam in illam vltionem deſæuituram, ex oraculis Ioannis ſimpliciter intellexerunt. Quod iam hactenus reuera contigiſſe in hunc modum oſtendimus.

Romam quidem à tempore Fundatæ Salutis ad Conſtantini Magni Imperium, pro maxima & præcipua ciuium parte idolorum cultu deprauatam, & odio in Chriſtianam religionem acriter imbutam perſeueraſſe conſtat. Quo quidem tempore, à Nerone ad Conſtantinum, ſpatio ferme 250. annorum plurimum Roma effudit ſanguinem Martyrum, & infinita flagitia aduerſus Deum, eiúſque Sanctiſſimam religionem perpetrauit: cùm & Imperatores ipſi, Conſules, Magiſtratus, Senatus fermè omnis Gentiles eſſent, & Chriſtianæ religionis hoſtes implacabiles. Sub Imperio autem Conſtantini, tametſi cum ipſo Principe magna ex parte Chriſti fidem amplexa fuerit, in multis tamen ciuibus, & nobilibus, & Senatoribus perſeueraſſe deorum cultui addictam, & Chriſtiano nomini infenſiſſimam: in qua quotidie nefandæ hoſtiæ diis impuriſſimis mactarentur. Deum verò iam non amplius ferentem Romæ tam proiectam impietatem, quæ tantam commoditatem agnoſcendæ ſub Chriſtiano Principe diuinæ veritatis, obſtinato infidelitatis propoſito reſpueret, decreuiſſe tot ſæculorum inueteratum errorem, & iniurias Chriſtianæ religionis ſeueriſſimè vlciſci: ac propterea immiſiſſe plures Barbaros reges cum exercitibus, vt Alaricum, Geïſericum, Odoacrem, Totilam, qui diuerſis temporibus eam ingentibus cladibus & excidiis adeò proſtrarunt, vt tandem Imperium orbis in varios Reges, ac Regna diuulſum, & dilaceratum ipſa Roma penitus amiſerit, nunquamque ipſa ampliùs futura ſit, quòd fuit, extincta & exciſa omni eius terreni maieſtate Imperij. Atque hanc eſſe oraculorum Ioannis de Romæ excidio ſummam. Quæ omnia ita breuiter perſtricta, qualiter ſe habuerint, & quàm concinnè cum verbis vaticiniorum Ioannis de Romæ fini cohæreant, accuratè eſt nunc à nobis patefaciendum.

Equidem Conſtantino Magno in Chriſtiana ſacra concedente, complures ciues Romanos, ac præcipuè magnam Senatus partem in auita deorum ſuperſtitione manſiſſe, Zoſimus Comes eſt auctor, qui agens de Conſtantino Romæ adhuc commorante, cauſas aperit cur è Roma Byzantium Imperij Sedem tranferre cogitauerit, in hunc modum ſcribens lib. 2. *Quum autem dies quidam more patrio feſtus adpetiiſſet, quo die in Capitolium exercitui adſcendendum erat: eum adſcenſum verbis contumelioſis impudenter inſectans, re diuina proculcata, Senatus, atque populi odium incurrit. Cúmque profectas ab omnibus propè dixerim, execrationes haud ferret, vrbem quandam Romæ parem quærebat, in qua Palatium ipſe ſibi conderet. Itaque cùm eſſet inter Troadem & priſcum illud Ilium, inuento loco vrbi condendæ idoneo, fundamenta iecit, &*

& muri partem aliquam in altum egit, quam adhuc videre est, si qui Versus Hellespontum nauigent. Sed quod eum huius operis instituti pœnituisset, eo relicto vt erat imperfectum, Byzantium concessit: cuius vrbis situm admiratus, eam quam maximè statuit amplificandam, & efficiendam idoneam, vt Principis in ea domicilium esset. Vides vt omnes propè Romæ tunc ethnici essent, nisi impius Græculus rem odio religionis exaggeret: atque Constantinum ob susceptam Christianam pietatem Senatui & populo in falso Deorum cultu obstinatè persistenti redditum execrabilem.

Magnentium Tyrannum sacrificia idolorum Romæ permisisse, Constantius Imperator in rescripto quo ea tollit, lege 9. *de Paganis* Codice Theodosiano, his verbis testatur: *Aboleantur sacrificia nocturna Magnentio auctore permissa: & nefaria deinceps licentia repellatur, &c. Dat. VIII. Kalend. Decembris, Constantio A. VI. & Constante Cæs. II. Coss.*

Sub Iuliano Apostata restitutam gentilicam superstitionem, aperta deorum fana, instaurata nefaria sacrificia, institutas novas Christianorum lanienas vbique locorum, sed maximè Romæ, nemo est qui nesciat. Vide lib. 1. cap. 18.

Valentinianus Augustus permisit populo Romano aruspicinam, & facultatem colendi deos patrios, infami hoc & Christiano Principe indigno edicto, quod extat in Codice Theodosiano, lege 9. de Maleficis & Mathematicis: *Aruspicinam ego nullum cum maleficorum causis, habere consortium iudico: neque ipsam, aut aliquam praterea concessam à maioribus religionem genus esse arbitror criminis: testes sunt leges à me in exordio Imperij mei datæ, quibus vnicuique, quod animo imbibisset, colendi, libera facultas tributa est. Nec aruspicinam reprehendimus, sed nocenter exerceri vetamus. Dat. IV. Kalend. Iunij, Treuer. Gratiano A. II. & Probo Coss.*

Ammianus Marcellinus lib. 30. cap. 30. de Valentiniano: *Postremò hoc moderamine Principatus inclaruit, quòd inter religionum diuersitates medius stetit, nec quemquam inquietauit, neque vt hoc coleretur imperauit, aut illud: nec interdictis minacibus subiectorum ceruicem, ad id quod ipse coluit, inclinabat, sed intemeratas reliquit has partes, vt reperit.* Accinit his quoque Zosimus lib. 4. cùm de eodem Principe refert: *Et qui legum quoque promulgationes instituere decreuerat, exorsus ab ipso lare, quod aiunt, nocturna sacra fieri prohibuit: qua lege coercere volebat ea quæ sceleratè designarentur. Sed cùm Prætextatus, qui pro consule Græciam administrabat, vir omni virtute præstans, hanc legem diceret vitam iniucundam & acerbam Græcis parituram, si futurum esset, vt mysteria sanctissima, quæ genus humanum continerent, prohiberentur: peragi ea ritè, vi legis suæ cessante, permisit: ita tamen vt omnia secundum patrias consuetudines, quales ab initio fuissent, perficerentur.* Vidisti vtrumque Græculum pro sua superstitione conantem.

Sed & Symmacus Consularis, V.C. Præfectus Vrbis, cultus deorum acerrimus propugnator lib. 10. epist. 54. ad Valentinianum II. Theodosium I. & Arcadium A A A. de latis à Valentiniano parente in fauorem ethnicæ religionis legibus, ita ad Valentinianum filium perorat: *Eum religionum statum petimus, qui Diuo parenti culminis vestri seruauit Imperium, qui fortunato Principi legitimos suffecit hæredes. Spectat senior ille Diuus ex arce siderea lacrymas sacerdotum, & se culpatum putat, more violato, quem libenter ipse seruauit.* Hæc homo impius, pro viribus nitens collapsam idolomaniam Romæ surrigere. Atqui nonnulla extant Valentiniani rescripta in Codice Theodosiano, Lege 75. & 77. *de Decur.* pro Sacerdotibus fanorum.

Sub Valentiniani autem filiis Gratiano & Valentiniano Iuniore A A. Romanos gentiles ausos deorum cultum innouare, erectis aris, cæsis victimis, & aliis nefariis sacris instauratis, inscriptiones ipsæ aris insculptæ, quæ hodiéque extant fidem abundè faciunt. Descripsit eas Iacobus Smetius pag. 20. num. 14. & pag. 19. num. 11. & exscripsit quoque Ianus Gruterus in antiquis Inscriptionibus. Ad hæc Senatores aliquot Romanos, semel atque iterum, publicis ad eosdem Imperatores legationibus, conatos vt deorum cultus ac cæremoniæ restituerentur: atque cum primis Symmachum à Valentiniano & Theodosio id extorquere enixè contendisse, ex ipsiusmet Symmachi relatione, ex S. Ambrosio lib. 7. epist. 11. & 12. ex Paulino in vita S. Ambrosij, manifestissimè constat. Et si quis Symmachi libros decem epistolarum euoluat, inueniet illis temporibus plures fuisse Romæ Senatores, atque viros clarissimos idolorum cultui addictos: ac plerumque impiam superstitionem, calcatis Principum legibus caput extulisse nefandum.

Tempore verò Honorij, quamuis legibus parentis Theodosij, & eiusdem quoque Honorij, iussæ essent aræ subrui, simulachra tolli, templa demoliri, & omnes abominandi ritus conticescere: quæ leges extant in Codice Theodosiano lege 7. 9. 10. 12. 19. *de Paganis*: nihilominus tamen prauo abusu inualuisse feralem dæmonum cultum, & detestanda deorum sacra Romæ peracta, ex multis intelligere possumus. Paulus Orosius lib. 7. cap. 38. agens de nece Stiliconis eiúsque filij Eucherij, quem pater ad Imperium euehere conabatur, inquit: *Interea Comes Stilico Eucherium filium suum, sicut à plerisque traditur, iam inde Christianorum persecutionem à puero, priuatóque meditantem, in Imperio quoquo modo substituere nitebatur.* Et post alia: *Occisus est Stilico, qui vt vnum puerum purpuram indueret, totius generis humani sanguinem dedit. Occisus est & Eucherius, qui ad conciliandum sibi fauorem paganorum, restitutione templorum, & euersione Ecclesiarum imbuturum se regni primordia minabatur.* Paulus Diaconus in Miscella lib. 13. cap. 29. *Stilico patritius Eucherium filium iam à puero Christianorum persecutionem meditantem, vt in Imperium substitueret, &c.* Iornandes de Regnorum successione, cap. 95. *Stilico Comes Eucherium filium suum paganum, & Christianis insidias molientem, cupiens Cæsarem ordinare, cum eodem filio suo, detecto dolo, occisus est.*

Verùm & ipso tempore quo Roma ab Alarico Gothorum rege obsidebatur, plurima in ea vrbe fuisse deorum simulacra, ex auro etiam & argento fabrefacta, quæ oportuerit Romanos conflasse ad colligendas quinquies mille libras auri, & trecies mille libras argenti Alarico pactas, pro soluenda obsidione, Zosimus lib. 5. ita narrat: *Quod deerat ad conficiendum præfinitum auri librarum numerum, mundo supplere statuebant, quo erant exornata deorum simulacra: quod sanè nihil aliud significabat, quàm simulacra sacra ritibus atque cæremoniis dedicata, mundóque decenti exornata, propterea quòd vrbis felicitatem perpetuam conseruassent, iis ipsis cæremoniis nonnihil abolitis, esse inania prorsus & inefficacia. Quod denique cuncta quæ tenderent ad vrbis interitum*

tum oporteret vndique concurrere : Non ornamenta dumtaxat ſua ſimulacris ademerunt, verùm etiam nonnulla auro & argento facta conflarunt : quorum erat in numero Fortitudinis quoque ſimulacrum, quam Romani Virtutem vocant. Quo ſanè corrupto, quidquid fortitudinis, atque virtutis apud Romanos ſuperabat, extinctum fuit. Id quod ex eo tempore futurum, homines rebus diuinis, & ritibus patriis exerciti prædixerunt. Hæc ethnicus ſcriptor ruinas miſeræ idololatriæ tragicè deplorans.

Quid autem Alarico tunc obſidente Vrbem acciderit, idem Zoſimus ita narrat : *Pompeianus Præfectus Vrbis fortè in quoſdam incidit, qui Romam è Thuſcia venerant, & oppidum quoddam aiebant, cui nomen Neuia, periculis vrgentibus ſeſe liberaſſe, pérque preces ad numen factas, & cultum patritio more præſtitum, exortis ingentibus tonitruis atque fulgetris, hoſtes ſibi iam imminentes abegiſſe. Cum his collocutus, quæcumque de diſciplina ſacrorum eſſent exquirenda, percunctatus eſt. Et quoniam ad animum accidebat ei, quæ tunc inualuerat opinio, quò tutiùs id perageret quod in votis habebat, omnia cum Vrbis Epiſcopo communicat. Is erat Innocentius, quiquidem opinioni ſuæ ſalutem Vrbis anteponens, clam permittebat eis, vt facerent quæcumque ſcirent. Cùm illi non aliter hæc Vrbi conductura dicerent, niſi publice conſueta ſacrificia fierent : Senatu in Capitolium aſcendente, atque tum ibi, tum in foris vrbanis ſacra peragente, nemo particeps eſſe inſtituti patrio more ritus auſus fuit : ſed hominibus illis è Thuſcia valere iuſſis, ad demulcendum omni ſtudio Barbarum ſeſe conuertebant.* Vide quibus tibicinibus labentem idololatriam diabolus ſuſtinere conabatur. Sed mentitur apertè Zoſimus, cùm tantam impietatis calumniam ſanctiſſimo Pontifici Innocentio inurere non veretur.

Sozomenus enim eorum temporum auctor, eandem rem geſtam deſcribens, ne per ſomnium de Innocentio tale quidpiam prodidit, ſic verò lib. 9. cap. 6. refert : *Cùm autem diuturna eſſet obſidio, & peſtis ſimul ac fames Vrbem affligerent : atque interim ſerui multi, ac maximè quotquot natione Barbari erant, ad Alaricum transfugerent : neceſſarium videbatur iis qui in Senatu adhuc Pagani erant, vt in Capitolio, & in reliquis templis ſacrificaretur. Nam Thuſci quidam ad hoc acciti ab Vrbis Præfecto, promiſerant, ſe fulminibus, ac tonitruis abacturos eſſe Barbaros. Gloriabantur enim ab ſe huiuſmodi quidpiam eſſe factum in conſeruationem Larinæ ciuitatis Thuſciæ, quam Alaricus dum Romam contenderet, prætergrediens non cepiſſet. Ceterùm iſtorum nullum fuiſſe profuturum vſum, euentus ipſe declarauit.* Eadem habet Nicephorus lib. 13. cap. 35. apud quos, vt etiam alios omnes, cùm altum ſit ſilentium de Innocentio Pontifice, impia ſacra clàm permittente, perſpicuè refellitur Zoſimi mendacium.

Eo ipſo anno quo Vrbs ab Alarico capta eſt, creatum fuiſſe ab Attalo Tyranno Romanum Conſulem Tertullum hominem numinum cultui deditiſſimum, ſcribit Zoſimus lib. 6. vbi agens de Magiſtratibus ab Attalo Romæ creatis, hominibus paganis, inquit : *Ciues Romani magna lætitia fruebantur, qui & alios Magiſtratus Reipublicæ rectè gerendæ peritos nacti fuiſſent, & inſignem ex Tertulli Conſulis honore voluptatem caperent. Solam eorum familiam, qui Anicij dicuntur, mordebant ea quæ publicè vniuerſis conducere videbantur : quòd ſoli omnium propè dixerim, diuitias poſſidentes, felicitatem publicam permoleſtè ferrent.* Hæc idcirco Zoſimus, quòd Aniciorum familia Chriſtiana eſſet, atque idololatriam execraretur. Sed de Tertullo Conſule hæc Oroſius lib. 7. cap. 42. *Vmbratilis Conſul Tertullus auſus eſt in Curia dicere : Loquar vobis, Patres Conſcripti, Conſul & Pontifex, quorum alterum teneo, alterum ſpero.* At quibuſnam auſpiciis eo tempore Romæ Conſulatus inirentur, Saluianus Maſſilenſis Epiſcopus lib. 6. de Prouidentia, ita memorat. *Quid enim ? Numquid non conſulibus & pulli adhuc gentilium ſacrilegiorum more paſcuntur, & volantis pennæ auguria quæruntur, ac penè omnia fiunt, quæ etiam quondam Pagani veteres friuola, atque irridenda duxerunt ? Et cùm hæc omnia ipſi agant, qui annis nomina tribuunt, & à quibus anni ipſi exordium ſumunt : credimus nobis bene annos poſſe procedere, qui à rebus talibus ordiuntur. Atque vtinam ſicut hæc propter Conſules tantùm fiunt, ita illos tantum inceſtarent, propter quos fiunt : illud eſt feraliſſimum & grauiſſimum, quòd dum conſenſu publico aguntur, honor pauciſſimorum, fit crimen omnium : ac ſi ex ſingulis bini inaugurentur, propè eſt, vt in omni mundo nullus euadat.*

Et poſt multa de publicis Ludis Romæ actitari ſolitis, hæc deplorat : *Nam cùm duo ſint maxima mala, id eſt, ſi homo ſeipſum, aut Deum lædat : hoc vtrumque in Ludis publicis agitur : nam per turpitudines criminoſas æterna illic ſalus Chriſtianæ plebis extinguitur : & per ſacrilegas ſuperſtitiones maieſtas diuina violatur. Dubium enim non eſt, quod læduns Deum, vtpote idolis conſecratæ : colitur námque & honoratur Minerua in gymnaſiis, Venus in theatris, Neptunus in Circis, Mars in arenis, Mercurius in Palæſtris : & ideo pro qualitate actorum, cultus eſt ſuperſtitionum. Quidquid immunditiarum eſt, hoc exercetur in theatris, quidquid luxuriarum eſt, in palæſtris, quidquid immoderationis, in Circis, quidquid furoris, in caueis. Alibi eſt impudicitia, alibi laſciuia, alibi intemperantia, alibi inſania, vbique dæmon : imò per ſingula Ludicrorum loca, vniuerſa dæmonum monſtra : præſident enim ſedibus ſuo cultui dedicatis.* Vides vt Roma illis temporibus imbuta fuerit nefandis gentilicæ ſuperſtitionis ritibus.

At quàm abundauerit Roma Gentilibus eo tempore quo ab Alarico obſeſſa, Priſcum Attalum Tyrannum coacta eſt ſuſcipere, Sozomenus oſtendit lib. 9. cap. 9. Cùm ait : *Pagani ducta coniectura ex Attali tum propoſito, & priori educatione, prorſus exiſtimabant, illum palam paganiſmum amplexurum, & ipſis templa patria reſtituturum, & ferias, & victimas.* Eadem Nicephorus lib. 13. cap. 35.

Ergo qui mente perpenderit tot Romæ flagitia à Conſtantino Magno ad Honorium, quando in ea Vrbe idololatria in magna ciuium parte viguerit : atque hæc tam horrenda ad priora illa à Neronianis temporibus ad Conſtantinum, adieciſſe : facilè intelliget, rectè Romam à Ioanne Babylonis appellatione potuiſſe infamari. Equidem Roma verè & iuſtè nomen Babylonis ſuſtinere potuit, eo tempore, quo cum Religio Chriſtiana in ipſa ſub Principibus Chriſtianis egregiè floreret ; ex magna tamen ciuium & nobilium parte, adhuc eadem ipſa in ethniciſmo & impietate perſeuerare contenderit, Diuino lumini, & tantis beneficiis planè ingratiſſima. Iſta quidem S. Paulinus Nolanus Epiſc. egregiè conſiderans, Romam ex altera ſui parte paganam, Babylonem : ex altera verò Chriſtianam, Sionem iure nuncupauit : dum enim narrat reditum Melaniæ ſenioris clariſſimæ feminæ è Ieroſolymis Romam, hæc ait epiſt. 10. ad Seuerum : *Hanc ergo*, nempe Melaniam, *filia*

Sion hactenus habuit, & desiderat: nunc filia Babylonis, Roma scilicet, *habet, & admiratur: quia iam & ipsa vrbs in pluribus filia Sion est, quàm filia Babylonis.* Et post pauca: *Vt tam insignis anima plus Romæ conferat, quàm de Roma trahat: & sic sedeat supra flumina Babylonis, vt recordetur Sion, & organo corporis sui suspenso ab inimicæ omnibus Babylonis insidiis & illecebris, in sui propositi tenore, velut in salicibus, gemino semper humore viuentibus constituta, viuere non desinat, &c.*

Cùm talis Roma fuerit, tantísque idolorum abominationibus in magna ciuium parte fœdata, vt iustissimè Babylon appellari potuerit: in promptu erit reputare, ingentem illam Alaricanam cladem sub Honorio Principe, non propter Romam Christianam & Orthodoxam, sed propter Romam ethnicam & impiam vltore Deo Vrbi contigisse. Id quidem Patres summo semper consensu tradidère. S. Augustinus in eo potissimum versatus est argumento, vt aduersus Gentilium calumnias clarissimè ostenderet, non propter Christianam Religionem, sed ob impia paganorum scelera horrendum illud excidium Romam ab Alarico pertulisse. Hoc enim egregiè præstitit integro admirando illo Opere de Ciuitate Dei: de quo ipse lib. 2. Retractationum, cap. 43. *Interea Roma Gothorum irruptione, agentium sub Rege Alarico, atque impetu magna cladis euersa est. Cuius euersionem deorum falsorum, multorúmque cultores, quos vsitato nomine Paganos vocamus, in Christianam religionem referre conantes, solitò acerbiùs & amariùs Deum verum blasphemare cœperunt. Vnde ego exardescens zelo Domus Dei aduersus eorum blasphemias, vel errores libros de Ciuitate Dei scribere instituí.* Et lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 1. *Multi verò in eam* Ciuitatem Dei *tantis exardescunt ignibus odiorum, támque manifestis beneficiis Redemptoris eius ingrati sunt, vt hodie contra eam linguas non moueant, nisi ferrum hostile fugientes, in sacratis eius locis, vitam, de qua superbiunt, inuenirent. Annon etiam illi Romani Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum, Barbari pepercerunt? Testantur hoc Martyrum loca, & Basilicæ Apostolorum, quæ in illa vastatione vrbis, ad se confugientes suos, alienósque receperunt. Hucúsque cruentus sæuiebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidatoris furor: illò ducebantur à miserantibus hostibus, quibus etiam extra ipsa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui similem misericordiam non habebant. Qui tamen etiam ipsi alibi truces, atque hostili more sæuientes postea quam ad loca illa veniebant, vbi fuerat interdictum quod alibi iure belli licuisset, tota feriendi refrænabatur immanitas, & captiuandi cupiditas frangebatur.*

Sic euaserunt multi qui nunc Christianis temporibus detrahunt, & mala quæ illa ciuitas pertulit, Christo imputant: bona verò quæ in eos vt viuerent, propter Christi honorem facta sunt, non imputant Christo nostro, sed fato suo: cùm potiùs deberent, si quid rectè saperent, illa quæ ab hostilibus aspera & dura perpessi sunt, illi diuinæ prouidentiæ tribuere, quæ solet corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere: itémque vitam mortalium iustam atque laudabilem talibus afflictionibus exercere, probatámque vel in meliora transferre, vel in his adhuc terris propter vsus alios detinere. Illud verò quòd eis vel vbicumque, propter Christi nomen, vel in locis Christi nomini dicatissimis & amplissimis, ac pro largiore misericordia ad capacitatem multitudinis electis, præter bellorum morem truculenti Barbari pepercerunt, hoc tribuere temporibus Christianis, hinc Deo gratias agere, hinc ad eius nomen veraciter currere, vt effugiant pœnas ignis æterni. Quod nomen multi eorum mendaciter vsurparunt, vt effugerent pœnas præsentis exitij. Nam quos vides petulanter & procaciter insultare seruis Christi, sunt in eis plurimi qui illum interitum, cladémque non euasissent, nisi seruos Christi se esse finxissent. Et nunc ingrata superbia atque impiissima insania eius nomini resistunt corde peruerso, vt sempiternis tenebris puniantur, ad quod nomen ore vel sub dolo confugerunt, vt temporali luce fruentur. Hactenus præclarè S. Augustinus.

In eandem sententiam Orosius lib. 7. cap. 37. mirè philosophatur, cur Deus magis voluerit Romam ab Alarico, quàm à Rhadagaiso deuastari, scribens in hunc modum: *Rhadagaisus omnium antiquorum, præsentiúmque hostium longè immanissimus repentino impetu totam inundauit Italiam. Nam fuisse in populo eius plusquam ducenta millia Gothorum ferunt. Hic supra hanc incredibilem multitudinem, indomitámque virtutem Paganus & Scytha erat: qui, vt mos est Barbaris huiusmodi gentibus, omnem Romani generis sanguinem diis suis propinare deuouerat. Hoc igitur Romanis arcibus imminente, fit omnium Paganorum in Vrbe concursus, hostem esse cùm vtique virium copia, tum maximè præsidio deorum potentem: Vrbem autem ideò destitutam & maturè perituram, quia Deos & Sacra perdiderit. Magnis querelis vbique agitur, & continuo de repetendis sacris celebrandisque tractatur. Feruent tota vrbe blasphemiæ, vulgò nomen Christi tanquam lues aliqua præsentium temporum probris ingrauatur. Itaque ineffabili iudicio Dei factum est, vti quoniam in permixto populo piis gratia, impiis pœna debebatur, oportebátque permitti hostes, qui insuadibilem in plurimis & contradicentem ciuitatem seuerioribus solito flagris coarguerent, non tamen eos qui indiscretè cunctos intemperata cæde delerent: duo tunc populi Gothorum cum duobus potentissimis Regibus per Romanas prouincias baccharentur: quorum vnus Christianus, propiórque Romano, & vt res docuit, timore Dei mitis in cæde,* (nempe Alaricus) *alius Paganus, Barbarus, & verè Scytha, qui non tantùm gloriam aut prædam, quantum inexsaturabili crudelitate ipsam cædem amaret in cæde: & hic iam receptus sinu Italiæ, Romam è proximo trementem terrore quassabat. Itaque si huic vltionis potestas permitteretur, quem Romani ob hoc præcipuè timendum arbitrabantur, quia fauorem deorum sacrificiorum obsequiis inuitaret, & immoderatior cædes sine fructu emendationis arsisset, & error nouissimus peior priore creuisset: quandoquidem in Pagani & idololatræ manus incidisse, non solùm Paganis residuis de instaurando cultu idolorum esset indubitata persuasio: sed etiam Christianis periculosa confusio: cùm & ij terrerentur præindicio, & illi confirmarentur exemplo.*

Quam ob rem iustus dispensator humani generis Deus perire Paganum hostem voluit, & Christianum præualere permisit, vt Pagani, blasphemantésque Romani, & illo confunderentur perdito, & hoc punirentur immisso. Deinde postquam narrasset, quomodo Rhadagaisi tantus exercitus deletus fuerit, de ipso duce subdit: *Parum hoc est, nisi captum, & catenatum, ac subiugatum sciant quem timuere Romani: illúmque idololatram suum, cuius sacrificia se magis pertimescere, quàm arma fingebant, sine prælio victum ac vinctum sub iugo, cateníque despiciant.* Et post pauca: *Igitur ingrata Roma, quæ sicut nunc sensit, non ad remittendam, sed ad reprimendam idololatriæ præsumptionem, iudicis Dei obliquam misericordiam: ita continuò propter viuorum, mortuorúmque, sanctorum*

piam

piam recordationem, Dei iram passura, non plenam, si fortè confusa pœniteat, & per experientiam fidem discat, ab incursu Alarici regis & hostis, sed Christiani, aliquantulo ad tempus spatio differtur. Et ad finem cap. 38. *Itaque post hæc tanta augmenta blasphemiarum, nullámque pœnitentiam, vltima illa, diúque suspensa Vrbem pœna consequitur.* Et mox initio cap. 39. *Adest Alaricus, trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit.* Et extremo capitis: *Et ne quisquam fortè dubitaret ad correptionem superbæ, lasciuæ, & blasphemæ ciuitatis hostibus fuisse permissam, eodem tempore clarissima vrbis loca fulminibus diruta sunt, quæ inflammari ab hostibus nequiuerunt.*

Sozomenus de clade Alaricana, lib. 9. Hist. cap. 6. *Cordatis verò hæc ob indignationem Dei Romanis euenire videbantur, ad eorum pœnam, quæ ipsi quondam præ nimia proteruia ac petulantia in ipsos & pauperes iniquè deliquissent.* Eadem Nicephorus lib. 13. cap. 35. Et mirabile est quod Socrates lib. 7. Histor. cap. 10. prodit: *Fertur, monachum quendam, virum pietate præstantem, Alarico ei Romam proficiscenti obuiam factum, admonuisse, ne ex tam atrocibus maleficiis, néue ex cæde & sanguine latitiam caperet. Cui respondet Alaricus: Ego inuito planè animo eò proficiscor, Sed est quidam, qui mihi quotidie exhibet molestiam, imò verò vi impellit, sícque me alloquitur: Iter capessito, Romam vastato.* Eadem referunt Sozomenus lib. 9. cap. 6. Paulus Diaconus in Miscella lib. 13. cap. 27. Nicephorus lib. 13. cap. 35. Vides igitur quanto consensu Patres affirment Romam propter idololatriam, & alia horrenda flagitia ab Alarico Gothorum rege vastatam.

Eadem expositio perducitur, & illustratur.

CAP. X.

ATqui quæ Ioannes de Babylonis excidio prædixit, rectè in Alaricanam Romæ deuastationem competere, iam ostendamus. Apocalyp. 18. 7. Babylon ait: *Sedeo regina & vidua non sum, & luctum non videbo.* Hæc Romæ appositè conuenire videntur, quum Attalum tunc factum ad breue tempus Imperatorem habuit. Hunc enim factio Gentilium iubente Alarico, Romæ creauit Imperatorem, legitimo Principe Honorio repudiato. Atque mirum in modum sibi Roma ethnica de suo Imperatore placebat. Quod & Zosimus lib. 6. indicat, cùm ait: *Ciues Romani magna lætitia fruebantur, qui & alios magistratus Reipublicæ rectè gerendæ peritos nacti fuissent.* At quàm inanis hæc fuerit Babylonis iactantia, atque lætitia, Attali intra paucos dies infamis exauctoratio palàm ostendit. De qua Orosius lib. 7. cap. 42. *Quid de infelicissimo Attalo loquar, cui occidi inter Tyrannos honor, & mori lucrum fuit? In hoc Alaricus Imperatore facto, infecto, refecto, ac defecto, citius his omnibus actis pene quàm dictis, mimium risit, & ludum spectauit Imperij. Nec mirum si iure hac pompa miser lusus est, cuius ille vmbratilis Consul Tertullus ausus est in Curia dicere, Loquar vobis Patres Conscripti, Consul & Pontifex, quorum alterum teneo, alterum spero. Sperans ab eo qui non habebat spem, & maledictus vtique, quia spem suam posuerat in homine. Attalus itaque tanquam inane Imperij simulachrum, cum Gothis vsque ad Hispanias portatus est: vnde discedens naui, incerta moliens, in mari captus, & ad Constantium Comitem deductus, deinde Imperatori Honorio exhibitus, truncata manu, vita relictus est.* Eadem S. Ado in Chronico, anno Christi 410.

Socrates lib. 7. cap. 10. *Alaricus autem quo Imperij decus ludibrio exponeret, Imperatorem nomine Attalum declarauit. Hunc ad vnum diem, velut Imperatorem satellitibus stipatum incedere, postridie serui habitu in publicum prodire iubet.* Eadem fusiùs Sozomenus lib. 9. cap. 8. Procopius lib. 1. de Bello Vvandalico, cap. 2. Nicephorus lib. 13. cap. 35. Paulus Diaconus lib. 13. Miscellæ, cap. 27. S. Prosper & Marianus Scotus in Chronicis anno Domini 410.

Subdit Ioannes de Babylone cap. 18. vers. 8. *Ideo in vna die venient plagæ eius, mors & luctus, & fames, & igne comburetur.* De fame crudelissima quam Roma ab Alarico obsessa passa est, S. Hieronymus epist. 16. ad Principiam, hæc refert: *Capitur Vrbs quæ totum cepit orbem: imò fame perit antequam gladio, & vix pauci qui caperentur inuenti sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies, & sua inuicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactenti infantiæ, & suo recipit vtero quem paulo antea effuderat.* Sozomenus lib. 9. cap. 8. *Fame interim in tantum inualescente, vt & castaneis pro frumento vterentur: & nonnullos etiam carnes humanas gustasse suspicarentur.* Eadem Nicephorus lib. 13. cap. 35. & 36. Equidem Zosimus lib. 5. scribit, à populo Romano tunc fame tabescente conclamatum in Circensibus ad nouum Imperatorem Attalum: *Pretium pone carni humanæ.*

De peste verò tunc famem consecuta, hæc narrat Zosimus: *Et quoniam nullum erat mali sanandi remedium, iamque cuncta ventris inediæ succurrentia defecerant: famem (ceu consentaneum erat) pestis comitabatur, omniáque plena cadaueribus erant. Cúmque non possent extra Vrbem sepeliri cadauera, quod omnem exitum hostes obseruarent, Vrbs ipsa mortuorum sepulchrum erat, adeò quidem vt alioqui etiam solitudo in Vrbe foret, si quæ nulla fuisset alimentorum penuria, vel exhalans à cadaueribus odor ad inficienda corrumpendáque corpora sufficisset.* Nicephorus cap. 35. *Cùm igitur annonæ penuria, fames simul & pestis exorta esset, &c.*

De morte verò & clade Romæ Alaricana hæc S. Hieronymus epist. 16. ad Principiam deplorat: *Terribilis de Occidente rumor affertur, obsideri Romam, & auro salutem ciuium redimi: spoliatósque rursum circumdari, vt post substantiam, vitam quoque perderent. Hæret vox, & singultus intercipiunt verba dictantis. Capitur Vrbs quæ totum cepit orbem. Nocte Maob capta est, nocte cecidit murus eius, Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Posuerunt cadauera seruorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum sicut aquam in circuitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret.*

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrymis æquare dolorem?
Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos:
Plurima pérque vias sparguntur inertia passim
Corpora, pérque domos, & plurima mortis imago.

Socrates lib. 7. cap. 10. *Barbari qui erant cum Alarico, tandem Romam occuparunt: pecuniam ciuium vi rapere, & complures Ordinis Senatorij variis supplicij generibus cruciatos interficere cœperunt.* Paulus Diaconus lib. 13. Miscellæ, cap. 27. *Multósque Senatorij Ordinis diuersis subdidere suppliciis.*

De

De incendio verò Romæ, S. Hieronymus epist. 12. ad Gaudentium, inquit: *Pro nefas! orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt. Vrbs inclyta, & Romani Imperij caput vno hausta est incendio. Nulla est regio quæ non exules Romanos habeat: in cineres ac fauillas sacræ quondam Ecclesiæ conciderunt: & tamen studemus auaritiæ.* Orosius lib. 7. cap. 39. *Reliqua verò* Vrbis *sicut stercora, & velut paleæ, ipsa vel incredulitate, vel inobedientia præiudicata, ad exterminium atque incendium remanserunt.* Et in fine cap. *Eodem tempore clarissima Vrbis loca fulminibus diruta sunt, quæ inflammari ab hostibus nequiuerunt.* Socrates lib. 7. cap. 10. *Barbari qui erant cum Alarico, tandem Romam occupârunt. Quam etiam populati, multa insignia monumenta spectatu dignissima incendere cœperunt.* Marcellinus Comes in Chronico: *Alaricus trepidam vrbem Romam inuasit, partémque eius cremauit incendio.* Eadem S. Beda in Chronico, & S. Ado in Chronico. Paulus Diaconus lib. 13. Miscellæ, cap. 27. *Nec mora, venientes Gothi Vrbem capiunt ac deuastant: plurima miraculorum eius incendunt.* Eadem Sigebertus in Chronico, & alij. Non plenè rem sciuit Iornandes de Reb. Geticis, cap. 30. cùm ait: *Gothi Romam ingressi Alarico iubente, spoliant tantùm: non autem vt solent gentes, ignem supponunt.*

De Babylone quoque Ioannes ait cap. 18. 4. *Exite de illa populus meus, vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.* Quæ quidem rectè aptantur iis quæ in Romæ Alaricana clade contigisse auctores produnt. Orosius lib. 7. cap. 39. *Accidit quoque, quo magis illa Vrbis irruptio indignatione Dei acta, quam hostis fortitudine probaretur, vt beatus Innocentius Romanæ Ecclesiæ Episcopus, tanquam iustus Lot subtractus à Sodomis, occulta prouidentia Dei apud Rauennam tunc positus, peccatoris populi non videret excidium.* At de legatione S. Innocentij Papæ, à Romanis ad Honorium, pro pace inter ipsum Imperatorem & Alaricum sancienda, missi, cuius occasione Pontifex Rauennæ substiterit, ne cladis Vrbis spectator adesset, pluribus agunt Zosimus lib. 5. Sozomenus lib. 9. cap. 7. Nicephorus lib. 13. c. 35.

Palladius Galata in Lausiaca, sectione 103. narrans, vt Melania senior è Roma eduxerit Albinam nurum suam, & Melaniam neptem, cum ipsius viro Pinniano, Ierosolymámque duxerit, ait: *Postquam autem ij omnes Roma abcessissent, qui catechesi instituti fuerant à beata Melania, Barbarica quædam procella, quæ etiam in Prophetis iâm olim posita fuerat, in Romam irruit, & nec æneas quidem statuas reliquit in foro, sed omnia barbarica diripiens insolentia corrupit, adeò vt Roma, quæ mille & ducentis annis pulcherrima fuerat, & frequentissima, diueretur, fieretque deserta, &, vt ait Sibylla, ἔυμη, hoc est, vicus, non Roma. Tunc qui Catechesi fuerant instituti, & ei minimè aduersati, Deum laudauerunt, qui rerum mutatione persuasisset incredulis, quòd aliis omnibus redactis in seruitutem, eæ solæ saluæ fuerint familiæ, quæ Domino fuerunt holocausta.*

Ceterùm in Vrbem irrumpente Barbaro, plurimos Christianos fugam protinus arripuisse, quamprimúmque se subduxisse, ne plagarum Romæ cogerentur esse participes, S. Hieronymus Præfat. in 3. librum Commentariorum in Ezechielem, his verbis testatur: *Quis crederet, vt totius orbis extructa victoriis Roma corrueret, vt ipsa suis populis & mater fieret, & sepulchrum? vt tota Orientis, Ægypti, Africæ littora olim dominatricis Vrbis, seruorum & ancillarum numero complerentur? Vt quotidie sancta Bethlecm nobiles quondam vtriusque sexus, atque omnibus diuitiis affluentes, susciperet mendicantes?* Et epist. 12. ad Gaudentium: *Nulla est regio quæ non exules Romanos habeat.* Rutilius Gallus ethnicus poëta lib. 1. Itinerarij, auctor est, multos tunc Romanos ex tanta clade profugos se in Igilium insulam Tyrrheni maris recepisse.

Hæc multos lacera susceptt ab Vrbe fugatos:
Hîc fessis posito certa timore salus.

Sed vt Apocalypsis verba aptiùs in Alaricanam Romæ deuastationem coagmententur, palámque cognoscatur illud excidium non Romæ Christianæ, sed Romæ paganæ à Deo immissum: illud cum primis consideratione dignum, in tam atroci vrbis procella, trucidatis, interfectis, spoliatis abductis innumeris gentilibus, à Christianis, quantum fieri potuit, victores Barbaros manus abstinuisse. Orosius lib. 7. cap. 39. *Alaricus trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit. Dato tamen præcepto prius, vt si qui in sancta loca, præcipuéque in sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Basilicas confugissent, hos in primis inuiolatos, secuósque esse sinerent.* Sozomenus lib. 9. cap. 9. *Alaricus Romam obsidione cinctam per proditionem capit, ac militibus suis vniuersis ac singulis permisit Romanorum opes diripere vtcumque possent, omnésque domos eorum depredari: nisi quod asylum esse voluerit ob reuerentiam Apostoli Diui Petri templum illud amplissimum, quod supra illius tumbam constructum est, & loci plurimum ambit. Ea res in causa fuit, quominus Roma prorsus deleretur. Nam illi qui hîc saluati fuerant, vrbem restaurarunt, cùm eorum ingens esset multitudo.* Eadem penitus Nicephorus lib. 13. cap. 35. Iornandes de Rebus Geticis, cap. 30. *Gothi Romam ingressi, Alarico iubente, non locis Sanctorum in aliquo penitus iniuriam irrogati patiuntur.*

Sanctus Isidorus in Chronico Gothorum: *Æra CCCCXLVII. anno XV. Honorij & Arcadij Imperatorum, Alaricus Christianus quidem, sed hæreticus, Vrbem irruit, & obsessam capit: sicque Roma irruptione atque impetu magnæ cladis euersa est. Tantùm autem Gothi clementes ibi extiterunt, vt votum anteà darent, vt si ingrederentur Vrbem, quicumque Romanorum in locis Christi inuenirentur, in eos agere belli iure non liceret, sed ibi & feriendi refrænaretur immanitas, & captiuandi cupiditas coërceretur. Sicque post hoc votum, aggredientes Vrbem, quoscumque in locis sacris Christi, vel Martyrum, vel Basilicis confugientes inuenerunt, in vastationem Vrbis non miserunt, nec cruentus sæuiit in eos gladius, commiserantibus hostibus. Sed & qui extra loca Martyrum erant, & nomen Christi, vel Sanctorum nominabant, & ipsis simili misericordia hostilis furor pepercit. Sic euaserunt multa millia Romanorum, quibus Gothi propter Christum misericorditer pepercerunt. Vnde & hucúsque Romani, qui in regno Gothorum consistunt, adeo amplectuntur: vt melius sit illis cum Gothis pauperes viuere, quàm inter Romanos potentes esse.*

Paulus Diaconus in Miscella lib. 13. cap. 27. *Nec mora*, Gothi *venientes, Vrbem capiunt ac deuastant, plurima miraculorum eius incendunt, multósque Senatorij ordinis diuersis subdidere suppliciis: dato tamen priùs præcepto, vt si qui in sancta loca, præcipuéque sanctorũ Apostolorum Basilicas Petri & Pauli confugissent, hos inprimis inuiolatos, securósque esse sinerent: Deinde in quantum possint, prædæ inhiantes, à sanguine temperarent.* Quin & S. Augustinus lib. 1. de Ciuitate Dei, cap. 1. *Annon etiam illi Romani Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum Barbari perpercerunt? Testantur hoc Martyrum*

loca,

loca, & Baſilicæ Apoſtolorum, quæ in illa vaſtatione Vrbis ad ſe confugientes ſuos, alienóſque receperunt. Sic euaſerunt multi, qui nunc Chriſtianis temporibus detrahunt. Et paulò inferiùs : *Illud verò quod eis vel vbicumque propter Chriſti nomen, vel in locis Chriſti nomini dicatiſſimis & ampliſſimis, ac pro largiore miſericordia ad capacitatem multitudinis electis, prater bellorum morem truculenti Barbari peperce-runt hoc tribuere Chriſtianis temporibus, hinc Deo gratias agere deberent.* Vides, vt Barbari etiam ethnicis in honorem Chriſti peperſerint. Et S. Hieronymus epiſt. 16. ad Principiam : *Cúmque & illam* (Marcellam) *& te ad beati Apoſtoli Pauli Baſilicam Barbari deduxiſſent, vt vel ſalutem vobis oſtenderent, vel ſepulchrum, &c.*

Verùm præclarum tunc Chriſti, & Apoſtolorum Principis Petri in eius Baſilicæ ſacris vaſis celebratum triumphum, Oroſius lib. 7. cap. 39. in hunc modum deſcribit : *Diſcurrentibus itaque per Vrbem Barbaris, fortè vnus Gothorum, idémque potens & Chriſtianus, ſacram Deo virginem iam ætate prouectam in quadam Eccleſiaſtica domo reperit : cúmque ab ea aurum, argentúmque honeſtè expoſceret, illa fideli conſtantia eſſe apud ſe plurimum, & mox proferendum ſpopondit, ac protulit. Dúmque expoſitis opibus, attonitum Barbarum magnitudine & pondere ac pulchritudine, ignota etiam vaſorum qualitate intelligeret, virgo Chriſti ad Barbarum ait : Hæc Petri Apoſtoli ſacra miniſteria ſunt : præſume, ſi audes, de facto tu videris : ego quia defendere non valeo, neque tenere audeo. Barbarus verò ad reuerentiam religionis, timore Dei, & Virginis fide motus, ad Alaricum hæc per nuntium retulit : qui continuo reportari ad Apoſtoli Baſilicam vniuerſa, vt erant, vaſa imperauit : Virginem etiam : ſimúlque omnes qui ſe adiungerent Chriſtianos eodem cum defenſione deduci. Ea domus à ſanctis ſedibus longo vt ferunt, & medio interiectu vrbis aberat. Itaque magno ſpectaculo omnium, diſpoſita per ſingulos ſingula, & ſuper capita elata palam aurea atque argentea vaſa portantur, exertis vndique ad defenſionem gladiis, pia pompa munitur. Hymnis Deo Romanis, Barbariſque concinentibus, publicè canitur. Perſonat latè in excidio Vrbis ſalutis tuba, omnéſque etiam in abditis latentes inuitat ac pulſat. Concurrunt vndique ad vaſa Petri, vaſa Chriſti : plurimi etiam Pagani Chriſtianis profeſſione, ſi non fide admiſcentur : & per hoc tamen ad tempus, quò magis confundantur, euadunt. Quantò copioſiùs aggregantur Romani confugientes, tantò auidiùs circumfunduntur Barbari defenſores. O ſacra & ineffabilis diuini iudicij diſcretio ! Myſterium hoc quod in transferendis vaſis, dicendis hymnis, ducendis populis fuit, tanquam magnum cribrum fuiſſe arbitror, per quod ex congregatione populi Romani, tanquam ex magna maſſa frumenti, per omnia ex vniuerſo ambitu ciuitatis latebrarum foramina effluxere grana viua, ſiue occaſione, ſiue veritate commota : omnia tamen de præſenti ſalute credentia, ex horreo Dominica præparationis accepta ſunt. Reliqua verò ſicut ſtercora, & velut paleæ, ipſa vel incredulitate, vel inobedientia præiudicata, ad exterminium, atque incendium remanſerunt. Quis hæc perpendere plenis miraculis, quis prædicare dignis laudibus queat?* Hæc Oroſius, qui tum viuens, ea rectè noſſe potuit. Eadem omnino habet Rudericus Toletanus lib. 2. de Rebus Hiſpaniæ cap. 5. & Lucas Tudenſis in Chronico lib. 2. Æra CCCCXLVI.

Caſſiodorus lib. 12. Variarum, epiſt. 20. *Superatum eſt exemplum quod in Hiſtoria noſtra magna intentione retulimus. Nam cùm Rex Alaricus Vrbis Romæ depræda-tione ſatiatus, Apoſtoli Petri vaſa ſuis deferentibus excepiſſet, mox vt rei cauſam habita interrogatione cognouit, ſacris liminibus deportari diripientium manibus imperauit : vt cupiditas, quæ de-prædationis ambitu admiſerat ſcelus, deuotione largiſ-ſima deleret exceſſum.*

Fuit autem adeò magnum atque funeſtum Romæ tunc à Gothis illarum excidium, vt multi exiſtimare potuerint fuiſſe illum ſupremum Vrbis, ſimúlque totius orbis interitum. S Hieronymus Præfat. in 1. lib. Commentariorum in Ezechielem : *Poſtquam verò clariſſimum terrarum omnium lumen extinctum eſt, imò Romani Imperij truncatum eſt caput, & vt veriùs dicam, in vna Vrbe totus Orbis interiit : obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt.* Et præfat. in lib. 8. in eundem Prophetam : *Paſcitur* his *animus, & obli-uiſcitur ſæculi calamitatum : quod in extremo fine iam poſitum congemiſcit & parturit, donec qui tenet, de medio fiat, & pedes ſtatuæ quondam ferrei, fragilita-te digitorum fictilium conterantur. Cadit mundus, & ceruix erecta non flectitur. Pereunt diuitiæ, & nequa-quam ceſſat auaritia.* Et epiſt. 12. ad Gaudentium : *Pro nefas ! Orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt. Vrbs inclyta, & Romani Imperij caput vno hauſta eſt incendio.* Nicephorus etiam lib. 13. Hiſt. cap. 36. fusè refert innumeras, quæ eo tempore in toto terrarum orbe occiderint, calamitates : vt non inanis potuerit tunc multorum videri ſuſpi-cio, mundum iam iam interire. Tu ipſum con-ſule. Vide quoque Chronicon ex Idacio, Anno XVI. Honorij.

Verùm quantumuis Romæ illa clades ab Alarico inflicta, ingens fuerit : nihilominus Deus pro immenſa ſua bonitate & amore ergà Romanam Eccleſiam, ita gladium ſeueræ animaduer-ſionis temperauit, vt non tunc Roma penitus de-leretur : ſed quamuis lacera & afflicta, ex ruderi-bus, cineribuſque denuò conſurgeret, & ſeipſa reſtauraret, eorum ſcilicet ope qui in ſacris Chri-ſtianorum aſylis ſeruati fuêre, vt antea ex Sozo-meno, & Nicephoro notabamus. Vnde Caſſiodo-rus in Chronico : *Roma à Gothis Alarico duce capta eſt, vbi clementer vſi victoria ſunt.* Quin & Oroſius lib. 7. cap. 37. extremo, rectè exclamat : *Ingrata Roma propter viuorum, mortuorúmque San-ctorum, Dei iram paſſura non plenam.* Et vt cernas quàm non plena fuerit Dei hæc in Romam ira, audi eundem Oroſium cap. 39. *Tertia die Barbari, quàm ingreſſi Vrbem fuerant, ſponte diſcedunt : facto quidem aliquantarum ædium incendio, ſed non tanto quidem, quantum ſeptingenteſimo conditionis eius anno caſus effecerat.* Nempe ſub Nerone. Tertio quidem die Alaricum tunc ab Vrbe ſponte diſ-ceſſiſſe, nedum Oroſius, ſed & S. Iſidorus in Go-thorum Chronico, Paulus Diaconus lib. 13. Miſ-cellæ, cap. 27. S. Ado, & Sigebertus in Chronicis, Rudericus Toletanus lib. 2. de Rebus Hiſpaniæ, cap. 5. & Lucas Tudenſis in Chronico lib. 2. Æra CCCCXLVI. affirmant. At Marcellinus Comes, & S. Beda in Chronicis, ſexto die abiiſſe tradunt. Socrates verò metu profugiſſe ait lib. 7. Hiſt. cap. 10. his verbis : *His rebus confectis*, nempe vaſtatione Vrbis, *Alaricus illicò propterea fugam cepit, quòd fama de copiis Imperatoris Theodoſij ad ipſum bello profligandum miſſis diſſipata, terrorem animo eius incuſſerat. Neque certè fama illa falſa, com-mentitiáue fuit : ſed reuera exercitus Imperatoris ad bellum contra eum gerendum maturauit. Ille igitur cùm famam illam ferre non poſſet, ſe, vt dixi, in fugá coniecit.*

Cete

Ceterùm ingrata Roma tantam Dei in se benignitatem minimè recognouit, nec resipiscere voluit: sed nouis sceleribus priora adauxit, vt iam plena aduersum se ira Dei prouocata, grauioribus cladibus tandem conciderit, orbisque Imperium penitùs amiserit. Audi Orosium de vitiis, Romæ post cladem Alaricanam, lib. 1. cap. 6. *Adeò autem paruo quodam & leui motu hæsitasse erga se parumper consuetudinem voluptatum, indubitantissimè contestatus est, Romanus Populus, vt liberè conclamaret, si reciperet Circum, nihil esse sibi factum: hoc est, nihil egisse Romæ Gothorum enses, si concedatur Romanis spectare Circenses.* Et Saluianum lib. 6. de Prouidentia: *Obsessa est vrbs Roma, & expugnata, ergo desierunt blasphemi, & furiosi esse Romani?*

Ergo intra non totos quinquaginta annos iterum Roma capitur & deuastatur à Geiserico Vvandalorum rege, quem Eudoxia vxor Valentiniani III. in vltionem mariti à Maximo Tyranno interfecti, ex Africa euocauerat. Rem gestam plurimi descripsere, sed antiquiores audiamus.

Incerti eorum temporis auctoris Chronicon, à Cuspiniano & Onuphrio editum: *Valentiniano VIII. & Anthemio Coss. Post interitum Valentiniani Imperatoris, leuatus est Maximus Imperator XVI. Kalend. Aprilis, & occisus est pridie Idus Iunias: & intrauit Gensericus Romam, & prædauit eam dies quatuordecim. Et leuatus est Imperator in Galliis Auitus VI. Idus Iulias.* Tyronis Prosperi Chronicon ex Manuscripto Augustano editum ab Henrico Canisio tomo 1. Antiquæ Lectionis: *Valentiniano VIII. & Anthemio Coss. Valentinianus ipse occisus est ad duas Lauros XVII. Kalendas Aprilis: & leuatus Petronius Maximus, Imperator: qui LXXII. die occisus, per Vrbem tractus. Geïsericus Romam ingressus, præda facta, Carthaginem reuertitur. Et post aliquot dies leuatur in Imperium Auitus.* Aliud Prosperi Chronicon editum à Petro Pithæo, & ab Henrico Canisio tomo 1. Antiquæ lectionis, fusiùs hæc habet: *Mortem Aetij mors Valentiniani non longo post tempore consequuta est, tam imprudenter non declinata, vt interfecti Aëtij amicos, armigerósque eius sibimet sociaret. Qui concepti facinoris opportunitatem dissimulanter aucupantes, egressum extra Vrbem Principem, & ludo gestationis intentum inopinatis ictibus confoderunt: Heraclio simul vt erat proximus, interempto, & nullo ex multitudine regia ad vltionem tanti sceleris accenso. Vt autem hoc parricidium perpetratum est, Maximus vir gemini Consulatus, & Patritiæ dignitatis, sumpsit Imperium. Qui cùm periclitanti Reipublicæ profuturus per omnia crederetur, non sero documento quid animi haberet, probauit: Sic quidem, vt interfectores Valentiniani non solùm non plecteret, sed etiam in amicitiam reciperet: vxorémque eius Augusti amissionem viri lugere prohibitam, intra pauciſſimos dies in coniugium suum transire cogeret. Sed hac incontinentia non diu potitus est. Nam post alterum mensem, nuntiato ex Africa Genserici regis aduentu, multísque nobilibus ac popularibus ex vrbe fugientibus, cùm ipse quoque data cunctis abeundi licentia, trepidè vellet abscedere, à famulis Reginæ dilaniatus & membratim deiectus in Tiberim, sepultura quoque caruit. Post hunc Maximi exitum, confestim secuta est multis digna lacrymis Romana captiuitas, & Vrbem omni præsidio vacuam Gensericus obtinuit: occurrente sibi extra portas sancto Leone Episcopo: cuius supplicatio ita cum Deo agente leniuit, vt cùm omnia in potestate ipsius essent, tradita sibi ciuitate, ab igne tamen, & cæde, atque suppliciis abstineret. Per quatuordecim igitur dies secura & libera scrutatione omnibus opibus suis Roma vacuata est: multáque millia captiuorum, prout cuique aut ætate, aut arte placuerunt, cum Regina & filiabus eius Carthaginem abducti sunt.* Hoc esse legitimum ac germanum S. Prosperi Aquitani Chronicon, idem Pithæus rectè probat.

S. Victor Vticensis Episcopus lib. 1. de Persecutione Vvandalica: *Factum est peccatis vrgentibus, vt Vrbem illam quondam nobilissimam atque famosam quintodecimo regni sui anno Geisericus caperet Romam: & simul exinde regum multorum diuitias cum populis captiuauit. Quæ dum multitudo captiuitatis Africanum attingeret littus, diuidentibus Vvandalis & Mauris, ingentem populi quantitatem, vt moris est Barbaris, mariti ab vxoribus, liberi à parentibus separabantur.*

Procopius Cæsariensis lib. 1. de Bello Vvandalico, cap. 5. *Interea Romæ Maximus, Imperatore* Valentiniano, *nullo negotio interfecto, tyrannidem capit, Eudoxia potitur, eámque sibi coniugio iungit, cùm fortè anteà prima vxor decessisset: eiúsque tandem amore, dum vnà cubaret, se fassus est virum interfecisse. Quare illa exacerbata priùs animo, ac de vltione viri cogitans: multo magis ob eius verba, & animum impudicum detectum, ad vindicandum facinus est accensa. Vbi igitur illuxit, Carthaginem mittit rogatum Gizerichum vt viri necem ab impio Tyranno interfecti vlcisci velit. Ipsam verò indigna ab eodem pati, Imperium occupatum, omnia perditum iri. Addit quoque, ex officio illum facturum, si afflictis auxilium ferat, cùm in amicitia, societateque Valentiniani esset: è Constantinopoli nullam esse spem, Theodosio iam extincto, & Martiano imperante. Gizerichus igitur anaritia imprimis permotus, spéque opum maximè consequendarum, ingenti classe in Italiam aduauigans, Romam nullo aduersante, facilè ingreditur. Maximum euestigiò Romani fugientem insectati lapidibus obruunt, membratímque discerpunt. Gizerichus verò Eudoxiam simul cum Eudocia & Placidia eius ex Valentiniano filiabus capit, gazámque omnem Imperatoriam in nauibus positam, secum in Africam tulit: ac si qua erant Romæ decora, inter quæ Iouis Capitolini tegularum ex ære auratarum partem dimidiam adripuit. Vnam verò ex iis nauibus, vbi statuæ fuerunt, tempestate periisse dicunt: ceteras incolumes in Africam delatas.*

Victor Tunnunensis Episcopus in Chronico: *Valentiniano III X. & Anthemio Coss. Valentinianus Imperator Romæ in Campo Martio dolis Maximi Patritij, & Heraclij Præpositi perimitur. Idemque Maximus ex Consule & Patritio eius sumit Imperium diebus LXVII. Hic itaque malum quod latebat, apparuit. Mox relictam Valentiniani Augustam viri exitum sui lugere non permittens, in matrimonio sumit. Sed his malis peiora succedunt, dum aduentum Genserici Vandalorum regis formidat: & cunctis volentibus Vrbe recedere, licentiam tribuit, priusquam fugam quam cogitabat, assumeret, occisus, membratímque concisus, in Tiberim fluuium proiectus est. Tertia die postquam Maximus occiditur, Gensericus Vandalorum rex Romanam Vrbem ingreditur, & per quatuordecim dies cunctis opibus nudat: secúmque inde Valentiniani filias & vxorem, ac captiuorum multa millia tollit. Vt autem ab incendio, tormentis, & gladio abstineret, Papæ Leonis interceſſio facit. Huius quoque captiuitatis LXXV. die Anitius* (Auitus) *vir totius simplicitatis in Galliis Imperium sumit.*

Marcel

Marcellinus Comes in Chronico : *Indictione 8. Valentiniano VIII. & Anthemio Coss. Valentinianus Princeps dolo Maximi Patritij, cuius etiam fraude Aëtius perierat, in Campo Martio per Ostilam, & Transtilam Aëtij satellites, iam percusso Heraclio spadone, truncatus est. Idem Maximus inuasit Imperium, tertióque tyrannidis suæ mense membratim Romæ à Romanis tractus, discerptúsque est. Rex Vvandalorum ab Eudoxia Valentiniani vxore epistolis inuitatus ex Africa Romam ingressus est : eáque Vrbe rebus omnibus spoliata, eandem Eudoxiam cum duabus filiabus secum rediens abduxit.*

Iornandes de Regnorum successione cap. 100. *Valentinianus autem occidentalis Imperator, dolo Maximi Patricij, cuius etiam fraude Aëtius perierat, in Campo Martio per Obtilam, Transfistilam Aëtij Satellites, iam percusso Heraclio spadone, truncatus est. Imperium quoque eiusdem Maximus inuasit, tertióque tyrannidis suæ mense membratim Romæ à Romanis discerptus est. Gizericus tunc rex Vvandalorum, ab Eudoxia Valentiniani vxore inuitatus ex Africa Romam ingressus est : eáque vrbe rebus omnibus expoliata, eandem Eudoxiam cum duabus filiabus secum in Africam rediens duxit.* Hæc Iornandes totidem ferè verbis quibus Marcellinus : incertum vter ex altero descripserit, nam vixêre eisdem temporibus sub Iustiniano Principe.

Cassiodorus in Chronico : *Valentinianus VIII. & Anthemius. His Coss. in Campo Martio ab amicis Aëtij Valentinianus occiditur. Post quem Maximus inuasit Imperium : qui intra duos menses à militibus extinctus, in Tiberim proiicitur. Eodem anno per Ginsericum omnibus opibus suis Roma vacuata est. Post Maximum, Auitus in Galliis sumit Imperium.*

Euagrius lib. 2. Hist. Eccles. cap. 7. *Valentinianus quoque partium versus Occidentem Imperator, & Heraclius vnà à quibusdam Aëtij militibus è medio sublati : insidiis à Maximo, qui Imperium ambierat, propterea contra eos comparatis, quòd coniunx Maximi fuerat à Valentiniano stuprata, & per vim compressa. Iste Maximus Eudoxiam Valentiniani vxorem coëgit inuitam sibi nubere. Illa igitur, neque id sanè immeritò, hoc facinus & contumeliæ & turpitudinis maximæ loco ducens, & omnem aleam, vt dicitur, iacere cupiens, propter ea quæ maritus passus est : (mulier enim est & propter pudicitiam quam ipsa amiserat, atrox, & animo implacabili, cùm pudicitiam retinere studens, ea spoliatur, idque ab eo maximè cuius atrocitate virum amisit) mittit in Libyam ad Genzerichum, dona quamplurima illi dat, bonámque spem etiam animo eius iniicit de aliis in posterum potiundis : suadet vt exinopinatò Imperium Romanum inuadat, pollicetúrque se omnia in manus eius tradituram. Qua re confecta Roma capitur. Genzerichus vtpote Barbarus, morum inconstantia & mobilitate præditus, fidem huic minimè seruauit : sed vrbe incensa, rebúsque omnibus direptis, Eudoxia denique cum binis filiabus capta reuertitur, inque Libyam se recipit.*

S. Isidorus in Chronico Vvandalorum : *Geiserico autem non contentus solis Africæ vastationibus, nauibus aduectus Romam ingreditur : direptísque opibus Romanorum per quatuordecim dies, relicto Valentiniano, filias eius, multáque millia captiuorum secum tulit : móxque Carthaginem rediit.*

Paulus Diaconus lib. 15. Miscellæ, cap. 5. *Valentinianus Imperator ab amicis Aëtij, quos sibi delegerat satellites, interficitur : & Maximus quidam cuius dolo id perpetratum fuerat, Imperator creatur. Qui cùm viduam eius Eudoxiam Augustam inuitam suis nuptiis adegisset, illa Gensericum, vt dicitur, Africæ regem, vt mariti vindex aduenirent, inuitauit. Cuius aduentu Maximus, vix altero Imperij sui mense, comperto, cùm passim nobilitas, eius licentia, & popularium cœtus ex Vrbe profugeret, ipse quoque trepido animo sese parabat ad fugam. Sed à ministris regiis illico dilaniatus, & membratim dissectus, in Tiberim proiectus est. Genscricus continuò vacuam præsidio ciuitatem capit : & occursu Leonis Papæ mitigatus, ab incendio, cædibus, atque suppliciis Vrbem immunem seruauit : omnibus tamen opibus ablatis, multa inde captiuorum millia cum Augusta Eudoxia, eiusque filiabus Carthaginem reuexit.* Hæc quidem Paulus in exemplaribus ferè omnibus hactenus editis, & in nouissimis etiam ab Henrico Canisio euulgatis : verùm Ianus Gruterus ex membranis Bibliothecæ Comitis Palatini, pleniorem hunc locum Pauli Diaconi dedit in Notis ad Historiam Miscellam : sic autem se habet : *Sed nequaquam Valentiniano mors Aëtij impunè concessit : nam & ipse anno sequenti à Transila Aëtij milite per consilium Maximi, cùm triginta annis Imperium tenuisset, confossus interiit : ex quibus cum Theodosio socero viginti quinque, cum Martiano quinque imperauit. Mortuo Valentiniano, regni iura iam dictus Maximus apud vrbem inuadens, & Eudoxiæ Valentiniani relictæ vi sociatus : per quæ námque quis peccat, per ea quoque & corripitur. Inter hæc ergo Eudoxia coarctata, nullum fore auxilium à Constantinopoli existimans, Theodosio patre suo, & pulcheria amita sua defunctis : accersit Genscricum ex Africa ad vrbem Romam rogans à Maximi tyrannide liberari. Magna verò cum classe è suis Genscricus ad vrbem Romam nauigans, fultus insuper præsidio Maurorum : cùm adhuc Romanæ Ecclesiæ beatissimus Leo ageret Pontificatum. Perculsis itaque Romanis tam terribili nuntio, plurimis è nobilibus seu popularibus ex vrbe fugientibus inter quos & Maximus Tyrannus fugiens, à Romanis perimitur, Præterea Genscricus nemine sibi resistente, introiuit Romam, tertia die Maximi fugæ, occurrente sibi extra portam eodem S. Leone Episcopo, cuius supplicatio ita eum, Deo adiuuante, leniuit, vt cùm omnia potestati eius essent tradita, ab igni tamen & cæde, atque suppliciis abstineretur. Quatuordecim interim dies secura & libera scrutatione omnibus opibus suis & miraculis Roma vacuata est, in quibus erant Ecclesiastica ceimelia tota ex auro & lapidibus pretiosis ornata, & vasa Hebraïca quæ Titus Vespasiani filius post captiuitatem Ierosolymorum, Romam detulerat : multáque millia captiuorum, prout cuique ætate, aut arte placuerunt, cum regina Eudoxia qua Genserichum ad hoc facinus inuitauerat, duabúsque eius filiabus Carthagine abducta sunt. Capta itaque hoc modo à Genserico Roma est, postquam eam primò Alaricus inuaserat, secunda iam vice, expletis ab eo tempore quadraginta quatuor annis, à conditione sua MCCVIII. euolutis.*

Idacius Limicensis in Gallæcia Episcopus in Chronico quod superioribus annis ediderunt Iosephus Scaliger in Eusebianis, & Andreas Schottus in 4. tomo Hispaniæ Illustratæ : *Quarto regni anno Principis Martiani, à duobus Barbarii Aëtij familiaribus Valentinianus Imperator occiditur. Postquem mox Maximianus* (Maximus) *ex Consulibus* (Exconsul.) *XLIV. Romæ Augustus appellatur. Qui cùm Imperator factus, relictam Valentiniani sibi duxit vxorem. Maximianus* (Maximus) *quarto regni sui mense in vrbe Roma tumultu militari occiditur. In ipsò anno Auitus Gallus ab exercitu Gallicano primò Tolosæ, dehinc apud Arelatum Augustus appellatus,*

Romam pergit. Obtenta Monarchia per Auitum, qui à Romanis euocatus & susceptus fuerat Imperator, Gaysericus sollicitatus (relictaValentiniani, & malam famam dispergit) priùs quàm Auitus Augustus fieret, Romam ingreditur, ditatúsque opibus Romanorum, Carthaginem redit, relictâ Valentiniani, & filias duas, & Aëtij filium Gaudentium secum ducens. Hæc eadem, sed perturbatè & mendosè habentur in Chronico ex Idacio, Collectore Gallo quodam, Carolo Magno æquali edito ab Henrico Canisio tomo 2. Antiquæ Lectionis, & ab Andrea Schotto tomo 4. Hispaniæ Illustratæ.

Freculphus Lexouiensis Episcopus in Chronico, tomo 2. lib. 5. cap. 15. *Aëtius factione Heraclij spadonis à Valentiniano Principe occiditur, cum quo Hesperiarum cecidit regnum. Valentinianus autem à satellitibus Aëtij, quos sibi delegerat milites, dolo Maximi perfossus interiit: Imperium quoque eiusdem Maximus inuasit. Qui cùm Reipublicæ profuturus per omnia crederetur, non sero documento, quid animo haberet probauit. Siquidem interfectores Valentiniani in amicitiam recepit, vxorémque eius Augustam amissionem virè lugere perhibuit: & intra paucissimos dies in coniugium suum transire coëgit. Sed hæc incontinentia non diu potitus est: nam post alterum mensem nunciato ex Africa Gaiserici regis aduentu multisque nobilibus ac popularibus ex vrbe fugientibus, cùm ipse quoque data cunctis abeundi licentia, trepidè vellet abscedere: à famulis dilaniatus est, & membratim deiectus in Tiberim, sepultura quoque caruit. Post hunc Maximi exitum confestim secuta est multis digna lacrymis Romana captiuitas: & vrbem omni præsidio vacuam Gaisericus obtinuit: occurente sibi extra portas S. Leone Episcopo: cuius supplicatio ita eum, Domino agente, leniuit, vt cùm omnia potestati ipsius essent tradita, ciuitatem ab igni tamen & cæde atque supplicio seruauit. Per quatuordecim igitur dies secura & libera scrutatione omnibus opibus suis Roma vacuata est: multáque millia captiuorum secum ducens, cum Regina Eudoxia, quæ eum inuitauerat, vt ferunt, & filiabus eius Carthaginem victor Gaizericus reuersus est.* Exscripsit ad verbum ex S. Prosperi Chronico.

Hermannus Contractus in Chronico: *Anno Christi 454. Valentinianus Imperator in Campo Martio ab amicis Aëtij peremptus interiit: pro quo Maximus inuadens Imperium, infra duos menses à militibus interemptus, & in Tiberim proiectus est. Ipsò anno Geisericus Rex Vvandalorum de Africa transiens, Romam, quæ sine Imperatore erat, inuasit, eámque opibus cunctis expoliauit.*

Marianus Scotus in Chronico: *Valentinianus VIII. & Anthemius Coss. Valentinianus Imperator ab amicis Aëtij, XIII. Kalend. Aprilis in Campo Martio occiditur. Maximus verò vir gemini Consulatus, & Patritiæ dignitatis altera die XII. Kalend. Aprilis Romæ sumpsit Imperium. Post mensem autem alterum, nuntiato ei ex Africa Geiserici Regis aduentu, multis nobilibus, & popularibus ex vrbe fugientibus, quum Maximus data abeundi cunctis licentia, trepidus vellet abscedere, LXXVII. die adepti Imperij, à famulis Valentiniani dilaniatus est, & membratim in Tiberim proiectus. Sic caruit sepultura. Post hæc consecuta est multis digna lacrymis Romana captiuitas. Vacuam enim omni præsidio vrbem Geisericus obtinuit IV. Idus Iulij, Fertia tertia: occurrente sibi Papa Leone Sancto extra portas. Cuius supplicatio ita eundem agentem leniuit, vt cùm omnia potestati eius essent tradita, ciuitati tamen ab igne, & cæde, & supplicio abstineretur. Roma verò per quatuordecim dies secura, & libera scrutatione omnibus opibus suis euacuata est: multáque millia captiuorum, prout cuique ætate placuerant, cum Regina, & filiabus eius Carthaginem abducta.* Accepta hæc ex Prosperi Chronico.

Sigebertus in Chronico: *Consilio Maximi tyrannidem meditantis. Valentinianus Imperator à Transilla milite Aëtij perimitur. Maximus tyrannidem arripuit, Eudoxiam relictam Valentiniani vi rapuit. Illa Genfericum ex Africa inuitat vt se à Maximo eripiat. Genfericus Romam capit, omnia diripit. Vt tamen ab igne, cæde, & suppliciis hominum abstineret, Leo Papa ab eo obtinuit. Per quatuordecim dies Roma spoliata, Genfericus Eudoxiam, cum duabus filiabus, & multo populo captiuat. Maximus tyrannus à populo membratim discerpitur. Auitus à Romanis Imperator constituitur.*

Georgius Cedrenus Annalium pag. 284. *Quarto anno Valentinianus occidentis Imperator, tametsi veram religionem amplecteretur, vitam tamen egit flagitiosam. Cùm enim formosissimam haberet vxorem Eudoxiam, filiam Theodosij Imperatoris, nihilominus scelestè alienis mulieribus abutebatur: erat quoque ei assidua cum curiosas artes tractantibus consuetudo. Itaque etiam miserrima morte periit. Maximus enim, nepos eius Maximi qui Theodosij Magni ætate tyrannidem inuaserat, Roma patritia dignitate degens, in palatium peruenit, Valentinianum necauit, Eudoxiam stuprauit, Imperióque potitus est. Solent enim flagitia, & iis inflicta pœna, eiusdem esse generis. At Eudoxia grauiter eam ferens iniuriam, Gizerichum ex Africa Romam euocat, rogans, vt se Maximi tyrannide liberaret. Cùm Gezericus magna cum classe Romam aduenisset: Maximus in fuga à suis trucidatur: Barbarus tertio à fuga Maximi die Romam nemine obsistente intrat. Hic impositis in naues omnibus Vrbis opibus, atque donariis, sacra etiam supellectile quæ solido auro & lapidibus pretiosis constabat, & vasis Hebraïcis, quæ Titus Hierosolymis attulerat, abducta etiam Imperatrice Eudoxia & eius liberis, in Africam rediit. Ita secundò capta est Roma, priùs ab Alarico occupata.*

Ioannes Zonaras tomo 3. Annal. *Maximus enim Patritius Romanus, ex illius Maximi familia, quem tyrannide occupata Magnus Theodosius debellarat, Palatium ingressus Valentinianum perimit, Eudoxiam vi stuprat. Imperium inuadit. At illa Theodosio patre mortuo, Pulcheria item defuncta, cùm nullum alium iniuriæ vindicem speraret, à Genserico Vandalorum rege precibus impetrat, vt per eum à Maximi tyrannide liberetur. Is igitur cum classe & copiis magnis Romam venit, Maximo, cùm inde profugisset, à suis occiso, Vrbe citra laborem potitur, & omnes eius diuitias, sacrarum ædium aurea donaria, & gemmis ornata, nonnulla etiam vasa è Templo Ierosolymitano à Tito allata, aurea & ipsa, vnà cum Eudoxia, & duabus eius filiabus in Africam secum asportat.*

Constantinus Manasses in Annalibus: *Maximus tandem gladio Imperatorem occidit, spoliatum priùs fidissimis satellitibus. Hoc facto coniugem quoque Valentiniani Eudoxiam stuprat: quæ iniuriam hanc ægerrimo ferens animo, suos ad Gizerichum Vandalorum regem mittit, oratum, vt Romam cum copiis inuaderet. Fecit hoc Gizerichus, Romam occupauit, eáque miserum in morem spoliata, Imperatricem cum filiabus captiuas adduxit.*

Rudericus Toletanus in Historia Vvandalorum, cap. 14. *Gisericus non contentus Africæ, & Siciliæ vastatione, aggressus est patriam Romanorum. Romanæ autem Ecclesiæ adhuc præerat Leo Papa. Romani verò timentes aduentum Principis Giserici, relicta ciuitate, ad montium ardua confugerunt: & veniens Gisericus ciuitatem habitatoribus vacuam, sed plenam diuitiis*

diuitiis occupauit : ſed nec incedere voluit occupatam, nec in eos qui remanſerant gladio deſæuire. Nam Leo Papa introitu ciuitatis occurrerat venienti, & diuini verbi pabulo Giſerici tyrannidem ſic ſedauit, vt à ferro, & incendio abſtineret : & ſuaſus ab Eudoxia Valentiniani relicta, quæ eius commercium cupiebat, vt Romam ingrederetur, Romanorum copias cupiebat, & per quatuordecim dies exhauſit opes, & theſauros abſconditos eorundem, & Chriſtiani Valentiniani Eudoxiam relictam, & duas filias duxit captiuas, cum multis millibus captiuorum. Roma itaque domina ciuitatum remanſit vidua, quaſi terræmotu tertio conquaſſata, primo Alarici, ſecundo Athaulphi, tertio Geſerici.

Nicephorus lib. 15. Hiſt. cap. 11. *Maximus Imperatoris regiam ingreſſus, illum interemit, & coniugem eius Eudoxiam rapuit, eidémque per ſtuprum vim intulit. Per quæ enim aliquis peccat, per eadem etiam caſtigatur. Poſteà verò ille Imperium quoque ſibi vſurpauit. Enimverò Eudoxia tanta contumelia affecta, quòd tam inopinatum flagitium ægrè ferret, omnem ſibi quod dicitur, iaciendum eſſe talum ſtatuit, vt iniuriæ auctorem vlciſceretur, qui facinus tantum in marito ſuo patrare, & inſuper ingenuitatem, libertatémque ſuam contaminare auſus fuiſſet. Acris enim eſſe ſolet fœmina, nec vllo modo ea flectitur, aut exoratur, vt dolorem ſtatim ponat, ſi pudicitia ei, quam retinere contendit, per vim adempta ſit : & quidem ab eo, qui etiam caſtitatis, dignitatis, & exiſtimationis ſuæ cuſtodem ſuſtulerit. Hæc ſecum in animo volutans Eudoxia, quandoquidem nullam ex Byſantio auxilij ſpem eſſe putauit, quòd pater eius Theodoſius dudum diem ſuum obiiſſet, & tempore plurimo Diua Pulcheria Imperio ibi potiretur, quæ nondum conceptam aduerſus matrem Eudociam iram depoſuiſſet : dona maxima in Libyam ad Genſerichum miſit, eundémque vt ſibi in tanta ærumna ſubueniret, ſeque Maximi improbitate liberaret, rogauit : ſpe illa Barbaro oblata, ſi modò ſe moueret, præter opinionem eum claſſe ingenti Imperium Romanorum conſecuturum, quod ſe illi facilè traditurum recepit. Itaque Maximus, cùm neque vnum quidem annum tyrannide potitus eſſet, interemptus eſt : Genſerichus verò vbi cum ingentibus copiis aduenit, Romam cepit. Qui quod barbara mente, & inſtabilis, atque inconſtans eſſet, Eudoxiæ fidem non ſeruauit : ſed vrbe direpta, ſpectaculiſque eius incenſis, in Libyam reuerſus eſt, Eudoxia ſecura, & duabus filiabus Eudocia & Placidia captiuis abductis : Multa quoque inde Eccleſiaſtica, & pretioſa abſtulit vaſa : inter quæ non pauca etiam Hebraïca fuerunt, quæ Veſpaſianus & Titus Ieroſolymis vaſtatis Romam ſecum attulerant. Genſerichus maiorem natu filiam Eudociam Honoricho filio matrimonio iunxit.*

Agit etiam non ſemel de clade Romæ Genſericana, S. Apollinaris Sidonius, qui illo viuebat tempore, geminis Panegyricis, altero ad Auitum, altero ad Maiorianum Imperatores, tu ipſum conſules, adhibitis Notis Ioannis Sauaronis, & Iacobi Sirmondi. Meminit quoque eiuſdem Iuſtinianus Imperator, lege 1. Cod. de officio Præfecti Prætorio Africæ : *Anteceſſores noſtri ipſam Romam viderunt à Vvandalis captam, & omnia Imperialia ornamenta in Africam exinde tranſlata.* Et Anaſtaſius Bibliothecarius de Romanis Pontificibus, in Leone I. *Hic renouauit poſt cladem Vvandalicam omnia miniſteria ſacrata, argentea per omnes titulos conflata.*

De vaſis verè Templi Ieroſolymitani, quæ Titus Romam intulerat, à Geiſerico in Africam ablatis, de quibus Paulus Diaconus, Cedrenus, Zonaras, & Nicephorus, vti vidimus, meminere: Procopius auctor eſt, ea poſtmodum deuictis in Africa Vvandalis, à Beliſario, Conſtantinopolim magno triumpho inuecta fuiſſe. Libro enim 2. de Bello Vvandalico, cap. 6. deſcribens apparatum, pompámque triumphi Beliſarij, quo deuicta Africa, Gilimeréque Vvandalorum rege ducto captiuo, ingentíque regia gaza prælata, Conſtantinopolim eſt ingreſſus, inquit : *Erant enim ſpolia quæcumque ad regis capti miniſterium eſſe conſueuerant, aurei throni, vehiculáque quibus regis vxorem vehimos erat, ornatu deinde vario, plurimiſque lapidibus pretioſis conſtructa, aurea quoque pocula, & alia omnia quæ regiæ menſæ adhibentur : argentum præterea multarum talentorum myriadum, omnis denique regia ſuppellex admodum pretioſa, atque admiranda : vtpote à Gizericho quondam Romæ è Palatio direpta, vti ſuprà commemoraui. In qua & Iudæorum res multa nobiles extitere, quæ olim à Tito Veſpaſiano quum Ieroſolymas cepit, Romam cum quibuſdam aliis exportatæ fuerunt. Quas cùm Iudæus quidam aſpiceret, ait ad quendam ſibi proximum ex notis Imperatoris : Has opes Bizantium inferri Palatium minimè oportere, quod alibi nuſquam, quàm in loco vbi Salomon Iudæorum rex ab initio eas conſtituit, conſiſtere queant. Propterea Gizerichus Romanorum Imperium diripuit : nunc rurſus ex eadem cauſa Romanus exercitus, Vandilorum. Hæc ad ſe delata Iuſtinianus Imperator intelligens, valde timuit, ac illicò omnia illa Ieroſolymam ad Chriſtianorum templa remittenda mandauit.* Eadem ex Procopio, Euagrius lib. 4. Hiſt. Eccleſ. c. 17. Paulus Diaconus lib. 16. Miſcellæ cap. 11. Nicephorus lib. 17. cap. 12. Dabis veniam, lector, prolixitati : nam vt tibi hiſtoricæ collectionis quoddam ſpecimen exhiberemus, cui tu in varietate prodentium, tuum iudicium admoueres, excurſioni occaſio fuit materiæ vbertas.

Ceterùm opportunè ſcias, tantam cladem Romæ à Genſerico obueniſſe, cùm propter alia plurima vitia, tum imprimis propter gentilicas aliquot ſuperſtitiones, quæ nondum Romæ penitus exoleuerant. Nam S. Leo Pontifex, qui tunc Eccleſiæ præerat, Sermone in octaua Apoſtolorum Petri, & Pauli, iſta deplorat : *Pudet dicere, ſed neceſſe eſt non tacere : Plus impenditur dæmoniis, quàm Apoſtolis : & maiorem obtinent inſana ſpectacula frequentiam, quàm beata martyria.*

Eiuſdem adhuc explanationis continuatio: & alij Romæ caſus.

CAP. XI.

POſt viginti plùs minùs annos à Romæ clade Genſericana, aliam paſſa eſt vrbs gentium domina non minorem ab Odoacre Erulorum rege, quando capta Roma, Imperium penitus eſt illi ablatum, & Romanum Imperium in Occidente funditus extinctum fuit. Anonymus eorum temporum Auctor in Chronico : *Zenone Coſſ. Intrauit Rauennam Patritius Oreſtes cum exercitu, & fugauit Imperatorem Nepotem ad Dalmatias V. Kalend. Septembris. Eo anno leuatus eſt Auguſtulus Imperator Rauennæ à Patricio Oreſte patre ſuo, Pridie Kalend. Nouembris. Baſiliſco II. & Armato Coſſ. leuatus eſt Odoacer rex X. Kalend. Septembris. Eo etiam anno occiſus eſt Oreſtes Patritius Placentiæ, V. Kalend. Septembris. Item eo anno occiſus eſt Paulus frater eius in Rauenna, Pridie Nonas Septembris.* Marcellinus Comes in Chronico : *Indictione XIII. Zenone Aug. 11. ſolo Coſſ. Nepos qui Glycerium regno pepu-*

lerat, Romæ leuatus est Imperator. Nepote Orestes protinus effugato, Augustulum filium suum in Imperium collocauit. Indictione XIV. Basilisco, & Armato Coss. Odoacer Rex Gothorum Romam obtinuit. Orestem Odoacer illico trucidauit. Augustulum filium Orestis Odoacer in Lucullano Campaniæ castello exilij pœna damnauit. Hesperium Romanæ gentis Imperium, quod DCCIX. Vrbis Conditæ anno, primus Augustorum Octauianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit, anno decessorum regni Imperatorum DXXII. Gothorum dehinc regibus Romam tenentibus.

Cassiodorus in Chronico : *Zenon 47. Eodem anno Orestes, Nepote in Dalmatiam fugato, filio suo Augustulo dedit Imperium. Basilisco II. & Armato. His Coss. ab Odouacre Orestes, & frater eius Paulus extincti sunt : nomenque Regis Odouacer assumpsit : cùm tamen nec purpura, nec regalibus veteretur insignibus.* Eadem ex verbo Marianus Scotus in Chronico.

Iornandes de Regnorum Successione, cap. 103. *Parte verò Hesperiæ, Nepote Imperatore Orestes fugato, Augustulum suum filium in Imperium collocauit : sed mox Odoacer, genere Rugus, Thorcilingorum, Scirorum, Heruloríumque turbis munitus ; Italiam inuasit, Augustulúmque Imperatorem de regno eiusdem, in Lucullano Campaniæ Castello exilij pœna damnauit, sicque Hesperium regnum, Romanique populi principatus quem DCCIX. vrbis conditæ anno primus Augustorum Octauianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit, anno decessorum regni Imperatorum DXXII. Gothorum dehinc regibus Romam tenentibus.* Hæc ipsa eadem sunt Marcellini, nuper à nobis descripta.

Procopius lib. 1. de Bello Gothico, c. 1. *Zenone itaque Bizantij Imperante, Augustus Occidentis tenebat Imperium, quem & Augustulum idcirco vocitabant Romani, quiâ puer admodum regnum susceperat, quod vtique illi Orestes pater, vir quidem sapientissimus gubernabat. Erat autem Odoacer inter Italos quidam, Orestis armiger quondam, qui Gothis omnia pro eorum arbitrio executurum se obtulit, si Romanorum Principem se constituerent. Hoc pacto cùm sibi tyrannidem comparasset, Augustulo ipso Imperatore sine offensione alia vlla permisso in priuati hominis morem, vitam vt duceret, ad decimum annum tyrannidem stabiliuit.*

Euagrius lib. 2. Hist. cap. 16. *Nepotem regno eiicit Orestes : post Orestem filius eius Romulus, cognomine Augustulus : qui postremus Romæ Imperator fuit, MCCC. annos post regnum Romuli, Imperium occupauit. Quo mortuo, summam rerum humanarum administrat Odoacer : qui Imperatoris nomine repudiato, se regem appellari voluit.*

S. Beda in Chronico : *Odoacer Rex Gothorum Romam obtinuit : quam ex eo tempore diutius eorum reges tenuere.* Eadem totidem verbis S. Ado in Chronico.

Paulus Diaconus lib. 15. Miscellæ, c. 17. *Anno ab vrbe Condita millesimo ducentesimo vicesimo sexto, Zenon quinquagesimus ab Augusto imperat. Nepotem verò Cæsarem Orestes Patritius Imperio priuat, & filium suum Augustulum Imperatorem creat. Sed continuo Odoacer rex Turcilingorum, & Rugorum peruasa Italia, Romam capit, quarta iam vice, à conditione sua : & Augustulo Imperatore exiliato, ipse Romæ tyrannicè regnat.*

Hermannus Contractus in Chronico : *Anno Domini 474. Romæ Orestes Patritius Nepote Imperatore in Dalmatiam fugato, filium suum Augustulum Imperatorem constituit, 475. Odoacer rex Torcilingorum & Rugorum, cum multis Barbarorum auxiliis, peruasa Italia, Romam obtinuit anno à conditione eius MCCXXX. Orestem & Paulum Patritios occidit : Augustulum Imperatorem exilio damnauit, & pro eo Regis nomen arripuit, cùm tamen nec purpura, nec Regnis insignibus veretur.*

Sigebertus in Chronico 472. *Orestes Patritius Nepotem regno expulit. 473. Orestes Augustulum filium suum regnare constituit. Interim Odoacer, cùm multa multarum gentium multitudine ab extremis Pannoniæ finibus Italiam petit. Odoacer Oreste victo apud Papiam obsesso, capto & occiso Italiam subdit iuri proprio. 474. Augustulus Imperium deponit : quod Odoacer arripiens, quatuordecim annis nullo inquietante obtinuit.*

Nicephorus lib. 15. Hist. Eccl. cap. 11. *Nepotem Orestes Imperio spoliauit. Cui Romulus filius, qui & Augustulus dictus est, successit, vltimus Romanorum Imperator, à Romulo primo rege mille trecentis & tribus exactis annis. Post hunc Romanorum Imperium Odoacer inuasit : qui Imperiali cognomine reiecto, regem se primus vocauit.*

Sed omnium appositissimè Constantinus Manasses in Annalibus, narrata Romæ captiuitate per Geisericum, subdit : *Ac Roma quidem exiguum ad tempus adhuc ab Imperatoribus administrata, tandem Imperium omne prorsus amisit, in potestatem regum, principúmque Barbarorum redacta, quorum manibus miserè prostrata fuit. Tunc temporis autem Maximus occupata tyrannide regnauit : quem secuti sunt Anthemius, Olybrius vir præstantissimus, Maiorianus, Glycerius, Nepotianus, Orestes : post quem Orestem puer Romulus omnium Imperium vsurpauit. Hoc modo celeberrima Romanorum vrbe, cùm ab initio Romulum regem legitimum habuisset, ac vicissim eius Imperium ad Romulum peruenisset, deinceps ab Imperatoribus gubernari desiit. Barbaris autem sese submittens, ab iisque calcata, pérque suam infelicitatem capta, Regibus eorum, nationúmque Principibus & Satrapis paruit : planéque spoliata consulibus, Imperatoribus, Dictatoribus, Senatu, Patritiis, iugum Barbarorum suis humeris tulit : quæ denique priùs erat indomita, & expers iugi vacca, Principibus aratoribus obediens facta est, & condemnata, vt eius solum aratro inuerteretur. Et hæc quidem Romæ veteri acciderunt.*

At tantum hoc Romani Imperij in Occidente excidium contigisse Romæ propter relictas hactenus in ea ethnicæ, & prauæ religionis sordes, S. Gelasius Primus Libello contra Andromachum, quum queritur adhuc suo tempore perdurasse Romæ Lupercalia, disertè profitetur his verbis : *Dum hæc mala hodie quoque perdurant, ideò hæc ipsa Imperia defecerunt : ideo etiam nomen Romanorum, non remotis etiam Lupercalibus, vsque ad extrema quaque peruenit : & ideò ea nunc submouenda suadeo :* Et post alia in eandem sententiam declamata, ait : *Numquid Lupercalia deerant, cùm Vrbem Alaricus euertit ? Et nuper cùm Anthemij & Ricimeris ciuili furore subuersa est, vbi sunt Lupercalia ? Cur istis non profuerunt.*

Sequitur iam funestior Romæ clades à Totila Gothorum rege sub Iustiniano Principe illata. Is enim Barbarus Romam diu obsessam, tandem cepit. De fame quidem quæ tunc obsessos afflixit, Procopius lib. 3. Belli Gothici, cap. 9. hæc prodit : *Fames interea inualescendo in immensum cùm accreuisset, maximum in malum euasit, vt quæ ciborum absurdiora quædam sugeret genera, & naturæ excedentia*

tia terminos. Et poſt alia: *Cetera hominum turba vrticas dumtaxat edebat, quales circa vrbis pomerium, & locis incultioribus paſſim hæ affatim naſcuntur: quas tamen decoctas, ne vel ſapore, vel innatis offenderentur aculeis, eſitabant. Quibus deficientibus cùm earum non magna his copia eſſet, atque adeò ad ſaturitatem non omnes haberent: corpore extenuari denique cœperant, colórque cùm in pallorem ſe paulatim & liuorem vertiſſet, ſimillima idolis videbantur. Plerique verò vel incendentes, vel dentibus adhuc ipſis vrticas mandentes, de improuiſo exanimati cadebant. Iámque vel purgamentis in cibum, & ſtercoribus vtebantur: nonnulli etiam fame nimium degrauati, manus ſibimet inferebant, cùm nec canes quidem, nec mures de cetero inuenirentur, nec aliud vſquam demortuum animal, quibus vti in cibum poſſent. Erat inter ceteros Romanus vir quidam liberorum quinque factus iam pater: hunc filij omnes circumſiſtendo, prehenſandóque, vt aſſolent, cibum ſibi efflagitabant. Tum ille nec ingemiſcens quidem, nec vllo edito turbationis indicio, ſed fortiſſimè dolore diſſimulato, filios iuſſit ſe ſubſequi, vt cibum mox accepturos. Vbi verò ſupra Tiberis pontem peruenit, capite obuoluto, velatiſque oculis, in Tiberis aqua confeſtim deſiluit, ſpectantibus filiis, Romaníſque ceteris, qui ea tunc forte è regione conſtiterant.*

De Totilæ verò cum exercitu in Vrbem irruptione, hæc idem Procopius cap. 10. & 11. narrat: *Primis tenebris, vniuerſo armis inſtructo exercitu, adportam Aſinariam duxit, quaternóſque inde è Gothis præualidos viros Iſauris ducibus per funem iubet in muros euadere. Qui nocte ſtatim eadem qua & Iſauris ipſis obuenerat per vices cuſtodia, dormitantibus ceteris, ad fores Aſinarias aperiendas deſcendunt: præciſáque ligna ſecuribus obice, refractiſque ferreis clauſtris, Gothis aditum patefaciunt, & patentibus portis, cum vniuerſo exercitu Totilam intra Vrbem ad hoſtium arbitrium recipiunt. Verum vbi, vti par erat, tumultuatum, & perturbatio inde, & timor, vt capta in vrbe, Romanos inuaſerant: militum Romanorum pars maxima cum ducibus ipſis, vt facilè cuique, fugam capeſſunt. Pauci quidam Romanis cum ciuibus ſe immiſcentes, in Templo perfugium habuere. Maximus Olybriúſque, & cum his ſimul Oreſtes, & alij quidam in Petri Apoſtoli ædem ſe fuga recipiunt. Conſtat ſanè è plebe tunc homines ad quingentos in vrbe reſides per id tempus fuiſſe, qui in Diuorum ſe templa receperunt. Ceteri omnes iam ex vrbe exceſſerant, & in alias ſe contulerant terras, vel vt ſuprà iam diximus, lue abſumpti perierant.*

Et poſt pauca: *Verùm vbi primùm illuxit, Totilas ipſe orandi gratia, Petri Apoſtoli Templum ingreditur. Sed Gothi interea, quos obuios habent, obtruncant. Vnde hoc pacto ex militibus quidem deſiderati viginti dumtaxat ſunt, ſexaginta è plebe homines. Ineunti itaque id Totilæ Templum, Pelagius ipſe, S. Rom. Eccle. Diaconus: Seſe obuium offert, Chriſti in manibus Euangelia geſtans, ſuppléxque omnibus factus, & genu procumbens: Parce, inquit, ô princeps, tuis. Tum ille arridens, & ſanè profuſius, ita profatus eſt: Nunc mihi ſupplicaturus aduenisti, Pelagi? Ita quidem, reſpondit, quandoquidem tuum me ſeruum effecit Deus: ſed ab his iam abſtine manus, qui tibi in ſeruitutem ceſſere. His itaque victus precibus Totilas, Gothis militibus edicto mox imperat, Romanorum de cetero vt neminem obtruncarent, & ei in primis pretioſiſſima quæque delecta ſeruarent, cætera ſibi haberent in prædam. Quam multa in Patritiorum ædibus inuenta fuere: ſed omnium maxima extitere quæ Beſſas reliquit.*

Et cap. 12. *Totilas Romam imprimis ad ſolum proſternere decreuit. Sed muri tantùm, & diuerſis in locis hic diruit, quantum totius partem eſſe hanc tertiam coniectura quis conſequi poterat: pulchriora præterea magnificentioráque abſumere incendio ædificia huic animo inerat, & vrbem Romam in ouium paſcua idoneam reddere. Quibus de rebus Beliſarius certior factus, ſimul & litteras ad Totilam miſit.* Subiicit epiſtolam Beliſarij ad Totilam, qua à truci cogitatione ad ſolum diruendæ Romæ eum reuocauit. Et poſtea, ſubdit: *Delectiſque Romanis Patritiis ſecum vna deducendis, cæteros omnes cum coniugibus ſimul & liberis ad Campaniæ loca tranſmiſit, nullo hominum in vrbe relicto, quam penitus deſtitutam dimiſerat.* Agunt de eadem quoque Romæ deuaſtatione Euagrius lib. 4. cap. 20. Nicephorus lib. 17. c. 13.

Sed & Iornandes de Regnorum ſucceſſione, cap. 118. hæc de eadem habet: *Baduila*, qui & Totila, *totam Italiam cum ipſa Roma peruadit, cunctos Senatores nudatos, demolitam Romam Campaniæ terra tranſmutat.* Et cap. 119. *Beliſarius egreſſus eſt ad Vrbem: quam vt deſtructam & deſolatam attendit: condoluit, hortánſque ſocios ad reparationem tantæ Vrbis accingitur.*

Marcellinus Comes in Chronico: *Indictione X. V I. Poſt Conſulatum Baſilij V. C. Totila dolo Iſaurorum ingreditur Romam die XV I. Kalend. Ianuarij, ac euertit muros, domos aliquantas igni comburens, ac omnes Romanorum res in prædam accepit: hos ipſos Romanos in Campaniam captiuos abduxit. Poſtquam deuaſtationem, quadraginta, aut amplius dies Roma fuit ita deſolata, vt nemo ibi hominum, niſi beſtiæ morarentur. Hinc veniens Beliſarius murorum partem reſtaurat.* Hæc igitur Procopius, Iornandes, Marcellinus de Totilana Romæ euerſione tradiderunt, quæ rectè ſcire potuerunt, cùm illis ipſis temporibus vixerint. Atque ſanè in hanc Romæ ruinam appoſitè verba illa Ioannis cap. 18. 2. *Cecidit, cecidit Babylon magna: & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtòdia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis.* Conuenire videntur, quando, vt Marcellinus ait, vltrà quadraginta dies Romæ habitatore vacua, & non niſi à beſtiis culta manſit.

De eadem Totilana Romæ deuaſtatione Paulus Diaconus lib. 16. Miſcellæ, cap. 19. *Totila Romam petiit, eámque obſidionibus cinxit: quæ tantam tunc famis penuriam paſſa eſt, vt præ magnitudine inopiæ, natorum ſuorum carnes comedere vellent. Feſſis nimium Romanis, nec valentibus mœnia tueri, Totila porta Oſtienſi Vrbem ingreſſus eſt: qui parcere Romanis cupiens, per totam noctem clangere buccina iuſſit, quo ſe à Gothorum gladiis aut in Eccleſiis tuerentur, aut quibuſcumque modis occulerent. Habitauítque aliquantulum cum Romanis, quaſi pater cum filiis. Hanc illi, vt coniici datur, animi benignitatem, qui nimiæ antè crudelitatis extiterat, beati patris Benedicti, quem olim adierat, monitio contulit.*

Hermannus Contractus in Chronico, *Anno 540. Totila, qui & Badnila dictus, ipſam vrbem Romam captam plurimis malis attriuit, & vaſtauit.* Deſcribunt etiam eandem ab Totila illatam Romæ ruinam, Marianus Scotus in Chronico, an. Domini 556. Miſcellæ verba pene tranſcribens, Sigebertus in Chronico, anno Chriſti 543. ipſe quoque Miſcellam imitatus, & alij.

Poſt triennium verò iterum Romam à Totila captam, cum ingenti ciuium cæde, idem Procopius lib. 3. Belli Gothici, c. 19. & 20. pluribus deſcribit, itémque Iornandes de Regnorum ſucceſ-

sione, cap. 120. & Hermannus Contractus in Chronico, anno 545. ex editione Henrici Canisij. Sed Procopius de consilio tunc à Totila inito, hæc refert: *Cui Vrbem Romam nec delere quidem animo inerat, nec penitus destituere: sed ea de causa, quam explicaturus mox sum, potius dixit, vt per Gothos, Romanósque ipsos incoleretur, & Senatorios viros. Miserat is paulo ante Francorum ad Principem deprecatum, sibi vt filiam in matrimonium daret: cuius ille repudiatis petitionibus, Italiæ eum nec esse Imperatorem in præsentia dixit, sed nec in posterum fore, vt qui Vrbe capta, nec eius quidem seruare possessionem potuerit: sed per se in partem deletam, hostibus iterato habendam permiserit. Quo responso Totilas ipse permotus, tunc statim & sedulo commeatus in Vrbem importari, sarcirique omnia imperauit, quæ vel igne absumpta fuissent, vel per se demolita: Romanósque & Patritios vtros, & ceteros omnes, quos in Campaniam anteà emisisset, in patriam reuocandos curauit.*

Atque hæ sunt præcipuæ clades quæ Vrbem generis humani domitricem prostrauerunt: quas prædictas & prænuntiatas à diuino Ioanne in iis, quæ de excidio Babylonis, id est, Romæ, est vaticinatus, si existimare velimus, nec absurdum, nec alienum videri possit.

Iam quæ Ioannes de decem Regibus Babylonem, seu Romam odio habentibus, desolantibus lacerantibus, & concremantibus refert Apocalyps. 17. v. 12. & 16. nihil necesse est vt hos decem Reges illosmet intelligamus, de quibus idem Apostolus Apocalyp. 12. v. 3. & cap. 13. v. 1. scribit, rerum potituros quum veniet Antichristus: de quibus inferiùs abundè dicemus: sed hîc decem reges plenario numero, illos omnes vniuersè accipere possumus, qui post Constantini Magni ætatem, ex variis nationibus, diuersis temporibus in Romanum Imperium sese effuderunt cum maximis barbararum gentium agminibus illud lacerantes, deuastantes, distrahentes, ac tandem concisum delentes, & ad se tandem per partes transferentes. De his quidem cùm vasti extent auctorum Commentarij, nos tantùm pauca delibabimus.

Ammianus Marcellinus lib. 26. cap. 10. de initiis Imperij Valentiniani Senioris: *Hoc tempore velut per vniuersum orbem Romanum bellicum canentibus buccinis, excitæ gentes sæuissimæ limites sibi proximos persultabant. Gallias, Rhetiasque simul Alemanni populabantur: Sarmatæ Pannonias & Quadi: Picti, Saxones, & Scoti, & Attacotti Britannos ærumnis vastauere continuis: Austoriani, Mauricæque aliæ gentes Africam solito acriùs incursabant: Thracias diripiebant prædatorij globi Gothorum: Persarum rex manus Armeniis iniectabat, eos ad suam ditionem ex integro vocare, vi nimia properans, sed iniustè.* Idem Ammianus lib. 31. Hunnorum, Alanorum, Grunthungorum, Theruingorum, Gothorum, Tayfalorum, Lentientium Alemanorum in solum Romanum fœdas irruptiones fusè describit.

Claudianus lib. 1. in Rufinum, percensens Barbaras gentes, quas Rufinus Imperij proditor in Romanas Prouincias concitauerat, ita canit.

—Romanas ardet prosternere vires.
Iam gentes, Istrúmq; mouet, Scythiámque receptat
Auxilio, tradítque suas hostilibus armis
Relliquias, mistis descendit Sarmata Dacis,
Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Massagetes, patriámque bibens Maotin Alanus,
Membráque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus,
Rufino collecta manus.—

S. Hieronymus epist. 3. quæ est Epitaphium Nepotiani: *Horret animus temporum nostrorum ruinas persequi. Viginti, & eo amplius anni sunt, quòd inter Constantinopolim, & Alpes Iulias quotidie Romanus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctásque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vvandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. Romanus Orbis ruit: & tamen ceruix nostra erecta non flectitur.* Et epist. 11. ad Ageruchiam: *Innumerabiles, & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano, & Rheno includitur, Quadus, Vvandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Eruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & ô lugenda Respublica, hostes Pannonij vastarunt.* Et post alia: *Potentiam Romanæ Vrbis ardens Poëta describens, ait: Quid satis est, si Roma parum est? Quod nos alio mutemus elogio: Quid saluum est, si Roma perit?* Et in cap. 7. Isaïæ: *At nunc magna pars Romani orbis quondam Iudææ similis est, quod absque ira Dei factum non putamus, qui nequaquam contemptum sui per Assyrios vlciscitur & Chaldæos, sed per feras gentes, & quondam nobis incognitas, quarum vultus & sermo terribilis est, & femineas, incisásque facies præferentes, virorum & benè barbatorum fugientia terga confodiunt.*

De gentibus ab Stilicone in Romanam ditionem immissis Orosius lib. 7. c. 38. ita scribit: *Alaricum cunctámque Gothorum gentem ad terendam, terrendámque rempublicam reseruauit. Præterea gentes alias, copiis, viribúsque intolerabiles, quibus nunc Galliarum, Hispaniarúmque prouinciæ premuntur, hoc est, Alanorum, Sueuorum, Vvandalorum, ipsóque simul motu impulsorum Burgundionum, vltro in arma sollicitans deterso semel Romani nominis metu, suscitauit eas, &c.*

Procopius lib. 1. de Bello Vvandalico, cap. 2. *Honorio igitur occidenti præsidente, Barbari illius inuasere regionem: qui verò fuerunt, & quomodo, dicam. Gothicæ gentes multæ quidem, & aliæ priùs fuêre, quàm nunc. Omnium autem maximæ ac potissimæ Gothi, & Vvandali, & Visogothi, & Gepedes, iam dudum & Sarmatæ, & Melancleni appellati.*

S. Prosper in Chronico à Pithœo edito, de Imperio Valentiniani III. & Martiani: *Hac tempestate valdè miserabilis Reipublicæ status apparuit, cùm ne vna quidem sit absque Barbaro cultore Prouincia.* De Gentibus ab Attila Hunnorum rege ad ruinam Romani Imperij tractis, S. Apollinaris Sidonius, qui eo viuebat æuo, Panegyrico ad Auitum Imperatorem, ita canit:

—Subito cum rupta tumultu
Barbaries totas in te transfuderat arctos
Gallia, pugnacem Regum comitante Gelono,
Gepida trux sequitur, Scerum Burgundio cogit,
Chunnus, Bellonotus, Neurus, Bastarna, Toringus,
Bructerus, vluosa quem vel Nicer alluit vnda,
Prorumpit Francus, cedit citò secta bipenni
Hercinia in limites, & Rhenum texuit alno.
Et iam terrificis diffuderat Attila turmis,
In campos se Belga tuos. —

De eisdem Attilæ gentibus Paulus Diaconus lib. 5. Miscellæ, c. 2. *Erant siquidem eius subiecti dominio Rex ille Gepidarum famosissimus Andaricus, Vvalamir etiam Gothorum regnator, ipso cui tunc seruiebat rege nobilior: fortissimæ nihilominus gentes, Marcomanni, Sueui, Quadi, præterea Eruli, Turcilingi, siue Rugi cum propriis regulis: aliæque præter hos Barbaræ nationes in finibus Aquilonis commanentes.*

tes. Horum omnium Attila ſuperbus Imperio, &c. De eiſdem fermè temporibus Marcellinus in Chronico: *Indictione I X. Cyro ſolo Coſ. Perſæ, Saraceni, Zanni, Iſauri, Hunni finibus ſuis egreſſi, Romanorum ſola vaſtarunt.* At de variis gentibus Barbaris è Septentrionis plaga in Romanum Imperium infuſis, copiosè agit Iornandes in opere de rebus Geticis, præſertim, cap. 3. Sed & Longobardos ſub Alboino rege ad cladem Italiæ inuolantes, ſecum alias feras traxiſſe nationes, Paulus Diaconus lib. 2. de Geſtis Longobardorum, cap. 26. in hunc modum refert: *Certum eſt autem tunc Alboin multos ſecum ex diuerſis, quas vel alij reges, vel ipſe ceperat, gentibus, ad Italiam adduxiſſe: vnde vſque hodie in quibus habitant, vicos Gepidos, Bulgares, Sarmatas, Pannonios, Suauos, Noricos, ſiue aliis huiuſcemodi nominibus appellamus.*

De irruptione Gothorum, Alanorum, Vvandalorum, Sueuorum, Silingorum in Hiſpanias, agit Oſorius lib. 7. c. 4. & S. Iſidorus integris de eiſdem gentibus Chronicis. Ac de his ſatis, quibus pleni ſunt auctorum libri. Vaſtationes Romani Imperij affatim deplorauit Saluianus plenis ſeptem libris de Iudicio & Prouidentia Dei.

Ex hactenus igitur dictis, ſummam interpretationis vaticiniorum Apocalypſis de Babylone, hoc eſt, Roma, colligentes, dicimus, Excidium Romæ ſupremum à Ioanne prænuntiatum illud intelligi, quando Roma propter idololatriam, Eccleſiæ perſecutiones, & alia horrenda ſcelera, ſæpius capta, incenſa, euerſa, deuaſtatáque corruit, ſub Alarico, Geiſerico, Odoacre, Totila: & quum inuadentibus tot nationibus barbaris, Gothis, Vvandalis, Hunnis, Longobardis, aliiſque permultis, quas dudum recencebamus, in Romanas prouincias, ipſa Roma penitus Imperium orbis amiſit, ac deſiit eſſe Roma, hoc eſt, mundi caput, regina gentium, ac terrarum domina: Imperiúmque Romanum ab ea diuulſum, diſtractum dilaceratum, penitúſque ablatum fuit: quamuis alioqui ipſum Romanum Imperium à Roma vrbe detractum, & ſeparatum, poſteà in Oriente Conſtantinopoli, & poſtmodum in Occidente, hodiéque in Germania vigeat, per ingenter, & varias rerum viciſſitudines in diuerſa loca tranſlatum. Cuius Imperij omnimodam extinctionem, ſignum eſſe proximè imminentis Antichriſti, in ſequentibus huius libri demonſtrabimus. Itaque Ioannes loqui videtur de Vrbe ipſa Roma, & Imperio Romano ipſi affixo: qua ratione Roma per tot, quas diximus Barbaricas clades raptata concidit in ſempiternum, hoc eſt, funditus deſiit eſſe, quod fuit Imperij caput & ſedes: nec apparet amplius illud recuperatura. Atqui eodem modo accipi poſſe Pſeudoſibyllina oracula cap. 7. à nobis ſuperiùs expoſita de Romæ excidio, exiſtimauit Ioannes Pineda lib. 16. Monarchiæ Eccleſiaſticæ, cap. 25. §. 3. nec abſurdam aut alienam putamus eiuſmodi interpretationem.

Ceterum ſi in his laxiores orationi habenas fundere placuiſſet, attentioréſque ad opus conſidere vellemus, facile fuiſſet oſtendere, ſingula vaticiniorum Apoſtoli verba, quæ de excidio ſupremo Romæ, eiúſque Imperij dictauit, aptè, concinnéque cum hactenus perducta expoſitione conuenire. Verùm placuit hæc meditanda relinquere diſertis ingeniis, vt res ipſas obſcuritatémque diuinorum oraculorum accuratiùs ſecum reputent. Sed ne prorſus ſine auctoribus tantam interpretationem laudaſſe videamur, eam expreſsè habet Auctor nomine S. Ambroſij in 17. Apocalyps. ad verba illa verſ. 12. *Et decem cornua quæ vidiſti, decem reges ſunt*, vbi inquit: *Quatuor beſtiæ in viſione Danieli demonſtratæ ſunt per quas quatuor regna figurabantur. Quarta autem beſtia quæ erat fortis atque terribilis, per quam Romani deſignati ſunt, decem cornua habuiſſe deſcribitur. Perquæ ea regna quæ Romanum Imperium deſtruxerunt, deſignata ſunt. Eandem ſignificationem habent decem cornua in hoc loco, quam & illa habuiſſe dicuntur. Significant quippe ea regna per quæ Romanum Imperium deſtructum eſt. Partem namque Aſiæ Perſæ primitus abſtulerunt: poſteà verò Saraceni totam ſubegerunt. Vvandali Africam ſibi vindicarunt, Gothi Hiſpaniam, Longobardi Italiam, Burgundiones Galliam, Franci Germaniam, Hunni Pannoniam, Alani autem & Sueui multa loca depopulati ſunt.* Atqui toto eo ferè capite eandem perducit explanationem. Sed vnum aut alterum ex Recentioribus audiamus, qui eam vtcumque probaſſe reperiuntur.

Gilbertus Genebrardus lib. 3. Chronogr. pag. 436. poſt deſcriptam Alaricanam Romæ deuaſtationem, hæc addit: *Hinc cœpit Imperij dilaceratio: nam in illud poſteà Barbaræ nationes Septentrionales ſeſe infuderunt: de qua re libri Blondi de Inclinatione Imperij, & Pij II. Blondi Epitomæ. Imperio hæc laceratio vtilis fuit. Primò, bellis ciuilibus ferè finem impoſuit. Deinde penitus idololatriam ſuſtulit, quam ne Chriſtiani quidem Imperatores radicitus extirpare potuerant. Inde denique Chriſtiana multa regna & Imperia exorta ſunt: quorum vnumquodque pro ſuo modulo religionem propagauit. Maior erat Imperij moles, quàm vt Principes eius ſaluti, itémque vni rei Chriſtianæ poſſent intendere. Adde deſtructum Imperium propter maiorem tranquillitatem, pacem, & tutelam Eccleſiæ: in ſolatium videlicet, & requiem piorum, propter tyrannides, & perſecutiones Monarcharum: vt ſi vno in loco non liceat piè, & catholicè viuere, aliò migrent. Nam quum Imperator erat paganus, quum hæreticus, negotium toti Eccleſiæ fiebat, vt ſub Conſtantio, & Iuliano apparuit. Nec antea Deus conſtituerat tam magnas monarchias, niſi vt Dei verbum facilius curreret, ex Iſaia: quo perfecto, nihil opus fuit tanta Imperij mole ad pietatem. Nec Turca eam reparat, niſi propter peccata, & vt perficiatur myſterium iniquitatis, de Antichriſto, vbi vltima & ferociſſima perſecutio exiſtet. Sicque impletum illud Apocalyps. 17. Decem cornua quæ vidiſti in Beſtia, odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt.*

Ioannes Langus Nicephori Calliſti interpres & Scholiaſtes, tametſi Nouator, in ſcholiis ad cap. 13. lib. 17. Hiſtoriæ eiuſdem Nicephori, hæc in margine poſuit: *Totilas ita flammis Romam vaſtauit, vt in ea homines habitare non poſſent. Itaque ferarum habitaculum eſt facta, iuxta prædictionem Domini, Apocalypſis 18.*

Rob. Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 2. inquit: *Prædicit autem Ioannes hanc Babylonem, nempe Romam ruituram: quia Romanum Imperium delendum erat. Id quod iam ferè factum eſſe cernimus. Annon enim Gothi, Vvandali, Hunni, Longobardi Romæ Vrbis Imperium ferè ad nihilum redegerunt?* Eadem habet lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 5. §. *Neque obſtat.* Quamuis vt in re planè difficili & obſcura aliàs idem Auctor ad Ioannis de Babylone vaticinia interpretationes adhibeat lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 13. & lib. 4. cap. 4. Nec ab eadem

explanatione abest Franciscus Feuardentius in Notis ad lib. 5. S.Irenei, cap.26. num.1. quem tu consule.

Alia oraculorum Ioannis de Babylone, id est Roma, expositio expenditur.

CAP. XII.

LVdouicus Alcasar comment. in Apocalypsim existimat, Babylonis nomine Ioannem reuera Romam intellexisse, illam quidem antiquam, rerum potentem, orbis dominam, sed ethnicam, & idolorum cultui addictam, vt erat sub Principibus gentilibus, quando odio Christianæ religionis in eam atrociter desæuiebat, tanto fuso martyrum sanguine: vindictam verò supremum supplicium, excidium, deuastationem, incendium, plenámque ruinam Babylonis, id est, Romæ, quæ Ioannes tam copiosè describit: non historicè, ac realiter, sed mysticè tantùm ac figuratè capienda esse: nihilque aliud significare, quàm extinctionem omnem, & abolitionem sempiternam idololatriæ, & ethnicæ religionis, quæ tamdiu in ea Vrbe viguit: & conuersionem eiusdem Romæ ad fidem Christi, & susceptionem diuinæ veritatis. Eiusmodi enim mirabiles mutationes & conuersiones ab impietate ad pietatem, ab errore ad veritatem, ab infidelitate ad fidem, à vitiis, & sceleribus, ad virtutem & sanctitatem, consueuisse in Scripturis, vindictæ supplicij, deuastationis incendij, stragis, internecionis, ruinæ appellationibus sæpius designari, plurimis exemplis demonstratur: tunc siquidem sternuntur, incendontur, destruuntur, & abolentur penitus peccata. Hanc suam interpretationem latè Alcasar firmare & stabilire conatur in Proœmio Apocalyps. notatione 24. & 25. & commentario in 14. cap. ad vers. 8. & in cap.16. ad versum 19. & notat. 5. ad cap.16. & in cap. 17. & 18. Disputatione 1. 2. & 3. & in commentariis eorundem capitum 17. & 18. & in commentario cap.19.vers.1.

Illud quoque sciendum, Ioannem in cunctis ferè quæ de mysticæ Babylonis potentia, magnitudine, opibus, deliciis, vitiis, impietate: itémque clade, incendio, excidio, in Apocalypsi fusè disseruit, imitatum proculdubio antiquos vates, vt Ezechielem magna parte cap. 27. in his quæ de diuitiis, & mercibus Tyri prodit: Isaiam cap.21. vers.9. & cap.13. vers.21. Ieremiam cap.51.vers.6. 8.9. in iis quæ de excidio antiquæ illius Babylonis inclytæ in regno Chaldæorum prædixerunt. Tu lector, per otium loca inspice, & accuratè confer. Quocirca idem Alcasar quæ Isaias & Ieremias de casu & euersione Babylonis tradiderunt, præcipuo, & prophetico sensu de Romæ mystico & figurato excidio, nempe de idololatriæ eius extinctione, & ad fidem Christi conuersione intellexisse existimat: atque Isaiæ, Ieremiæ, ac Ioannis ea de re eandem esse mentem arbitratur. Egimus de his pleniùs lib.3. cap.22. in VI. Expositione. Vanissimum equidem semper existimaui, Isaiam, & Ieremiam cùm de excidio Babylonis vaticinantur, Romanæ vrbis conuersionem ab idolorum cultu ad Christi religionem prædixisse: cùm id nusquam vlli antiquorum aut recentiorum interpretum, præter Alcasarem in mentem venerit: & hoc sit planè pro ingenij libito in Scripturis ludere, seu potiùs nugari, quàm verum & legitimum interpretem agere. Quod verè Ioannes in Excidio Babylonis mysticæ, verba fere Isaiæ & Ieremiæ vsurpet, vel nihil necesse est vt de eadem Babylone omnes tres locutos intelligamus: sed quod Ioannes ob similes casus vtriusque Babylonis, verbis accommodatis ad oracula Vatum respiciat aut alludat: vel quod antiqua Babylon nouam hanc Ioannis ceu typus adumbret, voluerit Euangelista mysticum Isaiæ & Ieremiæ sensum referare, vti lib.3. cap.22. in VI. explanatione notabamus.

Sed quod propriè ad oraculorum Apocalyp. de Babylone intelligentiam spectat, posset vtcumque tolerabilis ea Alcasaris interpretatio videri, si non adeò recens, & noua, & tam sine auctore, si non nudas metaphoras in excidio Babylonis consectata, si non ex variis centonibus diuersi coloris variarum expositionum velut inopum panni, interpolata fuisset. Equidem nunquam libenter digladiator: sua cuique placent, suo quisque fruatur inuento, forsan amatores reperiet. Planissimè dicam quod sentio, durissimam semper & alieniss imam existimaui. Singula persequi immensum esset, præterquam quod esset otio prolixè abuti, in re minimè necessaria. Haud sanè clam me est, solere interdum Prophetas peccatorum maximas conuersiones, per strages, cædes, incendia, designare: sed ita tamen, vt quædam in eiusmodi descriptionibus intermisceant, quæ Dei benignitatem, fauorem, gratiam haud obscurè significent. At mirum profectò est, tantam Romæ gloriam, dignitatem, splendorem, felicitatem, quantam nacta est eiurata idololatria, & suscepta Christiana religione, Ioannem vocabulis tam duris, crudis, asperis, horrendis, omnis infortunij, & calamitatis plenis exprimere voluisse; vt ne vllum aliquod saltem lene, ac blandum miscuerit, quod vel per rimulam eam Romæ claritudinem, Deique erga ipsam beneuolentiam innueret. Rogo, si Ioannes verum ac supremum Babylonis infortunium, & extremam infelicitatem reuera verbis perspicuis, & sine ambagibus dicere voluisset: poterátne aptioribus, & clarioribus exprimere, quàm quibus vsus est?

Iam, vt cætera plurima omittamus, quàm illud durum & alienum, cap.17. vers.12. *Decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt.* decem hos reges exponere, Senatores, & optimates Romanos! Certè si quosuis alios potiùs quàm Senatores Romanos Ioannes hîc intelligi voluisset, non poterat accommodatiori vti vocabulo quàm *Regum.* Quis enim nescit quam inuisum & execrabile Regium nomen Romæ semper fuerit, vt illud, post Regifugium, nullus Principum vsurpare præsumpserit? Quid enim? voluítne Ioannes Senatores à nobis ea nuncupatione diuinari, quàm nulli vnquam venisset in mentem, nisi Alcasari, Senatores Romanos potuisse significare? Sed, credo, placuit Alcasari Cyneæ Pyrrhi Legati seu adulatio, seu vera æstimatio, qua Senatum Regum se vidisse affirmauit: at fuit ille encomiastes, Ioannes verò noster propheta & diuinus historicus. Ad hæc, illud etiam quàm violentum, quod vers.13. dicitur: *virtutem & potestatem suam Bestiæ tradent,* interpretari, id est, *suarum opum, facultatum, dignitatis ac vitæ potestatem facilè tyranno permittent, vt hoc obsequium Christo suo Domino ac redemptori præstent.*

cùm

cùm hæc verba de iis regibus impiis, qui ſe Antichriſto ſubiicient aut diabolo, omnes exponant. Nam verſ. 17. ſubditur, *vt dent regnum ſuum Beſtiæ.* At cur potius Ioannes denaſtationem idololatriæ Senatoribus Romanis, quàm ipſis Principibus Chriſtianis, Conſtantino, & filiis, Theodoſio, Honorio & aliis, qui in extirpanda idololatria præcipuas vires adhibuere, tribuerunt? Verùm hæc iam omittamus.

Franciſcus Forerius in Iſaiæ 23. v. 12. & Arias Montanus in Iſaïæ 21. aliam Apocalypticæ Babylonis interpretationem adhibuerunt: exiſtimant enim Babylonem in Apocalypſi eſſe Antichriſtianorum ciuitatem, ſeu, Regnum & Monarchiam Antichriſti, quæ implacabilis Eccleſiæ Dei hoſtis, tandem in fine mundi ſæuiſſimo excidio perdetur. Quam ego interpretationem ſatis aptam & cohærentem reputo: & ſi quis cum toto verborum Ioannis decurſu conferre voluerit, haud quidem ægre cuncta componere & aptare poterit. Nobis tantum otij non eſt. Montanus arbitratur, Iſaïam etiam toto illo capite 21. in quo onus deſerti maris deſcribitur, ſublimiori & myſtico ſenſu ad regnum Antichriſti reſpexiſſe. Illud tamen monemus hanc explanationem non multùm abeſſe ab illa, quæ Babylonem in Apocalyſi, pro cœtu improborum, & ciuitate ſeu Regno diaboli capit, de qua ſuperiùs cap. 2. & 3. diſſeruimus: niſi quòd illa ſit vniuerſalior, hæc verò arctiùs Babylonem ad Antichriſti regnum, & monarchiam peculiariter contrahat.

Baptiſta Mazerius Tractatu in Apocalypſim, pag. 78. ait: *Babylonem Apocalyp. 17. Ieruſalem, quam reædificandam a Iudæis ſub protectione magni regis Antichriſti, ſiue Dominatoris dixi, Iudæamque ad quam nouiſſimis temporibus redituri ſunt, interpretabimur.* Idem omnino ſentit Ioannes Ferdinandus in Theſauro Scripturarum, verbo *Antichriſtus*, num. 14. & 15. & verbo, *Babylon*, in fine. Sed in hanc minimè conueniunt quæ Ioannes de Babylone perſcribit: Vnde mirum eſt, quod Henricus Henriquez de fine hominis, cap. 23. §. 4. in Commentario, littera, t, Babylonem Apocalyp. 17. Ieruſalem etiam intellexerit, quum futura eſt ſedes regni Antichriſti.

Verùm hîc committere non poſſumus, quin lectorem liberaliter & ſuauiter impartiamur reconditis quibuſdam & abſtruſis myſteriis, quæ nouantes in Apocalyptica Babylone acutiſſimè & penitiſſimè deprehenderunt. Retulit ea Ieremias Ferrerius nuper ab hæreſi ad Fidem conuerſus libro de Antichriſto, cap. 3. pag. 1028. ſic ſcribens: *Molinæus reperit in his verbis, Poculum aureum plenum abominationibus, capitales litteras reddere hoc nomen* Papa. *Viguerius ſimiliter annotauit, in hoc elogio, Radix omnium malorum auaritia, capitales litteras conficere nomen*, Roma. *Addit Molinæus: Ioſephus Scaliger vir non minus fidelis & verax, quam ſapiens, plerumque affirmabat, ſe Romæ in Arce S. Angeli vidiſſe antiqui operis thiaras ſeu mathras Pontificiis in quibus exarata eſſet hæc ſcriptura: Myſterium.* Præclara ſanè obſernario. Quid ergo? habemus iam Papam ipſiſſimum Antichriſtum? O ora fulminibus è cælo ferienda, quæ non pudet in re tanti momenti ita ioculariter & impiè blaterare! O peſſima atheorum peſtis & nefandiſſimi homines toto orbe penitus exterminandi: Ad magnum Scaligerum reſpondet Nouator alius, non tam deſperatæ mentis, & mendacij, Ioannes Druſius in Annotationibus Apocalypſis cap. 17. verſ. 4. is enim enarrans verba illa Ioannis: *Mater fornicationum*, ait: *Scaliger in Epiſtola quam manu deſcriptam habeo penes me, ſuſpicatur legendum eſſe: πόρνων, hoc eſt catamytorum qui Kadeſim vocantur Hebræis: πόρνων, inquam, non ποργῶν, vt nunc eſt in codicibus Græcis. Idem in eadem epiſtola refert, ſed fide aliorum, in thiara Summi Pontificis olim exaratum fuiſſe: Myſterium. Quod probationis indiget. Nam hodie ſcriptum in ea, IVLIVS PONT. MAXI. Si olim aliter fuit, qui hoc dicit, niſi probauerit fide digno aliquo teſte, compos loquitur, & nihil dicit: imò iniurius eſt in eum, de quo hoc dicit.* Sed Scaligeri vaniſſimorum mendaciorum, nec hoc primum, nec poſtremum.

Quæ ethnici crediderint de æternitate Vrbis Romæ, & Romani Imperij.

CAP. XIII.

MIrum profectò quàm cupiuerint Romani Gentiles Vrbem ſuam æternam, Imperiúmque æternum, quot, quantáque auſpicia, auguria, prodigia, oracula captauerint, iactauerintque eorum æternitatis. Liuius lib. 38. *Vrbem auſpicato diis auctoribus in æternum conditam.* Virgilius 1. Æneïdos de Romanis:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium ſine fine dedi.—

Silius lib. 7. Belli Punici, de Roma:

Dum cete innabunt ponto, dum ſidera cælo
Lucebunt, dum ſol Indo ſe littore tollet,
Hîc regna, & nullæ regnis per ſæcula metæ.

Claudianus de Bello Getico, de Roma:

Surge precor veneranda parens, & certa ſecundis
Fide deis, humilémque metum depone ſenectæ.
Vrbs æquæua polo, tum demum ferrea ſumet
Ius in te Lacheſis, cùm ſic mutauerit axem
Fœderibus natura nouis, vt flumine verſo
Irriget Ægyptum Tanaïs, Mæotida Nilus,
Eurus ab occaſu, Zephyrus ſe prodat ab Indis,
Caucaſúſque iugis calido nigrantibus Auſtro,
Getulas Aquilo glacie conſtringat arenas.

Erinna Poëtria, quam Lipſius & Pontanus tradunt. Non ergo erit illa Erinna quam Suidas ait fuiſſe æqualem, & amicam Sapphus: nam Sapphus teſte eodem Suida, imò & Euſebio in Chronico, olympiade 42. & ſub Tarquinio Priſco vixit. Vide Lipſij Notas ad lib. ſuum: de Magnitudine Romana, cap. 2. & Dialogum 3. de Poëtis Lilij Giraldi ſub æuum Pompei aut circiter floruiſſe, de Roma Græco ſermone cecinit: quod oratione ſoluta ad verbum Cæſar Bulengerus lib. 1. de Imperatore Romano cap. 2. ita reddidit: *Salue mihi Roma, filia Martis, aurea mithra decora, prudens regina, quæ incolis in terra venerandum cælum ſemper inuiolabile. Tibi ſoli Parca canitie honoranda dedit regium honorem Imperij imperrupti, vt regium robur habens, imperes. Tuo autem ſub iugo, fortibus loris pectora terræ, & cani maris ſtringuntur. Tu ſecurè gubernas vrbes populorum: & maximum æuum quod omnia euertit, mutátque vitam alias aliter, tibi ſoli ventum ſecundum implentem vela non mutat.*

Ammia

Ammianus Marcellinus lib. 14. cap. 14. *Tempore quo primis auſpiciis in mundanum fulgorem ſurgeret victura dum erunt homines Romæ, vt augeretur ſublimibus incrementis, fœdere pacis æternæ. Virtus conuenit atque Fortuna, plerumque diſſidentes: quarum ſi altera defuiſſet, ad perfectam non venerat ſummitatem.* Et poſt pauca: *Ideo vrbs venerabilis poſt ſuperbas efferatarum gentium ceruices oppreſſas, latáſque leges, fundamenta libertatis, & retinacula ſempiterna, velut frugi parens, & prudens, & diues, Cæſaribus tanquam liberis ſuis regenda patrimonij iura permiſit.*

Plutarchus in Commentariolo de Fortuna Romanorum, egregiè: *Equidem hoc rectè opinor cenſere, Fortunam & virtutem, tametſi maxima & continentia inter ſe gerunt bella, tamen ad tanti compagem Imperij, atque potentiæ tantæ ſtructuram, pace compoſita coiuiſſe: humanorúmque operum pulcherrimum, communicatis operis abſoluiſſe. Sic vtique quòd fundamenta Romæ iecit Tempus cum Deo, Fortunam & Virtutem coniunxit, atque commiſcuit, vt vtriuſque proprias facultates adhibens,* (Budæus vertit: *auguſtum prorſus, beneficiúmque ſacellum humano generi abſolueret:* Vide Notas Xylandri.) *omnibus hominibus conficeret Veſtam reuera ſacram, & beneficam, ac ſtabile retinaculum, & elementum ſempiternum, & quod rebus fluctuantibus atque ſublabentibus anchora eſſet, vt cum Democrito loquar.* Et poſt alia: *Fortuna Perſis & Aſſyriis deſertis, cùm leuiter peruolaſſet Macedoniam, celeritérque abiecisſet Alexandrum, Ægyptúmque, deinde & Syriam peragrando regna diſtuliſſet, & ſæpè conuerſa Carthaginienſes tuliſſet, poſtquam tranſmiſſo Tiberi ad Palatium appropinquauit, alas depoſuit, talaria exuit, & infideli & verſatili illo globo miſſo facto, ita Romam intrauit vt manſura: ac talis iam adeſt ad iudicium: non enim incerta eſt, qualis apud Pindarum, neque geminum verſat gubernaculum: ſed rectiùs dicitur Iuſtitiæ & Suadæ ſoror, ac Prouidentiæ (ſiquidem ea eſt Prometheia filia, quomodo genus eius Aleman deſcribit. Illud verò omnium ſermonibus celebratum. Copiæ cornu in manu habet, non frugibus ſemper florentibus refertum, ſed largiſſimè omnia profundens, quæ omnis terra, omne mare, omnia flumina metalla, portúſque ferunt.*

Romanam vrbem æternam peculiari elogio appellant ferè omnes. Tibullus lib. 2. Elegia 1.

Romulus æternæ nondum formauerat Vrbis
Mœnia. ——

Ammianus Marcellinus lib. 14. cap. 13. *Inter hæc Orphitus Præfecti poteſtate regebat vrbem æternam.* lib. 15. cap. 17. *Vrbem æternam Leontius regens.* cap. 18. de Romanis Epiſcopis: *Auctoritate, qua potiuntur æternæ Vrbis Epiſcopi,* lib. 16. cap. 17. *Aliaque inter hæc decora Vrbis æternæ.* lib. 21. c. 24. *in locum Tertulli Maximum præfecit vrbi æternæ.* Eodem modo appellat lib. 19. cap. 21. & lib. 22. cap. 22. & lib. 23. cap. 5. lib. 25. cap. 33. lib. 26. capite 7. lib. 28. cap. 9. & 13.

Frontinus de Aquæductibus Romæ, ad Neruam Imperatorem: *Sentit hanc curam Imperatoris piiſſimi Neruæ Principis ſui Regina & Domina orbis, indies, quæ terrarum Dea conſiſtit, cui par nihil, & nihil ſecundum, & magis ſentiet ſalubritas eiuſdem æternæ Vrbis, &c.* Mamertinus in Panygerico ad Maximianum Auguſtum: *Iure igitur hoc die, quo immortalis ortus Dominæ gentium ciuitatis, veſtra pietate celebratur, tibi potiſſimum Imperator laudes canimus.* Symmachus lib. 9. epiſt. 123. *Quòd neque muros Vrbis æternæ tanti criminis ream fas ſit intrare.*

Auſonius in Epigrammatis Faſtorum;

I. Ignota æternæ ne ſint tibi tempora Romæ,
II. Hæc erit æternæ ſeries ab origine Romæ.
III. Vrbis ab æternæ deductam rege Quirino.

Valentinianus Imperator in Reſcripto ad Prætextatum vrbis Præfectum, de pellendis ſociis Vrſicini Schiſmatici: *Quos præcelſa ſublimitas tua propter quietem vrbis æternæ de medio putauit eſſe tollendos.* Extant in codice Theodoſiano complura Imperatorum edicta, præſertim Honorij, in quibus Roma vrbs æterna vocatur. Attalus Tyrannus Imperij tempore Honorij, numiſma cudit, in cuius altera facie Roma expreſſa erat, cum circumſcriptione, INVICTA ROMA ÆTERNA. Edidit Baronius Annali 5. anno 415. num. 59. Viſuntúrque non pauci nummi cum imagine Romæ, & inſcriptione Romæ Æternitas, apud Pierium Valerianum lib. 43. Hieroglyphicorum, item apud Iacobum Smetium, aliósque. S. Hieronymus ad Algaſiam quæſt. 11. *Romanum Imperium ipſi qui imperant, æternum putant. Vnde ſecundum Apocalypſim Ioannis, in fronte purpuratæ Meretricis, ſcriptum eſt nomen blaſphemiæ, id eſt,* ROMÆ ÆTERNÆ. Hic locus dat, & accipit lucem à S. Proſpero in dimidio Temporis, capite 7. de eadem Meretrice: *Æterna quum dicitur, quæ temporalis eſt, vtique nomen eſt blaſphemiæ.*

Sed inſpiciamus auguria ſeu oracula æternitatis vrbis & Imperij, quæ olim fuêre edita, vel captata. Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 3. Romanarum Antiquitatum, interprete Æmilio Porto, de Templo Iouis Capitolini ædificari cœpto à Tarquinio Superbo Rege, hæc prodit: *Sed opere pretium fuerit memorare, quæ ante Templi illius ædificationem acciderunt, quæ ab omnibus rerum Romanarum ſcriptoribus ſunt prodita. Quum enim Priſcus Tarquinius Templum eſſet exſtructurus, conuocatis auguribus, iuſſit eos primùm de loco Deos conſulere quiſnam locus vrbis eſſet ad conſecrationem aptiſſimus, & Diis ipſis acceptiſſimus. Cùm autem illi indicaſſent collem foro imminentem, qui tunc quidem Tarpæius vocabatur, iam verò Capitolinus, & dixiſſent, hìc ædificandum Templum denuò eos iuſſit deos conſulere, & ſibi dicere in qua collis parte fundamenta eſſent iacienda. Hoc autem non admodum erat facile: multæ enim in eo erant aræ deorum & geniorum paruo ſpatio inter ſe diſtantes, quas aliò transferre oportebat, & totam aream Templo quod diis ædificandum erat, liberam relinquere. Quare auguribus placuit, de vnaquaque ara quæ erecta erat, deos conſulere: etſi dij id conceſſiſſent, tum demum eas mouere. Ceteri igitur dij & genij permiſerunt illis, vt aras in alia loca transferrent: ſed Terminus & Iuuentas nullis augurum precibus aut deprecationibus flecti potuerunt, neque loco cedere voluerunt. Itaque eorum aræ Templi ambitu comprehenſæ fuerunt, & nunc altera ſita eſt in Minervæ veſtibulo, altera in ipſo Templo, ipſius deæ ſimulacro proxima. Atque inde coniecerunt augures, fore vt Romanæ vrbis Terminos nullum vnquam tempus moueret, neque robur mutaret: & ad mea vſque tempora vtrunque horum fuit verum, iam per ætates viginti quatuor.*

Liuius lib. 1. cap. 55. de Superbo Tarquinio: *Inde ad negotia vrbana animum conuertit: quorum erat primum, vt Iouis Templum in monte Tarpeio monumentum regni ſui nominiſque relinqueret. Tarquinios reges ambos, patrem vouiſſe, filium perfeciſſe. Et vt libera à ceteris religionibus area eſſet tota Iouis,*

Iouis, Templique eius quod inædificaretur: exaugurare fana, ſacellâque ſtruxit: qui aliquot ibi à Tatio rege primum in ipſo deſcrimine aduerſus Romulum pugna, vota, conſecrata, inauguratâque poſtea fuerant. Inter principia condendi huius operis, monuiſſe numen ad indicandam tanti Imperij molem traditur deos: nam cùm omnium ſacellorum exauspurationes admitterent aues, in Termini fano non addixêre: idque omen auguriumque ita acceptum eſt. Non motam Termini ſedem, vnúmque eum deorum non euocatum ſacratis ſibi finibus, firma, ſtabiliáque cuncta portendere. Hoc perpetuitatis auſpicio accepto, ſecutum aliud, &c. Et lib. 5. cap. 54. in oratione Camilli: *Hic Capitolium eſt. Hic cum augurato liberaretur Capitolium, Iuuentas, Terminúſque maximo gaudio patrum noſtrorum, moueri ſe non paſſi.*

Florus lib. 1. cap. 7. de Tarquinio ſuperbo: *De manubiis captarum vrbium Templum erexit: quod cùm inauguraretur, cedentibus ceteris deis, mira res dictu! reſtitere Iuuentas & Terminus. Placuit vatibus contumacia numinum: ſiquidem firma omnia & aterna pollicebatur.* Eadem totidem verbis Iornandes de Regnorum ſucceſſione cap. 15. Et Epitome Liuiana lib. 1. de eodem Superbo: *Bellum cum Volſcis geſſit: & ex eorum præda Templum Ioui in Capitolio fecit. Terminus & Iuuentas non addixêre: quorum aræ moueri non potuerunt.*

Seruius enarrans illud Maronis 9. Æneidos.

Dum domus Æneæ Capitoli immobile ſaxum
Accolet imperiúmque pater Romanus habebit.

Hæc annotat: *In Vrbe Roma Iouis Templum non fuit: quod cùm iam deuotum à Priſco Tarquinio, vellet Superbus Tarquinius ædificare cœpit auguriis captare, qui mons huic Templo eſſet aptiſſimus. Et cùm in omnibus Tarpeius eſſet inuentus, (in quo erant multa diuerſorum numinum ſacella) actum eſt, vt ex inde ad alia Templa numina euocarentur ſacrificiis, quo poſſet liberè & ſine piaculo Templum Iouis exædificare. Cúmque omnes dij libenter inde migraſſent, Terminus ſolus, hoc eſt, limitum deus, deſcendere noluit, ſed illic remanſit. Tunc de hoc ipſo ſacrificatum eſt, & deprehenſum, quòd Terminus cum Ioue remanens, æternum Vrbi Imperium cum religione ſignificaret. Vnde in Capitolio prona pars tecti patet, quæ lapidem ipſum Termini ſpectat: nam Termino non niſi ſub dio ſacrificabatur. Hinc ergo nunc dixit, Capitoli immobile ſaxum Accolet: quia Terminus non eſt reuulſus de loco.* Ouidius 2. Faſtorum:

Quid noua cùm fierent Capitolia? nempe deorum
Cuncta Ioui ceſſit turba, locúmque dedit.
Terminus, vt memorant veteres, inuentus in æde,
Reſtitit, & magno cum Ioue templa tenet.
Nunc quoque ſe ſupra ne quid niſi ſidera cernat,
Exiguum templi tecta foramen habent.
Termine, poſt illud leuitas tibi libera non eſt:
Qua poſitus fueris in ſtatione manes.
Gentibus eſt aliis tellus data limite certo,
Romana ſpatium eſt vrbis & orbis idem.

Lactantius Firmianus lib. 1. cap. 20. *Quid, qui lapidem colunt informem atque rudem, cui nomen eſt Terminus? Hic eſt, quem pro Ioue Saturnus dicitur deuoraſſe. Nec immeritò illi honos tribuitur. Nam cùm Tarquinius Capitolium facere vellet, eóque in loco multorum deorum ſacella eſſent: conſuluit eos per auguria, vtrum Ioui cedere vellent: & cedentibus ceteris, ſolus Terminus manſit. Vnde illum Poëta, Capitoli immobile ſaxum vocat. Iam ex hoc ipſo quàm magnum Iupiter inuenitur, cui non ceſſit lapis, ea fortaſſe fiducia, quod illum de paternis faucibus liberauerat. Facto itaque Capitolio, ſupra ipſum Terminum foramen eſt tecto relictum: vt qui non ceſſerat, libero cœlo frueretur, quo ne ipſi quidem frucbantur, qui lapidem frui putauerunt. Et huic ergo publicè ſupplicatur, quaſi cuſtodi finium Deo: qui non tantum lapis, ſed etiam ſtipes interdum eſt.*

S. Auguſtinus lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 23. non ſolùm Terminum & Iuuentam, ſed etiam Martem in exauguratione Capitolij, Ioui loco noluiſſe cedere tradit. Carpens enim & irridens Romanos, quòd Felicitatem ſeriùs inter numina aſciuerint, quæ videretur prima omnium conſecranda, vel ipſo nomine cunctis aliis diis præferenda, hæc ait: *Nullus autem inuenitur qui ſe nolit eſſe felicem. Ipſi ergo dij, ſi per auguria, vel quolibet modo eos poſſe conſuli putant, de hac re conſuleretur, vtrum vellent Felicitati loco cedere: ſi forte aliorum ædibus vel altaribus iam fuiſſet locus occupatus, vbi ædes maior atque ſublimior Felicitati conſtrueretur: etiam ipſe Iupiter cederet, vt ipſum verticem collis Capitolini Felicitas potiùs obtineret. Non enim quiſpiam reſiſteret Felicitati, niſi, quod fieri non poteſt, qui eſſe vellet infelix. Nullo modo omnino ſi conſuleretur, faceret Iupiter, quòd ei fecerunt tres dij, Mars, Terminus, & Iuuentas, qui maiori, & regi ſuo nullo modo cedere voluerunt. Nam ſicut habent eorum litteræ, cùm rex Tarquinius Capitolium fabricare vellet, eúmque locum, qui ei dignior, aptiórque videbatur, à diis alienis cerneret præoccupatum, non audens aliquid contra eorum facere arbitrium, & credens eos tanto numini, ſuóque Principi voluntate ceſſuros; quia multi erant illic vbi Capitolium conſtitutum eſt: per augurium quæſiuit, vtrum concedere locum vellent Ioui. Atque inde ipſi cedere omnes voluerunt præter illos quos commemorauì Martem, Terminum, Iuuentatem: atque ideo Capitolium ita conſtructum eſt, vt etiam iſti tres intus eſſent tam obſcuris ſignis, vt hoc vix homines doctiſſimi ſcirent. Nullo modo igitur Felicitatem Iupiter ipſe contemneret, ſicut à Termino, Marte, Iuuentate contemptus eſt. Sed ipſi etiam qui non ceſſerant Ioui, profectò cederent Felicitati, quæ illis regem fecerat Iouem. Aut ſi non cederent, non id contemptu eius facerent, ſed quod in domo Felicitatis vel obſcuri eſſe mallent, quàm ſine illa in locis propriis eminere.* At cùm veteres omnes prodant Terminum & Iuuentam tunc Ioui noluiſſe cedere, de Marte tamen altum apud omnes ſilentium. Proculdubio Terminum reſpexit ænigma illud antiquum, de quo A. Gellius lib. 12. c. 6. hæc habet: *Nuper inuenimus perhercle antiquum, pérque lepidum tribus verſibus Senariis compoſitum ænigma: quod relinquimus inenarratum, vt legentium coniecturas in requirendo acueremus. Verſus tres hi ſunt:*

Semel, minúſne, an bis minus ſit, non ſat ſcio,
An vtrunque eorum, vt quondam audiui dicier,
Ioui ipſi regi noluit concedere.

Hoc qui nolet diutiùs apud ſe quærere, inueniet quid ſit in Marco Varrone de Sermone Latino ad Marcellum ſecundo libro. Sed qui libris M. Varronis caremus, quem Oepidum implorabimus? Facilè, Angelus Politianus in Miſcellanæis, cap. 36. extricat, his verbis: *Dubitat ergo hic ſcirpi (ſeu ſcrupi, aut ænigmatis) auctor, ſemel minus, an bis minus fuerit, an vtrumque horum, id eſt, terminus. (ex vtroque autem, hoc eſt, ex ſemel, & bis, reſultat ter) Quare, non ſemel minùs, non bis minus, ſed Terminus fuit, qui Ioui ipſi Regi deorum noluit concedere.* Ipſiſſima ænigmatis enodatio, quam etiam habet Lilius Gyraldus in ænigmatibus, & Ioannes Roſinus lib. 2. Romanarum Antiqu. c. 20.

De

De Termino ait Festus Pompeius: *Termino sacrificabant, quòd in eius tutela fines agrorum esse putabant. Denique Numa Pompilius statuit, eum qui Terminum exarasset, & ipsum, & boues sacros esse. Terminus quo loco colebatur, super eum foramen patebat in tecto, quod nefas esse putarent, terminum intra tectum consistere.*

Termini simulachrum antiqui ita efformabant, Hominis imaginem quadrato saxo infossam. Illud ita describit Alciatus Emblemate 157.

Quadratum infoditur firmissima tessera signum
Stat cirrata super pectore imago tenus.
Et se se nulli profitetur cedere, talis
Terminus est.

At de Termino pluta ex antiquis scriptoribus collegêre, vt etiam de Terminalibus festis in honorem Termini institutis, Lilius Gyraldus Syntagmate 1. de diis Gentium, Rudolphus Hospinianus de origine Festorum cap. 10. Ioannes Fungerus in Trilingui Etymologico, Ioannes Rosinus, & Thomas Dempsterus in Romanis Antiquitatibus, lib. 2. cap. 20. & lib. 4. cap. 6. de Iuuentâ verò seu Iuuentate Dea Lilius Syntagmate 10. & Rosinus lib. 2. cap. 19.

Finxerunt Poëtæ Saturnum oraculo præmonitum, se à filio regno pellendum, liberos omnes virilis sexus statuisse deuorare: nato vero Ioue, Rheam vxorem ingens illi saxum pro filio obtulisse, quod deuorare nequiuerit: cúmque lapidis illius ope Iupiter esset seruatus, lapidi Iouis Seruatori, nomine Termini, diuinos tributos honores. Vnde Lactantius lib. 1. c. 20. *Lapidem colunt informem, atque rudem cui nomen est Terminus. Hic est quem pro Ioue Saturnus creditur deuorasse.* Huc fortè alluśit Eusebius in Chronico numero DLIV. cùm ait: *In Creta regnauit lapsis.* Quod diuinus Scaliger, qui semper scala super æthera scandit, diuinare non potuit. Vide Gyraldum Syntagmate 2. de diis Gentium, in Ioue lapide.

Equidem haud inepta ratione visi sunt veteres Terminum deum, qui Ioui noluit cedere, in symbolum perpetuitatis & æternitatis acciuisse: nec sine causa Mythologi prodiderunt, Terminum lapidem illum fuisse, quem Saturnus deuorare non potuerit: nimirum quòd Saturnus seu Chronos, id est, Tempus, edax rerum, vt Poëtæ loquuntur, æternitatem ipsam deuorare, absumere, transigere non possit. Vide Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 8. Hinc etiam in Scriptura Sacra נצח *Netzach*, quod finis, Terminus, æternitas, perpetuitas reddi solet, à præualescentia, robore, victoria, triumpho dici constat, quòd æternitas sit superior tempore, & quasi quædam victoria temporis, quod nulli tempori cedat, aut succumbat, sed vincat, præualeat, superet, triumphet omne tempus. Hinc elucidatur pulcherrimus ille Hebraïsmus Ioann. 13. 1. *In finem dilexit eos.* Hoc est, inuictissimè, victoriosissimè, in victoriam & triumphum dilexit eos, quasi dicat, potentissimè vicit omnes in amando, vicit etiam ipsummet Amorem in amando, præclarissimum de eo triumphum egit, trophæum erexit: magis eos dilexit, quàm ipsemet amor amare potuisset, si res subsistens extra Deum foret. In finem, in Terminum dilexit eos. Iure poterat hic tam diuinus & feruens amator insigne Termini cum inscriptione, *Nulli cedo*, præferre: quod Nulli cessisset, & omnes superasset in amando. Elegantissima hyperbole, sed verissima. Hæc non ita facile apud Interpretes Ioannis, vt nec apud auctorem Pentecontarchi, cap. 59. vbi Hebraïsmum, *in finem*, elucidat, inuenies. Vide tamen Forerium Isaïæ 25. vers. 8. Erasmus in signatorio annulo Termini imaginem circumferebat, cum inscriptione, *Nulli cedo.* Sed cum vanitatis & iactantiæ argueretur, excusauit, de morte se, quæ finis & Terminus rerum esset, intellexisse: quo etiam emblemate mortem expressit Alciatus. Porrò sæculares ludos potissimum ab Romanis institutos, & celebrari solitos pro Vrbis, Imperiique æternitate: quod nimirum perpetuitatis, & felicitatis Romani Imperij fatales conciliatores existimarentur, omnes affirmant. Horatius in Carmine Sæculari, de vi eorum ludorum, ait:

Vosque veraces cecinisse Parcæ
Quod semel dictum est, stabilisque rerum
Terminus seruet, bona iam peractis
Iungite fata.

Iudicat procul dubio Terminum deum, quem fata Vrbis æternæ continere credebant: quémque immobilem, æternúmque Vrbi in iis ludis vouebant & precabantur. Zozimus Comes lib. 2. cùm multa de Ludis Sæcularibus disseruisset, subdit: *Quæ sanè quamdiu sunt obseruata, nullum Respublica Romana detrimentum cepit. Vt autem & reapse vera isthæc esse credamus ipsum Sybillæ oraculum adiiciam, quod ante nos etiam ab aliis est relatum.* Et recitata maiori Sibyllini Oraculi parte, quo instituta & ritus Sæcularium continebantur, adiicit hæc Sibyllæ carmina:

Hæc adeò tibi sint memori bene condita mente.
Itala sic tellus omnis, tellúsque Latina
Æternùm tua sceptra colet, tua iussa capesset.

Deinde subdit Zosimus: *Iam quòd his omnibus legitimè peractis, sicut oraculum tradit, & ipsa res exigit, incolume futurum fuerit Imperium Romanum, omnémque nobis cognitum, prope dixerim, orbem sub potestate sua perpetuò habiturum: ludis autem neglectis, Imperio se abdicante Diocletiano, paulatim quasi defluxerit, tacitéque redactum sit ad quandam maiori ex parte Barbariam: id quod ipsa nobis res declararunt: eam verò sententiam nostram veram esse, de ipsa notatione temporum probare volo. Nam à Consulatu Chilionis & Libonis, quo Seuerus ludos sæculares exhibuit, donec Diocletianus I X. Maximianus I I X. consules facti sunt, centum & vnus annus elapsi fuerunt. Ac tunc quidem priuatus ex Imperatore Diocletianus factus est: cuius exemplum Maximianus est sequutus. Verùm Constantino, & Licinio tertium Coss. centum & decem annorum spatium completum fuit, quo iam ludos consueto more celebratos oportuit: eo neglecto, ad infelicitatem illam res prolabi necesse fuit, quæ hoc tempore nos vrget.* Ita infelix Græculus ruentem superstitionem deplangit. At de ludis Sæcularibus plura Valer. Maximus lib. 2. cap. 4. Censorinus de die Natali, cap. 6. & 14. Zosimus lib. 2. Festus Pompeius in voce, *Sæculares Ludi*, & in voce, *Terentum*: ex Recentioribus, Angelus Politianus in Miscellaneis, cap. 58. Alexander ab Alexandro Dierum Genialium lib. 5. c. 26. & lib. 6. cap. 19. Lilius Gyraldus libello de Annis & Mensibus, Carolus Sigonius in defensione suorum in Liuium Scholiorum, Ludouicus Viues in 3. de Ciuitate Dei, cap. 18. Rudolphus Hospinianus de Festorum origine, cap. 14. Ioannes Rosinus Antiquitatum Romanarum lib. 5. cap. 21. Ioannes Fungerus in Etymologico Trilingui, & omnium optimè & eruditissime Onuphrius Panuinius singulari libello de ludis sæcularibus, ad finem Commentariorum in Fastos. Insuper asseruasse Romanos magna

magna cura in æde Vestæ ignem perpetuum & inextinctum, quod erat omen æternitatis Vrbis: etsi casu aliquo extingueretur, habitum id dirum & maximè infaustum auctores referunt. Cic. 2. de legibus: *Virginésque Vestales in Vrbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.* L. Florus lib. 1. c. 2 de Numa: *Imprimis focum Vestæ Virginibus colendum dedit, vt ad similitudinem cælestium siderum, custos Imperij flamma vigilaret.* Dionysius Halicarnasseus lib. 1. de Vestali: *Cùm igitur ex multis aliis indiciis cognosci potest, an Sacerdos sanctè & piè rei Sacræ operam nauarit: tum verò præcipuè, si ignis extinguatur. Quod malũ Romani maximè omniũ formidant, rati id excidium Ciuitati portendere, quomodocumque id acciderit: magníque delinimentis, & curationibus placantes ipsum referunt ad templum.* Liuius lib. 28. c. 11. *Plus omnibus, aut nunciatis peregrè, aut visis domi prodigiis, terruit animos hominum, ignis in æde Vestæ extinctus. Ob quam causam cæsa flagro est Vestalis, cuius custodia noctis eius fuerat, iussu P. Licinij Pontificis. Id quamquam nihil portendentibus deis, ceterùm negligentia humana acciderat: tamen & hostiis maioribus procurari, & supplicationem ad Vestæ habere placuit.* De eadem re Val. Maximus lib. 1. c. 1. *Publio Licinio Pont. Max. Virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens æterni ignis custos fuisset, digna visa est quæ flagro admoueretur.*

Festus: *Ignis Vestæ si quando interstinctus esset, virgines verberibus afficiebantur à Pontifice. Quibus mos erat tabulam felicis materiæ tandiu terebrare, quousque exceptum ignem cribro æneo Virgo in ædem ferret.* Mirabilis sanè modus eliciendi ignem! Simplicius in 3. de cælo Arist. *Ignem è lignis excutiunt, alterum lignorum tanquam terebrã, in altero circumuertentes.* S. Isid. Peluſiota lib. 2. epist. 100. *Ignis ille à quo artes scaturiunt non modò à ferro, & ære, ac lapidibus, sed etiã ab aquis, & lignis naturæ vi exilit. Hoc ergo miraculum mihi expone. Lignóne insitus est? quin igitur illud absumit? At non insitus est, quonã igitur modo ex eo creatur?* Scitum est, Indos Noui Orbis Occidui duorum attritu lignorum ignem elicere. Vide Scaligerum in Festum, Lipsium in Syntagm. de Vestali lib. c. 8. Conradum Ritershusiũ in Notis ad Isid. Peluſiotã lib. 2. epist. 100. Sed cur locum Plinij prætermiserunt? qui lib. 16. c. 40. inquit: *Exploratorum hoc vsus in castris, pastoriúmque reperit, quoniam ad excudendum ignẽ non semper lapidis occasio est. Teritur ergo ligniũ ligno, ignẽque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi, vel foliorum facillimè conceptum. Sed nihil hedera præstãtius quæ teratur, lauro quæ terat.* Vide Dalecampium in hunc locũ, & Scaliger. in Æthnam Cornelij Seueri, à quo Dalecampius exscripsit. Ineptissimè tamen Scaliger in Festum, & eum secutus Thomas Dempsterus in Paralip. ad lib. 2. Romanar. Antiq. c. 12. Rosini, ad Vestæ æternum ignem retulêre verba Tertul. de Pœnit. c. 12. *Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus, cùm fumariola quædam eius tædet ictus flammarum suscitent, vt proximæ vrbes, aut iam nullæ extent, aut idem sibi de die sperent.* Loquitur enim perspicuè de igne æterno Gehennæ.

Aliam rationem educendi ignis vestalis expressit Plutarchus in Numa: *Quod si fortè extinctus fuerit, negant eum fas esse ex alio accendi igne, sed nouum & recentem parandum, eliciendámque puram & liquidam è sole flammam. Succendunt eam scaphis cauatis in æqualia latera orthogonia trigonalia, quæ ex circumferentia in vnum centrum sunt deuexa. Hi soli obuersi radiis vndique flagrantes coguntur & contrahuntur ad centrum. Ita quum ipsum aëra diuidunt attenuatum, tum leuissimum quodque, atque aridissimum appositum fomentum inflammant extemplò, quod accipiant reflectione radij corpus, & ictum igneum.*

Non est dubium ad Vestæ inextinctum ignem respexisse Virgilium 2. Æneidos:

Sic ait: & manibus vittas, Vestámque potentem,
Æternúmque adytis effert penetralibus ignem.

Eum Vestæ ignem nutriri solitum elatè, Plutarchus in Opusculo De El inscripto foribus Templi Delphici, affirmat, sic dicens: *Aiebat, non abs re pleraque de diis occulta esse ænigmatis, rationémque aliquam, & causæ explicationum desiderare. Verbi gratia, Cur ad ignem sempiternum de omnibus lignis sola vratur elate, (Xylander, abies,) cur sola laurus suffiatur, &c.* De elate Plinius lib. 12. cap. 28. *Est præterea arbor ad eadem vnguenta pertinens, quam alij elatem vocant, quod nos abietem, alij palmam, alij spathen.* De elate plura Henricus Stephanus in Thesauro. In fictilibus eum ignem asseruatum, Valerius lib. 4. cap. 4. extremo ita ait: *Namque per Romuli casam, pérque veteris Capitolij humilia tecta, & æternos Vestæ focos, fictilibus etiamnum vasis contentos iuro.* Sed enim Lampridius de Heliogabalo scribit. *Ignem perpetuum extinguere voluit.* Quasi præcipitaturus fortunam Imperij.

Alia secreta arcanáque seruabantur in penu, seu adyto Vestæ, quæ Romani fatalia pignora Imperij crediderũt. Liuius lib. 5. c. 52. in Orat. Camilli: *Quid de æternis Vestæ ignibus, signóque, quod Imperij pignus custodia eius templi tenetur, loquar?* Et lib. 26. cap. 27. *Q. Flaccus quærens de Campanorum* perfidia, qui Romæ fœdum incendium iniecerant, ait: *Vestæ ædem petitam, & æternos ignes & conditum in penetrali fatale pignus Imperij Romani.* Cic. Philippica 11. de Bruto: *Qui ita conseruandus est, vt id signum quod de cælo delapsum Vestæ custodiis continetur: quo saluo, salui sumus futuri.* Seneca pater lib. 1. Controu. 3. de Vestali: *Veniæ ad colendũ Romani Imperij pignus, carnificis manu incesta?* Dion. lib. 2. *Nonnulli enim asserunt, id quod seruatur nihil aliud esse, quàm ignem omnibus conspicuum. Sunt etiam qui dicunt, præter illum ignem, alia quædam Sacra vulgò incognita in Deæ fano esse, quæ solis Pontificibus & Virginibus sunt nota. Argumentum non leue huius rei proferentes, id quod accidit in Incendio ipsius tempus tempore primi belli Punici, quod inter Romanos & Carthaginienses propter Siciliam est ortum. Incenso enim templo, & virginibus ex igne fugientibus, quidam de numero Pontificum L. Cæcilius qui Metellus vocabatur, vir Consularis, qui Carthaginiensibus in Sicilia deuictis, in illo celebri triumpho centum triginta & octo elephantos traduxerat, neglecta propria salute, vtilitatis publicæ causa, summo cum periculo est ausus in ardens penetrale irrumpere, & Sacra à Virginibus deserta, ex ipso incendio erepta seruauit: ob quod præclarũ facinus, magni honores à ciuitate ei delati fuerunt, vt ipsum elogium, eius statuæ in Capitolio erectæ testatur. Hanc igitur rem illi pro confessa sumentes, de suo quasdam coniecturas addunt. Quidam enim dicunt Sacra quæ hîc seruantur, esse partem eorum sacrorum, quæ Æneas translata ex Samothracia seruabat. Dardanus enim ex insula ista in vrbem à se conditam ea transportarat: At Æneas cùm ex agro Troiano fugit, cum aliis hæc quoque in Italiam deportarat. Alij verò asserunt, esse cælo delapsum Palladium, quod apud Ilienses erat, quodque Æneas rei gnarus secum portarat: Achiui enim simulachrũ ad eius similitudinẽ factum surripuerant: de quo multa à Poetis & Historicis scripta sunt. At ego quædã Sacra, vulgò incognita, & non solùm ipsum ignem à virginibus seruari, ex plurimis indiciis colligo: sed quænã hæc sint, neque à me, neque ab alio quopiam eorũ qui pietatis in Deum sunt studiosi, curiosius inquirendum censeo.*

De L. Metello Pontifice Liuiana Epitome lib. 19. *Cùm templum Vestæ arderet, Cæcilius Metellus Pon-*

vifex Maximus ex incendio Sacra rapuit. Plinius lib.7.c.43. *Is Metellus orbam luminibus exegit senectutem, amissis incendio, quum Palladium raperet ex ede Vestæ, memorabili causa, sed euentu misero.*

Sed & de sacris arcanis Ædis Vestæ Plutarchus in Numa: *Ac nonnulli apud virgines Vestales præter ignem illum æternum, depositum nihil arbitrantur: alij sacra quædam nulli conspecta condita ibi esse. De quibus quatenus audire, & dicere fas est, disseruimus in vita Camilli.* Et in Camillo: *Scribunt tamen nonnulli præter æternum ignem nihil eas seruare: quem Numam consecrasse, & perennem mandasse seruandum, vt instar æternæ quæ vniuersitatem moderatur virtutis. Alij ignem Græcorum more, purum Sacris proponi ardentem: cetera in penetralibus condita, præter has virgines quas Vestales vocant, nemini conspecta. Plurimorúmque vulgatiũ sermone est, Mineruæ signum ibi asseruari, ex Troia in Italiam ab Ænea aduectum. Sunt qui fabulentur, deos ex Samothracia, quum Troiam conderet, attulisse eò Dardanum, atque sacrasse, Sacráque & ceremonias iis instituisse: Æneam inde capta Troia, clam sublata seruasse, dum in Italia consedit. Qui verò maiorem habere se huius rei notitiam iactant, duo aiunt illic reposita dolia esse, apertum alterum atque inane, alterum plenum & consignatum, solarium vtrumque sanctissimarum harum virginum permissum oculis. Hos alij hinc arbitrantur falli, quòd ea tempestate virgines maximam sacrorum partem in duo condiuam dolia defoderint sub ede Quirini: vnde locus adhuc dolium seruet nomen.*

Lampridius de monstro Heliogabalo: *In virginem Vestalem incestum admisit: sacra Populi Romani sublatis penetralibus profanauit. Ignem perpetuum extinguere voluit. In penum Vestæ, quod sola virgines, solique Pontifices adeunt, irrupit: & penetrale Sacrum est auferre conatus: cúmque seriam (dolium) quasi veram rapuisset, quamuis Virgo Maxima falsam monstrauerat, atque in ea nihil reperisset, applosam fregit. Nec tamen quidquam religioni dempsit, quia plures similes factæ dicuntur esse, ne quis veram vnquam possit auferre. Hæc cùm ita essent, signum tamen quod Palladium esse credebat, abstulit: & auro fictum in sui Dei templo collocauit.* De Penu Vestæ Festus: *Penus vocatur locus intimus in ede Vestæ tegetibus septus: qui certis diebus circa Vestalia aperitur. Ij dies religiosi habentur.* Palladiũ verò quod dicebant esse fatale pignus Imperij: signũ erat, siue icuncula Palladis. Eustach. in 1. Iliados: *Palladis idola, Palladia antiquis appellantur.* Apollod. lib.3. Biblioth. *A cælo hoc delapsum est. Erat autem magnitudine tricubitale: habitu quasi ingredientis: dextera hastam sublatam præferebat, sinistra fusum & colum.* At de Palladio pleni sunt auctorum libri. Videndus seorsim Ludou. Viues in lib.1.de Ciuit.Dei, c.2. Tantùm subiicio locum Iulij Firmici de errore Profanarum Relig. c.16. *Palladij etiam quid sit numen audite: Simulachrum est ex ossibus Pelopis factum. Hoc Abaris Scytha fecisse perhibetur: simulachrum hoc Troianis Abaris vendidit, stultis hominibus vana promittens. Substantia autem simulachri ipsius ex ossibus Pelopis est. En cuius electa sunt ossa, vt Deus fieret, qui vrbes & regna seruaret.* De Abaride vide lib.7.c.6.

Præterea existimasse Romanos, libros Sibyllinos quos diligentissimè reconditos asseruabant, fata vrbis & Imperij continuisse, Scriptores innumeri testantur. Dionys. Halicarnass. lib.4. *Quin etiam aliud quoddam felicitatis prorsus admirandæ bonum, regnante Tarquinio Superbo Romanæ Reipublicæ contigisse fertur, siue deorum, siue geniorum aliquorũ fauore, ac munere: quod non ad aliquod breue temporis spatium, sed perpetuo ex magnis malis variisque periculis eam eripuit. Quædam enim mulier, non indigena, Tirannum adiit, nouem Sibyllinorum oraculorum libros vendere volens: sed recusante Tarquinio libros illos emere tanto pretio quantum illa petebat, abiit, & tres eorum cremauit: nec multo post allatos reliquos eodem pretio vẽdere volebat. Indicata autem delira aliqua mulier & derisa, quod idem pretiũ, pro paucioribus libris peteret, quod ne pluribus accipere potuisset: denuo digressa dimidiam reliquorum librorum partem excussit, & allatis reliquis tribus eandem pecuniæ summam petiit. Tarquinius mulieris consilium admiratus augures accersiuit, & re illis narrata, quid esset faciendum quæsiuit. Illi verò cùm ex quibusdam signis cognouissent, eum donũ diuinitus missum aspernatum fuisse, magnámque iacturam ab eo factam dixissent, quòd omnes libros non emisset, iussit eam pecuniæ summam mulieri numerari quam petebat, & oracula quæ supererant, redimi. Illa autem mulier cùm libros tradidisset, vtque diligenter asseruarẽtur, monuisset, nunquàm postea inter homines est visa. Tarquinius verò duumuiros ex nobilium numero creauit, & duos publicos ministros ipsis addidit, illíque horum librorum custodiam mandauit. Quorum alterum M. Attilium, inquam, quod visus fuisset non bona fide se gerere, & ab altero publico ministro parricidij accusatus fuisset, in culeum insutum in mare proiecit. Sed post reges exactos, cùm Respublica oraculorum patrocinium suscepisset, nobilissimis viris, quos eligebat, eorum custodiam committebat. Hi verò per totum vitæ tempus hoc munere funguntur, à militia & reliquis vrbanis muniis liberi: atque hæc publicè illis committit, sine quibus non patitur quẽquam oracula inspicere. Et vt rem paucis expediã, Romani nullam rem Sanctam, aut Sacram æquè diligẽter, atque Sibyllina Oracula custodiunt. Ea autẽ consulunt quoties Senatus id decernit, quum in Republica orta est seditio, aut in bello grauis aliqua & insignis clades accepta, aut quũ aliqua prodigia, aut spectra, quæ sæpè contigerunt, apparent, quæ magnũ aliquod & cognitu difficile malum portendunt. Hi Oraculorum libri vsque ad bellum Marsicum permanserunt incolumes, conditi sub terra in templo Iouis Capitolini, in arca lapidea à decẽ Viris asseruati. Sed post centesimam & septuagesimam Olympiadẽ, templo incenso, siue per insidias aliquorum, vt nonnulli arbitrãtur, siue casu fortuito, hi quoque cum reliquis huius Dei donariis igne sunt absumpti. Oracula verò quæ nunc extant, ex varijs locis sunt cõportata, alia ex Italicis Vrbibus allata, alia ex Erythris Asiaticis, ex Senatus consulto missis Legatis, qui eorũ exemplar describerent, alia ex aliis Vrbibus, & à priuatis hominibus transcripta, in quibus quædam supposititia, & carminibus Sibyllinis inserta reperiuntur, quæ deprehẽduntur ex iis quæ acrostichides nuncupantur. Dico autem ea quæ Terentius Varro in suis Commentariis Theologicis memoriæ prodidit.* Hæc Dionysius.

Verùm de Sibylla quæ ad Tarquinium libros oraculorũ detulit fusè quoque referunt, Plin.lib.13.c.13. Solin.c.8. Gell.lib.1.c.19. Seruius in 6. Æneid. ad v.72. 72. Lactant.lib.1.c.6. Suidas in voce Herophila, & in voce Sibyllæ, S.Isid.8.Orig.c.8. Marc. Antimachus Præfat. in Sibyllina oracula. Quamuis in his sit dissentio, ad Tarquinium Superbum attulisse aiunt Dionysius, Plinius, Solinus, Gellius: ad Tarquinium Priscum Superbi parentem, tradunt Lactantius, Suidas, S.Isidorus, Antimachus. Libros nouẽ fuisse, Dionysius, Gellius, Lactantius, Seruius, Suidas, S.Isidorus Antimachus, scribunt: at tres fuisse Plinius, Solinus, & Suidas in Herophila adstruũt. Empros à Tarquinio trecentis Philippeis, qui aurei tunc pretiosi erãt, Lactantius, Seruius, Antimachus produnt. Eam Sibyllam fuisse Cumæam, seu Cumanam, nomine Demophilam, vel Herophilam, seu Amaltheam, Lactantius, Seruius, Suidas, S.Isidorus, Antimachus affirmant.

Portò

Porrò eos libros fatales fuisse Vrbis & Imperij, nempe fata Romana inscripta habuisse, præter ea quæ ex Dionysio nuper adduximus, extant ea de re innumeræ auctorum sententiæ. Æneas apud Virg. lib.6.Æneid.Sibyllam Cumæam alloquitur:

Tè quoq; magna manèt regnis penetralia nostris:
Hîc ego namque tuas sortes, arcanáque fata
Dicta meæ genti ponam: lectósque sacrabo
Alma viros, foliis tantùm ne carmina manda:
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis:
Ipsa canas, oro.——

In his quæ de foliis ait, alludit ad ea quæ cecinerat lib.3.Æneid. v.444.& seqq. *Fata canit, foliísque notas, &c.* Vbi videndus omnino Donatus.

Liuius lib.10.c.8. *Decem viros Sacris faciundis, carminum Sibyllæ, ac fatorum populi huius interpretes, &c.* Lib.22.c.9.*Decem viri libros Sibyllinos adire iuberentur; qui inspectis fatalibus libris, retulerunt Patribus:* & c.10. *quia ita ex fatalibus libris editum erat.* Et alibi sæpius. Suetonius in Iulio, c.79.*Vt quoniam libris fatalibus contineretur, &c.* Vopiscus in Aureliano: *Vt inspiciantur fatales libri, quibus spes belli terminandi sacrato deorum Imperio continetur.* Et post alia: *Agite igitur Pontifices quà puri, quà mundi, quà sancti, quà vestitu, animísque Sacris commodi, templum ascendite, subsellia laureata constituite, veteranis manibus libros euoluite, fata Reipublicæ quæ sunt æterna perquirite.*

Aurelius Victor in Claudio II.Imperatore: *Claudius cùm ex fatalibus libris, quos inspici præceperat, cognouisset, &c.* Seruius in 6.Æneid. *Constat autè regnãte Tarquinio quandãmulierem quæ se Malteã diceret, obtulisse ei nonẽ libros in quibus diceret fata & remedia Romana.* Rutilius Gallus lib. 2. Itinerarij de Stilichone Imperij proditore, qui Sibyll. libros exussit:

Nec tantùm Geticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremauit opis.

Vel vt alibi legitur:

Ne tantùm patriis sæuiret proditor armis,
Sancta Sibyllinæ fata cremauit opis.

Et statim:

At Stilicho æterni fatalia pignora regni,
Et plenas voluit præcipitare colos.

At de Sibyllis & Sibyllinis libris ex professo tractarũt Onuphrius Panuinius, & Ioannes Obsopœus peculiaribus libris. De Nerone Principe Suetonius, c.11.*Ludis quos pro æternitate Imperij susceptos appellari Maximos voluit, ex vtroque ordine & sexu plerique ludicras partes sustinuerunt.*

Censorinus de Die Natali, c.15. extremo. *Quot autem sæcula Vrbi Romæ debeantur, dicere meum non est. Sed quid apud Varronem legerim, non tacebo: qui libro Antiquitatum duodevigesimo ait: Fuisse Vestium Romæ in augurio non ignobilem ingenio, cuius doctori in disceptando parem: eum se audiuisse dicentem: Si ita esset, vt tradebant Historici de Romuli Vrbis condendæ auguriis, ac duodecim vulturibus; quoniam centum viginti annos incolumis præteriisset Populus Romanus ad mille & ducentos peruenturum.*

Hoc augurium timuisse Romanos implendum irruptionibus Alarici Gotorum Regis in Romanum Imperium, & excidio Romæ; quamuis tunc nondum impleti essent MCC. anni Conditæ Vrbis, Claudianus de Bello Getico ita canit:

Sed malus interpres rerum metus, omne trahebat
Augurium peiore via, truncatáque membra,
Nutricémque Lupam Romæ, regnóque minari
Tunc reputant annos, interceptóque volatu
Vulturis, incidunt properatis sæcula metis.

Verùm alij ad cladem Romæ Vvandalicam, quæ vltra MCC. annos Conditæ vrbis contigit, traxere S.Appol.Sidonius in Paneg.ad Auitum Augustum:

Quid rogo bis seno mihi vulture Thuscus aruspex
Portendit?

Et posteà:

Iam prope fata tui bissenas vulturis alas
Complebãt, (scis námque tuos, scis Roma labores.

Consule in hæc loca Sidonij, Notas Sauaronis, & Sirmondi. Quin & Ioan. Langus in Scholis ad Niceph.lib.15.Hist.c.11.& Onuphr in Comment. lib.3.Fastor.anno Christi CDLV. obseruant, Vestij augurium videri posse ad Genserici Vrbis Romæ deuastationẽ pertinuisse, ex eo enim tempore concidit paulatim Imperium Romanum in Occidente. Addit Langus: *Alij potius ad Totilæ vastationẽ referũt, quæ sub Iustiniano accidit.* Pierius Valerianus.lib. 49.Hieroglyph.inquit: *Cassiodorus meminit, aruspicem interrogatum, quando Imperium Romanum casurum esset, respondisse: Quando saxum Capitolij cadet. Addidisséque insuper, si eueniret, vt vnquam caderet, futurum, vt post triginta annorum millia, iterum resurgeret. Tanta eius artis fuit impudentia! Nisi aruspex is per tantæ multitudinis numerum, perpetuitatem intellexerit: quam apertiùs explicuit Maro:*

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.——

Atque alibi:

Capitolî immobile saxum.

Hæc Pierius. Vnde Ammianus lib.22.c.41.*Capitolium, quo se venerabilis Roma in æternum attollit.* Dio lib.57.*Marco Iunio Silano, Lucio Nerbano Consulibus. Neque parum mouit animos hominum oraculum quoddam pro Sibyllinis habitum, nihil quidem ad istæc, sed ad nostra tẽpora pertinens, in hanc sententiam:*

Ast ter tercentum reuolutis protinus annis,
Roma inteſtina perdetur seditione.
Et furor exitium Sybariticus afferet Vrbi.

Hoc carmen Tiberius vt falsum cauillatus, omnes libros vaticinos inspexit, alióque probauit, alios reiecit. Et lib.62.in Nerone, seu potius Xiphilinus: *Tum populus Neroni omnia mala precari, non quòd nomen eius nominaret, sed quòd execraretur eos, qui Vrbem incendissent. Imprimis omnes commouebat recordatio Oraculi, quod decantatum fuerat Tiberij temporibus id erat:*

Hinc ter tercentis circumuoluentibus annis,
Seditio perdet Romanos. Cùm Nero populi consolandi causa, hos versus nusquam repertos esse diceret. Suspicati sunt aliqui id oraculum de bellis ciuilibus, quæ & viuente Nerone, & eo sublato, exarserunt, ceciniſſe; quando voluente nono annorum Vrbis Conditæ centenario, intra breuissimum tempus, furore ciuili quatuor sunt Principes trucidati, Nero, Galba, Otho, Vitellius.

Extat lib. 8. Pseudo-Sibyllinorum, oraculum quo prædicitur, Romam, suæ conditionis expleto annorum numero qui in litteris nominis eius continetur, mox ruituram:

Porrò quater decies complebis, térque trecentos
Annos, atque octo, quum te pertingere metam
Triſtia fata, tuo completo nomine, cogent.
Hei mihi! quando illud tempus miseranda videbo,
Roma tui? ——

Numerus litterarum nominis Romæ Græcè est:

ϱ	100
ω	800
μ	40
η	8.

Summa 948. quos tantùm annos victuram Romam, Pseudo sibyllinum oraculum dicebat. Ioannes Castalio in Notis ad Sibyllinos libros hæc obseruat: *Romani Imperij finis intelligendus est cùm Decius*

XXVI. Imperator, vnà cum filio suo cæsus est à Gothis, à quibus posteà deletum est Imperium Romanum. Quo quidem Decio cæso, Romani Gothis paciscente Gallo, stipendium soluerunt, quod anteà fecerant nunquam: in quo capitis diminutio & Imperij amissio intelligitur. Hoc autem accidit anno ab Vrbe condita MIII. qui numerus superat numerum à Sibylla positum numero LV. cùm illa dicat, Romam completuram esse annos CMXLIIX. qui numerus est litterarum nominis Romæ in sermone Græco. Sed ante Deciũ res iam fuerat Gothis cum Romanis; & Romanorum Imperium perire rectè dicitur, quum Gothorum, à quibus victi fuerunt, incipit. Verùm hanc Castalionis interpretationem rectè reiicit Ioannes Opsopœus, quòd annus Conditæ Vrbis nongentesimus quadragesimus octauus inciderit in secundum Imperij Seueri, & Christi 197. quo tẽpore nihil siniſtri Romæ cõtigerit. *Vt merito*, inquit, *versus isti suspecti sint, ac fortasse ad imitationẽ alterius Oraculi Sibyllini efficti, quod in his libris Sibyllinis non legitur, refertur autem à Dione in vita Tiberij, ac Neronis.* De quo nos paulò superiùs. Non est prætereundũ hoc loco aliud oraculum, quod Vopiscus in Floriano ita refert: *Horum* Taciti & Floriani Imperatorum *statuæ fuerunt Interamnæ duæ pedum tricenûm ex marmore, quòd illic eorum cœnotaphia constituta sunt, in solo proprio, sed deiectæ fulmine, ita contritæ sunt, vt membratim iaceant dissipatæ. Quo tempore responsum est ab aruspicibus, quandoque ex eorum familia Imperatorem Romanum futurum, seu per fœminam, seu per virum, qui det indices Parthis, ac Persis: qui Francos & Alemannos sub Romanis legibus habeat: qui per omnem Africam Barbarum non relinquat: qui Taprobanis præsidem imponat: qui ad Britanniam insulam Proconsulem mittat: qui Sarmatis omnibus iudicet: qui terram omnem quam Oceanus ambit, captis omnibus gentibus, suam faciat: posteà tamen Senatui reddat Imperium, & antiquis legibus viuat ipse victurus annis centum viginti, & sine hærede moriturus. Futurum autem eum dixerunt, à die fulmine præcipitatis statuisque confractis, post annos mille. Non magna hæc vrbanitas aruspicum fuit, qui Principem talem post mille annos futurum esse dixerunt: quia si post centum annos prædicerent fore, possent eorum deprehendi mendacia, quum vix remanere talis possit historia. Ego tamen idcircò hæc inserenda volumini credidi, ne quis me leges legisse non crederet.* Hæc Vopiscus.

Selecta quædam & recondita ex ethnicis auctoribus de Roma, quæ in Romanam Ecclesiam potiùs conueniant.

CAP. XIV.

FEstus in voce *Roma* hæc habet: *Historiæ Cumanæ compositor Athenis quosdam profectos Sicyonem, Thespiásque: ex quibus porrò ciuitatibus, ob inopiã domiciliorum, complures profectos in exteras regiones, delatos in Italiam, eósque multo errore nominatos Aberrigenes, (Aborigines,) quorũ subiecti qui fuerint Cæximparum viri, vnicarúmque virium* (Cæxinidarum iuri, vicinarúmque vrbium) *imperiõ, montem Palatium, in quo frequentissimi consederint, appellauisse à Viribus gentis (regentis) Valentiam: quod nomen aduentu Euandri, Æneaque in Italiam cum magna Græcè loquentium copia interpretatum, dici cœptum Romam.* Hunc Festi locum mirè deprauatum, conatus est Scaliger resarcire. Ipsum, si libuerit, vide. Solinus c. 1. *Sunt qui videri velint Romæ vocabulum ab Euandro primum datum, cùm oppidum ibi offendisset, quod extructum antea Valentiam dixerat iuuentus Latina: seruatáque significatione impositi prius nominis* ΡΩΜΗΝ *Græcè, Valentiam nominatam.* Festus: *Romulum credibile est à virium magnitudine, itẽ fratrem eius Remum appellatos.* Seruius in Notis è M.S. Fuldensi editis à Petro Daniele ad illud 1. Æneid. *Donec regina Sacerdos*, ait: *Adeius adserit, Romam ante aduentum Enãdri, diu Valentiam vocitatam: sed post Græco nomine Romam vocitatam.* S. Hieron. lib. 2. in Iouin. Romam ita compellat: *Vrbs potens, Vrbs orbis domina, interpretare vocabulum tuum: Roma, aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos.* Nimirum, quia Ῥώμη, Græcè, robur, vires, fortitudinem, valentiam significat: Hebraicè autem vox רוֹמָה *Roma* expressè habetur Micheæ 2. 3. *Et non ambulabitis Roma*, id est, in elatione, excelsitate, sublimitate. Noster, *Superbè.* Constátque verbum, *Rum*, seu *Romam*, seu *Ramah*, Hebræis esse, Eleuari, excelsum, sublimẽ esse, attolli, exaltari. Oblitus fuerat Festi, & Solini Henricus Stephanus quum in Thesauro hæc scribat: *Nam quòd nonnulli tradunt, dictam priùs Valentiam, deinde Romam voce Græca fuisse, id satis locupletes testes non habet.* Vide Pagninum in Interpretatione Hebraïcorum Nominum. S. Hieron. de Nomin. Hebraïcis, in Actis Apostol. *Romani, sublimes, vel tonantes. Romam, sublimem, siue tonitruum.* Tonitrui notio est vocis רַעַמָה *Rama*, cum aijn, Iob 39. 19. vbi Noster, *hinnitum.* Sed *Raam* est tonare.

Paulus Merula in Commentariis ad Enniana Fragmenta, pag. 206. *Romam ego censeo appellatam à* רֹמַח *Romach, id est, hasta, Syriaco idiomate, quo vsi ad Tiberim Thusci, vnde Romam: quemadmodum à voce Quiris, quæ idem Sabinis significat, itidem Quirites. Eadem enim* רֹמַח *Romach Hebræis, Quiris Sabinis, Hasta Latinis: itidem etiam Romani, ab Hebræo fonte; Quirites, Sabinè; Hastati, Latinè.* Equidem quod Lucæ 2. 35. Græcè est *romphæa*, & Latinè *Gladius*, Syriacus Interpres dixit רוּמְחָא *Rumecha*, id est, lancea, seu hasta. Chaldæus Paraphrastes Numerorum 25. 7. רֻמְחָא *Romecha* habet. Quin & Rabbini, teste Dauid Pomario in Lexico. *Romecha* vocant lanceam, seu hastam. Vox Hebræa רֹמַח *Romach* sæpiùs occurrit in sacris Litteris, quam Noster non semel vertit *hastam*, vt Iudicum 5. 8. 2. Paral. 25. 5. & alibi, & *lanceam* Ierem. 46. 4. Forsterus & Auenarius putant esse *romphæam*: Sanctes verò, & idem Auenarius quam Itali vocant *Roncham*, non abludente voce. De Quiri autem seu Curi Festus: *Curis est Sabinè hasta. Vnde Romulus Quirinus, quia eam ferebat, est dictus: & Romani à Quirino Quirites dicuntur.* Seruius in 1. Æneid. ad illud: *Remo cum fratre Quirinus.* inquit: *Romulus autem Quirinus ideò dictus, quòd hasta vtebatur, quæ Sabinorum lingua Curis dicitur: telum est cum longiore ferro: vnde & securis, quasi semicuris.* Vnde Ouid. 2. Fastorum.

Siue quod hasta Quiris priscis est dicta Latinis,
Bellicus à telo venit in astra Deus.

Facit huc insignis locus Iustini lib. 43. vbi de Romulo: *Per ea adhuc tempora reges Hastas pro diademate habebant: quas Græci sceptra dixere. Nam & ab origine rerum, pro diis immortalibus veteres Hastas coluere: ob cuius religionis memoriam, adhuc deorũ simulacris Hastæ adduntur.* Pausanias in Bœoticis lib. 9. n. 315. *Deorum omnium maximè colunt Chæronenses sceptrum illud, quod Ioui fabricasse Vulcanum cecinit Homerus: à Ioue acceptum, Mercurium dedisse Pelopi, Pelopem Atreo reliquisse, Atreum Thyesti: à Thyeste per manus traditum tenuisse Agamemnonem. Hoc præcipuè sceptrum venerantur, Hastam nominantes, Diuinitatis ei nescio quid ineſſe declarat, quòd ex ipso ad homines*

mines illustris quidam splendor peruenit. Euripides in Hecuba : de Polymestore : *Regens populum hasta.* Et Plutarchus in Vita Romuli : *At Quirinum dictum Romulum, putant alij à quiri, ita spiculum vel hastam veteres vocasse : & Quiritidis Iunonis signum spiculo impositum ; atque in Regia collocatam hastam Martem appellasse : eósque qui bello strenuam operam nauassent, donari solitos hasta. Ergo Romulum quasi hastatum Deum nomen inuenisse Quirini.* Festus : *Hasta signum præcipuum est : nam & Carthaginienses cùm bellum vellent, Romam hastam miserunt: & Romani fortes viros sæpè hasta donarunt.* At de his plura Cælius Rhodiginus Lectionum Antiq. lib. 21. c. 16. Pierius Valerianus lib. 42. Ludouicus Cerda 6. Æneidos, ad vers. 760. Atque hæc de Romæ nomine noto.

Fuisse tamen alterum Romæ nomen arcanum, quod effari haud licuisset, plerique Scriptores produnt. Caius Sempronius Romanus Scriptor vetustissimus in Chorographia Italiæ, quã Ioan. Annius edidit, hæc refert: *Alioquin Romæ nomen, & nominis origo vulgata esset, atque manifesta, quæ occulta esse saluberrima religio sanxit: ne si origo nominis Romæ claresceret, eius Deus in cuius tutela Roma est, & à quo deriuationem habet, gentibus pateret, & euocaretur, vt cæteri. Quamobrem & Angerona silentij Dea ante Iani festos dies colitur præ foribus, vt ne cui liceat illud palàm efferre, quod ad salutem Reipublicæ veteres ore obsignato intra pectoris arcana voluerunt contineri: cuius violatæ Religionis pœnas priùs luit Soranus.* Non est dubium, libellum hunc non esse genuinum C. Sempronij, sed ab Annio confictum, vt eruditi ferè omnes existimant ; sed certum est hunc centonem ex aliis magnis auctoribus desutum.

Plinius lib. 3. c. 5. *Roma ipsa: cuius nomen alterum dicere, arcanis cæremoniarum nefas habetur: optimáque & salutari fide abolitum enunciauit Valerius Soranus, luitque mox pœnas. Non alienum videtur inferere hoc loco exemplum religionis antiquæ, ob hoc maximè silentium institutæ: námque diua Angerona, cui sacrificatur ad diem 12. Kal. Ianu. ore obligato, obsignatóque simulacrum habet.* Et lib. 28. c. 2. *Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia solitũ à Romanis Sacerdotibus euocari deum, cuius in tutela id oppidum esset, promittíque illi eundem, aut ampliorem locum apud Romanos, cultúmue. Durat in Pontificum disciplina id Sacrum: constátque ideò occultatum, in cuius Dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent.* Solinus c. 1. *Traditur etiã proprium Romæ nomen, verum tamen vetitum publicari: quandoquidem quominus enunciaretur, cæremoniarum arcana sanxerunt : vt hoc pacto notitiam eius aboleret fides placitæ taciturnitatis. Valerium denique Soranum, quod contra interdictum eloqui id ausus foret, ob meritum profanæ vocis neci datum. Inter antiquissimas sanè religiones sacellum colitur Angeronæ, cui sacrificatur ante diem 12. Kalend. Ianuar. quæ diua præsul silentij ipsius prænexo, obsignatóque ore simulacrum habet.*

Plutarchus Problem. 61. *Cur tutelarẽ Romæ deum: máscne sit an fœmina, dicere, aut quærere, eiúsque nomen efferre nefas est ? Quod quidam interdictum a superstitione repetunt, narrantes Valeriũ Soranum malè periisse, quòd nomen illud edidisset. An quia, vt nonnulli rerum Romanarum Scriptores tradunt, carmina quædam sunt & præstigiæ quibus dij eliciuntur: quibus vsi Romani cum putarent, se quosdam hostium deos ad se traduxisse, cauere volnerunt, ne idẽ sibi ab aliis eueniret? Itaque sicut Tyrij vincula iniicere simulacris dicuntur : alij autem cum ea ad lauacrum, aut lustrationem aliquam deducunt, fidei iussores pro reditu exigunt : ita Romani tutissimè, ac constantissimè adseruari Deum crediderunt, qui neque de nomine notus aliis esset.*

Festus, vt quidem interpolatus ab Scaligero: *Romam ante Romulam appellatã Terentius quidem Varro fuisse ait ab Romulo, deinde detortam vocalem, detritásque litteras fuisse credibile. Ceterùm causam eius appellationis inuenisse ait Verrius, vetitam esse publicari.* Seruius in illud Æneid. 1. *Romanósque suo de nomine dicet.* inquit : *Peritè: non ait, Romam, sed Romanos: Vrbis enim illius verum nomen, nemo vel in Sacris enuntiat. Denique Tribunus plebis quidam, vt ait Varro, hoc nomen ausus enuntiare, in crucẽ leuatus est. Quod ne Hyginus quidẽ cùm de situ Vrbis loqueretur, expressit.* Verùm hæc pleniùs habentur in Seruij Notis è Fuldensi M.S. editis: *Peritè: non ait, Romam, sed Romanos: Vrbis enim illius verum nomen nemo vel in sacris enunciat. Denique Tribunus plebis quidã Valerius Soranus, vt ait Varro, & multi alij, quia hoc nomen ausus est enũciare, vt quidam dicunt, raptus à Senatu, & in crucem eleuatus est. Vt alij, metu supplicij fugit, & in Sicilia cõprehẽsus à Prætore, præcepto Senatus occisus est. Hoc autem Vrbis nomen ne Hyginus quoque cùm de situ Vrbis loqueretur, expressit.* Iacobus Gutherius lib. 4. de Veteri Iure Pontificio Vrbis Romæ, c. 5. ex Seruij Schedis annotat fuisse Clypeum in Capitolio consecratum, cum hac inscriptione: GENIO, VRBIS, ROMÆ. SIVE. MAS. SIVE. FOEMINA. Macrobius lib. 3. Saturnalium, cap. 9. elucidans verba Maronis ex 3. Æneidos, in hunc modum disserit:

Excessere omnes adytis, arísque relictis
Dij quibus Imperium hoc steterat.

Et de vetustissimo Romanorum more, & de occultissimis Sacris vox ista prolata est. Constat enim omnes vrbes in alicuius Dei esse tutela: morémque Romanorum arcanum, & multis ignotum fuisse, vt cùm obsiderent vrbem hostium, eámque iam posse capi confiderent, certo carmine euocarent tutelares Deos : quòd aut aliter vrbem capi posse non crederent : aut etiam si posset, nefas existimarent, deos habere captiuos. Nam propterea ipsi Romani, & Deũ in cuius tutela vrbs Roma est, & ipsius Vrbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt. Sed Dei quidem nomen nonnullis antiquorum licet inter se dissidentium libris insitum, & ideò vetustas persequentibus quidquid de hoc putatur, innotuit. Alij enim Iouem crediderũt, alij Lunam: sunt qui Angeronam, quæ digito ad os admoto, silentium denunciat. Alij autem, quorum mihi fides videtur firmior, Opem Consiuiam esse dixerunt. Ipsius verò Vrbis nomen etiam doctissimis ignoratum est, cauentibus Romanis, ne quod sæpè aduersus vrbes hostium fecisse se nouerant, idem ipsi quoque hostili euocatione paterentur, si tutelæ suæ nomen diuulgaretur.

Sed videndum, ne quod nonnulli malè existimauerunt, nos quoque confundat, opinantes vno carmine, & euocari ex Vrbe aliqua deos, & ipsam deuotam fieri ciuitatem. Nam reperi in libro quinto Rerum reconditarum Sammonici Sereni vtrumque carmen, quod ille se in cuiusdam Furij vetustissimo libro reperisse professus est. Est autem carmen huiusmodi, quo dij euocantur quum oppugnatione ciuitas cingitur : SI DEVS, SI DEA EST, CVI POPVLVS, CIVITASQVE CARTHAGINIENSIS EST IN TVTELA : TEQVE MAXIME ILLE QVI VRBIS HVIVS, POPVLIQVE TVTELAM RECEPISTI, PRECOR VENERORQVE, VENIAMQVE A VOBIS PETO, VT VOS, POPVLVM, CIVITATEMQVE CARTHAGINIENSIVM DESERATIS : LOCA, TEMPLA, SACRA, VRBEMQVE EORVM RELINQVATIS, ABSQVE IIS ABEATIS : EIQVE POPVLO, CIVITATIQVE METVM, FORMIDINEM, OBLIVIONEM INIICIATIS: PRODITIQVE ROMAM AD ME, MEOSQVE VENIATIS : NOSTRAQVE VOBIS LOCA, TEMPLA,

SACRA, VRBS ACCEPTIOR, PROBATIORQVE SIT: MIHI QVOQVE, POPVLOQVE ROMANO. MILITIBVSQVE MEIS PRÆPOSITI SITIS, VT SCIAMVS, INTELLIGAMVSQVE: SI ITA FECERITIS, VOVEO VOBIS TEMPLA, LVDOSQVE FACTVRVM. *In eadem verba hostias fieri oportet, auctoritatémque videri extorum, vt ea promittant futura.* Et post alia: *Hinc ergo est, quod propter eiusmodi euocationem numinum, discessionémque, ait Virgilius: Excessere omnes adytis, arisque relictis, dij.* Et vt tutelares assignaret, adiicit: —— *Quibus Imperium hoc steterat.* Hæc Macrobius.

Consimili carmine euocasse deos Veientium Furium Camillum, auctor est Liuius lib. 5. cap. 21. *Te simul Iuno regina, quæ nunc Veios colis, precor, vt nos victores in nostram, tuámque mox futuram Vrbem sequare: vbi te dignum amplitudine tua templum accipias.*

Seruius in Notis Fuldensibus MS. ad eadem verba Maronis 2. Æneid. *Excessere omnes adytis, &c.* Hæc annotat: *Excessere. Quia ante expugnationem euocabantur ab hostibus numina, propter vitanda sacrilegia. Inde est, quòd Romani celatum esse voluerunt, in cuius Dei tutelam Roma sit: & iure Pontificum cautum est, ne suis nominibus dij Romani appellarentur, ne exaugurari possint. Et in Capitolio fuit clypeus consecratus, cui scriptum erat:* GENIO. VRBIS. ROMÆ. SIVE, MAS. SIVE FOEMINA. *Et Pontifices ita precabantur:* IVPITER OPTIME MAXIME, SIVE QVO ALIO NOMINE TE APPELLARI VOLVERIS. *Nam & ipse ait 4. Æneidos:*

Sequimus te Sancte deorum, Quisquis es.

At de eiusmodi deorum euocationibus vide quoque à recentioribus, Alexandrum Dierum Genialium lib. 2. cap. 22. & lib. 6. cap. 4. Lilium Gyraldum Syntagmate 17. de diis Gentium, Ioannem Rosinum Antiquitatum Romanarum, lib. 10. cap. 18. Iacobum Pontanum in 2. Æneidos, ad vers. 351.

De Angerona verò dea vide Festum, item Macrobium lib. 1. Saturnalium, cap. 11. Gyraldum Syntagmate 1. & plures alios, & imprimis M. Varronem lib. 5. de Lingua Latina. Vbi Scaliger libentiùs scripserit, Angenora, quia cohibet os. Ceterum Opem Consiuiam, seu Ope Consiuam, quam Macrobius cum multis existimat fuisse tutelarem Romæ Deum, omnes affirmant eam ipsam esse Matrem Deûm. *Opem dictam*, inquit Macrobius, *quòd eius ope humanæ vitæ alimenta quærantur: vel ab opere, per quod fruges, fructúsque nascuntur.* De qua vide Varronem, Festum, Macrobium, locis citatis, & Gyraldum Syntagmate 4. aliósque. At cùm de Matre Deûm innumera extent ab auctoribus tradita, quæ magna ex parte collegerunt Gyraldus Syntagmate 4. Rosinus lib. 2. Romanarum Antiquitatum, c. 4. Hospinianus de Festorum origine, c. 14. pauca tantùm instituto perneccssaria delibabimus. Herodianus lib. 1. *Veris initio quotannis, stato, solemnique die pompam Matri Deûm Romani celebrant. In ea, quæ apud quemcũque sunt diuitiarum præcipua, supellexque pretiosa Imperatorum, quæ quidem propter materiæ, aut artis miracula, ante Deam præferri in pompa solent. Ac summa tunc omnibus quouis ludendi modo concessa est licentia: adeò vt vnusquisque quamcunque vult personam repræsentet: neque vlla sit tam magna, aut eminens dignitas, cuius habitum non liceat ei, cui libeat, induto, ludere, & veritatem occultare: itavt non facile sit eum qui mittitur. ab eo qui re vera est, dignoscere.* Et inferiùs: *Quæ autem ratio sit, cur huic deæ tantùm honorem Romani hæbeant, non alienum videtur, quantùm ex historia accepimus, commemorare: præsertim cùm ea res plerisque Græcorum ignota esse videatur. Ipsum igitur simulacrum cælitus, vt aiunt, demissum, neque qua sit materia, nec à quo fabricatum artifice satis constat: neque planè hominum manibus creditur factum. Hoc igitur decidisse cælitus ferunt in quendam Phrygiæ agrum, cui nomen Pessinunti, à casu eius simulacri factum putant: ibi enim à principio comparuisse.* Et paucis interiectis.

In hoc quem diximus Pessinunte Phryges olim Orgia colebant, ad ipsum fluuium Gallum, à quo etiam cuirati deæ sacerdotes cognominantur. Sed, vbi res Romana creuit, responso accepto, MANSVRVM IMPERIVM: ATQVE AD SVMMVM AVCTVM IRI, *Si Pessinuntiam deam ad se transferrent: missi in Phrygiam legati sunt, petitum deæ simulacrum. Quod quidem facilè concessum est, consanguineos se dicitantibus, atque oriundos ab Ænea Phryge. Quum itaque nauigio deuectum simulacrum ad ipsas Tiberi fauces appulisset, quibus tum Romani vice portuum vtebantur, confestim diuina quadam vi fecit, vt subsisteret nauigium: adeò vt quum longo tempore Romani cunctis totius populi viribus illud traherent, limo renitente, non priùs promoueretur, quàm Deæ Sacerdos, quæ Vestalis erat, aduecta esset. Ea cùm virginitatem perpetuò seruandam polluisse falsò argueretur, damnationem metuens, supplex petiit, à populo, vt iudicium de se deæ Pessinuntiæ committerent. Quo impetrato, Zonam recinxit, eámque proræ iniecit, clarè precata, vt si intemeratam se esse, ac virginem dea sciret, nauim progredi iuberet. Quæ vbi dixit, statim alligatam Zonam manu ductam nauis sequi cœpit. Ita sunt pariter Romani manifestam numinis diuinitatem, atque innocentiam Virginis admirati.*

Rem gestam accuratiùs multò descripsit Liuius lib. 29. cap. 10. 11. & 14. in hunc modum: *Ciuitatem eo tempore recens religio inuaserat, inuento carmine in Libris Sibyllinis, propter crebrius eo anno de cælo lapidatum, inspectis:* QVANDOCVNQVE HOSTIS ALIENIGENA TERRÆ ITALIÆ BELLVM INTVLISSET, EVM PELLI ITALIA, VINCIQVE POSSE, SI MATER IDÆA PESSINVNTE ROMAM ADVECTA ESSET. Pergit narrare quomodo missi ab Senatu Legati fuerint ad Attalum Pergami regem, vt deam deueherent: & addit: *Legati Asiam petentes, Pergamum ad regem venerunt. Is Legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit: Sacrúmque iis lapidem, quem Matrem Deûm incolæ esse dicebant, tradidit, ac deportare Romam iussit.* Et post alia: *Publius Cornelius Scipio cum omnibus matronis Ostiam ire deæ iussus: isque eam de naue accipere, & in terram elatam tradere ferendam matronis. Postquam nauis ad ostium amnis Tiberini accessisset, sicut erat iussus, in salum naue euectus, ab Sacerdotibus Deam accepit, extulítque in terram. Matronæ primores ciuitatis, inter quas vnius Claudiæ Quintæ insigne est nomen, accepere: cui dubia, vt traditur, antè fama clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit. Eæ per manus succedentes deinceps aliæ aliis, omni effusa ciuitate obuiam, thuribulis ante ianuas positis, quà præferebatur, atque accenso thure precantibus, vt volens, propitiáque Vrbem Romam iniret: in ædem Victoriæ, quæ est in Palatio, pertulere deam Pridie Idus Aprilis.* (Pridie Nonas Aprilis, legendum vult Stephanus Pighius: Nonis Aprilis, Paulus Marsus: Vulgatam Lectionem retinet Hospinianus. Vide Rosinum lib. 5. cap. 12. & Fungerum in Etymologico.) *Isque dies festus fuit. Populus frequens dona Deæ in Palatium tulit, lectisterniúmque, & ludi fuere Megalesia appellata.* Eandem

rem

rem geſtam fusè narrant Ouidius 4. Faſtorum, Silius 17. Punicorum, & alij. De Magaleſiis plura Cicero Oratione de Aruſpicum reſponſis, Feſtus, & Ouidius 4. Faſtorum: atque è Recentioribus Roſinus, Hoſpinianus, Fungerus, & alij: Sed & Marcus Varro lib. 5. de Lingua Latina ait: *Megaleſia dicta à Græcis, quòd ex Libris Sibyllinis arceſſita ab Attalo rege Pergami, Peſſinunte, vbi Megaleſion templum eius deæ: vnde aduecta Romam.* Ita Varro, vti ſanè corruptam lectionem reſtituit Scaliger Inuectam Romam Matrem Deûm, M. Cornelio, & Publio Sempronio Coſſ. anno quinto decimo Belli Punici Secundi, apertè Liuius affirmat. Eſt is annus Conditæ Vrbis ſecundùm Faſtos Pighij 549. iuxta Onuphrij verò 550.

Et quidem Herodianus Matris deum ſimulacrum cælo delapſum creditum, nec qua eſſet materia conſtaſſe tradit: at Liuius diſertè Sacrum Lapidem fuiſſe, quem Matrem deûm incolæ eſſe dicerent, affirmat. Vt etiam lib. 41. cap. 13. *Prodigia ex anno nunciata: in Cruſtumino auem ſangualem quam vocant, Sacrum Lapidem roſtro cecidiſſe.* Iam hîc philoſophari quis poſſit arcanum illud tutelaris Dei, vel Deæ Vrbis Romæ nomen, quod Matris deûm Macrobius eſſe putabat: nulli veriùs & aptiùs conuenire, quàm veri & viuentis Dei Matri Mariæ: itémque Lapidi, ſeu Petræ, nempe Apoſtolorum Principi Petro, in quorum tutela præcipuè Roma eſt. Sed de occulto Romæ nomine diuerſa alij tradidêre.

Pierius Valerianus Hieroglyphicorum lib. 32. hæc ſcribit: *Mulieris verò Caput galeatum in pleriſque nummis Romam oſtendit: non tantùm, quia Romani nihil non armis arrogarint: aut quia ſuam ad Martem originem referre voluerint, quàm vt arcanum illud ſuum de Romæ nomine publicari vetito, peritis quidem rerum patefacerēt, vulgo verò tenebricoſius obſcurarent, re ad interpretationem aliam diſtracta. Gergithius enim auctor minimè contemnendus antiquum Romæ nomen Cephalon fuiſſe tradit: quæ quidem tantùm alias inter caput elatura eſſet vrbes, quantùm lenta ſolent inter viburna cupreſſi. Sed nos quidem ſolliciti ſumus, quibus rationibus Roma ſit caput, cùm Dominus Deus noſter Chriſtus Petro prædixerit, nomen illi Cephas conuenire, quem ſcilicet Romæ principatui deſtinaſſet. Alias verò cùm eum Petrum nominat, ad Capitoli immobile ſaxum alludit.* In eandem ſententiam Fungerus in Etymologico ait: Idem Feſtus Romam *Cephalon dictam affirmat, ex Gergithio, ab homine quodam Æneæ comite*: Et Ioannes Sauaro Commentariis ad lib. 1. epiſt. 6. Sidonij: *Roma Gergithio vetuſtiſſimo Scriptori Cephalon dicta.* Orthelius in Theſauro Geographico: *Feſtus eam auctore Gergithio, Cephalon appellatam ſcribit. Cephalon, quod caput ſignificat, ex rei dignitate.* Non admodum exploſerim, quòd Pierius Cephæ nomini Chaldaïco, quod ſaxum, ſeu petram ſignificat, quaſi Græcum eſſet, Græcam ei quoque notionem Capitis affingat: nam etſi vocabulorum etymologiæ non ſint ex aliena, ſed ex propria lingua eruendæ: at cùm voces in aliarum linguarum colonias tranſeunt, haud prorſus abſurdum, in iis etiam linguis eis etymos quærere. Sic S. Gregorius Nazianzenus & S. Ambroſius, Paſcha à paſſione: S. Epiphanius Ieſum à curando & medendo, Græcas etymologias Hebraicis nominibus tribuentes, deduxêre. Sic S. Optatus Mileuitanus lib. 2. in Parmenianum, ait: *Igitur negare non potes, ſcire te in Vrbe Roma Petro prima Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam: in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus: vnde & Cephas appellatus eſt.* Cephas à voce Græca Cephale, id eſt, Caput, eſt interpretatus. Vide Franciſcum Turrianum lib. 2. Pro Epiſtolis Decretalibus Pontificum, cap. 3. Sed non piget apponere Scholion Franciſci Balduini, ad locum Optati: *Quod ſcriptum legitur in Optato, Petrum, quia Apoſtolorum caput fuerit, appellatum eſſe Cephan, dixi alibi ſolœciſmum eſſe hominis ſomniantis vocem Syriacam, quæ ſignificat Petram, eſſe Græcam* κεφαλὴ, *quæ caput ſignificat. Sed ſuſpicor hæc verba, vnde & Cephas appellatus eſt. Eſſe ineptæ alicuius gloſſæ ad marginem temerè adſcriptæ, & deinde abs librariis contextui inſertæ.* Quam ego ſuſpicionem non repudio.

Ceterùm Pierius, Sauaro, Ortelius, & Fungerus manifeſtè hallucinati ſunt ex verbis illis Feſti, quæ è Dionyſio Halicarnaſſeo lib. 1. vtcumque tranſcripſit: *Romam appellatam eſſe Cephalon Gergithius, qui de aduentu Æneæ in Italiam videtur conſcripſiſſe, ait ab homine quodam comite Æneæ. Eum enim occupato monte, qui nunc Palatinus dicitur, Vrbem condidiſſe, atque eam Romam nominaſſe.* Putantes, Cephalon nomen eſſe Vrbis Romæ: cùm ſit vetuſti Scriptoris, qui dictus ſit proprio nomine Cephalon, Gergithius verò à Gergithos patria, quod oppidum eſt Troadis Straboni lib. 13. Plinio lib. 5. cap. 30. Athenæo lib. 6. cap. 15. Stephano de Vrbibus. Strabo: *Fuit & vrbs Gergetha, à Gergethis in agro Cumano, patria Cephalonis Gergethij.* At cui non notus Cephalon Gergithius nobilis auctor, è Dionyſio Halicarnaſſeo, Suida, Photio, & aliis? Meminit quoque eiuſdem Parthenius Nicæenſis in Eroticis, cap. 4. & 34. Ioannes Annius in Commentariis ad Beroſum, in xvj. Rege Aſſyriorum, comminiſcitur, occultum illud nomen Dei tutelaris Romæ, fuiſſe etiam ipſius Vrbis, Geniúmque Romæ & ipſam Romam eodem nomine appellatos fuiſſe: id verò etſi vulgò non enuntiaretur: at in ſecretis Pontificum cæremoniis, & cognitum, & expreſſum: alioqui qua ratione illud omninò ignotum & ineffabile, explicare, aut efferre potuiſſet Valerius Soranus? tantùm ergo palam in publicis ſacris vetabatur proferri. Putat verò Annius arcanum illud nomen fuiſſe Romaneſſus: qui ſanè fuit primus Romæ conditor, primus Saturnus, & peculiare Romæ numen: fuit enim hic filius Thuſci Sicani indigenæ, & Atalantidis Sicanæ aduenæ matris, quæ dicta eſt Roma, à qua vocatus eſt Romaneſſus: Porrò hæc ipſa Roma eſt, quæ Vrbem Romam condidit multis ante Romulũ temporibus, nimirùm ætate Moſis, vt Beroſus eſt auctor. Romaneſſus verò eſt nomen compoſitum ex Roma, & Neſſo Aramæis vocabulis, quibus eo æuo vtebantur? Roma quidem ſublimitatem, Neſſon autem forte, validúmque augurium ea lingua ſignificat: Vt integrum Romaneſſi nomen indicet ſublimem fortitudinem auguriis captatam, qualis fuit Romanæ Vrbis, & Imperij. Hæc omnia fusè proſequitur Annius: quæ nullo idoneo auctore nituntur.

Petrus Nannius Alcmarianus lib. 6. Miſcellaneorum, c. 1. elucidans Maronis Verſum Eclog. 1. *Poſt quam nos Amaryllis habet, Galathea reliquit.* ait: *Policianus auctor & elegans, & curioſus, dicit: Romanam Vrbem triplici olim nomine inſignitam fuiſſe. Appellari enim vulgato nomine Romam, arcano Amaryllida, ſacro & rituali Florentiam, ſeu quod idem eſt, Anthuſam.* Habet id Politianus lib 1. epiſt. 2. Retulit eadem Iacobus Pontanus in 1. Eclog. Virgilij. Quin & Fungerus in Etymologico, de Roma: *Inſuper quòd ab Erythræo, Politiano, & aliis eſt annotatum, præter ratio-*

nem omiserim hoc loco: quippe triplici eam nomine olim decoratam, vulgari quidem appellatam fuisse Romam, arcano Amaryllida, Sacro, vel rituali Anthusam, id est, Florentem. Sed & Ortelius in Thesauro Geographico ait: *Adiiciam Erythræi sententiam, qui sic in suo Indice Virgiliano infit: Triplex Vrbi Romæ fuisse nomen proditum est: vnum hoc quo vtimur, per vulgatum: alterum quod arcanum fuit, vnde Amaryllida suam, quæ amorem propriè significat, in Bucolicon carmen Poëta detorsit: tertium sacrificiis debitum, de quo vocabulum Floralibus impositum, quod Anthusam Græcè Philadelphus interpretatur; à quo hæc discimus. Id tu Latinè vel Florentem, vel aptius fortasse Floram, aut Florentiam vertes. Sic Erythræus.* Et vbi veteres auctores huiusce rei?

Vidimus superiori capite copiosè, Romanos Terminum Deum pro augurio æternitatis & immobilitatis Vrbis, atque Imperij habuisse: at quàm id fuerit vanum & futile, S. Augustinus lib. 4. de Ciuitate Dei, cap. 29. in hunc modum demonstrat: *Nam & illud quale est, quod pulcherrimum auspicium fuisse dixerunt, quod commemorauí paulò ante, Martem, & Terminum, & Iuuentatem, nec Ioui regi deorum loco cedere voluisse? Sic enim, inquiunt, significatum est, Martiam gentem, id est, Romanam, nemini locum quem teneret, daturam: Romanos quoque terminos propter Deum Terminum neminem commoturum: iuuentutem etiam Romanam propter Deam Iuuentatem, nemini esse cessuram. Sed tamen posteaquam factum est sub rege Tarquinio illud auspicium, aliquoties Romanus exercitus fusus est, hoc est, versus in fugam, falsúmque ostendit auspicium, quòd Iuuentas illa non cesserit Ioui: & gens Martia, superantibus atque irrumpentibus Gallis, in ipsa Vrbe contrita est: & termini Imperij deficientibus multis ad Annibalem ciuitatibus, in angustum fuerant coarctati. Ita euacuata est pulchritudo auspiciorum: remansit contra Iouem contumacia, non deorum, sed dæmoniorum. Aliud est enim non cessisse: aliud, vnde cesseras, rediisse. Quanquam etiam posteà in Orientalibus partibus Hadriani voluntate mutati sunt termini Imperij Romani. Ille namque tres Prouincias nobiles, Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam Persarum concessit Imperio, vt Deus ille Terminus, qui Romanos terminos secundùm istos tuebatur, & per illud pulcherrimum auspicium loco non cesserat Ioui, plus Hadrianum regem hominum, quàm regem deorum timuisse videatur.*

Receptis quoque alio tempore prouinciis memoratis, nostra penè memoria retrorsus Terminus cessit, quando Iulianus, deorum illorum oraculis deditus, immoderato ausu naues iussit incendi, quibus alimonia portabatur: qua exercitus destitutus, mox etiam ipso, hostili vulnere extincto, in tantam est redactus inopiam, vt inde nullus euaderet, vndique hostibus incursantibus, milite Imperatoris morte turbato, nisi placito pacis illic Imperij fines constituerentur, vbi hodiéque persistunt: non quidem tanto detrimento, quantùm concesserat Hadrianus, sed media tamen compositione defixi. Vano igitur augurio deus Terminus non cessit Ioui, qui cessit Hedriani voluntati, cessit Iuliani temeritate, & Iouiani necessitate. Hæc S. Augustinus, quæ etiam breuiter repetit lib. 5. cap. 21.

Quanto igitur veriùs, ac certiùs Christiani nos habemus non falsa & vana, sed diuina & solida oracula æternitatis Romanæ Ecclesiæ, & Imperij Ecclesiastici Romani in vniuersum orbem, Sacrum illum Terminum, Rupem, Saxum, Lapidem, Petram immobilem Apostolorum Principem Petrum, Christianorum Pontificem Maximum: super quem ceu super firmissimum saxum, longè illo Capitoli immobilius, fundata in æternum Ecclesia subsistit: aduersus quam nullæ mundi, aut inferi portæ vnquam prævalebunt. Hic est planè Terminus ille Lapis, seu Saxum, nempe Cephas, Petra, seu Petrus, qui impurissimo Ioui loco noluit cedere, quin potius eundem è suis antiquis sedibus in queis arcem impietatis erexerat, turpissimè exturbauit: & Romæ Sedem æterni & immortalis Ecclesiæ Imperij feliciter fundauit. Hinc scitè, grauitérque Prudentius Hymno 1. de S. Laurentio Iouem exagitat:

Discede adulter Iupiter,
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam,
Plebémque iam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri,
Tibi id quod amaueras
Factum Neronis officit.

Huc etiam pertinere videtur, Sacrum illud iusiurandum, quo Romani solemni ritu, verbísque conceptis Iouem Lapidem iurare solebant. Gellius lib. 1. c. 21. *Iouem Lapidem, inquit, (quod sanctissimum iusiurandum est habitum) paratus sum ego iurare.* Apuleius de Deo Socratis: *Quid igitur iurabo? per Iouem Lapidem, Romano vetustissimo ritu?* Polybius grauissimus auctor lib. 3. agens de fœdere inter Romanos, & Carthaginienses icto, circa Pyrrhi regis transitum in Italiam, hæc scribit: *Porrò iusiurandum eiusmodi dandum erat. Primò fœdere Carthaginienses quidem per deos patrios iurarunt: Romani verò Iouem Lapidem, ex veteri quodam ritu: Deinde Martem, & Gradiuum patrem. Mos autem iurandi Iouem Lapidem est hic: Fœcialis qui iureiurando fœdus firmat, postquam fide publica iurauit, lapidem in manus sumit, atque hæc dicit:* SI FIDEM SERVASSO, TVM ME DII ADIVVENT. SIN SCIENS FEFELLERO, TVM EGO SALVIS CÆTERIS OMNIBVS IN SVIS PATRIIS, SVIS LEGIBVS, SVIS PENATIBVS, SACRIS, SEPVLCHRIS, SOLVS EXTERMINER, VT HIC NVNC LAPIS. *Et simul Lapidem manu eiicit.*

Festus: *Lapidem silicem tenebant iuraturi per Iouem, hæc verba dicentes:* SI SCIENS FALLO, TVM ME DIESPITER, SALVA VRBE, ARCEQVE, BONIS EIICIAT, VTI EGO HVNC LAPIDEM. Consimili ritu iurasse Annibalem Liuius lib. 21. cap. 45. est auctor: *Eáque vt rata scirent fore, agnum laua manu, dextera silicem retinens, Si falleret Iouem, cetéroſque precatus deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset: secundùm precationem caput pecudis saxo elisit.* Meminit eiusdem iusiurandi per Iouem Lapidem Cicero lib. 7. epist. 101. ad Marium: *Æsopus iurare cùm cœpisset, vox eum defecit in illo loco,* SI SCIENS FALLO. Et epist. 112. ad Trebatium: *Quomodo autem tibi placebit Iouem Lapidem iurare, cùm scias Iouem iratum esse neminí posse?* At eo iusiurando plura ex auctoribus contulere Erasmus in Adagio Iouem Lapidem iurare, Cælius Rhodiginus lib. 21. Antiquarum Lectionum, cap. 15. Lilius Gyraldus Syntagmate 1. de Diis Gentium. Rosinus lib. 2. Romanar. Antiq. c. 5.

Iam obseruatu digna, quæ de Manali Lapide apud Romanos, auctores produnt. Marcus Varro de Vita Populi Romani, lib. 1. apud Nonium Marcellum in voce *Trulleum*, ait: *Vrceolum*, Aqua manile Hispanicè dicimus. Vide Scaligerum in Festum. *aquæ manalem vocamus, quod eo aqua in Trulleum effundatur. Vnde Manalis Lapis appellatus in pontificalibus sacris, qui tunc mouetur, quum pluuiæ exoptantur: ita apud antiquissimos Manale Sacrum vocari quis non nouerit,*

nouerit, vnde nomen illius? Feſtus: *Manalem Lapidem vocabant petram quandam, quæ erat extra Portam Capenam iuxta ædem Martis: quam quũ propter nimiam ſiccitatem in Vrbem protraherent, inſequebatur pluuia ſtatim: eúmque quòd aquas manaret, Manalem Lapidem dixere.* Fulgentius libello de Priſco ſermone: Manales. *Labeo qui diſciplinas Hetruſcas Tagetis & Bacchetidis quindecim voluminibus explicauit, ita ſcribit: Fibræ iocineris ſandaracei coloris dum fuant, manales tunc vertere opus eſt petras, hoc eſt, quas antiqui ſolebant in modum cylindrorum per limites* (milites legit Scaliger) *trahere pro pluuiæ commutanda inopia.* Verũ de Manali Lapide agunt Pierius lib. 49. Hierogl. Gyraldus Syntagm. 7. Roſinus lib. 4. c. 17. Fungerus in Etymol. Scaliger in Caſtigationibus ad Feſtum. Nec omiſerim quod Feſtus etiam annotat: *Manalem Lapidem putabant eſſe oſtium Orci, per quod animæ inferorum ad ſuperos manarent, qui dicuntur manes.* Quamuis Scaliger hîc non Manalem Lapidem, ſed Manale, vel Manal, legendum putat. Mirum quot auſpicia, ſeu oracula, aut ſacra Romani conſtituerint in Lapide; nimirum in Termino, in Ioue Lapide, in Manali Lapide! num Deus non iſta impia & profana ſanctiùs & mirabiliùs in Sanctiſſimum illum Lapidem, ſeu Petrum, Romanæ Eccleſiæ Fundatorem, qui vera & ſalutaria, atque felicia omnia Romani Imperij Oracula, & fata contineat, commutauit? Per quem animæ ex orco liberantur, è Purgatorio educuntur, vt ad ſuperos manent. Nam is claues regni cælorũ poſſidet, Ianitor cæli, non Orci.

De eiſdem.

CAP. XV.

Liuius lib. 1. c. 16. poſtquam narraſſet quomodo ex hominum conſpectu ad Capræ Paludem Romulus ſubſtratus eſſet, ait: *Proculus Iulius ſollicita ciuitate deſiderio regis, & infenſa Patribus, grauis, vt traditur, quamuis magnæ rei auctor, in concionem prodit. Romulus, inquit, Quirites, parens vrbis huius, prima hodierna luce cælo repente delapſus ſe mihi obuium dedit: cùm perfuſus horrore, venerabũdúſque aſtitiſſem, petens precibus, vt contra intueri fas eſſet. Abi, nuntia, inquit, Romanis, cæleſtes ita velle, vt mea Roma caput orbis terrarum ſit: proinde rem militarem colant: ſciántque, & ita poſteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis reſiſtere poſſe. Hæc, inquit, locutus, ſublimis ábiit.* Eadem omnino Plutarchus in Romulo, Lucius Florus lib. 1. c. 1. Auctor de Viris Illuſtribus in Romulo, & alij.

Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 4. de Tarquinio Superbo Capitolij templum ædificante hæc refert: *Tum mirum quoddam prodigium dum fundamenta foderentur, & ipſa foſſa iam valdè profunda eſſet, viſum ferunt. Aiunt enim inuentum fuiſſe caput hominis recèns cæſi, cuius vultus viuo erat ſimilis, & ſanguinem ex illo capite calidum adhuc, & recentem manaſſe. Tarquinius viſo hoc portento, iuſſit operas à terra fodienda abſtinere, & conuocatis vatibus indigenis, ex ipſis quæſiuit, quid ſibi vellet illud prodigium. Illis verò nihil declarantibus, ſed talium rerum ſcientiam Hetruſcis facilè concedentibus: percunctatus ex ipſis quiſnam inter Hetruſcos longè omnium celeberrimus prodigiorum interpres eſſet: quum id cognouiſſet, miſit ad eum Legatos ciues ſpectatiſſimæ virtutis. Quibus ad illius domum profectis, fortè adoleſcentulus quidam progreſſus obuiam venit: cui cùm dixiſſent, ſe Romanos eſſe qui vatem alloqui vellent, vt ſe ad eum deduceret, rogabant. Et adoleſcens reſpondit: Pater meus eſt, quem vultis alloqui, ſed iam eſt occupatus, at aliquanto poſt ad eum accedere poteritis. Verùm dum eum expectatis, mihi veſtri aduentus cauſam aperite: ita enim fiet, vt ſi qua in re ob imperitiam peccaturi eſſetis, à me edocti, in interrogatione nihil peccetis. Recta enim interrogatio in artis diuinatoriæ præceptis non minimum pondus habet. Illi ita faciendum cenſuerunt, & prodigium ei expoſuerunt. Is eo audito & breui ſilentio interpoſito, Audite, inquit, Romani, prodigium quidem hoc pater meus vobis interpretabitur, nec mentietur: vati enim eſt nefas: quæ verò vos dicturi, & ad eius interrogata rectè & verè ſitis reſponſuri, (veſtra enim intereſt hæc ante ſcire) hæc à me accipite: Poſt prodigium ipſi enarratum, ipſe dicens, ſe non ſatis bene percipere quid dicatis, certum terræ ſpatium baculo circumſcribet, deinde vobis dicet, Hic eſt Tarpeius collis, hæc verò orientalis eius pars, hæc occidentalis, hæc ſeptentrionalis, hæc ei oppoſita. Has omnes partes baculo oſtenderes, quæret ex vobis, in quanam harum partium caput inuentum fuerit. Quid igitur vobis ſuadeo vt reſpondeatis? Vt caueatis, ne in vlla earum partium, quas ille baculo oſtendens, ſciſcitatus fuerit, inuentum prodigium dicatis, ſed Romæ apud vos in colle Tarpeio id apparuiſſe reſpondeatis. Si hæc reſponſa ſeruaueritis, nec ab eo fueritis ſeducti, ille quia probè ſcit fata mutari non poſſe, quid illud prodigium portendat, atque ſignificet, vobis explicabit, neque vos celabit. Hæc edocti legati, quum ſeni iam eſſet otium, & quidam eos adiiſſet, ac aduocaſſet, ingreſſi prodigium vati expoſuerunt. Illo autem aſtutè & dolosè agente, & in terra deſcribente lineas circulares, & rurſus alias rectas, & in ſingulis regionibus quærente vbinam id caput fuiſſet inuentum, legati nihil animo turbati, idem reſponſum ſeruarunt, quemadmodum vatis filius eos monuerat, Romam, & Tarpeium collem ſemper nominantes, & ipſum vatem orantes, ne id ſignum interuerteret, ſed quàm ſinceriſſimè, ac veriſſimè reſponderet. Ille verò, quum illud ſignum interuertere, ac legatos decipere, & augurium ſibi vendicare non potuiſſet, ſic eos eſt allocutus: Veſtris ciuibus Romani, renunciate, fatale eſſe, vt locus ille, in quo caput inueniſtis, totius Italiæ ſit Caput. Atque ab eo tempore locus à capite ibi inuento Capitolinus eſt dictus: Romani enim Cephalas vocant Capita.*

Liuius lib. 1. c. 55. narrato augurio Termini Dei, qui Ioui noluit cedere, ſubdit: *Hoc perpetuitatis auſpicio accepto, ſecutum aliud magnitudinem Imperij portendens prodigium eſt: Caput humanum integra facie aperientibus fundamenta templi dicitur apparuiſſe: quæ viſa ſpecies haud per ambages, arcem eam Imperij, capútque rerum fore portendebat: idque ita cecinêre vates, quique in Vrbe erant, quóſque ad eam rem conſultandam ex Hetruria acciuerant.* Et lib. 5. c. 54. in Oratione Camilli: *Hîc Capitolium eſt, vbi quondam capite humano inuento, reſponſum eſt, eo loco caput rerum, ſummámque Imperij fore.*

Plinius lib. 28. c. 2. *Multi verò magnarum rerum fata & oſtenta verbis permutari. Cùm in Tarpeio fodientes delubro fundamenta, caput humanum inueniſſet, miſſis ob id à Senatu legatis, Hetruriæ celeberrimus vates Olenus Calenus præclarum id fortunatúmque cernens, interrogatione in ſuam gentem transferre tentauit, ſcipione priùs determinata templi imagine in ſolo ante ſe: Hoc ergo dicitis Romani? Hîc templum Iouis Optimi Maximi futurum eſt? Hîc caput inuenimus? Conſtantiſſima Annalium affirmatione, tranſiturum fuiſſet fatum in Hetruriam, ni præmoniti à filio vatis legati Romani reſpondiſſent: Non planè hîc, ſed Roma inuentum caput dicimus. Iterum id accidiſſe tradunt, cùm in faſtigium eius delubri præparata Quadrigæ fictiles*

les in fornace creuiſſent:& iterum ſimili modo retentum augurium.

Lucius Florus lib.1.c.7.*Sed illud horrendum,quod molientibus ædem,in fundamentis humanum repertũ eſt caput,nec dubitauere cuncti, monſtrum pulcherrimum, Imperij ſedem, Capútque terrarum promittere.* Eadem omnino Iornandes de Regnorum ſucceſſione,c.15.

Plutarchus in Camillo : *Inter prima ſacra recens caput propoſuit Senatus , quod in moliendo Capitolij fundamento inuentum , locum illum portendit caput Italiæ fore.*

Aurelius Victor , ſeu quis eſt Scriptor Virorum Illuſtrium, in Tarquinio Superbo : *Quum Capitolium inciperet, caput hominis inuenit : Vnde cognitum eſt eam vrbem caput gentium futuram.*

S. Iſidorus lib. 15. Originum , cap. 2. *Capitolium Romæ vocatum , eo quod fuerit Romanæ vrbis & religionis caput ſummum. Alij aiunt,quum Tarquinius Priſcus Capitolij fundamenta Romæ aperiret , in loco fundamenti caput hominis litteris Thuſcis notatum inuenit,& proinde Capitolium appellauit.*

Zonaras tom.2.Annalium de Tarquinio Superbo: *Templum in monte Tarpeio ex patris voto ædificauit. Cùm verò terra ad fundamenta iacienda effoderetur,viri recèns mortui capite inuento,quod ſanguis nondum deſtituerat, Romani Tyrrhenum vatem percontati ſunt,quid portenderet? At ille id ſignum in Tyrrheniam tranſlaturus, certum in terra ſpatium deſignauit:in eoque Romæ ſitu , & Tarpeio monte incluſo,legatos rogauit,an ea Roma eſſet ? an is mons eſſet:an caput ibi inuentum eſſet:Vt illis nihil ſuſpicantibus,& ita eſſe affirmantibus,illius portenti vis in eum locum,in quo deſcriptio facta eſſet, transferretur. Sed legati ab illius filio fraudem priùs edocti,cum rogarentur,Non hic,inquiunt, Roma colitur,ſed in Palatio:& mons Romæ eſt,& caput in monte illo inuentum eſt. Vatis calliditate hac ratione eluſa,omnem veritatem didicerunt , & ciuibus ſuis renuntiarunt,eos fore potentiſſimos, & plurimis imperaturos.Igitur hæc quoque res fiduciam illorum auxit, & mons ex eo Capitolium eſt appellatus.*

Conſtantinus Maſſaſſes in Annalibus:*Idem Tarquinius Superbus quum extruere templum Romæ vellet, iámque pro ſubterraneis fundamentis, magnam ad profunditatem fodiendo peruentum foret:ſub terra caput hominis recèns interfecti repertum eſt, in quo calidius , iámque primùm effuſus ſanguis conſpiceretur , & facies viuæ ſimilis.Hoc quum prodigiator apud Tyrrhenos celebris accepiſſet,Vrbem Romam Caput multarum gentium futuram prædixit:ſed non niſi per gladios,cædes, & ſanguinis effuſiones. Hinc factum, vt collis, qui anteà Tarpeius dicebatur , ab illo capite deinceps Capitolium vocaretur.* Ergo Capitolium dictum à capite illo humano ibi , cùm fundamenta templi effoderentur,reperto,Dionyſius,S.Iſidorus,Zonaras, Maſſaſſes affirmant. Sed his antiquior M. Varro lib.4. de Lingua Latina hæc habet : *Capitolium dictum quòd hoc quum fundamenta foderentur ædis Iouis , caput humanum inuentum dicitur.*

Cuius autem hominis illud caput fuerit , ſolus Arnobius 6. aduerſus Gentes, in hunc modum edixit : *Regnatoris in populi Capitolio , quis eſt hominum qui ignoret,Tholi eſſe ſepulcrum Vulcẽtani:Quis eſt,inquam,qui non ſciat,ex fundaminum ſedibus caput hominis euolutum non ante plurimum temporis,aut ſolùm ſine partibus ceteris,(hoc enim quidam ferunt)aut cum membris omnibus humationis officia ſortitum? Quod ſi planum fieri teſtimoniis poſtulatis auctorum,Sammonicus, Granius , Valerianus vobis, & Fabius indicabunt, cuius Tolus fuerit filius , gentis , & nationis cuius, vt à germani ſeruulo vita fuerit ſpoliatus & Lumine:quid de ſuis commeruerit ciuibus, vt ei ſit abnegata telluris patriæ ſepultura. Condiſcetis etiam, (quamuis nolle iſtud publicare ſe fingant) quid ſit capite reſecto factum , vel in parte qua rei curioſa fuerit obſcuritate concluſum:vt immobilis videlicet atque fixa obſignati ominis perpetuitas ſtaret. Quod cùm opprimi par eſſet, & vetuſtatis obliteratione celari,compoſitio nominis iecit in medium,& cum ſuis cauſis per data ſibi tempora inextinguibili fecit teſtificatione procedere:nec erubuit ciuitas maxima, & numinum cunctorum cultrix, cùm vocabulum templo daret, ex Tholi capite Capitolium, quàm ex nomine Iouio nuncupare.* Et planè mirandum,rem adeò peruagatam,& tot priſcorum Scriptorum fide proditam,ita diſſimulatam à poſteritatibus:nimirum vt auſpicio illi ſacratior eſſet fides.

Nondum oblitus ſum oſtenti illius Quadrigarum fictilium, quod ſuperiùs verbis Plinij obiter indicauimus. Id Plutarchus fusè explicauit in Publicola hiſce verbis : *At Tarquinio Superbo alterum bellum Populo Romano ex Hetruria mouente,fama eſt magnum factum portentum.Ædem Iouis in Capitolio, dum regnaret adhuc , cùm tantùm non conſummaſſet Tarquinius,oraculo monitus. An,ſuo ipſius fortè conſilio,currum figlinum Thuſcis opificibus, ciuibus Veientibus imponendum faſtigio locauit. Poſt aliquanto regno eſt exactus.Ea quadriga,cùm Thuſci figuratam immiſiſſent in fornacem,quod lutum ſolet in igne,non ſpiſſata eſt, neque reſoluto humore adſtricta : ſed exſurrexit,& creuit,atque in tantam molem,támque ſolidam & firmam exiuit , vt fornacis ablato culmine & parietibus deiectis,ægrè educeretur. Id quia vatibus viſum eſt cæleſte felicitatis & potentiæ prodigium penes quos ea quadriga foret , ſtatuerunt , repetentibus Romanis non tradere eam Veientes,ac tantùm reſponderunt, ad Tarquinium quadrigam,non ad Tarquinij ſpectare expulſores.Mox ludis Circenſibus,cùm ſpectaculum aliàs ageretur aſſueta ſolemnitate,victricem quadrigam agitator coronatus ſenſim exigebat Circo. Ibi equi ab nulla conſternati euidenti cauſa,ſed ex neſcio qua diuina incitatione,vel caſu,effuſo curſu Romam rapto ſecum contenderunt agitatore. Nec quicquam adducendis habenis, vel demulcendis profecit equis : verùm arripuerunt vi victum & ablatum,dum iuxta Capitolium,ad portam, quam nunc Ratumenam vocant, effuderunt eum. Quo facto Veientes obſtupefacti , metúque perculſi, permiſerunt artificibus , vt currum reſtituerent.*

Sextus Pompeius Feſtus:*Ratumena porta à nomine eius appellata eſt , qui ludrico certamine quadrigis victor Hetruſci generis iuuenis Veiis conſternatis equis excuſſus Romæ periit:qui equi feruntur non anteà conſtitiſſe, quàm peruenirent in Capitolium in conſpectum fictilium quadrigarum, quæ erant in faſtigio Iouis templi : quas faciendas locauerant Romani Veienti cuidam artis figulinæ prudenti,quæ bello ſunt reciperatæ:quia in fornace adeò creuerant,vt eximi nequirent:idque prodigium portendere videbatur, in qua ciuitate ea fuiſſent, omnium eam futuram potentiſſimam.*Hæc Feſtus.*Cui,* inquit Scaliger, *non conuenit cum Plutarcho. Plutarchus poſteà redditas quadrigas fictiles ait : Feſtus antequã hæc acciderent,bello repetitas.*Plin.lib.8.c.42.*Maius augurium apud priſcos plebeis Circenſibus excuſſo auriga, itavt ſi ſtaret, in Capitoliũ cucurriſſe equos,ſedémque ter luſtraſſe : maximum verò eodem peruenisſe ab Veiis cum palma & corona,effuſo Ratumena qui ibi vicerat:vnde poſteà nomen portæ eſt.*Porrò quis neſcit, Quadrigam Symbolum eſſe rerum adminiſtrationis & Imperij?vt eo prodigio ſignificatum crediderint , rem Romanam & Imperium ſemper auctum iri,& mirum in modum amplificandum in poſteris. At quis non videt,& Caput rerum,orbíſque,& incrementa

crementa Imperij, Romanæ Ecclesiæ potiùs conuenire, quàm Vrbi illi ethnicæ?

Capitolium habitum à Romanis inter præcipua Vrbis fata, Tacitus Hist.3.c.72.inquit: *Sic Capitolium conflagrauit. Id facinus post conditam Vrbem, luctuosissimum, fœdissimúmque Populo Romano accidit, nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, deis. Sedem Iouis optimi Maximi auspicatò à maioribus pignus Imperij conditam, quam non Porsena dedita Vrbe, neque Galli capta, temerare potuissent, furore Principũ exscindi.* Et lib.4.Hist.c.54. *Sed nihil æquè, quàm incendium Capitolij, vt finem Imperij adesse crederetur, impulerat. Captam olim à Gallis Vrbẽ, sed integra Iouis fide mansisse Imperiũ. Fatali nunc igne, signũ cælestis iræ datum: & possessionem rerũ humanarum Transalpinis gentibus portendi, superstitione vana Druidæ canebant.* Loquitur de incendio Capitolij sub Vitellio Principe.

Illud quoque memorabile quod Festus hisce verbis scribit: *Quadrata Roma in Palatio ante templum Apollinis dicitur, vbi reposita sunt, quæ solent boni Ominis gratia in Vrbe condendæ adhiberi, quia saxo munitus est initio in speciem quadratam: Eius loci Ennius meminit, cum ait:*

Et quis exter erat Romæ regnare quadratæ.

Ita hunc versum restituit Paulus Merula in Comment.ad Fragmenta Ennij lib.2.Annal. quem vide de Roma Quadrata. Equidem P. Victor Romam Quadratam, & Sedem Imperij Romani tanquam peculiaria Romæ loca constituit in Regione Vrbis decima Palatium.

Nec piget his addere illustria quædam Romæ elogia ab auctoribus dicta: Liuius in Præfat. Operis: *Aut me amor negotij suscepti fallit, aut nulla vnquam Respublica, nec maior, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam seræ auaritia, luxuriáque immigrauerint.* Plin. lib. 3.c.5.de Italia, atque adeò Roma: *Terra omnium terrarum alumna & parens, numine Deûm electa, quæ cælũ ipsum clarius faceret, sparsa congregaret Imperia, ritúsque molliret, & tot populorum discordes, feráque linguas, sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret, breuitérque vna cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.* Aristides Orat.de Laudib.Romæ: *Vrbem celebrant omnes, & celebraturi sint, sed eo minorem faciunt dicendo, quàm tacendo.* Et rursus: *Romam communem quandam totius orbis terræ officinam.* Et posteà: *Etenim quidquid hîc non reperitur, id nec extitisse, nec extare posse creditur.*

Athenæus lib.1.c.17. *Gentem Romanam mundi esse populum verè dixit Athenæus, vt ab scopo non procul sit iaculaturus, & aberraturus, qui Vrbem Romam esse totius orbis compendium asseruerit, ciuitates nimirum in vniuersum omnes exstructas intra se complexam.* Martianus Heracleotes in Carm.Geograph. *Vrbs Roma astrum commune totius orbis.* Eutropius lib.2.c.17.de Cynea Legato Pyrrhi: *A quo cùm quæreret Pyrrhus, qualem Romam comperisset: Cyneas dixit, Regum se patriam vidisse.* Florus lib.1.c.18.de eadem re: *Legati interroganti regi suo, quid de hostium sede sentirẽt: Vrbem templum sibi visum, Senatum regum esse confiterentur.* Ammian.Marcel.lib.17.c.8.de obelisco Constantij: *Si ablatũ vno templo miraculum Romæ sacraret, id est, in templo mundi totius.* Et lib.16.c.17. *Romam ingressus Constantius Imperij, virtutúmque omnium larem.* Et inferiùs: *Regalis Hormisda interrogatus, quid de Roma sentiret: id tantum sibi placuisse aiebat, quod didicisset, ibi quoque homines mori. Multis igitur cum stupore visis horrendo, Imperator de fama querebatur vt inualida, vel maligna, quòd augens omnia semper in maius, erga hæc explicanda, quæ Romæ sunt, obsoleuit.*

Cassidorus lib.7. Epist.15. *Nunc autem potest esse veridicum, si vniuersa Roma dicatur esse miraculum.* S.Apollin.Sidonius lib.1. epist.6.de Roma: *Si semel & iuuenta viderit domicilium legum, gymnasium litterarum, curiam dignitatum, verticem mundi, patriam libertatis.* Non esset finis si cuncta Romæ inclyta nomina quæ illi auctores tribuunt, percensere vellemus: collegêre ea cum cura Cælius Rhodiginus Lect.Antiq.lib.18.cap.25. Abrahamus Ortelius in Theatro Orbis, in Tabula Veteris Latij, Ioan.Sauato ad lib.1.epist.6.Sidonij.Franciscus Iuretus in Notis ad lib.1.epist.24.Symmachi, Iustus Lipsius lib.1.de Magnitudine Romana, c.2. Reinerius Reineccius in Syntagm.Heroïco, part.1.in 48. Regno, pag.607. Ludou.Cerda in 6.Æneid. ad vers.781. Cæsar Bulengerus lib.1.de Imperatore Romano, c.1.& 2. Sed Poëtas tantisper audiamus. Martialis lib.12.

Terrarum dea, gentiúmque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Propertius lib. 3. Elegia 21.

Omnia Romanæ cedant miracula terræ,
Natura hîc posuit quidquid vbique fuit.

Claudianus Panegyrico 3.de Laudib. Stiliconis:

Proxime diis Consul, tamæ qui prospicis Vrbi,
Qua nihil in terris complectitur altius æther:
Cuius nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit: quæ luce metalli
Æmula vicinis fastigia conserit astris:
Quæ septem scopulis zonas imitatur Olympi:
Armorum legúmque parens: quæ fundit in omnes
Imperium, primíque dedit cunabula iuris.
Hæc est, exiguis quæ finibus orta tetendit
In geminos axes, paruáque à sede profecta,
Disperſit cum sole manus——
Hæc est, in gremium victos quæ sola recepit,
Humanúmque genus communi nomine fouit,
Matris non dominæ ritu, ciuésque vocauit,
Quos domuit, nexúque pio longinqua reuinxit
Huius pacificis debemus moribus omnes,
Quòd veluti patris regionibus vtitur hospes,
Quòd cuncti gens vna sumus: nec terminus vnquã
Romanæ ditionis erit.——

Rutilius lib. 1. Itineratij, pulcherrimè canit:

Exaudi Regina tui pulcherrima mundi
Inter sidereos Roma recepta polos.
Exaudi genitrix hominum, genitrixque deorum,
Non procul à cælo per tua templa sumus.
Nam solis radiis æqualia munera tendis
Qua circumfusus fluctuat Oceanus.
Voluitur ipse tibi, qui coutinet omnia Phœbus,
Eque tuis ortus, in tua condit equos.
Te non flammigeris Libye tardauit arenis
Non armata suo reppulit Vrsa gelu.
Quantùm vitalis natura tendit in axes
Tantùm virtuti peruia terra tuæ.
Feciſti patriam diuersis gentibus vnam:
Profuit iniustis te dominante capi.
Dúmque offers victis proprij consortia iuris,
Vrbem fecisti quod prius orbis erat.
Tu quoque legiferis mundũ complexa triumphis,
Fœdere communi viuere cuncta facis.
Te Dea, te celebrat Romanus vbique recessus
Pacificóque gerit libera collo iugo.
Omnia perpetuos quæ seruant sidera motus,
Nullum viderunt pulchrius Imperium.
Quod regnans minus est, quàm quod regnare mereris.
Excedis factis grandia fata tuis
Percensere labor densis decora alta trophæis,
Vt si quis stellas pernumerare velit.
Porrige victuras Romana in sæcula leges,

Sola

Soláque fatales non vereare colos.

Eſt is annus Vrbis Conditæ MCLXIX.Chriſti 417. quo Rutilius hæc ſcribebat.

Quamuis ſedecies denis & mille peractis,
Annus præterea iam tibi nonus erat.
Quæ reſtant nullis obnoxia tempora metis,
Dum ſtabunt terræ,dum polus aſtra feret.

Corippus lib.1.de Rebus Iuſtini Imperatoris:

—Romam
Altricem Imperij,libertatiſque parentem.

Nec illud planè omittendum, Romam olim à gentilibus tanquam deam, & ceu diuinum quoddam numen fuiſſe cultam,templa eidem & ſacrificia dicata,Martialis lib.12.

Terrarum dea,gentiúmque Roma.

Eodem modo vocat Frontinus in Aquæductibus.Lucanus lib.1.Pharſaliæ:

—ſummique ô numinis inſtar
Roma faue cœptis.—

Rutilius 1. Itinerario:

Te dea,te celebrat Romanus vbique receſſus.

Tacitus Annali 4. cap. 56. *At Smyrnæi repetita vetuſtate* memorabant *ſe primos templum Vrbis Romæ ſtatuiſſe , M. Portio Conſule, magnis quidem iam Romani populi rebus, nondum tamen ad ſummum elatis,ſtante adhuc Punica Vrbe & validis per Aſiam rebus.* Fuere Conſſ. M. Porcius Cato & L. Valerius Flaccus anno Vrbis Conditæ DLVIII.iuxta Faſtos Pighij : ſecundum Onuphrij, DLIX.

Liuius lib.43. c. 6. *Alabandenſes templum Vrbis Romæ ſe feciſſe commemorauerunt,ludoſque anniuerſarios ei Diuæ inſtituiſſe.* Contigit id Conſſ.P.Licinio Craſſo,& C.Caſſio Lõgino, anno Vrbis Conditæ iuxta faſtos Pghij,DLXXXII.ſecundum Onuphrij tamen,DXXCIII.Tacitus annali 4.c.37.in orat.Tiberij:*Cum D.Auguſtus,ſibi atque Vrbi Romæ templum apud Pergamum ſiſti non prohibuiſſet.* Ioſeph.Antiq. lib.15.c.13.agens de Cæſarea Palæſthinæ:*Circũ portum ædes continuata ſerie marmore politiſſimo extructæ ſunt,extante in medio tumulo, in quo templum Cæſaris* Auguſti *à longe conſpicuũ adnauigantibus,& in eo ſtatuæ,Romæ altera,altera Cæſaris:vnde nomen Cæſareæ.* Et lib.1.de Bello Iud.c.16.*Cõtra oſtiũ verò portus in colle,* Cæſaris Auguſti *templũ magnitudine ſimul & pulchritudine præcipuum : in eóque Cæſaris coloſſus,non minor quàm Iouis apud Olympiã:cuius ad exemplũ factus eſt: Romæ etiã par Iunonis quæ Argis eſt.* Hunc locũ male redditum ab Interpretibus, ex Græco ita reſtituimus. Ait ergo ſimulachrũ Romæ in templo Cæſareæ fuiſſe inſtar illius Iunonis Argiuæ.Vides templum Cæſareæ dicatum communi Auguſti & Romæ nomine,in quo vtriuſque ſtatuæ proſtarent.

Suetonius in Auguſto,c.52.*Templa,quãuis ſciret, etiã Proconſulibus decerni ſolere:in nulla tamen prouincia niſi communi ſuo, Romæque nomine recepit : nam in Vrbe quidem pertinaciſſimè abſtinuit hoc honore.* Ælius Spartianus in Hadriano,c.19.*Tranſtulit & Coloſſum ſtantẽ atque ſuſpenſum per Detrianum architectũ de eo loco in quo nunc templum Vrbis eſt ingenti molimine.* Ammian.Marcell.lib.16.c.17.de Conſtãtio Principe admirante Vrbis loca:*Pantheõ velut regionem teretẽ, ſpecioſã celſitudine fornicatã,elatóſque vertices ſcanſili ſuggeſtu Conſulum,& priorum Principum imitamenta portantes,& Vrbis templũ, forúmque Pacis,& Pompeij Theatrum,& Odeum, & Stadiũ, aliáque inter hæc decora Vrbis æternæ:* Dio lib.51.de Auguſto:*Cæſar hoc tẽpore cùm alia quæda egit,tum templum Vrbi Romæ,patríque Cæſari,quem Heroem Iulium vocabat,Epheſi & Nicææ fieri permiſit.* Vide hîc Notas Xylandri. Idem Dio lib.69.de Hadr.*Formam templi Veneris & ipſius Romæ fecit,& ad eum miſit.* Nempe ad Apollodorum architectum. Ita locus integrè reddendus à Græco. Sextus Rufus in Quarta Regione Vrbis,Templum Pacis dicta: *Templum Vrbis Romæ & Auguſti.* P.Victor in eadem Regione : *Templum Vrbis Romæ.* At Claudianus lib.2.de Laudibus Stiliconis in Palatio collocat , quæ decima erat Vrbis Regio:

Conueniunt ad tecta Deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino.——

Fortaſſe quia propè Palatium,ſi iam de Templo Matris deûm non intelligat,quod in Palatino.Prudentius lib. 1. in Symmachum:

Iámque domo egrediens,vt publica feſta,diéſque,
Et ludos ſtupuit, celſa & Capitolia vidit,
Laurigeróſque deûm templis adſtare miniſtros
Ad Sacram reſonare viam mugitibus, ante
Delubrum Romæ : colitur nam ſanguine & ipſa
More Deæ, noménque, loci, ceu numen habetur:
Atque Vrbis, Veneríſque pari ſe culmine tollunt
Templa,ſimul geminis adolentur thura deabus.

Et in Pſeudo Sybillinis lib.4.

Multi autẽ circa templũ Romæ ſolũ cruentabũt.

Aurel.Victor de Cæſarib.c.40.§.3.*Adhuc cuncta opera,quæ magnificè cõſtruxerat* Maxentius,*Vrbis fanum,atque Baſilicã,Flauij* Conſtantini *meritis Patres ſacrauere.* Editus eſt ab Andrea Schotto , & Iano Grutero.Nummi veteres,in quibus templi forma, cum inſcriptione: COM. ASIÆ ROM. ET AVG. Id eſt, Commune Aſiæ ROMÆ & Auguſto templum. Item Lapidum inſcriptiones:FLAMINI ROM.ET AVG. Ruſus : SACERDOS ROM. ET AVG. Et Lugduni in Gallia : SERVILIO MARCIANO ARVERNO C. SERVILII DOMIT. FILIO SACERDOTI AD TEMPLVM ROMÆ ET AVGVSTORVM TRES PROVINCIÆ GALLIÆ. At de Romæ diuinitate, templóque egere fuſiùs Lipſius ad 4.Annal.Taciti,c.37.& 56.& lib.3.de Magnitud. Romana,c.6.Curtius Pichenas in Appendicibus ad Notas in 4.Annal.Taciti,Caſaubon. & Torrentius ad Suetonij Auguſtũ,c.52.Iuretus in Notis ad lib.3. epiſt.55.Symmachi,Cerda in 6.Æneid.ad v.784.Bulenger.lib.1.de Imperat.Rom.c.2. Cerda inquit:*In nemine fortaſſe Lector inueniès hanc Romæ apotheoſim, vt in me illuſtratam.* Subriſi,& quid ipſe affert,quod alij nõ prius annotauerint?Cùm multa alij afferãt, quæ ipſe non tetigit:& nos ex eis hîc deſcripſimus.

Illud etiã notatu dignum,Romam communẽ omnium gentiũ patriam auctoribus dictã.Plin.lib.3.c.5. *Breuitérque vna cunctarum gentiũ in toto orbe patria fieret,* Seneca Conſol.ad Heluiã,c.6.*Ab hac ciuitate, quæ velut communis patria poteſt dici.* Symmach.lib.3. epiſt.11.*Nunc verè ciuitas noſtra populorũ omnium parens facta eſt.* Et lib.5.epiſt.92.*Patriæ communi largas rei annonariæ copias polliceris.* Rutilius Itinerario 1.

Feciſti patriam diuerſis gentibus vnam.

Aurel.Victor de Cæſarib.c.16.in M.Aurel.Antonino : *Data cunctis promiſcuè ciuitas Romana.* Vnde Vlpian.leg.17. D.Titulo,de Statu hominum,ait:*In orbe Romano qui ſunt ex conſtitutione Imperatoris Antonini,ciues Romani effecti ſunt.* Hinc quoque Ioſeph. lib.2.aduerſus Appion. *Romanorum verò clementia cunctis non paruulum donum appellationis ſuæ conceſſit, non ſolùm viris ſingulis,ſed etiam maximis gentibus in communi. Hiſpani denique antiqui , & Tyrrheni, & Sabini , Romani vocantur.*

Sed de Pontifice Maximo Romanorum pauca adiiciamus. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 2. *Vltima verò Numæ inſtitutorum pars continebat Sacra, quæ ſortiti erant ij qui apud Romanos Summum Sacerdotium & ſummam poteſtatem habent. Iſti eorum lingua ab vno opere quod faciunt,à reficiendo ligneo ponte,*

Pon

Pontifices appellantur. Res autem maximi momenti sunt penes eos. Etenim ij cognoscunt de omnibus causis ad Sacra pertinentibus, & inter priuatos, & magistratus, & deorum ministros. Et leges ferunt de Sacris quæ non sunt scripta, aut quæ moribus non sunt recepta: & ipsimet arbitratu suo leges & consuetudines eligunt, quas omnium optimas iudicarint. Et omnes magistratus, quorum curæ sacrificia, & deorum cultus est commissus, & omnes Sacerdotes examinant. Isti etiam cauent, nequid eorum famuli & ministri, quorum opera in Sacris vtuntur, contra sacratas leges admittant: priuatisque hominibus, qui deorum, vel geniorum cultum ignorant, sunt enarratores & interpretes. Et si quos animaduertant suis mandatis non parere, pro cuiusque delicti magnitudine eos multant: ipsique nulli iudicio, nullique multæ sunt obnoxij: neque Senatui, neque Populo dictorum factorúmve rationes reddunt. Hos igitur Sacerdotes, siue quis vocarit Hierodidas calos, id est, Sacrorum-doctores, siue Hieronomos, hoc est, Sacrorum-administratores, siue Hierophylacas, id est, Sacrorum custodes, siue, vt nos censemus, Hierophantas, hoc est, Sacrorum-interpretes, à veritate non aberrabit. Defuncto autem aliquo eorum, in eius locum sufficitur alius, non à populo delectus, sed ab illis ipsis, qui omnium ciuium maximè idoneus visus fuerit. Qui autem probatus fuerit, ita demum Sacerdotium accipit, si fausta auguria illi contigerint.

Liuius lib.1.c.11. *Pontificem deinde Numa Marcium Marci filium ex Patribus legit, eique Sacra omnia exscripta, exsignatáque attribuit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa Sacra fierent, atque vnde in eos sumptus pecunia erogaretur. Cetera quoque omnia publica, priuatáque Sacra Pontificis scitis subiecit: vt esset quo consultum plebs veniret: ne quid diuini iuris negligendo patrios ritus, peregrinósque asciscendo turbaretur. Nec cælestes modò cæremonias, sed iusta quoque funebria, placandósque manes, vt idem Pontifex edoceret: quæque prodigia fulminibus, aliove quo viso missa susciperentur, atque curarentur.* Plutarchus in Numa: *Iam etiam Sacerdotum, quos Pontifices vocant, adscribunt ordines & primordium Numæ, aiúntque ipsum inter eos Pontificem Maximum fuisse: inde deducto vocabulo, vt nonnulli volunt, quod deos curent, qui potestatem, & arbitrium habent omnium rerum. Sunt qui à dictione Posse deducant, exemptis quibusquam litteris, præcipiente Sacerdotibus legislatore, sacrificia facere quæ possent, nec, si quod interuenerit maius impedimentum, fatigante eos. Maxima pars nomen omnium absurdissimum approbant, neque aliunde quàm à Sacris, quæ peragebantur in pontibus, Sanctissimis & antiquissimis hoc cognomen inuenisse: quorum tuendorum & reficiendorum, vt ceterorum perpetuorum & solemnium Sacrorum, ad hos Sacerdotes cura pertineat: neque enim licitum esse, sed nefas putare Romanos, pontem sublicium soluere. Dicunt enim hunc ex oraculo quodam totum absque ferro fuisse clauis ligneis iunctum: lapideus multis sæculis post ædificatus ab Æmilio Quæstore est: imo sublicium quoque referunt ab Rege Anco Martio Numæ ex filia nepote fuisse excitatum. Pontifex Maximus instar est interpretis & vatis, vel potius Sacrorum antistitis, qui non tantùm publicarum cæremoniarum agit curam, verùm etiam sacrificia priuata obseruat, & vetat solemnia excedere, docétque quibus hostiis dij colendi, vel placandi sint: insuper virginum Vestalium custos erat.*

M. Tulius Oratione pro domo sua in hunc modum Pontifices alloquitur: *Cùm multa diuinitus, Pontifices, à maioribus nostris inuenta atque institu-*

ta sunt, tùm nihil præclarius quàm quòd vos eosdem & religionibus deorum immortalium, & summæ Reipublicæ præesse voluerunt: vt amplissimi & clarissimi ciues Rempublicam benè gerendo, Pontifices religionem sapienter administrando, Rempublicam conseruarent. Quòd si vllo tempore magna causa in Sacerdotum populi Romani iudicio ac potestate versata est: hæc profectò tanta est, vt omnis Reipublicæ dignitas, omnium ciuium salus, vita, libertas, aræ, foci, dij penates, bona, fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei, potestatique commissa & credita esse videantur.

Festus: *Maximus Pontifex dicitur, quòd maximus rerum quæ ad sacra & religiones pertinent index sit, vindéxque contumaciæ priuatorum, magistratuúmque.* Vide in hæc verba Scaligerum: & Gutherium lib.2. de iure Pontificiò, cap. 2.

M. Varro de lingua Latina lib.4. *Sacerdotes vniuersi à sacris dicti: Pontifices, vt Q. Scæuola Pontifex Maximus dicebat, à posse, & facere. Pontifices ego à ponte arbitror: nam ab iis sublicius est factus primum, & restitutus sæpè, quòd eò Sacra & vls, & cis Tiberim non mediocri ritu fiant.* At de Pontifice Maximo plura Zosimus Comes lib. 4. Fenestella de Sacerdotiis Romanorum, cap. 8. ex recentioribus Pomponius Lætus libello de Sacerdotiis Romanorum, cap.10. Onuphrius lib.5. Commentariorum in Fastos, & in Ciuitate Romana, Rossinus Antiquitatum Romanarum lib.3. c.22. Fungerus in Etymologico Trilingui: sed omnium copiosissimè Iacobus Guthetius Opere integro, quatuor libris comprehenso, de Veteri Iure Pontificio Vrbis Romæ. Porrò nomen id Pontificis Maximi vsurpatum à Romanis Imperatoribus, etiam Christianis, & nummi, & lapides, & auctores omnes consentiunt. Gratianum autem Imperatorem primùm illud repudiasse, auctor est Zosimus lib. 4. Vide Baronium in Notis ad Martyrologium, 22. Augusti. Non est dubium, idem nomen à profanis illis gentilium Sacris, verius & sanctius translatum in Christianam religionem, ac dignè tributum supremo Christianissimi Sacerdoti, Vicario Christi, Romano Pontifici, qui Christianorum Pontifex Optimus Maximus iure appellatur, vti Baronius in Notis ad Martyrologium, 9. Aprilis, & Patres Societatis Iesu in Notis ad vitam SS. Abundij & Abundantij pag. 77. obseruarunt.

Iam, vt vela contrahat oratio, quæcumque Sacra, felicia, eximia, æterna, inclyta, ex auguriis, oraculísque vanè sibi promisêre Romani, de sua Vrbe & Imperio: ipsi rerum euentus, quam pro maiori parte futilia, falsa, inania, mendacia euaserint, euidentissimè docuerunt. Fausta omnia, augusta, diuina, perpetua seruabantur non nisi Ecclesiæ Romanæ, & Christiano Ecclesiastico in vniuersum mundum Imperio, atque adeò Maximo eius Monarchæ Romano Pontifici. Is enim verè est caput rerum, regens & moderans Quadrigam hanc sempiternam Regni Christi. Hic Romæ sedem, thronúmque Imperij fixum in æternum statuit. Ecclesia Romana est propriè ciuitas æterna, cui omnia antiquæ Romæ elogia, multò veriùs & feliciùs conueniunt: hanc vt Sacram, diuinam, fontémque totius pietatis, religionis, Sanctitatis, colimus, & veneramur. Et quæcumque magna, vera & ingentia de prisca Roma hactenus annotauimus; in eam solam exactissimè competunt. Quæ tu singula pro tua prudentia eidem adaptabis.

Illud annotabo, communi loquendi more olim receptum, vt Romani appellarentur soli orthodoxi, qui fidem Catholicam Romanæ Ecclesiæ profiterentur, ex quibuscumque Christiani orbis prouinciis essent: quo nomine tanquam certissimo signo ab hæreticis distinguerentur. S. Ambrosius Oratione de obitu Satyri fratris, cap. 1. *Aduocauit ad se Episcopum, percontatúsque ex eo est, vtrúmnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret.* S. Victor Vticensis lib. 1. de Persecutione Vuandalica, de S. Armogaste martyre. *Quem cùm Theodoricus regis filius, qui eius dominus erat, pœnis non valentibus, capite truncari iussisset, à suo prohibetur Iocando presbytero, dicente sibi: Poteris eum diuersis afflictionibus interficere: nam si gladio peremeris, incipient Romani Martyrem prædicare.* Romani, id est, Catholici: nam is presbyter qui hæc dicebat, Arianus erat. S. Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum, cap. 25. agens de miraculo Sacrorum fontium, quotannis in Vigilia Paschæ in oppido Oset Lusitaniæ celebrari solito, inquit: *Denique Theodegisilus huius rex regionis Arianus, cùm vidisset hoc miraculum, quod in his sacratis Deo fontibus gerebatur, cogitauit intra se dicens: Quia ingenium est Romanorum, (Romanos enim vocitant homines nostræ religionis) vt ita accidat, & non est Dei virtus.* Et cap. 79. Gomacharius Comes hæreticus ait suis: *Quid putatis, quid isti nunc Romani dicant?* Romani, id est, Catholici. Et cap. 80. homo quidam hæreticus ad presbyterum hæreticum inquit: *Si consenseris dictionibus meis, exercemus hodie cachinnum de hoc Romanorum presbytero.* Sic hodiéque Nouantes appellant nos per contemptum Papistas, Pontificios, Romanenses: Sed sunt nobis hæc insignia gloriæ elogia, & sint etiam post mortem tituli sepulchrales, veræ & orthodoxæ fidei certissimæ tesseræ. Sed quàm mirè quadrant in Romanam Ecclesiam, eiúsque Sacrum Collegium, illa quæ de Roma Ammianus Marcellinus lib. 14. c. 14. *Per omnes tamen quotquot sunt partes terrarum, vt domina suspicitur & Regina: & vbique Patrum reuerenda cum auctoritate canicies, populique Romani nomen circumspectum & verendum.* Rectè quoque Pierius 45. Hieroglyphicorum: *Romæ enim pietatis nostræ principatum, & in togata præcipuè gente constituendum, vt Euangelicam interim veritatem prætereamus, vel Maro ipse supremæ intelligentiæ actus spiritu, diuinauit, dum Iouem inducit asserentem 1. Æneidos:*

Romanos rerum dominos, gentémque togatam.

Desinant iam obsecro Nouatores nobis obgannire illud Sallustij in Iugurthino, cap. 8. & 20. *Romæ omnia venalia esse.* Et cap. 35. Iugurthæ dictum: *Vrbem venalem, & maturè perituram, si emptorem inuenerit.* Ac rursus illud Petronij pag. 158.

——Emptíque Quirites
Ad prædam, strepitúmque lucri suffragia vertunt:
Venalis Populus, venalis Curia Patrum:
Est fauor in pretio, senibus quoque libera virtus
Exciderat——

Nos potius canamus, & claudamus:

En huius Petri auspiciis illa incluta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo.

Magnitudo, amplitudo, status, inclinatio, casus Romanij Imperij breuiter describuntur.

CAP. XVI.

MAximum Romani Imperij incrementum, consensu omnium ab Augusto fuit ad Traianum. Eius fines, terminósque quaquauersum, ex Tacito, Appiano, Dione, Aurelio Victore, Sexto Rufo, aliisque Onuphrius in Romano Imperio, Lipsius de Magnitudine Romana lib. 1. c. 3. in hunc modum annotarunt: Ab Oriente Indiam, Mare Indicum, & Caucasum: à Meridie Æthiopiam, Nili cataractas, & Africæ deserta: ab Occidente Oceanum vltra Columnas Herculis: à Septentrione Paludem Meotidem, Daciam, Danubium, & Rhenum. Prouinciæ verò quas Romanum Imperium complectebatur, hæ fuêre: In Asia, Colchis, Iberia, Albania, Pontus, Bosphorus, Cappadocia, Galatia, Bithynia, Armenia, Syria, Arabia, Palæstina, Cilicia, Pamphylia, Lydia, & tota Asia minor. In Africa, Ægyptus, Cyrenaïca, Marmarica, Gætulia, Africa propria, Numidia, Mauritania, aliæque minores. In Europa, Italia, Hispaniæ, Galliæ, Inalpinæ, Rhetia, Noricum, Illyricum, Macedonia, Epirus, Græcia, Thracia, Mæsia, Dacia, Pannonia, Insularum verò quidquid Mediterraneo mari ambitur: Britania quoque. Vt meritò dicere potuerit Dionysius Halicarnasseus in Præfatione sui Operis: *Romanorum Vrbs totius terræ quæ non est deserta, sed ab hominibus incolitur, Imperium habet: & totius maris est domina, non solum eius, quod est intra Columnas Herculis, sed & Oceani, quacumque nauigari potest: primaque & sola post hominum memoriam, ortu & occasu fines Imperij sui terminauit.* Et Ouidius 2. Fastorum.

Gentibus est aliis tellus data limite certo,
Romanæ spatium est Vrbis & orbis idem.

Et magnificè Tertullianus, de Pallio, cap. 2. *Reuera orbis cultissimum huius Imperij rus est.* Cæterum Romani Imperij magnitudinem & amplitudinem, Prouinciásque eius omnes accuratissimè descriptas inuenies in Notitia vtriusque Imperij Orientalis & Occidentalis, & apud Onuphrium in Romano Imperio, & in Commentariis Fastorum: expressas verò atque depictas egregiè exhibuerunt Abrahamus Ortelius & Gerardus Mercator in Tabulis Romani Imperij. Sed imprimis extat Sexti Rufi, seu Rufi Festi V. C. Breuiarium Imperij Romani ad Valentinianum Augustum, in quo fines, & Prouinciæ Imperij eruditè percensentur.

De copiis verò militaribus quæ in Imperio sumptibus S. P. Q. R. alerentur, Lipsius lib. 1. de Magnitudine Romana, cap. 4. & 5. ex optimis auctoribus annotauit, Augusti & Tiberij æuo viginti quinque legiones fuisse, vt ex Tacito & Dione constat: quæ sub Traiano, & Hadriano ad triginta & amplius excreuerint. Et vt breuiter ac veluti sub indice cuncta perstringamus: In Prouinciis copiæ legionum, cohortium, alarum fuêre ad Ducenta quinquaginta millia militum: in Vrbe in Prætoriis castris ad viginti sex milia, & sub Seuero Principe ad sexaginta millia. In classibus haud minus quam centum millia militum, & classiario

siariorum : ita constabant in vniuersum supra quadringenta millia ordinariorum terra marique. Agathias tamen, qui sub Iustiniano vixit, teste Suida, ad Sexcenta quadraginta quinque millia militum Romani Imperij numerum auget : cius verba sunt lib. 5. c. 7. *In claustris Romani exercitus intercluſi manebant, tametsi vel eo numero essent, quo tunc primùm & veterum Imperatorum tempore recensebantur, & non in minimam partem redacti, haud quaquam sint tamen Imperij magnitudini suffecturi. Nam cum ad quinque & quadraginta millia sexentáque bellicosissimorum virorum vires omnes apud Romanos tunc temporis cogerentur; vix ad centum quinquaginta nunc millia rediguntur.*

Sed audiamus Tacitum de ætate Tiberij, lib. 4. Annalium, cap. 4. *Percensuitque* Tiberius *cursim numerum legionum, & quas prouincias tutarentur. Quod mihi quoque exequendum reor, quæ tunc Romana copia in armis, qui socij reges, quanto sit angustius imperatum. Italiam vtroque mari duæ classes Misenum apud & Rauennam, proximúmque Galliæ litus rostratæ naues præsidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Foroiulienſe miserat valido cum remige. Sed præcipuum robur Rhenum iuxta, commune in Germanos, Gallósque subsidium octo legiones erant. Hispaniæ recèns perdomitæ tribus habebantur. Mauros Iuba rex acceperat donum populi Romani : catera Africæ per duas legiones, parique numero Ægyptus. Dehinc initio ab Suria vsque ad flumen Euphratem, quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quatuor legionibus coërcitum : accolis Ibero, Albanóque, & aliis regibus qui magnitudine noſtra protoguntur aduersum externa Imperia. Et Thraciam Rhœmetalces ac liberi Cotyis : ripámque Danubij, legionum duæ in Pannonia, duæ in Mæsia attinebant. Totidem apud Dalmatiam locatis, quæ positu regionis à tergo illis, ac si repentinum auxilium Italia poscere, haud procul accirentur. Quamquam insideret Vrbem proprius miles, tres vrbanæ, nouem Prætoriæ cohortes, Hetruria fermè Vmbriáque dilectæ, aut vetere Latio, & Coloniis antiquitus Romanis. At apud idoneæ Prouinciarum Sociæ triremes, alæque, & auxilia cohortium : neque multo secus in iis virium.*

Vetustus auctor apud Suidam de æuo, vt creditur, Traiani : *Romanorum Imperium regna Assyriorum, & Persarum, & Macedonum veterum longo interuallo superauit, limitibus constitutis versus Orientem, Indis, & Erythræo mari, & Nilo & Cataractis, & Mæotide palude; ad Occidentem verò Oceano ipso: siquidem & Britannorum regio, quam circumfluens, insulam efficit, nunc inuenta, in finibus Impery Romani numeratur.* Hinc Tacitus 2. Annali, cap. 61. de suo, hoc est, Traiani tempore: *Exin ventum Elephantinen ac Syenen, claustra olim Romani Imperij, quod nunc Rubrum ad mare patescit.* Nempe ad Erythræum, quod vtrumque Sinum Arabicum & Persicum fundit, & ad Indiam vsque tenditur.

Appianus Alexandrinus, de sua, hoc est Hadriani, ætate, in Præfatione Romanæ Historiæ : *Scripturus Populi Romani res gestas, necessarium duxi, primum fines Imperij describere: qui sic habent: In Oceano Britannicarum gentium maiorem partem continent: inde Herculeum Fretum petentibus, atque porrò vniuersi Mediterranei maris oram eadem vsque columnas circumlegentibus, quidquid insularum, regionúmve maritimarum in conspectum venit, Romani iuris censetur. Harum gentium primi ad dexteram Fretum penetrantibus sunt Mauri, quà mare accolunt: deinde Afri, alij Carthaginem vsque. Supra hos, remotiores à mari sunt Nomades, quos Latini vocant Numidas, ipsámque regionem Numidiam. Sequuntur in ora Libyes secundum vtramque Syrtim ad Cyrenem pertinentes: tum Cyrene ipsa, Marmaridæ, Hammonitique, & quidquid populorum circa Mareotem lacum habitat. Ad hæc magna illa vrbs in Ægypti confinio Alexandri conditoris nomen referens: ipsáque Ægyptus, patens aduerso Nilo nauigantibus vsque versos ad Orientem Æthiopas, per mare verò vsque Pelusium. Hinc cursu flexo in ora occurrit Palæstina regio Syriæ, supra quam est pars quædam Arabum. Ad mare Palæstinos contingunt Phœnices: superiora occupat Caua, vt vocant, Syria, & quæ Euphratem vsque amnen porrigitur: tum remotiores etiam Palmyreni cincti arenis squalentibus, & ipsi ad Euphratem pertinentes. Post Syros sunt Cilices, iisque confines Cappadoces, & Armeniæ pars quam minorem nominant: deinde ceteræ gentes, quotquot secundum Euxinum Pontum parent Romano Imperio. Harum Cyri & Cilices noſtrum mare spectant: Armenij verò atque Cappadoces hinc Ponticis nationibus sunt finitimi, inde mediterraneis quas Maior Armenia complectitur: nulla quidem Romanis tributa pendens, sed ex eorum auctoritate reges accipiens.*

Medio autem Cappadocas inter & Cilicas spatio, quà in Ioniam iter est, ingens in mare procurrit peninsula, cuius dextrum latus Euxino, Propontidéque, & Helleſponto, atque Ægæo clauditur: lævum Pamphylio, Ægyptióque mari alluitur: fertur enim vtrumque peninsulam facere: cuius incolæ ad Ægyptium pelagus versi Pamphylij sunt & Licij, ac deinceps Cares vsque Ioniam: ceteri Euxinum, Propontidem, Helleſpontúmque spectant, Galatæ, Bithyni, Mysi, Phryges: mediterranea eius tenent Lydi, & Persidæ. Tot gentes habitant hanc peninsulam, omnes Romanorum subiectæ Imperio, Trans Fretum verò in Europa, & alias Prouincias habent Ponto contiguas, Mæsiam, ac Thraciam, quà Euxinum accolit. Ab Ionia verò Ægæus Sinus incipit, inde alter Ionius, post quem est Fretum Siculum, & indè Tyrrhenum mare vsque ad Columnas Herculeas. Atque hæc est longitudo ad Oceanum ab Ionia: in quibus oris hæ sunt Romanæ prouinciæ, Græcia vniuersa, Theſſalia, Macedonia, tum finitimæ Thraciæ reliqua, & Illyricum, ac Pannoniæ.

Sequitur ipsa Italia longissimo protensa spatio, ab Ionio mari præter Tyrrhenicum tendens vsque Galliam: cuius prouinciæ gentes partim noſtrum mare spectant, partim Septentrionalem Oceanum, partim secundum flumen Rhenum habitant. His accedit vniuersa Hispania, & Celtiberi pertingentes ad Septentrionalem, Occidentalémque Oceanum, ac Columnas Herculis. Nunc quam amplis finibus maritimis Imperium includatur, dictum est. Terrestri verò itinere lustranti eos, occurrit pars Mauritaniæ vergens ad Occidentalem Æthiopiam, tum aliæ propter nimium æstum, aut noxias beſtias, incultiores regiones Africæ, vsque Orientales Æthiopas. Et hi quidem in Africa sunt Romanorum termini. In Asia verò flumen Euphrates, mons Caucasus, Armeniæ Maioris regnum, Colchis quæ ad Euxinum mare colitur, & reliquum oræ illius. In Europa duo maxima flumina Romanorum Imperium finiunt, Rhenus & Danubius: horum Rhenus in Septentrionalem Oceanum, Danubius in Euxinum Pontum euoluitur. Alicubi tamen trans hos quoque amnes Germanis Transrhenanis nonnullis imperant, & Getis vltra Danubium, quos ipsi Dacos nominant. Hi sunt versus continentem termini, quantum exactiſsimè eos dirigere potuimus.

Insulæ quoque quotquot sunt in mari Mediterraneo, Cyclades, Sporades, Echinades, Thyrrenicæ, Baleares, seu quocumque alio nomine, vel circa Africam, vel in Ionio, Ægyptio, Myrtoo, Siculo, ceteróque noſtro mari

quibuſcumque diſtincto vocabulis: tum illæ quas ob excellentiam Græci magnas nominant, Cyprus, Creta, Rhodus, Leſbos, Eubœa, Sicilia, Sardinia, Corſica, & ſi qua eſt alia maior, minórve, omnes Romanis parent. In Septentrionali etiam Oceano, tranſportatis copiis in Britanniam inſulam, quæ præ magnitudine videri poſſit alia terra continens, occuparunt pluſquam dimidiam.

Et poſt pauca de Imperatoribus, qui rerum potiuntur, ſubdit: *Hoc genus Imperatorum ætas in præſentem diem CC. annos pene compleuit: quo tempore Vrbs reddita eſt ornatiſſima, aucta in immenſum etiam redditibus, longa, conſtantique pace res prouehente ad felicitatem tutiſſimam. Ceterùm circumquaque in præſidio ſunt magni exercitus, qui tantum terræ mariſque tanquam regionem aliquam cuſtodiunt. Nec vllum Imperium ad hanc ætatem, vel tam amplum, nec tam diuturnum fuit. Aſſyriorum, Medorum, Perſarum tria maxima Imperia ſimul congeſta, ne tempus quidem nongentorum annorum æquare poſſunt, quantum durauit in hodiernum Romana potentia. Amplitudo verò illorum Imperiorum dimidio minor fuit, ſi conferantur termini. Siquidem Romani ab Occidentali Oceano ad Caucaſum montem, & fluuium Euphratem, & Æthiopas qui ſunt ſupra Ægyptum ac Arabiam, vſque Orientalem Oceanum imperant. Atque ita ab occaſu, ortúque Solis clauduntur Oceano: maris quoque Mediterranei totius tenent dominium, & inſularum omnium, atque etiam in Oceano Britanniæ.*

Et in fine Præfationis, enumeratis libris quos ipſe Appianus de hiſtoria Romana conſcripſit, inquit: *Vltimus liber, quantis exercitibus muniatur hoc Imperium quantóſque redditus habeat è ſingulis prouinciis, tum ſiquid ſuperimpendit in claſſes præſidiarias, & nauales ſocios, indicabit, ceteráque huiuſmodi.* At hic liber magna antiquitatis iniuria hactenus periit. Sed quod attinet ad ſummam quam ex vectigalibus & tributis tantùm in annuos redditus Roma capiebat, Lipſius ex diligenti auctorum perſcruratione, ſupra centum quinquaginta auri milliones colligit. Vide quæ notauimus ſupra cap. 6. initio. De numero verò Romanorum ciuium Tacitus annali 11. c. 25. *Condiditque luſtrum Claudius, quo cenſa ſunt ciuium ſexaginta nouem centena, & ſexaginta quatuor millia.* Immanis planè numerus! Verùm innumera ſunt ac propemodum ſupra fidem, quæ Scriptores de Magnitudine Imperij Romani prodiderunt: quorum non pauca Lipſius deſcripſit tribus de eo argumento libris.

At cecidit tamen Romana potentia è tanto faſtigio, & inclytum, maximúmque omnium Imperium Romanum in extremas ferme ruinas redactum iacet: nec nunc ſingulas Prouincias variis temporibus, Barbarorum armis & infuſionibus Imperio detractas percenſebimus: copiosè enim id à multis præſtitum, & in primis ab Onuphrio accuratè in libro de Romano Imperio: ſed clades dumtaxat Vrbis præcipuas, Imperij Romani alternationes, viciſſitudines, caſus breuiter, quod noſtro inſtituto erit neceſſarium, attingemus.

Prima Romæ clades, & direptio facta eſt per Alaricum Gothorum regem: contingit ea anno Vrbis Conditæ MCLXIV. Chriſti CDX. Honorij Imperatoris XVI. Varane, & F. Tertullo Coſſ. IX. Kalend. Septembris, vti Oroſius lib. 7. c. 40. S. Beda, S. Ado, Hermannus Contractus, Sigibertus, in Chronicis, Paulus Diaconus lib. 13. Miſcellæ, cap. 27. & alij poſteriores omnes annotarunt: de qua nos abundè egimus ſuprà cap. 9. & 10.

Secunda Romæ deuaſtatio fuit per Genſericum Vvandalorum in Africa regem, anno Chriſti CDLV. Valentiniano VIII. & Anthemio Coſſ. Anno Vrbis Conditæ MCCVIII. de qua ſuperiori cap. copiosè ſcripſimus.

Tertia Romæ irruptio accidit anno Chriſti CDLXXVI. Baſiliſco II. & Armato Coſſ. Vrbis Conditæ MCCXXVIII. per Odoacrem Erulorum regem: de qua nos plura cap. 11. referebamus.

Quarta Romæ euerſio illa eſt per Totilam Gothorum regem anno Chriſti DXLVII. Iuſtiniani Imperatoris XXI. V. C. MCCXCIX. poſt VI. Coſſ. Baſilij: de qua nos multa prodidimus cap. 11.

Sed quod ad ipſum ſpectat Imperium, poſtquam res Romana in Monarchiæ formam redacta eſt à Dictatore Cæſare, & Auguſto poſt DCC. annos Conditæ Vrbis: manſit Imperium Romæ ipſi affixum, ita vt Roma præcipua Imperij ſedes eſſet, longo tempore, ad Conſtantinum vſque Magnum, qui ſedem, maieſtatémque Imperij Roma Conſtantinopolim ſplendidiſſimam à ſe conditam Vrbem tranſtulit, vti Euſebius lib. 1. de Vita Conſtantini, c. 47. Eutropius lib. 10. Sextus Rufus in Breuiario Imperij, cap. 9. Zoſimus lib. 2. S. Hieronymus in Chronico, Suidas Colum. 505. Paulus Diaconus lib. 11. Miſcellæ. cap. 14. Cedrenus, Zonaras, Manaſſes in Annalibus, Nicephorus lib. 7. Hiſt. cap. 48. & alij multi narrant. Vide Petrum Gyllium lib. 1. de Conſtantinopoli, cap. 3. & Cæſarem Bulengerum lib. 1. de Romano Imperatore, cap. 3. Facta eſt Conſtantinopolis dedicatio iuxta certiores Faſtos, anno Chriſti CCCXXX. Conſtantini XXV. Conſule Annal. 3. Baronij, Scaligeri Euſebiana pag. 229. Colum. 2. & lib. 5. de Emendationibus Temporum, & lib 3. Iſagogicorum Canonum, pag. 305. Onuphrium lib. 2. Commentariorum in Faſtos.

Imperij Sede Conſtantinopolim Roma tranſlata, manſit nihilominus Romanum Imperium Romæ & in Occidente, illúdque tenuere Conſtantini ſucceſſores, Romæ etiam Occidentalis Romani Imperij Sede conſtituta. Nam tunc diuiſum eſt Romanum Imperium in Orientale & Occidentale: Principes Orientalis Imperij Sedem habebant Conſtantinopoli; Occidentalis verò Romæ. Manſit Occidentale Imperium ad annum vſque Domini CDLXXVI. quando exauctorato Auguſtulo per Odoacrem, penitus extinctum & deletum eſt. Odoacer enim Vrbe & Italia occupata, nec ſibi nomen Imperatoris voluit, nec alium creari paſſus eſt, vti abundè cap. 11 dicebamus: adeò vt deinceps longo tempore nullus ſit creatus in Occidente Romanorum Imperator. Reliquæ etiam Romani Imperij Occidentalis Prouinciæ variis temporibus à Barbaris nationibus occupatæ, & inſeſſæ, atque ab Imperio auulſæ manſerunt. Italiam Oſtrogothi, Africam Vvandali, Hiſpanias Viſigothi, Gallias partim Viſigothi, partim Franci & Burgundiones obtinuere. Poſt CCC. & XXV. annos, quibus fuit Occidens ſine proprio Imperatore, decreto, & auctoritate Leonis III. Romani Pontificis, anno Salutis DCCCI. poſtliminio inſtauratum & reſtitutum eſt Romanum Imperium in Occidente, & Carolus Magnus Francorum rex, Romæ ab eodem Leone Papa Romanorum Imperator eſt renuntiatus, vt cuncti Annales & Hiſtoriæ teſtantur. De qua re extat peculiare opus Bellarmini de Tranſlatione Imperij. Porrò extincta Caroli. Magni & Francici ſanguinis Imperatorum ſobole, creatíſque externi generis aliquot Imperatoribus, tranſlatum deinde fuit auctoritate

Ioan

Ioannis XII. Papæ Romanum Imperium ad Germanos, seu Saxones, & primus ex ea gente consecratus est Romanorum Imperator Otho I. anno Christi DCCCCLXII. vti auctores omnes affirmant.

Deinde tempore Othonis III. Imperatoris factam potestatem Germaniæ Principibus à Gregorio V. deligendi Romanos Imperatores, & auctores, & vetera monumenta testantur, apud Baronium Annali 10. anno Christi 996. Cererùm à quonam Romano Pontifice Septem Imperij Electores certo isto & præfinito numero instituti fuerint, ingens est inter scriptores controuersia. Quidam Gregorio X. eam institutionem deferunt, vt Auentinus Annali 5. Baiorum, Onuphrius de Comitiis Imperatoriis, & in Chronico, Genebrardus lib. 4. Chronographiæ, pag. 563. in Gregorio V. Maior historicorum pars Gregorio V. tribuit, apud Bellarminum lib. 3. de Translatione Imperij, cap. 1. & 2. Pauci, sed quos validæ fulciunt rationes, post Gregorium V. & ante Gregorium X. ab Innocentio IV. in Generali, Concilio Lugdunensi anno Salutis 1245. celebrato VII. Imperij Electores designatos existimant. De qua re accuratè Baronius Annali 10. Anno Christi 996. Profértque ex Matthæo Paris eorum tempore Scriptore Decretum eiusdem Concilij in hanc formam conceptum.

Electores Imperatorum.

Laici { *Dux Austriæ.* / *Dux Bauariæ.* / *Dux Saxonum.* / *Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ.*

Prælati { *Archiepiscopus Colonienſis.* / *Archiepiscopus Moguntinus.* / *Salsburgenſis.* * } Principales

* *Isti ducentur in insulam quandam Rheni, & dimittentur soli in ea, & amouebuntur omnes nauiculæ: & ibi tractabunt de electione Imperatoris. Nec aduenias aliquis ad eos, donec sint concordes. Huic negotio præerit Archiepiscopus Colonienſis, secundus Mogontinus, tertius Salsburgenſis.* Hæc in Decreto.

Verùm posteà (nescitur tamen quo tempore, nisi quòd ab eodem Innocentio vel successore Alexandro IV. magis creditur) facta est mutatio, quæ hodiéque perseuerat: de qua Albertus Abbas Stadensis, qui suum Chronicum ad annum Christi 1250. perduxit, hæc habet anno MCCXL. *Ex prætaxatione Principum & consensu, eligunt Imperatorem, Treuirenſis, Mogontinus, & Colonienſis. Treuirenſis enim licet de Alemannia non sit, ratione antiquitatis eligit. Palatinus eligit quia Dapifer est: Dux Saxoniæ, quia Marscalcus: & Margrauius de Brandenburg, quia Camerarius. Rex Boëmiæ qui Pincerna est, non eligit, quia non est Teutonicus.* Nimirum quia iste potius arbitri seu diffinitoris locum tenet, quum electores discordauerint. Verùm de his omnibus plenius videndi sunt, Baronius loco dudum citato, & Seuerinus Binius in Notis ad Romanum Concilium sub Gregorio V. anno 996. celebratum.

A Carolo Magno autem ad Matthiam, qui nunc Imperium obtinet, certa est Occidentalium Imperatorum successio. Atque hæ sunt Romani Imperij Occidentalis vicissitudines, & vsque ad nostram ætatem perductio.

In oriente verò à Constantino Magno constans & perspicua mansit Romanorum Imperatorum Orientalium & Constantinopolitanorum successio ad Constatinum vsque Palæologum, quo Imperatore capta & euersa Constantinopoli, Imperium quoque Romanum Orientale funditus est euersum, ab Othomanis anno Salutis MCDLIII. Illud omninò certum & exploratum, Romanum ipsum Imperium à Cæsare Dictatore, & Augusto fundatum, clara & perenni Imperatorum successione & serie, siue in Occidente siue in Oriente conseruata, & perducta, omnium Annalium fide, & auctoritate descripta, & exaggerata, ad nostra adhuc hæc tempora viuere etiam & vigere in Germania, & in Austriaca Domo: incertum quantum æui deinceps permansurum. Cuius proinde successionem ad maiorem rerum nostrarum lucem, ex melioribus Fastis hîc subiicimus.

Successio Romanorum Imperatorum ab Augusto ad Matthiam, qui nunc imperat.

CAP. XVII.

AVgustus Cæsar, qui primus Romanam Monarchiam propriè condidit, rerum potitus est à nece patris Cæsaris Dictatoris, annos 57. menses 6. dies 2. Obiit Christi anno 16.

Tiberius annos 22. menses 7. quatuor minus dies. Obiit Christi 39.

Caius annos 3. menses 10. dies 8. Interficitur Christi 43.

Claudius annos 13. menses 8. dies 20. Periit Christi 56.

Nero annos 13. menses 7. dies 28. Peremit se Christi 70.

Galba menses 7. dies 7. Occiditur Christi 71.

Otho menses 3. & dies 5. Interfecit se Christi 71.

Vitellius menses 8. dies 5. Trucidatur Christi. 71.

Vespasianus annos 10. minus dies 6. Extinguitur Christi 81.

Titus annos 2. menses 2. dies 20. Moritur Christi 83.

Domitianus annos 15. dies 5. Occiditur Christi 97.

Nerua annum vnum, menses 4. dies 9. Defecit Christi 100.

Traianus annos 19. menses 6. dies 15. Obiit Christi 119.

Hadrianus annos 20. menses 11. Fato concessit Christi 140.

Antoninus annos 22. menses 7. dies 26. Desiit viuere Christi 163.

Marcus Aurelius cum imperare cæpisset, adiunxit sibi collegam in Imperio 5o. Verum fratrem: túncque primùm duo simul regnarunt Imperatores promiscuè, nulla partitione aut disiunctione Prouinciarum Romanum Imperium regentes. 5o. Verus imperauit annos 9. Periit anno Christi 171. Marcus verò annos 19. dies 10. Excessit Christi 182.

Commodus annos 12. menses 9. dies 14. Strangulatur Christi 194.

Pertinax menſes 2. dies 21. Occiſus eſt Chriſti 195.

Seuerus annos 17. menſes 8. dies 3. Deceſſit Chriſti 213.

Antoninus annos 6. menſes 2. dies 5. Confoditur Chriſti 219.

Macrinus & Diadumenianus eius filius ambo ſimul imperarunt annum vnum, dies 28. Occiſi ſunt Chriſti 220.

Heliogabalus annos 3. menſes 9. dies 4. Trucidatur Chriſti 224.

Alexander annos 13. dies 9. Interficitur Chriſti 237.

Maximinus annos tres integros. Occiditur Chriſti 240.

Maximus & Balbinus paucis poſt necem Maximini diebus interficiuntur eodem Chriſti anno.

Gordianus annos 6. Occiditur Chriſti 246.

Philippi pater & filius ſimul annos 7. Interficiuntur Chriſti 252.

Decius annum vnum, menſes 3. Abſorptus eſt Chriſti 253.

Gallus & Voluſianus annos 2. Interfecti ſunt Chriſti 254.

Valerianus & Gallienus ſimul Imperium obtinent, ſine diuiſione, Valerianus annos 6. captus eſt à Sapore Rege Perſarum, Chriſti 262. Gallienus verò annos 14. Occiſus eſt Chriſti 269.

Claudius annos 3. Obiit Chriſti 271.

Quintillus dies tantùm 17. Interfectus eſt eodem Chriſti 271.

Aurelianus annos 6. Occiſus eſt Chriſti 276.

Tacitus menſes 6. & dies aliquot. Extinctus eſt Chriſti 277.

Florianus menſes 2. dies 20. Interficitur eodem Chriſti 277.

Probus annos 5. Occiditur Chriſti 282.

Carus annos 2. Deceſſit Chriſti 284.

Carinus & Numerianus annos ferè duos, Interficitur Carinus anno Chriſti 285.

Diocletianus & Maximianus annos 20. Abdicant ſe Imperio anno Chriſti 304. Regnauit Diocletianus cum Carino annos ferè duos. Tunc ſanè diuiſum videtur Romanum Imperium in Occidentale & Orientale. Orientali Diocletianus, Occidentali Maximianus præfuit.

Occidentale Romanum Imperium.

Maximianus, annos 20. Abdicat Chriſti 304.

Conſtantius Chlorus, pater Conſtantini Magni annos 3. Moritur Chriſti 306.

Conſtantinus Magnus in Occidente annos 18. vſque ad Chriſti 323.

Exuto & interfecto Licinio, Conſtantinus Magnus vtrumque capeſſit Imperium: ſicque rurſus Occidentale & Orientale Romanum Imperium in Conſtantino coëunt in vnum. Conſtantinus verò vniuersè imperauit annos 31. In Occidente 18. in Oriente ſimul reliquos 13. Deſiit viuere Chriſti 337.

Poſt mortem verò Conſtantini Magni, tres eius filij Conſtantinus, Conſtantius, & Conſtans partiti ſunt inter ſe Romanum Imperium: de qua diuiſione Aurelius Victor in Epitome, cap. 41. *Ita ad tres orbis Romani Dominatio redacta eſt, Conſtantinum, & Conſtantium, & Conſtantem filios Conſtantini. Hi ſinguli bus partes regendas habuerunt: Conſtantinus Iunior cuncta trans Alpes: Conſtantius à freto Propontidis ad Aſiam, atque Orientem: Conſtans Illyricum, Italiámque, & Africam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniámque, & Achaiam.* Zoſimus lib. 2. de filiis Conſtantini: *Nam primum inter ſe nationes partiebantur: & Conſtantinus quidem natu maximus, cum minimo natu Conſtante, omnia trans Alpes ſita, & Italiam & Illyricum ſortitus eſt, præterea Ponto Euxino finitima, & Africa quidquid*

Orientale Romanum Imperium.

Diocletianus annos 20. Deponit Imperium, Chriſti 304.

Galerius Maximianus annos 8. obiit anno Chriſti 311.

Galerius Maximianus annos 3. Abſumptus eſt Chriſti 314.

Licinius annos 10. Exuitur Imperio, Chriſti 323.

ad Carthaginem pertinet. Conſtantio datum eſt quidquid eſſet in Aſia, & oriente, & Ægypto. Sed de diuiſione tunc Imperij, pluribus agunt etiam Socrates lib. 1. Hiſtor. cap. 25. extremo, Sozomenus lib. 2. cap. 32. Nicephorus lib. 8. cap. 54. Cedrenus, Zonaras, Manaſſes in Annalibus. Quorum omnium teſtimonio conſtat, Conſtantino & Conſtanti Occidentale: Conſtantio verò Orientale Imperium obtigiſſe. Conſtantinus tenuit Imperij partem ſuam annos 4. quo interfecto anno Chriſti 340. Conſtans integro potitur Occidentis Imperio: quo etiam occiſo anno Imperij ſui 14. & Chriſti 350. ad Conſtantium vtrumque ſimul & Orientale & Occidentale deuoluitur Imperium, iterumque Occidens & Oriens vni paret Auguſto.

Conſtantius vniuersè regnat annos 25. Moritur Chriſti 361.

Iulianus annum 1. menſes 8. dies 22. Tollitur Chriſti 363.

Iouianus menſes 7. dies 20. Exanimatur Chriſti 364.

Valentinianus Imperium cum fratre Valente, ac ſibi Occidentale ſumit, Valenti Orientale aſſignat Imperium.

Imperium Occidentale.

Valentinianus annos 12. Moritur Chriſti 375.

Gratianus à morte parentis Valentiniani, annos 8. Occiditur Chriſti, 383.

Valentinianus à nece fratris Gratiani annos 9. Strangulatur Chriſti, 392.

Sublato Valentiniano 2. vtrumque Imperium Orientale & Occidentale ad Theodoſium redigitur: rurſuſque vnus Auguſtus Orienti & Occidenti præeſt. Theodoſius vniuersè rerum potitur annos 16. dies 2. Moritur Chriſti 395. Hinc Im-

Imperium Orientale.

Valens annos 14. menſes 4. dies 9. Viuus comburitur Chriſti 378.

Theodoſius in Oriente annos 13.

perium iterum ſcinditur in filiis Theodoſij, Arcadius Orienti, Honorius Occidenti præficitur. Atque ad eum modum diuiſum manſit Imperium, ad Auguſtulum vſque, hoc eſt, annum Domini 477.

Hono

Honorius annos 28. menſes 5. dies 19. Obiit Chriſti 423.

Valentinianus annos 29. menſes 6. dies 24. Obtruncatur Chriſti 455.

Maximus menſes 3. minus dies 5. Diſcerpitur Chriſti 455.

Auitus menſes 10. dies 8. Deponit Imperium, Chriſti 456.

Maiorianus annos 4. Occiditur Chriſti 461.

Seuerus annos 5. Veneno tollitur, Chriſti 466.

Anthemius annos 6. Interficitur Chriſti 472.

Olybrius menſes 8. Necatur Chriſti 473.

Glycerius vix annum vnum. Redigitur in ordinem, Chriſti 474.

Nepos annum 1. menſes 2. dies 4. Eiicitur Imperio Chriſti 475.

Auguſtulus menſes 9. dies 23. Exauctoratur Chriſti 476.

Vacat deinceps Occidentis Imperium per annos 325. ad Carolum vſque Magnum, & annum Chriſti 801. Nam poſt Auguſtulum nullus eſt creatus proprius Occidentis Imperator, vſque ad Carolum Magnum.

Nihilominus ſtetit, viguítque Orientale Romanum Imperium, & in poſteros certa ſucceſſione propagatum eſt. Nam Zeno Anaſtaſius, Iuſtinus quamuis Italia, & Roma atque adeò Occidente caruerint, dicebantur tamen & verè erant Romanorum Imperatores: non ſecus quàm Arcadius, Theodoſius, Martianus, & alij, qui ſtante Romano Imperio Occidentali, quamuis ipſi nihil Romæ aut in Occidente poſſiderent; dicebantur verè Romanorum Imperatores: cùm è ſucceſſione, tùm quòd magnam Imperij Romani partem obtinerent. Sic etiam Imperatores Græci ſeu Conſtantinopolitani, qui poſt Iuſtinianum rerum in Oriente potiti ſunt, quamquam nihil Romæ, aut in reliquo Occidente eorum ditionis eſſet: nihilominus ſemper Romani Imperatores audierunt: quouſque tandem Imperium illud Romanum Orientale & Conſtantinopolitanum Othomanicis armis eſt euerſum, anno Domini 1453. Nam nullus deinceps Othomanorum Principum ſe Romanorum Imperatorem appellauit.

Arcadius annos 13. menſes 3. dies 15. Exceſſit Chriſti 408.

Theodoſius annos 42. menſes 3. Moritur Chriſti 450.

Martianus annos 6. menſes 6. dies 2. Deceſſit Chriſti 457.

Leo annos 17. menſes 6. Denaſcitur Chriſti 474.

Leo Iunior menſes 10. Extinguitur eodem Chriſti 474.

Zenon annos 17. Defungitur Chriſti 481.

Anaſtaſius annos 27. menſes 3. dies 29. Fulmine icitur, Chriſti 518.

Iuſtinus annos 9. menſes 2. Obiit Chriſti 527.

Iuſtinianus verò per Beliſarium Ducem recuperata Africa, pulſis Vvandalis anno Imperij ſui 8. Chriſti 534. ac per Narſetem profligatis Gothis, Roma cum vniuerſa Italia recepta, anno Imperij 27. Chriſti 553. denuò Occidentale Imperium vtcumque reſtituit: ipſeque tunc cœpit eſſe Orientis ſimul & Occidentis Imperator. Sed Occidentale Imperium, abſque proprio Imperatore, per Exarchos, qui ſedem Rauennæ fixerant, deinceps à Conſtantinopolitanis Principibus eſt adminiſtratum. Regnauit Iuſtinianus vniuersè annos 38. menſes 8. Eximitur rebus humanis, Chriſti 565.

Iuſtinus Iunior annos 11. Moritur, Chriſti 566.

Tiberius annos 6. Deceſſit Chriſti 583.

Mauritius annos 19. Obtruncatur Chriſti 603.

Phocas annos 8. Trucidatur Chriſti 611.

Heraclius annos 31. Periit Chriſti 641. Heraclius F. menſes 4.

Heracleonas menſes paucos, Eiicitur Chriſti 642.

Conſtans annos 27. Interficitur Chriſti 669.

Conſtantinus Pogonatus annos 17. Vitam cum morte commutat Chriſti 686.

Iuſtinianus Iunior annos 10. Exturbatur Chriſti 696.

Leontius annos 3. Pellitur Chriſti 699.

Tiberius Abſimarus annos 7. Obtruncatur Chriſti 706.

Iuſtinianus Iunior iterum reſumit Imperium annos 6. Trucidatur Chriſti 711.

Philippicus annos 2. Eiicitur Chriſti 714.

Anaſtaſius cognomento Arthemius annos 2. *

* Cogitur in Monaſterium, Chriſti 716.

Theodoſius annum vnum. Abdicat ſe Chriſti 717.

Leo Iſauricus annos 24. menſes 2. dies 22. Fato conceſſit Chriſti 741.

Conſtantinus Copronymus annos 34. menſes 2. dies 26. Periit Chriſti 775.

Leo 4. annos 5. Moritur Chriſti 780.

Cùm autem à tempore Iuſtiniani Primi, Imperatores Conſtantinopolitani Italiam per Exarchos adminiſtrarent: eorundem Orientalium Principum Socordia & ignauia factum eſt, vt res in deterius laberentur: Sarracenique Africam occuparent, & Italia à Longobardis oppreſſa, paulatim Exarchatus, & ditio Orientalium Imperatorum in Italia extingueretur. Atque in eum modum Romanum Imperium in Occidente penitus concidit. Vide Bellarminum de Tranſlatione Imperij lib. 1. cap. 9. Anno autem Salutis 801. Leo III. Romanus Pontifex, cernens Orientale Imperium, ſeditionibus, belliſque ciuilibus, hæreſibus, Schiſmate, aliiſque ingentibus malis quaſſatum, fractum, labefactatum: cupiens labenti, ſeu ruenti Imperio Romano ſubuenire: decreuit illud in Occidente denuò inſtaurare: poſt 325. annos quibus in Occidente defecerat. Sicque Carolum Magnum Francorum regem, pro tantis quibus in Eccleſiam pollebat meritis, creauit Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum. Tuncque viſum eſt Romanum Imperium in Occidente quaſi rediuiuum exſurgere, & effloreſcere. Atque ita deinceps diſſectum eſt in Occidentale & Orientale, longa Occidentis & Orientis Imperatorum ſucceſſione: Occidentalium Principum noua & rediuiua: Orientalium veteri & continuata: quam vtramque hîc damus.

Romanum Imperium Occidentale.

Carolus Magnus annos 13. Obiit Chriſti 814.

Ludouicus Pius annos 27. Moritur Chriſti 840.

Lotharius annos 15. Denaſcitur Chriſti 855.

Ludouicus 2. annos 20. Extinguitur Chriſti 875.

Carolus

Romanum Imperium Orientale.

Conſtantinus 6. annos 18. Interiit Chriſti 798.

Irene annos 4. Relegatur Chriſti 802.

Nicephorus annos 9. Obtruncatur Chriſti 811.

Stauratius menſes 2. Cogitur in Monaſterium

Carolus Caluus annos 2. Veneno tollitur Christi 877.

Ludouicus Balbus annos 2. Excessit Christi 879.

Carolus Crassus annos 8. Decessit Christi 888.

Arnulphus annos 12. Moritur Christi 899.

Ludouicus 4. annos 13. Extinguitur Christi 912.

Conradus annos 8. Desiit viuere Christi 919.

Henricus annos 17. Abiit è vita, Christi 939.

Otho 1. annos 37. Moritur Christi 973.

Otho 2. annos 10. Extinguitur Christi 983.

Otho 3. annos 19. Defungitur Christi 1002.

S. Henricus 1. annos 22. In Cælum recipitur Christi 1024.

Conradus annos 15. Humanitati concessit Christi 1039.

Henricus 2. annos 17. Moritur Christi 1057.

Henricus 3. annos 50. Periit Christi 1106.

Henricus 4. annos 19. Moritur Christi 1125.

Lotharius annos 13. Obiit Christi 1138.

Conradus annos 13. Extinguitur Christi 1151.

Fridericus 1. Ænobarbus annos 38. Summergitur Christi 1190.

Henricus 5. annos 8. Moritur Christi 1197.

Philippus annos 10. Occiditur Christi 1208.

Otho 4. annos duos, Deiicitur Christi 1210.

Fridericus 2. annos 40. Eximitur rebus humanis 1250.

Interregnum annorum 23. nempe ab anno Domini 1250. vsque ad 1273. quo electus est Rodulphus 1. Romanorum Imperator, qui imperat annos 18. Moritur Christi 1291.

Adolphus annos 7. Abdicatur Christi 1298.

Albertus annos 10. Trucidatur Christi 1308.

Henricus 6. annos 5. Viuere desiit Christi 1313.

Ludouicus Bauarus annos 32. Exauctoratur Christi 1346.

Carolus 4. annos 32. Obiit Christi 1378.

Vvenceslaus annos 22. Deponitur Christi 1400.

Robertus annos 10. Moritur Christi 1410.

Sigismundus annos 27. Viuere desiit 1437.

Albertus 2. annos duos. Excessit Christi 1439.

Fridericus 3. annos 54. Moritur Christi 1493.

Maximilianus 1. annos 35. Vitam reliquit Christi 1519.

Carolus 5. annos 37. Deponit Imperium, Christi 1555.

Ferdinandus annos 9. Obiit Christi 1564.

Maximilianus 2. annos 12. Denascitur Christi 1574.

Rodolphus Secundus annos 35. Moritur Christi 1611.

Matthias annos 8. Extinguitur Christi 1619. qui hodie rerum potitur, nempe anno fundatæ salutis 1620. quo hæc nostra conscribimus, est Romanorum Imperator, Rex Germaniæ, Boëmiæ, Vngariæ, Austriæ, &c.

Christi 811.

Michaël Curopalates annos 2. Abdicat se Christi 813.

Leo Armenus annos 7. Occiditur Christi 820.

Michaël Traulus annos 9. Diem clausit Christi 829.

Theophilus annos 12. Fato concessit, Christi 842.

Michaël Porphyrogenitus annos 26. Obtruncatur Christi 867.

Basilius Macedo annos 19. E viuis abiit Christi 886.

Leo 6. Philosophus annos 25. menses 3. Vitam cum morte commutauit Christi 911.

Alexander non toto anno.

Constantinus 7. annos 49. Veneno extinguitur Christi 960.

Romanus annos 3. Moritur Christi 963.

Nicephorus Phocas annos 7. Interficitur Christi 969.

Ioannes Zimisces annos 6. Veneno tollitur Christi 975.

Basilius annos 51. vitam reliquit Christi 1026.

Constantinus 8. annos 3. Defungitur Christi 1029.

Romanus Argyropilus annos 6. Strangulatur Christi 1034.

Michaël Paphlago annos 8. Vitæ eximitur Christi 1041.

Michaël Calaphates menses 4. Exturbatur Christi 1042.

Constantinus 9. Monomachus annos 12. Moritur Christi 1054.

Theodora annos 2. Excessit Christi 1056.

Michaël Stratioticus annum 1. Abdicat se Christi 1057.

Isacius Comnenus annos 2. Relinquit Imperium, Christi 1060.

Constantinus 10. Ducas annos 8. Decessit Christi 1067.

Eudoxia cum filiis menses 7. Romanus Diogenes annos 4. Exoculatur Christi 1071.

Michaël Parapinaceus annos 6. Pellitur in Monasterium, Christi 1077.

Nicephorus Botoniates annos 3. Deturbatur anno Christi 1081.

Alexius Comnenus annos 37. Moritur Christi 1118.

Calo-Ioannes annos 25. Extinguitur Christi 1141.

Emanuel Comnenus annos 38. Euiuis discedit Christi 1180.

Alexius Comnenus Iunior annos 3. Strangulatur Christi 1183.

Andronicus Comnenus annos 2. Conciditur à populo Christi 1185. *

* Isacius Angelus annos 10. Priuatur Christi 1195.

Alexius Comnenus 3. annos 8. Amittit Imperium, Christi 1203.

Alexius Angelus annum vnum. Strangulatur Christi 1204.

Balduinus Flander annos 2. Occiditur Christi 1207.

Henricus annos 10. Moritur Christi 1216.

Petrus Antisiodorensis annos 2. Interficitur Christi 1218.

Robertus annos 9. Moritur Christi 1228.

Balduinus 2. annos 31. Exuitur Imperio Christi 1259.

Michaël Palæologus annos 23. Obiit Christi 1283.

Andronicus Senior annos 49. Moritur Christi 1332.

Andronicus Iunior annos 9. Naturæ concessit, Christi 1341.

Ioannes Cantacuzenus annos 16. Clauditur in Monasterio, Christi 1357.

Calo-Ioannes annos 27. Deiicitur Imperio, Christi 1384.

Andronicus 3. annos 3. Amittit Imperium, Christi 1387.

Emanuel Palæologus annos 34. Extinguitur Christi 1421.

Ioannes

Ioannes Palæologus annos 24. Moritur Christi 1445.
Constantinus 11. seu vt alij numerant 15. annos 8. menses 3.

Hoc Imperatore deletum est Orientale Romanum Imperium, expugnata, captáque Constantinopoli à Mahomete 2. Turcarum Sultano, anno Salutis 1453. Maij 29. die Martis, vt Auctores omnes affirmant. Historiam expugnationis famosæ Vrbis cùm innumeri tradiderint, omnium sanè accuratissimè Georgius Phranzes Protouestiarius, qui ei bello interfuit, & rerum pars magna fuit, eam descripsit lib. 3. Chronici de vltimis Orientalis Imperij temporibus. Atque de tempore captæ Vrbis hæc habet. *Turcæ vniuersam Vrbem in ditionem ac potestatem redegerunt, die tertio Hebdomadis* (nempe die Martis) *hora ab initio diei tertia & sesqui, anno mundi* 4961. *Domini* 1453. *vicesimo nono mensis Maij.* Atqui ad hanc vsque diem rerum summa in Oriente penes Othomanicos Principes manet: quorum nullus se vnquam Romanorum Imperatorem vocauit.

Euerso ergo & exciso Romano Imperio in Oriente: manet tamen adhuc, vigétque in Occidente, in Germania Romanum ipsum Imperium, certa & indubitata successione ad hanc vsque nostram ætatem conseruatum: vti paulo antea dicebamus. Hodiéque viuit & regnat post Matthiam, Romanorum Imperator semper Augustus. Cui, vt ex formula precemur, det Dominus vitam diuturnam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, quietum, & pacatum.

Sed hîc obseruandum, à tempore Caroli Magni Imperatoris, hoc est, ab anno Domini 801. vt interim superiora tempora omittamus, (cùm apud eruditos dubium esse non possit, quin tum Roma iam in Romanorum Pontificum manum & ditionem deuenerit,) mansisse Romanum Imperium tam in Oriente, quàm in Occidente diuulsum & separatum ab Vrbe Roma. Neque enim ab eo tempore Roma Sedes sæcularis Imperij, neque in potestate vllius vnquam Romani Imperatoris fuit: quamquam Principes illi perpetuò nuncupati sint Romani Imperatores; nimirum & quòd in Romano Imperio, præterquam in Vrbe, dominarentur: & quòd aliis Romanis Imperatoribus in eadem Imperatoria dignitate succederent.

Consensus Patrum, Non venturum Antichristum nisi priùs euersum & abolitum fuerit Romanum Imperium: atque id esse signum aduentus Antichristi.

CAP. XVIII.

VEteres & recentiores Ecclesiastici scriptores communi sententia docuerunt, Romanum Imperium simul ferè cum mundo staturum, casurúmque, hoc est, permansurum ad vsque propè tempora Antichristi, & sæculi occasus: & tunc destruendum: quo deleto affuturum Antichristum, & mundi finem: nec sanè venturum Antichristum, nisi euerso, sublatóque Romano Imperio.

Tertullianus Apologetici cap. 32. *Est & alia maior necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu Imperij, rebúsque Romanis, quòd vim maximam vniuerso orbi imminentem: ipsámque clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperij commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati fauemus. Vim maximam vniuerso Orbi imminentem.* Proculdubio Antichristum intelligi voluit Tertullianus. Et cap. 39. *Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum & potestatibus, pro statu sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* Et ad Scapulam cap. 2. *Christianus nullus est hostis, nedum Imperatoris: quem sciens à Deo suo constitui, necesse est, vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluum velit cum toto Romano Imperio, quousque sæculum stabit; tamdiu enim stabit.* Ex his Tertulliani cernere est, ab ipsis Ecclesiæ initiis in more Christianis fuisse, vt publicè ad Deum preces funderent, pro statu & diuturnitate Romani Imperij, quamtumuis ethnici, & Christianæ religioni infensi: quòd persuasum haberent, quamdiu staret illud Imperium, non affuturum Antichristum, & sæculi finem: Imperij enim diuturnitate differri ac retardari clausulam sæculi.

Et de Resurrectione carnis, cap. 24. inducens verba Pauli 2. Thessalonicens. 2. ita scribit: *Et in secunda pleniore solicitudine ad eosdem: Obsecro autem vos fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & congregationem nostram ad illum, ne citò commoueamini animo, neque turbemini, neque per spiritum, neque per sermonem, scilicet pseudo-prophetarum, neque per epistolam, scilicet pseudoapostolorum, ac si per nostram, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo: quoniam nisi veniat obscessio primò, huius vtique Regni* (Romani) *& reueletur delinquentiæ homo, id est, Antichristus, filius perditionis, qui aduersatur, & super extollitur in omne quod Deus dicitur, vel religio: vti sedeat in templo Dei, adfirmans Deum se. Nonne meministis, quòd cùm apud vos essem, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat, scitis, ad reuelandum eum in suo tempore. Iam enim arcanum iniquitatis agitatur: tantùm qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat. Quis? nisi Romanus status, cuius abscessio in decem Reges dispersa Antichristum superinducet: & tunc reuelabitur Iniquus, &c.*

Lactantius Firmianus lib. 7. c. 15. & 16. suam, ac tum vulgatam inter Christianos explicans ea de re opinionem; cùm multa disseruisset de calamitatibus quæ Antichristum & mundi occasum proximè antecedent, hæc habet: *Tunc peragrabit clades orbem metens omnia, & tanquam messem cuncta prosternens. Cuius vastitatis & confusionis hæc erit causa, quod Romanum nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere, sed dicam, quia futurum est) tolletur de terra, & Imperium in Asiam reuertetur, ac rursus Oriens dominabitur,* (nempe per Antichristum) *atque Occidens seruiet. Nec mirum cuiquam debet videri, si Regnum tanta mole fundatum, ac tamdiu per tot, ac tales viros auctum, tantis denique opibus confirmatum, aliquando tamen corruet. Nihil est enim humanis viribus laboratum, quod non humanis æquè viribus destrui possit, quoniam mortalia sunt opera mortalium. Sic & alia prius Regna, cùm diutiùs floruissent, nihilominus tamen occiderunt. Nam & Ægyptios & Persas, & Græcos, & Assyrios proditum*

ditum est regimen habuisse terrarum : quibus omnibus destructis ad Romanos quoque rerum summa peruenit. Qui quanto ceteris omnibus regnis magnitudine antestant, tanto maiore decident lapsu : quia plus habent ponderis ad ruinam, quæ sunt cæteris altiora. Non inscitè Seneca Romanæ Vrbis tempora distribuit in ætates. Primam enim dixit infantiam sub rege Romulo fuisse: à quo & genita, & quasi educata sit Roma. Deinde pueritiam sub ceteris regibus, à quibus & aucta sit, & disciplinis pluribus, institutisque formata. At verò Tarquinio regnante, quum iam quasi adulta esse cœpisset, seruitium non tulisse : & reiecto superbæ dominationis iugo, maluisse legibus obtemperare, quàm regibus. Cùmque esset adolescentia eius fine Punici belli terminata, tum denique confirmatis viribus, cœpisse iuuenescere. Sublata enim Carthagine, quæ tamdiu æmula Imperij Romani fuit, manus suas in totum orbem terræ, marique porrexit : donec regibus cunctis & nationibus subiugatis, cùm iam bellorum materia deficeret, viribus suis male uteretur, quibus se ipsa confecit. Hæc fuit prima eius senectus : cùm bellis lacerata ciuilibus, atque intestino malo pressa, rursus ad regimen singularis Imperij recidit, quasi ad alteram infantiam reuoluta. Amissa enim libertate, quam Bruto duce, & auctore defenderat, ita consenuit, tanquam sustentare se ipsa non valeret, nisi adminiculo regentium niteretur.

Quòd si hæc ita sunt, quid restat, nisi vt sequatur interitus senectutem ? Et id futurum breui, conciones Prophetarum denuntiant sub ambage aliorum nominum, ne facilè quis intelligat. Sibyllæ tamen apertè interituram esse Romam loquuntur : & quidem iudicio Dei, quòd nomen eius habuerit inuisum, & inimica iustitiæ, aluennum veritatis populum trucidarit. Hydaspes quoque qui fuit Medorum rex antiquissimus, à quo amnis quoque nomen accepit, qui nunc Hydaspes dicitur, admirabilis omnium, sub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam posteris tradidit, Sublatum viri ex orbe Imperium, nomènque Romanum, multo antè præfatus, quàm illa Troiana gens conderetur.

Quomodo autem id futurum sit, nequis incredibile arbitretur, ostendam. Imprimis multiplicabitur regnum, & summa rerum potestas per plurimos dissipata & concisa minuetur. Tunc discordiæ ciuiles in perpetuum serentur, nec vlla requies bellis exitialibus erit: donec reges decem pariter existant, qui orbem terræ, non ad regendum, sed ad consummandum partiantur. Hi exercitibus in immensum coactis, & agrorum cultibus destitutis, quod est principium euersionis & cladis, disperdent omnia & comminuent, & vorabunt. Tum repente aduersus eos hostis potentissimus ab extremis finibus plagæ Septentrionalis orietur, qui tribus ex eo numero deletis, qui tunc Asiam obtinebunt, assumetur in societatem à ceteris, ac Princeps omnium constituetur. Hic insustentabili dominatione vexabit orbem, diuina & humana miscebit : infanda dictu & execrabilia molietur. Noua consilia in pectore suo volutabit, vt proprium sibi constituat Imperium, leges commutabit, suas sanciet : contaminabit, diripiet, spoliabit, occidet. Denique immutato nomine, atque Imperij sede translata, confusio, ac perturbatio humani generis consequetur. Hæc & alia de Antichristo scribit Lactantius, quæ suo loco à nobis referentur.

Sed & cap. 25. de mundi fine disputans, ait: *Iam superiùs ostendi, completis annorum sex millibus, mutationem istam fieri oportere, & iam appropinquare summum illum conclusionis extremæ diem. De signis quæ prædicta sunt à Prophetis licet noscere. Prædixerunt enim signa, quibus consummatio temporum & expectanda sit nobis in singulos dies, & timenda. Quando tamen compleatur hæc summa, docent ij qui de temporibus scripserunt, colligentes ea ex litteris sanctis & ex variis historiis, quantus sit numerus annorum ab exordio mundi. Qui licet varient, & aliquantum numeri eorum summa dissentiat, omnis tamen expectatio non amplius, quàm ducentorum videtur annorum. Etiam res ipsa declarat, lapsum, ruinámque rerum breui fore : nisi quod incolumi Vrbe Roma, nihil istiusmodi videtur esse metuendum. At verò quum caput illud orbis occiderit, & ῥύμη esse cœperit, quod Sibyllæ fore aiunt : quis dubitet venisse iam finem rebus humanis, orbique terrarum ? Illa est enim ciuitas quæ adhuc sustentat omnia : precandúsque nobis, & orandus est Deus cæli, si tamen statuta eius & placita differri possunt, ne citius quam putemus Tyrannus ille abominandus* (Antichristus) *aduenìat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cuius interitu mundus ipse lapsurus est.* Huc vsque Lactantius.

In cuius verbis, quòd is auctor insignis, non admodum peritus fuerit sacrarum litterarum, nonnulla sunt animaduersione digna. Ante omnia existimauit Lactantius Imperium Romanum nunquam ab ipsa Vrbe Roma separandum : quod tamen res ipsa perspicuè confutauit : cùm cernamus à multis iam retro sæculis, & Romam, & Imperium Romanum stare, sed seiuncta inuicem & separata. Nam nec Roma habet Imperium, nec Imperium possidet Romam. Nec mirum in vaticiniis de rebus futuris & obscuris hallucinatum Lactantium, ex rebus præsentibus, futurarum coniecturam facientem : cùm tamen illud verè, aliisque Patribus consentaneè affirmet, duraturum Imperium Romanum ad tempora vsque Antichristi : & dissipato, sublatóque Imperio per decem Reges, venturum Antichristum, qui rerum summam ad se trahet.

Deinde illud non satis ex vero, quod innuere videtur Lactantius, Romam ab ipso Antichristo euertendam, illis postremis verbis, *ac lumen illud effodiat, cuius interitus mundus ipse, &c.* Nam Romam, si euertenda est prope finem mundi, multo verisimilius est, ante aduentum Antichristi exscindendam, vt Oracula Ioannis in Apocalypsi magis indicare videntur. Vide superiùs cap. 8. §. *Iam Suarez.* Et infra cap. 30.

Insuper, Lactantius ex deprauata annorum conditi Orbis ratione perperam est arbitratus, sæculi finem non amplius ducentis annis à sua ætate abfuisse. Qua in re palam sua opinione delusus est : de qua Lactantij falsa suspicione diximus lib. 2. c. 22.

Ad hæc, iubet nos Lactantius Deum precari pro diuturnitate & statu Romæ, Romanique Imperij, quod hoc detineat aduentum Antichristi, significans cum Tertulliano, & aliis veteribus scriptoribus, antiquum illum Ecclesiæ morem orandi pro Imperio, quem hodieque Ecclesia seruat, vti dicemus cap. 32. extremo.

Denique illud habet difficultatem, quod ait Lactantius, *quum caput illud orbis ceciderit, & ῥύμη esse cœperit, quod Sibyllæ fore aiunt.* Vidi manuscripta Commentaria in Lactantium, eruditi adolescentis Lusitani Francisci Vanegas, quæ in hunc locum hæc habet : *Et ῥύμη esse cæperit : Et πῦς esse cœperit. Sic legi in meo Basileensi. Sibyllæ enim Romam igne consumendam tradunt. Quod verò in Thomasij, & aliorum codicibus circumfertur, ignoro quid sibi velit τὸ ῥύμη esse cœperit. Est enim ῥύμη apud Suidam impetus violentus : quid verò impetus violentus cum Romæ occasu ? Puto tamen ἐρήμη scriptum fuisse*

à La

à *Lactantio*. Hæc ille, quæ nondum, quod ſciam, edidit. Et quidem ῥύμης pro impetu adducit exemplum Suidas ex Eunapio : & multa alia ex Thucydide, Ariſtophane, Euripide, Demoſthene, Euſtathio, Henricus Stephanus in Theſauro. Quæ forte ſignificatio quadrare poſſit cum verbis Lactantij, quòd tunc Roma impetu ſit ruitura : congruenter cum Apocalypſ. 18. 21. *Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, &c.*

In Pſeudo-Sibyllinis lib. 3. & lib. 8. dicitur Ρωμη ῥύμη eleganti paronomaſia, nec per ῥύμην aliud interpretes intelligunt, aut reddunt quam ruinam. Certum eſt ῥυμην eſſe vicum, quæ vox habetur Actor. 9. 11. *in vicum, qui vocatur rectus*. Atque ita interpretatur hunc locum Sibyllæ de Roma Palladius in Lauſiaca, cap. 118. *Adeò vt Roma diueretur, fieretque deſerta, &, vt ait Sibylla, ῥύμη hoc eſt, vicus, non Roma*. Sed ad inſtitutum redeat oratio.

S. Optatus Mileuitanus Epiſcopus lib. 3. contra Parmenianum, de eadem antiqua Eccleſiæ conſuetudine orandi pro Imperio Romano, propter moram finis, hæc ſcribit : *Sic enim docet Beatus Apoſtolus Paulus : Rogate pro Regibus & poteſtatibus, vt quietam & tranquillam vitam cum ipſis agamus. Non enim Reſpublica eſt in Eccleſia, ſed Eccleſia in Republica eſt, id eſt, in Imperio Romano. Quod Libanum appellat Chriſtus in Canticis Canticorum, cùm dicit: Veni Sponſa mea, veni de Libano, id eſt, de Imperio Romano*. Et paucis interiectis : *Meritò Paulus docet, orandum eſſe pro Regibus, & Poteſtatibus : etiam ſi talis eſſet Imperator, qui gentiliter viueret*. Hæc S. Optatus. In quem locum Franciſcus Balduinus hæc peritè annotat : *Fuerunt deinde in Eccleſia Chriſtiana ſolemnes preces pro Imperio Romano multis de cauſis. Primùm enim etſi primis ſæculis Imperium illud valdè aduerſarium & infeſtum eſſet Eccleſiæ, tamen eius Imperij amplitudinem prodeſſe ad propagationem Religionis Chriſtiani exiſtimabant, vt Ambroſius annotat in Pſalm. 46. & Euſebius ad finem libri 3. de Demonſtratione Euangelica, & Prudentius lib. 2. contra Symmachum. Deinde Chriſtiani veteres & locum Pauli ad Theſſalonicenſes de Apoſtaſia, ſic interpretabantur, & de Antichriſto ſit loqui ſolebant, vt profiterentur, Antichriſtum, qui Eccleſiam grauiùs percelleret, venturum non eſſe ante ruinam & diſſolutionem Romani Imperij : neque orbem prius eſſe perituru. Ergo Deum precari ſolebant pro Imperio Romano, in cuius incolumitate ſentiebant profterè à inclusam eſſe incolumitatem Eccleſiæ.*

S. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 15. *Inducet* diabolus *quendam magnum hominem, vſurpantem ſibi poteſtatem Romani Imperij. Veniet autem hic prædictus Antichriſtus, quum impleta fuerint tempora Imperij Romani, & mundi conſummatio appropinquabit.*

S. Hieronymus epiſtola 151. ad Algaſiam, quæſt. 11. elucidans locum Pauli 2. Theſſalon. 2. 3. *Ni venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, &c.* in hunc modum diſſerit : *Niſi, inquit, venerit diſceſſio primùm, quod Græcè dicitur Apoſtaſia, vt omnes gentes, quæ Imperio Romano ſubiacent, recedant ab eo : & reuelatus fuerit, id eſt, oſtenſus, quem omnium Prophetarum verba prænunciant, homo peccati, in quo fons omnium peccatorum eſt ; & filius perditionis, id eſt, diaboli : ipſe eſt enim vniuerſorum perditio : qui aduerſatur Chriſto, & ideò vocatur Antichriſtus, &c. Niſi, inquit, fuerit Romanum Imperium ante deſolatum, & Antichriſtus præceſſerit, Chriſtus non veniet : qui ideò ita venturus eſt, vt Antichriſtum deſtruat*. Et poſt pauca : *Et nunc quid detineat, ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore, hoc eſt, quæ cauſa ſit, vt Antichriſtus in præſentiarum non veniat, optimè noſtis. Nec vult apertè dicere, Romanum Imperium deſtruendum, quod ipſi qui imperant, æternum putant. Vnde ſecundum Apocalypſim Ioannis, in fronte purpuratæ Meretricis ſcriptum eſt nomen blaſphemiæ, id eſt*. ROMÆ ÆTERNÆ. *Si enim apertè, audaciérque dixiſſet. Non veniet Antichriſtus, niſi prius Romanum deleatur Imperium : iuſta cauſa perſecutionis in Orientem tunc Eccleſiam conſurgere videbatur*. Et mox explicans ſequentia Pauli verba : *Tantùm, vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat : & tunc reuelabitur ille iniquus*. Subdit : *Tantum vt Romanum Imperium, quod nunc vniuerſas gentes tenet, recedat, & de medio fiat : & tunc Antichriſtus veniet, fons iniquitatis.*

Et in Commentariis Ieremiæ 25. ad verſ. 26. enarrans verba illa Vatis : *Et rex Seſac bibet poſt eos*, annotat, Ieremiam inuerſo nomine Seſac, occultè intellexiſſe Babylonem, aitque : *Arbitrórque à Sancto Propheta prudenter fuiſſe celatum Babylonis nomen, ne apertè eorum contra ſe inſaniam commoueret, qui obſidebant Ieruſalem, & etiam iámque eius potituri erant. Quod & Apoſtolum contra Imperium Romanum feciſſe legimus, ſcribentem de Antichriſto 2. Theſſalonicenſ. 2. Et nunc quid detineat, ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore. Subauditur Antichriſtus. Tantum, qui tenet modò, teneat, donec de medio fiat : & tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet, &c. Eum qui tenet, Romanum Imperium oſtendit : niſi enim hoc deſtructum fuerit, ſublatúmque de medio, iuxta prophetiam Danielis 7. Antichriſtus ante non veniet. Quod ſi apertè dicere voluiſſet, ſtultè perſecutionis aduerſum Chriſtianos, & tunc naſcentem Eccleſiam, rabiem concitaſſet.*

Et in 7. Daniël. aduerſ. 8. interpretans verba illa Prophetæ, *Conſiderabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum : & tria de cornibus primis* (decem) *euulſa ſunt à facie eius*, inquit : Ergo *dicamus, quod omnes Scriptores Eccleſiaſtici tradiderunt : In conſummatione mundi, quando regnum deſtruendum eſt Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter ſe diuidant, & vndecimum ſurrecturum Regem paruulum, qui tres reges de decem regibus, ſuperaturus ſit : id eſt, Ægyptiorum regem, & Africæ, & Æthiopiæ : ſicut in ſequentibus manifeſtius dicemus. Quibus interfectis, etiam ſeptem alij reges victori* (Antichriſto) *colla ſubmittent*. Illud hîc obſeruabis, S. Hieronymum diſertè affirmare, hanc eſſe omnium Scriptorum Eccleſiaſticorum traditionem, nempe, deſtructo & diſſipato per decem Reges Romano Imperio prope finem mundi, ſtatim venturum Antichriſtum, nimirum illis decem Regibus rerum potientibus. Quis ergo tam egregio nixus teſte S. Hieronymo, non exiſtimabit, hanc eſſe communem Patrum ſententiam ? ac proinde veram, certam, inconcuſſam.

Vetuſtus auctor nomine S. Ambroſij, Commentariis in 2. Theſſalon. 2. exponens verba illa Pauli: *Quoniam niſi venerit defectio primum, & reuelatus fuerit homo iniquitatis, filius interitus, &c.* ait : *Tempus & ſigna aduentus Domini deſignauit : quia non priùs veniet dominus, quàm Regni Romani defectio fiat, & appareat Antichriſtus : qui interficiet Sanctos, reddita Romanis libertate, ſub ſuo tamen nomine*. Et inferius : *Et tunc quid detineat, ſcitis, &c. Hoc ſupereſſe dicit, vt reueletur ille qui ante Dominum venturus eſt, dicens : Niſi venerit defectio primùm, quam Regni Romani abolitionem ſuperiùs intelligendam*

dam memorauí: vt cùm defecerit, & venerit Antichriſtus, tunc aduentus Domini imminere credatur. Quamdiu ſteterit Regnum Romanorum, hoc eſt quod dicit, donec de medio fiat. Et poſt pauca: *Et tunc reuelabitur ille iniquus, &c. Poſt defectum Regni Romani, appariturum Antichriſtum dicit, ſicut memoratum eſt. Nouiſſimo enim tempore ſciens diabolus imminere ſibi interitum; deficiente autem Regno Romano, & ille de cælis mittetur deorſum, proiectus in terram: ſubornabit ſibi in quo, & per quem ſigna quædam virtutis, permiſſu iuſti Dei faciens, ſe commendet, vt adoretur, quaſi ſit Deus.*

S.Ioannes Chryſoſtomus homilia 4. in 2.Theſſalonicenſ. eadem verba Pauli declarans. *Et nunc quid detineat, ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore, &c.* in hunc modum ſcribit: *Meritò quæſierit quiſpiam, quid eſt illud, quod detinet: & poſtea velit diſcere, cur tam obſcurè hoc ponat Paulus. Quid eſt ergo quod detineat, vt reueletur ipſe* (Antichriſtus), *hoc eſt, quod prohibeat, ne reueletur? Alij quidem dicunt, gratiam Spiritus. Alij autem Romanum Imperium. Quibus ego maximè aſſentior. Quare? Quoniam ſi voluiſſet dicere Spiritum, non diciſſet obſcurè, ſed apertè, quòd nunc quoque eum* (Antichriſtum) *detineat gratia Spiritus. Alioquì autem oporteret eum iam adueniſſe, ſiquidem eſſet aduenturus, quum defeciſſent Chariſmata, ſeu dona gratuita: nam iam olim defecerunt. Quoniam autem hoc dicit de Romano Imperio, meritò etiam ænigmaticè & adumbratè eſt locutus. Neque enim volebat ſuperuacaneas ſuſcipere inimicitias, & inutilia pericula. Nam ſi diciſſet, futurum iam vt paulò poſt Romanum euerteretur Imperium: eum protinus tamquam exitioſum & peſtiferum hominem infodiſſent: & fideles omnes, vt qui ſub eo viuerent, & militarent.* Et poſt pauca: *Ita hîc quoque dicit: Tantùm vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat. Hoc eſt, quando Romanum Imperium de medio fuerit ſublatum, tunc ille* (Antichriſtus) *veniet. Et meritò. Quamdiu enim fuerit metus huius Imperij, nemo citò ſubiungetur. Quando autem hoc fuerit euerſum, vacans inuadet Imperium, hominúmque & Dei Imperium aggredietur rapere. Quomodo enim euerſa ſunt, quæ ante id fuerunt regna, vtpote Medorum à Babyloniis, Babyloniorum à Perſis, Perſarum à Macedonibus, Macedonum à Romanis: ita hoc quoque ab Antichriſto: & ille à Chriſto, & non amplius retinebit. Et hoc cum magna euidentia nobis tradit Daniel.*

S.Auguſtinus lib.20. de Ciuitate Dei, cap. 19. eundem Pauli locum verſans, inquit: *Tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus. Quidam putant hoc de imperio dictum fuiſſe Romano: & propterea Paulum Apoſtolum non id apertè ſcribere voluiſſe, ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano Imperio malè optauerit, cùm ſperaretur æternum.* Et paulò inferiùs: *Illud tamen quod ait Apoſtolus: Tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat, non abſurdè de ipſo Romano Imperio creditur dictum: tanquam dictum ſit: Tantum qui modo imperat, imperet, donec de medio fiat, id eſt, de medio tollatur. Et tunc reuelabitur iniquus: quem ſignificari Antichriſtum nullus ambigit.* Eadem ad verbum ex S. Auguſtino exſcripſerunt S. Beda, & Strabus in 2. Theſſalon. 2.

Auctor Commentariorum in omnes Pauli epiſtolas, qui inter opera S.Hieronymi circumfertur, & putatur eſſe Pelagius, in 2. Theſſalonicen.2. *Vt qui tenet nunc teneat donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus. Donec regnum, quod nunc tenet, de medio auferatur, priuſquam Antichriſtus reueletur.*

S.Proſper in Dimidio temporis, cap. 9. *Notandum ſanè poſt Beſtiam hæc omnia* (nempe de Antichriſto) *eſſe ventura: id eſt, ſublato regno in quo mulier ſedet ebria Sanctorum ſanguine: quæ nos credentes poſteris videnda relinquimus.* Significat ſublato regno Romano, venturum Antichriſtum.

Sedulius in 2. Theſſalon. 2. v. 3. *Quid detineat. Hoc eſt, quæ mora eſt, vt veniat. Vt reueletur, id eſt, Antichriſtus. Suo tempore, id eſt, apto tempore. Qui nunc. Rex Romanorum. Tenet. Regnum. Teneat. Regnum ſuum. Donec de medio fiat, hoc eſt, donec regnum quod nunc tenet, de medio auferatur, priuſquam Antichriſtus reueletur. Hoc de Imperio Romano dictum eſt: & propterea Paulum non id apertè ſcribere voluiſſe dicunt, ne calumniam incurreret, quòd Romano Imperio malè optauerit, cùm ſperaretur æternum.*

Primaſius in 2. Theſſalon. 2. v. 3. *Et nunc quid detineat, ſcitis. Aduentum Antichriſti. Vt reueletur in ſuo tempore. Idem Antichriſtus. Tantum, vt qui tenet nunc, ſcilicet, Imperium. Teneat, donec de medio fiat. Regnum Romanorum de medio prius auferatur, quàm Antichriſtus reueletur.*

Theophylactus in 2. Theſſalonicenſ. 2. *Et nunc quid detineat, ſcitis, vt reueletur ipſe ſuo tempore. Quod detinet, eſt quod prohibet, quod impedit. Quid verò hoc eſt? Nonnulli Spiritus gratiam dicunt; alij Romanum Imperium intelligunt: quibus & Diuus Ioannes Chryſoſtomus aſſentitur: Niſi enim iſtud diſſolutum fuerit, non habebit Aduerſarius aditum, vt faciat quæ velit. Propterea tectè etiam & opacè dixit Paulus: neque enim vanas inimicitias recipere volebat, ſtultáque pericula. Si enim diciſſet, paulò pòſt Romanum Imperium diſſoluendum, ſtatim eum defodiſſent tanquam impoſtorem, atióſque fideles cum ipſo tanquam qui ſuper tanti Imperij demolitione lætarentur. Porrò quòd de Sancti Spiritus gratia hîc non loquatur, planum eſt. Primum enim non diciſſet obſcurè, ſed manifeſtè: nimirum, quòd non ipſum* (Antichriſtum) *detineat Spiritus gratia, hoc eſt, chariſmata ſeu dona. Deinde ſi chariſmatibus deficientibus, oportuit ipſum* (Antichriſtum) *venire, debuit ipſe iam apparere: nam iam olim chariſmata deſierunt. Animaduerte autem quòd non dixerit, celeriter eum adfore: ſed vt reueletur ipſe ſuo tempore. Rurſus autem tempus incertum relinquet.* Et paucis interiectis.

Tantùm vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus. Hoc eſt, Romanum Imperium quando ſublatum fuerit è medio, tum ille veniet: quamdiu enim huius Imperij timor fuerit, non facilè quiſquam ſubiicietur. Eo verò diſſoluto, vacuo inſidiabitur Imperio, eique inſtabit, conabitúrque cùm hominum, tum Dei Imperium rapere. Nam perinde ac alia, ante Romanum hoc, Imperia diſſoluta ſunt, veluti Medorum à Babyloniis, Babyloniorum verò à Perſis, Perſarum à Macedonibus, Macedonum à Romanis: hunc ad modum Romanum ab Antichriſto: is verò rurſum à Chriſto. Atque hæc multa cum perſpicuitate Danielis nobis proponit. Et cum alias loci obſcuri inſeruiſſet explanationes, tandem ſubdit: *Tu verò Diui Ioannis Chryſoſtomi enarrationem vt veriorem recipe.*

Oecumenius in 2. Theſſalon. 2. *Et nunc quid detineat ſcitis. Detinere dicit, quod prohibet, vel impedimento eſt. Quidnam autem eſt illud? Multi Spiritum Sanctum dicunt: alij verò Romanum Imperium: qui etiam melius ſentiunt: niſi enim hoc ſoluatur, ille* (Antichriſtus) *non veniet. Nam ob id quoque adeò obtectè loquutus eſt beatus Paulus, nolens importunos ac ſuperfluos accipere inimicos inter Romanos. Si enim audiſſent, quod diſſoluendum diceret*

Impe

Imperium Romanorum, & ipsum affixissent, & vniuersos credentes, tanquam eos qui expectarent illam dissolutionem. Nam si hic non apparuerit, non manifestabitur Christus: ergo ex eo quod statim cupiant manifestari Christum, volunt etiam statim fieri dissolutionem Principatus Romanorum. Si autem de Spiritu Sancto intelligeret, quid prohiberet, quominus apertè diceret, Gratia Spiritus ipsum (Antichristum) *detinet, ne manifestetur?* Et infeliùs: *Solum est qui modò retinet. Thronus videlicet, & regnum Romanorum, quod nunc impedimento est, donec cesset, sinméque accipiat. Tunc reuelabitur iniquus ille, hoc est, Antichristus. Vbi enim Imperium Romanorum fuerit dissoluum, tunc Antichristus rebellione irruet, ac obtinere conabitur, non hominum solum, verùm etiam Dei Imperium. Romanorum autem Imperium ipse Antichristus perfectè abolebit. Quemadmodum enim Medorum Imperium à Babyloniis dissolutum est, & Babyloniorum à Persis, Persarum quoque à Macedonibus, & Macedonum à Romanis; ita & Romanorum ab Antichristo: & Antichristus à Domino nostro. Hæc autem ait Daniel.*

Haimo in 2. Thessalon. 2. *Et nunc quid detineat scitis. Quod nihil melius intelligitur voluisse significare, quam destructionem regni Romanorum, de qua obscurè hic loquutus est, ne fortè aliquis Romanorum legeret hanc Epistolam, & excitaret contra se aliósque Christianos persecutionem illorum, qui se putabant semper regnaturos in toto mundo. Vos scitis, inquit, qui detineat illum Antichristum, & quid moretur illum: quia necdum destructum est regnum Romanorum: nec recesserunt omnes gentes ab illis. Vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Id est, hoc solummodo restat, vt Nero qui nunc tenet Imperium totius orbis tamdiu teneat illud, donec de medio mundi tollatur potestas Romanorum. In Nerone comprehendit omnes Imperatores Romanos qui post illum Imperij sceptra tenuerunt.*

Strabus Monachus in 2. Thessalon. 2. *Nisi venerit discessio primùm. Occultè loquitur de destructione Impery Romani, ne irritaret eos ad persecutionem Ecclesiæ. Et nunc quid detineat, scitis. Quidam suspicantur de Romano Imperio dictum fuisse, Donec tollatur, vel de medio fiat. Et ideo Apostolum non id apertè scribere voluisse, ne calumniam scilicet incurreret, quòd Romano Imperio malè optauerit, cùm speraretur aternum.* Et infrà: *Vt reueletur suo tempore. Completa accessione ad Romanum Imperium, aderit discessio ab Imperio: qua impleta, aderit ille iniquus.* Et posteà: *Donec de medio fiat. Id est, tollatur illa potestas Romani Imperij de medio mundi: quia omnes vndique Romam quasi ad caput confluebant.*

Anselmus Laudunensis in 2. Thessalonicens. 2. *Nisi venerit discessio primùm. Non instat dies Domini, nisi priùs gentes à Romano discedant Imperio. Non quod statim post.* Et postea: *Tantum qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat. Hoc restat, vt qui nunc imperat Romanum Imperium, de medio tollatur.*

Rupertus lib. 13. de Victoria Verbi Dei, cap. 12. *Et quantum differtur* (Antichristus) *vel quod signum temporis eius? Tantùm, ait, vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Quum Apostolus Thessalonicensibus, quis tenebat, & quid tenebat? Nimirum Romanus Rex siue Cæsar orbis Imperium tenebat. Non dicit de vnius persona hominis, Verbi gratia Neronis: sed de cunctis Regibus Romani Imperij: qui quamuis plures numero, vnus tamen fuit Imperio. Hic sensus non solùm ratione, verùm etiam constat auctoritate.* Et cap. 13. *Itaque & Sapientibus satis dictum, Tantùm vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, & insipientibus data occasio non est, quam nancisci potuissent, si ita manifestius dixisset: Roma quæ nunc tenet, siue Romanum Imperium, quod nunc tenet sub se gentes, teneat, donec de medio fiat, siue donec discessio fiat. Superbia namque hominum Romam volebat esse Vrbem æternam, & æternum Romanorum Imperium: ac proinde nusquam ferè religiosius quis impatientius audiret blasphemiam in Deum, quàm Romani Principes siue milites finem Romani Imperij per Christi prædicari Euangelium. Satis, nimiúmque offenderunt eos Euangelij prædicatores, etiam nemini dantes vllam offensionem: quanto magis si iam publicè discessionem illam futuram prædicarent?*

S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus in 2. Thessalonicens. 2. *Nisi venerit discessio primùm. Vt omnes gentes quæ Romano Imperio subiacent, discedant ab eo. Nisi ita fuerit Romanum Imperium anteà desolatum, & Antichristus ita manifestus præcesserit, Christus non veniet: qui ideò venturus est, vt Antichristum destruat. Et nunc quid detineat scitis. Id est, quæ causa sit, qnòd Antichristus modo non veniat, optimè nostis. De Romano tamen Imperio intelligitur: qui & ideò videtur apertè noluisse dicere illud esse destruendum, quod ipsi qui imperabant, æternum putabant: ne eos in odium Christiani nominis excitaret. Si enim apertè, & audacter dixisset, Non veniet Antichristus, nisi priùs Romanum deleatur Imperium, iusta causa perditionis aduersus nascentem tunc Ecclesiam consurgere videretur. Velauit ergo quadam obscuritate quod dicebat, ne Romanos incitaret ad persecutionem Ecclesiæ, vel impediret à suscipienda fide. Priùs facienda erit discessio, vt gentes discedant à Romano Imperio, sicut iam factum cernimus. Tantùm hoc restat, vt qui nunc imperat, imperet, donec de medio fiat, tollatur. Tantùm vt Romanum Imperium, quod nunc ferè vniuersas gentes tenet, teneat eas, donec de medio fiat, id est, donec illa potestas auferatur de medio mundi: quia omnes vndique Romam confluebant veluti ad caput. Vel de medio fiat: id est, de communi tollatur illa potestas. De medio enim fieri, est de communi hominum aspectu auferri. Et tunc reuelabitur ille iniquus quem significari Antichristum nullus ambigit.* Hæc S. Anselmus, seu si quis alius est auctor.

Atqui Romanum Imperium priùs destruendum & abolendum, quàm veniat Antichristus: atque eo Imperio euerso, mox venturum Antichristum, posteriores ferè omnes summo consensu docuerunt, Otho Frisingensis lib. 8. Chronici, cap. 2. Engelbertus Abbas Admontensis lib. de Ortu & fine Romani Imperij, cap. 8. Augustinus Triumphus de Potestate Ecclesiæ quæst. 23. articulo 4. Hugo Etherianus lib. de Regressu Animarum ab inferis, cap. 23. S. Thomas, Lyranus, Erasmus, Caietanus, Isidorus Clarius, Arboreus, Guillaudus, Titelmanus, Treius, Zaggerus, Scainus, Sà, Iustinianus, Cornelius à Lapide, omnes isti in 2. Thessalonicens. 2. Item Compendium Theologiæ lib. 7. cap. 7. Beatus Rhenanus in Annotationibus ad librum Tertulliani ad Scapulam, Dominicus Sotus 4. Sentent. Distinct. 46. quæst. 1. art. 2. Franciscus Sonnius lib. 2. Demonstrationum Christianæ Religionis, Tractatu 6. cap. 9. Ioannes Driedo lib. 3. de Ecclesiasticis Scripturis, cap. 5. Parte 2. Franciscus Zephyrus in Paraphrasi Apologetici Tertulliani, cap. 32. Franciscus Balduinus in Annotationibus ad lib. 3. S. Optati aduersus Parmenianum, Martinus Cantapetrensis lib. 3. Hypotyposeon, cap. 2. Nicolaus Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 15. Iacobus Pamelius in

Notis ad librum Tertulliani de Resurrectione Carnis, cap. 14. & ad Scapulam, cap. 2. Rob. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontifice, cap. 2. 5. Franciscus Ribera in 17. Apocalypsis, num. 16. Gregorius de Valentia tomo 4. disputatione 11. quæst. 2. puncto 2. §. 3. Benedictus Pererius lib. 14. in Danielem, Iosephus Acosta lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 2. & 9. Blasius Viegas in 13. Apocalyps. Commentario 2. sectione 10. & 17. Martinus Bacanus de Antichristo Reformato lib. 2. cap. 1. Leonardus Lessius disputatione de Antichristo, demonstratione 14. Florimundus Remundus lib. de Antichristo, cap. 9. Ieremias Ferrerius lib. de Antichristo, cap. 22. Henricus Henriquez de Fine hominis, cap. 22. §. 2.

Rabanum Maurum Archiepiscopum Moguntinum consultò distulimus, propter singularem sententiam, quam habet in Opusculo de Antichristo, his verbis: *Tempus quidem quando Antichristus veniat, vel quando dies Iudicij apparere incipiat, Paulus in Epistola ad Thessalonicenses, dicens: Rogamus vos per aduentum Domini nostri Iesu Christi, manifestat eo loco vbi ait: Quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c. Scimus enim quoniam post regnum Græcorum, siue etiam post regnum Persarum, ex quibus vnum quodque suo tempore magna gloria viguit, & maxima potentia floruit: ad vltimum quoque post cetera regna, regnum Romanorum cœpit, quod fortissimum omnium regnorum superiorum fuit, & omnia regna terrarum sub dominatione sua habuit, omnésque populorum nationes Romanis subiacuerunt, & eis sub tributo seruierunt. Inde ergò dicit Apostolus Paulus, Antichristum non anteà in mundum esse venturum, nisi venerit primùm discessio: hoc est, nisi discesserint omnia regna à Romano Imperio, qua priùs subdita erant. Hoc autem tempus nondum aduenit: quia licèt videamus Romanum Imperium ex maxima parte destructum: tamen quamdiu Reges Francorum durauerint, qui Romanum Imperium tenere debent, Romani dignitas ex toto non peribit, quia in Regibus suis stabit. Quidam verò Doctores nostri dicunt, quod vnus ex Regibus Francorum Romanum Imperium ex integro tenebit, qui in nouissimo tempore erit, & ipse erit maximus, & omnium Regum vltimus. Qui postquam regnum suum feliciter gubernauerit, ad vltimum Ierosolymam veniet, & in monte Olineti sceptrum & coronam suam deponet. Hic erit finis & consummatio Romanorum, Christianorúmque Imperij. Statímque secundum prædictam sententiam Apostoli Pauli, Antichristum dicunt futurum.*

Equidem Rabanus cordatè & eruditè, aliísque Patribus consentaneè, signum aduenientis Antichristi constituit ex vaticinio Pauli, Romani Imperij euersionem. At illud quod ex quorundam Doctorum sententia addit de vltimo Rege Francorum Imperium Romanum in monte Olineti deposituro, refertur quoque à Matthæo Vvestmonasterienſi in Floribus temporum in IV. Ætate mundi, cap. 15. Idem etiam habetur in breui quodam libello de Sibyllarum oraculis, Venerabili Bedæ adscripto, quem ex veteribus membranis C. V. Ioannis Nicotij, inter reliqua Sibyllina edidit Ioannes Obsopæus Brettanus: qui etiam excusus extat ad finem Tomi 2. Operum S. Bedæ, recentioris editionis Colonienſis, anni 1612. integrúmque inseruit suo Chronico Gotfridus Viterbienſis parte 10. in fine, & parte 11. in Versibus de Gog & Magog. In Fragmentis quoque Methodij, quæ circumferuntur, eiusmodi aliquid reperitur: de quibus diximus lib. 1. c. 1. Verùm id incertum & apocryphum, nullóque pacto cum iis quæ de extinctione Imperij Romani, ex sacris litteris & Patribus toto hoc libro demonstramus, nimis est perspicuum, conuenire.

Elucidatur locus insignis Pauli 2. Thessalonicens. 2. v. 6. Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore: tantùm vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille Iniquus, *&c.*

CAP. XIX.

NVlli dubium esse potest Veterum Patrum & Recentiorum consensum de abolitione Imperij Romani ante aduentum Antichristi, quem præcedenti capite descripsimus, potissimùm haustum ex hisce verbis Pauli: quæ nunc nobis accuratè sunt explicanda. Ante omnia compertissimum apud omnes esse constat, Paulum hîc de Antichristo locutum. S. Augustinus 20. de Ciuit. Dei, cap. 19. *Nulli dubium est, eum de Antichristo ita dixisse.*

Quid detineat. Græcè tantum est vna dictio κατέχων. Theophylactus, & Oecumenius: *Id est, Detinens, prohibens, impediens.* Montanus: *Et nunc obstaculum scitis.* Potest exponi *remorans*, in qua significatione non semel vtitur eo verbo Thucydides, vt annotauit Henricus Stephanus in Thesauro. S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 19. *Et nunc quid detineat scitis, ideſt, quid sit in mora, quæ causa sit dilationis eius.* Sedulius: *Quid detineat, hoc est, quæ mora est, vt veniat.* Eodem modo omnes alij. *Vt reueletur in suo tempore.* Græcè, *ad reuelari eum in suo ipsius tempore.* Tertullianus lib. de Resurrectione Carnis, cap. 24. *Ad reuelandum eum in suo tempore.* Ambrosiaster: *vt reueletur ille in suo tempore.* Atqui duplex sensus horum verborum concipi potest. Primus, vt pronomen *Is*, vel, *ipse*, seu *ille*, quod etiam in Vulgato est subaudiendum, referat diem Domini, id est, diem extremi Iudicij, de quo initio capitis Paulus locutus fuerat, dicens: *quasi instet dies Domini.* Ac si dicat: Et nunc quid remoretur diem Domini scitis, vt reueletur vel aduenìat ipse dies Domini suo tempore. Paulò aliter Vatablus & Erasmus interpretantur: *Et nunc quid detineat illum diem scitis*, nempe vt ille Antichristus reueletur. Hoc est, interim remoratur diem Iudicij, quòd primùm oportet reuelari ipsum Antichristum. Secundus sensus est, vt pronomen *ipse*, Antichristum respiciat: id est, Scitis quid obstet, quo minus veniat & appareat ipse Antichristus. Et hic sensus proculdubio legitimus & genuinus est: nam illud, *vt reueletur ipse in suo tempore*, respondet ei, quod v. 3. dixerat, *& reuelatus fuerit homo peccati*, & ei quod vers. 8. subdit: *Et tunc reuelabitur ille iniquus.* De reuelatione igitur Antichristi capiendum illud: *vt reueletur ipse in suo tempore.* S. Hieronymus epist. 151. ad Algasiam, quæstione 11. manifestè expressit: *Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore. Hoc est, quæ causa sit, vt Antichristus in præsentiarum non veniat, optime nostis.* Eandem interpretationem amplectuntur S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Sedulius, Primasius, Ambrosiaster, & vno verbo, omnes.

Scitis. Facilè intelligitur, Paulum Thessalonicenſi

censibus coram,& in præsentia viuo verbo perspicuè declarasse atque exposuisse, quid illud esset, quod detineret, ac remoraretur aduentum Antichristi: nam anteà dixit: *Non retinetis*(S.Augustinus,*Non retinetis in memoria*. Tertullianus,& Ambrosiaster,& Græce, *Non meministis*) *quòd cùm adhuc essem apud vos,hæc dicebam vobis?* Et immediatè subdit: *Et nunc quid detineat scitis,&c.* Ceterùm in scripta ad eosdem Epistola,quæ in aliorum manus deuentura esset,causam illam moræ & dilationis Antichristi, obscurè & ænigmate tectis verbis voluisse potiùs ab illis intelligi, quàm aliis palàm & apertè manifestare, prophetico nimirùm more, ne arcana tanti momenti vulgò promiscuè panderentur: tum ob alias magnas causas, vt posteà dicemus. Quocirca prudenter S. Augustinus: *Quoniam scire illos dixit, apertè hoc dicere noluit. Et ideò nos qui nescimus quod illi sciebant, peruenire cum labore ad id quod sensit Apostolus,cupimus,nec valemus.*

Tantùm, vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus. Locus obscurissimus.S.Augustinus: *Ego prorsus quid dixerit,fateor me ignorare:suspiciones tamen hominũ,quas vel audire, vel legere de hac re potui,non tacebo.* Eas nos,& alias aliorum interpretationes breuiter percensebimus.

Primò,Tantum vt qui nunc tenet fidem Catholicam,firmiter teneat,tenaciter perseueret in ea retinenda, donec de medio fiat, hoc est, donec exeat de Ecclesia mysterium iniquitatis, quod nunc occultum est: nimirùm donec mali,ficti,impij,hæretici perueniant ad tantum numerum qui Antichristo magnum populum faciant:seu,donec compleatur numerus defectorum ab Ecclesia, siue populi Antichristiani: & in apertum se prodat magna illa & suprema defectio populorum & regnorum ab Ecclesia, quæ inductura est Antichristum, vel potiùs per Antichristum inducenda: certè consummanda.Ita S.Augustinus,S Beda,Anselmus Laudunensis,S.Anselmus,S.Thomas,Lyranus, Gagnieus, Iustinianus,Estius.

Secundò,Theodoretus duas adhibet explanationes his verbis: *Existimo verum esse quod ab aliis dictum est: Statuit enim vniuersorum Deus, vt appareret* (Antichristus) *in ipso tempore consummationis. Dei:ergo decretum nunc prohibet quominus appareat. Existimo autem etiam aliam habere intelligentiam id quod dicitur.Cùm enim didicisset diuinus Apostolus dixisse Dominum, oportere Euangelium prædicari in omnibus gentibus,& tunc finem futurum:videret autem adhuc vigere cultum idolorum: dixit sequens doctrinam Domini,fore vt prius euertatur superstitio, & impius dæmonum cultus, & vbique fulgeat diuina prædicatio; & tunc appareat veritatis aduersarius.* Ergo illud,*qui tenet nunc*,bifariam interpretatur, vel diuinum decretum, quod detinet aduentum Antichristi, donec suo tempore compleatur. Vel Idololatriam, quæ tum vigebat, & obtinebat, quam priùs oportet tolli de mundo, antequam veniat Antichristus.

Tertiò,Nonnulli illud,*qui tenet nunc*,intelligunt Charismata seu gratias,aut dona Spiritus sãcti, quæ tum vigebant in Ecclesia,quæ primùm cessare debent, & extingui ante aduentum Antichristi. Sed hanc interpretationem perspicuè reiiciunt, & refellunt, S.Chrysostomus,Theodoretus, Theophylactus,Oecumenius. Quos tu adito.

Quartò, Franciscus Ribera in 17. Apocalypsis, num.6.singularem huius loci excogitauit explanationem. Confert enim hoc Pauli vaticinium cum altero Apocalyp.17.10. *Quinque ceciderunt,vnus est, & alius nondum venit.* Vbi ipse per *Quinque qui ceciderunt*, intelligit Reges,vel Regna quinque ætatum mundi,quę iam præterierunt.Per *vnum qui est*, accipit Regnum sextæ ætatis mundi,hoc est,Imperium Romanum, & quoduis aliud quod in hac sexta mundi ætate Ecclesiam premit.Denique,*alium qui non venit*, interpretatur Antichristum. Atque hinc exponi posse existimat locum hunc Pauli, in hunc modum: Quasi velit dicere Apostolus. Hoc detinet aduentum Antichristi, quòd priùs oportet finiri Imperium eius qui nunc tenet,id est,Regnum huius sextę ætatis,nimirũ de quo Ioãnes ait,*vnus est.*

Quintò, S.Anselmus, vel si quis alius est auctor: *Romanus Pontifex, qui tenet nunc Ecclesias, teneat illas, donec de medio fiat: id est, donec ab ipsa Romana Ecclesia, quæ est medium & cor Ecclesiarum,fiat iniquitas,ob quam ab ea multæ discedant Ecclesiæ. Variis modis intelliguntur hæc Apostoli obscura verba.*

Sextò,paulò aliter Dominicus Sotus in 4. Sententiarum, distinct.46. quæstione 1. articulo 2. in hunc modum: Qui tenet nunc Romanum Imperium temporale,& tenebit spirituale, teneat illud spirituale & Ecclesiasticum, quousque in fine mundi ab eo tollatur. Et tunc reuelabitur ille iniquus. Verùm interpretatio hæc indiget explanatione: non enim Imperium Ecclesiasticum penitus extinguendum est antequàm veniat Antichristus, cùm Ecclesia, durante mundo, deficere non possit: sed quod propè tempora Antichristi magna defectio futura sit ab Ecclesia,quæ viam parabit Antichristo. Quo sensu hæc verba Pauli etiam Strabus accepit,cùm ait: *Completa accessione ad Romanum Imperium, & ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam: aderit discessio ab vtroque Imperio: qua impleta, aderit ille iniquus.* Otho Frisingensis lib.8. Chronici, cap.2. *Alij verò eadem verba Pauli, tantum qui tenet nunc, teneat,&c.eodem quo de regno Romano diximus sensu, de Sacerdotio & Romana Sede interpretantur.*Nec ab his multùm abludit expositio S.Anselmi, quam paulò antè retulimus: nec Lyrani, qui habet: *Sed mihi melius videtur exponi de discessione à fide Ecclesiæ Romanæ. Tantum, supple, restat: vt qui tenet nunc fidem Catholicam, teneat eam firmiter,donec de medio fiat,id est,donec fiat defectio ab Ecclesia Romana.* Vide quæ vltimo capite huius libri dicturi sumus. Atque hæ sunt minus celebres huius loci expositiones, de quibus vide etiam Isidorum Clarium in 2. Thessalon. 2. Vnde meritò dixit S.Augustinus: *Alius ergo sic, alius autem sic Apostoli obscura verba coniectant.*

Verùm illa omnium probatissima ac receptissima laudatur meritò huius oraculi Pauli explanatio: Diuinum Apostolum his verbis tectè,& opacè innuisse,illud quod Antichristum ne veniat,detinet, ac remoratur, esse ipsum Imperium Romanum,quod finiri priùs oportet, quàm veniat Antichristus: nam stante Imperio non veniet Antichristus.Sublato verò Imperio Romano,statim veniet ille iniquus. Hanc interpretationem docuerunt & probauerunt disertè,Tertullianus,S. Hieronymus,Ambrosiaster,S.Chrysostomus,S.Augustinus,Sedulius,Primasius,S.Beda,Theophylactus, Oecumenius, Strabus Monachus, Rabanus, Haimo,Anselmus Laudunensis,Rupertus,S.Anselmus, Otho Frisingensis, S.Thomas, Lyranus,Erasmus, Caietanus,Arboreus Guillaudus,Titelmanus,Treiius,Zaggerus,Sà,Scainus, Iustinianus, Cornelius à Lapide,Zephyrus,Balduinus, Sanderus, Pamelius, Bellarminus, Gregorius Valentia, Acosta, Viegas, Becanus,Lessius, Florimundus Remundus, Ferre-

rius. Vti ſuperiori capite fusè demonſtrauimus.

Franciſcus Suarez tomo 2.in 3. partem, diſputatione 56. ſectione 2. hanc interpretationem incertam eſſe contendit. Primò, quia S. Auguſtinus Suſpicionem vocat. Secundò, quia Theodoretus apertè eam réiicit. Tertiò, quia multi Patres tradunt adhuc ſtante Romano Imperio, venturum Antichriſtum, qui penitus delebit Romanum Imperium: non ergò ſublato Imperio veniet. At non magnum pondus iſtæ rationes habent. Auguſtinus quidem ita modeſtè in re adhuc ventura locutus eſt: cùm tamen ipſe eam de Imperio Romano expoſitionẽ probet. Theodoretũ ſolum ego nõ oppoſuerim tot ac tantis Patribus. De tertia ratione dicemus abundè c. 21. Illud extra controuerſiã ſit, eam explanationem plures & grauiores auctores habere, quàm alias: & ceteris ſine dubio præferendam.

Guilielmus Eſtius in 2. Theſſalon. 2. eandem intelligentiam conuellere conatus eſt. Primò, quia iam diu extinctum eſt Romanum Imperium: nec tamen venit Antichriſtus. Secundò, Quia Eccleſia non pendet ab Imperio Romano, vt eo proinde extincto, ingruat tanta vis Eccleſiæ. Tertiò, Quia durum, & inſolens videatur exponere, *de medio fieri*, pro, de medio tolli, perdi, aboleri, cùm ea phraſis nullibi alibi in Scriptura reperiatur. Sed ſunt hæ rationes multò imbecilliores illis Suaris. Primò, falſiſſimum eſt Imperium Romanum funditus iam periiſſe. Vti cap. 16. 17. abundè monſtrabamus, & adhuc inferiùs magis oſtendemus. Secundò. Non pendet ab Imperio Romano Eccleſia: ſed illud propoſuit Deus ſignum venturi Antichriſti. Tertium facilè in enodatione verborum Pauli diſpellemus: quæ proindè preſſiùs excutiamus.

Tantum vt qui tenet nunc, teneat. Græca non habent duas illas particulas, *vt*, &, *teneat*: Sed ita ad verbum: *ſolum tenens nunc.* κατέχων eſt eadem omninò dictio quæ ſuperius, *quid detineat.* Quam diximus variè exponi, Detinens, prohibens, impediens, remorans, obſtans, ſeu obſtaculum: vt totus locus verti poſſit: *Et nunc obſtans, (obſtaculum) ſcitis: ſolum obſtans, (obſtaculum) nunc, donec de, &c.* Vel, *Et nunc detinens (remorans) ſcitis: tantum detinens, (remorans) nunc, donec de, &c.* quaſi dicat: ſcitis id quod detinet, obſtat, remoratur aduentum Antichriſti: nempè Imperium Romanũ: quod quidẽ Imperium ſolùm detinet, obſtat, remoratur nunc aduentum Antichriſti, donec de medio tollatur ipſum Imperium. Non eſt aliud obſtaculum nũc venturo Antichriſto, niſi Romanũ Imperium, donec auferatur è mundo. Ita perſpicuè Oecumenius. Vide Eſtium.

Verùm vocem κατέχων, hîc ſimpliciter capiunt pro, tenens, obtinens, occupans, retinens: hoc ſenſu: *Et nunc quid detineat* aduentum Antichriſti, *ſcitis*: nempe id ſolum detinet, ſcilicet, *tenens nunc.* hoc eſt, Imperium ipſum Romanum, quod tenet hoc tempore, quod viget, quod obtinet, quod rerum potitur, quod rerum nunc tenet ac moderatur habenas. Ita exponunt Tertullianus S. Hieronymus S. Auguſtinus, Sedulius, Primaſius, Anſelmus Laudunenſis, Rupertus, S. Anſelmus. Et recentiores fere omnes Pauli interpretes quos paulò ſuperiùs laudabamus. Qui ſenſus proculdubio præferendus eſt, quòd magis cum vulgato congruat. Qui rectè duas voces ſuppleuit ad maiorem ſententiæ & lucem & vim: quamuis eæ non ſint omnino neceſſariæ.

Donec de medio fiat. Eſtius: *Phraſis, de medio fieri, pro eo quod eſt, è medio tolli, perdi, aboleri, nuſquam alibi reperitur. Sed Hebræis è medio, ſignificat ſeparationem alicuius, aut aliquorum ab aliis. Matth. 13. Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum. Et 2. Corinth. 6. Exite de medio eorum, & ſeparamini. Nam & illud quod dicitur 2. Corinth. 5. vt tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit, non interitum, ſed ſeparationem ſignificat.*

At ferè omnes hîc, *de medio fiat.* interpretantur, tollatur, aboleatur, perdatur de medio, penitus extinguatur: S. Hieronymus, S. Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, Theophylactus, Oecumenius, Strabus, S. Anſelmus: Eraſmus, Vatablus, Caietanus, Clarius, Arboreus, Guillaudus, Zaggerus, Sà, Iuſtinianus, Cornelius à Lapide: & alij qui locum hunc de Imperio Romano ſunt interpretati. Nec eſt dubium, *tolli de medio*, in Scripturis reperiri pro, penitus aboleri, perdi, deſtrui. Coloſſ. 2. 14. *delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti: & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci*, tulit de medio, id eſt, aboleuit, vt omnes, & ipſe etiam Eſtius verè exponunt.

Et tũc reuelabitur ille Iniquus. S. Auguſtinus 20. de Ciuit. Dei, c. 19. *Quem ſignificari Antichriſtum nullus ambigit.* Et ſanè conſenſus Patrum & recentiorum omnium, Iniquum hîc intelligi Antichriſtũ perſpicuè docet. *Et tunc*, id eſt, vt primũ ſublatum, & finitum fuerit Imperium Romanum, *reuelabitur*, manifeſtabitur, apparebit, ſe prodet in apertum, veniet palàm Antichriſtus. Nam ſi obſtaculũ aduẽtus Antichriſti eſt ſtatus Imperij Romani, qui ipſum Antichriſtũ detinet, ac remoratur, ſeu prohibet, ne adueniat: ſublato ac remoto hoc impedimẽto, nẽpe exciſo & extincto Imperio: iam iã veniet Antichriſtus.

Monemus tamen, quod ait Paulus, Tantùm, vel ſolùm hoc remorari aduentum Antichriſti, ſcilicet, quod priùs Romanum Imperium oporteat tolli de mundo: cùm tamen præter iſtud, aliud detineat aduentum Antichriſti, nempe, quòd debeat priùs etiam prædicari Euangelium in vniuerſo mundo: de quo ſigno toto lib. 4. fusè diſſeruimus: id voluiſſe Apoſtolum, Romani Imperij extinctionem eſſe ſignum magis proximum aduentus Antichriſti: quo completo, nihil aliud reſtat, quàm vt veniat Antichriſtus. Caietanus illud. Tantum, vel ſolùm ſuperioribus nectit, *Nam myſterium iam operatur iniquitatis tantum, tenens nunc*, ideſt, qui nunc rerum potitur Nero vel Imperium Romanum, non verè, ſed myſticè tantùm eſt Antichriſtus. Vel aliter, Hoc ſolummodo agit, vt myſterium iniquitatis peragat: nec aliud operatur niſi myſterium iniquitatis, & munus Antichriſti: Qua ratione exponit Alcaſar: manifeſtè contra interpunctionẽ Græcam, & Latinam vulgati, & contra omnes Interpretes.

Verùm prætermittere non poſſumus mirabilem Alcaſaris in 14. Apocalyp. notatione 2. huius Paulini oraculi explanationem: ſic enim exponit: Romanum Imperium quod nunc tenet & rerum potitur, quatenus ethnicum eſt & Euangelio aduerſarium, tantùm hoc nunc operatur, ſolummodo hoc agit, nempe myſterium iniquitatis: ideſt, non verus eſt Antichriſtus, ſed myſticus: hoc ſolummodo agit, vel nihil aliud agit, quàm vt ſit Antichriſti typus: tantum munus Antichriſti exercet, vice & officio eius fungitur: non verum Antichriſtum agit, ſed tantum myſterium Antichriſti agit, & eius iniquitatem typicè repræſentat. *Donec de medio fiat.* Id eſt, donec deſinat eſſe ethnicum, & Chriſto aduerſarium, nempe donec conuertatur ad Chriſtum, & Chriſti fidem ac religionem ſuſcipiat, & donec de illo triumphet Eccleſia, ſubiiciendo illud ſibi per fidem. *Et tunc reuelabitur ille Iniquus.* Illud, *tunc*, non refertur ad illud, *donec de medio fiat.* Quaſi conuerſo Romano Imperio ad Chriſti fidẽ, ſtatim vẽturus ſit Antichriſtus: ſed pertinet ad illud, vt reueletur in ſuo tempore, hoc eſt, Et *tunc* id eſt, *ſuo tempore*, à Deo prædi

prædefinito:quod quando futurum sit, Paulus hîc non declarat : veniet Antichristus. Hæc Alcasar.

Sed præterquam quod hæc interpretatio penitus euertit receptissimam & probatissimam verborum Pauli intelligentiam de vera & reali , atque materiali Romani Imperij euersione ante aduentum Antichristi,tot Patrum & recentiorum auctoritate firmatam : planissimè dixerim , hoc non est sacras Scripturas ritè , vt oportet , exponere : sed ludere, seu potius nugari figuris confictis , & inanibus allegoriis in rebus adeò seriis.Quis vnquam à conscripta Paulina Epistola eiusmodi explanationem commentus est ? Vni nimirum Alcasari reconditum id mysterium enucleandum diuinum consilium asseruabat : scilicet , vt omnibus retro sæculis nullus Interpretum videret,quod huic vni nunc recèns illuxerit. Rogo te prudens & erudite lector nonne satius,& tutius habebis,tot,tantisque Paulinis expositoribus inhærere , quàm nouum vnius,à se primùm excogitatum commentum amplecti? Magna profectò in Scripturis sequetur rerum omnium confusio ac perturbatio , si passim eiusmodi figuris,& allegoriis loca distrahantur.Et quale illud est , *Et tunc reuelabitur ille iniquus ?* id est,suo tempore ? Magna scilicet intererat doceri à Paulo Thessalonicenses Antichristum venturum tempore præordinato à Deo. Cùm id nec pueros lateret,postquam scirent venturum Antichristum.

Sed vide confidentiam. Addit Alcasar: *Non ait Paulus , quum Romanum Imperium fuerit extinctum, mox Antichristum venturum. Id vnum asserit, Romanum Imperium Antichristi partes agere,dum idolorum culturæ adstrictum, Christianam persequebatur Ecclesiam : id quod ab eo foret præstandum ,donec Christi fidem ac Religionem susciperet.* Iure hîc percunctari liceat : Innumeri grauissimi Patres,& Recentiores affirmant,Paulum dixisse, quum Romanum Imperium fuerit extinctum , tunc venturum Antichristum : Alcasar negat : vtris credendum censetis? Verum & verba Pauli , & Patrum consensus de abolitione Imperij Romani ante aduentum Antichristi , erunt nobis exactiùs in sequentibus excutienda.

Qua ratione intelligenda sit Pauli , Patrúmque assertio priùs delendum esse Imperium Romanum , quàm veniat Antichristus.

CAP. XX.

COnstat Romanam ipsam Vrbem plurimos annos Imperium orbis tenuisse, primùm sub Consulibus , deinde sub Monarchis : atqui tunc Romanum Imperium Vrbi Romæ affixum erat : eáque tunc propriè sedes erat Imperij. Deinde verò à Roma maiestate Imperij Byzantium,seu Constantinopolim translata per Magnum Constantinum ; Vrbem Romam cessisse Romanis Pontificibus : factamque potestatis & dominij Romanorum Pontificum. Sed quanam id,inquies, ratione, quóue iure ? Iam id profectò nullo modo vertendum in dubium apud pios & cordatos , tot sæculorum consensu & possessione.De qua re nunc nobis sanè non est disputandum,cùm neque nostri sit modò instituti : & plurimi eadem de re accuratissimè disseruerint : seorsim Eugubinus duobus integris libris de Donatione Constantini , contra Laurentium Vallam,Canus lib.11.de Locis Theologicis, cap.5. pag.358. Genebrardus lib.3. Chronographiæ , in Siluestro Papa , pag.412. Baronius Tomo 3. Annalium , anno Christi 324. num.117. Coccius Thesauri Catholici lib.7.articulo 10.Cæsar Bulengerus lib.1. de Imp.Romano,cap.4.

Deinde,peruagatum est, Romam variis temporibus , maximis cladibus deuastatam fuisse : quas cap.16. enumerabamus.Ad hæc, nemo non nescit, Romanum ipsum Imperium,hoc est, Prouincias ei subiectas,à quamplurimis Barbaris nationibus,quæ sese illud infuderunt, concisum, laceratum,distractum,& incessum fuisse,cùm in Occidente,tum in Oriente,in quo iam penitus periit : relictis sat tenuibus & exilibus eius reliquiis, in Occidente,nimirum in isto quod adhuc stat vigétque Romano Imperio Germanico , penes Austriacam Domum, quæ nunc rerum potitur. Insuper, nullus ire inficias poterit , Vrbem Romam sine Imperio Romano , & Imperium Romanum sine Vrbe Roma rectè subsistere posse. Siquidem iure dici potest Romanus Imperator,qui Roma caret : modò Prouincias Romani Imperij possideat , & legitimè succedat alteri Romano Imperatori in eadem potestate & dignitate Imperatoria. Sic enim Carolus Magnus, & reliqui post ipsum Occidentales Francici & Germanici Imperatores vsque ad nostram ætatem,verè & legitimi & fuere & appellati sunt Romani Imperatores ; cùm tamen Romam nunquam sub suo iure & dominatu habuerint. Quin Zeno, Anastasius,Iustinus,& Iustinianus, ipse initio sui Imperij, vere nuncupabantur Romanorum Imperatores, cùm tamen tunc Italia & Roma ab Odoacre Erulo, & Theoderico Gotho occupata esset : & Roma penitus extra ditionem Imperij. Imò existente Roma in potestate & dominio Occidentalium Imperatorum:nihilominus dicebantur verè Romanorum Imperatores Orientales Principes, qui Roma carebant,vt Valens,Theodosius,Arcadius,Theodosius,Marcianus. Sic etiam Imperatores Constantinopolitani post Iustinianum,ad euersionem vsque illius Orientalis Imperij per Othomanos, quamquam nihil Romæ, aut in Italia, seu reliquo Occidente obtinerent , propriè vocabantur Romanorum Imperatores. Atqui hæc omnia sunt nobis suprà cap.17. enucleatè demonstrata:& multa cum perspicuitate ostensa à Sandero lib.8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia,cap.3. Bellarmino lib. 3. de Romano Pontifice , cap.5. Cornelio à Lapide in 2. Thessalonicens.2.

Denique , fateamur necesse est sæcularem illam & politicam dignitatem, auctoritatem,& potestatem Imperij Romani , & Vrbis Romæ , amplissimam,quæ orbi dominata fuit,commutatam fuisse in præstantiorem,sublimiorem,augustiorem Ecclesiasticam Romani Pontificis monarchiam , constituente Apostolorum Principe Petro in Romana Vrbe sedem , thronúmque amplissimi & maximi Ecclesiastici Imperij in vniuersum orbem , quàm latissimè quaqua versum patet.Vt iam meritò celebrentur encomia illa de Roma S.Leonis Papæ,sermone 1.in Natali SS.Apostolorum Petri & Pauli: *Ciuitas Sacerdotalis & regia per sacram Beati Petri Sedem caput orbis effecta,latiùs præsideres religione diuina,quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis,ius Imperij tui terra, marique protuleris : minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.*S.etiam Prosperi, de Vocatione Gentium lib.2. c.16. *Quæ tamen per Apostolici Sacerdotij Principatũ,amplior facta est arce*

religionis, quàm solio potestatis. Et de Ingratis, cap. 2.

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Relligione tenet.

Ergo cùm hæc quæ hactenus diximus, ita proculdubio se habeant: exoritur iam inde difficultas de qua euersione atque abolitione Imperij Romani Paulus, Patrésque loquantur, quum aiunt, Romanum Imperium prius delendum quàm veniat Antichristus. Num videlicet intelligant de variis excidiis & cladibus quas passa est Roma: an de Imperij ab ipsa vrbe Roma separatione, quando ipsa desiit esse orbis caput & domina, Sedésque Imperij: nimirùm vel tempore Constantini, quando Sedes Imperij translata est Byzantium, vel quum Roma cessit Romano Pontifici; an de Imperij Romani in Occidente extinctione, quando periit in Augustulo, quo etiam tempore, Roma diuulsa ab Imperio, in potestatem Barbarorum cecidit: num de casu Romani Imperij in Oriente, quando Romanum Imperium Constantinopolitanum est ab Othomanis euersum: An denique de amolitione præsentis huius Romani Imperij, quod etiamnum hodie viget in Germania in Matthia Imperatore. Adde si vis: num significent, Imperium hoc Romanum Ecclesiasticum Romanæ Ecclesiæ, eiusque Pontificis, priùs auferendum de mundo, antequàm veniat Antichristus.

Verùm illud extra controuersiam pij omnes, & eruditi constituere debent, nullam ad hanc vsque diem Vrbis Romæ cladem, aut excidium: nullam Imperij Romani seu in Oriente, seu in Occidente alterationem, mutationem, vicissitudinem, aut si mauis extinctionem, quę huc vsque contigerit, propositam à Paulo, & Patribus vt signum aduentus Antichristi: aut intellectam, quum vaticinati sunt, abolendum Imperium antequam veniat Antichristus. Et ratio est manifestissima: cùm ex Pauli, Patrúmque assertione constet, vt etiam sequenti Capite fusius ostendemus, sublato Imperio Romano, statim affuturum Antichristum: at nullus hactenus Vrbis, Imperiique Romani casus Antichristum induxit: siquidem omnes quas enumerauimus Romæ, Imperiique ruinæ, multo iam ante tempore præterierunt, & Antichristus nondum apparuit.

Restat igitur vt intelligamus hanc esse certam & perspicuam Pauli, Patrúmque mentem: Cùm certum sit, Romanum ipsum Imperium à Cæsare Dictatore, & Augusto fundatum, perspicua & perenni successione Principum siue in Occidente, siue in Oriente super continuatum & conseruatum ad hæc vsque nostra tempora in Germania adhuc stare, rerum potiente Matthia Romanorum Imperatore semper Augusto, vti cap. 16. & 17. abundè demonstrauimus: non venturum Antichristum nisi priùs hoc ipsum Imperium Romanum quod hodiéque subsistit, tollatur penitus de mundo, vt nec res, nec nomen Imperij Romani extet aut nominetur in orbe: sublato autem omninò Imperio Romano, mox reuelandum Antichristum. Qua ratione proculdubio Patres omnes, & recentiores, quos cap. 18. percensuimus constat intellexisse.

Quòd verò attinet ad Romanum Ecclesiasticum Romani Pontificis Imperium in vniuersum orbem existimauere plerique, non quidem ipsum Imperium simpliciter & absolutè amouendum aut extinguendum antequam veniat Antichristus; cùm certissimum ex fide Catholica sit, staturum simul cum mundo: imò nec Antichristi viribus posse deleri, quanto minus ante Antichristum fore destruendum. Nam portæ inferi numquam aduersus illud sunt præualituræ: at separandum à Roma, ante aduentum Antichristi, quum Roma ad ethnicismum redierit. De qua opinione latiùs disseruimus cap. 7. & 8. Verùm nimis est perspicuum de hoc Imperio Romano Ecclesiastico nec Paulum, nec Patres intellexisse. De Imperio enim sæculari & mundano certissimè loquuntur, vt omnes affirmãt.

Iam tametsi nonnulli Ribera in 12. Apocalyp. numero 14. Estius & Iustinianus in 2. Thessalon. 2. ad vers. 3. tergiuersari fuerint, & causati à multis retrò annis Imperium Romanum verè defeciſſe, atque has angustias in quas iam redactum videmus in Germania, indignas esse nomine Romani Imperij, quasi putres quasdam tabulas fracti & dilacerati Imperij: & vmbratile quoddam & inane Imperij simulachrum potiùs quàm verum Imperium videri queat: ac propterea huius extinctionem non posse reputari pro signo aduentus Antichristi: at prudens quisque, & in Scripturis, Patrúmque doctrina probè versatus, non ambigat, Paulum, Patrésque, vti vidimus, certissimum signum venturo Antichristo præfixisse amolitionem Imperij Romani, atque hoc signum nondum esse completum: sed verè & proprie Romanum Imperium adhuc supersesse, & stare, staturúmque ad aduentum vsque Antichristi: hócque Romano Imperio funditus sublato de mundo, venturum Antichristum. Atque ita sanè intellexere & scripsere quique eruditi recentiores, qui veram & genuinam de rebus Antichristi doctrinam aduersus Nouantes suscepere tuendam, seorsim Sanderus, Bellarminus, Pamelius, Viegas, Acosta, Becanus, Lessius, Florimundus, Ferrerius, Cornelius à Lapide, locis superiùs cap. 18. à nobis citatis. Tantum adiungo verba Rabbani Opusculo de Antichristo, vbi de extinctione Romani Imperij ante aduentum Antichristi, ait: *Dicit Apostolus Paulus Antichristum non antea in mundum esse venturum, nisi venerit primùm discessio, hoc est, nisi discesserint omnia regna à Romano Imperio, quæ priùs subdita erant. Hoc autem tempus nondum aduenit: quia licèt videamus Romanum Imperium ex maxima parte destructum: tamen quandiu Francorum Reges durauerint* (adde & iis succedentes Germanici, vel siqui alij: nam Rabbani tempore Franci obtinebant Imperium) *qui Romanum Imperium tenere debent, Romani Imperij dignitas ex toto non peribit, quia in Regibus suis stabit.*

Sensum Apostoli Pauli, & Patrum esse: Quàm primùm extinctum & deletum fuerit Romanum Imperium, statim, nulla grandi mora interposita, venturum Antichristum.

CAP. XXI.

VErba Pauli, quemadmodum cap. 19. accuratè exposuimus sunt hæc, 2. Thessalon. 2. 6. *Et Et nunc quid detineat, scitis, vt reueletur in suo tempore* Antichristus: *tantùm* hoc detinet, *vt qui tenet nunc, teneat*, Imperium nempe Romanum quod nunc gentes *tenet, teneat, donec de medio fiat.* hoc est, donec ipsum Imperium Romanum auferatur de mundo. *Et tunc*, sublato nimirum Romano Imperio, *reuelabitur ille Iniquus*, scilicet, Antichristus. Atqui cùm hoc Pauli oraculum iuxta hanc

Patrum

Patrum & recentiorum auctoritate firmatam, quam adhibuimus interpretationem, sit adeò luculentum ac perspicuum : simplicémque & genuinum eius constet hunc esse sensum : Quamprimum ablatum fuerit de mundo Romanum Imperium, statim venturum Antichristum : non defuere qui verba Pauli aliò detorserint, vt tantum illud diuinus Apostolus dicere voluerit : Non venturum Antichristum nisi extincto & deleto Romano Imperio : non tamen dixisse, quam primum atque Romanum Imperium excisum & destructum fuerit, illico aduenturum Antichristum. Negatiuam nimirùm tantùm de tempore aduentus Antichristi propositionem edoctos Thessalonicenses à Paulo : id est, Non esse timendum, stante Imperio Romano, aduentum Antichristi. Sublato verò Imperio, num statim, aut longo post tempore venturus sit Antichristus, de hac re nihil expressisse, aut significasse Apostolum. Anselmus Laudunensis in 2. Thessalon. 2. *Nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati. Id est, Nisi priùs gentes à Romano discedant Imperio. Non quod statim post.* S. Anselmus, eadem Pauli verba. *Et nunc quid detineat scitis : tantùm qui tenet, teneat, &c.* interpretans, ait : *Variis modis intelliguntur hæc Apostoli obscurissima verba : vbi tamen nullum temporis spatium aperuit : ait enim, vt reueletur in suo tempore : nec dixit post quantum temporis id futurum sit.*

Caietanus : *Et tunc reuelabitur ille iniquus. Certum est, quod aduerbium, tunc, excludit tempus præcedens, (significat enim quòd non priùs) sed non est certum an affirmet tempus immediatè sequens. Non enim dicit, Et tunc immediatè, sed dicit, Et tunc, sublato de medio Romano Imperio reuelabitur ille iniquus. Igitur ex Paulo habemus tria præcedentia aduentum Christi, primum est apostasia, secundum, extinctio, & tertium, Aduentus Antichristi.*

Gagnæus : *Nisi venerit discessio primum. Apostasia, id est, defectio, vel à Romano Imperio : non quòd statim venturus sit post eam : sed quòd non ante.*

Ex qua Paulini oraculi interpretatione, illud sequitur, multis ante temporibus contingere posse Romani Imperij interitum, quàm veniat Antichristus. Nec Romani Imperij extinctionem certum ac proximum signum esse iam iam aduentantis Antichristi.

Ceterùm luculentiora sunt verba Pauli, quàm vt eiusmodi explanatione eludi valeant.

Primùm consensus Interpretum & veterum & recentiorum perspicuè docet, Paulo propositum in ea epistola fuisse, ostendere diem extremi iudicij nondum adesse : nec tamen venturum, nisi præcesserit Antichristus : Antichristum autem nondum instare, durante adhuc, & stante Imperio Romano : non enim affuturum Antichristum, nisi extincto & sublato de mundo imperio Romano. Sicut igitur aduentui Domini ad Iudicium, præstituit Paulus signum certissimum & proximum, nempe aduentum Antichristi : nam adueniente & regnante Antichristo, proculdubio in proximo erit dies Domini : cur pari ratione eodem ductu, & filo orationis, non intelligemus, aduentui Antichristi præfixisse Paulum signum certum & propinquum, nimirùm Romani Imperij extinctionem ; vt scilicet excisо & deleto eo Imperio, statim succedat absque longiori mora Antichristus?

Secundò, Paulus disertissimè ait, hoc tantùm detinere, prohibere, remorari aduentum Antichristi : hoc solummodò obstare, & impedire ne veniat Antichristus : hanc esse causam moræ & dilationis eius : nempe Imperium Romanum quod adhuc staret : statum Romani Imperij solum detinere, & remorari Antichristum : ergo amoto hoc impedimento, ac sublato de mundo Imperio Romano, nihil erit, quod detineat, ac remoretur Antichristum. Igitur quamprimùm illud Imperium deletum fuerit, statim veniet Antichristus.

Tertiò, Tam clara & dilucida illa loquendi ratio : *Donec de medio fiat*, id est, tollatur & exscindatur : *& tunc reuelabitur ille iniquus.* Possuntne alium sensum reddere quàm hunc : Simul atque, statim vt, Romanum Imperium ablatum fuerit de mundo, tunc illico reuelabitur ille iniquus? Nonne si extinctio Romani Imperij longo tempore anteceſsura esset Antichristum, illa locutio aliena & impropria videretur : Sublato de mundo Imperio Romano, tunc veniet Antichristus? Quomodo enim, tunc, si post aliquot annorum centurias?

Quartò, Si Paulus clarè & perspicuè, vt fecit obscurè, voluisset Thessalonicensibus exprimere, quamprimum extinctum foret Romanum Imperium, statim venturum Antichristum ; potuerátnè luculentiùs & disertiùs edicere, quàm verbis illis : Tantùm hoc detinet Antichristum, nempe quòd adhuc stat Imperium Romanum, donec auferatur de mundo : & tunc, id est, cumprimùm sublatum fuerit illud Imperium, sine alia diuturniore mora, reuelabitur ille iniquus?

Quintò, Patres omnes, qui tanto consensu tradiderunt, Simulátque Imperium Romanum interierit, statim venturum Antichristum : non est dubium consensum suum ex Paulino isto vaticinio potissimùm hausisse : vt propterea nimis exploratum sit, eos, hanc fuisse Pauli mentem pro certo habuisse. Atqui Patres apertè docuisse, deleto Romano Imperio, statim affuturum Antichristum, eorundem sententiæ, quas cap. 18. fusè descripsimus, manifestissimè ostendunt. Aiunt enim Romanum Imperium simul cum mundo staturum, casurúmque, hoc est, ipso Imperio excisо, proximè affuturum Antichristum, & finem rerum. Expressa sunt verba Tertulliani, Lactantij, S. Cyrilli, S. Hieronymi, Ambrosiastri, S. Chrysostomi, & aliorum, quæ tu ibi releges : nam nihil necesse, iterum transcribere. Tertullianus distinctè : *Tantum qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat. Quis, nisi Romanus status? cuius obsessio in decem Reges dispersa Antichristum superinducet : & tunc reuelabitur ille iniquus.* Si dissipatio & destructio Romani Imperij inductura est Antichristum, non ergo ab illa multum abfuerit : sed proximè subsequetur.

Sanè Recentiores omnes, vno aut altero dumtaxat excepto, qui ex verbis Pauli intellexerunt, sublato Romano Imperio venturum Antichristum : simul illud quoque existimarunt, proximè destructionem Romani Imperij subsecuturum Antichristum : vt ea Imperij extinctio signum sit certum iam iam instantis Antichristi : eos omnes enumerauimus cap. 18. Sed videndi cumprimis Sanderus, Bellarminus, Viegas, Acosta, Becanus, Lessius, Florimundus, Ferrerius, Cornelius à Lapide, locis ibidem citatis. Erasmus quidem dilucida paraphrasi sic hunc Pauli locum reddidit : *Nec, vt ex me scitis, quidquam in mora est, quominus palam aperiat sese Christi aduersarius, nisi vt interim quisque quod tenet, obtineat, donec illud Regnum, quo cetera coërcentur omnia, tollatur de medio. Id vbi factum erit, tunc sese proferet in apertum iniquus ille.*

Sed vnum tantùm Acoſtam ceterorum nomine de his prudenter diſſerentem audiamus: *Qui verò poſt ſeptingentos inde* (nempe à temporibus S. Hieronymi & S. Chryſoſtomi quum adhuc ſtaret Romani Imperij robur) *annos extitere, tanta facta Romani Imperij declinatione, vt corruiſſe iam videretur, & vix veſtigia quædam titulis potiùs quàm re antiqui ſplendoris retinere: ij diſceſſionem quidem iam factam a Romano Imperio dicunt: neque tamen mentitum Apoſtolum, qui dixerit, priùs diſceſſionem futuram, ſed diſceſſione facta, Antichriſtum, finémque mundi continuò futurum non dixerit: At mihi phraſim Scripturæ attentiùs cogitanti non videtur Pauli ſenſus habere aliud, quàm ſublato Romano Regno, & facto de medio, vt ille loquitur, Regnum Antichriſti futurum: idque eo interuallo & ordine, vt vtriuſque rei conſecutio aliqua intelligi poſſit. Itaque non puto Romanum Imperium penitus extinctum, &c.*

Neque tamen puto Anſelmum Laudunenſem, & S. Anſelmum aliter ſenſiſſe: Laudunenſis enim non de aduentu Antichriſti, ſed de die Iudicij perſpicuè loquitur: ſiquidem ait: *Niſi priùs gentes à Romano diſcedant Imperio*, non veniet dies Domini. *Non quod ſtatim poſt.* Rectè quia interiici debet totum tempus, cùm Antichriſti regni, tum illud quod à morte Antichriſti ad diem Iudicij interlapſurum eſt. S. Anſelmus autem non ait, Non ſtatim ſublato Imperio venturum Antichriſtum: ſed tantùm Paulum non expreſſiſſe poſt quantum temporis futurus ſit Imperij Romani interitus, & Antichriſti aduentus: id eſt, id ſignum aduentus Antichriſti quando compleri debeat: verba quæ ſubdit idipſum perſpicuè docent: ait enim: *Nam myſterium iam operatur iniquitas; nec expreſſit quamdiu hoc operetur. Item quod ſequitur: tantùm qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus, docet nos Antichriſtum manifeſtum futurum: ſed poſt quantum temporis reuelandus ſit, nec ſaltem obſcurè locutus eſt Apoſtolus. Quid enim ſit, qui modò tenet, teneat: vel quid ſibi velit, donec de medio fiat, poteſt quiſque ſic coaptare, vt intelligat, vel aliquatenus ſuſpicetur: quia quoquo modo ſcriptum legit, quandiu teneat, aut poſt quanta temporum ſpatia de medio fiat, hîc tacet omninò.* Eadem omninò Gagnæius.

Franciſcus Suarez tomo 2. in 3. partem, diſp. 56. ſect. 2. & lib. 5. contra Anglicanos errores, cap. 9. tametſi à me in priori huius mei operis editione admonitus, maluit tamen in ſingulari quadam ſua ſententia, & interpretatione perſiſtere: quàm etiam magis quibuſdam additis illuſtrare ac confirmare conatus eſt. Exiſtimat enim haud eſſe certum & exploratum, Romanum Imperium antequam veniat Antichriſtus, ita penitus abolendum, vt quum regnare cœperit Antichriſtus, nec res, nec nomen Romani Imperij vllo pacto extet in mundo: ſed ſat eſſe, ſi intelligamus, Romanum Imperium antequam aduenial Antichriſtus, variis temporibus, diſtractum, imminutum, & à diuerſis nationibus magna ex parte occupatum, tandem per Antichriſtum funditus exſcindendum, extinctis & deletis omnino eiuſdem Imperij reliquiis, quæ ad initia vſque Regni Antichriſti ſupererunt. Neque ex Pauli verbis, neque ex oraculis Prophetarum, quæ in ſequentibus elucidabimus, neque ex doctrina Patrum, poſſe certò, firmitérque conſtitui, omnimodam Imperij Romani extinctionem præceſſuram Antichriſti aduentum. Quocirca addit idem Suarez, ante aduentum Antichriſti, non eſſe maiorem Imperij dilacerationem, ſeu deſtructionem expectandam, quàm eam in qua nunc iacet, ad ſummas anguſtias iam redactum, vt via Antichriſto paretur: ſed ſolùm integram & abſolutam eiuſdem Imperij euerſionem & exciſionem per ipſum Antichriſtum perficiendam & conſummandam eſſe. Ex quibus palam deducitur, Romani Imperij omnimodam abolitionem, nullo pacto eſſe ſignum antecedens & præuium Antichriſti aduentus. Nam plena & abſoluta Imperij demolitio non ante Antichriſti tempora, ſed per ipſum Antichriſtum confici debet: inclinatio verò & imminutio Imperij, cùm multis iam retro ſæculis cernatur facta, alienum, incertum, ambiguum, & longè remotum, imò nullum propriè ſignum aduenientis Antichriſti proculdubio eſſet.

Senſit Pater Suarez difficultatem & incommodum ſuæ ſententiæ & interpretationis, atque ex his quæ in me legit, animaduertit explanationem ſuam non ſatis cum Pauli, Prophetarum, & Patrum verbis congruere: proinde nouo additamento tentauit eam interpolare, ait enim: *Ad maiorem explicationem diſtingui poſſunt duo tempora Antichriſti, vnum temporalium prœliorum, quibus decem Reges vincet, & omnia vſurpabit: aliud perſecutionis Sanctorum, & apoſtaſiæ à Chriſto. Quod ergo ante hoc poſterius tempus Romanum Imperium omnino auferendum ſit, certum eſt ex omnibus dictis & ex aliis quæ dicto loco* (nempe tomo 2. in 3. part. diſp. 56. ſectione 2.) *adduxi, & copioſius dictus Auctor* (Maluenda) *proſequitur. De priore autem illo tempore cenſeo valde probabile, in illomet tempore, & per Antichriſti prœlia deſtructionem Romani Imperij conſummandam eſſe, vt ſuadent cetera quæ inſinuaui. Et ita optimè intelliguntur verba Pauli 2. Theſſalon. 2. Tantùm vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus. Vtique extollendo ſe ſupra omne, quod dicitur Deus, &c. Et facilè etiam omnia Patrum dicta conciliantur. In hoc ergo ſenſu diximus, non eſſe certum, an Imperium Romanum omninò ſit ante inchoatum regnum, & prœlia Antichriſti vel per illa omnino extinguendum: quod nunc etiam verum exiſtimamus.* Hæc ille. Verùm ſat video P. Suarez non adeò ad maiorem explicationem, ſed vt vim meæ diſputationis auerteret, atque eluderet, eam diſtinctionem excogitaſſe.

Sed inſpiciamus quibus rationibus oſtendat ante initia regni & prœliorum Antichriſti, non eſſe certum, Romanum Imperium funditus extinctum iri.

Primò, Quia S. Auguſtinus 20. de Ciuit. Dei, cap. 19. ait, ſuſpicionem eſſe hominum, interpretari verba Pauli 2. Theſſalon. 2. de euerſione Imperij Romani ante aduentum Antichriſti: at ſuſpicio non eſt res certa.

Secundò, Quia Theodoretus eam interpretationem de extinctione Imperij Romani apertè reiicit, addítque: *In eo autem* Imperio Romano *paruum cornu productum eſt.* Nempe Antichriſtus, Daniël. 7. ſtante igitur Romano Imperio orietur Antichriſtus.

Tertiò, Quia S. Hieronymus in Daniël. 11. de Antichriſto inquit: *Et brachia pugnantis populis Romani expugnabuntur ab eo, & conterentur.*

Quartò, Quia Lactantius lib. 7. cap. 25. ait *Precandúſque nobis, & adorandus eſt Deus celi, ne citius quàm putemus Tyrannus ille abominandus* (Antichriſtus) *aduenial, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat,* (nempe Romam & Romanum Imperium) *cuius interitu mundus ipſe lapſurus eſt.*

Anti

Antichriſtus ergo delebit Romanum Imperium.

Quintò, Quia S. Chryſoſtomus in 2. Theſſalon. 2. diſertè aſtruit: *Quomodo enim euerſa ſunt quæ ante id fuerunt regna, vtpote Medorum à Babyloniis, Babyloniorum à Perſis, Perſarum à Macedonibus, Macedonum, à Romanis: ita hoc quoque* (nempe Imperium Romanum) *ab Antichriſto.* Non igitur euertendum ante Antichriſtum. Eadem habent Theophylactus & Oecumenius ad verbum ex Chryſoſtomo exſcripta. Cedrenus in Annalibus pag. 198. *Quemadmodum ergo Aſſyriorum regnum à Babylonico, hoc à Perſico, idque à Macedonico, rurſúmque hoc à Romano eſt deletum: ita & Romanum Imperium ab Antichriſto euertetur, & Antichriſti à Chriſto.*

Sextò, Quia Andreas Cæſarienſis Epiſcopus cap. 36. in 13. Apocalypſis, ſcribit: *Græcorum, Perſarum, Babyloniorum omnia regna vnus obtinebit Antichriſtus, idémque Regis Romanorum titulo ornatus, in medium ſe offeret, atque vbi primùm fictiles pedum digitos, per quos Regni in decem partes diuiſi infirmitas indicatur animaduertit, totum illorum principatum funditus euertet.* Huc etiam trahit Suarez verba Tertulliani, & S. Cyrilli: ſed ægrè, & planè fruſtra. Adiungo Aretam in eodem Apocalypſis loco, qui ait: *Antichriſtus perinde ac Romanorum Imperator dominabitur.*

Facilè ſuſpicari poſſumus, P. Suarez & diſtinctionem illam duorum temporum Antichriſti, & in hac re ſententiam ſuam, & argumenta omnia pro illa, deſumpſiſſe ad verbum à præceptore ſuo Henrico Henriquez lib. de Fine Hominis, cap. 23. §. 5. littera, y, in Commentario, vbi ait: *Deſtruetur Imperium Romanum, non quidem antequam veniat Antichriſtus: nam per illum & fautores eius euertetur, vt ait Hieronymus in Daniel. 11. Chryſoſtomus, & alij: ſed antequam palam reueleet ſe eſſe Antichriſtum, & aduerſarium Chriſti, prædicans publicè contra Chriſtum, & Sanctos eius.* Vide illum. Verùm hîc nobis cum P. Suarez ſingulariter res eſt futura.

Si hæc à Patre Suarez aſſerta, ſolidè probarentur, omnia à nobis hactenus de Romani Imperij interitu ante aduentum Antichriſti diſputata, facilè corruerent. Sed demus, & oraculis Prophetarum, ex Pauli, Patrúmque auctoritate non poſſe certo ſtatui, Romanum Imperium ante initia Regni Antichriſti, de mundo tollendum omninò: ſed eſſe cumprimis probabile, ab ipſo Antichriſto penitus extinguendum: nec omnimodam Imperij euerſionem ſignum eſſe præuium aduenientis Antichriſti: nihil propterea perit aut decerpitur toti huic noſtræ de rebus Antichriſti tractationi: nam id quoque cumprimis ex ſuſcepti inſtituti ratione fuerat nobis pleniſſimè demonſtrandum, nimirùm, Antichriſtum Romanum Imperium euerſurum: illúdque Imperium ſtaturum in mundo, quouſque ab Antichriſto fúditus extirpetur: tantùm ordo, ſitúſque diſputationis noſtræ erat forſan immutandus, alióque loco tota hæc diatriba de Imperij Romani caſu, nempe inter prælia Antichriſti reponenda.

Ceterùm quum vaticinia Prophetarum de hac re, quæ poſtmodum elucidabimus, quum verba Pauli, quum Patrum conſpirationem, quum Recentiorum conſenſum, penitiùs introſpicimus, accuratiúſque expendimus, aliud ſentire non poſſumus, quàm Prophetas, Paulum, & Patres illud proculdubio intellexiſſe, priùs omnino tollendum de mundo Romanum Imperium, ita vt nec res, nec nomen Romani Imperij alicubi extet in orbe, quàm veniat, ſeu regnare, & præliari aduerſus tres reges incipiat Antichriſtus: atque ab Antichriſto non quidem delendum Romanum Imperium: ſed poſtquam hoc Imperium prorſus extinctum fuerit, & exciſum, mox cœpturum Antichriſti regnum, & reuelandum iri hominem peccati: quia vacans Imperium occupet, ſeu potiùs nouum ſuum condat pro Romano: vt Imperij Romani plenus & abſolutus interitus viam pandat Antichriſto, ſignúmque ſit certiſſimum iamiam venientis Antichriſti.

Et ante omnia monemus diſtinctionem illam P. Suaris duorum Antichriſti temporum, nempe initij regni, & præliorum Antichriſti: itémque, quum ſe deum faciet, & perſequetur Eccleſiam: quæ ab ipſo in eum ſcopum excogitata videtur, vt vim & robur mearum rationum labefactaret: nullum hîc proculdubio locum habere. Prophetæ enim, & Paulus, Patréſque, quum diſertè aiunt priùs exſcindendum Imperium Romanum quàm veniat Antichriſtus, proculdubio intelligunt de aduentu Antichriſti, quo primùm reuelabitur, apparebit, manifeſtabitur in mundo: quod dubium eſſe non poteſt, futurum id per initia regni, & præliorum eius, quum regnare incipiet, & immanem illam ſuam fundare Monarchiam: quando bello deletis tribus ex decem regibus, reliquos ſeptem ſibi ſubiiciet, vt abundè ſuo loco docebimus: tunc enim propriè dicitur Antichriſtus venire in mundum, & apparere. Nam poſt raptum Imperium, & fundatam tanta mole Monarchiam, quando ſe deum faciet, & Eccleſiam perſequi aggredietur, quis verè & rectè dicere poterit, venire tunc Antichriſtum, qui non paruo iam ante tempore extaret & regnaret in mundo? Id enim eſſet inferre vim verbis, & abuti vocabulis. Ait Paulus, quum ſublatum fuerit Romanum Imperium de mundo: *tunc reuelabitur ille iniquus*, atqui ibi, *reuelabitur*, omnes interpretati ſunt, veniet, apparebit in mundo, conſpicuus erit Antichriſtus; quod nullo tempore verius dici poterit, quàm quum regnare incipiet, & vim ſuam atque potentiam exercere, manifeſtare, oſtendere. Qua phraſi Lucæ 17. 30. dicitur: *ſecundum hæc erit, qua die Filius hominis reuelabitur*, id eſt, veniet ad iudicium, magna gloria conſpicuus apparebit. Vide Ieremiam Ferrerium de Antichriſto, cap. 22. pag. 794. Equidem omnimodam Imperij Romani extinctionem anteceſſuram aduentum Antichriſti, id eſt, primordia regni & manifeſtationis, ac præliorum eius in mundo: id eſt, antequam regnare, & præliari incipiat Antichriſtus, nec rem, nec dignitatem, nec nomen Romani Imperij tunc in orbe futura: tametſi ex hactenus à nobis dictis compertiſſimum cunctis eſſe deberet: ad maiorem tamen rerum diſtinctionem & perſpicuitatem, totam ferè controuerſiam hanc ad ſua principia reuocantes, ex verbo Dei, ex Patrum doctrina, ex Recentiorum conſenſu iterum nunc quam breuiſſimè & manifeſtiſſimè demonſtrabimus.

Primò, Verba Pauli 2. Theſſal. 2. 7. ſunt: *Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore. Tantum qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus.* Quaſi dicat, hoc ſolummodo detinet ac remoratur ne veniat Antichriſtus, nimirum ſtatus ipſe Romani Imperij: quia quamdiu id Imperium ſtabit, non veniet Antichriſtus: ſublato Imperio, mox veniet. Hunc eſſe genuinum Pauli ſenſum, cap. 18. 19. 20. tam validè & apertè firmauimus, vt in dubium certè reuocari vix poſſit. Loqui verò Paulum de abſoluta & omnimoda

nimoda Imperij Romani abolitione, euidentissimè constat ex particula illa: *Et tunc reuelabitur ille iniquus*, cùm nulla hactenus Imperij inclinatio, imminutio, distractio induxerit Antichristum: quia scilicet adhuc ad hæc vsque nostra tempora Imperium stat, vti cap.20. dicebamus. Non igitur veniet Antichristus vt ipsum imperium euertat ac extinguat: sed veniet extincto iam priùs, & deleto Imperio. At illud quàm alienum & improprium, Paulinis verbis hanc affingere interpretationem: Hoc solummodo detinet, ne Antichristus se deum palam faciat, & Ecclesiam vexet, nempe Romanum Imperium quod nunc stat, quod ipsum priùs tolli oporteat de mundo: quo sublato, Antichristus se deum iactabit, & Ecclesiam affliget? Quanto veriùs & accommodatiùs exponitur: Hoc tantummodo detinet, ac obstat ne veniat Antichristus, ne appareat, & se mundo ostendat regno conspicuum, ne regnum suum auspicetur, & capessat; nimirùm Imperium Romanum, quod priùs necesse est auferri de mundo, vt extincto & vacante Imperio Romano, oriatur & exsurgat Antichristianum.

Secundò, Quod Paulus ait, *Donec de medio fiat; & tunc reuelabitur ille iniquus*, diximus iam cap.19. *de medio fieri*, hîc nihil aliud esse, quàm de medio auferri, tolli penitus de mundo, destrui omninò, & aboleri: non tantùm imminui, inclinari, distrahi. *Et tunc*, scilicet, deleto funditus ex extirpato Romano Imperio, nedum inclinato, aut imminuto *reuelabitur ille iniquus*, id est, veniet, apparebit in mundo Antichristus. Porrò exemplum illud quo Pater Soarez vsus est, non satis in rem quadrat: ait enim Antichristum & Romanum Imperium esse veluti duas formas naturales, quarum vnius introductio est expulsio alterius: sic introducto Regno Antichristi, auferetur & tolletur de medio Romanum Imperium. Nam præterquam quòd nemo rectè Pauli verba ad rigorem logicum, vel physicum exegerit: quàm impropriè dicitur, formam ligni detinere, remorari formam ignis ne introducatur in lignum; cùm id non faciant nisi antecedentes dispositiones & qualitates ligni, vt humiditas, & viror, quæ impediunt & remorantur efficacitatem & operationem ignis. Paulus enim communi more loquendi vtitur, priùs tempore dicuntur amoueri impedimenta & obstantia humana, quæ aliquid, ne fiat, impediunt, quàm illud reipsa efficiatur. Multò sanè instituto accommodatius illud est exemplum quod Iosephus Acosta lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap.2. prudenter expendit. Iacobi oraculo prænuntiatum fuerat, non venturum Christum, nisi ablato sceptro & duce de tribu Iuda: at certè non abstulit Christus, nec extinxit, aut destruxit sceptrum Iudæ: sed non antè venit, quàm priùs per aliquod tempus defecisset series Principum tribus Iudæ, & ad proselytum alienigenam Herodem illud regnum translatum fuisset. Neque Regnum Christi & Iudæ se habuerunt vt duæ formæ naturales, quarum vna eodem ferè momento quo introducitur expellit aliam: sed cùm iam anteà extinctum fuisset Regnum Iudæ: & alienigena Herodes illud inuasisset, atque occupasset; natus est Christus: itaque aliquo tempore mansit extinctum sceptrum Tribus Iudæ regnante Herode, antequam Christus aduenisset, & prodiret in mundum. Ad eundem quoque modum penitus diuulso & exciso Romano Imperio per decem reges in fine sæculi: iis rerum potientibus veniet Antichristus, id est, regnum suum auspicabitur & manifestabitur in mundo.

Tertiò, cap.21. rectè argumentabamur, Paulus 2. Thessalonicens. 2. certum & proximum signum diei Iudicij constituit aduentum Antichristi: & aduentus Antichristi indubitatum & propinquum signum præfixit Imperij Romani consummationem: at quis non videt signa rerum futurarum, tanquam prænuntia antecedere debere res ipsas antequam eueniant? Etverò vt Antichristus tempore præcedet Iudicij diem: ita proculdubio Antichristum Romani imperij interitus aliquo tempore antecedet. Atqui durum & absonum videtur, vt Apostolus signum ab Antichristo rapiendæ diuinitatis, & affligendæ Ecclesiæ præstituerit ipsam Romani Imperij ruinam: & primi eiusdem Antichristi aduentus, & manifestationis in mundo ac regni fundati nullum præmonstrauerit indicium: cum regnorum ingentium & Monarchiarum prima initia sint quæ meritò peculiariter debeant consignari.

Quartò, Sunt de eadem re luculentissimæ Patrum sententiæ, cap.18. à nobis fusiùs descriptæ, quæ nimirum docent, plenum & absolutum Romani Imperij interitum, tempore anteceſſurum primordia regni Antichristi: quas non piget breuiter hîc relegere.

Tertullianus Apologetici cap.32. *Vim maximam vniuerso orbi imminentem*, (Antichristum) *ipsámque clausulam sæculi Romani Imperij commeatu scimus retardari.* Si Imperij Romani commeatus, id est, status, conuictus, facultas temporis, & diuturnitas concessa illi à Deo, qua stat, & viuit, retardat & remoratur Antichristum: ergo tolli priùs oportet illud imperium quàm veniat Antichristus. Et de Resurrectione carnis, cap. 24. *Tantùm qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Quis? nisi Romanus status, cuius abscessio in decem reges dispersa Antichristum superinducet. Et tunc reuelabitur iniquus.* Ergo destructio & abscessio absoluta Romani Imperij superInducet Antichristum: at Antichristum superinduci, non est, vt Antichristus Deum neget, aut se Deum faciat, & Ecclesiam premat: quis enim ita loquitur? sed vt veniat, appareat, regnare incipiat in mundo ille sceleratissimus homo.

Lactantius lib.7. cap. 15. *Romanum nomen quo nunc regitur orbis, tolletur de terra: & Imperium in Asiam reuertetur*, id est, Sublato penitus Imperio Romano, orietur in Asia Antichristianum. Et post alia: *Sublatum iri ex orbe Imperium, nominque Romanum. Quomodo autem id futurum sit, ostendam: in primis multiplicabitur regnum, & summa rerum potestas per plurimos dissipata & concisa minuetur. Tunc discordiæ ciuiles in perpetuum ferentur, nec vlla requies bellis exitialibus erit: donec reges decem pariter existant, qui orbem terræ, non ad regendum, sed ad consummandum partiantur. Hi exercitibus in immensum coactis, disperdent omnia, & comminuent, & vorabunt. Tum repente aduersus eos hostis potentissimus* (Antichristus) *orietur, qui tribus ex eo numero deletis, assumetur in Societatem à cæteris, ac Princeps omnium cõstituetur.* Vides, vt perspicuè affirmet, postquàm decem reges. Imperium Romanum consummauerint, disperdiderint, comminuerint, deuorauerint, ac funditus deleuerint, vt nec nomen eius superſit in mundo, oriturum Antichristum, id est, apparitурum in mundo, regnũ suum auspicaturum, & præliaturum cum illis decem regibus, & sibi eos subiecturum. Ergo iam ante initia regni Antichri

tichristi & manifestationis eius ; atque adeò ante prælia ipsius cum illis decem regibus, & victorias de eisdem , omninò desolandum & euertendum erit Romanum Imperium.

S.Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 15 *Veniet autem hic prædictus Antichristus , quum impleta fuerint tempora Imperij Romani.* At impleri tempora Romani Imperij nihil aliud est, quàm consummari, & finiri Imperium Romanum. Sic Lucæ 21.24. *donec impleantur tempora nationum,* hoc est, quoúsque finiantur & consummentur gentes , quamdiu erunt homines. Aliter S. Cyrillum , interpretari, id est, ipsum non intelligere.

S.Hieronymus epistola 151. ad Algasiam, quæstione 11. *Non veniet Antichristus , nisi prius Romanum deleatur Imperium. Tantùm vt Romanum Imperium, quod nunc vniuersas gentes tenet , recedat , & de medio fiat : & tunc Antichristus veniet , fons iniquitatis.* Potuítne quidquam dici dilucidius ? Et in Ieremiæ 25. eadem Pauli verba interpretans , ait: *Eum qui tenet , Romanum Imperium ostendit : nisi enim hoc destructum fuerit , sublatúmque de medio, Antichristus antè non veniet.* At quis in S.Hieronymo, *veniet,* interpretetur, se Deum faciet , & persequetur Ecclesiam ? S. Ambrosij nomine Auctor sanè Ambrosio æqualis in eadem 2. Thessalon. 2. Pauli verba : *Post defectum Regni Romani apparitorum Antichristum dicit.*

S.Chrysostomus homil.4. in 2. ad Thessalonicens. *Tantùm qui tenet nunc, teneat , donec de medio fiat. Hoc est , quando Romanum Imperium de medio fuerit sublatum, tunc ille* (Antichristus) *veniet. Et meritò. Quamdiu enim fuerit metus huius Imperij, nemo citò subiungetur. Quando autem hoc fuerit euersum, vacans inuadet Imperium.* Quid his verbis clarius ?

Theophylactus in 2. Thessalon. 2. eadem ferè S. Chrysostomi imitatus verba : *Nisi enim Romanum Imperium dissolutum fuerit , non habebit aduersarius aditum. Tantùm vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat : & tunc reuelabitur ille iniquus. Hoc est, Romanum Imperium quando sublatum fuerit è medio, tum ille veniet. Quamdiu enim huius Imperij timor fuerit , non facilè quisquam subiicietur : eo verò dissoluto, vacuo insidiabitur Imperio, eique insidebit.* Tantum ergo abest , vt Antichristus ipse Romanum euertat Imperium , vt potius ipsum iam euersum & vacuum quum veniet , inueniat.

Oecumenius in 2. Thessalon. 2. *Nisi enim Romanum Imperium soluatur , non veniet Antichristus. Solùm est qui modò retinet. Thronus videlicet , & regnum Romanorum, quod nunc impedimento est, donec cesset, finémque accipiat. Tunc reuelabitur iniquus ille, hoc est , Antichristus. Vbi enim Imperium Romanum fuerit dissolutum , tunc Antichristus rebellione irruet. ac obtinere conabitur Imperium.*

Strabus in 2. Thessalon. 2. *Aderit discessio ab Imperio Romano : qua impleta , aderit ille iniquus.* Rabbanus Opusculo de Antichristo : *Dicit Apostolus Paulus, Antichristum non antea in mundum esse venturum, nisi venerit primùm discessio : hoc est , nisi discesserint omnia regna à Romano Imperio, quæ priùs subdita erant.* Et ne simus prolixiores in Patrum sententiis exscribendis, hoc ipsum , nempe Imperium Romanum funditus destruendum ante aduentum Antichristi , disertè quoque tradiderunt S.Augustinus,Sedulius,Primasius, S.Beda,Haimo, Anselmus Laudunensis, Rupertus , S. Anselmus, Eugelbertus , Otho Frisingensis , S.Thomas , Augustinus Triumphus, quorum sententias suprà citauimus cap.18.

Quintò , Recentiores quique qui de eadem re ex professo tractarunt, exploratum cumprimis habuerunt , Romanum Imperium priùs omninò extinguendum,quam veniat Antichristus, ita vt cùm apparebit in mundo nefarius ille Homo, & regnare cœperit , ac præliari aduersus tres reges , nec rem,nec nomen Romani Imperij reperiat in mundo, à decem regibus iam antea eo Imperio euerso & deleto : atque omnimodam Imperij Romani extinctionem signum esse certum & propinquum iamiam aduenientis Antichristi. Tantum abest, vt Romanum Imperium ab ipso Antichristo sit penitus abolendum. Atqui cùm Recentiores ferè omnes , excepto Henrico Henriquez & Francisco Suarez, quod scire potuimus, id ipsum docuerint, seorsim tamen accuratiùs idem demonstrarunt, Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap.13. Bellarminus lib.3. de Rom. Pontif. cap.5. Gregorius de Valentia tomo 4.disp.11.quæst.2.puncto 2. §. 3. Iosephus Acosta lib. 2. de Nouissimis temporibus , cap. 2. Martinus Becanus de Antichristo reformato lib. 2. cap.1. Leonardus Lessius disp. de Antichristo , demonstr. 14. Florimundus Remundus libro de Antichristo , cap. 9. Ieremias Ferrerius de Antichristo cap.22. Benedictus Iustinianus , & Cornelius à Lapide in 2. Thessalon.2. Vide alios, quos citauimus cap. 18.

Sextò, Luce meridiana fulgentius est, Patres, & recentiores omnes quos produximus affirmantes, Antichristum non venturum, id est, non in mundo primum regno conspicuum apparituram , nisi prorsus ante deleto & extirpato Romano Imperio: suum consensum potissimum ex loco Pauli 2. Thessalon.2. *Et nunc quid detineat , scitis vt reueletur in suo tempore. Tantùm vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat : & tunc reuelabitur ille iniquus.* Accepisse : atque Pauli, Patrum , Recentiorúmque in hac re vnicam tantùm fuisse mentem & intelligentiam , eam ipsam nimirum quam diximus , & firmare, explicaréque nisi sumus.

Septimò , Atqui quæ hactenus de omnimoda Romani Imperij abolitione ante aduentum , & initia regni Antichristi à nobis disserta sunt , pleniùs adhuc & robustiùs confirmabuntur , quum mox in sequentibus ex oraculis Prophetarum clarissimè ostendemus , ante aduentum Antichristi in mundum , decem Reges in orbe futuros , qui Romanum funditus destruent & euertent Imperium, eiúsque dignitatem, potestatem, noménque penitus de terra auferent, & extinguent: quotum se nullus Romanum Imperatorem vocabit:quibus regnantibus , & Prouincias omnes,quæ quondam Romani Imperij fuere, pro sua quisque parte occupantibus, veniet Antichristus : & tres illorum ipse delebit : septem alios sibi subiiciet. Atque inde erit initium Monarchiæ eius.

Iam Patrum auctoritates quas pro sua sententia Henriquez & Suarez attulerunt, nihil nostræ officiunt : nam qui videntur asserere ab Antichristo euertendum Romanum Imperium, ne sibi ipsis reperiantur aduersi : siquidem iidem ipsi disertissimè aiunt Romanum Imperium delendum de mundo antequam veniat Antichristus : illud dumtaxat significare voluerunt , occasione ipsius Antichristi, nimirum vt ipse venienti proximè paretur via, tollendum de mundo Romanum Imperium : vt ipse Antichristus omnimodæ & plenæ Imperij abolitionis quodammodo censeatur causa : & quòd propè eius aduentum sit penitus interiturum,videatur Antichristus illud Imperium destructurus,

turus, præsertim cùm illudmet, sed vacans, & extinctum, suo tamen sub nomine, sit occupaturus & possessurus, & veluti instauraturus: nam omnes Imperij Romani Prouincias incubabit, vt suo loco dicemus. Sed ad singulas auctoritates respondeamus.

Ad primam, inter suspiciones alias, certum est, eam de Imperio Romano præ cæteris probatam S. Augustino. Suspicionem tamen modestè ita appellauit, cùm communis plurimorum esset interpretatio, quòd non omnem, aut certè diuinam haberet auctoritatem: & aliæ ab aliis loco adhiberentur explanationes. Ad secundam; Non sanè vnum Theodoretum tot ac tantis Patribus illius interpretationis auctoribus prudens vllus prætulerit. Et quod addit, tantum est, Antichristum oriturum ex reliquiis Romani Imperij fracti & excisi, vt suo loco verba Danielis explicabimus. Ad tertiam; Locum illum Daniël. 11. lib. 6. cap. 11. elucidabimus. Loquitur enim Vates de decem regibus illis, quos Antichristus quum venerit, inueniet regnantes in orbe, quos brachia pugnantis populi Romani appellat, quòd ex diuulso & penitus dilacerato, ac penitus exciso corpore Romani Imperij extabunt, sine re tamen & nomine Imperij Romani quod ipsi antè funditus euerterint. Ad quartam; Lactantius ait, ab Antichristo effodiendum Romanum Imperium, nimirùm, non quòd ab ipso, aut suo tempore sit destruendum: sed quod propter ipsum, & vt ipsi sternatur via, sit proximè antè à decem regibus delendum: & quia ipse vacuum & extinctum Romanum Imperium occupabit: non sub Romano, sed sub suo Antichristi nomine. Certè clariora sunt Lactantij verba pro nostra, hoc est, communi sententia, vt in dubium reuocari queant. Ad quintam; eodem modo respondemus: & de mente S. Chrysostomi, Theophylacti, Oecumenij quam superiùs verbis eorum expressimus, si quis dubitet, dubitabit quoque de luce in mero meridie. Qua etiam ratione intelligendus est Hugo Etherianus libro de Regressu animarum ab inferis? cap. 23. nam fermè ex iis sua verba descripsit. Ad sextam; Andreas planè & Aretas rem non intellexerunt: quis enim vnquam dixit, Antichristum se Regem Romanorum appellaturum: obtinebit quidem Antichristus Imperium illud quod olim Romanum fuit, id est, Prouincias omnes quæ quondam Romani Imperij fuêre: & multò adhuc plures: vt suo loco dicemus; sed nullo pacto se Romanorum Imperatorem indigetabit: cùm consensu omnium constet, vel ab ipso, vel ante ipsum, Romanum Imperium esse omninò de mundo exscindendum. Vt sanè nunc Turca occupat Orientale Romanum Imperium: sed Romanum Imperatorem non se vocat.

Traditio Sanctorum Patrum & Recentiorum, circa finem saculi decem Reges in orbe futuros, qui funditus destruent & euertent Romanum Imperium, ac inter se partientur: quorum tempore venturus est Antichristus: qui debellatis ac deletis tribus ex illis Regibus, reliquos septem suo subiugabit Imperio.

CAP. XXII.

MIra est de hac re Veterum Patrum, ac posteriorum omnium consensio.

S. Ireneus lib. 5. aduersus hæreses, cap. 25. *Daniël autem nouissimi regni finem respiciens, id est, nouissimos decem reges, in quos diuideretur regnum illorum, super quos filius perditionis veniet, cornua dicit decem nasci bestiæ: & alterum cornu pusillum nasci in medio ipsorum, & tria cornua de prioribus eradicari à facie eius, Et ecce, inquit, oculi, quasi oculi hominis in cornu hoc, & os loquens magna: & aspectus eius maior reliquis videbatur. Et cornu illud faciebat bellum aduersus Sanctos, & valebat aduersus eos, quoadusque venit vetustus dierum, & iudicium dedit Sanctis Altissimi Dei: & tempus peruenit, & regnum obtinuerunt Sancti. Postea in exsolutione visionum dictum est ei: Bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod eminebit super reliqua regna, & manducabit omnem terram, & conculcabit eam, & concidet. De decem cornibus eius, decem reges exsurgent: & post eos surget alius, qui superabit alios homines, qui ante eum fuerunt: & reges tres deminorabit, & verba aduersus Altissimum Deum loquetur, & Sanctos Altissimi Dei conteret, &c.* Quibus verbis manifestissimè expositi vaticinia Danielis 7. v. 7. 8. 19. & seqq. de Antichristo: quæ nos posteà ex professo elucidabimus.

Et cap. 26. pergit idem S. Ireneus: *Manifestiùs adhuc de nouissimo tempore, & de his qui sunt in eo decem regibus, in quos diuidetur, quod nunc regnat Imperium,* (Romanum) *significauit Ioannes Domini discipulus in Apocalypsi, edisserens quæ fuerint decem cornua quæ à Daniële visa sunt dicens, sic dictum esse sibi: Decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt: sed potestatem quasi reges vna hora accipient cum bestia. Hi vnam sententiam habent, & virtutem, & potestatem suam bestiæ dant. Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet eos, quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum. Manifestum est itaque, quoniam ex his tres interficiet ille qui venturus est* (Antichristus) *& reliqui subiicientur ei, & ipse octauus est in eis: & vastabunt Babylonem, & comburent eam igni, & dabunt regnum suum bestiæ, & effugabunt Ecclesiam. Post deinde ab aduentu Domini nostri destruentur. Quoniam enim oportet diuidi regnum, & sic deperire, sicut Dominus ait: Quoniam omne regnum diuisum in se, desolabitur: & omnis ciuitas vel domus diuisa in se non stabit. Diuidi igitur & regnum, & ciuitatem, & domum oportet in decem: & propterea iam partitionem & diuisionem præfigurauit, & diligenter Daniël finem quarti regni digitos ait pedum esse eius imaginis, quæ à Nabuchodonosor visa est, in quos venit lapis sine manibus præcisus, & quemadmodum ipse ait: Pedis pars quidem*

dem aliqua ferrea, & pars aliqua fictilis, quoadvſque abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & percuſſit imaginem in pedes ferreos & fictiles, & comminuit eos vſque ad finem. Poſt deinde in exſolutione ait: Et quoniam vidiſti pedes & digitos, partem quidem fictilem, partem autem ferream, regnum diuiſum erit, & radix ferrea erit in eo, quemadmodum vidiſti ferrum commixtum teſtæ: & digiti pedum pars quidem aliqua ferrea, pars autem aliqua fictilis. Ergo decem digiti pedum, hi ſunt decem Reges, in quibus diuidetur regnum: ex quibus quidam quidem fortes & agiles, ſiue efficaces: alij autem pigri & inutiles erunt: & non conſentient quemadmodum Daniël ait. Hactenus S. Ireneus interpretatus diſertè oracula Danielis 2. v. 41. & 42. & Apocalypſis 17. verſ. 10. & ſeqq. quæ quoque nos in ſequentibus accuratè explicabimus.

Tertullianus de Reſurrectione carnis, cap. 24. enarrans locum Pauli 2. Theſſalon. 2. *Quoniam niſi veniat abſceſſio primò huius vtique Regni* (Romani) *& reueletur delinquentiæ homo, id eſt, Antichriſtus, filius perditionis, &c. Tantum qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat, Quis? niſi Romanus ſtatus, cuius abſceſſio in decem Reges diſperſa Antichriſtum ſuperinducet. Et tunc reuelabitur iniquus, &c.*

S. Hippolytus Martyr oratione de Conſummatione mundi, & de Antichriſto, interpretans vaticinium Daniël. 2. 40. & 41. de regia ſtatua Nabuchodonoſoro in ſomnio viſa: & aliud Daniël. 7. 7. de quarta Beſtia, inquit: *Deinceps narrat Daniël quartam Beſtiam terribilem ac ſtupendam, cuius dentes erant ferrei, ac vngues ænei. Quinam ſunt hi niſi Romanorum Imperium? quod eſt ferreum, quo conteret omnes ſuperiores Regias, & dominabitur vniuerſæ terræ. Quid porrò reliquum eſt nobis interpretandum ex his quæ vidit Propheta? At extremitates illæ pedum imaginis, in quibus pars erat ferrea, pars teſtacea, permixta ambo in vnum. Siquidem decem digitis pedum imaginis, myſticè ſignificauit decem reges inde exortos: quod Daniël eſt interpretatus: Conſideratam enim, inquit, beſtiam, quartam videlicet: & ecce decem cornua poſt eam: in quibus aſcendit alterum cornu tanquam pullulus, ac tria ſe priora eradicabit. Quod cornu demonſtrat pullulum alium non eſſe, niſi Antichriſtum, qui ſuſcitabit regnum Iudæorum. Tria cornua quæ ab eo radicitus euellentur, tres reges indicant, Ægypti, Libyæ, Æthiopum, quos deleturus eſt acie bellica. Quibus omnibus potitus iam Tyrannus formidabilis Sanctos affliget, ac perſequetur inſurgens in eos.* Nempe Antichriſtus.

Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 15. & 16. *Sublatum iri ex orbe Imperium, nomenque Romanum. Quomodo autem id futurum ſit, ne quis incredibile arbitretur, oſtendam: Inprimis multiplicabitur regnum, & ſumma rerum poteſtas per plurimos diſſipata & conciſa minuetur. Tunc diſcordiæ ciuiles in perpetuum ferentur, nec vlla requies bellis exitialibus erit: donec reges decem pariter exiſtant, qui orbem terræ, non ad regendum, ſed ad conſummandum partiantur. Hi exercitibus in immenſum coactis, & agrorum cultibus deſtitutis, quod eſt principium euerſionis & cladis, diſperdent omnia & comminuent, & vorabunt. Tum repente aduerſus eos hoſtis potentiſſimus* (Antichriſtus) *ab extremis finibus plagæ Septentrionalis orietur, qui tribus ex eo numero deletis, qui tunc Aſiam obtinebunt, aſſumetur in Societatem à ceteris, ac Princeps omnium conſtituetur. Hic inſuſtentabili dominatione vexabit orbem, diuina & humana miſcebit: infanda dictu, & execrabilia molietur. Noua conſilia in pectore ſuo volutabit, vt proprium ſibi conſtituat Imperium: leges commutabit, ſuas ſanciet: contaminabit, diripiet, ſpoliabit, occidet. Denique immutato nomine, atque Imperij ſede tranſlata, confuſio ac perturbatio humani generis conſequetur.*

Lucifer Calaritanus Epiſcopus libro de Non parcendo in Deum delinquentibus, idem Danielis 7. v. 7. oraculum de Quarta Beſtia, & decem cornibus eius, & de cornu paruo ex eis enato, intelligens de Imperio Romano, de decem Regibus in fine mundi, & de Antichriſto, verbis ipſis Danielis in hunc modum diſſerit: *Et ecce beſtia quarta horribilis & fortis vehementer, dentes eius ferrei manducabant, & comminuebant, & reliqua pedibus ſuis conculcabant. Et hæc beſtia maior ceteris beſtiis quæ ante viſæ ſunt: & cornua decem ei, & intendebam in cornua eius: & ecce cornu aliud minus aſcendit in medio eorum, & tria cornua quæ erant ante illum, eradicata ſunt à facie eius. Et ecce oculi hominis in cornu hoc, & os loquens magna.* Et poſt alia: *Et quærebam diligenter de beſtia quarta, quòd erat præter ceteras beſtias horribilis valde, dentes ei ferrei, & vngues eius ærei, manducabat & comminuebat, & reliqua pedibus ſuis conculcabat: & de cornu eius decimo quod erat in capite eius, & de altero cornu quod aſcendit, & priora tria cornua excuſſit: cuius oculi, & os loquens magna, & viſus eius maior ceteris videbatur. Et cornu illud faciebat bellum cum Sanctis, & valebat aduerſus eos. Et dixit: Beſtia quarta, quartum Regnum erat in terra, quod eminebit omnia regna, & manducabit omnem terram, & conculcabit eam: & concident decem cornua eius. Decem reges exſurgent, & poſt eos exurget alius qui ſuperabit malis omnes qui ante eum fuerunt: & tres humiles faciet, & verba aduerſus Altiſſimum Deum loquetur, & Sanctos Altiſſimi Dei inueterabit, &c.* Et tandem ſubdit: *Scriptum eſt de Antichriſto.*

S. Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi 15. *Veniet autem hic prædictus Antichriſtus, quum impleta fuerint tempora Imperij Romani, & mundi conſummatio appropinquabit. Decem ſimul Reges Romanorum excitabuntur in diuerſis quidem locis, eodem tamen tempore regnantes: poſt iſtos autem vndecimus Antichriſtus, per magicum maleficium Romanorum poteſtatem rapiens: tres quidem ante ſe reges deprimet, reliquos autem ſeptem ſibi ſubiiciet. Hæc autem docemus, non comminiſcentes, ſed è Scripturis diuinis colligentes, & ex ea maximè quæ nuper lecta eſt, ex Daniele prophetæ edocti: ſicut Gabriël Archangelus interpretatus eſt, dicens ſic: Quarta beſtia quartum eſt regnum in terra, quod maius erit omnibus aliis regnis. Hoc autem eſſe Romanorum, Eccleſiaſtici Interpretes tradiderunt. Primum enim erat Regnum Aſſyriorum, alterum Medorum ſimul & Perſarum, tertium poſteà Macedonum: quartum eſt nunc regnum Romanorum. Deinde verò Gabriël interpretans, dicit: decem cornua ipſius, decem regna conſurgent: poſt iſta alter conſurget, qui omnes ante ſe, malis vincet: neque ſolum illos decem reges, ſed omnes qui ante ſe fuerunt. Et tres reges deprimet, prorſus vt ipſemet octauus regnet: & verba faciet contra Altiſſimum: vir blaſphemus & iniquus.* Nimirum Antichriſtus.

Victorinus Commentariolo in Apocalypſim, elucidans oracula Ioannis cap. 12. v. 13. & cap. 13. v. 1. & cap. 17. v. 12. de decem cornibus beſtiæ, inquit: *Dicimus cornua decem, decem reges in nouiſſimo tempore.* Et inferiùs: *Hæc cornua decem, & decem diademata Daniel oſtendit: & tria eradicari de prioribus, hoc eſt, tres duces primarios ab Antichriſto interfici: ceteros ſeptem dare illi honorem, & conſilium & poteſtatem, de quibus ait: Hi odient Meretricem, vrbem ſcilicet, dicit.* Quam vrbem

paulò antè Romam esse affirmauerat.

S.Hieronymus exponens illud vaticinium Danielis 7. v. 8. *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud, &c.* in hunc modum scribit: *Ergo dicamus, quòd omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se diuidant, & vndecimum surrecturum esse regem paruulum,* (Antichristum) *qui tres reges de decem regibus superaturus sit: id est, Ægyptiorum regem, & Africæ, & Æthiopiæ: sicut in consequentibus manifestius dicemus. Quibus interfectis, etiam septem alij reges victori* (Antichristo) *colla submittent.* Ergo, testante S. Hieronymo, hæc semper fuit Scriptorum omnium Ecclesiasticorum consensio.

Quintus Iulius Hilarion, qui Attico & Cæsario Coss. scripsit, hoc est, Christi anno iuxta certiores Fastos 397. Libello de Mundi duratione, ad finem, inquit: *Qui anni VI M. durationis mundi, non antè complentur, nisi priùs prope vltimum Reges decem exierint in mundum, & filiam Babylonis quæ nunc obtinet, de medio mundi tulerint. Ad quos subitò exiet vnus potens super eos, qui est in Apocalypsi, Draco nominatus,* (Antichristus) *& obtinebit Reges decem: & ex eis aliquos perdet: alij sub eius ditione remanebunt. Tunc reuelabitur ille impius filius perditionis, qui elatus est aduersus omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita vt in templo Dei sedens, ostendat se tanquam ipse Deus. Hic erit proprius Antichristus.*

S.Prosper Aquitanicus in Dimidio Temporis, capiti 8. hunc præfigit titulum: *De decem Regibus, quos Antichristus inueniet.* Et posteà subdit: *In Apocalypsi Ioannes ait: Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, hi regnum nondum acceperunt, sed potestatem regni vna hora accipient post bestiam. Hoc à Daniele ostensum est: Bestia quarta, quæ grandior omnibus bestiis fuit, tot cornua habens. Sed quod ibi dixit, cornu minus surrexisse ante se: hic septem reges nominat, illis tribus expulsis: ipsum autem octauum Antichristum esse.*

Theodoretus orat. 7. in Daniël. ad verba illa cap. 7. v.7. *Et cornua ipsi decem.* Scribit: *Significat hoc loco fore vt circiter regni* (Romani) *finem, decem simul exsurgant reges, quorum alij potentes erunt, alij admodum imbecilles. Hoc enim in imaginis quoque somnio docuit.* (cap. 2.) *Námque illic digiti pedum, decem erant, quorum pars ferrea, pars erat fictilis. Quod beatus Daniël interpretans, dixit, partem quidem regni robustam fore, partem verò imbecillem. Ita vt apertè constet, eadem vtroque somnio significari: Cornua ipsi decem ait.* Et statim exponens quæ sequuntur in Daniële: *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est,* &c. ait: *Hic Antichristum innuit, qui inter decem cornua exoritur, atque ipsum tria cornua radicitùs asserit euulsisse: quo significat, illum ex decem qui eodem tempore regnabunt, tres reges euersum ire. Et paruum ipsum cornu vocat, vt à parua Iudæorum tribu natum.* Et inferiùs ad verba illa eiusdem Daniël.7. v.24. *Et post eos enim surget rex alius, inquit: Perspicuum igitur ita prædicere, fore, vt decem reges circa finem simul exsurgant, & postremus Antichristus exoriatur, regnúmque obtinere contendat: quem cum ipsis bellaturum, ac tres ex ipsis euersurum asserit.* Et oratione 10. in Daniël.ad illud cap. 11. v. 4. *Quia euelletur regnum eius, & dabitur aliis,* hæc habet: *Et quartam bestiam beatus Daniël vidit decem cornibus præditam, inter cuius cornua ascendebat paruum cornu, quod oculos habebat, & os loquens magna, & prælium committebat cum Sanctis. Rursus autem ex his intelligimus in fine Romani regni, decem eodem tempore exorituros Reges, qui multa sibi vltro citróque damna inferent, alter alterius regna mutuò debellantes, quemadmodum Macedones faciebant: cúmque hæc acciderint, ostensurum se virum peccati, filium perditionis, id est, Antichristum.*

S. Gregorius Papa lib. 32. in Iob, c.11. *De quo* (Antichristo) *Daniël, quum quartam bestiam diceret decem cornibus fultam, protinus adiunxit: Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum: & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius. Quod videlicet paruulum oritur, quia purus homo generatur. Quod tria cornua quæ ei ante faciem sunt, euellit: quia ditioni suæ regna totidem, quæ sibi vicina sunt subigit.*

Primasius in 17. Apocalypsis, ad verba illa vers. 3. *Super bestiam coccineam, habentem capita septem, & cornua decem,* ait: *Persecutione nouissima properante, decem reges futuros sancti quoque Danielis prophetia testatur. Hos nunc in septem capitibus & decem cornibus bestiæ hic liber sæpe designat: super quos ideò superiùs etiam diademata esse dicit, quòd regnis omnibus interemptis, solis poterunt in toto orbe regnare.*

Andreas Cæsarienſis Episcopus cap. 36. in 13. Apocalyps. ad illud vers.1. *Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem,* inquit: *Sanctus Methodius, & Hippolytus, & alij veteres de ipso Antichristo præsentem locum interpretati sunt. Per decem autem cornua totidem diadematis exornata, denotari volunt regni terreni in decem partes sectionem.* Et inferiùs ad illud vers.2. *Et bestia quam vidi, similis erat pardo,* &c. annotat: *Per Pardum, Græcorum; per Vrsum, Persarum; per Leonem, Babyloniorum regnum denotatur: quæ omnia vnus obtinebit Antichristus: idémque in medium sese offeret, atque vbi primùm fictiles pedum digitos, per quos Regni* (Romani) *in decem partes diuisi infirmitas indicatur, animaduertit, totum illorum principatum funditus euertet.* Et ad illud vers. 3. *Et vidi vnum de capitibus eius, quasi occisum in mortem: & plaga mortis eius curata est,* ait: *Aut certè Romanorum regnum diuisione illa in decem partes, internecionem quodammodo passum, ad Monarchiæ formam, cuiusmodi Augusti Cæsaris ætate extabat, ab Antichristo redactum, rursum conualuisse, & quasi in integrum restitutum denuò visum esse innuit.* Et cap.53. ad illud Apocalyp.17. v.12. *Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt: hæc scribit: Decem hæc cornua seu Reges Daniël quoque vidit, qui Antichristum præcedent: ex quibus tres mox radicitus euellet: reliquos autem sceleſtus ille imperio suo subiiciet.* Et cap.54. ad verba illa Apocalyp. 18. v.21. *Hoc impetu mittetur Babylon.* &c. ait: *Plerique veteres Ecclesiæ Doctores hæc contra eam Babylonem prædicta tradunt, quæ apud Romanos extat: cùm ob alia, tum verò maximè, quòd in quarta Bestia, nempe in Romano Imperio visa sint decem cornua: è quibus vnum inde enatum, tria mox radicitus euertit: cetera verò sibi subiungat: tum versum, quòd Antichristus, vbi venerit, tanquam rex Romanorum in medium proditurus sit, eo quidem colore & prætextu, quasi illorum Imperium velit instaurare & confouere, nec non aduersus hostes cum illis conspirare: cum re ipsa tamen consummatam illius euersionem & vastitatem moliturus sit.*

Aretas Cæsarienſis Episcopus cap. 36. in 13. Apocalyps. ad illud vers.1. *& cornua decem,* inquit: *Verùm nonnulli ex veteribus Patribus dixerunt, in decem tunc regna vniuersum mundum diuisum iri.* Et ad illa verba eiusdem vers. 1. *Et super capita sua nomina blasphemiæ,* addit: *Tunc denique & ipse* (Anti

(Antichristus) *iam paulò antè Romano Imperio in decem principatus dissecto, emerget.* Et ad illud vers. 3. *Et vidi vnum de capitibus eius*, &c. ait : *Vel etiam quòd Romanorum principatus, ob diuisionem in multas partes, in occidionis modum periisse fuerit existimatus: ipsius verò Antichristi, qui hos dissoluerat Principatus, dissolutio, curatio sit putata.* Et cap. 54. ad illud Apocalyp. 17. v. 12. *Et decem cornua quæ vidisti*, annotat, *Decem cornua, decem, inquit, reges esse à Romano Imperio nouissimis temporibus exsurrecturos : in quorum medio surget Antichristus.*

S. Beda in 17. Apocalyps. ad illud vers. 12. *Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt* : ait : *Quidam persecutione nouissima propinquante, decem reges futuros, qui orbem inter se diuidant, iuxta Danielis quoque prophetiam, interpretantur, qui de bestia quarta dixerit : & habebat cornua decem : & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum : & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius. Et Antichristum de Babylone natum, Ægypti regem, & Africæ & Æthiopiæ superaturum. Quibus interfectis, etiam septem alij reges victori colla submittant.*

Ambrosius Ansbertus in 13. Apocalyp. ad illud vers. 1. *Et cornua decem*, inquit : *Et decem cornua ostendamus, Danielem ad medium deducamus, qui dum quartam bestiam diceret decem cornibus fultam, protinus adiunxit, dicens : Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum: & tria de cornibus prioribus euulsa sunt à facie eius. Ecce apertè videmus, quem Ioannes caput ex septem capitibus octauum futurum dicit hunc Danièl cornu paruulum de medio decem cornuum ortum, vndecimum ponit. Et vt hi decem reges ad septenarium numerum redigerentur, & Antichristus ex ipsis ortus, octauus supponeretur : sequitur Scriptura illa & dicit : Et tria de cornibus prioribus euulsa sunt, à facie eius. Dum enim tria ex decem euelluntur, septem vtique remanent : quibus ille auctor transgressionis vndenarius, octauo loco subrogetur.* Et in 17. Apocalyps. vers. 12. ad verba illa : *Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt*, ita differit : *Vnde & per Angelum Danieli dicitur : Bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis. Porrò cornua decem ipsius regni decem reges erunt, & alius consurget post eos, videlicet Antichristus : & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit. Quid enim per quartum regnum, nisi Romanorum Imperium designauit ? in quo videlicet isti decem reges esse memorantur : post quos vtique Antichristus dicitur surrecturus.*

Strabus in 7. Daniël. ad illud vers. 8. *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud, &c.* ait : *Dicamus ergo, quòd in consummatione mundi, quando Romanorum regnum destruetur, futuri sunt decem reges, qui inter se diuidant orbem Romanum : & vndecimum surrecturum esse regem paruulum* (Antichristum) *& tres reges de decem superaturum, id est, Ægyptum, Africanum, Æthiopum, sicut in sequentibus clariùs patebit : quibus interfectis, septem alij victori colla submittent.*

Simeon Metaphrastes Commentario de S. Daniële Propheta, apud Surium tomo 4. 21. Iulij : *Quartam autem Bestiam vidit Daniël terribilem & stupendam : per hæc docens manum Romanorum, quæ iam diu tenet Imperium. In cuius capite animaduerti, inquit Propheta, decem cornua : & aliud quoque paruum, quod inter ea nascebatur, & tria ex prioribus euellebat radicitus. Iam enim in ipso fine Romani Imperij, quod secatur in multos principatus, dicit quidem fore vt decem reges simul exurgant : hoc enim significabat visio decem cornuum : tria autem ex iis regnis à paruo illo cornu dissolui : quod cernebat habere oculos hominis, & os magniloquum, & superaturum esse vitium omnium vitiorum, quæ fuere à sæculo ; quæ quidem apertè significant Antichristum.*

Ioannes Zonaras tom. 1. Annalium, exponens visionem Daniël. 7. de quarta bestia, inquit : *Quarti animalis formam non expressit Propheta. Verùm id Romanorum Imperium innuit. Præterea decem cornua bestiæ significant, id Imperium postremis temporibus, in multa esse regna diuidendum. In medio porrò decem cornuum, paruum prodire cornu, quo tria alia cornua extirpentur, & oculos habere cornu illud, & os magniloquum & infestum Sanctis. Hoc cornu quidam Antichristum interpretantur, paruum quod ex parua tribu Hebræorum sit oriturum, & tres de decem Regibus euersurum.*

Anselmus Laudunensis in 7. Daniël. ad eadem verba vers. 8. *Considerabam cornua, &c.* ait : *Dicunt in aduentu Antichristi, decem reges orbem Romanorum esse diuisuros. Tres reges primò Antichristus humiliabit, regem Ægypti, Africæ, & Æthiopiæ. Simile Ioannes in Apocalypsi.*

Petrus Comestor in Historia Scholastica libri Danielis cap. 6. eandem sacris Vatis visionem de decem cornibus quartæ bestiæ elucidans, inquit : *Quod sequitur, Et habebat cornua decem, respicit ad finem mundi : quia tunc regnum Romanorum diuidetur in decem regna, quod significatum est per decem soles in vaticinio Sibyllæ. Et ecce cornu aliud paruum ortum est de medio eorum. Hic est Antichristus. Et tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius, id est, tres reges de decem priùs interficiet, regem scilicet Africæ, Ægypti, & Æthiopiæ. Tunc alij septem victori colla submittent.*

Eadem prorsus de decem Regibus, quorum tempore venturus est Antichristus tradunt, S. Antoninus, 1. parte Historiali, tit. 3. cap. 8. §. 1. Lyranus, Pintus, Pererius, Maldonatus in 7. Danielis, Hadrianus Finus lib. 5. Flagelli contra Iudæos, Treïus, & Cornelius à lapide in 2. Thessalonicens. 2. Gagneïus in 17. Apocalyps. Sanderus lib. 8. de visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 4. 6. 40. & 41. Pamelius in lib. Tertulliani de Resurrectione carnis, cap. 24. Bellarminus lib. 3. de Rom Pontif. cap. 2. & 5. Ribera in 12 Apocalyp. num. 11. & seqq. & in cap. 13. num. 10. Acosta de nouissimis Temporibus lib. 2. c. 9. Henricus Henriquez de fine Hominis cap. 23. §. 5. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 54. sect. 5. Gregorius Valentia tomo 4. disp. 11. quæst. 2. puncto 2. §. 3. Pererius libro de Antichristo, disp. 3. Barradius tomo 3. Historiæ Euangelicæ lib. 9. c. 5. Melus in Apocalyp. 13. & 17. Viegas in Apocalyp. 13. Commentario 1. sect. 3. Becanus de Antichristo reformato lib. 2. c. 1. Lessius de Antichristo, cap. 14. & alij.

Et cùm S. Cyrillus & S. Hieronymus adeò perspicuè affirment, hunc esse omnium Scriptorum Ecclesiasticorum consensum, nimirùm vel impudens, vel temerarius fuerit, qui refragari audeat. Sed enim quo veneranda Patrum & recentiorum traditio, solidioribus fundamentis imposita, firmiùs, & robustiùs subsistat, ageïam inuisamus sacra Prophetarum oracula ex quibus constat eam promanasse.

Vaticinium Danielis cap. 2. de Decem futuris in orbe regibus quum veniet Antichriſtus.

CAP. XXIII.

MIrabilis fuit viſio Nabuchodonoſoro Chaldæorum regi in ſomnis oblata, quam S. Daniel Regi & retulit, & interpretatus eſt. Et vt multa rei geſtæ, quæ noſtro inſtituto non faciunt, omittamus, Vates in hunc modum diſſerit verſ. 31. *Tu Rex videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis: ſtatua illa magna, & ſtatura ſublimis ſtabat contra te: & intuitus eius erat terribilis.* 32. *Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat: pectus autem & brachia de argento: porrò venter & femora ex ære:* 33. *tibiæ autem ferreæ: pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* 36. *Hoc eſt ſomnium: Interpretationem quoque eius dicemus coram te, Rex.* 37. *Tu rex regum es.* 38. *Tu es ergo caput aureum.* 39. *Et poſt te conſurget regnum aliud minus te argenteum: & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuerſæ terræ.* 40. *Et regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit & domat omnia, ſic comminuet & conteret omnia hæc.* 41. *Porrò quia vidiſti pedum & digitorum partem teſtæ figuli, & partem ferream: regnum diuiſum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, ſecundum quod vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto.* 42. *Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit ſolidum, & ex parte contritum.* 43. *Quod autem vidiſti ferrum myſticum teſtæ ex luto commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebunt ſibi, ſicut ferrum miſceri non poteſt teſtæ.*

Quatuor iſta præcipua mundi Imperia ſiue Regna quæ Daniel hîc ſignificata in quatuor ſtatuæ partibus ex quatuor metallorum generibus compactis, interpretatur, fuiſſe illas ingentes auctorum omnium annalibus celebratas quatuor Monarchias, quæ maximè viguerunt in orbe: nempe, caput ex auro, Chaldæorum: pectus & brachia ex argento, Medorum & Perſarum: ventrem ac femora ex ære, Macedonum, & Græcorum: tibias ex ferro, Imperium Romanum: Patres omnes & interpretes, vno ore affirmant. Diſſentit ſolùm in tertio Regno S. Proſper qui de Promiſſionibus & Prædictionibus Dei, part. 2. cap. 33. ait: *Non humana doctrina Daniel qua inſtructus erat, ſed Domino reuelante, & ſomnium, & interpretationem ſomnij regi narrauit. Quatuor regna in quatuor metallis, è quibus ſtatua formata ante faciem eius aderat. Mundo exſurgere caput aureum, ipſum eſſe Babylonicum Orientis: Pectus & brachia eius argentea, Macedonum Septentrionis: Venter & femora ærea, Punicum Meridiani: Crura ferrea, & digiti pedum partim ferrei & partim fictiles, vltimum Romanum videlicet Occidentis: ſicut & vir eruditiſſimus Oroſius Hiſtoriographus poſuit. Quod regnum tanquam ferrum comminuit omnia & domuit.* Verba Oroſij ſunt lib. 2. cap. 1. *Eadémque ineffabili Dei ordinatione per quatuor mundi cardines quatuor regnorum principatus fuêre, diſtinctis gradibus eminentes: vt Babylonium regnum ab Oriente: à Meridie Carthaginenſe; à Septentrione Macedonicum: ab Occidente Romanum: quod vſque ad nunc manet.*

Ceterùm Quartum Regnum ferreum, per crura ferrea ſtatuæ adumbratum, eſſe Imperium Romanum, Patres omnes & interpretes conſentiunt, ſeorſim S. Ireneus lib. 5. aduerſus Hæreſes, cap. 26. S. Hippolytus Martyr oratione de Conſummatione Mundi, Seuerus Sulpitius lib. 2. Sacræ Hiſtoriæ, Andreas Cæſarienſis cap. 36. in Apocalyp. S. Hieronymus, ac Theodoretus in 2. Daniel. S. Proſper de Prædictionibus parte 2. cap. 33. Simeon Metaphraſtes commentario de S. Daniele, Zonaras tom. 1. Annalium, Rupertus, lib. 6. de Victoria verbi Dei, cap. 11. Appoſitè ſanè Romanum Imperium per tibias ferreas indicatum fuit: quod inſtar longiſſimarum tibiarum, longiſſimo tempore fuerit bipartitum, cùm plerunque in duos Monarchas ſimul rerum potientes, tum in Occidentale, & Orientale Imperium. Ferreum verò eſt appellatum propter inſuperabilem vim, qua totum orbem perdomuit & contriuit. Quod autem ex cruribus, pedibúſque Romani Imperij oriri referuntur à Vate decem digiti partim fictiles, & partim ferrei, ſeu quidam eorum teſtacei ac lutei, alij verò ferrei: illud proculdubio ſignificat, circa extrema Imperij Romani tempora, (vt equidem pedes ac digiti ſunt humani corporis pars poſtrema) tandem ipſum Regnum Romanum in decem Reges diducendum ac diſſecandum, quorum nullus futurus eſt Rex vt Imperator Romanus, nec eo nomine vocabitur: quemadmodum nullus digitus eſt, aut vocatur pes, vel crus hominis. Ex iis verò decem Regibus alios futuros ferreos, alios teſtaceos, ad ſimilitudinem digitorum ſtatuæ: nimirum alios potentiores, illi nempe ſeptem qui ſe Antichriſto adiungent, & cum eo ſeu ſub eo rerum potientur: alios verò tres frangendos & conterendos vt fictiles & inualidiores ab Antichriſto. Hanc eſſe genuinam mentem Danielis oraculi, S. Ireneus, S. Hippolytus, Theodoretus, quorum ſententias præcedenti capite deſcripſimus, apertè docent. Et S. Hippolytus perſpicuè annotat, decem illos digitos ſtatuæ eſſe ipſiſſima quartæ Beſtiæ decem cornua, quæ idem Daniel vidit cap. 7. verſ. 7. & 8. atque Danielem decem digitos Statuæ interpretatum expreſsè decem cornua, ſeu decem Reges quartæ beſtiæ, id eſt, Imperij Romani, vt cap. ſeq. dicemus. Ad eundem quoque modum digitos pedum ſtatuæ intellexerunt plerique recentiores, Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 5. Ribera in 12. Apocalyp. num. 11. Gregorius de Valentia tomo 4. diſp. 11. quæſt. 2. puncto 2. §. 3. Pererius in Daniel. 2. Becanus de Antichriſto reformato lib. 2. cap. 1. Leſſius de Antichriſto, cap. 14.

Verùm totius Statuæ accuratiore explanatione ad Interpretes Danielis amandatæ, quæ proprie ad quartum Regnum, id eſt, Romanum ſpectant, & noſtri ſunt inſtituti, hîc tantùm attingemus. Annotauit Maldonatus ad verſ. 33. *Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Clarius ſic: Pedes autem partim ferrei, fictiles, aut teſtacei. Non enim ſignificat, vnum pedem fuiſſe ferreum, alterum fictilem: aut vnam partem ferream, non fictilem: alteram fictilem, non ferream: ſed pedes fuiſſe conflatos ex ferro non puro, vt tibias, ſed mixto cum teſta, vt explicatur verſ. 43.* Et ad verſ. 41. ait: *de partibus quidem ſtatuæ verſ. 33. diximus, quod probabilius eſſe iudicauimus, non fuiſſe*

fuiſſe vnam partem ferream, alteram teſtaceam: ſed eandem pedum partem, aut totos potiùs pedes ex ferro cum luto malè coagmentato, fuiſſe conflatos. Quod etiam hoc loco confirmamus, & quia dicit, de plantatione ferri erit, id eſt, ferrum quoddam, ſed mixtum erit: & quia ſequenti verſu declarat ferrum cum teſta fuiſſe permiſtum: & quia verſ. 43. ea miſtione humani ſeminis miſtionem ſignificare dicit: & quia ſi alia pars ferrea, alia teſtacea fuiſſet, potiùs pes alter ferreus, alter verò teſtaceus fuiſſet: & quia ſi diuerſæ, altera ferrea, altera teſtacea, fuiſſent partes, non diuerſos eiuſdem regni ſtatus, ſed regna diuerſa ſignificaſſent: nec enim minùs à ferro teſta, quàm ab ære ferrum diſtat. Atqui hoc ipſum ſatis indicaſſe viſi ſunt Seuerus Sulpitius, & Theodoretus. Ergo quod verſ. 43. ait, Ferrum mixtum teſtæ, Zonaras aſtruit, in priore Reipublicæ Romanæ forma, ſignificare Senatum & Plebem: in poſteriore verò, Ariſtocratiam & Monarchiam, nempe Senatum & Principem. Et hoc poſterius ſequitur Maldonatus. Illud verò, *Commiſcebuntur quidem humano ſemine*: ad connubia & cognationes referunt, Theodoretus, Lyranus, Vatablus, Clarius, Pintus, Pererius, Veldius, Maldonatus. Sed Clarius, & Pererius ſingulariter ad affinitates Pompei & Iulij Cæſaris media Iulia Cæſaris filia, nupta Pompeio: & ad Auguſti cum Antonio per Octauiam ſororem Auguſti, Antonio iunctam. In priori verò Reipublicæ forma, poſſit intelligi de connubiis Patrum cum Plebe lege Canuleia, apud Liuium lib. 4. cap. 1. & 5. & Florum lib. 1. cap. 25. Raptáſque Sabinas indicari putant Clarius, & Veldius. Vatablus aliter: *Commiſti erunt ſemine humano. Per ſemen humanum intelligit multas, ac varias nationes hominum. Ac ſi dicat: Imperium illud Romanum admittet ſecum homines multarum, ac variarum nationum: ſed nulla erit firma inter eos amicitia.* Alio etiam modo Sà: *Humano ſemine: id eſt, generatione, ſcilicet, ſuccedent alij aliis: ſed non adhærebunt ſibi, ſcilicet, amicitia. Vel quaſi dicat: Diſſimiles erunt inter ſe Viribus: poſteriores enim erunt debiliores multò.*

Denique illud, *Non adhærebunt ſibi.* Satis innuere videtur Tribunitias procellas, ſeceſſiones Plebis à Patribus, ſeditiones, tumultus, toties ſumpta arma ciuilia, quæ eam Romanam Rempublicam à ſua conditione ad Imperij vſque inclinationem pluſquam vllam aliam agitauerunt: de quibus pleni ſunt omnes Annales, & breuiter enumerauit ſanctus Auguſtinus 3. de Ciuitate Dei, cap. 17. Atque hoc eſſe quod verſ. 41. dicit, *Regnum diuiſum erit.* Sic enim miſerè dilaceratum, ac diſtractum fuit Romanum Imperium. Ad hunc modum Danielis iſtud de regno Romano expoſuerunt Seuerus Sulpitius lib. 2. Sacræ Hiſtoriæ, initio, ſanctus Hieronymus, Theodoretus, Lyranus, Vatablus, Clarius, Pintus, Pererius, Veldius, Sà, Maldonatus. Verba Sulpitij libuit ſubiicere: *Viderat rex per ſoporem ſtatuam capite aureo, brachiiſque argenteis, ventre & femoribus æreis, cruribus ferreis, quæ in pedes partim ferreos, partim fictiles deſinebat. Sed ferrum atque teſtum inter ſe confuſum coire non poterat. Crura ferrea, Imperium quartum, idque Romanum intelligitur, omnibus ante regnis validiſſimum. Pedes verò partim ferrei, partim fictiles, diuidendum eſſe Romanum regnum, ita vt nunquam inter ſe coëat, præfigurant: quod æquè impletum eſt. Siquidem iam non ab vno Imperatore, ſed etiam à pluribus, ſempérque inter ſe armis, aut ſtudiis diſſentientibus, Res Romana adminiſtratur. Denique commiſceri teſtum, atque ferrum, nunquam inter ſe coëuntem materiam, commiſtiones humani generis futuræ, à ſe inuicem diſſidentes, ſignificantur. Siquidem Romanum ſolum ab exteris gentibus, aut rebellibus occupatum, aut dedentibus ſe pacis ſpecie traditum conſtat: exercitibúſque noſtris, vrbibus, atque prouinciis permiſtas barbaras nationes, & præcipuè Iudæos inter nos degere, nec tamen in mores noſtros tranſire videamus.*

Nobis animus non eſt inſignium Interpretum explanationes conuellere: ſed eas neutiquam cum ſenſu Sanctorum Irenei, & Hippolyti, Theodoreti, & aliorum de decem regibus in fine, & interitu Imperij Romani futuris congruere, iam ſatis quiſque animaduertit. Mihi cum primis illud videtur, eas neque cum verbis Danielis rectè conuenire. Primùm quod Daniel ait verſ. 33. Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Satis verſ. 41. & 42. iudicauit quid per partes pedum intelligeret, digitos nimirum, ait enim verſ. 42. *Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles.* Nam quod verſ. 41. inquit, *Quia vidiſti pedum, & digitorum partem.* Coniunctio illa, *&*, poſita eſt expoſitiuè, pro, *id eſt*, more frequentiſſimo in ſacris Litteris, cuius moris, & Lexica Hebraïca, & Martinus Cantapetrenſis libro 8. Hypotypoſeon, cap. 9. & Sà in Phraſibus Scripturæ, & alij non pauca exempla collegêre.

Deinde ferrum miſtum teſtæ, & regni diuiſionem, caue capias cum Maldonato, vnius & eiuſdem partis ferri, & teſtæ miſtionem & coagmentationem: & vnius eiuſdémque Regni mixtas formas regiminis. Nam verba Vatis diſertiſſimè aliud ſignificant. Verſ. 33. Chaldaïca ad verbum habent: *Et tibiæ ferri (vel de ferro) pedes eius de eis ferri (de ferro,) & de eis teſtæ (de teſta, luto, figlino,) verſ. 41. Et quod vidiſti pedes & digitos de eis teſtam (teſtæ) (lutum, figlinum) figuli, & de eis ferrum (ferri:) regnum diſpertitum erit: & de planta (in ſitione, ſtatione, duritie, robore, firmitate) ferri ad eſſe in eo, omni coram (ex aduerſo, reſpectu, modo) quo vidiſti ferrum mixtum in teſta (luto, figlino) luti. (Cœni) 42. Et digitos pedum, de eis ferrum (ferri,) & de eis teſtam, (lutum, figlinum) (vel teſtæ,) de parte regnum erit forte (durum, robuſtum, validum,) & de ea erit fractum (fragile, contritum.) 43. Et quod vidiſti ferrum mixtum in teſta (luto, figlino) luti (cœni) commiſcentes ſe ad eſſe in ſemine mortalis, & non ad eſſe cohærentes (conglutinantes, coniungentes) hunc cum illo: ecce ſicut ferrum non miſcens ſe cum teſta (luto, figlino.)*

Vbi Chaldaïſmus ille verſ. 41. & 42. *Et digitos pedum de eis ferrum (ferri, vel de ferro,) & de eis teſtam (teſtæ, vel de teſta,)* eſt ipſiſſimus Hiſpaniſmus, *De ellos hierro (de hierro) de ellos barro (de barro,)* quo ſignificatur digitorum pedum ſtatuæ quoſdam fuiſſe ferreos, alios teſtaceos. Illud verò: *Et de planta referri ad eſſe in eo.* Facilem hunc habet ſenſum. Quod tibiæ quidem & plantæ pedum ſtatuæ totæ erant ferreæ, ex mero ferro: nec ibi quidpiam teſtæ, aut figlini admixtum inerat: ſed à planta pedum ferrea vtráque, prominebant decem digiti quorum alij toti ferrei, alij toti fictiles erant, ſeu teſtacei. Atque, hoc eſt, quod ait verſ. 43. *Et quod vidiſti ferrum mixtum in teſta, ſeu cum teſta.* Ni-

mirum, non quòd aliqua pars pedum, aut digitorum simul ex ferro, & testa esset coagmentata: sed quòd ab eadem statione, seu planta, vel *radice*, vt habent LXX. pedum extaret mixtio illa, & varietas digitorum, quorum alij ferrei, alij fictiles, seu testacei erant: nam ferrei testaceis intermisti erant. Hæc est, metaphora, seu allegoria.

Cuius hæc est enodatio: Regnum Romanum totum ferreum fuit, vt tibiæ, & plantæ pedum statuæ, scilicet, fuit semper inuictum, & indomabile: in fine autem & extremis temporibus huius impetij, prodibunt veluti à planta pedum, seu radice ferrea, decem digiti, id est, decem reges, nec plures, nec pauciores, vt digiti pedum sunt sanè decem. Atqui id profectò est quod vers. 41. inquit Daniel: *Regnum dispertitum erit.* Nempe Imperium Romanum tandem in fine suo dispertietur, & diuidetur in decem illos reges: quorum nullus se Romanorum Regem, aut Imperatorem vocabit. Sicuti nullus digitus pedum, aut crurum, appellatur pes, aut crus. Porrò vt ex decem digitis pedum statuæ, alij erant ferrei, alij fictiles: ita ex illis decem regibus alij erunt fortes, robusti, præualidi, illi nimirum qui se Antichristo adiungent: alij verò infirmi, imbecilles, & inualidi, quos Antichristus delebit, quod Vates vers. 42. illis verbis expressit: *Ex parte regnum erit validum, & ex parte fractum.* Iam quod addit vers. 43. *Commiscebuntur quidem humano semine.* Idem est, ac si dicat, Erunt quidem decem illi digiti, veri homines, ex hominibus proseminati, habebunt eiusdem humanæ naturæ commistionem, & communionem. Vel, Nihil inter se commune habebunt quàm naturam humanam, cetera ferrei, & exitiales inter se erunt. Aut forsan; Erunt sanguine misti, cognati, consanguinei, vel affinitatibus inter se pet connubia iuncti. Denique illud: *Sed non adhærebunt sibi.* Pulchrè exposuit Lactantius lib. 7. cap. 16. illis verbis: *Multiplicabitur regnum, & summa rerum potestas per plurimos dissipata, & concisa minuetur. Tunc discordiæ ciuiles in perpetuum serentur, nec vlla requies bellis exitialibus erit: donec reges decem pariter existant, qui orbem terræ, non ad regendum, sed ad consummandum partiantur. Hi exercitibus in immensum coactis, & agrorum cultibus destitutis, quod est principium euersionis, & cladis, disperdent omnia, & comminuent, & vorabunt.* Hanc esse simplicem, & genuinam oraculi Danielis mentem, cùm sanctus Ireneus, sanctus Hippolytus, Theodoretus, & recentiores alij quos suprà laudabamus, nos perspicuè docuerunt: tum textum ipsum verborum s & cohærentia interpretationis liquidò ostendit.

Verùm quo dilucidiùs sensus sacri Vatis percipiatur, non piget hîc inserere vt recentiores aliqui Chaldaïca Danielis verba expressérint. Sanctes: vers. 33. *Tibiæ eius ferreæ: pedes eius partim erant ferrei, & partim fictiles.* 41. *Et quod vidisti pedes, & digitos partim fictiles figulo, & partim ferreos; regnum diuisum erit: & de planta ferri erit in eo, secundùm quod vidisti ferrum mixtum cum testa lutea.* 42. *Et digitos pedum partim ferreos, & partim fictiles: ex parte regnum erit forte, & ex parte erit contritum.* 43. *Quod vidisti ferrum mixtum cum testa lutea; miscebunt se cum semine hominis, & non adhærebunt sibi alter cum altero, sicut ferrum non miscetur cum testa.*

Vatablus, seu Robertus Stephanus in Editione Sanctandreana 33. *Crura eius ferrea (ferri,) pedes eius partim (ex eis) erant ferrei (ferri,) & partim (ex eis) fictiles (testæ.)* 41. *Quod autem vidisti pedes, & digitos partim (ex eis) fictiles figuli (lutum figuli,) & partim (ex eis) ferreos (ferrum) regnum diuisum erit: & de plantario ferri erit in eo (ad existendum in eo:) quemadmodum vidisti ferrum mistum cum testa lutea (luti.)* 42. *Porrò digiti pedum, partim (ex eis) ferrei (ferrum) & partim (ex eis) fictiles (testa,) significant, quòd ex parte regnum erit forte, & ex parte erit contritum.* 43. *Quod autem vidisti ferrum mistum cum testa lutea (in testa luti) miscebuntur (miscentes se ad existendum) semine (in semine) hominis: sed non adhærebunt sibi alter cum altero, (& non ad existendum adhærentes hunc cum illo: sicut ferrum non miscetur cum testa.*

Leo Iudas paraphrasticè: 33. *Crura eius ferrea: (&) pedes eius partim ferrei, partim fictiles.* 41. *Nam quòd vidisti pedes, & digitos partim è testa figuli, & partim ferreos, (significat) regnum partiendum, & de firmitate ferrea quiddam habiturum, quemadmodum vidisti ferrum mixtum testæ luteæ.* 42. *Et (quia) digiti pedum partim ferrei, partim testacei; erit regnum partim robustum, & partim fragile.* 43. *Quod verò vidisti luteæ testæ mixtum ferrum, (portendit) miscendos inter se, (atque copulandos) humano semine, verùm non cohæsuros mutuum, quemadmodum ferrum non admiscetur testæ.*

Arias Montanus vers. 33. *Tibiæ eius de ferro: pedes eius, ex eis, de ferro, & ex eis, de testa.* 41. *Et quod vidisti pedes & digitos ex eis testæ τοῦ figuli, & ex eis ferri; regnum diuisum erit: & de planta ferri ad existendum in eo, omni respectu quod vidisti ferrum mixtum in testa luti.* 42. *Et digitos pedum ex eis ferri, & ex eis testæ; ex parte regnum erit forte, & ex ea erit contritum.* 43. *Et quod vidisti ferrum mixtum in testa luti, miscentes se ad existendum in semine hominis, & non ad existendum adhærentes hunc cum illo: ecce sicut ferrum non miscens se cum testa. At nostra Interpretatio quam superius reposuimus, pressiùs verbis inhæret.*

LXX. verò in hunc modum habent: 33. *Et tibiæ ferreæ: pedes, pars quidem ferrea, & pars quidem testea.* 41. *Et quia vidisti pedes, & digitos, partem quidem aliquam testeam, partem verò quandam ferream; regnum diuisum erit: & à radice ferrea erit in eo.* 42. *Quemadmodum vidisti ferrum admistum testæ. Et digiti pedum, pars quidem ferrea, pars verò testea; pars quædam regni erit fortis, & de eo erit contritum.* 43. *Quia vidisti ferrum admistum testæ, commista erunt in semine hominum, & non adhærebunt hoc ad hoc, sicut ferrum non immiscetur cum testa.*

Istud tamen quod Noster vers. 41. ait: *Quod tamen de plantario ferri orietur.* Variè ex Chaldaïco ab aliis redditur: Rabbini Aben-Ezra, & Saadjas: *Et de firmitate (duritie) ferri erit in eo.* Sanctes & Montanus: *Et de planta ferri erit in eo.* Vel, *ad existendum in eo.* Clarius, *Eritque in eo aliquid de robore ferri.* Leo Iudas, *Et de firmitate ferri quiddam habiturum.* Marinus, *Et de positione (collocatione) ferri ad esse in eo.* LXX. *& à radice ferrea erit in eo.* Ceterùm vox Chaldaïca *Nitzbetha*, propriè significat φυτείαν, plantationem, insitionem, plantam. Habetur in Syriaco Matthæi 15. vers. 13. *Omnis planta, quam non plantauit eam Pater meus.* Egregiè

giè Noſter, *de plantario ferri orietur*, nimirum regnum illud decem Regum, diſtinctum erit à Regno Romano, ſed tamen à Romano illo ferreo tanquam à plantario, ſeu planta orietur.

Xyſtus Senenſis & Antonius Poſſeuinus in Bibliothecis hæc annotant: *Zacharias Hierocæſareæ Epiſcopus in I I. Nicæna Synodo clarus, ſcripſit Græco ſermone Dialogum continuatæ narrationis, Statuam auream ex ſecundo capite Danielis explicantem, cui titulus, Chryſicon, hoc eſt, aurea hominis ſtatua.* Subſcribit hîc Zacharias inter alios Patres, actione 2. 3. 4. 7. Concilij Secundi Nicæni. Non parum lucis ex eo Dialogo, ſi haberemus, huic Danielis vaticinio acceſſiſſet.

Aliud Danielis cap. 7. de eiſdem decem Regibus Oraculum.

CAP. XXIV.

VErba ſacri Vatis ſunt, verſ. 3. *Quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diuerſæ inter ſe. 4. Prima quaſi leæna, & alas habebat aquilæ: aſpiciebam donec euulſæ ſunt alæ eius, & ſublata eſt de terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei. 5. Et ecce beſtia alia ſimilis vrſo in parte ſtetit: & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & ſic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas. 6. Poſt hæc aſpiciebam, & ecce alia quaſi pardus, & alas habebat quaſi auis, quatuor ſuper ſe, & quatuor capita erant in beſtia, & poteſtas data eſt ei. 7. Poſt hæc aſpiciebam in viſione noctis, & ecce beſtia quarta terribilis atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans: diſſimilis autem erat ceteris beſtiis, quas videram ante eam: & habebat cornua decem. 8. Conſiderabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum: & tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius: & ecce oculi quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens ingentia. 17. Hæ quatuor beſtiæ magnæ, quatuor ſunt regna, quæ conſurgent de terra. 19. Poſt hoc volui diligenter diſcere de beſtia quarta, quæ erat diſſimilis valde ab hominibus, & terribilis nimis: dentes & vngues eius ferrei: comedebat & comminuebat, & reliqua pedibus ſuis conculcabat: 20. & de cornibus decem quæ habebat in capite: & de alio quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua: & de cornu illo quod habebat oculos, & os loquens grandia: & maius erat ceteris. 21. Aſpiciebam & ecce cornu aliud faciebat bellum aduerſus Sanctos, & prævalebat eis. 23. Et ſic ait: Beſtia quarta, regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuerſam terram, & conculcabit, & comminuet eam. 24. Porrò cornua decem ipſius regni, decem reges erunt: & aliud conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit. 25. Et ſermones contra Excelſum loquetur, & Sanctos Altiſſimi conteret.*

Equidem hæc quatuor maxima Regna, quæ hîc à Daniele ſub typo quatuor beſtiarum deſcribebantur, fuiſſe quatuor illas mundi monarchias præcipuè celebratas, nempe Chaldæorum, Perſarum, Macedonum ſeu Græcorum, & Romanorum, S. Hippolytus Martyr oratione de Conſummatione Mundi, S. Cyrillus catecheſi 15. S. Hieronymus, & Theodoretus in 7. Danielis, S. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 218. ad Timotheum lectorem, Simeon Metaphraſtes Commentario de S. Daniele, Zonaras tomo 1. Annalium, omnes Danielis Interpretes tam Hebræi, quàm noſtri, Veteres & recentiores: & vno verbo omnes affirmant. S. Auguſtinus 20. de Ciuitate Dei, cap. 23. *Quatuor illa Regna expoſuerunt quidam, Aſſyriorum, Perſarum, Macedonum, & Romanorum. Quàm verò conuenienter id fecerint qui noſſe deſiderant, legant Preſbyteri Hieronymi librum in Danielem, ſatis diligenter, eruditéque conſcriptum.* Extat in Bibliotheca Regia S. Laurentij Eſcurialenſi Timothei Chriſtiani Diſceptatio cum Aquila Hebræo Philoſopho de quatuor Beſtiis quas vidit Daniel.

Committere non poſſumus, quin hîc vaniſſimi hominis Ioannis Bodini temeritatem & audaciam cum ſumma inſcitia & ſuperbia coniunctam traducamus, publicéque omnibus deridendam & exſibilandam exponamus: is enim in Methodo Hiſtorica, cap. 7. initio, non erubuit hæc ſcribere: *Inueteratus error de quatuor Imperiis, ac magnorum virorum opinione peruulgatus tam altè radices egit, vt vix euelli poſſe videatur. Habet enim prope infinitos Bibliorum Interpretes: habet è Iunioribus Martinum, Melanchthonem, Sleidanum, Lucidum, Funccium, Onuphrium, rerum diuinarum, & antiquitatis homines valdè peritos: quorum auctoritate fractus aliquando minimè dubitandum eſſe putabam: mouebar etiam oraculo Danielis, cuius fidem eleuare, ſcelus; auctoritatem infringere nefas eſt. Poſteà tamen verba Danielis obſcura & ambigua in varios ſenſus torqueri poſſe intellexi: & in oraculis interpretandis, malui iudiciorum illam formulam:* NON LIQVET, *vſurpare, quàm temerè ex aliorum opinione non intellecta cuiquam aſſentiri: ac valde mihi probatur Caluini non minus vrbana, quàm prudens oratio: qui de libro Apocalypſeos ſententiam rogatus, ingenuè reſpondit, ſe penitus ignorare quid velit tam obſcurus Scriptor: qui, qualiſque fuerit, nondum conſtat inter eruditos, verius dixiſſet, inter hæreticos: ita non video quemadmodum belluas, & ſtatuam Danielis, ad ea quæ nunc vbique florent, quæque tot ſæculis floruerunt Imperia traducamus. Principio monarchia nobis eſt Imperij ac regionis quibuſdam finibus conſtituenda, vel Principis aut populi origine clara, vt intelligatur, quid ſit illud quod Monarchiam vocant: quod cùm huius diſceptationis caput eſſet, non ſatis aptè definierunt Interpretes oraculorum: poſuerunt enim ex illa viſione quatuor belluarum, ac ſtatuæ, totidem Imperia ſignificari: puta Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, ac Romanorum: nec plura fore augurantur.*

Et cùm pluribus diſſeruiſſet complura fuiſſe olim, & nunc eſſe in orbe Imperia multo maiora illo Babylonico, & horum temporum Romano nimirum, Tartarorum, Turcarum, Abaſſinorum, Hiſpanorum: ſubdit: *Siue igitur armorum vi, ſiue opum magnitudine, ſiue fertilitate regionum, ſiue numero victoriarum, ſiue multitudine populorum, ſiue nominis etymologia, ſiue patria Danielis, ſiue Imperij Babylonici ſede, ſiue ditionis amplitudine monarchiam definiamus: profectò Danielis oraculum de Principe Turcarum interpretari æquius erit.* Et poſt multa: *Ac mihi diutius cogi-*

tanti, quid Propheta innuere vellet, nihil commodius occurrit, quàm interpretari de Babylone, quæ in potestate Medorum, Persarum, Græcorum, & Parthorum peruenit : quæque sepius vastata est, ac tandem aliquando deleta. Neque enim ea quæ vulgo Baldac appellatur, eadem est cum antiqua Babylone, sed potius Susa vetus, (Istud refutauimus lib.3.cap.20.) *vt Paulus Venetus interpretatur. Quòd si ita est, non irritum fuit oraculum de Babylonis statu, conuersione, exitu : præsertim cùm Danielis & omnium Prophetarum voces in Christum, ac eius tempora velut in scopum dirigantur, argumento est petra illa (qua quidem Christum significari disertè Paulus innuit, his verbis : Petra autem erat Christus) de vertice montis excisa, quæ statuam confregit. Cùm verò interpres ipse Daniel sui oraculi plures belluas, plura quoque belluarum cornua interpretatur, quid vetat, quominus ad Alexandri Magni successores, & ea quæ illic floruerunt Imperia referantur ? Nihil tamen in rebus tam abditis & obscuris affirmare ausim. Illud tantùm verba Danielis ad id quod volunt Interpretes, accommodari nullo modo posse. Iosippus Hebræus optimus Danielis interpres, scribit, Medos, Persas, & Græcos à Daniele ad Imperium Babylonis vocari : de Romanis, à quibus ipse nomen Flauiæ gentis, ciuitatem, & statuam adeptus erat, nihil à Daniele scriptum reliquit. Sed hinc error manauit, quod Danielis sacras sortes ad suam quisque opinionem non ad historiæ fidem retulit.* Hactenus Bodinus.

Omitto nunc quòd homo inter Catholicos professus, hæresiarchas, Lutherum, Melanchthonem, Caluinum, hæreticos Sleidanum, Funccium immeritis laudibus oneret, cùm nomen impiorum putrescat : nec modò excurio quòd sacram diuinámque Apocalypseos auctoritatem in dubium arcessat, quod salua fide non potuit : quænam, quantáque stultitia & arrogantia est, omnium Patrum, Interpretum Scriptorum consensum calcare & pro nihilo ducere ? Id erit vllo pacto ferendum ? Deinde qui se ventosissimum omnium Historiarum censorem constituit, planè infantissimum se in earum cognitione probauit, cùm vel Turcarum, vel Tartarorum, vel Abassinorum, seu quoduis aliud magnum Imperium (mirum cur Sinarum omiserit, nisi quia nescisuit) cum vlla ex quatuor illis famosis mundi Monarchiis, magnitudine, amplitudine, potentia, opibus, copiis, viris, diuitiis, disciplina, politia, legibus, institutis, rebus gestis, fama, claritudine, splendore, auctoritate comparauit. Id enim profectò nihil aliud est quàm prorsus oblitum esse, vel penitus nescire, quæ, quantáque fuerint Imperia, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, Romanorum. De Nabuchodonosori poterat aliqua esse dubitatio : sed ignorauit Bodinus quàm ingens illud Imperium fuerit, & quàm longè latéque fines protulerit : quos à Caspiis Portis ad Pontum, Asiam, Hispaniam vsque & Ægyptum, Africámque diffusos lib. 4. cap. 27. demonstrauimus. Hispanicum non est dubium, spatiis terrarum in veteri & nouo orbe, omnia alia superare : at iunctione & deuinctione prouinciarum, viris, copiis, vi, & robore vix æquat vllam ex quatuor Monarchiis. Denique Daniel de illis singulariter Imperiis vaticinia texuit, quæ Annalium omnium & Historiarum fide celebriora semper sunt in mundo habita, de quibus plura monumentis consignata extant, quæ antiquiora fuêre in orbe, quæ sibi certo quõdam ordine & nexu successere, quorum frequentior in Sacra Scriptura mentio habetur, quibus cum populo Dei res fuêre in diuinis litteris proditæ, quæ ante exortum Christi in terris Euangelij regnum maximè floruerunt. Hæc autem esse præcipuè quatuor illa maxima Regna Chaldæorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, nimis est exploratum. Sed piget, pudétque inanis cerebri delirium longiùs insectari. Quàm pessimè cum rebus humanis geritur quum eiusmodi exoriuntur ingenia : & multò peiùs quum amatores nanciscuntur. Irrisit quoque eandem Bodini temeritatem Maldonatus in Daniel.2. ad vers. 38. Ceterum in explanatione Danielis oraculi omissa nunc trium priorum bestiarum enarratione, quæ nostri instituti non est, de Bestia quarta, seu Regno quarto nobis erit ex professo differendum. Ante omnia tamen explodendus est Porphyrij error asserentis tertiam & quartam Bestiam Danielis, vnam & eandem fuisse, ac vnum & idem regnum significasse nempe Regnum Macedonum seu Græcorum, Romanorum, quod vnum & idem fuerit, & à Daniele pro vno & eodem sumptum. Quod etiam asseruit Aben-Ezra in 24. Numerorum, ad vers.24. vbi ait : *Et iam Scripsi in libro Danielis, quod regnum Græciæ, & Romanum idem est, & est bestia tertia.* Et pluribus id persequitur in Commentariis Danielis. Videntur sanè isti non alia ratione hanc interpretationem commenti, nisi vt cornu illud paruulum enatum ex decem cornibus quartæ bestiæ Antiochum Epiphanem fuisse confirmarent : quem constat non ex Romanorum, sed ex Macedonum regno fuisse exortum. Vnde S. Hieronymus hæc annotat : *Porphyrius duas posteriores bestias, Macedonum & Romanorum in vno Macedonum regno ponit, & diuidit : Pardum volens intelligi ipsum Alexandrum : bestiam autem dissimilem ceteris bestiis, quatuor Alexandri successores, & deinde vsque ad Antiochum cognomento Epiphanem, decem Reges enumerat, qui fuerunt sauissimi. Ipsósque Reges non vnius ponit regni : verbi gratia, Macedoniæ, Syriæ, Asiæ, & Ægypti : sed de diuersis regnis vnum efficit regum ordinem, vt videlicet ea quæ scripta sunt : os loquens ingentia : non de Antichristo, sed de Antiocho dicta credantur.*

Sed hanc Porphyrij interpretationem non posse subsistere S. Hieronymus, Paulus Burgensis, Pererius, Maldonatus luculenter demonstrarunt. Immanuel Tremellius & Franciscus Iunius elucidantes Quartam istam Danielis Bestiam, hæc annotant : *Bestia quarta, typus regni Asiatici, quod Regnum Seleucidarum dixerunt historici. Nam etsi Seleucus Nicanor inde ab Alexandri morte fuit inter Satrapas numeratus : tamen extincto in vniuersum Alexandri genere Babylonem occupauit, & nouum regnum instituit, à quo Iudæi infinita mala perpessi sunt.* Hæc expositio eodem ferè tendit quò illa Porphyrij. Ergo non defuêre qui quartam Danielis Bestiam, hoc est, Regnum quartum designare existimauerint Othomanicum Turcarum Imperium. Ita disertè Aben-Ezra in 2. & 7. Danielis. Augustinus Torniellus in Annalibus Mundi, anno 3499. num. 2. inquit : *Considerandum relinquitur, num fortè Bestia quarta significare potuerit regnum Turcarum, seu Mahumetanorum, de quo aliquando Antichristus sit proditurus.* Hæc sententia præterquam quod communi omnium consensu

ſenſu exploditur, manifeſtiſſimis etiam Danielis 2. verſ. 44. verbis euertitur : *In diebus autem regnorum illorum* (quatuor) *ſuſcitabit Deus cæli regnum quod in æternum non diſſipabitur.* Nimirum Chriſti regnum : quod tamen multis annorum centuriis ante Turcicum & etiam Mahometanum ſuſcitatum eſt. Vide eius confutationem apud Maldonatum in Daniel. 2. verſ. 40. & 41. & 44. & in Daniel. 7. verſ. 6. & 7.

Sanè quartam Beſtiam, ſiue quartum Regnum eſſe ipſum Imperium Romanum. S. Ireneus lib. 5. cap. 25. & 26. S. Hippolytus Martyr orat. de Conſummatione Mundi, S. Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi 15. S. Hieronymus & Theodoretus in 7. Danielis, S. Auguſtinus 20. de Ciuit. Dei, cap. 23. S. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 218. S. Proſper de Prædictionibus Dei, parte 2. cap. 34. Simeon Metaphraſtes in commentario de S. Daniele, Zonaras Annali 1. & breuiter, omnes affirmant. S. Cyrillus : *Quarta beſtia, quartum eſt regnum in terra, quod maius erit omnibus aliis regnis : hoc autem eſſe Romanorum, Eccleſiaſtici interpretes tradiderunt.* Quin & Ioſephus idem ſenſiſſe videtur lib. 10. Antiq. cap. 12. quum ait : *Eodem autem modo ſcripſit Daniel & de Romanorum Imperio, & quantam vaſtitatem illaturi eſſent noſtris hominibus.* Nimirum de Imperio Daniel. 2. v. 33. 40. & Daniel. 7. verſ. 7. & 19. de vaſtitate cap. 9. v. 26. & 27.

Verùm cùm tres priores beſtias Daniel certis nominibus inſignierit, leænæ, vrſi, ac pardi : quòd hanc quartam beſtiam nullo expreſſerit nomine, ſed tantùm dixerit fuiſſe terribilem, mirabilem, fortem nimis, dentibus ferreis armatam, & tribus aliis beſtiis longè diſſimilem : ingenia accendit, vt acriùs peruestigarent, quænam hæc fuerit beſtia, & cur eam diuinus Vates non indigitauerit. Hebræi explanatores aprum fuiſſe confinxerunt, de quibus S. Hieronymus hîc : *Hoc quod hîc tacitum eſt Hebræi in Pſalmis dictum putant : Deuaſtauit eam aper de ſilua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Pro quo in Hebræo habet : Omnes beſtiæ agri lacerauerunt eam, dum in vno Imperio Romanorum omnia ſimul regna cognoſcimus, quæ priùs fuerant ſeparata.* Equidem Pſalmo 79. 14. per *aprum*, Veſpaſianum, *per ſingularem ferum*, Titum eius filium Romanos Imperatores S. Auguſtinus, Caſſiodorus, Strabus, Petrus Lombardus, & alij intellexere. Gemunt enim infelices verpi Templum ſuum, ab apro ſeu quarta Danielis beſtia, proculcatum, deſtructum, exciſum : & vineam, hoc eſt, Rempublicam ſuam peſſumdatam, & deletam, nimirum à Romano Imperio. Sed non aduertunt miſeri, ſe pœnas occiſi & repudiati Chriſti iuſtè perſoluiſſe. At illud ridiculum Quartam beſtiam illam aprum fuiſſe. Cur enim Daniel tam notiſſimam beſtiam, & effatu facilem non dixiſſet aprum ? Ad hæc Daniel quartam beſtiam ceteris tribus immaniorem & feriorem depingit, cùm aper nec leæna, nec pardo ſæuior ſit.

Pererius auguratur, ſi quarta illa Beſtia anonyma Romanum adumbrans Imperium, aliquo nomine exprimi debuiſſet, non alio quàm omnium quas vnquam nouere mortales ſæuiſſimæ ac truculentiſſimæ feræ Mantichoræ vocabulo aptè appellari potuiſſe. De Mantichora ſeu Martichora Ariſtoteles lib. 2. de Hiſtoria Animalium, cap. 1. *Apud Indos, ſi Cleſiæ credendum eſt, bellua gignitur, cui nomen Mantichora : ſunt illi dentes triplici vtrinque ordine, magnitudo, hircitudo, & pedes leonis, facies & aures hominis, oculi cæſij, color rubricæ, cauda ſcorpionis modo terreſtris aculeo armata, ſpiculáque adnata iaculans, vox fiſtulæ, tubæue non abſimilis, curſus non minoris pernicitatis quàm ceruis, feritas tanta, vt nunquam poſſit miteſcere appetitus, præcipuè carnis humanæ.*

Cteſias in Exceptis Indicis apud Photium hæc habet : *De animali Indico Martichora dicto, quod facie hominem refert, leonis magnitudine, cinnabaris ruborem habens. Triplex eſt illi dentium ordo : aures humanis ſimiles, oculi item cæſij, velut ſunt hominum. Caudam autem qualem ſcorpius Epirotes habet, in qua & aculeus eſt cubitali maior : ſed & per tranſuerſum aculeis munita eſt cauda. Aculeum item in ſumma parte, velut ſcorpius gerit, quo accedentes pungit : nec mortem quicumque punctus fuerit, effugere poteſt. Quòd ſiquis eminus aduerſus ipſum pugnet, & ab anteriori parte caudam prætendens aculeis petit, tanquam ab arcu eos eiaculans, & à poſteriori parte eam rectà intentans. Ad plethri* (iugeri) *autem longitudinem iaculando peruenit, & quoſcumque ferit, omnes ad vnum interficit, præter elephantum. Eius autem aculei longitudinem pedalem, funis tenuiſſimi latitudinem habent. Martichora autem Græcis Anthropophagos ſonat, id eſt, Hominiuorus, quòd multos vorat, quos interfecerit. Sed & animalia cetera vorat. Pugnátque & vnguibus & aculeis. Aculeos autem vbi eiaculatum fuerit, renaſci ſcribit. Abundat autem his animalibus India : quæ ab hominibus interficiuntur, qui elephantis incidentes telis ea petunt.*

Plinius lib. 8. cap. 21. *Apud eoſdem* (Indos) *naſci Cteſias ſcribit quam Mantichoram appellant, triplici dentium ordine pectinatim coëuntium, facie & auriculis hominis, oculis glauſis, colore ſanguineo, corpore leonis, cauda ſcorpionis modo ſpicula infigentem : vocis, vt ſi miſceatur fiſtulæ & tubæ concentus : velocitatis magnæ, humani corporis vel præcipuè appetentem.*

Solinus cap. 53. de animalibus Indiæ : *Mantichora quoquè nomine inter hæc naſcitur, triplici dentium ordine coëunte vicibus alternis facie hominis, glaucis oculis, ſanguineo colore, corpore leonino, cauda veluti ſcorpionis aculeo ſpiculata : voce tam ſibila, vt imitetur fiſtularum modulos, tubarúmque concentum : humanas carnes auidiſſimè affectat, pedibus ſic viget, ſaltu ſic poteſt, vt morari eam nec extentiſſima ſpatia poſſint, nec obſtacula latiſſima.*

Pauſanias in Bœoticis lib. 9. num. 297. *Iam verò eam belluam quam Cteſias in Hiſtoria de Indis Mantichoram ab illis ſcribit appellari, à Græcis, ob præcipuam in homines ſæuitiam Androphagum, non aliam à Trigide eſſe crediderim. Dentium illi in maxilla altera triplex ordo : & in extrema cauda aculeos habet, quibus & ſe cominus tueatur, & venatores eminus tanquam ſagittis petat. Hanc ego famam, quæ veluti per manus tradita, inter Indos increbuit, minimè veram eſſe arbitror, ſed præ nimio errore fuiſſe homines hallucinatos.*

Philoſtratus in vita Apollonij lib. 3. cap. 14. *Interrogauit itaque Apollonius, an apud ipſos inueniretur animal Martichora nuncupatum. Tunc Iarchar : Num, inquit, animalis huius quam dicant eſſe naturam audiſti ? (conueniens eſt enim & de ipſius figura aliquid dicere) dicuntur, inquit, magna & incredibilia. Quadrupedem enim hanc belluam*

luam esse ferunt, eiusque caput humano capiti assimilari: magnitudine verò leonem æquare: habere autem in cauda setas cubitales spinarum instar, quas contra persequentes sagittarum modo iaculetur. Interrogauit præterea de aqua auri, quæ ex fontibus quibusquam manare perhibetur. Ad hæc omnia respondens Iarchas; Feram verò, inquit, sagittantem, aut fontes aureis aquis manantes ego in his locis esse nunquam audiui. Vide quoque de his Eusebium Cæsariensem contra Hieroclem in Confutatione libri Tertij Apollonij.

Verùm de Mantichora ceteris accuratiùs & distinctiùs Ælianus lib. 4. de Animalium natura, cap. 21. ex Ctesia hæc refert: *Apud Indos nascitur violento robore præditum animal, cui Indorum lingua Mantichoras nomen est, magnitudine maximi leonis, colore rubrum adeo, vt cinnabarim referat: canis modo villosum: facie eadem propè quæ hominis: dentium triplici vtrinque ordine mucrone acutissimorum, caninis maiorum: auribus hominis similibus, nisi quòd hæ & grandiores & villosiores sunt: oculis cæsiis, & his non dissimilibus hominis: pedibus & vnguibus eisdem qui leonis; summa cauda illi scorpionis modo, aculeo plusquam cubitali armata, quo letaliter pungit, si quem attigerit: reliquum etiam caudæ, vtrinque aculeis cuspidatum est, quos tanquam tela, si quis insequatur, eminus iaculatur, letaliter pungit. Quum in anteriorem partem versus aculeos iaculatur, caudam intorquet: sin retrouersus Sacarum more aculeos emittit, tum extentissimè caudam porrigit. Aculei quos iaculatur, pedali magnitudine, & schœni (iunci vel funis) cassitudine sunt: quibus icta omnia, præter solum elephantum pereunt. Ctesias Indos sibi affirmasse ait, locis emissorum aculeorum alios succrescere, vt sit huius pestis perpetua successio. Humanis, vt idem affert, carnibus maximè delectatur: quocirca complures homines interficit: nec dumtaxat in singulos homines inuadit, sed plures collectos, vel ipse solus interimit. Reliqua item animalia vincere potest, excepto leone. Quod autem humanis carnibus sese complere ei suaue sit, eius nomen ostendit: Indicè enim ideo Mantichoras appellatur, quod bestia hominum voracissima sit, ex rebus quas agit, nomen trahens. Eadem est qua pernicissimi cerui corporis velocitate. Eius pullos aculeatis nondum caudis armatos venantur, caudásque eorum ad saxum elidunt, atque crebris ictibus confringunt, vt aculeos nec postea producere queant. Vocem edunt proximè accedentem ad sonum tubæ. Ctesias apud Persas hoc animal se vidisse testatur, ex India regi Persarum muneri missum. Hæc Ctesias scriptor Cnidius, penes quem omnium horum fides esto.* Vide Ioannem Brodæum Miscellaneorum lib. 5. cap. 24. & Iacobum Dalecampium in notis ad Plinij lib. 8. cap. 21.

Ego vt credam Danielis quartam bestiam fuisse Mantichoram penè fabulosam, nunquam adducar: cùm tamen, vt Ælianus annotat, leone non sit fortior. Multò congruentiùs videtur ideò non expressum à Daniele belluæ quartæ nomen, quòd nulli alij creatarum bestiarum similis esset, sed specie monstrifica & portentosa, noua, nec antea in terris visa, apparuerit, vt proinde nomen non habuerit. Sed cùm Daniel tres priores monarchias notarum nominibus bestiarum significauerit, cur Romanum Imperium, nouæ, prodigiosæ, & anonymæ belluæ specie voluit adumbrare? S. Hieronymus rationem hanc adhibet, dicens: *Satísque, miror, quòd cùm suprà leænam, & vrsum, & pardum in tribus Regnis posuerit, Romanum Regnum nulli bestiæ comparârit: nisi fortè vt formidolosam faceret bestiam, vocabulum tacuit, vt quidquid ferocius cogitaueri-mus in bestiis, hoc Romanos intelligamus.*

S. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 218. aliam addit rationem: *Quarta autem visio, hoc est, horrenda bellua, vtpote ingentem stuporem afferens, ferreis dentibus septa, æreisque vnguibus armata, deuorans, & comminuens, & conculcans, nec ad vllius animantis similitudinem accedens, Romanorum Imperium perspicuè designabat, vt pote ex omnibus nationibus & tribubus compactum, omnique robore & gloria in se ipso præditum. Neque enim vno nomine exprimendum vidit Propheta principatum illum, qui potentiæ suæ iugum in omnes extendit, atque Dominicæ Incarnationis tempore in infinitum Imperium processit.* Theodoretus eandem, atque etiam tertiam adducit rationem: *Quartam bestiam Romanorum Regnum vocat, neque ipsi nomen ponit, quia ex plurimis nationibus Romanorum ciuitas conflata, orbis terrarum potita est: à Regibus primum, deinde modò populari statu, modò optimatibus administrata, demum ad pristinum regnandi genus rediit. Terribilémque ipsam bestiam asserit, & valdè stupendam, quia aliorum omnium regnorum potentissimum hoc fuit regnum.* Equidem Monarchiæ tres aliæ semper habuerunt certam vnam & eandem regiminis formam, nempe vnius Imperium: at res Romana à sua conditione mirè variauit: nam primùm à regibus, deinde à Consulibus, Decemviris, Tribunis militum, Dictatoribus, Tribunis plebis, denique Imperatoribus administrata, velut vna monstrosa Reipublicæ facies ex Monarchia, Aristocratia, & Democratia conflata viguit. Tacitus Annali 1. initio scitè expressit: *Vrbem Romam à principio Reges habuere. Libertatem & Consulatum L. Brutus instituit. Dictaturæ ad tempus sumebantur: neque Decemviralis potestas vltra biennium: neque Tribunorum militum Consulare ius diu valuit. Non Cinnæ, non Sullæ longa dominatio. Et Pompeij, Crassique potentia citò in Cæsarem: Lepidi atque Antonij arma in Augustum cessere. Qui cuncta discordiis ciuilibus fessa, nomine Principis sub Imperium accepit.*

Romanum igitur Imperium sæuæ, & monstrificæ bestiæ cæteris creatis dissimili, terribili, atque mirabili, quæ omnia protereret, ac comminueret, comparauit Daniel: quod longè maius, & terribilius reliquis Imperiis fuerit; totum orbem insatiabili cupiditate vorauerit, vrbes, & regna euerterit, exercitus conciderit, gentes, & nationes plurimas subiugauerit, atrox, sæuum, truculentum, sanguinarium. Nam de vno eius primo Monarcha C. Iulio Cæsare Plinius lib. 7. c. 25. hæc prodit: *Idem signis collatis quinquagies dimicauit, solus M. Marcellum transgressus, qui vndequadragies dimicauerat. Nam præter ciuiles victorias, vndecies centum & nonaginta duo millia hominum occisa præliis abeo, non equidem in gloria posuerim, tantam etiam coactam humani generis iniuriam; quod ita esse confessus est ipse, bellorum ciuilium stragem non prodendo.*

Sed libet expendere vocem illam, *mirabilis*, Chaldaïcam vocem, *Emthani*, formidabilem, horribilem, terribilem, terrificam omnes exponunt. At notio Vulgati, *mirabilis*, rectissimè Romano Imperio conuenit: quod sanè multis modis mundo mirabile fuit, initiis, progressu, casuum varietate, opibus, splendore, copiis, armis, viris, magnitudine, rebus gestis, religione, superstitione, cæremo

remoniis, ritibus, cultúque deorum, disciplina militari, politia, legibus, institutis, exemplis, vitiis, virtutibus, plusquàm cetera omnia regna, quæ vnquam exorta sunt in orbe, vt intuenti Annales omnes facilè colliqueſcit. Scripsit Lipsius Admiranda de Magnitudine Romana: sed quæ hæc sunt, nisi tenues quædam lineæ, & vmbræ magni profectò corporis?

Porrò huius quartæ Bestiæ, hoc est, Imperij Romani, decem cornua decem Reges ex eo orituros manifestè Daniel interpretatus est. De quibus nobis hoc loco præcipua est peruestigatio. Vatablus Daniel. 7. Scholio 16. *Quartum Imperium Romanorum, quod terrori fuit toti orbi: fortissimum praterea, quod per dentes ferreos significatur. Decem capita, plurima regna in qua diuisum est: adhuc enim durat hoc Imperium: nam & Imperator etiam nunc est, & Cæsar appellatur Romanorum Imperator.* Isidorus Clarius: *Habebat cornua decem. Denarius, sicut & septenarius plenitudinis est numerus, & solet Scriptura per eum multitudinem enuntiare. Numerorum 13. Tentauerunt me iam per decem vices. Iob. 19. En decies me confunditis. Et decem Virgines in Euangelio. Et Isaias: Decem iugera vinearum facient lagunculam vnam. Vnde etiamsi in sexcentos principatus, qui per cornua rectè signantur, diuidatur Romana Monarchia, quia non potest ab aliquo externo populo suprimi, semper manebit multicornis bestia.*

Veldius: *Ceterùm quòd cornua decem Bestia quarta habere describatur, hæc Angelus ipsi Danieli interpretatur, significare decem Reges, cum suis regnis & prouinciis Romano Imperio annexis. Nec oportet magnopere anxium esse de numero denario, quasi videlicet, nec plura, nec pauciora esse possint regna, vel prouincia huic Imperio vel annexa vel confœderata, cùm in sola Europa possint plures reges numerari. Nam certum est ex Scripturis, numerum denarium plerunque, vt etiam septenarium, pro vniuersali & multo poni. Propheta Iob inquit: Iam decies me confunditis, id est sapissimè. Videtur igitur significare hanc Monarchiam latiùs imperaturam, quam reliquæ tres. Possunt tamen decem potentissima regna numerari, quibus olim solus Imperator Romanus præerat, scilicet, Italia, Hispania, Gallia, Germania, Illyricum, Græcia, Africa, Ægyptus, Asia, Syria: quibus etiam adiungi possunt Pannonia, & Macedonia. Vbi verò declinare cœpit Imperium, primò diuisum fuit in duo, sic vt duo essent Imperatores, quorum vnus Orientalis appellabatur, qui Constantinopoli agebat, quæ noua Roma vocatur: alter verò occidentis Imperator dictus est. Tandem verò successu temporis factum est, vt multa regna deciderent ab obedientia Romanæ Monarchiæ.*

Sic igitur explanatores isti, decem cornua, id est, decem reges, quartæ Bestiæ, nempe Romani Imperij, nec certo ac definito denario numero capiunt: nec ad tempora Antichristi referunt: nec nouos aliquos decem certos reges, aut regna in Imperio Romano in posterum expectandos existimant, præter lacerationes & diuulsiones in varia regna, quæ hactenus in Imperio contigerunt. Verùm hanc interpretandi rationem, multis argumentis meritò explodit Maldonatus. Certè eam cum Patrum sensu de quo posteà dicemus, non posse subsistere, nimis est perspicuum. Vide infra cap. 31.

At oraculum Danielis de decem cornibus quartæ Bestiæ, hoc est de decem regibus Romani Imperij, faciliùs intelligetur, si priùs exposuerimus, quodnam sit illud paruulum Cornu ortum de medio aliorum decem cornuum Bestiæ, quod Daniel, apertè interpretatus est, futurum quendam Regem qui post decem illos alios Reges consurget, illis omnibus longè potentior: de quo tam mira & horrenda canit diuinus Vates. Ante omnia obseruandum rectè Danielem Cornuum nomine Reges vel Regna significasse. Cornu enim in sacris litteris symbolum, notionémque Regni præfert. 1. Reg. 2. vers. 10. *sublimauit cornu Christi sui.* Psalm. 131. 17. *illuc producam cornu Dauid.* Ezechiel. 29. 21. Daniel. 8. 3. 8. 9. 20. 21. 22. 23. Lucæ 1. 69. Apocalyp. 13. 1. & cap. 17. vers. 3. 12. & alibi. Causſam verò rationémque huius appellationis eam quidam esse volunt, quòd vt in animalibus cornua sunt præcipua eorum robora in capite eminentia: ita Reges & regna in humanis cœtibus. Alij, quòd Hebræis *Keren*, id est, *cornu*, gloriam, decus, splendorem significet: vt sanè est maximus regni splendor, & gloria. Nonnulli, quòd olim reges oleo seu vnguento è cornu defuso inungerentur 1. Regum 16. 1. 13. & 3. Regum, 1. 39. Id indicarunt Beda, Theophylactus, Euthymius in 1 Lucæ, vers. 69. Plerique annotant Reges antiquitus cornua, seu radios, cornuum instar, in capite, vt insignia regiæ maiestatis, gestare solitos. Maro 12. Æneidos.

Ensémque, clypeumque, & rubræ cornua cristæ.

Silius lib. 15. Punicorum:

Cassside cornigera dependens infula.

Liuius lib. 27. cap. 35. de Philippo Macedoniæ Rege: *In arborem illatus impetu equi ad eminentem ramum cornu alterum galeæ perfregit. Id erat insigne galeæ.* Plutarchus in Pyrrho: *Agnitus est ab eximia crista, & cornibus hircinis.* Polus Iouius lib. 1. Elogiorum ait vidisse se Attilæ Hunnorum regis imaginem cum cornibus in ære expressam. Diodorus Siculus lib. 5. num. 213. de Gallis: *Æneis præterea galeis, cum magnis appendicibus ad prolixam ostentationem factis, capita muniunt. Nam vel cornua affixa, vel auium, quadrupedúmque facies in illis expressas habent.* Extant vetusta galearum monumenta cum cornuum insignibus, quorum effigies editas videbis apud Lipsium lib. 3. de Militia Romana, Dialogo 5. (consule quoque Analecta ad eundem Dialogum) & Villalpandum in cap. 41. Ezechielis, lib. 4 cap. 49. Scaliger ad Numerum Eusebianum MDCCCCXXI. hæc scribit: *Extant hodie nummiærei, sed rarissimi, in quorum superficie cusum est caput cornibus arietinis, cum diademate, in altera Aquila vnguibus fulmen retinens, iuxta est Cornucopiæ, infra pedes Alitis hæc nota:* ☧ *in ambitu* ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Non dubium est, capud illud, propter cornua arietina, Iouem Ammonem esse, quod erat Cyrenarum numen* ☧ *tutelare, vt ex nummis Cyrenensium constat. De* ☧ *figura interrogatus respondi, non esse eam quæ Constantino oblata est, quamuis non differat ab illa, sed esse notam* ΧΡΗΣΤΗΡΙΟΥ, *oraculi Ammonis, Cyrenis vicini, & in ditione eius positi.* Cornua regnum portendisse Genucio Cipo, Valerius Maximus lib. 5. cap. 6. ita refert: *Genucio Cipo Pratori paludato portam egredienti, noui & inauditi generis prodigium incidit. Namque in capite eius subitò veluti cornua emerserunt: responsúmque est, Regem eum fore, si in Vrbem reuertisset. Quod ne accideret, voluntarium sibimet*

met ac perpetuum indixit exilium. Dignam pietatem, quæ quòd ad ſolidam gloriam attinet, ſeptem Regibus præferatur: Cuius teſtandæ rei gratia, Capitis effigies ærea, qua exceſſerat, portæ incluſa eſt: dictáque Rauduſculana, quòd olim æra raudera dicebantur. Rem totam fusè, & pulchrè cecinit Ouidius lib. 15. Metamorphoſeos. At Plinius lib. 11. cap. 37. initio: *Actæonem enim & Cipum etiam in Latina hiſtoria fabuloſos reor.* De Ruduſculana ſeu Roduſculana Porta Romæ, vide M. Varronem 4. de lingua Latina, & Feſtum, atque è recentioribus Onuphrium in Roma. Suetonius libello de Claris Rhetoribus; *Hic Epidius ortum ſe ab Epidio Nunciono prædicabat: quem ferunt olim præcipitatum in fontem fluminis Sarni, paulò poſt cum cornibus extitiſſe, ac ſtatim non comparuiſſe, in numeróque deorum habitum.* Franciſco Trouilluuio in montanis Cenomannorum, enatum fuiſſe cornu in Sincipite, duritie & craſſitie verrecini, qui adductus fuerit ad Henricum I V. Gallorum regem, ipſe, qui vidit, teſtatur Iſaacus Caſaubonus lib. 1. de Satyra, cap. 2. pag. 47. & ſeqq. Iulius Capitolinus de Clodio Albino: *Huic multa Imperij ſigna quum eſſet natus, facta dicuntur. Nam & bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus eſt, quod mirandum fuit: quæ tamen cornua in templo Apollinis Cumani ab eodem poſita iam Tribuno, diu fuiſſe dicuntur.* De radiis verò Maro 12. Æneidos:

Ingenti mole Latinus
Quadriiugo vehitur curru: cui tempora circum
Aurati bis ſex radij fulgentia cingunt.

Herodianus lib. 1. de Commodi Imperatoris pulchra facie: *Pulchra, viriliſque facies, tranquillæ faces oculis, atque micantes, flaua & criſpa cæſaries: vt in ſole ambulanti velut igne quodam rutilaret: ſicut euitem quidam ſcobe aurea putarent conſpergi: quidam etiam pro argumento diuinitatis acciperent, ac radios eſſe illos circa verticem genitiuos opinarentur.*

Et ſuſpicari quis poſſit Coronæ nomen ductum ab Hebraïco *Keren*, ſeu cornu: vti adnotauit Pierius lib. 41. Hieroglyphicorum, in Corona: tametſi id reiiciat Carolus Paſchalius de Coronis lib. 1. cap. 1. ſed de Corona vnde dicatur, plura te docebunt Scaliger Commentariis in Cirin Virgilij, Fungerus in Etymologico, & idem Paſchalius. At de ſignificatu cornu pro regno, adito Lexica Hebraïca, & Phraſes Villauicentij: & cum primis Paſchalium lib. 10. de Coronis, cap. 4. & 5.

Ergo Porphyrius cornu illud patuulum, ſeu Regem, Antiochum Epiphanem fuiſſe exiſtimauit: de quo S. Hieronymus: *Fruſtra Porphyrius cornu paruulum, quod poſt decem cornua ortum eſt, Epiphanem Antiochum ſuſpicatur: & de decem cornibus tria euulſa cornua, ſextum Ptolemæum cognomento Philometorem, & ſeptimum Ptolemæum Euergetem, & Artaxxiam regem Armeniæ: quorum priores multò antequam Antiochus naſceretur, mortui ſunt. Contra Artaxxiam verò dimicaſſe quidem Antiochum nouimus, ſed illum in regno priſtino permanſiſſe.* Porphyrij explanationem amplexi ſunt Immanuel Tremellius, & Franciſcus Iunius. Sed quid eſt quod S. Hieronymus ait, Ptolemæum Philometorem ſextum Ægypti regem, & Ptolemæum Euergetem ſeptimum eiuſdem Ægypti regem, mortuos antequam Epiphanes naſceretur? cùm ex Euſebij Chronico, & cunctis Annalibus liqueat, Antiochum cum Philometore bella geſſiſſe: Euergetem verò poſt mortem Antiochi initium regnandi feciſſe. Philopater enim, & Euergetes, alius, nempe, hic tertius, ille quartus Ægyptiorum reges multo ante quam Antiochus oriretur, mortem obiere. Verùm Porphyrij interpretatio refutatu facilis eſt, ex cunctis hiſtoriis: & eam argumentis exploſerunt Pererius & Maldonatus ex profeſſo. Nobis illud nunc ſatis ſit, quod Daniel illud cornu paruulum, ſeu regem, oriturum ait ex decem cornibus, id eſt, Regibus quartæ beſtiæ, nempe Romani Imperij: at Antiochus, non ex regno Romanorum, ſed ex Regno Macedonum, & ex ſucceſſoribus Alexandri Magni, qui in Syria & Babylone regnauerunt, ortus fuit.

Hadrianus Finus lib. 5. Flagelli aduerſus Iudæos, cap. 6. refert quorundam opinionem, Cornu illud paruulum fuiſſe Mahometem Saracenorum ſectæ conditorem; quam expoſitionem amplexus eſt Hector Pintus, neque ab ea longe abſunt Iſidorus Clarius, Iacobus Veldius. Hæc interpretatio euertitur perſpicuo argumento: nam cornu illud naſciturum prædicitur, quum quartum Regnum, hoc eſt, Romanum Imperium diuulſum fuerit in decem Reges: at tempore quo Mahometes ſectam ſuam & regnum condere cœpit, Romanum Imperium vigebat adhuc, per vnum Heraclium adminiſtratum: vt ex omnibus annalibus eſt manifeſtiſſimum. His accedit quod quæcumque Daniel de Cornu illo paruo vaticinatus eſt, nullo pacto Mahometi conueniunt, vt mox planius fiet.

Alij verò exiſtimarunt, cornu illud paruulum fuiſſe Othomanicorum Turcarum Imperium, quod anno Chriſti M C C C. poſt diſtractum & diuiſum Romanum Imperium in varia regna, emerſerit, & iam duo cornua Imperij Romani, nempe Imperium Conſtantinopolitanum, & Sultanatum Ægypti euulſerit, ac deleuerit: Imperium enim Conſtantinopolitanum euerſum eſt à Mahomete I I. Turcarum Imperatore anno MCDLIII. Maij X X I X. Sultanatus autem Ægypti ſublatus eſt à Selimo anno MDXVII. Idibus Aprilis, qua die de Tumumbeio vltimo Memphitico Sultano ſumptum eſt ſupplicium, vt auctor eſt Paulus Iouius lib. 18. Hiſtoriarum, Surius in Commentario anni 1517. Supereſſe tamen tertium Cornu, ſeu Regnum Imperij Romani exſcindendum à Turcis, quod quale futurum ſit, quia nondum eſt factum, adhuc ignorari. Vatablus in Scholiis ad hunc Danielis locum: *Sub hoc Imperio Romano, exoritur paruum cornu, id eſt, gens ignobilis & obſcura Turcarum: quæ iam vicit duo cornua: nempe Imperium Conſtantinopolitanum, & Sultanum Ægypti. Supereſt tertium cornu ſuperandum, quod quia factum nondum eſt, ignoramus.* Mirum non ſuccurriſſe Vatablo tertium Cornu Imperium Trapezuntium deletum à Mahomete I I. anno, MCDLXI. interfecto Dauide vltimo Imperatore Chriſtiano, vti referunt Laonicus Calchondylas lib. 9. Matthias Palmerius in Chronico, & alij.

Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 151. *Daniel prædixit duodecim capitibus futurum ſtatum Eccleſiæ, à ſuo tempore ad extremum mundi: ac inter cetera docuit, quinque regna ſeſe per ordinem conſecutura, quæ per illud ſpatium populum Domini grauiter oppugnarent, Babyloniorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum, Gog & Magog, id eſt, Saracenorum & Turcarum, quos per obſcurum, & ignobile cornu deſignauit.* Alij tria cornua euulſa à Turcis, interpretantur regna Aſiæ, Græciæ, & Ægypti, apud Maldonatum.

Equidem hæc ſententia præterquam quòd & nouitate ſua, & ſingularitate facilè laborat, nullo pacto cum verbis Danielis & mente congruere poteſt.

potest. Primò, quia Daniel distinctè loquitur de singulari vno rege, & persona, qui post decem alios reges surrecturus sit. *Et alius*, inquit vers. 24. *consurget post eos.* Non igitur de vno integro Imperio Turcarum, successione multorum Principum constante intelligit. Secundò, quia Daniel vers. 25. ait: Cornu illud paruulum regnaturum per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est, per tres annos & dimidium, vt suo loco dilucidè monstrabimus: quod certè nec Mahometi, nec Turcarum Imperio constat conuenire. Exploratum est enim Mahometem diutius rerum potitum esse: & Turcarum Imperium vltra trecentos annos vigere adhuc in mundo. Tertiò, de cornu illo scribit idem Vates vers. 25. *Et putabit quòd possit mutare tempora, & leges.* At Turcæ, tantum abest vt aliorum leges mutarint, vt potiùs sanè stabilierint: ac ipsi leges, cæremonias, religionem, Sacra à Mahometanis acceperint, & in eorum sectam transierint, vt ex cunctis historiis compertum habetur. Erant enim Barbari, & contra victorum morem, à victis Mahometanis leges, & religionem sibi desumpserunt. Quartò, addit Daniel vers. 25. Sanctos tradendos in manu illius cornu per tempus, & tempora, & dimidium temporis: at quamuis Othomanicum Imperium plura Christianorum regna euerterit: non tamen Christianos habet in manu sua, vt quæcumque velit, illis faciat: nam nisi ignauia, & socordia nostra prohiberet, facilè Turca à Christianis debellari, & extingui posset: neque enim viribus, aut arte militari par. Et si Christianos vexat, non est id per tres annos & dimidium dumtaxat, sed iam per aliquot annorum centurias. Porrò illud, *tempus, & tempora, & dimidium temporis*, esse tres annos & dimidium libro 13. cap. 8. exactè ostendemus. Quintò, cornu illud, vers. 25. *Sermones contra Excelsum loquetur.* Hoc est, se palàm & apertè Deum faciet, & appellabit, vti libro 8. cap. 5. solidè confirmabimus: At neque Mahometes se Deum fecit: nec vllus Turcarum Principum sibi diuinitatem arrogauit. Quapropter Vatablus qui cornu illud paruum Turcarum regnum interpretari aggressus fuerat, incommoditate explanationis, & occulta veritatis vi permotus, tandem Scholio 27. in veram, & legitimam de Antichristo explicationem rediit. Refutarunt eam de Turcarum Imperio interpretationem seorsim Pererius, & Maldonatus.

Ergo ne diutiùs Lectorem per anfractus absurdarum, & alienarum explanationum trahamus, illud pro indubitato, & explorato affirmamus, verum & genuinum sensum Danielis hunc esse, cornu illud paruulum esse ipsissimum Antichristum: ac totius oraculi Danielis hanc esse certissimam mentem, & intelligentiam: Regnum quartum, nempe Imperium Romanum, per quartam illam Bestiam adumbratum, propè suum interitum, & finem rerum, tandem diuidendum esse in decem cornua, id est, decem reges, qui Imperium Romanum funditus exscindent, & delebunt: ac Prouincias omnes, quæ olim Imperij Romani fuere, inter se partientur, & diuident: quorum nullus se Regem, aut Imperatorem Romanum appellabit: vt sanè nullum ex cornibus Bestiæ, Bestia vocatur. Istis autem decem Regibus in orbe regnantibus, exoriturum Regem Antichristum tanquam cornu paruulum, nempe ex paruis, & obscuris initiis in immanem magnitudinem euasurum; nam decem illos Reges breui formidolosa potentia exsuperabit: qui regnum adeptus tres ex decem illis Regibus vincet, & delebit: septem verò reliquos sibi adiunget, suóque Imperio subiiciet.

Hanc equidem esse veram & propriam totius huius Danielis Vaticinij de quarta Bestia, de decem cornibus eius, & de alio cornu paruulo, quod è medio decem cornuum enatum est, quodque tria è decem illis cornibus euulsit: nempe, de quarto Regno, de decem Regibus in quod diuidetur: de alio Rege, qui consurget post eos, & tres de illis opprimet, interpretationem, & veteres Patres, & recentiores innumeri præclaro consensu tradiderunt. Singillatim, sanctus Iustinus Martyr Dialogo cum Tryphone, sanctus Ireneus lib. 5. aduersus Hæreses, cap. 25. & 26. Tertullianus de Ruserrectione Carnis, cap. 24. sanctus Hippolytus Martyr oratione de Consummatione Mundi, & de Antichristo. Lactantius Firmianus lib. 7. Diuinarum Institutionum, cap. 15. & 16. Lucifer Calaritanus Episcopus libro de Non parcendo in Deum delinquentibus, sanctus Cyrillus Ierosolymitanus catech. 15. Victorinus Commentariolo in Apocalypsim, sanctus Hieronymus in Daniel. 7. ad vers. 8. Quintus Iulius Hilarion libello de Mundi duratione, sanctus Prosper in dimidio Temporis, cap. 8. & de Prædictionibus Dei, part. 2. cap. 34. Theodoretus orat. 7. in Danielem, & orat. 10. sanctus Gregorius lib. 32. in Iob, cap. 12. Primasius in 17. Apocalypsis, sanctus Agobardus sermone de Trinitate, & de Antichristo, Andreas Cæsariensis cap. 53. & 54. in Apocalypsim, sanctus Beda in 17. Apocalyps. Ambrosius Ansbertus in 13. Apocalyps. Strabus in 7. Danielis, Simeon Metaphrastes in Commentario de sancto Daniele, Zonaras Annali 1. Anselmus Laudunensis in 7. Danielis, Petrus Comestor in Historia Scholastica Danielis, cap. 6. Quorum sententias expressè descriptas habes superiùs c. 22. in quibus apertissimè releges eos omnes Patres, eodem omnino quo diximus modò, præfatum Danielis oraculum exposuisse.

His accedunt recentiores Lyranus, Pintus, Pererius, Maldonatus in 7. Daniel. Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 4. 40. & 41. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 5. Ribera in 12. Apocalyps. num. 11. & in cap. 13. num. 10. Acosta lib 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 9. Henricus Henriquez de Fine Hominis, cap. 23. §. 5. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 54. sect. 5. Valentia tom. 4. disput. 11. quæst. 2. punct. 2. §. 3. Pererius lib. de Antichristo, disputat. 3. Barradius tom. 3. in Euangelia, lib. 9. cap. 5. Viegas in Apocalyps. 13. Comment. 1. sect. 3. Becanus de Antichristo reformato, lib. 2. cap. 1. Lessius de Antichristo, cap. 14. Cornelius à Lapide in 2. Thessalonicens. 2. Antonius Fernandius in Visionibus Veteris Testamenti, Visione 24. commentar. 1. sectione 6. num 5. & sectione 7. num. 6. & alij, qui eandem Danielis verborum intelligentiam disertè probant, & amplectuntur.

Porrò sanctum Chrysostomum, Theophylactum, & Oecumenium in 2. Thessalonicensium 2. cùm ex verbis Pauli docent, Romanum Imperium exscindendum, & abolendum de mundo antequam veniat Antichristus: addúntque: *Et hoc cum magna euidentia nobis tradit Daniel.* Reuera ad hoc vaticinium Danielis de decem regibus, qui Romanum Imperium auferent de mundo, quorum tempore

veniet Antichriſtus, reſpexiſſe : & eodem prorſus quo nos modo illud intellexiſſe, verba eorum quæ cap. 18. deſcripſimus apertè demonſtrant. Et quid opus eſt plures teſtes rei tam exploratæ laudare, cùm ſanctus Hieronymus palam affirmet, hanc noſtram interpretationem omnium Eccleſiaſticorum Scriptorum communi ore comprobari? Enarrans enim Danielis oraculum decem cornibus, ſeu regibus quartæ beſtiæ, & de alio cornu, ſeu rege paruulo, ait : *Ergo dicamus quòd omnes Scriptores Eccleſiaſtici tradiderunt in conſummatione mundi, quando regnum deſtruendum eſt Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter ſe diuidant : & vndecimum ſurrecturum eſſe regem paruulum* (Antichriſtum,) *qui tres de decem regibus ſuperaturus ſit, id eſt, Ægyptiorum regem, & Africæ, & Æthiopiæ : quibus interfectis, etiam ſeptem alij reges victori colla ſubmittent.* Verùm de tribus illis regibus Ægypti, Africæ, & Æthiopiæ, ſuperandis ab Antichriſto, fuſior inſtituetur nobis diſputatio lib. 6. quum bella Antichriſti deſcribemus. Atqui, quis, niſi dutæ & contumacis mentis, audeat, ea relicta interpretatione, quam tot, tantorúmque Patrum, & recentiorum auctoritas firmat, nouas alias, & paucorum iudicio excogitatas expoſitiones conſectari? Faceſſat hìc omnis ingeniorum petulantia, & caput tam venerandæ Patrum coronæ ſubmittat.

Illud quoque monemus, Paulum Apoſtolum inſigni illo ſuo vaticinio de extinctione Imperij Romani ante aduentum Antichriſti, 2. Theſſal. 2. quod elucidauimus cap. 19. proculdubiò reſpexiſſe ad iſtud quod hìc explanauimus Danielis oraculum de interitu Imperij Romani per decem reges, quibus regnantibus exoriturus eſt Antichriſtus, vt etiam annotauit Cornelius à Lapide in 2. Theſſalonic. 2. quod ſanè indicauit Tertullianus de Reſurrect. carnis, cap. 24. vbi interpretans verba Pauli, *Tantùm qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat*, inquit : *Quis? niſi Romanus ſtatus, cuius abſceſſio in decem reges diſperſa Antichriſtum ſuperinducet.* Atque id certè nemo prudens dubitare poterit.

Explicatur locus Apocalypſis 12. 3. De Dracone magno, rufo, habente capita ſeptem, & cornua decem.

CAP. XXV.

REfert Ioannes : *Et ſignum magnum apparuit in cælo : Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim : & in vtero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariat. Et viſum eſt aliud ſignum in cælo : & ecce Draco magnus rufus, habens capita ſeptem & cornua decem : & in capitibus eius diademata ſeptem : & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram : & draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura : vt quum peperiſſet, filium eius deuoraret. Et peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea : & raptus eſt filius eius ad Deum, & ad thronum eius : & mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta. Et factum eſt prælium magnum in cælo : Michaël, & Angeli eius præliabantur cum Dracone, &c.*

Haud ignoramus totius huius viſionis varias circumferri interpretationes, quas nunc ad amuſſim exigere, ratio inſtituti noſtri non patitur. Illam tamen, cunctis acriùs expenſis, ſinceriorem & aptiorem exiſtimamus, quæ totius viſionis euentum ad ſtatum Chriſtianæ Eccleſiæ ſub Antichriſti tyrannide in fine ſæculi, refert. Nempe vaticinari Ioannem de his quæ paſſura eſt Eccleſia ſub gladio & perſecutione Antichriſti. Inducunt nos in hanc explanationem haud leuia rationum momenta.

Primò, verſ. 6. dicitur : *Et mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta.* Et verſ. 14. additur : *Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum locum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis, à facie ſerpentis.* At hæc omnia diſertè indicant tempus perſecutionis Antichriſti, hoc eſt, tres annos cum dimidio, quibus Eccleſia profuga, & diſperſa in deſertis latitabit, propter vim perſecutionis Antichriſti, vt ſolidè lib. 9. c. 16. & 17. oſtendemus.

Secundò, Verba illa verſ. 7. *Et factum eſt prælium magnum in cælo : Michael, & Angeli eius præliabantur cum Dracone : & Draco pugnabat, & Angeli eius : & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo*, & cetera quæ proſequitur de magno iſto bello, & victoria Michaëlis : intelligenda omnino eſſe de temporibus Antichriſti, quando Satanas totis ſuis, ſuorúmque viribus per Antichriſtum, cum Eccleſia pugnabit, vt eam funditus extinguat : è contrario pro Eccleſia belligerante Michaële cum militiæ cæleſtis agminibus, ac ingentem victoriam reportante de hoſtibus, lib. 9. cap. 20. & 21. perſpicuè demonſtrabimus.

Tertiò, Inſignes Patres, & recentiores eandem interpretationem comprobant. Sanctus Gregorius lib. 32. in Iob, cap. 12. elucidans partem illam huius viſionis verſ. 4. de Dracone : *Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli : inquit : Sed Draconis cauda in terram ſtellas deiicit, quia illa Satanæ extremitas per audaciam aſſumpti hominis* (Antichriſti) *erecta, quoſdam quos veluti electos Dei in Eccleſia inuenit, obtinendo reprobos oſtendit.* Victorinus in Apocalyp. exponens hanc ipſam viſionem de Dracone rufo ſepticipite, & decacorne, ait : *Septem capita, ſeptem reges Romanos, ex quibus, & Antichriſtus eſt. In priori dicimus cornua decem, decem reges in nouiſſimo tempore. Hos eoſdem plenius ibi tractabimus.* Nimirum inferiùs ad cap. 17. Apocal. Et ſequitur totam viſionem cap. 12. de temporibus Antichriſti explanare.

Andreas Cæſarienſis Epiſcopus cap. 33. in Apocalyp. 12. enarrans illud, verſ. 6. *At mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum a Deo, &c. in hunc modum diſſerit : Quando, inquit, diabolus, qui in Antichriſto efficax erit, aciem per ipſum contra Eccleſiam direxerit, tunc illius electi, ſummàque eiuſdem capita, ciuilibus tumultibus, mundaniſque voluptatibus contemptis, in deſertum ab omni malitia alienum, vitaque conſuetudinem omni virtutum genere lucentem ſe ſe recipient, iuxta Magni Methodij ſententiam, ibidémque impugnantium dæmonum, malignorúmque hominum impetus, atque inſultus ſubterfugient. Pro-*

habile fit quoque ſenſilem eremum eos conſeruaturos qui in montibus, & ſpeluncis, & cauernis terræ, propter Apoſtatæ, & Antichriſti inſidias confugient : quemadmodum primos quoque Martyres ad eiuſmodi latibula ſæpè ſe recepiſſe, mortémque ad tempus euaſiſſe conſtat : idque ad annos tres cum dimidio, per mille ducentorum ſexaginta dierum numerum deſignatos : inter quos regnum obtinebit Apoſtaſia : à qua magnus ille Agonotheta nos liberet.

Aretas cap. 33. in 12. Apocalypſ. ad eadem verba verſ. 6. *Et mulier fugit in deſertum.* ait: *Mulieris fuga in deſertum, electorum innuit fugam, quam ſub Antichriſti aduentu, ab ipſo diabolo procurato, & effectui mancipato, arripient Eccleſiæ coryphæiſſimi, ac præcipuè Præſules à ciuilibus tumultibus fugientes, ad tres annos, ac dimidiam : tantùm enim mille ducenti ſexaginta dies temporis ſpatium complent.*

Primaſius in 12. Apocalypſ. ad verſ. 14. *Vbi alitur per tempus, & tempora & dimidium temporis, ab Antichriſti facie, id eſt, illius ſerpentis, trium annorum tempore, & ſex menſium.* Nec ab hac interpretatione abludit Haimo in hunc locum. Ex recentioribus verò qui accuratiores Apocalypſis habentur explanatores Sà, Ribera, Melus, Viegas, eandem intelligentiam amplectuntur. Sed alias huius oraculi partes, ſuis quaſque locis prout opus fuerit opportunè elucidandas ſeponimus : illam nunc propriè excutiemus, quæ exhibet Draconem ſepticipitem, & decacornem. Et quamuis hanc quoque partem in varios ſenſus interpretes diducant, ac diſtrahant, quos omnes hîc reddere, & moleſtum foret, & minimè neceſſarium : nos tamen illum ceteris anteferre non dubitamus, qui eoſdem decem reges hîc agnoſcit, quos ſuperiori capite in Daniele vidimus. Ergo Draconem hîc, conſenſu omnium diabolum accipimus, ipſomet Ioanne interprete verſic. 9. *Et proiectus eſt Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas.* Decem verò cornua, & ſeptem capita diaboli facilè interpretamur, decem illos reges in fine mundi futuros, qui erunt veluti quædam magna inſtrumenta diaboli, & regni eius præcipua robora : quique Romanum Imperium funditus exſcindent, & inter ſe partientur eius Prouincias : quibus regnantibus venturus eſt Antichriſtus : qui tribus ex illis decem regibus interfectis, reliquos ſeptem ſibi ſubiugabit. Iidem autem dicuntur decem cornua, & ſeptem capita, quia primùm decem reges erunt, ſed tribus eorum extinctis, atque deletis, ſeptem alij remanebunt adhærentes Antichriſto, vti in ſuperioribus copiosè demonſtrauimus. Hunc eſſe ſimplicem, ac genuinum huius loci intellectum non pauca perſuadent.

Primò, Collatio, & verborum, ac ſententiæ magna ſimilitudo, & affinitas huius oraculi cum illo Daniel. 7. verſ. 7. quod capite præcedenti explanauimus, & cum aliis Apocalypſ. 13. 1. & cap. 17. verſ. 3. 7. & 12. quæ poſteà ſumus explicaturi de decem cornibus Beſtiæ, hoc eſt, de decem regibus futuris in fine Romani Imperij, quibus rerum potientibus venturus eſt Antichriſtus : Cùm enim omnium quatuor iſtorum oraculorum eadem ſint penè verba, idémque ſententiæ textus, idem quoque ſenſus videtur.

Secundò, Andreas, & Aretas Cæſarienſes Epiſcopi eandem intelligentiam indicarunt. Andreas inquit : *Decem porrò cornua denotare putamus mundani regni diuiſionem, quæ ipſi diabolo tanquam ſeditionibus gaudenti voluptatem parit non vulgarem.* Aretas autem : *Decem verò cornua dicit diuiſiones regni, quæ mundum ad ipſum diabolum ferunt, vt qui diſſidiis ſemper gaudeat.*

Tertiò, Qui maiori cura, & ſtudio Apocalypſim explicandam ſuſcopere, ex recentioribus, Sà, Ribera, Melus, Viegas hunc eundem ſenſum cæteris prætulere, aptéque, & coneinnè cum verbis Ioannis compoſuere : quos tu conſules. Quæ verò his oppoſuit Alcaſar, diluemus, cap. 27.

Beſtiam primam aſcendentem de mari Apocalypſ. 13. verſic. 1. & ſequentibus deſcriptam, eſſe ipſum Antichriſtum.

CAP. XXVI.

VErba Ioannis ſunt : *Et vidi de mari Beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem : & ſuper cornua eius, decem diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ. Et Beſtia quam vidi, ſimilis erat pardo, & pedes eius ſicut vrſi, & os eius ſicut os leonis, &c.*

Ioannes Annius, Iodocus Clicthouæus, Ioannes Hentenius, Gilbertus Genebrardus, Petrus Bulengerus, Gabriel Prateolus, Franciſcus Feuardentius, qui vel ſeriò crediderunt, vel vehementer ſuſpicati ſunt, Mahometem verum fuiſſe Antichriſtum, quorum ſententias deſcripſimus lib. 1. cap. 25. illud quoque Clicthouæus, & Hentenius de Beſtia ſecunda diſertè loquuntur, vt etiam Lyranus, & Burgenſis in 13. Apocalypſ. ad verſ. 11. quum Beſtiam Apocalypſ. 13. Mahometem eſſe putant, exiſtimarunt, Beſtiam hîc à Ioanne depictam, ipſiſſimum Mahometem eſſe : atqui ſeorſim Annius, & Hentenius, ac Feuardentius conati ſunt omnia, quæ Ioannes de horrenda hac Beſtia prædixit, Mahometi adaptare. Alphonſus Salmeron præludio 7. in Apocalypſim, quamuis non dicat Mahometem eſſe Antichriſtum, at diſertè exiſtimat Beſtiam primam Apocalypſ. 13. à verſic. 1. vſque ad 4. deſcriptam, eſſe ipſum Mahometem. *In his*, inquit, *verbis depingitur aduentus Mahometis.* Alij apud Alcaſarem in 13. Apocalypſ. putant ſignificaſſe Turcicum Imperium. Verùm re tota probè conſiderata, exploratiſſimum cunctis eruditis eſſe debet, nullo pacto Ioannem hîc de Mahomete verba feciſſe, aut Mahometem per monſtrificam hanc Beſtiam adumbraſſe. Et vt multa præmittam quæ validè hanc de Mahomete intelligentiam euertunt, verſ. 5. dicitur: *Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.* Id eſt, rerum potiri, & pro libidine in omnia debacchari tres annos cum dimidio : vt libro 14. cap. 8. exponemus : at quis iſtud putet Mahometi poſſe, aut eius regno, vel ſectæ conuenire ? Nam ſecta eius adhuc durat per mille iam propemodum annos. De regno verò eius Landulphus Sagax lib. 18. Miſcellæ Hiſtoriæ, cap. 61. inquit : *Et tenuit hæreſis eius*

partes Æthribi, postremò per bellum : nam primùm quidem occultè decem annis, & bello similiter decem, manifestè nouem. Consentiunt & reliqui auctores. Et vers. 3. *Et vidi vnum de capitibus suis, quasi occisum in mortem : & plaga mortis eius curata est.* Quæ sanè nescimus quo pacto, nisi violentissimè, & ineptissimè in Mahometem detorqueri possint. Nec plura addimus in confutationem singularis, & absurdæ sententiæ, quam omnis iam ferè eruditorum corona repudiat. Atqui etiam ex his quæ mox hoc capite dicemus abundè refellitur.

Nicolaus Lyranus in 13. Apocalyps. sanctus Antoninus 1. Historiar. titulo 6. cap. 1. §. 9. Dominicus Sotus 4. Sententiarum, distinct. 46. quæst. 1. art. 2. Georgius Edessus lib. 4. Oeconomiæ Bibliorum, in Euentu tabulæ 226. arbitrati sunt, Bestiam istam hîc à Ioanne descriptam significasse Syroën quendam Persarum regis Chosrois filium, qui in conflictu quodam cum Heraclio Imperatore singulari certamine congressus, vulneratus sit, nec tamen occisus. Auctores ipsos suam cum verbis Ioannis perducentes, & concinnantes expositionem, si libuerit, per otium consule. Verùm hæc interpretatio neutiquam subsistit, & haud magno labore disiicitur. Equidem Landulphus Sagax in Historia Miscella, Cedrenus, Zonaras, in Annalibus, Sigebertus in Chronico, & alij præstantes auctores, qui res gestas Heraclij Imperatoris in bello Persico aduersus Chosroam, annuatim, & minutatim litteratum monumentis consignarunt, nihil de eiusmodi conflictu, vel singulari certamine Syrhois filij Chosrois cum Heraclio Imperatore meminere. Landulphus quidem lib. 18. Miscellæ, cap. 26 in et alia gesta anni 15. Heraclij, & 4. Persici belli, refert qualiter Heraclius in medio ponte Tigridis fluminis deturbarit gigantem, sic scribens : *Porrò vir quidam Persa giganteus Imperatori occurrens, hunc in medio pontis adgreditur : ast Imperator hoc perculso, in amnis fluenta proiecit. Hoc verò ruente Barbari in fugam versi sunt.* Et rursus gesta anni 17. Heraclij, & 6. belli Persici percensens, narrat prælium Heraclij cum Razate Persarum duce, cap. 36. his verbis : *Razates verò cùm peruenisset illuc, & ipse prælium dirigit in cuneis tribus, & contra Imperatorem processit : Pridie sanè Idus Decembrias gestum est bellum, & ante omnes prosiliens Imperator, Principique Persarum occurrens, diuina virtute, Deique Genitricis opitulatione hunc eiecit, & qui cum eo erant, exsilientes antea fugerunt. Rursúsque Imperatori alius occurrens, & hunc quoque deposuit. Irruit autem aduersus eum etiam tertius, qui dedit ei cum mucrone in labium, & hanc illi plagam inflixit. Ast Imperator, & hunc extinxit : & tubis clangentibus, inuicem congressæ sunt partes vtraque : & cùm pugna valida gereretur, plaga vulneratus est à peditibus Phalba Imperatoris equus, qui dicebatur Dorcon, in femore lanceæ ictu percussus. Multas autem in facie & spatharum in facie percussiones accepit, sed ferens tegimen ex neruis contextum plagam mortiferam non sumebat.* At quod Syrhoes cum Heraclio duello concurrerit, nec verbum apud Landulphum. Quin Syrhoen, vel vt alij vocant Synochium, fauisse Romanis, & pacem cum eisdem occiso Chosroë firmasse, Landulphus, Cedrenus, Zonaras, & omnes testantur. Et quid obsecro, eorum quæ Ioannes de Bestia hîc vaticinatur, Syrhoi, nisi coactè & alienè conuenit ? Omitto quòd est hæc paucissimorum intelligentia, omnium aliorum fermè consensu explosa.

Sed quid necesse est in his diutiùs immorari, cùm clarissima consentiens Sanctorum Patrum, optimorúmque interpretum, & auctorum assertio sit, Ioannem sub nomine primæ Bestiæ, hic propriè & primariò, atque directè de vero Antichristo venturo fuisse locutum. Parce, lector, quia sic necesse est, dum antiquorum, & recentiorum de hac interpretatione consensum paulò fusiùs explicamus.

Sanctus Ireneus lib. 5. aduersus Hæreses, cap. 28. in hunc modum de Antichristo disserit : *Illo enim veniente, & sua sententia apostasiam recapitulante in semetipsum, & sua voluntate, & arbitrio operante quacumque operabitur : & in templo Dei sedente, vt sicut Christum adorent illum, qui seducuntur ab illo : quapropter, & iustè,* Apocalyps. 19. versic. 20. *in stagnum proiicietur ignis. Deo autem secundum suam prouidentiam præsciente omnia, & apto tempore eum, qui talis futurus erat, immittente, vt credant falso, & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Cuius aduentum Ioannes in Apocalypsi significauit ita :* Apocalyps. 13. versic. 2. *Et Bestia quam videram, similis erat pardo, & pedes eius quasi vrsi, & os eius quasi os leonis : & dedit ei Draco virtutem suam, & thronum suum, & potestatem magnam : & vnum ex capitibus eius, quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est, & admirata est vniuersa terra post Bestiam ; & adorauerunt Draconem, quoniam dedit potestatem Bestiæ : & adorauerunt Bestiam, dicentes : Quis similis est Bestiæ illi, & quis potest pugnare cum ipsa ? Et datum est ei os loquens magna, & blasphemiam : & data est ei potestas mensibus quadraginta & duobus : & aperuit os suum blasphemum aduersus Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in calo habitant : & data est ei potestas super omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem : & adorauerunt eam omnes qui habitant super terram, cuius non est scriptum nomen in libro vitæ Agni, occisi à constitutione mundi. Si quis habet aures, audiat. Si quis in captiuitatem duxerit, & in captiuitatem ibit. Si quis gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi. Hic est sustinentia, & Fides Sanctorum.* Hactenus sanctus Irenæus verba Apocalyps. 13. de prima Bestia, de ipsissimo Antichristo interpretatus.

Tertullianus de Resurrectione carnis, cap. 25. *Et Bestia Antichristus cum suo Pseudopropheta certamen Ecclesiæ Dei inferat.* Alluisse Tertullianum ad verba illa Apocalyps. 19. versic. 19. *Et vidi Bestiam & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo.* Et versic. 20. *Et apprehensa est Bestia, cum Pseudopropheta, &c.* Rectè Pamelius annotauit, nec sanè vllum dubium esse potest. At Bestiam illam cap. 19. & hanc cap. 13. vnam & eandem esse, nemo hactenus iuit inficias.

Sanctus Hippolytus Martyr Oratione de Antichristo, agens de Bestia illa Apocalyps. 11. vers. 67. *Et cùm finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersus eos bellum.* Quam omnes eandem esse consentiunt, cum ista quæ Apocal. 13. dicitur ascendere de abysso : eam disertè Antichristum esse affirmat, dicens : *Et implebunt testimonium suum,*

ſuum, vt inquit etiam Daniel. Ioannes potiùs : *Qui præuidit Beſtiam aſcendentem ex abyſſo, cum eis bellum geſturam, id eſt, Henoch & Elia, & ſuperatos eos interfecturam, propterea quòd noluerint gloriam dare diabolo. Iſtud eſt exiguum cornu, quod emergebat. Nam Antichriſtus elatus corde, poſteà incipiet exaltare ſeipſum, & glorificare tanquam Deum, perſecutione Sanctos, & blaſphemia Chriſtum inceſſens.* Et poſteà, verba illa Apocalypſ. 13. verſ. 16. & 17. de Beſtia illa prima : *Et ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen Beſtiæ, aut numerum nominis eius.* De ipſo Antichriſto expreſsè interpretatur, in hæc verba : *Mox cuncti ciborum penuria accedent, atque adorabunt eum* (Antichriſtum:)*quibus dabit Characterem in dextra manu & fronte, nequis dextera ſua pretioſam illam crucem pingat in fronte. Ex quo tempore non poterit vllum ſignare membrorum ſuorum : ſed adhærebit ſeductori, eique ſeruiet. Ita ſeductor ille* (Antichriſtus) *dabit eis pauca cibaria, idque ob impurum ſigillum ſuum.*

Q. Iulius Hilarion Libello de Mundi duratione: *Hic erit proprius Antichriſtus. Huic potentiſſimus ille Draco tradet vim & poteſtatem ſuam : & mirabuntur vniuerſi mortales.* Expoſuit diſertè verba Apocalypſ. 13. 2. *Et dedit illi Draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam. Et admirata eſt vniuerſa terra poſt Beſtiam.*

Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 17. *Et dabitur ei* (Antichriſto) *deſolare orbem terræ menſibus quadraginta duobus.* Expoſuit locum Apocalypſ. 13. verſ. 5. de prima Beſtia : *Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.*

Sanctus Ephrem Syrus Sermone de Antichriſto, eundem locum Apocalypſ. 13. verſ. 16. & 17. de Charactere, ſeu ſigillo Beſtiæ primæ, de Antichriſto perſpicuè intelligit, his verbis : *Ad eundem modum etiam hìc ſe armabit Tyrannus, vt mundum ſuis ſignis, atque prodigiis tempore ſuo, in conſummatione nimirum ſæculorum : & ita demum accepto prius eius ſignaculo, ſibi cibum, & quamcumque formam comparandi poteſtatem habeant. Statuet autem principes ad iſtud ſcelus edictúmque ſuum exequendum. Attendite fratres ſuperbiam Beſtiæ, & machinamenta iniquitatis, quoniam à ventre principium ducet : vt quando quis cibi preſſus fuerit inopia, cogatur tunc ſignaculum illius ſuſcipere. Dabitque hoc ſignum ſuum ſceleſtus ille, non quidem promiſcuè pro quolibet corporis membro, ne hoc graue ſit, atque moleſtum ipſis : ſed in dexteram manum, ac frontem inſculpturus eſt homini characterem hunc ſuum impium : ne ſcilicet facultas ſit homini dextera ſe ſignandi ſigno Crucis Saluatoris noſtri, &c.* Et poſt multa alia : *Siquidem præſides quidam populi duri, atque immites per loca conſtituti erunt à Tyranno* (Antichriſto,) *qui illos duntaxat paululum ciborum ſibi coëmere permittent, qui ſignaculum improbi Tyranni ſecum in fronte, vel in dextera prætulerint.*

Sanctus Ambroſius in Pſalm. 45. *Nam & Beſtia illa Antichriſtus ex abyſſo aſcendit, vt legimus in Ioannis Apocalypſi : cui datum eſt os loquendi magna, vt aduerſus Deum plena furoris conuitia, & ſacrilegij perſonaret.*

Aurelius Prudentius Hymno 6. ante ſomnum, de Antichriſto canit:

Quam Beſtiam rapacem,
Populóſque deuorantem,
Quam ſanguinis Charybdim
Ioannes execratur.

Nemo non videt Prudentium loca Apocalypſis,

præſertim cap. 13. de Beſtia, de Antichriſto interpretatum.

Sanctus Proſper in dimidio Temporis, cap. 10. præfigit titulum, *de perſecutionibus Antichriſti.* Et quum aliqua Scripturæ loca de perſecutionibus Antichriſti adduxiſſet, pergit in hunc modum : *Teſtatur & Ioannes in Apocalypſi 13. Data eſt, ait, poteſtas Beſtiæ loquendi magna, & aperuit os ſuum in blaſphemia aduerſus Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius. Et data eſt ei poteſtas faciendi bellum cum Sanctis, & vincere, & occidere eos.*

Andreas Cæſarienſis Epiſcop. cap. 36. in 13. Apocal. ad illud verſ. 1. *Et vidi de mari Beſtiam aſcendentem, &c.* ait : *S. Methodius, & Hippolytus, & alij veteres de ipſo Antichriſto præſentem locum interpretati ſunt : vt qui ex turbulento, plurimúmque vndoſo vitæ huius mari egreſſurus ſit.* Sequitur totum Ioannis oraculum de Beſtia prima, diſtinctè, & apertè de Antichriſto explanare.

Victorinus commentariolo in Apocalypſ. elucidans eadem verba cap. 13. verſ. 1. *Et vidi de mari Beſtiam aſcendentem, &c.* inquit : *Et vidi de mari Beſtiam aſcendentem ſimilem pardo. Regnum illius temporis Antichriſti, cum varietate gentium, & populorum commixtum ſignificat.* Pergit reliqua quæ ibi Ioannes de Beſtia prima vaticinatur de Antichriſto ipſo interpretari.

Sanctus Gregorius lib. 33. in Iob, cap. 26. de prædicatoribus Antichriſti, ait : *Quorum ſimulationis malitiam Ioannes in Apocalypſi breui deſcriptione comprehendit, cap. 13. dicens : Vidi aliam Beſtiam aſcendentem de terra, habentem duo cornua ſimilia agni, & loquebatur vt draco. Priorem quippe Beſtiam, id eſt, Antichriſtum, ſuperiore deſcriptione narrauerat : poſt quem hæc etiam alia Beſtia aſcendiſſe dicitur, quia poſt eum multitudo prædicatorum illius ex terrena poteſtate gloriatur.* Eadem ad verbum habet Paterius in Expoſitione Apocalypſis ex dictis ſancti Gregorij concinnata, c. 44.

Primaſius in 13. Apocalypſ. ad verſ. 3. *Et vnum caput ex ſeptem capitibus quaſi occiſum fuerit ad mortem, & plaga mortis eius curata eſt. Vnum ex capitibus eius dicit Antichriſtum: qui tanta impietate progreditur ad eludendos animos paruulorum, vnum ex capitibus ſeptem, imitatione veri capitis ſe quaſi occiſum reſurrexiſſe, & pro Chriſto, qui hoc verè perfecit, ſuſcipiendum audeat exhibere. Et admiratæ ſunt gentes inhabitantes terram. Terram enim poſuit pro terrenis, qui eum, & ſequi, & adorare maluerint, id eſt, ſui, qui in Antichriſto tanquam in ſimulacro diabolum adorare dicuntur. Et data eſt ei poteſtas faciendi menſibus quadraginta duobus. His etiam menſibus tres anni cum ſex menſibus adimplentur, quibus ſpecialiter nouiſſimæ perſecutionis prænuntiatur aſperitas. Aperuit autem in Blaſphemia os ſuum aduerſus Deum, in blaſphemandum nomen eius, & tabernaculum eius. Templum hîc etiam corporis Chriſti glorificatum puto ſignificari trophæum, quem tunc Antichriſtus dicitur blaſphemare, quando dignitatem ei ſpecialiter debitam, ſibi auſus fuerit aſſignare. Et data eſt ei poteſtas faciendi bellum cum Sanctis, & vicit eos. Dicendo, aperuit os ſuum, oſtenditur in hanc damnabiliter fiduciam prorupiſſe, vt quod antea occultè, nunc publicè audeat blaſphemare, quando dignitatem ei ſpecialiter debitam, ſibi auſus fuerit aſſignare, & iniquitatem in excelſo loqui, vt contrarius Chriſto, ſe velit pro eo accipiendum, vel vi ingerere, vel fraude ſupponere.* Denique Characterem, & nomen, & numerum nominis primæ Be-

stiæ 666. de quo Ioannes vers. 17. de Antichristo disertè exponit.

Aretas cap. 36. in 13. Apocalyps. ad vers. 1. *Et vidi de mari Bestiam ascendentem. Quod nihil sanè aliud indicat, quàm quòd Antichristus, post primum, ac secundum Satanam, tertius ipse consequatur. Et cornua decem. Decem verò cornua adesse Antichristo demonstrat. Et super capita sua nomina blasphemiæ. Simul cum principatu blasphemiæ, alium subsequi declarat, hoc est, Antichristum. Ipse enim erit Antichristus.* Et quæ sequuntur in Ioanne de Bestia prima, omnia accuratè de Antichristo declarat.

Ambrosij nomine Auctor in 13. Apocalypsis: *Et vidi de mari Bestiam ascendentem. Hæc Bestia Antichristum significat. Qui verò designantur per arenam, ipsi & per mare, multitudo scilicet reproborum. De mari igitur Bestia conscendere visa est: quia de societate reproborum Antichristus exsurget.* Pergit totum oraculum Ioannis de Bestia prima, de ipso Antichristo interpretari.

Sanctus Beda in 13. Apocalyps. ad vers. 3. *Et vidi vnum de capitibus eius quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est. Antichristus ad capita regni terreni pertinens, imitatione veri capitis nostri, se quasi occisum resurrexisse, & pro Christo, qui hoc verè perfecit, se suscipiendum audet exhibere. Cuius commenti dicitur in Simone Mago præcessisse fallacia. Et datum est ei os loquens magna, & blasphemias. Qui extollitur, inquit, super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius. Dignitatem sibi nominis Dei impius vsurpans, Ecclesiam quoque suam nominare præsumet.* Tandem Characterem, & nomen Bestiæ, & numerum nominis Bestiæ, 666. ex professo de Antichristo, vt omnes alij, vers. 17. explanat. Et libro de Temporum ratione, cap. 68. planissimè agens de Antichristo, & varias Scripturas de illo colligens, inquit: Idem Apostolus Ioannes alio loco: *Et vidi, inquit, de mari Bestiam ascendentem: & dedit illi Draco virtutem suam, & potestatem magnam, id est, vidi hominem sæuissimi ingenij de tumultuosa impiorum stirpe progenitum: cui mox nato, & per magicas artes à pessimis imbuto magistris, adiungens se diabolus, totam virtutis suæ potentiam, per quam magicè ceteris omnibus maiora patraret, individuus comes attulit. Et data est, inquit, illi potestas facere menses quadraginta duos, id est, annos tres, & dimidium. Percusso autem illo perditionis filio, siue ab ipso Domino, siue à Michaële Archangelo, &c.*

Ambrosius Ansbertus in 13. Apocal. ad vers. 1. *Et vidi de mari Bestiam ascendentem*, inquit: *Aliquando enim Auctor huius historiæ, vnius, eiusdémque vocabulo Bestiæ, diabolum, aliquando autem corpus eius, videlicet, omnes infideles, & reprobos: aliquando verò vnum ex capitibus eiusdem Bestiæ, Antichristum scilicet, quod quasi occisum resurrexit, simulatione vtique, non veritate: aliquando quoque solos prædicatores eiusdem peruersi hominis, atque ministros designat.* Et inferiùs: *De hac abysso caput veluti occisum, videlicet Antichristus, qui est pars Bestiæ ascendit: quia ex profundissimo incredulitatis Iudæorum populo purus homo generatur: in tantam vesaniam erigitur, vt se velit haberi pro Christo, execrans & detestans nomen Redemptoris, nomenque Ecclesiæ eius, sicut de illo in hac Apocalypsi dicitur: Aperuit os suum in blasphemias ad Deum, ad blasphemandum nomen eius, & eos qui in cælo habitant.* Et ad illud vers. 2. *Et os eius, sicut os Leonis.* ait: *Perque videlicet leonem, rectè auctor transgressionis, id est, Antichristus designatur: qui & inaudita prædicans, & inaudita comminans, terret, & fraude decipit, & vi sæcularis potentiæ premit.* Et ad vers. 3. *Et vidi vnum de capitibus suis, quasi occisum in mortem.* addit: *Quia & ipsum caput* (Antichristus) *in subsequentibus tota Bestia appellatur, quum dicitur: Facit terram, & inhabitantes in ea, adorare Bestiam primam, cuius curata est plaga mortis. Vnum ergo caput de septem Bestia capitibus Antichristus est. Et admirata est vniuersa terra post Bestiam, Antichristum scilicet, quem à mortuis resurrexisse putant. Et adorauerunt Bestiam. Bestiam illam, videlicet Antichristum non solùm diuitiis, & potentatibus, verùm etiam signis & virtutibus suffultum, esse Christum putauerunt. Et datum est ei os loquens magna, & blasphemias. Tanquam diceret. Nulla ex parte in Antichristo à blasphemiis locus vacat, quia & vocibus Christum abnegans, se pro illo adorandum ingerit. Et data est illi potestas facere mensibus quadraginta duobus. Nunc verò nouissimæ persecutionis asperitatem specialiter comprehendit.* Et ne simus in reddenda Ansberti interpretatione prolixiores, omnia quæ deinceps Ioannes de Bestia illa prima subiungit, atque characterem, nomen, numerúmque nominis Bestiæ, 666. de Antichristo idem Ansbertus explicatissimè enarrat.

Agobardus Lugdunensis Episcopus, qui sub Ludouico Pio Imperatore vixit, circiter annum 835. in sermone de Trinitate, & Antichristo, cùm multa Scripturæ loca, quæ de Antichristo expressè loquuntur, collegisset, inter alia inquit: *De Antichristo, & Daniel Propheta sic dicit: Sermones contra Excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret, &c.* Et cùm varias sententias Danielis è cap. 7. & 8. de Antichristo exscripsisset, subdit: *In libro Apocalyps. cap. 13. vers. 1. Et vidi de mari Bestiam ascendentem, habentem cornua septem, & capita decem: & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiæ; & Bestia quam vidi similis erat pardo, &c.* Sequitur reliqua eius capitis verba de Bestia, in Antichristum conferre.

Haymo in 13. Apocalypsis: *Et vidi de mari, hoc est, de multitudine reproborum, vel de profunda perfidia Iudæorum, Bestiam ascendentem, id est, Antichristum. Hîc itaque, sicut dixi, Bestia quæ ascendit de mari, diabolum significat, qui ascendit de cordibus reproborum, vt amplius sæuiat, solutus per ipsum perditum Hominem, qui nascetur de plebe Iudaïca, iuxta illud. Fiat Dan coluber in via, &c.* Pergit quæcumque Ioannes subdit de charactere, nomine, numeróque nominis Bestiæ 666. de Antichristo explanare.

Strabus in 13. Apocalypsis: *Et vidi de mari Bestiam ascendentem. Bestia, vel spiritualiter Antichristus, vel generaliter tota collectio, malorum, vel integer Antichristus, caput, & corpus. Et vidi vnum de capitibus suis, quasi occisum in mortem. Simulabit se Antichristus mortuum, & per triduum latens, post apparebit, dicens, se suscitatum.* Atqui omnia quæ Ioannes de Bestia prima eo capite refert, de Antichristo idem Strabus sequitur explicare.

Anselmus Laudunensis in 13. Apocalypsis: *Et vidi vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem, id est, Antichristum. Et admirata est vniuersa terra post bestiam, id est, Antichristum. Et adorauerunt Bestiam, Antichristum.* Et sequentia eiusdem capitis de Bestia prima, de Antichristo manifestè interpretatur.

Sanctus

Sanctus Anſelmus Cantuarienſis Epiſc. in 13. ſt Apoc. *Et vidi vnum de capitibus ſuis, Antichrium ſcilicet principale caput, quaſi occiſum in morte, finget quidem ſe blaſphemus ille nebulo mori, & die tertia reſurgere.* Et cùm in ſequentibus Beſtiam illam primam Antichriſtum expoſuiſſet, ingrediens explanare verba Ioannis de Beſtia altera ſeu ſecunda, quum ait verſ. 11. *Et vidi aliam Beſtiam aſcendentem de terra, &c.* addit: *Deſcripta tribulatione, quæ fit per Antichriſtum & ſuos maiores, ſubiungit aliam, quæ fiet per ſuos Apoſtolos.* Denique Characterem, nomen, numerúmque nominis 666. prioris Beſtiæ, manifeſtè de ipſo Antichriſto elucidat.

Rupertus Abbas in 13. Apocalyp. ad verſic. 1. *De illo homine peccati, filio perditionis, de extollentia de aduerſatione eius, de virtute, & ſignis atque prodigiis eius mendacibus, de tribulatione magna quæ electos tribulabit, vt decipere poſſit, nunc viſio hæc cæleſtis agere incipit.* Et poſt alia, ad illud, *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem*, addit: *Ille draco, ille diabolus, nunc alio quidem, ſed vicnio nomine beſtia dicitur, non abs re, ſed pro nouæ rei magnitudine, quia videlicet qui priùs erat diabolus, & draco dicebatur, in homine erit, & in homine armabitur, qui & homo peccati, homo, vt paulò antè meminimus, erit filius perditionis: idcircò pulchrè appellatio quoque mutata eſt, vt beſtia dicatur: erit enim homo ille ſecundùm operationem eiuſdem Satanæ, Deo, & omni creaturæ infeſtus.* Ac ſanè omnia quæ Ioannes eodem cap. ſubiungit de beſtia illa prima, præſertim de Charactere eius, de nomine, numeróque nominis illius 666. de ipſo Antichriſto Rupertus interpretatur.

Richardus de S. Vict. lib. 4. in Apocal. cap. 4. elucidans viſionem Ioannis cap. 13. de beſtia prima, inquit: *Notandum eſt, quòd ea quæ ſuprà dicta ſunt, ab eo loco. Et vidi vnum de capitibus ſuis tanquam occiſum, & cetera quæ in hoc capitulo ſequuntur, ad Antichriſtum maximè referenda ſunt: cuius impietatem adhuc latiùs deſcribit, dum dicit: Et datum eſt illi os loquens magna.* Et capit. 5. extremo, addit: *Beſtia prima in hoc capitulo, Antichriſtus; deſcriptio beſtiæ, deſcriptio Antichriſti beſtialiter ſæuientis contra fideles Eccleſia.*

In eundem ſenſum & interpretationem conſpirant recentiores innumeri Ioannes Viguerius Inſtitutionum Theologicarum cap. 21. §. 3. verſ. 4. *Conabitur Antichriſtus ſubuertere fideles priuatione honorum, & dignitatum, ac confiſcatione bonorum, & prohibitione cuiuſcumque commercij, emptionis, venditionis, & aliorum contractuum, vt dictum eſt Apocalypſis 13.* Et in fine eiuſdem verſus: *Antichriſtus regnabit tribus annis cum dimidio, quod etiam declaratur Apocalypſ. 13. verſ. 5. vbi dicitur: Data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos, qui faciunt tres annos cum dimidio.*

Nicolaus Sanderus lib. 8. de viſibili Eccleſiæ Monarchia, cap. 1. *De illo eximio Antichriſto agitur apud Danielem cap. 7. 8. & 9. & 11. &c. Et in Apocalypſi cap. 11. 13. 17. & 18.* Et cap. 6. *Nec enim dubium eſt, quin poſtquam reuelatus fuerit Antichriſtus, & nomen eius, & numerus nominis debeat manifeſtiſſimè reuelari: præſertim cùm Spiritus ſanctus dicat Apocalyp. 13. Hìc ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt: & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.* Et cap. 24. *Antichriſtus quum fuerit reuelatus, vt in Apocalypſi cap. 13. verſ. 6. dicitur Blaſphemabit tabernaculum Dei, & eos qui in cælo habitant.* Et toto eo 8. libro quum ſe occaſio dat, beſtiam primam Apocalyp. 13. Antichriſtum intelligit.

Ioannes Gagnæius in 13. Apocalyp. verſ. 1. *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, Beſtia iſta Antichriſtus eſt.* Et reliqua Capitis de Beſtia prima, de Antichriſto perſpicuè intelligenda docet.

Cælius Pannonius in 13. Apocalypſis, enarrans totam eius capitis viſionem de beſtia prima, in hunc modum orditur: *De illo ergo filio perdito, déque extollentia eius, prodigiiſque mendacibus, tribulationum inſuper arietibus præſens hæc viſio demonſtratur. Vbi principio omnium offertur beſtia immanis è mari proſerpens, admirabili habitudine, quæ ipſum perditum hominem deſignat.* Proſequitur totum caput de Beſtia prima, de Antichriſto exponere.

Nicolaus Zegerus in 13. Apocalypſis: *Poteſt autem diabolus beſtia aſcendens de mari accipi, vel ſecundum quod in Antichriſto (qui & ipſe Beſtia non incongruè intelligitur) nouiſſimis temporibus venturus eſt: vel ſecundum quod etiam nunc eſt, & agit in corpore ſuo, hoc eſt, in cœtu impiorum.*

Ioannes Fileſacus in Diſſertatione de Idololatria Magica, pag. 19. *Apocalypſ. cap. 13. nouiſſimis illis diebus S. Ioannes futurum ait, vt ab Antichriſto, vel potiùs à diabolo Antichriſtum inhabitante, dementati homines falſis editis miraculis, adorent Draconem qui dedit poteſtatem Beſtiæ, ſiue Antichriſto.*

Ioannes Grialus in Notis ad lib. 1. cap. 25. Sententiarum S. Iſidori: *Antichriſtus Apocalypſis 13. Beſtia nominatur.*

Petrus Creſpetius in ſumma Catholicæ Fidei, verbo, *Antichriſtus: Annectit Antichriſto Ireneus Apocalypſis Ioannis teſtimonium de Beſtia quæ ſimilis pardo dicitur.*

Petrus Bulengerus in ſcoliis ad 13. Apocalypſis ita incipit: *Superbum & arrogans Antichriſti regnum hoc capite copioſè deſcribitur. Sumpta eſt autem hæc viſio ex prophetia Danielis, 7. quæ graphicè depingit futuram Eccleſiæ perſecutionem tempore Antichriſti.* Et initio Ecphraſis: *Tum mentis oculo vidi beſtiam, Antichriſtum ſcilicet.* Pergit Beſtiam illam primam toto illo capite viſam, Antichriſtum ipſum interpretari.

Xyſtus Senenſis lib. 4. Bibliothecæ, in Ioanne Annio: *Beſtiam illam tertiodecimo potiſſimum Apocalypſis capite deſcriptam, communiter enarratores interpretantur Antichriſtum.*

Thomas Bozius de ſignis Eccleſiæ lib. 4. cap. 6. *Clariùs id explicat Ioannes in Apocalypſi cap. 11. & 13. inquiens Antichriſtum regnaturum menſibus quadraginta duobus.*

Florimundus Raymundus lib. de Antichriſto, cap. 5. num. 2. *Græca vox θηρίον, qua toties vtitur Apoſtolus Ioannes, propriè ſignificat Beſtiam quandam horrendam & crudelem, qualis futurus eſt Antichriſtus, ſanguinis humani auidam & ſitibundam. Hæc eſt beſtia illa cuius plerumque Ioannes meminit in Apocalypſi, per quam denotari ipſiſſimum Antichriſtum, affirmant Aretas, Methodius, Hippolytus, & alij.*

Guilielmus Eſtius in 4. Sententiarum, diſt. 47. §. 6. *Præcipua de Antichriſto Scripturæ loca ſunt Danielis 7. 11. & 12. &c. & Apocalyp. 13. & 17.* Et poſt alia: *Poſtremus locus eſt Apocalypſis 13. & 17. quem conformiter cum his quæ apud Danielem ſunt, Patres de Antichriſto interpretantur.*

Leonardus Coquæus in Commentariis ad 18. de Ciuitate Dei cap. 53. *Apocalypſis item 13. verſ. 7. ſcribit Ioannes datum eſſe Antichriſto bellum cum Sanctis facere, & vincere eos.*

Et in lib.20. cap.8. *Tribus annis & sex mensibus durabit regnum, & persecutio Antichristi: colligitur ex Apocalyps.cap.13.vers.5.data est ei potestas facere menses quadraginta duos.* Et inferiùs: *Propterea Ioannes Apocalyp. 13. de illa persecutione Antichristi loquens, Hic, inquit, est patientia, & fides sanctorum.*

Sed opportunè hîc Patres Societatis Iesu hoc idem affirmantes coniungemus, vt Societatis ea de re magnum consensum cernere liceat.

Benedictus Pererius lib.14. in Danielem: *Antichristus contumeliosius in Deum, & blasphemus erit: quam ob causam in Apocalypsi c.13. v.1. dicitur esse plenus nominibus blasphemiæ.* Et posteà: *De persecutione Antichristi Ioannes quoque in Apocalypsi, cap.13.v.7. Datum est, inquit, ei bellum gerere cum Sanctis, & eos vincere.*

Rob. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontifice, cap.2. *Quintus & vltimus locus est Apocalyp.13. & 17. quæ loca intelligi de Antichristo, docet Ireneus lib. 5. & perspicuum est ex similitudine verborum Danielis & Ioannis. Vterque enim mentionem facit decem regum, qui erunt in terra quando veniet Antichristus: & vterque Antichristi regnum tribus annis cum dimidio duraturum prædicit.* Et cap. 8. *Ioannes in Apocalyp.11. & 13. dicit Antichristum regnaturum mensibus quadraginta duobus, qui rectè faciunt tres annos cum dimidio.*

Henricus Henriquez de Fine Hominis cap. 23. §.4. littera, *q.* in textu: *Antichristus ascendet de mari, Apocalyp.* 13. Et in commento: *Videtur quod classe & nauali bello inuadet Romam & regem Austri.*

Ioannes Maldonatus in 7. Danielis, vers. 25. *Quia Ioannes Apocalyps.13. vers.5. dicit, datum esse ei (Antichristo) os loquens magna & blasphemias.*

Franciscus Ribera in 13. Apocalypsis: *Vniuersam Antichristi persecutionem hoc capite 13. sigillatim Ioannes describere incipit. Bestia quam vidit Ioannes Antichristus est, vt testatur Ireneus lib. 5. cap.28. De qua dixit cap. 11. Bestia quæ ascendit de abysso faciet aduersus eos bellum, Aretas etiam ita interpretatur, & refert in eandem sententiam S. Methodium & S. Hippolytum.* Sequitur omnia quæ Ioannes eodem capite de Bestia prima narrat, de ipso Antichristo explicare. Riberam ad amussim in eadem explanatione sectatur Gaspar Melus Augustinianus in 13 Apocalyp.

Franciscus Suarez tomo 2. in 3. partem S. Thomæ, disp.54. in præfat. *Sunt autem in veteri Testamento tria tantùm loca in quibus ad litteram de Antichristo sermo est, Danielis 7. 11. & 12. In Nouo autem Testamento sex loca videntur esse potissima, Matthæi 24. Marci 15. Ioannis 5.2. Thessalonicens. 2.1. Ioannis 2. Apocalypsis 13.* Et sect.1. *Danielis 7. 11. & 12. & Apocalyps.13. prædicitur quidam singularis rex futurus, qui destruet alia regna, & Sanctos Dei crudelissimè persequetur Antichristus. Quas prophetias de Antichristo intelligunt omnes Patres suprà citati.* Et sect. 2. *Antichristi regnum breuissimo tempore duraturum est: vt enim colligitur ex Danielis 7. & 12. & ex Apocalyp.11. 12. & 13. Antichristi suprema potestas ac monarchia tantùm per tres annos & dimidium durabit: quia ibidem dicitur vers. 7.* Data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam & gentem. *Et similiter vers.5.* Data est ei potestas facere menses quadraginta duos. Et tota ea disput.54. vbicumque incidit sermo de Bestia illa prima Apocalyp. 13. eam Antichristum disertè interpretatur. Et lib. 5. contra Anglicanos errores, cap.6. *De visione igitur capitis 13. Apocalypsis breuiter respondemus, probabile valde esse Bestiam illam Antichristum repræsentasse. Nam omnia quæ statim de Bestia illa dicuntur, propria sunt Antichristi opera, & signa: & quia statim introducitur alia bestia quæ priorem prædicat, & nomen eius adumbrat, quod omnes intelligunt de nomine Antichristi. Et ita hunc locum exposuerunt Patres antiqui, Ireneus lib.5.cap.28. & 30. Hippolytus orat. de Consummatione mundi, Methodius, Ephrem, Gregorius, Ambrosius, Rupertus, Andreas, Aretas, Anselmus, & alij Apocalypsim exponentes.*

Gregorius de Valentia tomo 4.disput.11.quæst. 2. punct. 2.§.5. *Dicendum Antichristum regnaturum tantummodò per tres annos cum dimidio. Colligitur id ex Ioanne Apocalyp. 11. & 13. in quibus locis tradit sauitiam Antichristi duraturam mensibus quadraginta duobus, qui conficiunt tres annos cum dimidio.* Et §. 2. *Antichristus erit impius & blasphemus in Deum & sanctos eius, Apocalyp.13. Aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant.* Et alibi toto eo puncto, quum de Bestia prima Apocalyp.13. incurrit sermo, de Antichristo exponit.

Martinus Delrius Magicarum Disquisitionum lib.2. quæst. 28. sect.3. *Apocalypsis 13. vers.4. traduntur impij bestiam adoraturi. Bestia illic vocatur ipse Antichristus Iuxta DD. Hippolytum, Methodium, Ireneum, Aretam, & alios.*

Ioannes Ferdinandus in Thesauro Scripturarum, verbo Antichristus. *Et adorauerunt Draconem qui dedit talem potestatem Bestiæ. Si rem altiùs inspicias, duas adorationes inuenies, alteram datam bestiæ, id est, Antichristo, alteram Draconi, qui dedit talem potestatem bestiæ: quia, vt inquit Beda, postquam adorauerint Antichristum gentes, clamabunt, Benedictus Deus qui talem dedit huic potestatem.* Et verbo, Bestia: *Bestia de mari ascendens est Antichristus: sic legimus Apocalyp.13. Vidi de mari bestiam ascendentem, &c. Bestia hæc vel totum corpus impiorum significat, cuius præcipuum caput est Antichristus, vt aiunt Anshertus, Gagnæius, & ante illos Ireneus lib.5.cap.28. & Hippolytus de Consummatione mundi, & Methodius, & alij multi, inter quos est D. Gregorius.*

Iacobus Gretzerus tomo 2. in Defensione lib.3. Bellarmini de Rom. Pontifice cap.8. aduersus Robertum Abbatum Anglum Caluiniſtam, in hunc modum disputat: *De duplici bestia Apocalyp. 13. vers.1. & v.12. bestiali propemodum acumine disserit, & pro certo sumit per priorem bestiam Romanum Imperatorem ethnicum denotari: per posteriorem, Antichristum. Si quæras, quo auctore hanc suam opinationem corroboret; respondebit, se ipso. Si postules, vt omnia illa quæ de prima bestia Apocalyps. 13. memorantur, accommodet ad ethnicos Imperatores, præcipuè quadraginta illos duos menses: hîc æstuabit Abbatus: quia relicta semel veritate, quæ per primam bestiam, Antichristum: per secundam, insignem quempiam Antichristi adiutorem, & promotorem denotari tradit, nihil stabile & firmum, in quo pedem figat, habet.* Et capitulo 13. *Nam per bestiam ascendentem è mari, intelligi ipsum Antichristum Apocalyp. 13. verior & certior est Interpretum sententia: cui textus, omnésque eius circumstantiæ mirè consonant.*

Iosephus Acosta lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 9. ex professo Bestiam primam ascendentem de mari Apocalyp. 13. Antichristum interpretatur, & inter alia inquit: *Quanta verò futura sit*

ra sit Antichristi magnitudo & violentia, subdit Ioannes: Et Bestia quam vidi similis erat pardo, ob velocitatem; & pedes eius pedes vrsi, ob rapacitatem; & os sicut os leonis, propter maiestatem, & tyrannidem. Et admirata est, inquit, vniuersa terra post Bestiam, & adorauerunt Bestiam, dicentes: Quis similis Bestiæ? & quis poterit pugnare cum Bestia? Quæ de ipsa Antichristi persona prophetata esse, (quamuis nihil vetet de tota impiorum vniuersitate intelligi,) auctores optimi tradunt, Thomas, Ricardus de sancto Victore, Gregorius Magnus, atque Ambrosius: Et ipse Ireneus à discipulis Ioannis edoctus.

Sebastianus Barradius tom. 3. Euangelicæ Hist. lib. 9. cap. 5. *Denique ad summam Monarchiam perueniet Antichristus, Apocalyps.* 13. *Data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem.* Et cap. 6. *Antichristus Christianis atrox inferet bellum, de quo Ioan.* 13. *Datum est illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos.* Et cap. 7. *Persecutio Antichristi tribus tantùm annis cum dimidio durabit Apocalyps.* 13. *Data est ei potestas facere menses quadraginta duos, qui tres annos efficiunt cum dimidio.*

Blasius Viegas Comment. 1. in cap. 13. Apocal. sect. 1. *Multi Interpretes Bestiam ascendentem de mari interpretantur multitudinem impiorum, vt Ricardus, Beda, Primasius, Ansbertus. Ceterùm rectius sentiunt Rupertus, Aretas, Haimo, Pannonius, imò & D. Ireneus lib. 5. aduersus hæreses, cap. 28. per Bestiam ascendentem de mari accipiendum esse Antichristum: quæ sententia omnino amplectenda est.* Pergit eo capite suam de Antichristo explanationem perducere.

Martinus Becanus lib. de Antichristo reformato, cap. 2. *Pro Patribus facit Ioannes in Apocalypsi, cap.* 13. 5. *vbi dicit, Antichristum regnaturum mensibus quadraginta duobus, qui rectè faciunt tres annos cum dimidio.* Et cap. 11. *Antichristum fore blasphemum, constat ex illo Apocal.* 13. 5. *Datum est ei os loquens magna & blasphemias.* Et alibi eo opere non semel Bestiam primam Apocal. 13. Antichristum exponit.

Benedictus Iustinianus in 2. Thessalonicens. 2. ad vers. 10. *Potestatem improbus ille Antichristus à dæmone accipiet, de qua Ioannes in Apocal. cap.* 13. 7. *Et data est, inquit, potestas Bestiæ in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem: & adorauerunt eam omnes, qui inhabitant terram.*

Hieronymus Natalis in Annotationibus ad Euangelium Dominicæ 24. post Pentecosten: *Bestiam porrò, non solùm Draconem adorabunt homines, quod vaticinatur Ioannes Apostolus Apocal.* 13. 4. *Vt blasphemias, & mendacia Antichristo.*

Cornelius à Lapide in 2. Thessalonicens. 2. ad vers. 11. num. 69. *Præcursor Antichristi, insignis impostor coget imaginem Antichristi ab omnibus adorari, Apocalyps.* 13. *vers.* 15. Et post alia: *Antichristus erit atheus & blasphemus in Deum, & Sanctos, vt patet Apocalypseos cap.* 13. *vers.* 6. *Erit tyrannus crudelissimus, maximè in Christianos, vt patet Apoc.* 13. 10. *Hæc, inquit, est patientia, & fides Sanctorum.* Et passim Bestiam illam primam ascendentem de mari, Antichristum interpretatur.

Leonardus Lessius disputat. de Antichristo, demonstrat. 3. probans Antichristum vnicum & singularem hominem futurum, inquit: *Tertiò, colligitur ex Apocalypsi, cap.* 13. *Antichristus enim est Bestia illa, quam Ioannes vidit ascendentem de mari, habentem capita septem & cornua decem, &c.* Et pluries eo opere Bestiam illam primam Apoc. 13. Antichristum adumbrasse affirmat.

Didacus Lopez de Messa in Mensa Spiritualium ciborum, verbo Antichristus, §. 7. de Antichristo hæc habet: *Hæc est Bestia, cui iuxta Apocalyps.* 13. *Draco virtutem suam, & potentiam dabit, vt omnes adorent Draconem, qui Bestiæ potestatem talem dedit.* Exscripsit ad verbum Strabi Monachi sententiam in cap. 2. Iudith.

Antonius Fernandius Visione 24. Veteris Testamenti, Comment. 1. sect. 2. num. 3. *Quo sensu similiter accipiendum est illud Apocalyps.* 13. 1. *Vidi ascendentem de mari Bestiam habentem capita septem & cornua decem. Est enim ad litteram de Antichristo, qui quidem ab initiis obscurissimis ad summum ascendet Imperij fastigium.*

Iam satis auctorum, ad fastidium planè vsque legentium, sed iusta necessitate, vt mox videbimus. Ceterùm cunctis, his adde omnes illos qui docuerunt characterem, nomen, numerúmque nominis Bestiæ eiusdem primæ, ascendentis de mari, nempe sexcentos sexaginta sex Apocalypsis 13. versic. 16. 17. & 18. ad Antichristum propriè pertinere, & de Antichristo esse reuerà prædicta. Hi certè sunt innumeri, ac ferè omnes, vti lib. 9. cap. 23. videbimus. Igitur cernis luculentissimè, quanto, quámque perspicuo auctorum consensu firmetur, Bestiam illam primam ascendentem de mari, Apocalyps. 13. expositam, ipsissimum esse Antichristum.

Quàm certum sit, Bestiam illam primam, ascendentem de mari, Apocalyps. 13. *esse Antichristum: & num ea Bestia Romanum Imperium significauerit.*

CAP. XXVII.

LVdouicus Alcasar in 13. Apocalyps. disputat. de eius capitis argumento, §. 2. in me inuehitur.

Primò, quòd dixerim hanc expositionem, quæ per Bestiam primam Apocalyps. 13. Antichristum intelligit, adeò certam esse, vt dubitari de illa nullo modo possit. Hanc rigidam esse censuram ipse affirmat, qui sic loquitur: *Hanc expositionem nonnulli adeò certam esse putant, vt de illa dubitari omnino non possit. Sic censet Maluenda, & Ribera cum aliquot aliis. Rigidæ huius censuræ, &c.* Verba mea sunt in priori editione: *Neque de tam recepta explicatione vllo pacto quibit quis ambigere, si tantisper inspicere voluerit verba quædam eiusdem Apostoli Ioannis, cùm agens de interfectione Henoch & Eliæ ab Antichristo patranda, vt suo loco multis explicabimus, hæc habet Apocalyps.* 11. *versic.* 7. *Et quum finierint testimonium suum, Bestia quæ ascendit de abyssо, faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet illos, &c.* Quæ sanè iterum, atque iterum adstruo, & confirmo, & quanto magis loca Apocalyps. 13. versic. 16. 17. 18. de charactere, nomine, & numero nominis 666. Bestiæ, & Apocalyps. 11. versic. 7. de duobus testibus interficiendis à Bestia, quæ ascendit de abyssо, atque alia Apocalypsis loca, quæ agunt de Bestia, & Pseudopropheta, omnia à nobis hoc opere opportunè elucidanda, simúlque Auctorum,

rum, & Interpretum in hæc loca explanationes, ac præsertim mirificum illum Scriptorum Ecclesiasticorum consensum superiori capite à nobis luculenter expositum considero, penitiúsque introspicio, atque omnia inter se accuratè confero, aliud sentire non possum, quàm adeò receptum esse, Apocalyps. 13. versic. 1. Bestiam primam esse Antichristum, vt nullo pacto queat quis ambigere: nimirum prudenti iudicio cunctis ritè perpensis, hanc esse certiorem, germaniorémque huius oraculi explanationem. Neque enim adeò stupidi sumus, vt in vaticiniis abstrusissimis peculiarem aliquem sensum extra omnem incertitudinis, & ambiguitatis aleam constituere velimus. Neque est hæc rigida, sed mitis & iusta censura, cuicúmque æquo rerum æstimatori.

Secundò, Pergit Alcasar: *Sunt adhuc graues Auctores, qui oppositam sententiam amplectuntur. Equidem si recenseamus Auctores, & vtrorúmque auctoritatem æqua lance expendamus, profectò nec numero sunt, nec grauitate inferiores, qui illi de Antichristo expositioni se se opponunt, quos ipse paulò pòst referam. Vt vj cum illis possint conferri.* Ostendere quidem poterit Alcasar aliquos qui bestiam primam Apocalyps. 13. sint interpretati eorum improborum: sed si ex his vnum tantùm ostenderit, qui se illi de Antichristo expositioni opponat, aut expressè dicat, Bestiam illam non esse Antichristum, nos illi integra causa illico cedemus. Aliud est Pater Alcasar, diuersas, & alias interpretationes afferre: aliud alicui interpretationi se opponere, aut illi contradicere. Non statim qui aliam, & diuersam interpretationem affert, alteri se opponit, & contradicit: sed suam tantùm proponit, nec aliam, aut diuersam propterea damnat, aut reiicit. Id enim fieri consueuit in obscuris sacræ Scripturæ locis, vt diuersi diuersas adhibeant explanationes, & vnusquisque in suo sensu abundet, sine alterius præiudicio: nisi cùm disertè aliquis, aliorum expositiones insectatur: quod hîc factum nunquam probabit Alcasar, Vidisti, Lector, consensum Auctorum præcedenti capite à nobis descriptum, iis & numero, & grauitate pares opponet Alcasar? Nugæ. Hoc est, verba dare, non rem. Parum certè se intus versatum ostendet, qui non videat & numero, & auctoritate, & eruditione præstare Auctores qui affirmant Bestiam primam Apocalypseos 13. esse Antichristum, iis qui vel cœtum impiorum, vel aliud quiduis eam Bestiam significasse crediderunt.

Tertiò, Addit Alcasar: *Cùm autem omnes quos pro se affert Maluenda singulatim consiluissem, reperi eorum aliquos diui Augustini vestigiis insistere, & opinionem sectari, qui mariæ Bestiam explicat de impiorum multitudine: ex quorum albo sunt, Primasius, Beda, Ricardus, & Albertus, quos Maluenda pro sua de Antichristo expositione adducit. Alij adeò confusè, & promiscuè loquuntur vt vtram sectentur viam discernere omnino nescias, Ex his sunt Haymo, Albertus, atque alij, qui referunt explicationem de Antichristo, & de dæmone, necnon eam quæ maris Bestiam de impiorum multitudine exponit: & cùm vtramque pariter complecti velle videantur, nullam firmiter tenent.* Albertum ipse in hac re neutiquam nominaui. Præclarè Alcasar haud equidem falsum dicit, sed integram tamen, & solidam veritatem occultat: Perspicuum est Primasium, Bedam, Richardum, imò & alios Bestiæ ascendenti de mari eam de cœtu improborum intelligentiam tribuere: ac non eam solùm, sed illam quoque de Antichristo. Vidisti Lector præcedenti capite istorum dilucida verba, quibus Bestiam illam, Antichristum interpretantur. Quem enim mos Patrum, & insignium explanatorum latet, in difficillimis oraculis, vnam, & alteram, aut etiam plures expositiones adhibere? nimirum vt Lector seligat quam maluerit: neque hæc est confusio, aut perturbatio, sed copia maioris lucis, & doctrinæ. Adde, quòd plerique annotant, simul vtramque interpretationem posse subsistere, & illam de cœtu malorum, & hanc de Antichristo, cùm Antichristus caput sit colluuionis impiorum, & caput cum corpore vnum quid censeantur: sed peculiariter magis Antichristum Bestia illa adumbret. Gagneius: *Bestia ista Antichristus est, & eo principe reproborum cœtus bestiarum more degens.* Acosta: *Quæ de ipsa Antichristi persona prophetata esse, (quamuis nihil vetet de tota impiorum vniuersitate intelligi,) auctores optimi tradunt.*

Quartò, Sequitur Alcasar: *Venio ad Patres qui pro illa opinione citantur à Maluenda. Atque imprimis eorum aliquos certum planè est fuisse Millenarios, &c.* Et mox: *Quæ ergo prudentia est, in re adeò difficili eorum opinione niti, ac fidere, qui difficultatem ipsam non cernunt, quia sibi verum esse persuadent, quòd Ecclesia erroris damnauit? In hac igitur quæstione, vtrùm Bestia maris Antichristus sit, nulla habenda est ratio, opinor, Irenei, Tertulliani, Lactantij, Apollinaris, Iustini, Papiæ, nec alterius cuiusque ex millenariis.*

Ex Millenariis, soli, quod scitur, sanctus Ireneus, Tertullianus, Lactantius, Q. Iulius Hilarion, dixerunt Bestiam illam primam Apocalyps. 13. esse Antichristum. At illud valdè mirum, quòd cum Millenariis cuncti se alij Ecclesiæ Patres opposuerint, errorémque coarguerint, quod cap. 20. Apocalyps. prauè detorserint ad regnum Christi mille annorum in terra post hominum resurrectionem: nullus tamen hactenus præter Alcasarem, sanctum Ireneum, aut Tertullianum, aliósve Chiliastas reprehenderit, quod Bestiam ascendentem de mari Apocal. 13. Antichristum intellexerint: Et quænam prudentia est, vt quia Patres Millenarij in intelligentia mille annorum Apocalyps. 20. errauerint, existimare proinde errasse quoque eos in interpretatione Bestiæ ascendentis de mari, cap. 13. Apocalyps. quòd sibi à cap. 13. ad 20. Apocalyps. inanem quandam acoluthiam confixerint rerum ibi descriptarum? quasiverò non potuerit Ioannes cap. 13. verè de Antichristo vaticinari: & cap. 20. de temporibus ante Antichristum. Siquidem nihil tritius, vulgatiúsque, in Prophetis non seruari ordinem rerum: quòd sæpiùs ad nauseam vsque inculcamus.

Quintò, Subiungit Alcasar: *Ex antiquis Patribus à Millenariorum errore intactis, qui marinam Bestiam de Antichristo exponant, esse perpaucos: & multò esse plures qui in aliam descendunt sententiam, nec minus graues, vt infrà videbimus.* Iam iterum dixi, hoc est, dare verba Ais: perpaucos? En sanctum Hippolytum Martyrem, sanctum Methodium, sanctum Ephrem Syrum,

Syrum, Aurelium Prudentium, ſanctum Proſperum, Andream Cæſarienſem, Victorinum, ſanctum Gregorium, Paterium, Primaſium, Aretam Cæſarienſem, Ambroſij nomine auctorem, Ambroſium, Anſbertum, Agobardum, Haymonem, Strabum, Anſelmum Laudunenſem, ſanctum Anſelmum Cantuarienſem Epiſcopum, Rupertum, Richardum de ſancto Victore, & innumeros recentiores, quorum omnium ſententias diſertiſſimas capite præcedenti exhibuimus. Perpauci tibi videntur? Et cur tibi os non occluſit Andreas Cæſarienſis Epiſcopus, cuius verba nunc repeto? *Sanctus Methodius, & Hippolytus, & alij veteres, de ipſo Antichriſto præſentem locum interpretati ſunt.* Sed illi veteres erunt Alcaſari Chiliaſtæ: at non fuerunt S. Methodius, & Hippolytus. Quid plura? Veterum Patrum Andrea teſte, fuit hæc de Antichriſto interpretatio.

Sextò, Inquit Alcaſar, Quum aiunt Interpretes Beſtiam illam aſcendentem de mari, eſſe Antichriſtum, non id velle, eam propriè, & directè ſignificaſſe Antichriſtum, ſed per comparationem, & applicationem, ſeu accommodationem, nimirum per reflexam & indirectam allegoriam: ſcilicet, propriè deſignaſſe Romanum Imperium, quòd Antichriſti typus, & figura erat, eúmque factis egregiè referebat. Pudet ſanè iſta refutare. Nam ſi hoc non eſt verè ludere, & nugari in rebus minimè ludicris, neſcio quid aliud eſſe poſſit. Quid enim hoc modo non quouis traxeris, & detorſeris pro libidine? Tam ſolliciti nempe fuêre Interpretes de exprimenda ſecundaria & indirecta Beſtiæ allegorica ſignificatione, ſcilicet Antichriſto, cùm de primaria, nempe Imperio Romano, hîc in enarratione, cap. 13. nullum omninò expreſsè verbum mutierint? Qui ſententias Auctorum à nobis ſuperiori capite poſitas, vel leuiter inſpexerit, certum eſt à riſu non temperaturum, cùm hanc Alcaſaris earum interpretationem cum illis contulerit.

Septimò, Adiungit Alcaſar: *Verumtamen nec expoſitio hæc* (de Antichriſto) *ita eſt communis, & peruagata, vt opinatur Maluenda.* Pluſquam quinquaginta Auctores eius expoſitionis expreſſiſſimis eorundem verbis ſuperiori capite produximus: videat nunc Alcaſar, num ea ſit ita communis & peruagata, vt opinatur Maluenda. Multa mihi in hac cauſa dicere haud erat difficile, & ſingula Alcaſaris verba expendere: ſed abſtineo, quod nec libenter cum illo corrixer, nec chartis & otio abuti placeat. Pluſquam viginti duo Patres, & innumeri recentiores à mea expoſitione ſtant: quorum omnium ſi deſtituerer teſtimonio: magnum profectò apud me momentum auctoritatis habuiſſent pluſquam viginti duo illi Patres Societatis Ieſu, quos capite præcedenti commemoraui, illam de Antichriſto explanationem comprobaſſe. Iam tibi Pater Alcaſar, reddo verba tua: Quæ ergo prudentia eſt, Societatis alumnum, interpretationem capitis 13. Apocalypſis de Antichriſto, (omitto nunc reliqua eius libri) tanto Societatis conſenſu, & iudicio receptam velle conuellere, & penitus euertere?

Extitêre nonnulli qui Beſtiam illam primam de mari aſcendentem, Apocalypſ. 13. Exiſtimauerint, ſignificaſſe Imperium Romanum ethnicum, & Eccleſiæ inimicum, quum atrociter ſæuiebat in Chriſtianos. Emanuel Sà in 13. Apocalypſ. verſic. 1. *Beſtiam, ſcilicet Romanum Imperium: vel impiorum multitudinem, vel Antichriſtum.*

Robertus Bellarminus lib. 1. de Roman. Pontif. cap. 15. *Reſpondeo priorem Beſtiam Apocalypſ. 13. ſignificare, vel Romanum Imperium, vel multitudinem impiorum.*

Franciſcus Suarez lib. 5. aduerſus Anglicanos errores, cap. 6. *Addo verò non deeſſe Catholicos Scriptores, qui in cap. 13. Apocalypſ. Beſtiam illam interpretantur Romanum Imperium: & ſeptem illos reges eſſe fortaſſe eoſdem ſeptem, qui cap. 17. per ſeptem etiam capita Beſtiæ repræſentantur. Quæ certè non eſt improbabilis ſententia.* Ioannes Mariana in 13. Apocalypſ. *Vidi de mari Beſtiam aſcendentem, hoc eſt Imperium Romanum, ferox, irrationabile.*

Hanc interpretationem Alcaſar præ ceteris vnicè probat, & mirificè amplectitur. *In primis*, inquit, *ego ita ſtatuo, pro hac explicatione auctores ſtnè, quàm multos, eóſque grauiſſimos numerari.* Ipſe pro tenui mea diligentia quatuor tantùm præfatos potui reperire, quorum tamen non meminit Alcaſar niſi ſolius Bellarmini, quem ego ei indicaui: atque ij quàm timidè, & hæſitanter? Equidem ſi Alcaſar vnicum tantùm mihi proferat auctorem vetuſtum ex publicè editis, qui diſertè dicat Beſtiam primam Apocalypſ. 13. eſſe Romanum Imperium, ex templo totam illi cauſam ſine tergiuerſatione adiudico. Faceſcant acoluthiæ, ſiue conſequentiæ illæ, ſi hoc aiunt, conſequenter illud dicere debent, quæ penè ſunt Alcaſaris formulæ: vnus tantùm ex vetuſtioribus rotundè, & expreſsè, ſine ambage dicat: Beſtia illa prima Apocal. 13. verſ. 1. ſignificat Romanum Imperium. Et victas manus libens Alcaſari do. Citare in eam ſententiam Victorinum, nugæ.

Pergit Alcaſar: *Auctores omnes qui meretricem illam Apocalypſeos 17. Babylonis nomine deſcriptam exiſtimant eſſe antiquam Romam ethnicam, quæ Chriſtianam inſectabatur Eccleſiam: conſequenter adſtruunt marinam Beſtiam huius capitis 13. eſſe Romanum Imperium idololatram.* Cùm in omnibus meis ſcriptis modeſtiam præ me ferre ſemper ſatagam, vix hîc mihi imperare queo quin propemodum in indignationem abripiar. *Auctores omnes qui meretricem, &c.* Propè quadraginta enumerauimus cap. 4. hoc ipſum aſſerentes: & tamen præter tres quos dudum referebam, Sà, Suarem, & Bellarminum, nullus ex illis reperiri poterit, qui Beſtiam Apocalypſeos 13. verſic. 1. dicat eſſe Romanum Imperium: imò plurimi eorum, ac propè omnes affirmant eſſe Antichriſtum, vt capite præcedenti vidimus.

Addit Alcaſar: *Certum namque eſt maris Beſtiam de qua Apocalypſ. 13. & Beſtiam illam, cui Babylon inſidet, cap. 17. vnam, eandémque eſſe.* Scilicet pro certo habet quod eſt incertiſſimum, imò eſſe diuerſam, multi, verius & certius eſſe putant, vt infrà cap. 18. demonſtrabimus. Vide Suarem lib. 5. contra Anglicanos errores, cap. 6. Subdit inſuper: *Vbi autem ſemel ſtatuamus in meretrice illa Romam ethnicam figurari: illico compertum ſit eam Beſtiam eſſe Romanum Imperium diis commentitiis obſequens, quod à Roma*

ma ethnica administrabatur. Compertum, Pater Alcasar? imò controuersissimum, vt eodem cap. 28. ostendemus, cùm plerique censeant Bestiam illam Apocalyps. 17. esse diabolum. Interim viderit Alcasar, quàm aptè dicatur Roma Imperio Romano insidere, quæ ipsa sedes, & thronus Imperij erat. Sed hæc vt leuia nihil moror: quæ tamen cap. 29. emolliemus. Verùm vt cernas quàm non magnum plausum Alcasaris de Bestia prima Apocalyps. 13. vers. 1. pro Romano Imperio exposito inuenerit, Ieremias Ferrerius qui singulari Dei beneficio ex hæresi ad Catholicam nuper rediit, post Alcasarem scripsit peculiare opus de Antichristo, in cuius cap. 26. pag. 890. hæc disertè profert: *In primis omnes veteres Patres, nullo excepto, hanc primam Bestiam, quam sanctus Ioannes vidit ascendentem de mari; interpretantur, vel de corpore, & vniuersitate omnium impiorum, quorum ordinarium caput est diabolus, vsque ad manifestationem Antichristi, qui erit postremum iniquorum qui Ecclesiam persequentur, caput: aut verò de Antichristo solo: sed tamen nullus vnquam exposuit, de Imperio Romano.* Vidit planè Ferrerius ipsissimam veritatem. Cetera Alcasaris consectari non iuuat. Nihil curo, suo sensu fruatur: quem tamen nobis nunquam probabit.

Nec tamen defuere, qui Bestiam primam Apocalyps. 13. versic. 1. putauerint cœtum impiorum, seu ciuitatem diaboli indicasse. Sanctus Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 9. *Quæ sit porrò ista Bestia, quamuis sit diligentiùs inquirendum, non tamen abhorret à fide recta, vt ipsa impia ciuitas intelligatur, & populus infidelium contrarius populo fideli, & ciuitati Dei.* Et cap. 14. *Bestiam bene intelligi ipsam impiam ciuitatem, suprà iam diximus.* Eandem interpretationem sequuntur Ticonius, Primasius, Ansbertus, Beda, & alij.

Non sumus adeò morosi, ac difficiles, vt in abstrusissimo oraculo vlli in sensu præscriptum eamus: qu n geminas illas & de Imperio Romano, & de cœtu malorum interpretationes non esse prorsus repudiandas censeamus: sed cunctis probè perpensis, qui illam de Antichristo cereris præferendam non videat hunc planè nihil aliud quàm contentiosum funem trahere velle, quiuis prudens facilè iudicabit.

Iam explicanda nobis sunt capita illa septem, & cornua decem, in quibus erant decem diademata: quæ se omnia in Bestia illa prima, id est, Antichristo, vidisse Ioannes affirmat. Principio, nihil sanè mirum si quod de diabolo in oraculo Apocalyps. 12. 3. à nobis superiùs cap. 25. elucidato dicitur, nimirum Draconem rufum habiturum capita septem, & cornua decem: idipsum de Antichristo nunc à Ioanne affirmetur: Siquidem vt diabolus, ita quoque Antichristus caput est omnium impiorum, vti sanctus Thomas 3. parte, quæst. 8. art. 7. & 8. demonstrat: & Antichristus futurus est præcipuum præ cereris diaboli membrum: atque vtrumque vaticinium de decem cornibus, & septem capitibus Draconis & Bestiæ, ad Antichristi tempora proculdubio pertinet.

Nimis longum & molestum esset, si omnes aliorum interpretationes de septem capitibus & decem cornibus Bestiæ, id est, Antichristi, hîc recensere vellemus: adsunt ad manum explanatores complurimi, quos consulat, qui hæc auidiùs cupit. Cunctis tamen accuratè perlibratis, illa haud dubiè melior, & certior probatur expositio quæ docet, decem cornua Antichristi esse decem illos reges, quos Antichristus quum venerit, regnantes in mundo reperiet: qui iam Romanum Imperium inuaserint, occupauerint, inter se diuiserint, extinctis & de medio sublatis re, & nomine Romani Imperij. Septem verò capita esse septem illos reges ex decem prædictis, qui occisis & deletis ab Antichristo, aliis tribus, metu immanis Antichristi potentiæ, eidem tyranno colla submittent, imperióque parebunt: vti latissimè de his in superioribus diximus. Atqui hîc locus omnino persimilis est illi de Dracone rufo, quem cap. 25. explanauimus, & eodem prorsus modo elucidandus.

Hanc huius loci intelligentiam docuerunt, Andreas, & Aretas Cæsarienses Episcopi 36. cap. in Apocalypsim eámque referunt ab aliis iam ante se traditam, Ambrosius Ansbertus, Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 2. Henricus Enriquez de Fine H minis, cap. 23. §. 5. Acosta lib. 2. de Nouissimis temporibus, cap. 9. Suarez tomo 2. in 3. partem, disputatione 54. sectione 5. & lib. 5. contra Anglicanos errores, cap. 6. Lessius disputatione de Antichristo, demonstratione 12. & 14. Barradius tom. 3. in Euangelia, lib. 9. cap. 5. Ribera, & Viegas in 13. Apocalypsis, & alij. Sed omnium nomine vnum tantùm Suarez audiamus: *De septem*, inquit, *Capitibus Bestiæ, licèt varia sit expositio, tamen simplicior, magisque recepta est, illa septem significare reges ex illis decem, qui tempore Antichristi erunt: & per decem cornua apud Danielem & Ioannem significantur. Nam quia ex illis decem, tres interficientur, & destruentur ab Antichristo, alij verò septem illi subiicientur, & sociabuntur, & cum illo simul regnabunt fasces illi submittendo, ideo Antichristus dicitur habere capita septem.*

Porrò sanctum Ioannem hoc vaticinio de septem capitibus, & decem cornibus Bestiæ, respexisse ad oraculum Danielis 7. versic. 7. 8. & 24. quod suprà cap. 24. exposuimus, & idem omninò quod Daniel de decem cornibus Bestiæ intellexisse, disertè annotarunt, Ansbertus, Bellarminus, Acosta, Ribera, Bulengerus, Suarez, Viegas, Lessius, & alij.

Largè annotauimus cap. 24. Cornu, insigne, & Symbolum esse regiæ dignitatis: addimus hîc de Diademate, quod dicat Ioannes, *Et super cornua eius decem diademata:* Esse pariter notam, & honorem regiæ frontis. Quod sanè quid, qualéue esset, ex qua materia, & vt reges eo vterentur vt præcipuo regiæ maiestatis ornamento, & decore, cùm plurimi affatim descripserint, accuratè inter alios præstiterunt, Cælius Lectionum Antiquarum, libro 24. cap. 6. Brissonius de regno Persarum, libro 1. pagina 9. 10. 44. 45. & 46. Bayfius in Re Vestiaria, Iosephus Stephanus in 1. Machabæorum 1. ad vers. 10. Fungerus in Etymologico, Paschalius de Coronis lib. 9. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Eos adito, nam res est peruulgata.

Expectaret fortè aliquis, vt Alcasaris expositiones de septem capitibus, & decem cornibus Bestiæ marinæ, vt ipse loquitur, hîc expenderem. At non tantum otij nobis fuit, vt acoluthias, & co

& cogitationes Alcaſaris quadraginta annorum ſpatio conceptas & meditatas nunc acriùs diſcuteremus. Satis mihi fuit regiam ingredi viam à magnis viris priùs tritam & calcatam : ſua ſibi habeat ac ſeruet Alcaſar : quamuis non dubitem, non paucos eum, vt noſtra ferunt tempora, amatores habiturum. Verùm iis quæ ille in noſtram interpretationem obiicit, paucis reſpondendum. In cap. 12. Apocalyp. ad verſ. 3. opponit. *Primò, Quia bellum in cap. 12. & 13. Apocalypſeos depictum, vt euidenter ex ipſo contexu deducitur, antecedit mille pacis annos, de quibus cap. 20. At Antichriſti bellum conſtat poſt mille illos annos fore.* Reſpondeo. Euidenter deducitur ? Scilicet, ex Apocalypſis acoluthia ab Alcaſare primùm excogita : quam ſanè viris eruditis nunquam hactenus probabit. Quam facile eſt, ex à ſuo ingenio ſtabilitis, cetera euidenter deducere ? Addit : *Deinde, quia vt ſignificetur decem reges priùs regnaturos, & ex illis tres ab Antichriſto euerſum iri, reliquos ſubiectum : ad hoc, inquam, nullus mediocriter eruditus ſatis ſibi eſſe putaret, ſi id in ſeptem capitibus, & decem cornibus exprimeret. Certè ſi ipſe huius eſſem enigmatis inuentor & auctor, pudore omninò ſuffunderer, quod ita inſcitè & imperitè vaticinium illud adumbrare voluiſſem : cur ego illud diuino Spiritui, tribuam, quod mihi ipſi attribui planè dedigner ?* Reſpondeo. Nimium tyronem eum in Scripturis eſſe oportet qui neſciat vaticinia prophetarum magnis obſcuritatibus contegi & inuolui. In his eruendis quàm fidum & ſecurum veſtigiis probatorum interpretum inſiſtere, & non ſuas phantaſias conſectari ! Mirum Alcaſarem Ioanni non adhibitum in conſilium, vt ſuum de decem regibus oraculum ſcitè & aptè pertexeret. En robur inuictum argumentorum Alcaſaris : qui pergit.

Tertiò, quia coactum valde eſt, & prorſus extra rem, ſi exiſtimemus Reges illos dæmoni & Antichriſto in auxilium adiungendos ipſius dæmonis & Antichriſti capita futuros. Si è contra affirmaretur, dæmonem ſcilicet & Antichriſtum eſſe illorum regum capita ac principes, id ſanè proportionis alicuius ſpeciem præ ſe ferret. Si reges illi, verè reges & principes ac duces futuri ſunt, ſub Antichriſto ; cur capita Antichriſti, non ſupra ipſum, ſed ſub ipſo, id eſt, regni illius præcipua capita ac duces dici non poterunt ? Sunt hæc leuiora, vt alia quæ obiicit, quàm vt refutationem mereantur.

Elucidatur alter ex Apocalyp. 17. locus planè abſtruſiſſimus.

CAP. XXVIII.

IN hunc modum Ioannes orditur verſ. 3. *Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem.* Et verſ. 7. *Et dixit mihi Angelus : Ego dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem. 8. Beſtia quam vidiſti, fuit, & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit : & mirabuntur inhabitantes terram, (quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ à conſtitutione mundi) videntes beſtiam quæ erat, & non eſt. 9. Et hic eſt ſenſus, qui habet ſapientiam. Septem capita, ſeptem montes ſunt ſuper quos mulier ſedet, & reges ſeptem ſunt. 10. Quinque ceciderunt, vnus eſt, & alius nondum venit : & cùm venerit, oportet illum breue tempus manere. 11. Et beſtia quæ erat, & non eſt : & ipſa octaua eſt : & de ſeptem eſt, & in interitum vadit. 12. Et decem cornua quæ vidiſti, decem reges ſunt : qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem, tanquam reges vna horæ accipient poſt beſtiam. 13. Hi vnum conſilium habent, & virtutem, & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent. 14. Hi cum Agno pugnabunt, & agnus vincet illos : quoniam Dominus dominorum eſt : &c. Et verſ. 16. Et decem cornua quæ vidiſti in beſtia : hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt. 17. Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant quod placitum eſt illi : vt dent regnum ſuum beſtiæ, donec conſumentur verba Dei. 18. Et mulier quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.*

Primo ipſo & ſimplici verborum intuitu ingens & propemodum inſuperabilis loci difficultas offunditur : ſed conemur aliquid aſpirante Deo. Ante omnia, vt alij aliter Babylonem hanc, quàm Ioannes mulierem, meretricem, ciuitatem magnam appellat, interpretentur : at aptiſſimè & congruentiſſimè ipſam vrbem Romam intelligi, cap. 4. 5. 6. huius libri fusè demonſtrauimus. Illud quoque notandum, adiectiua illa, *coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem.* tametſi in Latina editione vtcumque referri poſſe videantur ad mulierem, quòd verba nonnihil præferant in ſpeciem ambiguitatis : at ex Græcis nimis eſt perſpicuum dicta de beſtia, non de muliere. Siquidem Græca adiectiua ſunt neutra, κόκκινον, γέμον ἔχον, mulier verò Græcè eſt feminei generis γυναῖκα ; at beſtia, nempe, θηρίον, eſt neutrius. Obſeruarunt id Ribera, Viegas, Suarez. Atque hîc planè omnes intelligunt beſtiam, non mulierem, dictam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem & cornua decem.

Diſquirendum nunc an beſtia hîc deſcripta, ſit eadem cum illa Apocalypſ. 12. verſ. 3. nempe ſit Draco ille magnus & rufus habens capita ſeptem & cornua decem, vti eum eodem loco Ioannes depingit. Ribera non eſſe exiſtimat, quòd draco ineptus ſit vectationi, cùm tamen hîc mulier ſuper beſtiam ſedere dicatur. Quaſiverò in rebus adeò portentoſis & monſtrificis qualis hîc beſtia inducitur, quærenda ſit rerum aptitudo, & certa concinnitas, & non potiùs repræſentetur peruerſa quædam & enormis abſurditas.

Maior difficultas eſt, num hæc beſtia coccinea, ſit illa quam vidit Ioannes cap. 13. verſ. 1. aſcendentem de mari ſimilem pardo, habentem capita ſeptem & cornua decem : de qua pleniùs egimus cap. 25. & 26. Diuerſam eſſe Ribera, Viegas in hunc locum, Leſſius de Antichriſto, Demonſtr. 12. & alij arbitrantur : adhibéntque non paucas rationes. Primò, quod hîc Græcè θηρίον, id eſt, beſtia, ſine articulo ponatur, cùm ait : *Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam.* Vt indicet, nouam quandam, & hactenus à ſe non viſam induci beſtiam : cùm tamen deinceps poſtquam ſemel beſtiam hanc nominauit, in reliquis quæ de eadem ſubtexit, beſtiæ nomini articulum apponat, quaſi innuens ſe iam de re illa dicta & nota narrationem continuare. Id quod apprimè in Apocalypſi conſiderandum, idem Ribera annotat in 13. Apocalyp. num. 17. & 18. fortè 28. & in 17. Apocalyp. num. 3. Secundò, quòd beſtia cap. 17. ſit coccinea : illa verò cap. 13. ſimilis pardo, cuius color non coccineus, ſed varius. At Alcaſar ſummè contendit

dit & hanc & illam vnam & eandem bestiam esse, Sa, & Suarez putant id esse probabile. Sed id non adeò certum, vt ipse Alcasar existimat, cùm nec res sit explorata, nec auctores conueniant.

Iam quid hæc coccinea bestia significet, æquè magnum est interpretum dissidium. Quidam cœtum impiorum, seu diaboli ciuitatem interpretantur. Ita Tichonius, Rupertus, & alij. Plures diabolum indicare putant, vt Ambrosiaster, Andreas, Aretas, Beda, Haymo, Strabus, Anselmus Laudunensis, S. Anselmus, Cælius Pannonius, Ribera, Viegas, Lessius, & alij. Nonnulli, vel diabolum, vel cœtum impiorum, vel Antichristum. Ita Primasius & Ansbertus. Aliqui vel diabolum, vel Antichristum. Ita Gagnæius, Bulengerus, Suarez. Nec desunt qui velint Bestiam hanc coccinam esse Imperium Romanum. Ita Maldonatus in Daniel. 7. vers. 7. Suarez lib. 5. aduersus Anglicanos errores, cap. 4. & 6. Alcasar in 13. & 17. Apocalyp. Suaris verba sunt: *Cùm in 17. cap. Apocalyp. probabilissimum sit, bestiam illam esse Romanorum Imperium.* Nec abludunt Bellarminus, & Sà: & indicat S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 9. illis verbis: *Notandum sanè, post Bestiam, hæc omnia esse ventura, id est, sublato regno in quo mulier sedet ebria Sanctorum sanguine.* id est, sublato regno Romano, veniet Antichristus. Hanc interpretationem non videri veram, aliquot argumentis probat Lessius disputatione de Antichristo, demonstratione 12. Idcirco hoc annotaui, quia Alcasar compertum & certum credidit, bestiam istam coccineam esse Romanum Imperium. Alij Bestiam hanc volunt esse Antichristum, vt S. Ireneus lib. 5. aduersus hæreses, cap. 26. & 30. extremo, S. Prosper in dimidio Temporis, cap. 8. & alij. Nos quid in tanta explanationum varietate probabilius existimemus, quum interpretationes ipsas accuratè recensebimus, planiùs aperiemus: interim ne lectorem diutius suspensum teneamus Bestiam illam ascendentem de mari Apocalyp. 13. & hanc coccineam cap. 17. vnam & eandem esse, nempe ipsum Antichristum, verosimilius arbitramur. Suum tamen honorem reliquis expositionibus reseruamus.

Prima Expositio.

Mulier est Roma ethnica, seu Romanum Imperium gentile & impium, Ecclesiæ Dei inimicum; insidens bestiæ, nempe diabolo, quia diabolus magna vi vrbem illam orbis domitricem, & Imperium illud Romanum ingens & vastum, vehebat, portabat, sustinebat, fouebat. Erat diabolus vector & promotor Imperij. Iam quod vers. 8. dicitur: *Bestia quam vidisti, fuit, & non est.* Ita exponunt: Bestia, id est, diabolus, fuit & non est, nimirum regnauit olim in mundo ante Christi Saluatoris aduentum, omnia erat, rerum potiebatur summa & potentia & tyrannide: nunc autem tempore Euangelij deuictus, & profligatus à Christo, iacet, extincta eius monarchia. Ita hæc verba Capiunt Ambrosiaster, Andreas, Aretas, S. Beda, Haymo, Strabus, Anselmus Laudunensis, S. Anselmus, Cælius Pannonius, Gagnæius, Bulengerus, Ribera, Melus, Viegas, Lessius. Huc pertinere putant illud Ioannis 12. 31. *Nunc Iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Et illud Lucæ 11. 21. *Quum fortis armatus custodit atrium suum, &c.* Quò etiam spectare existimant quæ Apocalyp. 20. dicuntur de alligatione diaboli per mille annos, vt suo loco videbimus. Equidem præcipuum satanæ in mundo regnum erat idololatria, & veri Dei ignoratio: quæ per crucem Christi, Euangelio coruscante dissecta & dissipata fuit.

Iam quòd addit, *& ascensura est de Abysso.* nimirum quia diabolus extremo mundi tempore venturus est de Abysso in Antichristo, vnico & præcipuo membrorum suorum, qui bestia ascendens de abysso, seu mari vocatur Apocalyp. 11. 7. & cap. 13. 1. ita hæc verba interpretantur, Ambrosiaster, Andreas, Aretas, S. Beda, Haymo, Strabus, Rupertus, S. Anselmus, Ribera, Viegas, Etverò diabolus tempore Antichristi, & per Antichristum soluetur, vt truculentius quàm vnquam sæuiat in Ecclesiam, vti cap. 20. dicitur.

Explicaturus Angelus significationem septem Capitum, & decem Cornuum Bestiæ, tale præmittit procœmium, vers. 9. *Et hìc est sensus, qui habet sapientiam.* Vox illa, *Hìc*, aduerbium est, non pronomen Græcè ὧδε; aduerbium, *Hìc*, hoc loco, *mens habens sapientiam.* Ac si dicat, Hoc opus, hic labor. In explicandis abstrusis hisce ænigmatibus & mysteriis opus est insigni & mente, & sapientia. Non omnium est nosse ista arcana. Andreas: *cùm, inquit, quæ hoc loco traduntur & exponuntur, sint spiritalia; vt salubriter capiantur, spirituali, non mundana opus est sapientia.* Vel, Hìc latet sensus sublimis, reconditus, mysticus. Aut, Hìc subest sensus verus, genuinus, proprius. Vel sit aposiopesis, Hic sensu & intelligentia opus est, qui habet sapientiam, qui sapientia valet & pollet, subaudi, exerceat ingenij & sapientiæ suæ vires. Tutiùs hæc verba ad antecedentia & sequentia simul retulerim, quod vtraque sint abstrusissima & reconditis sensibus obuoluta.

Ribera, Viegas, Suarez, & alij obseruant septem capita huius coccineæ bestiæ, quæ hìc describit Ioannes, longè diuerso modo accipienda & exponenda esse, quàm in duobus illis vaticiniis Apocalyp. 12. 3. & cap. 13. 1. quæ suprà cap. 25. & 27. fusè elucidauimus. Nam illis oraculis capita septem interpretati sumus septem reges ex illis decem, quos regnantes in mundo quum veniet, reperiet Antichristus: qui, deletis & interfectis ab Antichristo aliis tribus, ipsi reliqui septem Antichristo sunt adhæsuri, eique parituri. Hìc autem in coccinea bestia septem capita bifariam explicat ipse Angelus: *Septem*, inquit, *capita, septem montes sunt super quos mulier sedet: & reges septem sunt.* Duo igitur, eáque diuersa ait indicari per septem capita, alterum septem montes, quibus mulier insidet: alterum, septem reges. Et quod ad septem illos montes attinet, id quidem à nobis abundè declaratum est superiùs cap. 4. in Romam enim conuenire, ibi demonstrauimus. Quod verò ad septem reges hìc designatos spectat: non sanè videntur illi, qui cùm venerit Antichristus, se ei adiungent, de quibus tam multa in Superioribus diximus: nam illi certè erunt, & regnabunt tempore Antichristi, simul cum illo: atque nondum venerunt, sed adhuc exorituri & venturi sunt: septem autem reges bestiæ coccineæ hìc descripti, pro maiori eorum numero tempora S. Ioannis præcesserunt: ait enim, *& reges septem sunt. Quinque ceciderunt: vnus est; & alius nondum venit.* Ergo quum Ioannes scribebat, mortui iam erant quinque ex illis septem regibus bestiæ coccineæ: & vnus viuebat, nempe sextus, alius verò id est, septi

ſeptimus nondum adhuc natus erat.

Iam verba illa : *Et reges ſeptem ſunt. Quinque ceciderunt : vnus eſt : & alius nondum venit : & quum venerit, oportet illum breue tempus manere. Et beſtia quæ erat, & non eſt : & ipſa octaua eſt : & de ſeptem eſt : & in interitum vadit. Quis non videt quantum caliginis & difficultatis præ ſe ferant ? vt animus horreat, ſtylúmque in tam denſas obſcuritates immittere refugiat.* Sed explanatorum prælucentibus facibus, conabimur & nos lucem aliquam vtcumque rimari.

Secunda Expoſitio.

Victorinus in ſua illa hærens opinione, Neronem futurum verum Antichriſtum in fine ſæculi, quam refutauimus lib. 1. cap. 21. in hunc modum præſentem locum elucidat. Exiſtimat enim Ioannem loqui de illo tempore quo ipſe Apocalypſim condebat. Quinque, inquit, Romani reges, ſeu Imperatores, iam *ceciderunt*, id eſt obierunt, præterierunt, nempe poſt Neronem : ij ſunt Galba, Otho, Vitellius, Veſpaſianus, Titus : *Vnus eſt*, hoc eſt, adhuc viuit rerúmque potitur, nimirum Domitianus, qui tunc imperabat, quum Ioannes Apocalypſim exarabat : ſiquidem omnium aſſeueratione conſtat Ioannem Domitiano Imperatore, prope finem eius Imperij, diuinam Apocalypſim & præuidiſſe & ſcripſiſſe : id enim S. Ireneus lib. 5. cap. 30. extremo, Euſebius in Chronico, & lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 17. S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & alij tradidere. *Alius nondum venit.* Nerua ſcilicet, qui poſt Domitianum Imperium obtinuit : *& quum venerit, oportet illum breue tempus manere.* Etenim Nerua biennium non expleuit in Imperio. De quo Dio : *Regnauit annum vnum, menſes quatuor, dies nouem.* Aurelius Victor in Cæſaribus : *Menſe ſexto ac decimo ſemet Imperio abdicauit.* Et in Epitome : *Imperauit menſes tredecim* (fortè ſexdecim) *vt Schotus & Gruterus annotant, dies decem.* Eutropius lib. 8. *Mortuus eſt Romæ poſt annum & quatuor menſes Imperij ſui, ac dies octo.* Euſebius in Chronico : *Regnauit Nerua anno vno, menſes quatuor.* Hoc ipſum affirmant alij omnes.

Et beſtia quæ erat, & non eſt. Hoc eſt Nero, verus Antichriſtus, qui ante hos ſeptem reges regnauit, atque erat florens in orbe, & in Imperio Romano, nunc non eſt, nempe quum Ioannes Apocalypſim ſcribebat : quia iam multò antè ſublatus de medio fuerat, cùm ſibi nefarias intuliſſet manus, *& de ſeptem eſt.* Quia nimirum de ordine & ſucceſſione Imperij illorum ſeptem regum fuit, ſcilicet, Galbæ, Othonis, Vitellij, Veſpaſiani, Titi, Domitiani, Neruæ : ante quos ipſe Nero imperauit, cuíque ſeptem illi Imperatores ordine ſucceſſerunt, *& ipſa octaua eſt.* Quoniam poſt hos omnes Imperatores tandem in fine ſæculi ſuſcitabitur Nero, aduenietque, & erit verus Antichriſtus : qui regnum & Imperium impium & Deo aduerſum ſtabiliet. Hæc perſtrictim Victorini eſt explanatio : cuius hæc ſunt verba : *Et Reges ſeptem ſunt : quinque ceciderunt : vnus eſt : alius nondum venit : & quum venerit, breui tempore erit. Et beſtia quam vidiſti, de ſeptem eſt : & octaua eſt. Intelligi oportet tempus quo Scriptura Apocalypſis edita eſt : quoniam tunc erat Cæſar Domitianus : ante illum autem fuerat Titus frater illius, & Veſpaſianus pater, Galba, Otho, & Vitellius. Hi ſunt quinque qui ceciderunt : vnus extat ſub quo ſcribitur Apocalypſis, Domitianus ſcilicet : alius nondum venit. Neruam dixit, & quum venerit, breui tempore erit. Biennium enim non impleuit. Et beſtia quam vidiſti, inquit, de ſeptem eſt : quoniam ante iſtos reges Nero regnauit, & octaua eſt, ait, modò quum illa aduenerit, computans loco octaui. Et quoniam in illo eſt conſummatio, adiecit, in interitum vadit. Nam decem reges accepiſſe regalem poteſtatem, quum ille mouerit ab Oriente, aut mittitur ab Vrbe Roma cum exercitibus ſuis.* Sequitur dicere, vt Nero verus futurus eſt Antichriſtus in fine mundi venturus. Cuius ſententiam lib. 1. cap. 21. & explicatè deſcripſimus, & exploſimus.

At ſi quis in Victorini interpretationem obiiciat, Quonam pacto Nero ſuſcitandus, & regnaturus in fine ſæculi, octauus poſt Neruam Romanorum Imperator appellari potuit, cùm nullus ignoret poſt Neruam, ante illum venturum in fine mundi Neronem, plurimos vixiſſe & regnaſſe Imperatores ? vt iam poſt Neruam, Nero Antichriſtus & Imperator, non octauus, ſed pluſquam quingenteſimus ſit futurus. Reſponderi poſſet, S. Ioannem myſterium venturi Neronis Antichriſti innuentem, Romanos reges nondum natos ſilentio obuoluiſſe : & illos tantùm ſuorum temporum memoraſſe, à quorum primo, nempe Nerone myſterium iniquitatis, id eſt, Antichriſti, cœptum eſt peragi, nempe Chriſtiani nominis inſectatio : & à quo tandem in occaſu ſæculi atrociùs perficietur & conſummabitur, ſcilicet à Nerone vero Antichriſto futuro. Vt etiam Daniel. cap. 11. in Syriæ regibus à Seleuco, omiſſis intermediis, ſubitò ad Antichriſtum tranſilit, vt lib. 6. dicemus.

Nihil poterat ad obſcuriſſimi vaticinij intelligentiam, hac Victorini explanatione aptius & accommodatius excogitari, ſi vera fuiſſet : at eſſe falſiſſimam, & Neronem neutiquam futurum Antichriſtum, eodem lib. 1. cap. 21. luculentiſſimè demonſtrauimus.

Tertia Explanatio.

Andreas & Aretas Cæſaræenſes Epiſcopi, *ſeptem reges*, ſeptem præcipua orbis Imperia ſeu Monarchias interpretantur, Aſſyriorum, Medorum, Chaldæorum, Perſarum, Macedonum, Romanorum in antiqua Roma, & Romanorum in Noua Roma ſeu Conſtantinopoli, nempe Romanum Græcanicum, ſeu Conſtantinopolitanum Imperium. Quum Ioannes Apocalypſim præuidebat, *quinque*, iam *ceciderant*, nimirum, Aſſyriorum, Medorum, Chaldæorum, Perſarum, Macedonum. *Vnus eſt*, ſcilicet, Romanum veteris Romæ, quod tunc maximè florebat. *Et alius nondum venit.* Siue per hunc inſinuatum ſit Nouæ Romæ Imperium, ſiue aliud quodcumque regnum : quod breue tamen tempus manſurum ſit. Et beſtia quæ erat, & non eſt, nempe Antichriſtus : *& ipſe octauus eſt*, quia poſt ſeptem illa Imperia, ipſe octauum id eſt, ſuum condet. *Et de ſeptem eſt.* Quia ex vno ex illis ſeptem regnis exorietur, nempe ex Regno Romano, tanquam cornu paruulum, Daniel. 7. verſ. 7. *& ad interitum vadit.* Quia poſtquam breue tempus in Eccleſiam debacchatus fuerit, præceps in gehennam ruet. Verba Andreæ ſunt. *Per ſeptem reges, ſeptem regna deſignantur, in quibus diuerſis temporibus mundi huius regnum firmatum nouimus. Primum, exempli cauſa, Aſſyriorum ſit regnum, quod in Niniue exordium habuit. Secundum Medorum in Ecbatanis ſub Principe Arbace. Hic enim, vt hiſtoriæ tradunt, Sardanapalo rege perempto, Aſſyriorum regno potitus eſt. Poſt hos in Babylone Chal-*

dæorum Imperium initium fecit, quibus Nabuchodonosor imperauit. His porrò deletis & dissipatis, in Susis Persarum Dominatus sub Cyro emersit. Isthoc rursum ab Alexandro Magno extincto, Macedonum regnum successit. Post hos autem Romanorum robur in antiqua Roma emicuit, quod sensim vsque adeò creuit, vt sub Augusto Cæsare post primos illius Reges & Consules, Monarchiam obtinuerit, quæ sub impiis Principibus diu multúmque detenta, tandem ad Magnum Constantinum peruenit. Hic autem tyrannis omnibus iam deletis, Christiani regni ornamenta in Nouam Romam transtulit. Per Ninum itaque accipiatur primum regnum, nempe Assyriorum: Per Arbacem, Medorum: Per Nabuchodonosorem, Chaldæorum, seu Babyloniorum: Per Cyrum, Persarum: Per Alexandrum Magnum, Macedonum, vel Græcorum: Per Romulum, vel Augustum Cæsarem, Romanorum: Per Constantinum denique Orientalium, aut Nouæ Romæ. Quinque ceciderunt: & vnus est: alius nondum venit: & quum venerit, oportet illum breue tempus manere. Ita iam inde ab exordio, vsque ad sæculi finem, septem regna ceteris celebriora citra absurditatem statuere licebit: è quibus quinque iam tum conciderant: sextum quum Apocalypsis cernebatur, adhuc consistebat, & quidem in antiqua Roma: Septimum porrò per id tempus necdum aduenerat: siue per illud insinuaretur Nouæ Romæ Imperium: siue aliud quodcumque regnum. Et bestia quæ erat, & non est, & ipse octauus est: & de septem est, & in interitum vadit. Hæc bestia est Antichristus, octauus quidem, quia post septem regna, ad mortalium perniciem, deceptionem, & terræ desolationem exortus: vnus verò ex septem, quia ab vno ex illis prognatus: neque enim tanquam extraneus quispiam, aut alius à prædictis exurget, sed tanquam Romanorum rex ad illorum interitum & internecionem, qui fidem ipsi habebunt, in medium se efferet, posteà verò, vbi nimirum ad breue tempus bacchatus fuerit, in gehennæ perditionem præceps ruet. Hactenus Andreas: nec ab hac interpretatione multum abludit S. Beda: & probat Bulengerus. Aretas verò cùm eos septem reges, septem illas quas diximus monarchias exposuisset, reliqua oraculi difficultate, vt apparet, deterritus, aggredi non est ausus, tantum dixisse contentus: *Hic autem septem reges notauit: nihil enim de his Scriptura curiosius immorari, ac scrutari consueuit.*

Quarta Expositio.

S. Hippolytus Martyr, septem capita hîc, seu septem reges, intellexit omnes reges qui in septem mundi ætatibus in mundo regnauerunt. Andreas hæc habet: *Beatus Hippolytus per hosce reges, sæcula accepit: è quibus quinque iam præterierunt: sextum, in quo Apostolus hæc vidit, adhuc decurrit: septimum autem, vt ille opinatur, post elapsa sex annorum millia tandem se prodet: vbi autem sese prodiderit, parum durabit. Et hæc quidem ad eum nondum ille.*

Ergo non pauci recentiores ex S. Hippolyto, Andrea, & aliis, suam explanationem contexentes, & ferruminantes, in hunc modum præsens oraculum interpretantur. Annotant enim, septem reges hîc descriptos, esse reges omnes qui in septem mundi ætatibus (tot enim durationis orbis numerari solent) Ecclesiam Dei afflixerunt, vel afflicturi sunt.

Prima ætas mundi fuit ab Adam ad Noë. In qua fuêre Cain, & posteri eius, populo Dei infensi, præsertim Gigantes genus hominum ferox ac violentum, qui pios, id est, sobolem Seth acriter sunt persecuti. De posteris Cain hæc tradit Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 2. *Ceterùm superstite etiam tum Adamo, Caini soboles sceleratissima euasit, dum posterior quisque fit deterior: nec solùm imitatur priorum vitia, sed & superat: interim nec à bellis, nec à latrociniis temperando. Et qui à cædibus abstinebant, alioquin auarè & superbè inter suos viuebant.* De Gigantibus verò cap. 3. hæc refert: *Progeniem procreauerunt insolentem, & fiducia roboris omne ius & fas contemnentem: quorum facinora non absimilia iis quæ de Gigantibus Græci memorant, posteritati sunt tradita. Noë autem facta eorum molestè & indignè ferens, suadebat, vt in melius voluntates, ac opera sua transmutarent. Verùm cùm videret illos sibi non parêre totósque vitiorum dulcedini succumbere, veritus ne & se & familiam suam interimerent, secedens cum suis in aliam regionem migrauit.*

Gigantes enim cum immani vastitate corporum, coniunxerant summam sæuitiam & impietatem. Ioannes Cassianus Collatione 8. cap. 21. *De illis ergo filiis Seth & filiabus Cain nequiores filij procreati sunt: qui fuerunt robustissimi venatores, violentissimi ac truculentissimi virì: qui pro enormitate corporum, vel crudelitatis atque malitiæ, Gigantes nuncupati sunt. Hi namque finitimos populari, ac rapinas inter homines exercere primi cœperunt, præda potiùs exigere vitam suam, quàm sudore operis sui ac labore contenti: & quorum vsque eò scelera supercreuerant, vt expiari mundus aliàs nisi diluuy inundatione non posset.*

Quæ Gentiles finxerunt de Gigantibus, quomodo diis bellum intulerint, ex diuina Mosis de Gigantum impietate narratione occasione accepta fabulas contexuisse Iosephus 1. Antiq. cap. 3. Eusebius lib. 5. Præpar. Euangelicæ, cap. 4. & alij annotarunt. Hinc Macrobius lib. 1. Saturnaliorum, cap. 20. *Gigantes autem quid aliud fuisse credendum est, quàm hominum quandam impiam gentem, Deos negantem: & ideò existimatam deos pellere de cælesti sede voluisse?* Equidem Gigantes illos quos Scriptura memorat Genes. 6. 4. fuisse tyrannos & oppressores hominum impios, Hebræi quoque explanatores, vt annotauit Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 17. affirmant: qui eos produnt fuisse terrarum vastatores & bellis omnia miscuisse.

Secunda mundi ætas à Diluuio seu à Noë ad Abraham. In qua extitit Nemrod truculentus tyrannus, vexator hominum, de quo Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 4. *Hanc superbiam, Deique contemptum excitauit in eis Nemrodes nepos Chamæ, filij Noë, vir audax, & manu promptus, subindè iactans, non Deo, sed propriæ virtuti præsentem felicitatem eos debere: atque ita paulatim rem ad tyrannidem trahebat, ratus fore vt homines ad se deficerent à Deo, si se illis ducem præberet, opem ferens contra nouum aliud diluuium intentantem. Turrim enim se exædificaturum excelsiorem quàm quò ascendere posset aqua: & insuper maiorum suorum interitum vlturum. Vulgus autem facile Nemrodis placitis obtemperabat, ignauum ratus Deo cedere: atque ita structuram turris occœperunt.* Eadem habet Constantinus Manasses in Annalibus, num. 14. Sanè Nemrod fuisse impium, & impietatis exactorem, cultúmque idolorum vrsisse, bella & cædes aduersus pios exercuisse, Ecclesiam Dei grauiter afflixisse, regnúmque primum

primum poſt diluuium fundaſſe,conſtans eſt etiam Hebræorum traditio , apud Genebrardum lib. 1. Chronographiæ , pag.50. & 51. Quocirca illud Geneſ. 10. 9. de Nemrod : *Magnus venator coram Domino*, quamuis variè exponatur, ſimpliciter tamen poteſt intelligi : Robuſtus, potens, prævalidus oppreſſor,inſidiator, tyrannus, *coram Domino*. hoc eſt , per ſummam impudentiam atque elationem aduerſus Deum , impudentiſſimo diuinitatis contemptu,nullo Dei reſpectu. Hiſpanicè,*a las barbas de Dios*. Sic Geneſ.13.13. Homines Sodomitæ peſſimi erant & peccatores coram Domino. Id eſt, impudentiſſimè, & per extremam inuerecundiam. At de his locis vberiùs lib. 6. cap. 6. Et nomen Nemrod hoc planè ſignificat Defectorem , deſertorem,perduellem.

Tertia ætas mundi fuit ab Abraham ad Dauid. In hac extitere Reges Ægypti Pharaones,& reges aliarum gentium , qui tunc populum Dei vehementer inſectati ſunt. His enim temporibus paſſa eſt Eccleſia Dei duriſſimam illam Ægyptiacam captiuitatem : & plures alias ab externis regibus ſub Iſraëliticis Iudicibus : quæ fusè narrantur in Sacris litteris, & cunctis ſunt notiſſimæ.

Quarta ætas mundi fuit à Dauid ad Tranſmigrationem Babylonicam. In qua regnauit Nabuchodonoſor magnus populi Dei maſtyx , qui vrbem Ieroſolymam euertit , Templum incendit, Iudæorum gentem in captiuitatem ſeptuaginta annorum Babylonem abactam , miſerabili ſorte vexauit : quæ omnia abundè prodita extant in ſacris libris.

Quinta ætas mundi à reductione populi Dei ex Chaldaïco exilio ad beatum Chriſti exortum excurrit. In qua concuſſa & exagitata fuit Eccleſia Dei à Regibus Perſarum , & Aſiæ , Syriæque, ac præſertim ab Antiocho Epiphane truculentiſſimo hoſte , vti libri Machabæorum , Ioſephus , & multi alij ſunt auctores.

Sexta ætas mundi à Chriſti felici ortu ad Antichriſti aduentum modò perducitur. In qua Romanum Imperium ethnicum : item regna Mahometanorum, Turcarúmque, in Eccleſiam ad hanc vſque diem crudeliſſimè debacchata ſunt : & noua forſan exorientur Imperia quæ gregem Dei venturis vſque ad Antichriſtum temporibus premant.

Septima denique mundi ætas Antichriſti exortu , regno , atrociſſima in Eccleſiam perſecutione conficietur. Reges igitur omnes qui in præfatis ſeptem mundi ætatibus rerum potiti ſunt , & Eccleſiam afflixerunt ſignificati ſunt ab Angelo, quum ait : *Et reges ſeptem ſunt*, qui tametſi plurimi fuerint , at omnes non niſi numero ſeptem mundi ætatum includuntur.

Quòd autem ait , *Quinque ceciderunt*. hunc habet ſenſum : Reges omnes quinque priorum mundi ætatum ante Chriſti aduentum , qui Eccleſiam perſecuti ſunt , perierunt iam & extincti ſunt. Vel , Quinque priores mundi ætates cum vniuerſis regibus Eccleſiæ perſecutionibus , qui in illis regnarunt , iam præterierunt , & eſſe deſierunt in mundo. *Vnus eſt*. Id eſt , nunc ſexta mundi ætas peragitur, & decurrit, à Chriſto ad Antichriſtum, in qua vigent & rerum potiuntur ſucceſſione, reges omnes huius ſextæ Ætatis , Eccleſiæ hoſtes, & maſtyges. Nam quum Ioannes ſcribebat Romanum Imperium atrociter vaſtabat Eccleſiam, & poſtea multa exorta ſunt regna , & forſan exorientur ad tempora vſque Antichriſti , quæ duriter Eccleſiam exerceant. *Et alius nondum venit*. Nempe regnum ſeptimæ ætatis , ſeu Antichriſtus , qui regnum illud immane , Eccleſiæ exitio fundabit. Et quum venerit , oportet illum breue tempus manere. Quia Antichriſti ſæuiſſimum regnum non niſi breuiſſimo tempore , ſpatio nimirum trium annorum & ſemis dumtaxat ſtaturum eſt. *Et beſtia quæ erat , & non eſt*. Id iam expoſuimus ſuprà in prima explicatione , de diabolo , qui ante aduentum Chriſti regnabat in mundo : ſed modò victus & eiectus , & tantùm non extinctus per Chriſtum iacet. *Et ipſa octaua eſt* , nempe diabolus cum ſuo regno per ſe quidem octauus eſt populi Dei perſecutor : hoſtis enim dirus Eccleſiæ eſt diſtinctus à ſeptem illis prædictis regibus : atque eorum odij & acerbitatis in pios primarius auctor & incentor : imò certè ſi illi defuiſſent , nihilominus ipſe quibus modis poſſet in Fideles Dei inſurrexiſſet , vt fecit in primos Parentes. *Et de ſeptem eſt* , quia in omnibus omnium ſeptem ætatum mundi impiis regibus , Eccleſiæ vexatoribus , & præcipuè in venturo Antichriſto & pugnauit , & pugnaturus eſt aduerſus cœtum Dei , omnibus auctor , rector , & moderator ſæuiendi exiſtens: ſed crudeliùs in Antichriſto , conabitur Chriſti Eccleſiam funditus de mundo tollere. *Et in interitum vadit*. Quia citò poſt tres annos & dimidium , Antichriſto extincto , diabolus ipſe tandem interibit , nullam amplius nactus poteſtatem bacchandi in populum Dei : ſed vinculis æternis in inferno colligatus , inextinguibili igne cruciabitur ſine fine , ſimul cum Antichriſto , & omnibus impiis , vti S. Ioannes diſertè edixit Apocalyp. 20. 10. *Et diabolus qui ſeducebat eos , miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris : vbi & beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.*

Hanc explicationem amplexi ſunt , Claudius à Monte Martyrum , Nicolaus Zegerus , Ribera , Viegas in 17. Apocalypſis , Leſſius de Antichriſto , demonſtr. 12. Suarez libro 5. contra errores Anglicanos cap. 4. Cælius Pannonius , Bulengerus , Gagnæius , in 17. Apocalypſeos Cornelius à Lapide in 2. Theſſalonicenſ. 2. num. 44.

Eiuſdem obſcuriſſimi oraculi aliæ interpretationes.

CAP XXIX.

IAm ſuperiùs cap.9. 10. & 11. longa oratione docuimus quæ Ioannes dira & atrocia de Babylone variis Apocalypſis locis , & hoc præſertim , quem modò elucidamus , prædixit : ſi Babylonis nomine Romam intelligi voluit , non neceſſariò in extrema mundi tempora ea omnia referenda eſſe : ſed commodè exponi poſſe de cladibus & excidiis , quæ Roma , ſeu Romanum Imperium ſub Alarico, Geiſerico, Odoacre, Totila pertulit.

V. Explanatio.

Præfatam igitur de Babylone , id eſt , Roma ſectando intelligentiam , per beſtiam coccineam ſuper quam mulier,id eſt, Roma ſedere deſcribitur,

accipere possumus Antichristi regnum, non quidem illud verum & reale, quod exsurget in fine mundi: sed mysticum & typicum, nempe ipsum Romanum Imperium, quatenus Antichristianum, quod nimirum cœpit in Nerone. Nero enim fuit primus Romanorum Principum qui aduersus Christum, eiúsque Ecclesiam gladium persecutionis distrinxit, quique typicum & mysticum Antichristi regnum primus fundauit: hoc est, ipse Nero primus omnium extitit, qui sua sæuitia & crudelitate effecit, vt Romanum Imperium esset insignis typus & figura regni Antichristi: Vnde Paulus 2. Thessal. 2. 7. de Nerone dixit: *Mysterium iam operatur iniquitatis*, vti copiosè lib. 1. cap. 22. & 23. demonstrauimus. Quò etiam proculdubio spectat quod hîc vers. 5. Ioannes ait, in fronte huius Babylonis scriptum fuisse, MYSTERIVM. Ac si innueret, Romam ipsam mysticum quid & arcanum in fronte præferre, nimirum Imperium Romanum mysterium esse seu typum, vmbrámque Regni Antichristi: Porrò regnum istud Romanum Antichristianum, alij Principes post Neronem pari, vel maiore crudelitate in Christi Ecclesiam, deinceps exercuerunt, vti Domitianus, Traianus, Hadrianus, Marcus Antoninus, Seuerus, Caracalla, Alexander, Maximinus, Decius, Gallus & Volusianus, Valerianus & Gallienus, Aurelianus, Diocletianus & Maximianus, Galerius Maximianus, Licinius, Maximinus, Constantius, Iulianus, & alij complures, cùm ethnici, tum hæretici Imperatores Ecclesiæ implacabiles hostes.

Super hanc igitur *Bestiam coccineam*, nempe Romanum Imperium Antichristianum, martyrum sanguine cruentum Roma insidet, quòd ipsa erat auriga imperij quæ habenas huius quadrigæ, seu bestiæ moderabatur. cap. 5. superiùs ostendebamus, qua ratione Romanum Imperium Ecclesiæ inimicum, coccineum sit à Ioanne nuncupatum. Assentiuntur huic interpretationi, quòd Bestia coccinea sit regnum Antichristi mysticum, seu Romanum Imperium Antichristianum, Gagnæius, Melus, Maldonatus, Sà, Suarez, Alcasar, quos capite præcedenti citabamus, paulo ante primam Expositionem. Pergit ergo Ioannes de Bestia dicere.

Bestia quam vidisti, fuit, & non est. Hoc est, Regnum Antichristi fuit priùs iam multis retrò annis in typo dumtaxat & figura, nempe sub Imperio Neronis, & insequentium principum, mysterium Antichristi vtcumque peragentium.

Et non est: Nunc, nimirù reipsa, & verè, siquidem verus Antichristus, eiúsque regnum non erit nisi propè finem rerũ. Forsan his verbis sacer Ioannes indicare voluit, regnum Romanum non perpetuò & continenter fore Antichristianum, & Ecclesiæ infestum: sed alternaturum interdum vices successione principum, & sub quibusdam Imperatoribus afflicturum atrociter Ecclesiam, sub aliis verò mite, & beneuolum Christianis futurum, præsertim sub principibus fidelibus & piis. Atque hoc ipsum significent verba illa, *Bestia fuit, & non est.*

Et ascentura est de abysso, nimirum verè & realiter in re ipsa significata, & præfigurata, scilicet, in Antichristo: quando ipsemet verus Antichristus reuera veniet in fine sæculi in propria, vt ipse idem Ioannes, iis ipsis verbis affirmat Apocalyp. 11. 7. & cap. 13. 1 illud verò.

Et reges septem sunt, exponi potest cum Victorino, vti superiùs in secunda Expositione, sed fine alio: nempe intelligi possunt septem Reges, seu Imperatores Romani, post Neronem, in quo initium sumpsit bestia coccinea, hoc est, sanguinarium Antichristi mysticum regnum Romanum. Hi sunt, Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus, Titus, Domitianus, Nerua. Quasi dicat, post fundatum Antichristi mysticum regnum, seu postquam Romanum Imperium redditum est Antichristianum in Nerone, septem successione continua sequuti sunt in Romano Imperio post illum Principes & Monarchæ. Nero autem in hoc septenario Regum numero non censetur, nimirùm quòd ipse Bestiam coccineam condiderit, & in ipsa potiùs intelligatur: cuius septem reges ab eo distincti enumerantur à Ioanne.

Quinque ceciderunt. Scilicet, Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus, Titus. *Vnus est.* nunc, nempe, quum Ioannes ista vaticinabatur: tunc enim rerum potiebatur Domitianus. *Et alius nondum venit.* Nerua videlicet, qui Domitiano successit. *Et quum venerit, oportet illum breue tempus manere*; Id est, annum vnum, menses quatuor, dies nouem, vti superiùs in prima Expositione notabamus.

Et bestia quæ erat, & non est: & ipsa octaua est: Id est, regnum Romanum Antichristianum, expressè quoque adumbratum est in octauo Romano Principe, qui post Neruam capiet Imperium, nempe Traiano: nam is sanè sæua in Christianos persecutione, exercebit præ ceteris mysterium iniquitatis. Equidem huius bellum in Ecclesiam fuisse truculentissimum, satis constat, & lib. 6. c. 1. docebimus. Huic interpretationi Græca Ioannis hîc adstipulantur, quæ habent: *Et ipse octauus est.* vt aptè & congruenter competant in octauum Romanum Principem post Neronem, quem compertum est fuisse Traianum: ac si dixerit: Romanum regnum Antichristianum à Nerone fundatum, & etiam octauus princeps Romanus, Traianus, crudeli suo & sæuo aduersus Christianos Imperio exercebit.

Et de septem est: Id est, de ordine, successione, Imperio septem antecedentium regum: nam Traianus post septem illos principes, octauus Romanus Imperator fuit. *Et in interitum vadit.* Et hoc quidem rectam, appositámque intelligentiam recipit. Consentiunt siquidem rerum Scriptores Romanum Imperium sub Traiano ad summum, potentiæ, magnitudinis, opum, gloriæque culmen ascendisse. Vide Onuphrium in Romano Imperio, & Lipsium de Magnitudine Romana lib. 1. cap. 3. post Traianum verò cœpisse paulatim labi, atque à tanto fastigio decidere. Nimirum hæc est rerum humanarum vicissitudo, vt quum vlteriùs procedere non possunt, naturaliter recedant. Etverò Traianum fines imperij prótulisse vlteriùs quàm vllum ante se Principem, Dio Cassius, Aurelius Victor, Rufus Festus, & alij plures affirmant. De eo Principe Eutropius lib. 8. cap. 3. *Romani Imperij, quod post Augustum defensum magis fuerat quàm ampliatum, fines longe latéque diffudit.* Hinc Tacitus Annali 4. cap. 4. de finibus Imperij sub Tiberio: *Quanto sit angustius imperitatum*, quàm sub Traiano nimirum, cuius æuo ipse Annales condebat: vt eius gratiam istud adiecisse videatur. Et Annali 2. c. 61. de Imperio Romano: *Quod nunc Rubrum ad mare patescit.* nempe sub Traiano. Post Traianum verò mox Hadrianum reliquisse multas Imperij Prouincias, terminósque Imperij contraxisse, Eutropius, Rufus, Spartianus, & alij

& alij tradidêre : seorsim S. Augustinus de Ciuit. Dei lib. 4. cap. 29. Atque deinceps magnitudinem Imperij in peius semper iuisse, quousque in clades Alaricanam, Geisericanam, Odoacrianam, Totilanam, & alias, atque in has demum angustias & ruinas in quibus nunc iacet, inciderit, Annales omnes fidem certissimam faciunt. Hoc ergo videtur S. Ioannes innuisse, Romanum Imperium, quod sub Traiano maximum fuit, deinceps in interitum propemodum corruisse.

VI. Expositio.

Iam superiùs cap. 2. & 3. diximus, plures insignes auctores, Babylonis nomine, à Ioanne in Apocalypsi, Ciuitatem diaboli, id est, cœtum & collectionem impiorum omnium, significatam intellexisse. Cui si inhæresimus interpretationi, *per bestiam coccineam*, aptè accipiemus diabolum, qui colluuiem improborum portat, & sustinet. Quod verò Ioannes de ea bestia addit. *Bestia* quam vidisti, fuit, & non est: & ascensura est de abysso, explanatum iam est superiori capite in prima Expositione. Illud autem, *& in interitum vadit.* expositum quoque est eodem capite ad finem IV. Expositionis. Addit Ioannes : *septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet : & reges septem sunt.* Coniunctio, *&*, posita hic videtur pro expositiua, *id est, Septem capita, septem montes sunt: &*, (id est) *septem reges sunt.* Hanc enim vim particulam *&*, in Scripturis phrasi Hebraica interdum habere, non est dubium, vt Matth. 13. 41. *colligent de regno eius omnia scandala, &* (id est) *eos, qui faciunt iniquitatem.* Sunt eiusce vsus complura exempla, quorum nonnulla collegere Martinus Cantapetrensis lib. 8. Hypotyp. cap. 9. & Emanuel Sà in Indice phraseon Scripturæ. Et quidem hoc loco Apocalyp. *&*, capi pro, *id est*, annotarunt Gagnæius, Pannonius, Bulengerus, Melus. Et sanè hîc septem montes, & septem reges vnam & eandem rem significare, nempe septem montes esse septem reges, seu septem regna, quæ montes dicantur, vel ob sublimitatem & eminentiam potestatis, vel ob fastum & superbiam regiam, quæ omnia ex alto despicit, Andreas, Aretas, Primasius, S. Beda, Ansbertus, Haymo, Ambrosiaster, & alij disertè interpretantur. Porrò septem ij reges rectè accipi possunt, vel vniuersè omnes reges impij Ecclesiæ hostes qui vnquam vixerunt in mundo, quòd septenarius sit numerus vniuersitatis : vel, quod in idem fermè recidit, omnes reges improbi septem mundi ætatum, qui Dei rempublicam persecuti sunt, & persequentur : vti in quarta expositione, superiori capite dicebamus. Atqui sequentia huius oraculi elucidari poterunt eodem prorsus modo, quo in eadem quarta expositione declarauimus. Si quis tamen VI. hanc explanationem accuratiùs descriptam cupit, adeat Gagnæium, Pannonium, Bulengerum.

VII. Expositio.

In tam densis tenebris duo verisimiliora & probabiliora facilè statuerim. Alterum, Babylonem hoc cap. 17. intelligi Romam, vti superiùs cap. 4. 5. 6. fusè demonstrauimus : vel quod idem fermè est, Romanum Imperium, cuius arx, sedes, caputque olim Roma fuit : nam etsi Romanum Imperium auulsum & separatum à Roma diu steterit, stetque nunc : at Romæ nomen perpetuò retinuit, etiam hoc nostro tempore. Et quæ Ioannes toto capite de Babylone vaticinatur & Romæ, & Romano Imperio æquè rectè & aptè conueniunt: pro vna enim eademque re hic Roma, eiusque Imperium censentur. Alterum, Bestiam coccineam hic esse ipsum verum & realem Antichristum. Id quod S. Ireneus disertè annotauit lib. 5. cap. 30. extremo, his verbis : *Nomen autem eius* (Antichristi) *tacuit* (Ioannes), *quoniam dignum non est præconari à Spiritu sancto. Si enim præconatum ab eo fuisset, fortassis & in multum permaneret : nunc autem, quoniam fuit, & non est, & ascendet ab abysso, & in perditionem vadit, quasi qui non sit, sic nec nomen eius præconatum est : eius enim quod non est, nomen non præconatur.* Vides vt apertè Bestiam Apocal. 17. Antichristum interpretetur S. Ireneus. Eodem quoque modo interpretatur S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 8. cuius verba ad finem huius capitis subiiciemus. Et quidem verba Ioannis videntur perspicuè Antichristum significare, ait enim vers. 8. *Bestia quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de Abysso.* Et cur istud non illud omninò erit quod Apocalyp. 13. 1. inquit : *Vidi de mari bestiam ascendentem.* Et cap. 11. 7. *Et Bestia quæ ascendit de abysso ?* quibus locis Bestiam esse Antichristum, multò certius & verisimilius esse, nemo prudens iam dubitare queat. Vide suprà cap. 16. 27. & lib. 6. c. 14.

Porrò Roma, seu Romanum Imperium sedere dicitur super Bestiam, id est, Antichristum, vel quia illud Imperium redditum iam erat Antichristianum, & mirificè regnum Antichristi sæuitia & crudelitate repræsentabat, atque mysterium Antichristi peragebat : nam quod in fronte Babylonis inscriptum fuisse refert Ioannes, MYSTERIVM, illud idem videtur, quod Paulus de Imperio Romano dixit : *Mysterium iam operatur iniquitatis.* Insidet ergo Antichristo Imperium Romanum quia ei egregiè viam sternit & munit : vel quia Romanum Imperium excipiet Antichristus, nam tamdiu id Imperium stabit, dum veniet Antichristus qui vacantem Imperij molem, & per decem futuros reges distractam, occupabit.

Quæ verò subiungit Angelus : *Bestia quam vidisti, fuit, & non est : & ascensura est de abysso : & in interitum vadit*, in hunc modum exponi possunt. Bestia, Antichristus, *fuit* primùm mysticè in suis præcursoribus & typis, vt Antiocho, Nerone, aliisque truculentis tyrannis, Ecclesiæ mastygibus: & re ipsa in propria persona *non* dum, *est :* sed *ascensurus est de abysso in* fine sæculi, Apocalyp. 13. vers. 1. *Vidi de mari bestiam ascendentem.* Quod lib. 6. cap. 14. accuratè explicabimus : *& in interitum vadit.* quia post breue tempus suæ tyrannidis infami & atroci morte tolletur, vt lib. 6. cap... fusè differemus. Sà putat Hebraismum esse, *Fuit & non est*, vel, *Erat, & non est*, pro Erit, & citò desinet esse. Quòd Antichristus breuissimo tempore tyrannidem obtenturus sit. Quem sensum S. Ireneus verbis quæ paulo ante descripsimus, innuere videtur. Ergo quod Ioannes ait, *Bestia quam vidisti, fuit, & non est.* Idem est ac si dixisset : Antichristus erit, & citò desinet esse : breuissimo tempore rerum potietur. Forsan hac pulchra periphrasi, & Hebraïsmo indicauit Angelus, Antichristi regnum nequaquam futurum æternum, vt Christi Domini : & quàm latum discrimen inter vtrumque intercederet, quòd Christi futurum sit sempiternum : Antichristi non nisi triennij & semis. Sic de rege Tyri Ezechiel. 28. 19. *Nihil factus es, & non eris in perpetuum.* Hebræa ex verbo : *Fuisti,*

& non tu (& non es :) vsque in sæculum, (æternum.) Et Iob. 18. 15. de mortali homine : *Habitent in tabernaculo illius socij eius qui non est.* Hebræa : *Habitet* (verbum est fœmineum propter imbecillitatem fortunæ impij) *in tabernaculo suo, de non ei.* Quasi dicat, *suo & non suo*, propter inconstantiam felicitatis, quæ citò euanescit : vel quia ex rapto. Quid si reddamus ? *In tabernaculo suo de non non.* duplicata negatione : nam ו vau pro א poni solet in לֹ *lo*, quasi dicat, in tabernaculo suo, quod est omnino nihil, quod non est, quod subitò non erit. Locus mirabilis, & aliàs per otium elucidandus. Eodem modo de Antichristo hîc dicitur, *Fuit, & non est*, hoc est, simul ac esse cœperit, esse desinet, breuissimo tempore erit : regnum eius tantùm non momentaneum erit. Ediametrò regni Christi æterni, qui de se ait Apocalyp. 1. 8. *Ego sum alpha & omega, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, qui erat, & qui venturus est.* quæ est periphrasis æternitatis. Et vide antithesin, Antichristus, *Bestia quæ fuit, & non est.* Christus *qui est, qui erat, & qui futurus est.*

Et reges septem sunt. Nimirum post Neronem, Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus, Titus, Domitianus, Nerua. Quinque ceciderunt, scilicet, Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus, Titus. *Vnus est*, nunc rerum potiens Domitianus, sub quo Ioannes Apocalypsim condebat. *Et alius nondum venit.* nempe Nerua. *Et quum venerit, oportet eum breue tempus manere*, quia Nerua non nisi annum vnum, menses quatuor, & dies nouem imperauit. Itaque quæ Ioannes seu Angelus de septem iis regibus, de quinque ex eis, de vno, de alio disserit, eodem modo exponenda censemus, vti superiùs hoc ipso capite in Quinta Explanatione. Cæterùm ij septem reges dicuntur à Ioanne capita Bestiæ, id est, Antichristi, quæ portat Romanum Imperium, quæ cùm reuerà capita mulieris seu Babylonis, hoc est, Romæ, seu Romani Imperij extiterint, nempe Romani Principes & Imperatores : vocantur etiam capita Bestiæ, seu Antichristi : vt etiam septem montes, qui etsi Romæ reipsa fuerint, quibus ipsa vrbs insidet : nihilominus appellantur quoque capita Bestiæ, id est, Antichristi. Quod quidem ob eam causam à Ioanne factum putamus, nimirum vt indicaret, Romanum ipsum Imperium iam redditum fuisse à tempore Neronis Antichristianum, indéque iam mysterium iniquitatis continenter agitari : & illud Imperium amplissimam Antichristo viam parare : atque Romanum Imperium nullum aliud excepturum, neque ei aliud successurum, nisi Antichristi regnum.

Et Bestia quæ erat, & non est. Iam de Antichristo ipso singulariter vaticinatur. Propositum sacro Euangelistæ fuerat statum Romanæ Monarchiæ, qualis eo tempore quo ipse Apocalypsim præuidebat, erat, accuratè describere. Enumerauit quinque Monarchas qui post Neronem in quo Imperium cœpit imaginem Bestiæ, seu Antichristi, præferre, Romanum regnum obtinuerant, iámque præcesserant, nempe, Galbam, Othonem, Vitellium, Vespasianum, Titum. Adiecit, quum ipse Apocalypsim scriberet, Domitianum regnare: ac mox breuem Neruæ principatum vaticinatus est. Hinc immani Saltu ad Antichristum transilit, dicens : *Et Bestia, quæ erat, & non est, &c.* Ac si dicat : Egi iam de statu Romanæ vrbis & Monarchiæ ad mea vsque tempora, quam dixi esse Babylonem meretricem Bestiæ Antichristo insidentem: nunc de Bestia ipsa Antichristo differam. Nec mirum quod à Nerua Romano Principe, subitò sermonem transferat ad Antichristum, & sæculi finem. Nam nihil opus erat insequentes post Neruam Imperatores ad Antichristum vsque percensere : cùm id esset infinitum opus, nec prophetæ historias aut annales textant : sed peculiaria quædam & eximia quæ illis Spiritus sanctus dictat. Et Ioanni id in animo præcipuè erat, statum Romani Imperij ab eo tempore quo mysterium Antichristi exercere cœpit, ad suam vsque ætatem describere, mente potissimùm in Antichristum destinata, cuius vim & regnum pertendebat. Nec absimili ratione Daniel. cap. 11. de rebus Syriæ agens, à Seleuco, momento tranfit ad Antichristum, plurimis Syriæ regibus intermediis prætermissis, vti ex S. Hieronymo, aliisque Patribus annotabimus lib. 6. c. 11. Pergit Ioannes dicere de Bestia : *Et ipsa octaua est*, non quidem ordine & successione immediata aliorum septem hîc à me enumeratorum Principum Romanorum : siquidem multi inter Neruam & Antichristum Imperatores interiecti sunt : sed visionis & vaticinij serie, atque numero Regum illorum quos hic tantùm describere constitui. Námque oraculum contexui septem tantummodo Regum : quibus nunc octauum adiicio Antichristum. Vnde Græca aptè habent : *Et ipse octauus est*, nempe, & ipse tanquam octauus, distinctus est ab illis septem.

Et de septem est, quia nimirum, vt Daniel ait, 7. vers. 8. Antichristus orietur cornu paruulum, de medio decem cornuum quartæ Bestiæ, quæ Romanum Imperium adumbrabat : nempe de medio decem regum illorum, in quos tandem prope finem rerum, Romanum Imperium diuidetur. Ac si dicat, orietur Antichristus ex ruinis & reliquiis Romani Imperij fracti & dissipati : & Imperium illud ipse instaurabit multo ingentius, sed non sub Romano, sed sub suo nomine, vti libro 6. fusiùs demonstrabimus. *Et in interitum vadit*, quia non nisi triennium & sex menses stabit Antichristi tyrannis, & statim horrenda morte delebitur.

Hactenus in explanatione obscurissimi oraculi, vestigiis præstantium interpretum insistentes, versati sumus : meliora non habuimus : In tanta expositionum varietate seligat lector quam maluerit : Nos secundam dumtaxat recipimus, alias non improbamus : cunctis tamen accuratè perpensis, septimam & vltimam cæteris anteferimus. Cuperet aliquis vt Alcasaris huius loci explicationes, quas ipse Apocalyp. 13. fusè descripsit hic expenderemus : sed non tantum nobis otij est. Parcè, & solemni formula dicimus : Non liquere. Difficiliores & implicatiores ipso oraculo sunt : centonariæ, interpolatæ, multis tibicinibus fultæ. Qui eas auet, inspiciat ; quiduis deponam, vt sunt hoc tempore ingenia, non carituras amatoribus. Cupidè fruantur, sanè sine mea inuidia. Vide quoque Suarem lib. 5. contra Anglicanos errores, cap. 4.

Et vt iterum atque iterum inculcem, quàm obsitus tenebris sit hic Apocalypsis locus, S. Prosperi in Dimidio Temporis, cap. 8. explanationem, eiusmet verbis integram subiicio, ex qua vix quippiam vbi firmè subsistas, haurire licèt : ait enim : *In Apocalypsi Ioannes : Dixit, ait, mihi Angelus : Propter quid admiratus es ? Ego dicam tibi sacramentum huius mulieris, & bestiæ, quæ portatur. Bestia quam vidisti, fuit, & non est : sed ascen*

ascensura est ex abyssо, & itura in interitum. Illa septem capita eius, septem montes sunt, supra quos mulier sedit: & reges septem sunt: vnde quinque ceciderunt, vnus superest, alius nondum venit: & quum venerit, oportet breui tempore illum manere. Bestia quæ fuit, & non est, & ipsa octauo loco est: cùm sit ex septem, & in perditionem ibit. Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt: hi regnum nondum acceperunt, sed potestatem regni vna hora accipient post bestiam. Hoc à Daniele ostensum est. Bestia quarta quæ grandior omnibus bestiis fuit, tot cornua habens: sed quod ibi dicitur, cornu minus surrexisse ante se, hìc septem reges nominat, illis tribus expulsis: ipsum autem octauum, Antichristum esse, cùm sit ex septem. Ergo inquantum datur existimatio, aut priores reges memorat, qui truculentiores fuerunt in religione Christiana: aut ex decem, tribus extinctis, septem futuros, qui & ipsi sæuiant in Ecclesiam. Omnes sanè hæreticos Arianos vult intelligi, quum dicit: Hi aduersus Agnum pugnabunt, & Agnus vincet eos. Pugnant enim ex sufflando & rebaptisando membra Agni, quæ iam Christus suo sanguine sacrauerat. Sed nemo periit, ait Dominus, nisi filius perditionis. Octauum igitur regnum, quem dicit Antichristum, quidam Neronem intelligi volunt: vt ipse sit bestia, quæ fuit, & non est: & iterum venturus est. Sed siue ipsius formam & speciem corporis sumat, & in ea appareat, (sicut è contrario Angelus sanctus in Tobiæ libro speciem & similitudinem Azariæ, Ananiæ magni, filij suscepit) siue in alterius speciem appareat Antichristus, ipsius tamen Neronis luxuriam & spurcitiam, sæuitiámque morum habiturum, Daniel Propheta testatur. Hactenus S. Prosper.

Quinam sint decem illi Reges quos Ioannes Apocalyp. 17. vers. 3. 7. 12. 13. 14. 16. 17. describit.

CAP. XXX.

BEstiam coccineam, cui Meretrix Babylon insidet: septem Bestiæ capita affatium hactenus enarrauimus: nunc ad elucidanda eiusdem Bestiæ decem cornua, quæ S. Angelus decem Reges est interpretatus, iam aggrediamur. cap. 11. cœpimus dicere, quibusdam fortè videri posse, nihil esse necesse, hos decem Reges Apocalyp. 17. illosmet esse atque eodem modo intelligendos, quos idem S. Apostolus Apocalyp. 12. 3. & cap. 13. inducit: de quibus nos suprà cap. 25. & 27. abundè disseruimus. Nam vt diuersos capiamus, cùm aliæ rationes suadent, tum illa, Quòd neque septem capita, seu septem reges quos hic memorat Ioannes, eodem modo quo Apocalyp. 12. & 13. exponi posse videantur: nec sanè eodem modo nos in superioribus explanauimus. Vide Suarem lib. 5. contra Anglicanos errores cap. 6.

Prima Interpretatio.

Quidam igitur decem reges hoc loco intelligunt vniuersitatem omnium regum impiorum, Ecclesiæ hostium, eorum præsertim qui temporibus Antichristi rerum potientur, & cum ipso, aut sub ipso Ecclesiam Christi truculentè vexabunt. Ita Tichonius, Primasius, S. Beda, Ansbertus, S. Thomas, Dionysius Carthusianus, Gagnæius, Bulengerus, & alij. Vt verò hi auctores sensum suum cum singulis oraculi verbis de decem regibus, componant, apud ipsos videre erit: neque enim nunc lubet interpretis prouinciam obire. Illud autem vers. 16. *Hi odient fornicariam, & desolatam facient illam & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.* Si per fornicariam Babylonem, ciuitatem diaboli & cœtum impiorum accipimus; fusè à nobis declaratum est superiùs cap. 3. atque eam Babylonis vastationem pulchrè Lactantius lib. 7. cap. 16. expressit his verbis: *Multiplicabitur regnum, & summa rerum potestas per plurimos dissipata & concisa minuetur. Tunc discordiæ ciuiles in perpetuum serentur, nec vlla requies bellis exitialibus erit: donec reges decem pariter existant, qui orbem terræ non ad regendum, sed ad consummandum partiantur. Hi exercitibus in immensum coactis, & agrorum cultibus destitutis, quod est principium euersionis & cladis, disperdent omnia, & comminuent, & vorabunt. Tunc repentè aduersus eos hostis potentissimus* (Antichristus) *ab extremis finibus plagæ septentrionalis orietur, &c.* Hæc Lactantius: qui tamen decem illos reges diuersè, & equidem verè in sequentibus est interpretatus.

II. Existimarunt alij, Romam vrbem circiter extrema rerum humanarum tempora à Fide Christi & Romano Pontifice defecturam: ad priscam idololatriam, & magnitudinem Imperij redituram: ac tunc decem sub suo Imperio potentissimos & impiissimos reges habituram: qui mox in illam insurgant, atque eandem incendio, & supremo extitio à fundamentis euertant: Imperiumque Romanum distrahant, ac inter se diuidant: re & nomine Romani Imperij è mundo sublatis. Regnantibus autem in orbe his decem regibus post deletam Romam & extinctum Romanum Imperium, venturum Antichristum, qui eorum Regnum occupabit. Atque hos decem Reges esse, quos hìc Ioannes describit, in eósque aptè conuenire quæcumque Ioannes de decem Regibus Apocalyp. 17. vaticinatus est. Hanc interpretationem, eiúsque auctores superiùs cap. 7. & 8. copiosè descripsimus, & expendimus. Sed quàm scitè & congruenter eadem singulis totius vaticinij de decem regibus verbis adaptetur in Riberæ & Viegæ commentariis cum primis videri poterit: non enim libet nunc in his immorari. Si tam vera & certa esset, vt est facilis & concinna, mirè præsens oraculum illuminabat: sed nostrum de ea iudicium habes suprà cap. 8.

III. Alij decem cornua Bestiæ, id est, decem reges, interpretantur vniuersè Reges omnes qui post Constantini Magni æuum, ex variis nationibus, ac diuersis temporibus, cum vastis barbararum gentium exercitibus in Romanum Imperium irruperunt, illud vastantes, lacerantes, ac pro sua quisque parte illud occupantes, & ad se trahentes, propemodum deleto & extincto Romano Imperio. Ac præsertim Alaricum, Geisericum, Odoacrem, Totilam, & alios, qui insignes clades Romanæ Vrbi & Imperio intulerunt. Hanc interpretationem eiúsque auctores latè superiùs cap. 9. 10. 11. retulimus. Ait ergo Ioannes: *Et decem cornua quæ vidisti, decem Reges sunt.* Id est, plures reges qui in Romanum Imperium insurrexerunt, illud inuadentes, & insidentes. *qui regnum nondum acceperunt*, nimirum quum hæc

hæc Ioannes litteris mandaret, *& poteſtatem vna hora tanquam reges accipent*, vna hora, id eſt, intra breue tempus, quia ſat breui tempore Roma, Imperiúmque Romanum, plures vaſtatores & hoſtes pertulit Reges, nempe Rhadagaïſum, Alaricum, Geiſericum, Odoacrem, Totilam, Attilam & alios: quos conſtat varias ſecum gentes, & reges in Vrbis & Imperij euerſionem pertraxiſſe: vti latiùs cap. 9. 10. 11. narrabamus. Id autem omne tempus, quo Roma tot paſſa eſt excidia, Romanumque Imperium fœdè laceratum à tot barbaris nationibus & regibus, vt penè corruerit: quamuis non equidem exiguum, ſed multorum annorum fuerit: tamen breue dicitur, vel quod reſpectu tot, tantarúmque rerum, quas in exitium tam magni, diuturni, & validè firmati Imperij, quod æternum putabatur, externi reges geſſere; non ita longum reuera fuerit: vel quòd eiuſmodi reges in Romanum Imperium inſurgentes, eorúmque regna comparatione eiuſdem Imperij quod tot ſæculis ſtetit, breui ſanè tempore viguerunt. At forſan ille congruentior ſenſus videri poſſit: Plures reges in Romanum Imperium arma mouentes, vna hora tanquam reges poteſtatem accepere: quia fermè ſemper inopinatò, ſubitò, eximprouisò in Romanam Vrbem,& Imperium irruerunt.

Poſt beſtiam, id eſt, vel poſt myſticum Antichriſti regnum, vel potiùs, poſt diabolum, ipſum in omnibus ſequentes, ſéque & ſua omnia eidem dedentes, cuius inſtinctu & efficacitate tam horrenda patrabunt. Quod verò addit Angelus verſ. 16. de decem regibus: *Hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipſam igne concremabunt*, id latè à nobis explanatum eſt cap. 9. 10. 11. 16. de cladibus, incendiis, & excidiis Vrbis Romæ & Imperij à barbaris regibus & nationibus illatis. Vide Ambroſiaſtrum in 17. Apocalypſis.

IV. Verùm proculdubio illa eſt certior & receptior intelligentia, quæ decem iſtos Reges, quorum hîc meminit Ioannes, exiſtimat, eſſe illoſmet decem Reges, qui circa mundi finem Imperium Romanum penitus exſcindent, atque inter ſe partientur: quibus regnantibus venturus eſt Antichriſtus, qui tribus ex decem illis interfectis, reliquos ſeptem ſibi ſubiugabit, Imperio omnium ſibi vſurpato. De quibus tam multa diximus ſuprà cap. 22. 23. 24. 25. 27. Atqui hos decem reges eoſdem eſſe, & eodem modo intelligendos, quo illos de quibus agit idem S. Ioannes Apocalyp. 12. 3. & cap. 13. 1. perſuaſiſſimum nobis eſt. Atque ita planè diſertiſſimè hos decem Reges Apocalyp. 17. interpretati ſunt, S. Ireneus lib. 5. cap. 26. Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 16. Victorinus in 17. Apocalypſ. Quintus Iulius Hilarion de mundi duratione, S. Proſper in dimidio Temporis, cap. 8. Primaſius, Andreas, Aretas, S. Beda, Ambroſius Anſbertus, Haymo in 17. Apocalypſis: quorum ſententias fusè deſcripſimus ſuprà cap. 22. Ex recentioribus verò, Gagnæius, Ribera, Viegas in 17. Apocalypſ. Bellarminus de Rom. Pontifice lib. 3. cap. 2. & 5. Maldonatus in 7. Daniel. verſ. 7. Henriquez de Fine Hominis, cap. 23. §. 5. Gregorius de Valentia tom. 4. diſp. 11. quæſt. 2. puncto 2. §. 3. Becanus de Antichriſto reformato, cap. 1. Leſſius de Antichriſto, cap. 12. 14. Cornelius à lapide in 2. Theſſalon. 2. num. 45. vſque ad 48. & alij. Et quidem Ioannem hoc ipſo 17. cap. Apocalyp. in his quæ de decem cornibus, id eſt, decem regibus Beſtiæ vaticinatur, reſpexiſſe ad illa decem cornua, id eſt, reges, de quibus Daniel. 7. verſ. 7. & 24. ſcripſit, & idem omninò de illis intellexiſſe quod ipſe Daniel, & vnam & eandem mentem Danielis & Ioannis eſſe de decem illis cornibus Beſtiæ, ſeu decem Regibus, apertè annotarunt S. Ireneus, Victorinus, S. Proſper, Andreas, S. Beda, Primaſius, Anſbertus, Bellarminus, & alij. Et Ambroſiaſter hæc habet in 17. Apocalyp. *Eandem ſignificationem habent decem cornua in hoc loco, quam & illa Danielis 7. habuiſſe dicuntur.*

Expendamus nunc verba Angeli: *Qui regnum nondum acceperunt*, nimirum quia illud accepturi ſunt in fine ſæculi prope aduentum Antichriſti. *Et poteſtatem vna hora tanquam reges accipient*, vna hora, id eſt, breui tempore. Andreas: *Vnam autem horam breue temporis ſpatium vocat: aut vnam certè anni tempeſtatem, quæ trimiſtri ſolis motu abſoluitur.* Aretas: *Quod verò vna hora cum beſtia: hora temporis breuitatem adſtruere vult, per quod videlicet hora anni completur, in qua vincenti Antichriſto ſubiicietur.* Eodem modo, vna hora, pro breui tempore, interpretantur Ambroſiaſter, Rupertus, Gagnæius, Bulengerus, Ribera, Viegas, Sà. Qua phraſi Dominus Ioannis, 5. 35. de Baptiſta ait: *Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius.* Et Paulus ad Philemonem verſ. 15. *Forſitan enim ideo ad horam diſceſſit à te, vt in æternum illum reciperes, poſt beſtiam.* Græca geminam præferunt lectionem, μετὰ τὸ θηρίον, *poſt beſtiam*, quæ eſt vulgatior Latinorum codicum: vel μετὰ τῷ θηρίῳ, *cum beſtia*, quam Græca exemplaria Complutenſia, & alia paſſim habent: quámque ſequuntur, S. Ireneus, Primaſius, Andreas, Aretas, & ex recentioribus Eraſmus, Sanctes, Vatablus, Montanus. Sed eundem ſenſum vtraque lectio exhibet. Ait enim, decem illos reges in fine mundi breui tempore regiam poteſtatem obtenturos poſt beſtiam, id eſt, Antichriſtum, vel cum beſtia, id eſt, Antichriſto. Id quod ſequentia perſpicuè declarant; *Hi vnum conſilium habent, & virtutem, & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent.* Quia deletis ab Antichriſto tribus ex illis decem regibus, reliqui ſeptem communi concilio, regnum ſuum & ſeipſos Antichriſto dedent. Et hoc eſt quod inquit, Regiam poteſtatem accepturos poſt beſtiam, vel cum beſtia, hoc eſt, Antichriſto, quia tres ex illis inuiti, alij ſeptem metu volentes Antichriſto regna ſua tradent, & cum ipſo & ſub ipſo regnabunt. *Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos.* Quia cum Antichriſto regnum Chriſti, id eſt, Eccleſiam euertere conabuntur: ſed omnes eorum vires, conatus, arma Chriſtus confringet, & concidet. Forſan reſpicit ad maximum illud prælium Gog & Magog, de quo lib. 6. cap. 1. tam multa dicemus.

Et decem cornua quæ vidiſti in Beſtia, hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipſam igne concremabunt. Si recentiorum illa ſententia de Romæ circa finem ſæculi apoſtaſia, & ſceleribus, quam ſuprà cap. 7. & 8. latè deſcripſimus, vera eſſet; nacta eſſent hæc verba facilem proculdubio, & lucidam explanationem, vt ibidem vidimus. At ea interpretatio nobis ſanè non probatur: vt nec etiam multis eruditis viris. Alia igitur ineunda eſt ratio qua hæc Ioannis pericopes aptè & rectè expo

exponatur. Babylonem hîc meretricem, & fornicariam, Romam eiúſque Imperium eſſe, millies iam inculcauimus.

Equidem ſi Babylon in Apocalypſi Roma eſt, manifeſtiſſimè Ioannes in variis de Babylone hac vaticiniis, & hoc præſertim quod nunc elucidamus, ſignificat, Romam tandem aliquando funditus in ſempiternum exſcindendam. Futurum autem id prope finem ſæculi, & ductus verborum Apocalypſis ſatis indicat, & plures interpretes qui hunc Apocalypticum Romæ interitum ediſſerunt, obſeruarunt. Etverò Romam circa extrema mundi tempora deſtruendam, ex oraculis Apocalypſis non pauci annotarunt. Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 15. agens de Romæ ſenecta, inquit: *Quòd ſi hæc ita ſunt, quid reſtat, niſi vt ſequatur interitus ſenectutem? Et quid futurum breui, conciones Prophetaturum denuntiant, ſub ambage aliorum nominum*, (procul dubiò Babylonis, Meretricis, Fornicariæ in Apocalypſi) *ne facilè quis intelligat. Sibyllæ tamen apertè interituram eſſe Romam loquuntur, & quidem Iudicio Dei, quod nomen eius habuerit inuiſum, & inimica Iuſtitiæ alumnum Dei populum trucidauerit.* Parum ſe in Scripturis verſatum probabit, qui non ſtatim videat Lactantium hiſce verbis reſpexiſſe vaticinia Apocalypſis de myſtica Babylone. Idemque Lactantius lib. 7. cap. 25. *Etiam res ipſa declarat, lapſum, ruinámque rerum breui fore, niſi quod incolumi Vrbe Roma, nihil iſtiuſmodi videtur eſſe metuendum. At verò quum caput illud orbis occiderit, & ſ̊υυ, eſſe cœperit, quòd Sibyllæ fore aiunt, quis dubitet veniſſe iam finem rebus humanis, orbique terrarum? Illa enim eſt ciuitas quæ adhuc ſuſtentat omnia: precandúſque nobis, & adorandus eſt Deus cæli, ſi tamen ſtatuta eius & placita differri poſſunt, ne citiùs quam putamus, tyrannus ille* (Antichriſtus) *abominandus veniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud* (Romam) *effodiat, cuius interitu mundus ipſe lapſurus eſt.*

Sanctus Hieronymus in Iſaiæ 24. ad verſ. 10. *Atteretur ciuitas vanitatis, ſiue omnis ciuitas, vel ſpiritualis Babylon quæ ſedet in ſeptem montibus purpurata, cuius ſupplicia in Apocalypſi Ioannis legimus.* Haud dubiè Romam intelligit. Et recentiores in eandem ſententiam, ex hoc loco Apocalyp. 17. 16. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 13. *Secundus locus eſt, Apocalyp. 17. vbi Ioannes dicit, decem reges qui ſibi diuident Romanum Imperium, & quibus regnantibus veniet Antichriſtus, odio habituros purpuratam Meretricem, id eſt, Romam, & eam deſolatam facturos atque etiam igne crematuros. Quomodo ergo Roma erit ſedes Antichriſti, ſi illo ipſo tempore debet euerti & comburi?* Et poſt multa: *Nam vt ſuprà oſtendimus, Antichriſtus odio habebit Romam, quomodocumque accipiatur, & cum ea pugnabit, eámque deſolabit, & incendet. Ex quo manifeſtè ſequitur, non fore Romam Antichriſti ſedem.* Et lib. 4. cap. 4. *Neque obſtat quòd tempore Antichriſti Roma deſolanda & cremanda videatur, vt deducitur ex cap. 17. Apocalypſis: nam hoc non fiet niſi in fine mundi.*

Ribera in 17. Apocalyp. ad verſ. 16. enarrans hæc eadem verba, quæ hîc interpretamur: *Hi odient Fornicariam, & deſolatam facient illam*, &c. inquit: *Ex hoc autem quod nunc ait Apoſtolus, intelligitur Romam eſſe vaſtandam & euertendam, antequam Antichriſtus regnare incipiat, vel certè ipſo initio regni eius, tempore ſcilicet, quo decem reges vniuerſo orbi imperabunt, & antequam tres vincantur ab Antichriſto.*

Henriquez de Fine Hominis, cap. 15. §. 5. *Quidam ex illo Apocalypſis cap. 17. odient fornicariam, putant intelligi ipſam Vrbem Romam, & eſſe funditus euertendam comburendam ab Antichriſto.* Et in Commentario littera, c, citat pro ea ſententia Lactantium, & alios Patres.

Viegas in 17. Apocalyp. eadem hæc verba elucidans: *Hi odient fornicariam & deſolatam facient illam*, ait: *Cùm ergo hoc loco Angelus Ioanni prænuntiet fore, vt hi decem reges odio habeant fornicariam, eámque omninò euertant, & incendant: manifeſtè colligitur, paulò ante quàm Antichriſtus adueniat, vel ſaltem ad initium eius Imperij, Romanam vrbem ab his decem regibus euerſam & concrematum iri: ſiquidem quum Antichriſtus imperauerit, non futuri ſunt decem Reges, ſed ſeptem.*

Leſſius de Antichriſto, cap. 12. *Tempore Antichriſti Roma erit deleta, vt apertè colligitur Apocalyp. 17. vbi dicitur, decem illos reges, qui breui tempore regna potientur, odio habituros fornicariam, eúmque igni combuſturos, & tradituros regnum ſuum Beſtiæ, ſeu Antichriſto.* Et poſt alia: *Hoc tamen conſtat, Romam ab illis decem regibus ante regnum Antichriſti, vel ſub initium illius, eſſe euertendam: ac proinde Antichriſti ſedem Imperij eſſe non poſſe.*

Boſius de ſignis Eccleſiæ lib. 24. cap. 6. *Roma pœnas dabit, & vnà cum Romani Imperij dignitate ac poteſtate ab Antichriſto, & eius copiis funditus euertetur. Quod docemur è cap. 17. Apocalypſis.*

Cornelius à Lapide in 2. Theſſalon. 2. num. 46. *Conſentiunt Patres & Interpretes, docéntque ex Apocalyp. 17. verſ. 12. & 16. collato cum Danielis cap. 7. verſ. 8. & 24. ante Antichriſtum, ſtante Roma, & Romano Imperio, decem fore reges totius orbis dominos, qui Romam capient, euertent, comburent, Apocalyp. 17. verſ. 16. & toto cap. 18.* Et num. 68. *Antichriſtus non regnabit Romæ: illa enim ante Antichriſtum euertetur, & concremabitur à decem regibus.* Eadem habet in 24. Numeror. ad verſ. 24.

Ceterùm recentiores iſti auctores euertendum iri Romam in fine mundi idcirco fortaſſe videntur exiſtimaſſe, quòd arbitrati ſint ex vaticiniis Apocalypſis, Romam prope mundi occaſum à fide Chriſtiana diſceſſuram, Pontificem profligaturam, ethniciſmum amplexuram, Eccleſiam atrociter perſecuturam: quæ tam immania ſcelera Deus ipſius Romæ horrendo interitu ſit vindicaturus. Horum ſententias deſcripſimus cap. 8. At Franciſcus Suarez qui in hanc diſquiſitionem ſedulò incubuiſſe videtur, lib. 5. aduerſus Anglicanos errores, cap. 7. pluribus oſtendit, ex oraculis Apocalypſis, ſi Babylonis nomine Roma eſt intelligenda, illud certò haberi, Romam tandem aliquando euertendam, ac penitus, & irreparabiliter deſtruendam: indéque valdè probabiliter deduci, futurum id circiter extrema mundi tempora: ceterùm quòd ante hunc vltimum eius interitum, Roma reiecta Fide ad veterem magnitudinem Imperij, ad gentiliſmum, ad Eccleſiæ perſecutionem

tionem sit denuò reditura, neque ex vaticiniis Apocalypsis elici, nec certò probari posse. Habes sententiam Suaris à nobis superiùs cap. 8. expositam : quam sanè volentes, libentes amplectimur. Equidem omni relicta hypothesi, simpliciter affirmamus, cum primis verò similiter & probabiliter ex Apocalypsis de Babylone oraculis, atque his potissimum verbis quæ modò elucidamus, Romam in fine mundi à decem illis regibus, de quibus tam multa scripsimus, excidio & incendio funditus delendam. Id tamen non omnino certum & exploratum asserimus, propter varias alias vaticiniorum Apocalypsis de Babylone interpretationes, magnis auctoribus probatas, quas hoc libro fusè retulimus, & illustrauimus. Vnde prudenter Henriquez, (quem senem optimum, & egregio animi candore, Romæ nos familiarissimè nouimus) de Fine Hominis, cap. 25. §. 5. inquit : *Quidam ex illo Apocalyp. cap. 17. odient fornicariam, putant intelligi ipsam vrbem Romam, & esse funditus euertendam & comburendam ab Antichristo. At inde non colligitur certò quia multi ex Patribus eum locum aliter explicant.*

Verùm addimus, quòd Roma ante illum suum prope finem sæculi supremum casum, Imperium orbis sit recuperatura, cultum idolorum instauratura, Ecclesiam Christi denuò afflictura, id quidem ex Apocalypticis oraculis haud exploratò constare, & esse incertissimum arbitramur. Vnde eam recentiorum opinionem de Romæ circa mundi occasum apostasia ac potentia, haud probare potuimus suprà cap. 8.

Sed hîc pro me paucis Patri Suari respondendum : ait enim : *Hac ergo admissa expositione*, (nempe Babylonem in Apocalypsi esse Romam) *ex illa ad summum colligitur, Romanam ciuitatem ante finem mundi delendam esse, & prorsus euertendam, etiam quoad materialia ædificia, & igni tradendam. Quod multi Catholici non solùm sine rubore, sed etiam constanter docent, ac defendunt, quos refert, eorúmque sententias latè describit Thomas Maluenda lib. 4. de Antichristo, cap. 4. & 5. Et quamuis ipse timeat in eorum descendere sententiam, ideóque aliis modis conetur loca Apocalypsis interpretari : (quos nunc examinare, probare, aut improbare non est necesse) nihilominus negari non potest, sententiam illam probabilissimam esse, multúmque & locis Apocalypsis, & antiquis Patribus consentaneam.* Sententia illa duas habebat partes, & delendam Romam ante finem mundi : & delendam propter apostasiam, & nouam impietatem. Non timui, Pater Suarez, Romæ supremum interitum ante finem rerum : sed aspernatus sum & meritò exhorrui tam pudendam causam illius interitus, nempe nouam Romæ apostasiam, & rediuiuum bellum in Ecclesiam.

Iam hinc ingens oritur difficultas, nam Ioannes apertissimè edicit, perituram Romam propter abominationes idololatriæ, & effusum sanguinem martyrum, vide suprà cap. 7. à quibus tamen omnibus impietatibus quàm longissimè nunc abest, ciuitas hæc iam sancta, quæ vt quondam erat mater erroris, nunc per beatam Petri sedem facta est iam magistra veritatis : neque vllo pacto timendum est, ne rursus in ethnicismum & in Ecclesiæ & diuinæ religionis odium incidat. Hoc incommodum est quod ferè solum recentiores in sententiam de Romæ circa occasum sæculi apostasia impulit : & quod Suarez nec satis præuidit, aut euitauit, vti cap. 8. notabamus. Verùm dicimus, Ioannem, quum tanta Romæ scelera, nempe idololatriam, & martyria sanctorum, aliásque eiusdem abominationes commemorat, respexisse proculdubio ad eum Romæ, Romanique Imperij statum, qualis eo tempore erat, quum Apocalypsim condidit, qualémque ipse oculis videbat, nimirum plenum impietatis, & odij in Christianam religionem. Ioannísque menti tunc obuersata potissimùm tot illa ac tam immania Romæ quæ tum erant præsentia flagitia : ac proinde vaticinatum id quod futurum Deus ab æterno decreuerat : nempe, Deum in fine sæculi, iusto suo & seuero Iudicio, in memoriam reuocaturum omnes Romæ abominationes, & atrocia mala quæ ea Vrbs Ecclesiæ intulit : ac propterea de ea supremum supplicium sumpturum, atque illam funditus extirpaturum : non quidem propter noua aliqua Romæ idololatriæ, aut effusi martyrum sanguinis scelera, quæ nulla tunc erunt : sed propter veterem deorum cultum, & immane odium in Ecclesiam, atque sæuitiam in pios. Id quidem diuinus Apostolus cap. 16. 19. rectè significauit verbis illis : *Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius.* Et cap. 18. 5. *Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius.* Satis indicat puniturum Dominum Romæ delicta præterita, quum inducit Deum ea recordantem, & in memoriam reducentem : cum sanè memoria non sit præsentium, sed præteritorum.

Dices, Quid ergo commerebuntur pij & orthodoxi Fideles, qui extremis illis sæculi temporibus Romæ erunt, vt tanta clade & ruina inuoluantur, & obruantur ? Haud sanè inuoluentur, siquidem in muros, parietes, domos, tecta, & ædificia tunc ira Dei sæuiet, Ecclesia, Pontifice, & Fidelibus à tam horrenda deuastatione seruatis, peculiari cura & prouidentia Dei. Innuit id apertè Ioannes cap. 18. 4. *Exite de illa populus meus : vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.* Vides vt in supremo Romæ excidio, populus Fidelis incolumis & illæsus seruabitur, quem vindicta diuina non tanget. Nec mirum, nam pari ratione in Ierosolymitana per Titum euersione, egregiè Deus Ecclesiæ suæ incolumitati & securitati prospexit, dum ingruente Iudaïco bello, eam diuino oraculo iussit Ierosolymis excedere, & Pellam vrbem trans Iordanem commigrare, ibique incolere, vti Eusebius lib. 3. Histor. Ecclesiast. cap. 5. Epiphanius Hæresi 29. & 30. Nicephorus lib. 3. Histor. cap. 3. latè describunt.

Iam nunc disquirendum, num hæc suprema Romæ destructio sit ab ipso Antichristo, seu eius tempore, vel potiùs ante eiusdem Antichristi manifestationem patranda ; Lactantius, Bellarminus, Bozius, vti in eorum verbis anteà descriptis vidimus, ab ipso Antichristo euertendam Romam tradiderunt. Forsan ita locuti sunt, quòd sub ipsa primordia Antichristi, vel circiter continget illud

Vrbis

Vrbis excidium. Suarez exiſtimat, ex nullo diuino Scripturæ oraculo ſatis colligi poſſe, an hæc vltima Romæ deſtructio ab ipſomet Antichriſto perficienda ſit, & conſummanda, vel ante illum, per aliquem, vel aliquos ex illis decem regibus, qui in Romano orbe tunc regnabunt. Id quod ipſe pluribus ſequitur confirmare. Sed Ribera, Viegas, Leſſius, Cornelius rem planè viderunt, quum aiunt, ante regnum Antichriſti, vel ſub initia regni illius; quando nimirum decem illi reges rerum potientur in orbe, antequam tres ex illis interficiantur ab Antichriſto, & ſeptem reliqui ſeſe Antichriſto ſubiiciant, ab illis decem regibus tunc funditus exſcindendam Romam. Equidem qui totam decem illorum regum tragœdiam ex vaticiniis Danielis, & Apocalypſis attentè expenderit, quam nos magna huius libri parte accuratè enarramus, aliud vix ſentire poterit, quàm, eo tempore quo decem illi reges Romanum Imperium inter ſe diuident ſuo ſub nomine, extincto omninò nomine, & re Imperij Romani, antequam tres ex illis decem regibus deleantur ab Antichriſto, & ſeptem alij eidem Antichriſto ſubdantur, quod fiet ipſis ſtatim regni Antichriſti initiis, vti fuſiùs lib. 6. cap.... docebimus: eoſdem decem reges incendio, & excidio à fundamentis euerſuros Romam. Ergo ſupremus Romæ caſus proculdubio erit paulò antè, vel ſub initia regni Antichriſti, & ante prælia eius cum tribus illis regibus: ita vt neutiquam ab ipſo Antichriſto, ſed à decem regibus ſit Roma demolienda.

Nam ſi non eſt venturus Antichriſtus, id eſt, regnum ſuum, & prælia aduerſus tres reges exorſurus, niſi priùs extincto & deleto Romano Imperio à decem regibus, vti hoc libro à cap. 18. huc vſque demonſtramus: quis non videt, quàm ſit rationi conſentaneum, Romam quæ Imperij arx & caput fuit, ab illis decem regibus ſimul cum imperio etiam euertendam? nimirum antequam aduerſus eos præliari incipiat Antichriſtus. Deinde Ioannes hîc manifeſtè ait, decem reges deſolaturos Romam: at poſt prælia Antichriſti, eius iam regno fundato, non erunt iam niſi ſeptem reges: nam tres ex illis ſuis præliis interficiet: reliquis ſeptem ſibi ſubiugaris. Adde, quod ſibi ab Antichriſto, vel eius auſpiciis Roma eſt exſcindenda, haud ſanè tantùm facinus decem illis regibus adſcriberet Ioannes, ſed ipſi Antichriſto.

Ex dictis igitur hactenus facilis, & dilucida eruitur verborum Ioannis hîc intelligentia. Decem, inquit, reges qui, paulò antè aduentum Antichriſti, tranſlato in ſuum nomen & rem Romano Imperio, in mundo regnabunt, ij odio crudeliſſimo proſequentur vrbem Romam, *deſolatam facient illam*: id eſt, à ſummo culmine ad fundamenta diruent, *& nudam*: id ad prædam, & ſpolia captæ, & deuaſtatæ vrbis ſpectat. *Et carnes eius manducabunt*: vel indicat, de manubiis eius opulentos, & pingues redditum iri: vel eſt allegoria, ſeu metaphora extremi odij, & feralis immanitatis, nam eſus carnis humanæ inter ſæuiſſimæ crudelitatis exempla habetur, vti inferiùs pluribus oſtendemus. Huc referunt Pſalm. 26. 2. *Dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas.* Iob 19. 22. *Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini?* Hanc verborum Ioannis, ſeu Angeli ſimpliciſſimam eſſe interpretationem, facilè quiſque intelliget.

Si quis tamen in hoc Apocalypſ. 17. vaticinio Babylonem, Mulierem, Meretricem, Fornicariam, Romanum ipſum Imperium, potiùs quam Vrbem Romam intelligere maluerit, vti ſanè intellexerunt Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 5. §. *Denique Ioannes.* Maldonatus in 7. Daniel. verſic. 7. Valentia tom. 4. diſputat. 11. quæſt. 2. punct. 2. §. 3. Becanus de Antichriſto reformato, cap. 1. Haud ægrè eadem verba Ioannis interpretabitur. Hi decem reges extinguent prope finem ſæculi rem, & nomen Imperij Romani, ac inter ſe partientur prouincias omnes, quæ quondam Imperij Romani fuere, ſed non ſub Romano, ſed ſub ſuo nomine imperitabunt: vti nunc Turcarum Imperator in Oriente. Eſt locus inſignis ſancti Hieronymi in Iſaiæ 34. verſ. 8. qui, quæ Ioannes Apocalypſ. 17. & 18. vaticinatur de Babylonis excidio, de euerſione Imperij Romani intelligenda eſſe docet. Enarrans enim ſanctus Doctor quædam Iſaiæ verba ſimilia iis quæ Ioannes de Babylone perſcripſit, ait: *Hebræi hæc de Romano Imperio prophetata contendunt: & vaſtitatem quondam regni potentiſſimi prædicari: quod iuxta litteram plerique noſtrorum etiam in Apocalypſi Ioannis ſcriptum putant.*

Feſſos nos iam, ac penè fatiſcentes excipit Alcaſar cum ſingulari ſua horum decem regum Fornicariam deuaſtantium interpretatione: ſed integri alioqui, & valentes libentiſſimè detrectaremus certamen: habeat ſibi ſua, ac ſuper inuenta: non inuidemus: nobis enim propoſitum fuit optimorum auctorum, & Interpretum veſtigiis inhærere: non noſtra ſenſa, & cogitationes venditare. Sed ſi noſtram mentem ſcire cupis, adito cap. 12.

Qua ratione intelligenda ſit illa Scripturæ, & Patrum aſſertio, de decem regibus in orbe futuris ſub aduentum Antichriſti.

CAP. XXXI.

OCcaſionem cum primis difficultatis ſanctus Auguſtinus præbuit, qui vaticinium Danielis 7. verſ. 8. 24. de decem cornibus quartæ Beſtiæ, & de cornu paruulo, è medio eorum enato, hoc eſt, de decem regibus futuris in Imperio Romano prope finem ſæculi quorum regno vigente, venturus eſt Antichriſtus, pluribus enarrans lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 23. hæc ſcribit: *Vereri me ſanè fateor, ne in decem regibus, quos tanquam decem homines videtur inuenturus Antichriſtus, fortè fallamur, atque ita ille inopinatus adueniat, non exiſtentibus tot regibus in orbe Romano. Quid enim ſi numero iſto denario vniuerſitas regum ſignificata eſt, poſt quos ille venturus eſt: ſicut millenario, centenario, ſeptenario ſignificatur plerumque vniuerſitas, & aliis, atque aliis numeris, quos nunc commemorare non eſt neceſſe?*

Et quidem denarium numerum in Scriptura ſacra vniuerſitatem, & multitudinem indefinitam ſignificare, tam certum eſt, quàm à multis annotatum. Auctor Phraſium apud Villauicentium: *Denarius, ſicut ſeptenarius, plenitudinis numerus eſt, perfectam tetradem cum ſuis incluſis numeris conti-*

nens : resultat enim denarius ex vnitate, binario, ternario, & quaternario. Id sæpè reperire licet in sacris Litteris.

Forsterus in Lexico : עשר *Assar, cum puncto sinistro, nomen est numerale, vt vocant, cardinale, decem, eo quòd numerus denarius sit diues : idque etiam cognationem habet cum verbo* עשר *Assar, cum puncto dextro, & ab eo descendit. Et est obseruandum quòd* עשרה, *&* עשר *Esser, & Assarah, id est, decem in aliquot Scripturæ locis accipiuntur indeterminatè pro aliquot, id est, multis, eo quòd numerus denarius est terminus numeri, & in eo numerus monadicus desinit. Et inde quoque appareat, quòd affinitatem quandam habeat, cum* עשר *Assar, quod cum dextro Schin, diuitias, id est, multitudinem significat.*

Sanctes in Lexico : *Quia numerus denarius est limes, & terminus, & finis omnis supputationis, seu numerationis, (nam à decem, & supra, sunt denarij numeri repetitiones) idcircò capitur indifferenter in Scriptura, pro quolibet numero, & non pro ipso determinato numero* Denario.

Mercerus in Lexico : עשר *Assar cum puncto sinistro, hanc quoque radicem quidam radici* עשר *Assar cum puncto dextro, affinem faciunt, quòd denarius numerus sit diues & plenus. Vnde cùm sit terminus numeri monadici, indefinitè passim videas, decem, pro aliquot, vel multis sumi.*

Schindlerus in Pentaglotto : עשר *Assar, id est, decem, interdum accipitur pro multis, quia denarius est absolutus, & perfectus numerus, vnitatum vt maxima, ita finis, & denariorum initium : aut etiam quia decem sunt præcepta legis.*

Marinus in Arca Noë : *Decem in Scriptura vsurpatur eleganter pro maximo numero, quòd denarius sit numerorum singulorum terminus.*

Auenarius in Lexico : עשר *Assar cognationem habet cum* עשר *dextro, id est, diues fuit, nam numerus denarius est diues.* Vide quoque Indicem Phrasium Scripturæ, Emanuelis Sa. Nunc eius vsurpationis pauca exempla promanus. Genes. 31. 7. 41. *Mutauit mercedem meam decem vicibus*: id est, sæpius. Leuitici 26. 26. *Ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes.* Hoc est, multæ. Numerot. 14. 22. *Tentauerunt me per decem vices.* id est, sæpiùs. 1. Regum, 1. 8. *Numquid non ego tibi melior sum quàm decem filij ?* id est, multi. Iob 19. 3. *En decies confunditis me :* hoc est, pluries. Ecclesiastæ 7. 20. *Sapientia confortauit sapientem super decem principes ciuitatis :* id est, quàm plures principes. Baruch 4. 28. *Decies conuertentes requiretis eum :* id est, pluries. Apocalyps. 2. 10. *Et habebitis tribulationem diebus decem :* id est, multis. At de præstantia, & perfectione denarij cùm multi veteres & recentiores disseruerint, scitè cum primis Philo de congressu quærendæ eruditionis gratia, &, de Decalogo.

Cùm ergo denarius numerus multitudinem, & vniuersitatem denotet, quod Scriptura sæpiùs asserit, decem reges in orbe futuros quum veniet Antichristus, vti superiùs abundè vidimus, in dubium reuocauit sanctus Augustinus, num reuerà intelligendi sint præfinitè, ac determinatè decem reges, id est, non plures, nec pauciores, quàm decem : an verò decem indefinitè pro multis, quotquot illi fuerint, dumtaxat accipi debeant : quasi illud tantùm diuina oracula canant, plures reges in orbe futuros, qui Romanum Imperium inter se diuidant, quum veniet Antichristus, quocumque illi numero sint futuri.

Iam hîc committere non possumus, quin Lectorem Alcasaris acuminibus impartiamur. In 12. Apocalyps. ad versic. 3. in hunc modum scribit: *Opinio asserens mundum sub Antichristi tempus in decem reges diuisum iri, & horum tres ab Antichristo delendos, septem reliquos subiugandos fore : hæc, inquam, opinio non adeò certa est, vt Ribera contendit. Nam quamuis Hieronymus eam Ecclesiasticis Scriptoribus adscribat : non tamen vult eam ab omnibus certam reputari : sed solùm eam fuisse communem, ac vulgarem omnium opinionem : simili ferè loquendi ratione, atque illa : Totus mundus post eum abit. Vbi, totus, per hyperbolem dicitur.*

Vidisti, Lector superiùs consensum Patrum, & oracula Scripturæ de decem regibus in orbe futuris sub aduentum Antichristi, quæ latè descripsimus : tu nunc iudica, si est hæc opinio incerta, aut vulgaris. Quasiverò tanta Patrum in re adeò magna consensio, non palam euincat, certum id esse de quo tantopere omnium sententiæ conueniant. Aut quasi sit necesse vt quum Patres in vnam alicuius Scripturæ loci interpretationem, aut doctrinæ communem aliquem sensum conspirant, oporteat eos expressè, & distinctè pronunciare, & vel vti conceptis verbis edicere : Id pro certo tradimus, aut docemus. Ridicula sunt hæc, & confutatione planè indigna. Sed ne tibi, Pater Alcasar, cum solo Ribera res sit, accipe iam aliquos è Societate tua, qui multò secus, ac tu, id est, verè & rectè causam tractarunt. Maldonatus in 7. Danielis, ad vers. 7. *Omnes ferè Ecclesiastici Scriptores ita sentiunt : à quibus non est temerè discedendum.*

Acosta lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 9. *Hieronymi sententia omnium Scriptorum Ecclesiasticorum, si ipse non fallit, sententia est. Hippolytus sanè atque Ireneus, quorum commentarios videmus, certissimam censent : in qua profectò nullo modo tanta posset esse consensio, præsertim de re obscurissima, & ab hominum notitia remotissima, nisi qui reuelauit Prophetæ mysterium, etiam aperire sensum suorum, vt intelligerent Scripturas, dignatus fuisset. Itaque ex traditione Apostolica Scriptores Ecclesiasticos hæc de futuris Antichristi temporibus tanto consensu docuisse credendum est.*

Becanus lib. 2. de Antichristo reformato, cap. 1. *Ad hæc Scripturæ testimonia accedit antiquissima Ecclesiæ traditio, de qua Hieronymus in cap. 7. Danielis, sic scribit : Ergo dicamus quòd omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt, &c. quid clarius dici potest ? Constat ergo ex Scripturis, & Ecclesiæ traditione, Imperium Romanum tunc euertendum, ac destruendum, quando in decem reges diuidetur.*

Lessius de Antichristo, cap. 14. *Constat ergo hanc esse communem, & receptam antiquorum sententiam.*

Suarez lib. 5. contra Anglicanos errores, cap. 22. *Hæc est communis traditio Patrum, quos sæpè retuli, sumpta ex Danielis 11.*

Iam hîc illud S. Chrysostomi elogium meritò locum habeat : *Traditio est, nihil quæras amplius.*

Pergit Alcasar : *Quum autem ad ferendum iudicium de aliqua opinione acceditur, nullus est Doctor Augustino grauior, qui lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 23. ait : Vereri me sanè fateor, ne in decem regibus, quos tanquam decem homines videtur inuenturus Antichristus, fortè fallamur, &c.* Hæc sunt Augustini verba quæ initio huius capitis dicebamus, difficultatem huic de decem regibus sub

ad

aduentum Antichristi receptæ opinioni inferunt.

Ceterùm adeò perspicua sunt & luculenta diuinorum oraculorum, & Patrum verba, vt nullo pacto in dubium reuocari posse videantur. Decem enim reges in præfatis Scripturæ locis, & Patrum sententiis, non pro multitudine, aut vniuersitate regum indefinitè capiendos, sed præfixo, & definito numero decem tantùm reges, nec plures, nec pauciores intelligendos esse, tam manifestum, & exploratum esse debet, vt vehementer mirati simus sanctum Augustinum de his ambigere potuisse. Et vt interim alia omittamus, quæ id apertè demonstrant, Daniel certè & Patres distinctè, ac disertè produnt, tres ex illis decem regibus ab Antichristo debellandos, exterendósque esse: reliquos autem septem Antichristo victori, eiúsque Imperio subiugandos. At tam singularis & definita numerorum distributio in isto regum denario, vt tres reges ex illis decem delendi sint: & septem alij Antichristo adiungendi, neutiquam subsistere posset, si denarius hic regum numerus indefinitè pro multis, & non præfinitè pro decem tantùm, nec pluribus, nec paucioribus, intelligeretur. Adde, quòd digiti decem, pedum statuæ Nabuchodonosori in somnis oblatæ, diuisionem, ac diductionem Romani Imperij in decem reges extremis mundi temporibus portendentes, vt determinato numero decem erant, id est, nec plures, nec pauciores decem, ita quoque haud dubiè decem reges numero præfinito significabant futuros. Denique quis dubitet, Danielem, atque adeò Ioannem non plura, nec pauciora, quàm decem cornua in Bestia vidisse, vt etiam nec plura, nec pauciora quàm septem capita? nam Bestia Ioannis planè erat septiceps, & decacornis: decem igitur præfixè reges erunt illi in fine sæculi Imperium Romanum distracturi. Atqui id omninò intellexisse Patres, & recentiores omnes, paucissimis exceptis, tam certum est, quàm indignum vt indubium accersatur. Rectè Maldonatus in 7. Daniel. ad vers. 7. refutans eorum sententiam qui denarium hîc regum numerum, pro incerto, & indefinito numero positum esse existimarunt, ait: *Hæc mihi sententia minimè probatur, quia præterquam quod est noua: Nullo modo mihi persuadere possunt, in descriptione Bestiæ, vbi & singulæ partes, & numerus ipse mysterium aliquod indicat, numerum certum pro incerto positum esse. Deinde, quia qui hoc dicunt, illud eadem ratione necessariò dicunt, cùm tres reges ab vno cornu deturbandi esse dicuntur, etiam ternarium numerum pro incerto numero poni, quod mihi videtur, & ab Hebraicæ, Chaldaicæque linguæ, & à Scripturæ sacræ consuetudine vehementer abhorrere. Nam septenarium, atque denarium numerum pro incerto numero sæpè positum legimus: ternarius autem numerus pro numero incerto positus, haud equidem scio, an vspiam legi possit. Multò autem magis testimonio D. Ioannis moueor, qui in illo 17. Apocal. eodem modo de septem, qui per septem Bestiæ capita, & de decem, qui per decem cornua significabantur, regibus loquitur. Numerum autem septenarium non pro incerto, sed pro certo definitóque numero ponit. Dicit enim vers. 10. Quinque iam ceciderunt, & vnus est, & alius nondum venit: ergo & numerum denarium regum pro certo numero ponit: & Daniel igitur eadem de re loquens.* Suarez lib. 5. aduersus Anglicanos errores, cap. 22. tametsi me carpat, quòd nimius fuerim exaggeranda certitudine sententiæ illius, quæ decem hos reges, certo, & definito numero interpretatur: addit tamen: *Quamuis sententiam illam præferendam, & simpliciter veram existimem.* Ipsum adito, qui addit hunc esse communiorem Patrum consensum. Acosta etiam lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 9. & Lessius de Antichristo, cap. 14. certum hunc & definitum denarium regum validè propugnant, ac stabiliunt. Et Lessius ait: *Communis Patrum sententia est, numerum certum decem reges, non plures, aut pauciores designari.* Vide quoque Sanderum lib. 8. de visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 6. §. *Scio, Fridericum.* Et Antonius Ferdinandus Visione 24. Veteris Testamenti, Comment. 1. sect. 6. num. 5. inquit: *Sed enim cùm hoc loco Daniel. 7. 25. dicatur, ex decem regibus debellandos, & occidendos esse tres à rege illo expresso per cornu paruulum, planè efficitur, Vatem locutum de decem numero regibus, non autem, de vniuersitate regum.*

Sed & Leonardus Coquæus Augustinianus in 20. de Ciuit. Dei, cap. 23. ad verba illa S. Augustini quibus in dubium reuocat certum illum denarium regum, hunc apposuit Commentarium: *Verùm quum subiiciat Daniel, & tres ex his decem regibus superaturum Antichristum, & quarum regionum illi sint reges, nominet, possumus interpretari Danielem, uturos reuerà in Romano orbe quum veniet Antichristus, decem præfixo numero reges.*

Addit Alcasar: *Denique in hac opinione de decem regibus ab Antichristo in orbe reperiendis, idem ferè contingit, quod in nuntio aliquo, siue rumore, qui nullo alio auctore, aut capite spargeretur in vulgus, nisi solùm quòd Toletanus Præses, aut Princeps alius vir clarissimus illud diceretur affirmasse. Si enim postea constaret id à Toletano Præside nusquam fuisse assertum: prudentes viri proculdubio figmentum illud, ac meras esse nugas reputarent. Idem accidit in hac opinione, quam licèt olim multi asseuerauerint, nonnulli tamen verebantur, ne quid in ea falsitatis sub veri specie lateret. Vt autem crederetur, nullum aliud fundamentum erat: nisi quia à Daniele id fuisse prædictum putabatur. Posteà verò longo sæculorum decursu euidenter deprehensum est, id nequaquam à Daniele fuisse affirmatum: ille enim in quarta Bestiæ vaticinio agit tantummodo de Romano illo Imperio, quod Christianam Ecclesiam conflictauit: hoc autem iam prorsus interiit. Quis ergo non videat, huiusmodi opinioni nullam iam verisimilitudinem superesse.*

Ergo vult Alcasar figmentum & nugas esse, eam, quæ de decem regibus increbuit apud Patres & recentiores, sententiam? Eíque opinioni nullam iam verisimilitudinem supereſle? O quàm pudet ista referre, & multò magis refutare. Et vbi euidenter deprehensum id nequaquam à Daniele fuisse affirmatum? cùm Patres omnes & recentiores affirment, id ab eo Vate fuisse affirmatum. Quicumque sanè, vel leuiter percurrerit quæ toto hoc ferè libro de decem regibus, in quos sub finem sæculi Imperium Romanum est diuidendum, disseruimus, haud poterit Alcasari talia scribenti non succensere. Alia eiusdem Auctoris hîc inserere prætermittimus, quòd nullius sint ferè momenti.

Porrò de eisdem decem regibus aliam quæstionem proponit & soluit Maldonatus Daniel. 7. vers. 7. in hunc modum: *Altera quæstio est, An eodem tempore, diuersis locis, an potius eodem loco diuersis*

uersis temporibus alius post alium regnaturi significentur. Hæc quæstio æquam ferè vtraque ex parte probabilitatem habet. Nam quòd eodem tempore diuersis Imperij Romani locis, decem illi homines regnaturi sint, videtur Angelus Daniel. 7. vers. 24. significare, quum dicit: Et tres reges humiliabit. Quod autem diuerso tempore regnaturos intelligat, probabilius: quia & Ioannes id indicat, quum eodem modo de decem regibus loquitur, atque de septem: quos alios post alios partim iam regnasse, partim regnaturos dicit. Et ipse Daniel, aut apud Danielem Angelus quum dicit versic. 24. Cornua decem, decem reges ipsius regni erunt, quibus verbis videtur indicare, in eodem regno, eodémque loco decem alios post alios reges futuros esse. Neque ignoro responderi posse, decem reges ipsius regni, id est, eiusdem Romani Imperij, diuersis tamen locis, eodem tempore regnaturos. Sed hoc magis quod diximus, videtur significare.

Sed præstitisset eam quæstionem prorsus omisisse, aut saltem non tam præposterè decidisse. Quid enim clarius, & luculentius à Daniele, Patribúsque dici potuit, quàm sub finem rerum decem futuros reges, qui Imperium Romanum tollant, & inter se diuidant, & iis regnantibus in mundo, venturum Antichristum, & tres ex illis decem interfecturum, reliquos autem septem sibi subiugaturum: vt inde nihil planè aliud intelligi possit, quàm decem illos reges simul & eodem tempore, diuersis proculdubio locis, in orbe regnaturos quum veniet Antichristus. Nam quæ in eos patrabit Antichristus, non nisi breuissimo tempore fient, vti lib. 6. c.... videbimus. Equidem interdum locis alioqui obscurissimis nostris subtilitatibus, & acuminibus maiorem obscuritatem affundimus, & nodum in scirpo quærimus; ausim credere, eam dubitationem nulli alij nisi Maldonato in mentem venisse: sed potuissent illi eam prorsus eximere Lactantius, S. Cyrillus, Theodoretus, Metaphrastes, qui communem aliorum omnium mentem, apertiùs, & disertiùs exposuerunt, quum aiunt, decem illos reges pariter, simul, & eodem tempore regnaturos in orbe, quum exorietur Antichristus: quorum verba fusè suprà cap. 22. descripta, hîc contraho. Lactantius lib. 7. cap. 16. *Tunc discordiæ ciuiles in perpetuum ferentur, nec vlla requies bellis exitialibus erit: donec reges decem pariter existant, qui orbem terræ, non ad regendum, sed ad consummandum partiantur.*

Sanctus Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 15. *Decem simul reges Romanorum excitabuntur in diuersis quidem locis, eodem tamen tempore regnantes: post istos autem vndecimus Antichristus, &c.*

Theodoretus in 7. Daniel. ad vers. 7. *Significat hoc loco fore, vt circiter regni (Romani) finem, decem simul exurgant reges, &c.* Et inferiùs: *Significat, illum, ex decem qui eodem tempore regnabunt, tres reges euersum ire.* Et ad vers. 24. *Perspicuum igitur ita prædicere Danielem, fore, vt decem reges circa finem simul exurgant, & postremus Antichristus exoriatur, regnúmque obtinere contendat: quem cum ipsis bellaturum, ac tres ex ipsis euersurum asserit.* Et in Daniel. 11. ad versic. 4. *Intelligimus in fine Romani regni, decem eodem tempore exorituros Reges: quumque hæc acciderint, ostensurum se virum peccati, filium perditionis, id est, Antichristum.*

Simeon Metaphrastes Commentario de sancto Daniele: *Iam enim in ipso fine Romani Imperij, quod secatur in multos Principatus, dicit quidem fore, vt decem reges simul exurgant: hoc enim significabat visio decem cornuum.* Idem profectò sensus est aliorum omnium cùm veterum, tum recentiorum. Vide Sanderum de Visibili Ecclesiæ Monarchia lib. 8. cap. 6. §. *Scio Fridericum.* Bellarminum lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 5. §. *Denique Ioannes.* & Becanum, cap. 1.

Aliam iam difficultatem iniecit Suarez lib. 5. contra Anglicanos errores, cap. 9. qui agnoscit quidem ex diuinis oraculis, & sensu Patrum constare decem reges in orbe futuros sub aduentum Antichristi, qui Romanum Imperium inter se diuident, & occupabunt: illud tamen esse incertum ab his decem regibus ante aduentum Antichristi funditùs extinguendum Romanum Imperium, ita vt nec res, nec nomen Romani Imperij extet in mundo, quum Antichristus regnare, & præliari aduersus tres illos ex decem regibus incipiat. Nam poterit, inquit, & nomen, & dignitas Romani Imperij in aliquo, vel in aliquibus ex illis decem Regibus perseuerare: ac deinde ab Antichristo penitus de mundo tolli.

Verùm ambiguitatem hanc dispulimus validè superiùs cap. 21. vbi strenuè constituimus non venturum Antichristum, id est, regnum suum & bella aduersus tres reges auspicaturum, nisi excisso prius, & deleto funditus Rom. Imperio, ita vt nec res, nec nomen illius Imperij supersit in mundo, quum regnare incipiet Homo peccati. Atqui omnimodam extinctionem Romani Imperij consummandam & perficiendam esse à decem illis regibus, in quos, prope finem sæculi distrahendum, & diuidendum est illud Imperium, ex diuinis Scripturis, ex sententiis Patrum, ex recentiorum consensu, à cap. 22. huius libri, hucúsque demonstramus. Neque ibit, opinor, inficias Suarez, si illud constet, Romanum Imperium funditus euellendum de mundo ante aduentum Antichristi, patrandum id proculdubio à decem illis regibus. Etsi sacrorum Oraculorum, & Patrum verba, ea de re, quæ fusè in præcedentibus expendimus, attentè inspiciantur, aliud profectò non docent, quàm decem illos reges omninò excisuros Romanum Imperium. Nec vacat nunc iterum cuncta repetere, ac perlibrare: breues aliquot recentiorum sententias, qui id semper ex vaticinis, & Patribus exploratissimum habuerunt, tantùm suppingemus.

Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 5. initio: *Secunda demonstratio*, quod nondum venerit Antichristus, *sumitur ex altero signo antecedente tempora Antichristi, quod erit desolatio omnimoda Romani Imperij. Sciendum est enim Romanum Imperium tandem diuidendum in decem reges, quorum nullus erit, vel dicetur rex Romanorum, etsi omnes occupabunt Prouincias aliquas Romani Imperij: sicut modò rex Galliæ, rex Hispaniæ, regina Angliæ, & fortè aliqui alij tenent partes Romani Imperij: & tamen non sunt Romani reges, vel Imperatores: donec autem hoc non fit, non potest Antichristus venire.* Et inferiùs: *Decem reges qui vno tempore simul regnabunt, ita inter se diuident Romanum Imperium, vt illud penitus destruant.*

Gregorius de Valentia tom. 4. disputat. 11. quæst. 2. punct. 2. §. 3. *Nam ex his locis Daniel. 2. & 7. & Apocalyps. 17. constat, antequam veniat Antichristus, diuidendum esse in decem reges totum Imperium Romanum, qui posteà ab Antichristo partim delendi, partim subiugandi sint: atque ita penitus extinctum iri ante aduentum Antichristi Imperium Romanum.* Et infrà: *Qui decem reges diuident inter*

ter se, vt dictum est, atque adeò extinguent Romanum nomen & Imperium. Itaque per hos decem reges Romanum Imperium penitus abolendum est antequam veniat Antichristus.

Becanus de Antichristo reformato, lib. 2. cap. 1. elucidans illud Apocal. 17. *Hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, &c.* inquit, *Quibus verbis apertè significat Angelus, Romanum Imperium per illos decem reges penitus destructum, ac dissipatum iri.* Et paulò inferiùs; *Constat ergo ex Scripturis, & Ecclesiæ traditione Imperium Romanum tunc euertendum, ac destruendum, quando in decem reges diuidetur.* Et recitato vaticinio Daniel. 7. 24. de decem regibus, subdit: *Ex quibus verbis clarè patet Antichristum venturum post decem illos reges, qui Imperium Romanum inter se diuident: & consequenter post Imperij Romani euersionem.*

Lessius de Antichristo, cap. 14. *Tolletur autem è medio Romanum Imperium per generalem defectionem, seu apostasiam, vt Apostolus loquitur, diuiso Imperio in decem reges, quibus deinde Antichristus, eorum regnis occupatis succedet.* Viderunt planè auctores isti rem ipsam, quàm luculenter: nec est cur in dubium reuocetur.

Nihilominùs ex his quæ in superioribus huius libri largè disseruimus, bifariam possit aliquis intelligere decem reges in orbe futuros sub aduentum Antichristi. Primum, quòd Romana vrbs circa finem rerum in ethnicismum prolapsa, & orbis priscinum Imperium nacta, decem potentissimos reges sibi subiectos sit habitura: qui de improuiso acri rebellione in eam insurgentes, ipsam, cum Imperio Romano funditus perdant, & deleant: quibus regnantibus veniat Antichristus: qui tribus ex illis decem interfectis, reliquos septem sibi adiungat. Quam opinionem, cap. 7. & 8. abundè exposuimus, nec probauimus. Secundò, quod istud Imperium Romanum, quod inde iam ab Augusto per tot casus, & vicissitudines ductum, quod sanè narrauimus, cap. 16. & 17. nunc adhuc subsistit, ac viuit in Germania, rerum potiente Matthia semper Augusto, extinguendum tandem, & abolendum omninò sit, quum decem reges in mundo exsurgent, qui Prouinciis omnibus, quæ vnquam fuerunt Imperij Romani, occupatis, & inter se iure regio distributis, nomen, rem, dignitatémque Imperij Romani, & has quæ modò supersunt in Germania eiusdem Imperij reliquias, penitus de mundo tollant: nimirum vt nullus tunc futurus sit Romanus Imperator, in orbe, nullúmque Romanum Imperium: sed ipsi decem reges regnent simul, & eodem tempore in cunctis prouinciis, quæ quondam fuêre Romani Imperij, non quidem sub nomine Romani Imperij, aut Imperatoris, sed suo, hoc est, vt nullus ex illis decem regibus, se vocet, aut dicat Romanum Imperatorem, vel sub Romano vllo nomine regnet: sed propriè illarum Prouinciarum quas occupabit, rex audiat: vt nunc Rex Galliæ, Rex Hispaniæ, Turcarum Imperator possident Prouincias, quæ olim fuere Imperij Romani: cùm tamen nullus eorum appelletur Romanus Imperator. Atque in hoc statu constitutis rebus, extinctóque omnino Romano Imperio, appariturum Antichristum: qui tres ex illis decem regibus, initio regni sui, concidet: & reliquos septem sibi subiugabit: quæ bella lib. 6. accuratiùs sumus descripturi. Quam sanè explanationem interitus Imperij Romani per decem reges, prope aduentum Antichristi, multis prosecuti sumus superiùs, cap. 20. 21. & seqq. eámque & sacris oraculis, & Patrum traditionibus esse cum primis consentaneam arbitramur.

Exponitur locus Pauli 2. Thessalonicens. 2. vers. 3. Nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, &c.

CAP. XXXII.

VErba quidem sunt obscura, vt fermè omnia quæ diuinus Spiritus de Antichristo dictauit: sed quòd eorum enucleatio ad præsens institutum spectet, cum cura sunt à nobis expendenda. Græca cum articulo emphatico habent: *Si non venerit illa apostasia primum.* Sanctus Ireneus lib. 5. cap. 25. Tertullianus de Resurrectione carnis, cap. 24. pro *apostasia*, legunt, *abscessio.* Sanctus Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 20. cap. 19. S. Beda, Strabus, *refuga.* Ambrosiaster, Erasmus, Sanctes, Vatablus, Guillaudus, Interpretes sancti Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenij, *defectio.* Eodem modo reddit Henricus Stephanus in Lexico. Anselmus Laudunensis notat quosdam codices habere, *dissensio.* Caietanus: *Græca siquidem dictio est apostasia: & significat defectionem, seu rebellionem ab obedientia, statu, professione, Principe, &c.* Erasmus: *Apostasia, quod Ambrosius vertit defectionem: nempe cùm aliquis desciscit à suo auctore, seu Principe.* Vtitur ea voce Plutarchus in Galba sub initium, ἀπὸ Νερωνὸς ἀποστασίαν. *à Nerone defectionem.* Forsterus in Lexico Hebraïco: מֶרֶד *Mered, defectio, desertio: & Paulus vocat ἀποστασίαν defectionem, nempe quando aliquis desciscit à suo auctore, seu principe, 2. Thessalonic. 2. Nisi venerit defectio prius.* Non est dubium Paulum vocabulo apostasiæ voluisse exprimere vim vocis Hebraïcæ *Mered*, quæ defectionem, desertionem, rebellionem significat: vti Mercerus quoque in Thesauro, & Cornelius à Lapide in hunc Pauli locum annotarunt. Vnde Interpres Syrus hîc habet, *Mardutha*, quæ vox propriè deflexa est ex Hebræa *Mered*, vel *Marduth*, eiusdem significationis. At de articulo emphatico hæc obseruat Erasmus: *ἡ articulus additus significat insignem illam, & ante praedictam defectionem.* Cornelius à Lapide: *Scilicet illa insignis, plena, & generalis defectio, & rebellio: (hoc enim innuit articulus ἡ, & generale nomen apostasiæ, quod nulla hîc gentis, aut loci nominatione restringitur, aut determinatur.*

Primus Sensus.

Nonnulli nomine Apostasiæ designatum putant ipsummet Antichristum, qui emphaticè & per antonomasiam appellatus sit à Paulo, illa Apostasia, quia tantus, támque immanis & impius erit apostata, vt nedum apostata, sed ipsa Apostasia meritò dici queat: vt illud Latinè, Non Sceleſtus, sed ipsum Scelus: nullus enim tam insano furore, tam efferata superbia aduersus Deum se se extulit, vt Antichristus faciet, qui se verum Deum immensa impietate iactabit; vel metonymicè, quod nullus tot, tantósque à Fide Christi apostatare, id est, descíscere, vnquam fecit, vt Antichristus, qui maximam omnium quotquot vnquam fuerunt, à vera Dei Fide, & Religione, seu à vero Deo defectionem inducturus est, Auctor, Dux, Princeps

ſummæ cuiuſdam & generaliſſimæ apoſtaſiæ. Sanctus Chryſoſtomus: *Quid eſt quod defectionem hîc vocat? Antichriſtum ipſum vocat defectionem, tanquam plurimos perditurum, & abducturum. Ita, inquit, vt offenderentur, ſi poſſibile eſſet, & electi.*

Theodoretus: *Defectionem ipſum vocauit Antichriſtum, à re ipſa ei nomine impoſito: conatur enim à veritate abducere, & efficere vt deficiant.*

Theophylactus: *Non aderit aduentus Domini, niſi venerit diſceſſio, ſiue defectio, id eſt, Antichriſtus. Defectionem enim ipſum vocauit, cùm reuerà ſit, quippè qui multos faciet deficere: etiam electos, ſi fieri poſſit.*

Oecumenius: *Defectionem dicit ipſum Antichriſtum, quòd multos ſeparaturus eſſet à Chriſto.*

Sanctus Auguſtinus lib. 19. de Ciuit. Dei, cap. 19. *Nulli dubium eſt, eum* (Paulum) *de Antichriſto iſta dixiſſe, dièque Iudicij. Hunc enim appellat diem Domini non eſſe venturum, niſi ille prior venerit, quem refugam vocat, vtique à Domino Deo. Quòd ſi de omnibus impiis meritò dici poteſt, quanto magis de iſto?*

Auctor Commentariorum in omnes Epiſtolas Pauli, nomine S. Hieronymi, quem conſtat Pelagianum, vel Pelagium ipſum fuiſſe, (de quo vide Caſſiodorum in diuinis Lectionibus, cap. 8. Marianum Victorium, Sixtum Senenſem, Bellarminum, Poſſeuinum) in 2. Theſſal. 2. num. 7. *Quoniam niſi venerit diſceſſio primùm: niſi Antichriſtus venerit, non veniet Chriſtus. Quod autem diſceſſionem hîc dicit, alibi refugam appellauit. In Latinis exemplaribus vtrumque ita intelligendum eſt, quòd niſi venerit refuga veritatis, ſiue ſui principatus deſertor: ſiue diſceſſio gentilium à regno Romano, ſicut in Daniele per Beſtiæ imaginem dicit.* Eadem totidem verbis habet Sedulius. Eundémque ſenſum diſertè probant Otho Friſingenſis lib. 8. Chronicorum, cap. 2. Hugo Etherianus libro de Regreſſu animarum ab Inferis, cap. 23. Et ex recentioribus, Gagneius, Guillaudus, Sà in 2. Theſſal. 2. & Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 2. Suarez lib. 5. contra Anglicanos errores, cap. 10. & alij. Atqui iuxta hunc ſenſum coniunctio, *&*, quum dicitur: *Et reuelatus fuerit homo peccati*, pro, *id eſt*, poſita erit: ac ſi dicat: *Niſi venerit illa Apoſtaſia, & , id eſt, reuelatus fuerit homo peccati, &c.*

II. Alij verò diſceſſionem, ſeu defectionem hîc interpretantur generalem ab Imperio Romano ſæculari, & temporali abſceſſionem, quum ſcilicet omnes Prouinciæ, gentes, nationes, quæ olim, aut vnquam ſubiectæ fuêre Imperio Romano, deſciſcent, & deficient ab eo: nimirùm quum in Romano Imperio tandem exorientur decem illi, de quibus tam multa hactenus diximus, reges, qui Prouincias omnes & terras Imperio olim ſubiectas occupabunt, & inter ſe diuident, atque à Romano Imperio abſtrahent, & auellent, quorum nullus ſe Romanum Imperatorem, aut Regem appellabit, extinctis prorſus re, & nomine Imperij Romani, vti in ſuperioribus abundè demonſtrauimus. Et quamuis cernamus multis iam retro annis plures gentes, & Prouincias à Romano Imperio diſceſſiſſe, ſuóſque reges peculiares Romano Imperio haudquaquam parentes habere, vt Galliam, Hiſpaniam, Africam, Ægyptum, & totum Orientem: at cùm adhuc ſtet, duretque ipſum idem Imperium Romanum in Germania: retinet nihilominùs adhuc etiam nunc multas, magnáſque prouincias, & vrbes in fide & obedientia. De qua re vide Munſterum lib. 3. Coſmographiæ, pag. 319. & ſeqq. Saltem Germania ipſa ingens prouincia ſedes & caput eſt nunc Romani Imperij: vult igitur Paulus adſtruere, priùs futuram omnimodam defectionem omnium nationum & prouinciarum ab Imperio Romano, quæ, vti prædiximus, fiet per decem reges vltimi temporis, itavt nulla gens, aut prouincia eidem Imperio ſubiecta ſuperſit, ſed ipſum Imperium penitus auferatur de mundo, & tunc venturum Antichriſtum, ac deinde Dominum ad Iudicium. Itaque Apoſtolum hîc præfixiſſe aiunt duo certiſſima ſigna antecedentia ſupremum illum Domini diem, Primum, defectionem à Romano Imperio, ſeu eius Imperij omnimodam extinctionem, illis verbis: *Niſi venerit diſceſſio primum.* Secundum, Aduentum Antichriſti, quum ait: *Et reuelatus fuerit homo peccati.* Et illud primum ſignum præceſſurum haud dubiè hoc ſecundum, vti, ordine ea Paulus commemorat, & vti copiosè in ſuperioribus oſtendimus. In hunc modum veteres aliquot locum hunc Pauli intellexiſſe conſtat.

Tertullianus de Reſurrectione carnis, cap. 24. *Quoniam niſi veniat abſceſſio primò huius vtique regni* (Romani,) *& reueletur delinquentia homo, id eſt, Antichriſtus, filius perditionis, quia aduerſatur, & ſuperextollitur in omne quod Deus dicitur, vel religio, vti ſedeat in templo Dei, adfirmans Deum eſſe. Nonne meminiſtis, quòd quum apud vos eſſem, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat, ſcitis, ad reuelandum eum in ſuo tempore. Iam enim arcanum iniquitatis agitatur: tantùm qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat. Quis, niſi Romanus ſtatus? cuius abſceſſio in decem reges diſperſa Antichriſtum ſuperducet. Et tunc reuelabitur ille Iniquus, &c.*

S. Hieronymus epiſt. 151. ad Algaſiam, quæſt. 11. *Niſi, inquit, venerit diſceſſio primùm, quod Græcè dicitur ἀποστασία, vt omnes gentes, quæ Imperio Romano ſubiacent, recedant ab eo: & reuelatus fuerit, id eſt, oſtenſus, quem omnium Prophetarum verba pranuntiant, homo peccati, in quo fons omnium peccatorum eſt: & filius perditionis, id eſt, diaboli: ipſe eſt enim vniuerſorum perditio: qui aduerſatur Chriſto, & ideò vocatur Antichriſtus, &c. Niſi, inquit, fuerit Romanum Imperium ante deſolatum, & Antichriſtus præceſſerit. Chriſtus non veniet, &c.*

Hieronymiaſter in 2. Theſſal. 2. num. 7. *Niſi venerit diſceſſio gentium à Regno Romano, ſicut in Daniele per Beſtiæ imaginem dicit, non veniet Chriſtus.*

Ambroſiaſter in Theſſal. 2. *Quoniam niſi venerit defectio primum & reuelatus fuerit homo iniquitatis, filius interitus. Tempus & ſigna aduentus Domini deſignauit: quia non priùs veniet Dominus, quàm regni Romani defectio fiat, & appareat Antichriſtus.*

Sedulius in 2. Theſſalon. 2. *Niſi venerit diſceſſio gentium à Regno Romano, ſicut in Daniele per Beſtiæ imaginem dicitur: non veniet Chriſtus.*

Primaſius in 2. Theſſalonic. 2. *Niſi venerit diſceſſio primùm: Diſceſſio gentium à Romano Imperio: ſicut in Daniele per Beſtiam, & imaginis figuram monſtratur.*

Rabbanus Opuſculo de Antichriſto: *Inde ergo dicit Apoſtolus Paulus Antichriſtum non antea in mundum eſſe venturum, niſi venerit primum diſceſſio: hoc eſt, niſi diſceſſerint omnia regna à Romano Imperio, quæ priùs ſubdita erant.*

Haymo in 2. Theſſal. 2. *Quoniam niſi venerit diſceſſio primum: vt diſcedant omnia Regna à Regno & Imperio Romanorum.*

Strabus Monachus in 2. Theſſalon. 2. *Quoniam niſi venerit diſceſſio primùm. Occultè loquitur de deſtructione Imperij Romani, ne irritaret eos ad perſecutionem Eccleſiæ.*

Sanctus Anſelmus in 2. Theſſal. 2. *Niſi venerit diſceſſio*

discessio primùm : vt omnes gentes quæ Romano Imperio subiacent, discedant ab eo. Nisi ita fuerit Romanum Imperium antea desolatum, & Antichristus ita manifestus præcesserit, Christus non veniet.

Anselmus Laudunensis in 2. Thessalonicens. 2. *Quoniam nisi venerit discessio primùm. Sed non instat dies Domini, nisi priùs gentes à Romano discedant Imperio.*

Eandem interpretationem amplectuntur Engelbertus Abbas Admontensis lib. de ortu & fine Romani Imperij, cap. 8. & Augustinus Triumphus de Potestate Ecclesiastica, quæst. 21. art. 4. quorum verba mox in III. sensu describemus. Nicolaus Gorranus in 2. Thessalon. 2. Et ex recentioribus, Caietanus, Treius, Gagneius, Titelmanus, Sà, Cornelius à Lapide in 2. Thessalon. 2. Sotus 4. sentent. distinct. 46. quæst. 1. art. 1. Sonnius lib. 2. Demonstrationum Christianæ Religionis, tract. 6. cap. 9. Driedo lib. 3. de Ecclesiasticis Scripturis, c. 5. part. 2. Ederus lib. 4. Oeconomiæ Bibliorum, Tabula 100. Sanderus de visibili Ecclesiæ Monarchia, lib. 8. cap. 13. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 2. Ioannes Ferdinandus in Thesauro Scripturarum, verbo, *Antichristus*, num. 3. Lessius de Antichristo, cap. 14. Becanus de Antichristo reformato, lib. 2. cap. 1. Suarez lib. 5. contra Anglicanos errores, cap. 10. Gregorius Valentia tom. 4. disp. 11. quæst. 2. punct. 2. §. 3.

Hîc tamen sensus quibusdam non admodum probatus est. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 56. sect. 2. sub initium, expendens fundamenta, quibus in Scriptura niti possit, Romanum Imperium extinguendum sub aduentum Antichristi, ait: *Primum fundamentum est illud 2. Thessalon. 2. Nisi venerit discessio primùm. Quod de euersione Romani Imperij interpretatur Hieronymus, Ambrosius, Primasius, & Tertullianus. Hoc verò nullius momenti esse videtur, primò quia, vt sæpè dictum est, hic locus melius intelligitur de spirituali discessione, & apostasia à Fide, & à spirituali Imperio Romani Pontificis, &c.* At quomodo potest nullius momenti illud fundamentum videri, quod ei innititur interpretationi, quam tot Veteres & Recentiores, vti vidimus commendant? Sanè non tot auctores pro altera illa de spirituali discessione numerare poterit Suarez.

Benedictus Iustinianus in 2. Thessalonicens. 2. *Non desunt qui defectionem à Romano Imperio significari hic putent. Sed parum, vt arbitror, ad rem: quampridem enim Romanum Imperium in eas angustias redactum est, vt vix tenuem quandam vmbram Imperij retineat?*

Guillielmus Estius in 2. Thessalonic. 2. *Discessionem igitur multi interpretantur eam, qua omnes gentes Romanorum Imperio subiectæ, ab eo recedant. Sed aliis non placet hæc interpretatio: primùm quoniam vti testatur Thomas, & Lyranus, & res ipsa probat, iam olim à Romano Imperio gentes quotquot ei subiectæ erant, desciuerunt: solumque penè Nomen Imperij Romani hodie reliquum habemus; nec tamen venit Antichristus, quem venturum statim post apostasiam Apostolus significat.* Subdit alia leuiora argumenta, quibus eam expositionem de apostasia ab Imperio Romano conuellat. At copiosè nimis in superioribus demonstrauimus, Imperium Romanum non esse prorsus extinctum, nec penitus ab eo omnes gentes defecisse, quum subsistat, vigeatque adhuc hoc tempore in Germania. Vide seorsim cap. 20.

III. Illa quoque celebris habetur huius loci explanatio, quæ apostasiam, seu discessionem, intelligit discessionem, seu defectionem maximam, & penè vniuersalem omnium gentium & nationum à Fide Christi, & ab obedientia & subiectione Romani Pontificis, Christi Vicarij. Existimant enim multi prædixisse hîc Paulum, prope finem sæculi, antequam Christus Dominus ad Iudicium veniat, immanem quandam, ac maximam omnium, quæ vnquam fuerunt, futuram apostasiam à Fide, ab Ecclesia, à Romano Pontifice, quum innumerabiles populi & nationes descissent à Christi Religione, & summo Pontifice. Auctores huius interpretationis sunt non pauci.

S. Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 15. *Quòd nisi priùs venerit discessio, & reuelatus fuerit homo peccati. Nunc verò defectio est: defecerunt enim homines à recta Fide, ita vt alij quidem Hyopatorian, hoc est, Patris in Filium mutationem prædicant; alij verò Christum ex non existentibus adesse deductum dicere audent. Defecerunt homines à veritate, & pruriunt auribus; defecerunt plurimi à bonis operibus: & videri potiùs quàm esse boni malunt. Hæc est igitur defectio, & expectandus est ille inimicus.*

Strabus: *Vel hoc dicit de spirituali Imperio Romanæ Ecclesiæ, vel de discessione à Fide.*

S. Anselmus: *Nisi venerit discessio primum, siue vt multitudo Ecclesiarum discedat à Pontifice Romano: aut multitudo hominum discedat à Fide.*

S. Thomas Cantuar. epist. ad Episcopos Angliæ: *Stabit Ecclesia, etsi sæpiùs concussa, in ea fortitudine & firmitate in qua fundata est, donec veniat generale dissidium, donec filius ille perditionis surgat.* Eandem explanationem amplectuntur S. Thomas Aquinas, Engelbertus, Lyranus, August. Triumphus, Nicolaus Gorrannus. Ex recentioribus, Titelmannus, Gagnæsius, Iustinianus, Estius, Cornel. à Lapide in 2. Thess. 2. Sonnius lib. 2. tract. 6. cap. 9. Sotus 4. sent. dist. 46. q. 1. art. 1. Ederus lib. 4. Oeconomiæ Bibliorum. Tabula 100. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. c. 2. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 54. sect. 6. & disp. 56. sect. 2. & lib. 5 contra Anglicanos errores, c. 10. Alcasar in 14. Apoc. notat. 2. Huc pertinere putant illud Lucæ 18. 8. *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inueniet Fidem in terra?* Et 1. Timoth. 4. 1. *In nouissimis temporibus discedent quidam à Fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* Et in 2. Timoth. 3. 1. & 8. *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines corrupti mente, reprobi circa Fidem.*

Quidam hanc tertiam expositionem cum secunda coniungunt, & vtramque simul Paulum intellexisse volunt discessionem, nempe ab Imperio, & à Fide. Engelbertus Abbas Admontensis lib. de ortu & fine Rom. Imper. c. 8. *Appropinquante tempore aduentus Antichristi, veniet discessio primùm regnorum omnium ab Imper. Rom. deinde Ecclesiarum ab obedientia Sedis Apostolicæ: & vltimo fidelium à Fide.* Augustinus Triumphus de Potest. Ecclesiast. q. 21. art. 4. *Ante Antichristi aduentum erit triplex in mundo discessio: quia primò erit omnium hominum separatio à Rom. Imper. Secundò, erit multarum Christianorum discessio à Fide Catholica: Tertiò, erit separatio multarum Ecclesiarum à Rom. Pontifice.* Cornel. à Lapide in 2. Thess. 2. *Nisi venerit discessio primùm. Scilicet illa insignis, plena, & generalis defectio & rebellio, qua scilicet, pleraque & passim omnes gentes discedent, & deficient tum à Romano Imperio: tum consequenter à Romano Pontifice, & Ecclesia.*

At hic exoriuntur duo dubia: Alterum, an hæc tam ingens apostasia à Fide sit antè cessura Antichristum: an verò per ipsum perficienda. Engelbertus, Triumphus, Estius anteceſſuram putant:

At Sotus, Bellarminus, Iustinianus ab Antichristo potiùs patrandam existimant. Quod est sanè multò probabilius: nam multæ certè maximæ eiusmodi à fide discessiones præcesserunt in mundo, vt Arianorum, Mahometanorum, Græcorum, Lutheranorum, Caluinistarum, cùm tamen nondum venerit Antichristus. At quum venerit Antichristus, fiet generalior & vniuersalior, ac planè maior omnibus quæ vnquam contigerunt, à Fide & Religione Christiana defectio, quam ipse Homo peccati inducet. Alterum dubium est, num per tam immanem à Fide defectionem, sit Fides & Religio Christiana, atque Ecclesia Dei funditus in mundo peritura. Verùm nihil tale vnquam Orthodoxo alicui in mentem veniat: non deseret penitus Christus tunc suam Ecclesiam: erit, & stabit dum erunt res humanæ: nec adeò extremè in eam sæuiet Antichristus, vt extirpet, aut tollat omninò: non enim poterit, *Nec portæ Inferi aduersus eam prævalebunt.* Dicemus de his pleniùs lib. 6. cap. 22.

IV. Franciscus Ribera in 12. Apocal. num. 14. Discessionem hîc exposuit, insignem illam Romanæ vrbis apostasiam à Fide, & suo Pontifice: quando prope finem sæculi, ante Antichristi aduentum, Roma eiurata Christiana Religione, & profligato suo Pontifice, atque eiecta, & dissipata sancta Ecclesia, ad Paganismum, & impium Deorum cultum relabetur: atque pristinam magnitudinem Imperij recuperabit: quo tempore decem illi reges deficient ab ea, in eámque rebellabunt, & funditus deuastabunt. Ergo cùm Romæ illam à Fide, tum decem regum à Roma defectionem arbitratur Ribera à Paulo nomine apostasiæ, seu discessionis intellectam. Facilis & accommodata expositio, si vera fuisset, & certa. Verùm nostrum de ea iudicium habes suprà cap. 7. & 8.

Tres priores Paulini loci sensus à nobis hîc allatos, vt rectos & germanos suscipimus & exosculamur: sed tamen secundum aliis meritò præferimus, quod & numero, & grauitate auctorum, & rationum pondere vincat, & antecedentibus, & consequentibus rectiùs connectatur: atque mirificè cum aliis diuinis oraculis de interitu Imperij Romani prope aduentum Antichristi inueniat. Vide Martinum Becanum de Antichristo reformato, lib. 2. cap. 1. iuxta quem sanè sensum Paulus extinctionem, seu defectionem Romani Imperij, atque discessionem eius in decem illos, quos sæpe diximus, reges, certissimum & proximum signum iamiam aduenientis Antichristi præmonstrauit.

Opportuna Obseruatio.

Non est leui consideratione prætereundum, quòd sancta Orthodoxa Romana Ecclesia non alia potissimum ratione videtur in die sancto Parasceues orare publicè pro Imperio Romano, solemni illa precatione: *Omnipotens sempiterne Deus, respice ad Romanum benignus Imperium, &c.* Nisi quia certò persuasum habet, quamdiu steterit hoc, quod adhuc nunc in Germania perstat Romanum Imperium, siue deinceps in ea prouincia, siue in alia maneat: nullo pacto timendum esse aduentum Antichristi, & rerum finem. Ob quam etiam causam antiquos Christianos orare olim solitos pro stabilitate, & diuturnitate Romani Imperij, etiam ethnici & Ecclesiæ hostis, suprà cap. 18. ex Tertulliano, Lactantio, S. Optaro, & aliis vidimus.

DE.

DE

ANTICHRISTO

Liber VI.

DE REGNO, BELLIS, ET MONARCHIA ANTICHRISTI.

Antichriſtum non venturum ex Italia, neque inde Regnum auſpicaturum: locúſque inſignis ex Numeris elucidatur.

FRANCISCVS Georgius Harmonia Mundi Cantico 2. Tono 2. cap. 17. Antichriſtum ex Italia venturum diſertè affirmat, inducens ad id probandum ſingularem locum ex libro Numerorum: ſic enim ait: *De quo Antichriſto Moſes Numerorum 24. verſ. 24. inducit Bilhan vaticinantem in huiuſmodi verbis*: Hoi mi jichjeh mi ſumo El: vetzim mijád Chittim, ve inu Aſſur: ve inu Eber: ve gam huadai obed. *Quod ad verbum traductum, dicit: Heu quis viuet ab eo, id eſt, à facie eius, qui poſitus eſt contra Deum? Et naues de littore Italiæ, ſupple venient, & affligent Aſſyrium, & affligent Hebræum: & etiam ipſe tandem peribit. Eleuabitur enim abominabilis, & affliget potiſſimè Aſſyrios, & Hebræos, vbi reſidebit: & conſequenter affliget quoſcumque potuerit ſtrage, & tribulatione magna, vt etiam infallibilis veritas proteſtata eſt, dicens: Erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modò, neque fiet. Quæ apertè innuunt, nunquam acriorem hoſtem in Chriſtum, & Deum, & ſalutem noſtram inſurrexiſſe, aut inſurrecturum. Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, &c.* Et in indice operis habet: *Antichriſtus ab Italia venturus prædicitur.* Vide infrà lib. 8. cap. 16. Verba Balaam in vulgata editione ſunt: *Heu quis victurus eſt, quando iſta faciet Deus? venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabúntque Hebræos: & ad extremum etiam ipſi peribunt.* Sed vt futilitatem opinionis Georgij traducamus, age iam locum difficilem cum cura elucidemus. Hebræa Sanctes ita reddidit: *Væ, quis viuet poſtquam deſolauerit eum Deus? Et naues de littore chittim, & affligent Aſſur, & affligent Heber: & etiam ipſe in ſæculum perit.* Vatablus in editione Sanctandreana: *Væ, quis viuet quum ſtatuerit iſtud? (ad verbum, à ponendo eum iſta, vel, in ponendo iſtud, id eſt, quis viuere poterit, ex quo euenire fecerit iſta Deus? Relatiuum* אל *el pro* אלה *Elleh, loco antecedentis quod ſequitur.) Et naues de littore Chittim, & affligent Aſſur, affligent quoque Eber: & etiam illud vſque ad perditionem: vel, etiam ille vſque ad perdentem.* Leo Iudas: *Heu quis viuet, quum Deus id fecerit: Et naues ex partibus Chittim affligent Aſſur, deinde affligent & Eber, qui & ipſe perpetuò peribit.* Montanus: *Væ, quis viuet à ponendo eum iſta?* (Scholiaſtes Pagnini, *poſtquam poſuerit iſtud Deus?*) *Et naues de manu chittim, & affligent Aſſur, & affligent Heber: & etiam ipſe vſque ad perditionem.*

Illud hîc difficultatem habet משומו אל *miſumò el*, ad verbum, *à ponere eum Deus*? (Fortis, Potens.) Quidam *el*, non pro Dei nomine, ſed pro pronomine, *iſtud*, vel *iſta*, acceperunt. Ita Vatablus & Montanus. Georgij verſio, *ab eo qui poſitus eſt contra Deum*? Rectè Antichriſto conuenit: ſed eſt alieniſſima à verbis Hebraïcis. Nos ad verbum ita reddimus: *Hoi (heu, væ aut, ô) quis viuet à ponere ipſum (eum) Deus?* (Fortis, Potens,) vel *iſtud, aut iſta:* id eſt, quando ponet, aut faciet iſta Deus? Particula *Hoi*, poteſt eſſe exclamantis, & dolentis. Heu quis deſideret viuere tam funeſto, & tantarum cladium tempore? quando Deus tam clara euertet Imperia? ac tot ſtrages regnorum dabit? Ita Lyranus, Toſtatus, Oleaſtrius, Cornelius à Lapide; vel, ô quis tamdiu viueret, vt ad ea tempora peruenire poſſit, in quibus hæc tanta quæ vaticinor, patraturus eſt Deus? Quaſi dicat: Ea de quibus nunc prædico, longiſſimè abſunt à noſtro æuo. Prænuntio multis poſt ſæculis futura. Hunc ego ſenſum prætulerim, quem tamen Oleaſter poſtponit. *Et Tzim de manu Chittim: & humiliabunt (affligent, oppriment) Aſſur: (Aſſyrios) & humiliabunt (affligent* oppriment) *Heber (Hebræos:) & etiam ipſe vſque ad perditionem:* ſiue, *ipſe tandem*, vel, *perpetuò, æternùm, omninò, prorſus, periens:* vel, *peribit:* Magnam obſcuritatem vaticinio offundunt duæ illæ voces Hebraïcæ Tzim, & Chittim, quorum genuinum ſignificatum & vſum in Scriptura operæ pretium erit expedire, alioqui ignoratis vocabulis, difficile fuerit germanum ſenſum eruere.

Quid

Quid sint in Scriptura צים *Tzim, vel* ציים *Tzijim.*

CAPVT PRIMVM.

VTroque modo reperitur hæc vox scripta in ipso Bibliorum Hebraïco Fonte, & cum simplici ' *iod*, צים *Ttzim*: & Iod geminato ציים *Tziim*, & vtroque modo constat esse pluralem. Nouies occurrit in Scriptura, & variè ab Interpretibus explicatur. Isto Numerorum loco, Chaldæus Paraphrastes, Rabbini fermè omnes, vt Saadjah, Aben-Ezra, Salomoh, Kimchi, recentiores Reuchlinus, Sanctes, Steuchus, Pellicanus, Tremellius, Iunius, Vatablus, Forsterus, Oleastrius, Mercerus, Auenarius, Marinus, Leo Iudas, Buxtorfius, & alij, *naues* exponunt, eodem omnino sensu quo Vulgatus, qui *trieres*, vel triremes dixit, vt etiam Ezechielis 30. 9. vbi etiam omnes, *naues*, interpretantur, quibus duobus tantùm locis ponitur *Tzim* cum vnico Iod. De trieri, vel triremi vide pluribus Lazarum Bayfium in re nauali: cum quo tamen de trieri latè altercatur Scaliger in Eusebianis ad numerum MCCXXX. consule quoque Excerpta Caroli Stephani ex Bayfio, & aliis de Trieri. Ridiculè Schindlerus in hoc Numerorum loco reddidit: *Et Æthiopes ex manu Chittim.* Portò Psalm. 71. 9 LXX. & S. Hieronymus *Æthiopes* verterunt: *Coram illo procident Æthiopes:* vbi Rabbini, Himmanuel, Aben-Ezra, Moseh, Kimchi, Dauid de Pomis intelligunt, *gentes deserta & arida loca incolentes*, seu inhabitantes. Sanctes, *habitatores-deserti.* Caietanus, *eremitæ*, Forsterus, *homines-qui sicca-loca-inhabitant.* Aben Ezra, & Felix Pratensis, *nautæ* Tremellius & Iunius, *barbari:* vel, *sicci, id est, sitientes, deserti incolæ, agrestes, atque indomiti.* Pellicanus, *incolæ deserti.* Oleastrius, *homines-deserti*: aut potiùs *maritimi*, seu, *insulares.* Leo Iudas, *accolæ-deserti.* Vatablus in editione Sanctandreana. *Habitatores deserti. Æthiopes. Quidam nauas interpretantur. Alij vocem Hebræam Tziim relinquunt. Alij vertunt, sicci, id est, sitientes, deserti incolæ, agrestes, & indomiti.* Marinus, *aridi.* Auenarius, *accolæ-deserti: id est, habitantes in insulis.* Montanus, *solitudinicolæ.* Genebrardus, *squallentes, qui habitant in locis squallentibus, aridis, & desertis, deserti incolæ.* Schindlerus, *incolæ-siccitatis, aut desertorum, quales sunt Æthiopes, & alij.* Buxtorfius: *Feri, barbari, desertorum locorum incolæ.* Mirum quod Nebiensis ait, *populi:* & quod Chaldæus, *proceres.*

Psalm. 73. 14. LXX. & S. Hieronymus iterum *Æthiopes. Dedisti eum escam populis Æthiopum.* vbi Aben-Ezra, *populo incolentibus deserta*, seu *aridam.* Rabi Moseh, *populo iis qui habitant in ariditate: hoc est, in terra arida & sicca, id est, in terra, quod respectu maris dictum est.* Complutenses, *populo nauium, id est, nautis.* Caietanus, *populo siccis:* appositiuè. Sanctes, *populo deserta incolenti:* ita etiam Leo Iudas, & Oleastrius. Forsterus, *populo nauium*, seu *siccitatum.* Vatablus, *populo in desertum*; *subaudi, proficiscenti*; *nempe populo Israëlitico:* vnde Chaldæus habet, *populo domus Israël.* Tremellius & Iunius, *populo desertorum:* vel, *per deserta proficiscenti.* Pellicanus, *populo incolenti desertum.* Auenarius, *populo insulanis.* Marinus, *populo aridis*; vel *aridorum.* Montanus, *populo solitudinicolis.* Campensis, Gagneius, Iansenius, *populo feris*, seu *coruis.* Buxtorfius, *populo desertorum locorum*, vel *populis barbaris:* cum vulgato & LXX. *Æthiopes*, hìc reddunt Nebiensis, & Schindlerus.

Isaiæ 23. 13. Vulgatus, in *captiuitatem:* iunxítque sequentibus: *Assur fundauit eam: in captiuitatem traduxerunt robustos eius:* vbi S. Hieronymus in Commentario: *Fundauit eam Siim. Siim etymologiam nec nos potuimus inuenire: & ceteri interpretes ipso quo apud Hebræos scribitur nomine transtulerunt.* Nempe LXX. Aquila, Symmachus, Theodotion, qui vocem ipsam Hebraïcam *Tziim* ininterpretatam reliquerunt. Complutense Lexicon verò, Sanctes, Vatablus, Forsterus, Oleastrius, Forerius, Marinus Schindlerus secuti Kimchiũ, *Assur fundauit eam nauibus*, vel *ad naues*; id est, vt esset statio, seu portus nauium Tremellius & Iunius: *Assyrius fundauit eam pro barbaris: id est, statuit in ea colonos barbaros, regioni incognitos.* Pellicanus: *Assur fundauit eam pro erroribus: id est, erit habitaculum eorum animalium quæ nonnisi in solitudine residents, & morantur, Satyrorum scilicet, & ericiorum, &c.* Leo Iudas, *Assur fundauit eam eis, qui vasta loca inhabitabant.* Quod in Scholiis Vatabli Salmanticensibus ita exponitur: *id est, Assyrij construxerunt in ea Chaldæa vrbes iis, qui prius in deserto sub tentoriis habitabant.* In Sanctandreanis verò: *Alij, deserti incolis, siue iis qui habitabant in desertis. Id est, in ea terra condiderunt vrbes, in quibus cœperunt habitare homines, qui antea habitare solebant in desertis.* Auenarius, *Assur fundauit eam (terram) pro his qui habitabant insulas.* Montanus, *Assur fundauit eam desertícolis.* Et in Commentariis: *Tsiim naues piraticas, & prædonum, atque piscatorum nauigia significat.* Buxtorfius: *Assur fundauit eam pro barbaris.* Aben-Ezra: *Assur posuit eam pro bestiis*, id est, vt esset habitaculum bestiarum. Sanctus verò Hieronymus in Comment. *Siim quos intelligo dæmones pessimos, &c.* Chaldæus, *ad insulas.*

Isaiæ 13. 21. Noster, *Bestiæ*: & *requiescent ibi Bestiæ*: vbi S. Hieronymus: *Tziim, quod soli Septuaginta θηρία, id est, bestias transtulerunt: alij nempe Aquila, Symmachus, ac Theodotion ipso nomine, quod apud Hebræos scriptum est: volentes genera dæmonum intelligi, vel phantasmata.* Complutense Lexicon, *animalia monstrosa*: seu *Bestiæ-feræ.* Sanctes, *& cubabunt ibi bestiæ-silvestres.* Forsterus, *& cubabunt ibi animalia-terrestria in siccitatibus.* Vatablus, & Forerius, *& accubabunt ibi feræ.* Oleastrius, *& cubabunt ibi aues deserta incolentes.* Vatablus, *alij*, inquit, *exponunt, bestias horrendas.* Auenarius, *& cubabunt ibi insulani.* Montanus: *Hebraicum nomen Tziim animalia siccitate gaudentia significat, cuiusmodi simiæ sunt.* Marinus, *& cubabunt ibi aridi*, seu *bestiæ-aridæ.* Buxtorfius, *& cubabunt ibi animalia fera.* Tremellius & Iunius: *sed recubabunt illic feræ*: vel, *deserta, id est, desertum colentia.*

Isaiæ 34. 14. Vulgatus, *dæmonia. Et occurrent dæmonia.* Ita quoque LXX. Interpretes. Sanctus Hieronymus in Comment. putat significari diuersa dæmonum phantasmata. Sanctes, & Vatablus & Auenarius, *bestiæ-silvestres.* Forsterus, *animalia, terrestria in siccitatibus.* Marinus, *aridi*, seu *animalia arida incolentia.* Leo Iudas, *spiritus horrendi.* Montanus, *martes*, quos Hispani vocant *Martas.* Et in Commentariis annotat: *Ex linguæ obseruatione, ac naturæ descriptione idem est Tsiim, quod Latinis viuerra, quæ per angustos cuniculos penetrans, latentem prædam, vel extrahit, vel protrudit. Hispanicè huron.* Reuchlinus quod Hebraïcè est: *& occurrent Tziim ad im* vertit, *& apprehendent naues insulas.* Tremellius

lius & Iunius : *Et concurrent fera animalia.*

Ieremiæ 50. 39. Noſter, *Dracones. Habitabunt Dracones.* LXX. *ſpectra, phantaſmata.* Sanctes, Vatablus, Maldonatus, Capella, Caſtrus, *beſtiæ*, ſeu *feræ ſilueſtres.* Vatablus annotat : *Quidam vertunt, Satyri ; alij, Beſtias deſertum incolentes.* Oleaſtrius, *aues deſerta incolentes.* Tremellius & Iunius, *Fera.* Pellicanus, *Satyri.* Auenarius, *inſulani.* Marinus, *aridi*, vel, *animantia-arida-incolentia.* Buxtorfius, *animalia-fera.* Figuerius hîc annotat : *Hebr. Tſiim. Paraphraſtes Chaldæus, Thamvaon, Rabbi Elias generaliter exponit beſtias ſilueſtres, ſeu deſerti : vt etiam Rabbi Dauid, & Scelomoh : vnde etiam D. Hieronymus Iſaiæ 13. ſimpliciter beſtias vertit. Rabbi Dauid quoſdam interpretari ait, beſtias paruas, aluris, ſeu felibus ſimiles, vulgo dictas Martinas. Intelligit autem cercopithecos, ſeu cebos, id eſt, Simias caudatas: quas etiam vulgo cattos vocamus.* Dauid de Pomis elucidans quid Chaldæo ſit *Thamuaon*, inquit : *Satyrius, ſiue Cercopithecus. Gattomaimone.* Guido Fabricius : *Tamuaon, & in Complutenſi Thimuaon ſunt animalia, quæ ſatyrios, ſiue cercopithecos appellant, genus caudatæ ſimiæ.*

Denique Ezechielis 30. 9. & Daniel. 11. 30. tam Hebræi quàm noſtri reddiderunt, naues, ſeu trieres : ſed in locum Ezechielis hæc obſeruat ſanctus Hieronymus : *Iuxta Aquilam & Theodotionem Tziim, quod Symmachus tranſtulit feſtinantes, nos in trieres vertimus: ita enim ab Hebræis accepimus.* Theodoretus legit & exponit : *Egredientur nuntij à facie mea in Sim, feſtinantes delere Æthiopiæ ſpem : Sim autem Græca lingua, in robore, declaratur.* Sed vnde accepit Theodoretus *Tziim* robur ſignificare?

Iam quæ de vocis *Tziim* etymo, & vſu alij tradiderint, reddamus. Reuchlinus in Lexico : *Tziim ſignificat & ſolitudinem, & ſiccitatem, ſecundùm præceptorem meum Iehielem.*

Alfonſus Zamorenſis in Lexico : *Tſiim, vel Tſim, naues, trieres, Æthiopes, dæmonia, vel beſtiæ feræ.*

Forſterus in Dictionario : *Tziih, ſiccitas, quæ prouenit ex æſtu, & ardore ſolis. Tzi, nauis, quia eſt pars ſicca, & ceu inſula in mari. Et pluraliter Tziim Iſaiæ 23. Aſſur fundauit eam nauibus. Daniel. 11. venient contra eum naues ex Cithim : legitur tamen bis ſimplici Iod Tziim : Numeror. 24. Et naues de littore Macedoniæ. Et Ezechiel. 30. Egredientur nuntij à facie mea in nauibus. Et tranſumptiuè ſiue ſynecdochicè vſurpatur Tziim pro hominibus qui ſicca loca inhabitant. Pſalm. 72. Coram illo curabunt ſe Tziim Et Pſalm. 72. Das illum eſcam populo Ziim vt ſit appoſitio : vel ſic, populo nauium, vel ſiccitatum. Sumitur tamen etiam pro animalibus terreſtribus in ſiccitatibus. Iſaiæ 13. & cubabunt ibi Ziim : & cap. 34. Et occurrent Ziim, cum Iim. Ieremiæ 50. propterea habitabunt Ziim cum Iim. Et hoc nomen arbitror in Apocalypſis cap. 18. verſum pro ſpiritibus immundis.*

Steuchus in Coſmopœia ad cap. 2. Geneſ. ad illud, *Ipſe eſt, qui circumit omnem terram Athiopiæ*, ait : *Ziim, exuſti, ſquallentes, ſitientes : ſignátque populos Arabiæ incultæ.*

Forerius in Iſaïæ 13. ad verſ. 21. *Tziim : quid hoc loco ſignificet hæc vox, quæ & aliis quoque legitur, non vſque adeò certum eſt, neque ipſi Rabini ſibi conſtant : videtur autem à ſiccitate appellationem habere. Crediderim ego eſſe generale nomen ferarum, quæ in ſolitudinibus, arenoſiſque locis degunt, cuiuſmodi ſunt in Arabia deſerta, & prope Mare-Rubrum quamplurimæ. Vulgatus in Pſalmis bis Æthiopes dixit: ſed rectiùs, ni fallor, hoc loco Hieronymus beſtias vertit : ego feras dixi : nam & cum feralibus auibus coniunguntur. Transferuntur autem hæc nomina ad gentes barbaras, & ad cacodæmones, vt ex B. Ioanne apparet, & ex Pſal. 72. nam vtrique feri ſunt. Adde, quòd immundi ſpiritus ambulant loca arida, vt eſt in Euangelio : vnde vulgatus infrà cap. 34. verſ. 14. dæmonia vertit.*

Et ad cap. 23. verſ. 13. *Tziim autem pro nauibus accipi, vide Daniel. 11. & cum ſimplici iod, Numer. 24. & Ezechielis 30. Huius nominis ſe Hieronymus hoc loco etymologiam non legiſſe dicit, neque Rabini aſſignant : veriſimile autem eſt, ſic naues à ſiccitate, quæ Hebraïcè dicitur Tziah, appellatas, quòd ſint in mari ſiccæ, veluti inſulæ.*

Et ad cap. 34. verſ. 14. *Et quia manifeſtum eſt, Tziim naues ſignificare, non dubito, quin & ipſos nautas quoque ſignificet : transfertúrque ad ſignificandas ſimias, quas etiam ob agilitatem, qua præditæ ſunt in aſcendendo per funes, &c. nos Luſitani interdum irriſoriè nautas vocamus ; Hinc ad cacodæmones notandos transfertur.*

Oleaſtrius in 24. Numerorum, ad verſ. 24. *Aduerte etiam ignotam eſſe ſignificationem nominis Sim, quam vertimus naues, quoniam cuius ſit radicis ignoratur : dicunt autem Hebræi eſſe à Sajah, vnde Si : & dicunt auem ſignificare, maximè deſerta incolentem: ex conſequenti verò triremem, ſeu nauem, quod formam auis videatur habere, & ea velocitate qua auis, à ventis per mare feratur : videtur etiam deſertum ſignificare, vel homines deſerta incolentes. Ab hac etiam radice eſt Sijah, id eſt, ariditas, ſiccitas. Et inter has ſignificationes ea quæ nauem ſignificat, videtur eſſe certior, vt exempla monſtrarunt.*

Ab Oleaſtrio mutuatus Pererius lib. 14. in Daniel. ad verſ. 30. ait : *Siim, quam vocem D. Hieronymus Latinè vertit trieres, alij naues. Tradunt Hebræi radicem eius vocis eſſe Tſaiah, vnde deſcendit vox Siim, cuius ſingulare eſt Si, propriè ſignificans auem, præſertim eam, quæ deſerta incolit loca : atque hinc per tranſlationem trahitur ad ſignificandum nauem, vel triremem, quòd propter vela & remos, & celeritatem qua fertur per aquas, referat auem paſſis alis per aëra volantem.* Sed nunquam fando hactenus audieram *Tziim* aues ſignificare : niſi à Mercero in אוי qui & ipſe hallucinatus eſt.

Mercerus in Theſauro : *Tzi, nauis, ex Tziah quidam deflectunt, quod ſiccitatem propriè ex æſtu, & ardore ſolis ſignificat : quòd nauis ſit veluti quidpiam ſiccum in mari, aut fluuio, quaſi inſula. Tzim plurale bis eſt cum ſimplici Iod : aliàs Iod gemino. Synecdochicῶs ſunt, qui ſicca & deſerta loca incolunt homines, vel beſtiæ. Quidam putant verti per ſpiritus immundos, Apocal. 18. Alij Lamias, vel Dracones, vel catos marinos : Noſter Interpres dæmonia, & vbi de hominibus dicitur, Æthiopes.*

Auenarius in Dictionario : *Tziah, ſiccitas, & ariditas quæ prouenit ex æſtu nimio, & ardore ſolis, vt ſolet eſſe in inſulis, & locis deſertis. Tzi, ſiccitas, & ariditas : item trieris nauis magna & ingens, quæ eſt pars ſicca in mari, ſeu inſula quædam parua. Et per ſynecdochen ponitur pro inſulanis, pro hominibus, & beſtiis ibi contentis.*

Schindlerus in Pentaglotto : *Tzi, nauis, quæ eſt ſicca & ſeu inſula in mari. Plurale Tzim, & Tziim. Tziah, ſiccitas, ariditas terræ, terra arida, inculta & deſerta. Inde per ſynecdochen Tziim, in terra Tziah ſiccitatis, ſeu terra ſicca, arida, & deſerta, in locis deſertis habitantes, aut commorantes, tam homines, quàm beſtiæ.*

Buxtorfius in Lexico : *Tziah, ſiccitas, ſiccum, ſiticuloſus, ſiccus, aridus locus. Tzi, nauis. Plurale*

contractum Tzim, naues: & integrum Tziim, naues. Item loca deserta, & arida: metonymicè fieri, barbari, desertorum locorum incolæ: item fera animalia.

Dauid de Pomis in Germine: *Tzi, nauis magna, trieris, Plurale Tzim, Numer.* 24. *& Ezechiel.* 30. *Idem Tziim Daniel.* 11. *Tziim habitatores deserti, qui, vt aiunt, sunt Æthiopes, Psalm.* 72. *Significat præterea Isaiæ* 13. *&* 34. *Animantia desertum incolentia, quæ Nemioth vocant, Latini putant esse Lamias, alij vocant dæmonia, dracones, cattos marinos. Idem Ieremiæ* 50. Quei che habitano nel deserto, intendendo tanto delli animali irrationali, come de gli huomini. Alcuni vogliono che siano compressi sotto tal voce solo li spiriti malegni, Draconi, è Gatti marini. Explicans verò quid sit Nimja, inquit: *Animal paruum, felis.*

Castrus in 50. Ieremiæ, numero 23. *Nomen Tziim videtur deduci à nomine Tziah, quod significat ariditatem, aut locum, seu terram aridam, vt desertum. Vnde nomen illud esse generale ferarum, seu bestiarum, solitudinem & arenosam terram incolentium: quales sunt in Arabia deserta, & prope mare Rubrum. Quare omnes ferè transferunt hîc, bestiæ seu feræ siluestres, & Vulgatus dracones: quamuis Isaiæ* 13. 21. *bestias verterit: cum auibus enim feralibus coniunguntur. Assumitur tamen hoc nomen ad significandas gentes barbaras, & bestiarum more viuentes, tum etiam dæmones, quòd, vt dixit Christus Lucæ* 11. *ambulent loca arida: vt Psalm.* 71. 9. *coram illo procident Æthiopes, &* 73. 14. *Dedisti eum escam populis Æthiopum. Isaiæ* 34. 14. *Et occurrent dæmonia.* Vides hîc expressam Forerij manum.

Lorinus in Psalm. 71. ad vers. 9. *Significat plurale nomen Tsziim, naues, & nautas, & bestias siluestres: denique homines incolentes loca deserta.* Et in Psalm. 73. ad vers. 14. *Hebræum nomen Tsiim, cuius se Hieronymus in* 23. *Isaiæ, ac Rabinos etymologiem negat scire, significat naues Daniel.* 11. 30. *Numer.* 24. 24. *forsan quia sint in mari siccæ, ac veluti insulæ: & bestias desertum incolentes, Isaiæ* 13. 21. *Vertit aliquando Interpres dæmonia, Isaiæ* 34. 14. *Dracones, Ierem.* 50. 39. *Psalm.* 71. 9. *& Psal.* 73. 14. *Æthiopes: vbi etiam alij exponebant nautas. Significare præterea potest quoslibet habitantes aridam, & siccam terram, seu desertam, quæ vocatur Tsiiah.* Sed iam de his quoque vide Kimchium in Libro Radicum & Sanctem in Thesauro pleniùs differentes.

Mihi verò cunctis rectè perpensis placet sententia Marini, Pomarij, Schindleti, *Tzim*, vel *Tziim*, cùm naues, seu trieres significat, esse plurale nominis *Tzi*, , quod nauem, seu triremem omnes interpretantur, vt Isaiæ 33. 21. *Neque trieris magna transgredietur eum.* Habere verò etymon à *Tziah*, id est, ariditas, siccitas, illa propriè quæ ex æstu, vel ardore solis causatur: seu locus siccus, aridus, squalens sine aquis, sitibundus, arenosus, nempe desertum, aut vasta solitudo. Qua nimirum notatione naues Hebraïcè dictas existimant *Tziim*, quòd sint veluti quidpiam siccum & aridum in mari, aut fluuio, tanquam insulæ, vti etiam Forsterus, Forerius, Mercerus, Auenarius, Schindlerus annotarunt. *Tziim* verò cùm alia significat, esse aliud nomen plurale per se diuersum à præcedenti, nimirùm alterius significationis, quamuis ab eadem radice Hebraïca *Tziah* deriuatum, propriéque notare, quidquid incolit loca arida & sicca, siue homine, siue bestias, aut feras. Tziim ergo in hac vsurpatione aridos, siccos, exustos, sitientes, squalentes, horridos, desertos, incultos, barbaros, feros, desertícolas, vel solitudinícolas vniuersè exposuerimus, vt comprehendat cùm homines, cùm bestias, & feras, tum cacodæmones.

Si constaret *Tziim* de auibus quandoque dici, speciale nomen auium, vel ignoratur, vel ab interpretibus non exprimitur: cum feralibus auibus coniungi Isaiæ 13. 21. 22. annotant Forsterus, Forerius, Mercerus: vnde aues ferales generaliter possemus intelligere: etsi ariolandum esset, peculiariter coruos, haud leui coniectura, propter eorum siccam, exustam, & arentem naturam, quòd siticulosi sint: nam de illis Plinius lib. 10. cap. 12. *Corui ante Solstitium generant, iidem ægrescunt sexagenis diebus, siti maximè antequam fici coquantur autumno.* Et cap. 43. *Tradendum putauere memoriæ quidam, visum coruum per sitim lapides congerentem in situlam monumenti, in qua pluuia aqua durabat, sed quæ attingi non posset: ita descendere pauentem expressisse tali congerie, quantum poturo sufficeret.* Ælianus de Animalibus lib. 2. cap. 51. *Coruus æstiuo tempore quod alui relaxatione se laborare planè sciat, idcircò ab humidis alimentis se continet.* Et lib. 1. cap. 47. *Per æstatem coruus exarescit siti confectus, & clamore vltionem testatur, vt fama est. Cuius causam afferunt, quòd cùm ad aquationem eum famulum suum Apollo misisset, ille magna segete inuenta adhuc viridi, frui volens granis frumenti, & expectans dum maturuisset, mandatum Domini neglexit: Quamobrem siccissimo anni tempore siti affectus, suæ moræ, dat pœnas.* Et cap. 48. lib. 2. *Corui Libyci se se inclinantes rostrorum aduncitatem quoad eius possunt, in vasa intrudunt, atque inferunt, quæ homines sitis metu aqua compleuerant, ac supra tecta ad seruandum aduersus putredinem aëris beneficio aquam posuerant, itaque potione fruuntur. Quum verò aquam inferiorem quam rostro attingere queant, esse vident, calculos ore & vnguibus apportantes, in vasa inferunt: atque calculi quidem in fundum detruduntur, ac desident: aqua verò de vasis fundo ex subsidentium occupatione calculorum alleuata, superiorem vasis vacuitatem replet. Quâ solerti machinatione corui aquam contingentes, potione reficiuntur.* Quod verò ad fabellam spectat de coruo ab Apolline siti damnato, cuius meminit Ælianus, eandem pluribus quoque cecinit Ouidius 2. Fastorum, qui inter alia inducit Phœbum in coruum hæc dicentem:

At tibi dum lactens hærebit in arbore ficus,
De nullo gelidæ fonte bibentur aquæ:

Coruum sitis esse hieroglyphicum, lib. 23. Pierius annotauit. Quin & solitudinis amicum animal coruum esse, prouerbio suffragante, Βάλλ' ἐς κόραξας Cælius Lectionum Antiquarum lib. 19. cap. 25. extremo obseruauit. Sed ad rem.

Quum autem *Tziim* de bestiis, ac feris desertícolis dicitur, peculiariter *dracones* exposuerim, quod sicci & aridi præ ceteris bestiis, ac veluti ignei: vnde eos æstu torrente præcipuè expetere elephantorum sanguinem frigidissimum, auctor est Plinius lib. 8. cap. 12. Haud alienè existimatum est à Forstero, Forerio, Mercero, S. Ioannem vocem Hebraïcam Tziim, Apocal. 18. 2. spiritus immundos, id est, dæmonia reddidisse, quod nimirum hi locis aridis, desertis, incultis, horridis gaudeant, & ea inhabitent, atque inambulent, vt Christus Dominus ait Lucæ 11. 24. Matthæi 12. 43. cuius rei causas perquisitas reperies apud Riberam in 18. Apoc. ad vers. 2. & apud Tyræum de Dæmoniacis, & Locis infestis. Ceterum ex his quæ hactenus diximus, satis liquet in loco Numer. 24. vers. 24. Tzim naues, seu trieres, ant triremes consensu omnium significare.

Qui

Qui ſint in ſacris litteris בתים Chithim, *vel* בתיים Chithiim.

CAP II.

IOſephus lib. 1. Antiquitatum, cap. 7. *Porrò Cherbimus inſulam occupauit, tunc Chetimam, nunc Cyprum: quo factum eſt, vt tum inſulas omnes, tum pleraque loca maritima Hebræi gentili voce Chetim ſignificent. Atteſtatur mihi vna è Cypriis vrbibus, quæ adhuc nomen retinet: Citium enim vocatur ab his qui in Græcum ſonum vocabula detorquent: nec ſic quidem abludens à Chetimi nomine.* Eadem habet Otho Friſingenſis lib. 1. Chronici cap. 4. Euſebius de locis Hebraïcis: *Chethim Cyprus dicitur: is ciuitatem condidit: inſula námque & vrbs hodie Cithium appellatur.* S. Epiphanius hæreſi 30. *Quemadmodum etiam Sanctus Ieremias de Iſraël dixit: Et ad Citienſes ſi deueneris, neque illic tibi requies erit: Omnibus autem manifeſtum eſt, quòd citium Cypriorum inſula appellatur: Citij enim Cyprij ſunt, ac Rhodij, ſed & in Macedonia genus Cypriorum ac Rhodiorum habitauit: & ea de cauſa habetur in Machabæis, quòd exiuit ſemen ex terra Citienſium: nam ex ſemine Græcorum eſt Alexander Macedo.*

S. Hieronymus Quæſtionibus Hebraïcis in Geneſim: *Cetim ſunt Citij, à quibus hodie quoque vrbs Cyprij Citium nominatur.* Et in Iſaïæ 23. ad verſ. 1. *Terra Cethim, quam Cyprum quidam interpretantur: vſque hodie enim eſt apud eos vrbs Citium, de qua & Zeno Stoicæ ſectæ hæreſiarches fuit: quam plerique noſtrorum, & maximè Machabæorum principum, Cethim Italiæ, Macedoniæque inſulas arbitrentur. Hoc enim Scriptura commemorat, quòd Alexander rex Macedoniam egreſſus ſit de terra Cethim.* Et ad verſ. 12. elucidans verba illa Iſaïæ: *Virgo filia Sidonis in Cethim conſurgens transfreta*, ait: *O virgo filia Sidonis, id eſt, colonia Sidoniorum, fugies quidem nauibus ad inſulas Occidentis, ſeu in Cyprum, & ceteras Macedoniæ, Græciæque terras.* Et in Ierem. 2. ad verſ. 10. *Ite, inquit, ad inſulas Cethim: quas vel Italiæ, vel occidentalium partium debemus accipere, ab eo quòd terræ Iudææ Cyprus inſula, in qua vrbs hoc vocabulo nuncupatur, vicina ſit: de qua & Zeno princeps Stoicorum fuit.* Et in Ezechiel. 27. ad verſ. 6. *De inſulis Chettiim quod nos Italiam vertimus; ex ea regione quæ Græciæ propinquior eſt, omnes Occidentalium partium inſulas intelligentes.* Et in Daniel. 11. ad verſ. 31. *Cithim quos nos Romanos interpretati ſumus. Hebræi Italos volunt intelligi, atque Romanos.*

S. Cyrillus in Iſaïæ 23. ad verſ. 1. *Narrant quidam Cittienſes inſulas eſſe Helladicas ſeu Macedonicas: alij hinc Cyprum deſignari affirmant, quaſi ſic nominatam.* Procopius Gazæus in eundem locum: *Quos autem Citienſes dicit, Chetiim interpretantur reliqui, Cyprúmque inſulam in qua Citium nomine oppidum, ſignificari putant.*

Theodoretus in 2. Ieremiæ, ad verſ. 10. *Porrò Cethim vocat Cyprum, adiacentéſque ei inſulas: & per eas, Heſperias partes.* Et in Ezechiel. 27. ad verſ. 6. *Chetiim verò Græcas inſulas appellat: etenim per Ieremiam Deus ait: Tranſite ad Inſulas Chetiim: per Chettiim ſitas ad Occidentem gentes declarat. Cittium verò oppidum in Cypro eſt, & ad hoc vſque tempus ita nuncupatur, quod aſpirationis nota ſignatum ſecundum Hebræorum idioma cum Chetiim cognationem oſtendit: & Cyprus eo tempore inſularum imperio potiebatur: idcircò Græcas inſulas Chettiim vocat.* Eadem fere habet in Daniel. 11. ad verſ. 30.

S. Iſidorus lib. 9. Originum, cap. 2. *Cethim, à quo Cithei, id eſt, Cyprij: à quibus hodiéque vrbs Citthium nominatur. De Cittio verò vel Cythio, vel Cyttio, vrbe Cypri, patria Zenonis Philoſophi Stoicorum principis, & Apollonij medici, agunt Strabo lib.* 14. Plinius lib. 5. cap. 31. Ptolemæus lib. 5. cap. 13. Tuchidides lib. 1. Plutarchus, Æmilius Probus, & Suidas in Cimone, Diogenes Laërtius in Zenone, lib. 7. initio, qui ait: *Zeno Citiæus, è Cypro paruo quodam oppido Græcorum natus, quod Phœnices coloni incoluerunt.* Et Cicero lib. 4. de Finibus: *Scis enim Citiæos è Phœnicia profectos.* Vt inde eruas originem *Chittim* Hebraïcam, vel Phœniciam. Idemque Cicero Zenonem plerunque Citicum vocat.

Zonaras tom. 1. Annal. *Chetimam inſulam Chetim excoluit, hæc eſt Cyprus, quam Græci à dea ſua Cypride, id eſt, Venere denominant.*

Nec pigeat nunc quæ recentiores de eadem voce *Chitim* tradiderunt, exponere: vel ea ſaltem ratione, quod etiam aliàs interdum libenter facimus, vt liqueat, quæ poſteriores diffuſis tractatibus diſputant, maiori ſemper ex parte antiquitati accepta referri debere.

Caietanus in 24. Numeror. ad verſ. 24. *Chittim, vt patet Geneſ. 10. nomen eſt proprium vnius nepotis Iapheth filij Noë: à quo inſulas quaſdam denominatas clarè patet apud Ieremiam cap. 2. & in 1. cap. Machabæorum Græciæ regionem appellari Chitthim perſpicuum eſt: dum Alexander Magnus ſcribitur egreſſus de terra Chitthim. Idemque ſentit interlinearis Gloſſa Iſaïæ 23.*

Vatablus in 24. Numerorum, numero 33. *De littore Chittim, id eſt, de littore Italico, vel de littore Græcorum, aut Thuſco. Chaldæus Paraphraſtes, de littore Romano.* Et in Annotationibus Sanctandreanis: *De littore Chitthim, id eſt, à mari Italico, Imperij Romani. Alij à regno Turcorum. Alij, Thuſciæ.* Et Iſaïæ 23. numer. 2. *Cithim, Cyprios quidam intelligunt. Alij Italiam, alij Græciam.* Idem ait numero 27. Et in Ieremiæ 2. numero 14. *Per Cithæos intelligit maris mediterranei incolas.* Et in Sanctandreanis: *Chittihiim, id eſt, ad inſulas maris mediterranei. Alij, ad inſulas Cypriorum.* Et in Ezechiel. 27. ad verſ. 6. *Cittiim dicuntur qui habitant in inſulis maris Ionici, & Græci, vt Cyprus &c. Chaldæus Paraphraſtes de Apulia legit.*

Iſidorus Clarius in Iſaïæ 23. ad verſ. 1. *Terram Cethim, ait Hieronymus, quidam Cyprum intelligunt, apud quos eſt vrbs Citium, de qua Zeno Stoicæ ſectæ princeps fuit. Alij Cethim Italiæ & Macedoniæ inſulas credunt.* Et in Ieremiæ 2. ad verſ. 10. *Cethim, qui ſunt Occidentales, Cyprij, & quidquid verſus Italiam, maritimi.*

Oleaſtrius in Geneſ. 10. ad verſ. 5. *A Chitim Macedones ortos putant. Alij Scythas, quod verius puto.* Imò id eſt falſiſſimum. Et in 24. Numeror. ad verſ. 24. *Nihil certi eſt de populo Chittim, & quantum ex Scriptura colligitur, videtur quòd ſint Græci, aut qui Inſulas maris mediterranei incolunt, vt Rhodij, Samij, Cyprij, & alij inſulares, qui etiam Græci ſunt. Quod verò iſti fuerint Inſulares conſtat ex verbis Ieremiæ 2. vbi ſic habet: Tranſite in Inſulas Chittim. Et dicunt Rabbini Chittim eſſe ſingulare, non plurale, vt colligitur ex nomine Chittim Geneſ. 10.*

quare indubiè crediderim aut esse Insulares aut marítimos populos.

Bodinus in Methodo Historica, cap. 9. *Scythæ percussores interpretantur à Cethim Iapeti filio: sic enim verior est etymologia, quam quæ est à Melanchthone de Macedonibus allata, quos Macethim vocat. At illud mem originis alterius præpositio est.* Ridiculum, Cethim Scythas intelligere.

Fererius in Isaïæ 23. ad vers. 1. *Puto Cithæos esse Græcos, nempe Macedones voce congruenti: dicebantur autem habere insulas, tum propter infinitas insulas quas habebant in mari Ægæo sub suo imperio, tum etiam quia Hebræis insulæ dicebantur prouinciæ illæ, ad quas non nisi per mare erat transitus, nondum illustratis ex omni parte regionibus, an mari cingerentur, an minùs. Quinimo & Italos Græcis vicinos nomine Cethim alibi comprehensos intelligo. Vide benedictiones Balaam. Fuit autem Cithim filius Iauan, à quo Iones dicti sunt, frater Dodanim, ex quo Rhodij, & Tarsis, ex quo Tarsenses orti putantur: ex his dicit Scriptura habitatas fuisse insulas gentium.*

Adamus in Isaïæ 23. ad vers. 1. *Vox Cethim neque Hieronymi tempore satis nota erat, neque etiam posterioribus sæculis. Quidam enim putant Cethim Cyprum fuisse partem Græciæ. Alij esse volunt partem Macedoniæ. Alij alterius regionis. Pro iis autem qui dicunt esse partem Macedoniæ, facit principium Machabæorum, vbi Alexander rex Macedonum egressus dicitur de terra Cethim.*

Montanus in Phaleg. cap. 7. *Porrò Kithim & Dodanim postremi Iauan filij magnarum insularum, earumque fertilissimarum cultu delectati sunt. Deinde Kithim angustiæ iam locorum pertæsi, primam oppositam procurrentis in mare terræ oram coloniis deductis tenuerunt, suo ipsorum indito nomine vocantes: vnde & vrbis illius regionis antiquissimæ nomen Caietæ factum arbitramur, quidquid fabulosa posterorum ingenia secus finxerint. Corruptis aut mutatis vocabulis postea Kithim Cretenses, Dodanim Rhodij appellati sunt.* Et ad finem libri in Tabella Gentium primæuarum: *Chitim, Cretenses olim dicti, & ab aliis Cortini, à quibus & Italiæ ora quæ quondam Magna Græcia dicebatur, habitata fuit, & vrbs constructa, quæ antiquum nomen retulit Caieta, quidquid alij fabulentur.* Eadem habet Possevinus lib. 2. Bibliothecæ, cap. 5. prioris editionis. Idem Montanus in Isaïæ 23. ad vers. 1. *De terra Cethim. Et Siciliæ, Calabriæ, & Cretæ portubus. Hæ namque Europæ partes & insulæ nomine Chetim significantur, vt in sacro Apparatu demonstrabamus. Sed nobis hoc loco illam partem Italiæ indicare videtur Propheta, quæ nunc Calabria dicitur, in cuius extremis littoribus Caieta est, nomen illud Chetim, quamquam nonnihil propter linguæ Latinæ inflexionem variatum, adhuc retinens: namque Græca pronuntiatione integrum ferè conseruat* KHITHΣ. *Atqui tota illa regio Calabria dicta, & ad Citim relata, ab antiquis fuit alio nomine Magna Græcia appellata. Cetera insulæ in medio mari sitæ Creta, Cyprus, nomine etiam Chetim comprehenduntur.* Et ad vers. 12. *Chetim, siue Chitim Græciæ insulas Cyprum, Cretam, & Italiæ partem Calabriam appellatam esse, ex sacris libris obseruatum, in Apparatu sacro demonstrauimus.* Cytei oppidi in Creta meminit Plinius lib. 4. cap. 12.

Leo Castrus in 23. Isaïæ, ad vers. 1. *De terra Cethim, hoc est, de Cypro, & de insulis finitimis Tyro: vel de terra Chetim de Italia, de Græcia: sic enim alij interpretantur.*

Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 32. *Cithim pater Cypriorum, quorum ciuitas Citium, quæ nobis Zenonem Philosophum peperit: propriè Europæorum maris mediterranei accolarum, vel insularium: vnde Romani, & Itali Numeror. 24. & Daniel. 11. sic appellantur; & Græcorum insulani Isaiæ 23. & Macedones, 1. Machabæor. 1.*

Honcala in Genes. 10. ad vers. 4. *Cetim sunt Citij, à quibus hodie quoque vrbs Cypri Citium nominatur.*

Ortelius in Thesauro Geographico: *Chetima in sacris litteris, Chittim legit Pagninus apud Danielem 11. Cetij habent Septuaginta Interpretes. Romanos interpretatur D. Hieronymus: lib. autem 1. Machabæorum, cap. 1. scribit Alexandrum Magnum ex Cethim exeuntem. Hic verò nunquam fuit in Italia. Ita hîc Græcos, vel Macedonas velle videtur. Monuit hoc quoque ante me Castalio. Pro Italia tamen, & regionibus attingentibus habetur à Matthæo Beroaldo.* Et alibi: *Cethim Genes. 10. D. Hieronymo & Chaldæo, κίτοι, LXX. Interpretibus: Daniel. 11. κήτη, vbi D. Hieronymus Romanos vertit. 1. Machabæor. 1. Chetim D. Hieronymo, sed Chetiim LXX. Interpretibus. Video à nonnullis pro Macedonia interpretari.*

Veldius in Daniel. 11. ad vers. 30. *Dictio Cithim Hebræa, quam quidam vertunt Italiam, alij Romam, Rabi Dauid Kimchi exponit pro filiis Græcorum. Et nomen Græcum μακεδὼν, quo vsa est antiquitas pro Macedone haud dubiè à dictione Cithim deriuatur. Ac liber Machabæorum vocat Alexandrum regem Cithim. Cùm igitur Cithim significet gentes in Europa ortas à Cithim, complectitur & Macedonas & Italos.*

Auenarius in Dictionario: *Kittim, filius tertius filij Iauan, seu Ionis. Hinc per metathesin radicis, Macetes, Macedo, & terra Macedonia in Græcia: à quo postea regio insularis nomen accepit. Isaiæ 23. 1. De terra Macedoniæ reuelatum est illis. Ierem. 2. 10. Transite insulas Macedoniæ. Vnde legitur 1. Machab. 1. Alexander filius Philippi Macedo, qui exiuit de terra Chittim.*

Franciscus Iunius & Tremellius Immanuel in Genes. 10. ad vers. 5. *Citim, Citidis in Cicilia incolæ, & citerioris Ciciliæ, Numer. 24. Isaiæ, 23. 1. Ieremiæ, 2. 10. & 1. Machabæor. 1. 1. Quo in loco nolunt intelligi Macedones: sed quòd Alexander in Darium expeditionem facturus, ex Cilicia summo labore propter eius asperitatem, per angustias Amani montis prodierit. Sic locum Numerorum accipiunt, quod Romani ibi in Cilicia curata sua classe in Hebræos irruperint.* Eodem modo exponunt in Isaiæ 23. ad vers. 1. De Cetide vel Citide regione Ciliciæ pluribus agit Ptolemæus lib. 5. cap. 8.

Pererius lib. 14. in Danielem; cùm multa disserat de Cethim, hæc tandem colligit: *Collatis igitur inter se variis Scripturæ locis, videtur hæc vox Cethim significare, tum insulas maris mediterranei, præsertim Ægypto & Syriæ adiacentes, quæ Græco sermone & institutis vtebantur, vt est Cyprus, Rhodus, &c. tum etiam vlteriora maris mediterranei loca maritima, præcipuè verò Græciam & Italiam.* Et in Genes. 10. ad vers. 4. *Collatis igitur inter se variis Scripturæ locis, videtur hæc vox Cethim significare insulas maris mediterranei, præsertim autem Ægypto & Syriæ obiacentes: tum etiam vlteriora maris mediterranei, vt Græciam & Italiam. Denique significat ea vox gentes Hebræis transmarinas, vt sunt Europæ gentes: scilicet, accommodat se Scriptura ad opinionem & sensum Hebræorum, qui populos à se mediterraneo mari discretos, esse omnes insularum incolas putabant*

tabant, vt eos qui aliunde nauibus Iudæam appellebantur: nam ſicut in Italia eos qui trans Alpes agunt, vocamus Tramontanos: ſic Hebræi diſſitas à ſe mari gentes, inſulares nominabant.

Marinus in Arca Noë: *Chithim, nomen proprium filij Iauani, Geneſ.10.4. ab hoc denominata eſt prouincia quædam, quam Italiam interpretes verterunt. Fortaſſe verò ea pars Italiæ erat, quæ magna Græcia dicitur. Huius etiam populi Chithim, & pluraliter Chithiim appellantur. In primo libro Machabæorum legimus Alexandrum Macedonem è Citima terra ad ſubigendos reges egreſſum fuiſſe.*

Sà in Geneſ.10. ad verſ.4. *Cetim, Citij, ſeu Cyprij.* Et in Iſaiæ 23.verſ.1. *Cethim, id eſt Græcia, vel, Italia, vel Cyprus.* Et Ierem.2. 10. *Cethim, id eſt, Græciæ, ſeu maris mediterranei.* Et in 1. Machabæor.1.v. 1. *Cethim Scriptura Græciam vocat: hìc Macedoniam intellige.* Et ad cap.8. verſ.5. *Cæteorum, id eſt, Macedonum ſeu Græcorum.*

Serarius in 1.Machabæorum 1.ad verſ.1.*Cethim ſunt occidentales inſulæ, aut regiones maritimæ Italiæ, Græciæ, Macedoniæ.*

Capella in 2. Ierem. ad verſ. 10. *Cethim inſulas intelligit Maris mediterranei. Cyprum intelligit D. Hieronymus, quæ vicina eſt terræ Iudææ, in qua vrbs eſt, quæ hoc nomine vocatur, de qua Zenon princeps Stoicorum fuit. Theodoretus Cyprum, & adiacentes inſulas intelligit. Sed & Cyprus Citium vocatur. Geneſ.10. Cethim inter filios Iauan annumeratur, à quo Beroſus ait Italos vocatos.*

Maldonatus in 2. Ierem. ad verſ.10. *Cethim, id eſt, Cypri, vbi ciuitas erat eo nomine patria Zenonis nobilis Philoſophi, vt Hieronymus interpretatur: vel vt alij, in Italiam, Beroſum ſecuti, qui ſic Italos appellatos fuiſſe dicit.* Et in Ezechiel. 27. ad verſ 6. *Ex inſulis Cethim: Chaldæus Paraphraſtes de inſulis Apuliæ, id eſt, ex Cypro, Creta, Sicilia. Alij, ex inſulis Maris Ionici.*

Delrius in Geneſ.10. ad verſ.4. *Cethim: hæc vox duo ſignificat: primò Cyprum, Cretam, & omnes inſulas maris mediterranei, præſertim quæ contra Syriam, Ægiptúmque: ſecundò omnes tranſmarinas gentes reſpectu Iudææ, hoc eſt, illos Europæos omnes, quos Hebræi inſulas, ſeu inſulares vocant, ad eum morem quo nunc Itali vſurpant vocem Tranſmontanorum.*

Fungerus in Etymologico: *Cithim appellata eſt terra Macedonum, à Kithim filio Iauan, nepote Iapheth, ſcilicet, à (hatam, emicuit, Geneſ.10. & 1. Machab. 1.*

Auguſtinus Torniellus in Annalibus, Anno mundi 1931. numero 22. *Cethim, ſiue Cety, huius progenies Cyprum inſulam primum incoluiſſe fertur: deinde colonias in Græciam, hoc eſt in Macedoniam, poſtremò etiam in Italiam deduxiſſe, eáſque regiones omnes ex patris nomine Cetthim denominaſſe: cuius rei, inquiunt, ſignum eſt, quòd Ioſepho 1. Antiquit. cap.7. & B. Hieronymo in Quæſtionibus Hebraïcis in Geneſ.10. teſtibus, in Cypro adhuc extabat vrbs nomine Citium: & 1. Machab. 1. verſ. 1. legimus, quod Alexander Philippi Macedo, qui primus regnauit in Græcia, egreſſus eſt de terra Cethim: & Numeror. 24. verſ.24. Ezechiel.27. 6. & Daniel.11. 30. vbi textus Hebraïcus habet Cetthim, Latinus reddidit Italiam, vel, Romanos, quod idem ferè eſt. Sunt etiam qui ab eodem Cethim, ſeu à poſteris eius, putant deſcendiſſe Cretenſes, olim dicti Cortini, à quibus item eam Italiæ partem, quæ quondam magna Græcia dicebatur, habitatam, & mox quoque vrbem, quæ Caieta dicitur, ædificatam fuiſſe perhibent.*

Figuerius in Ieremiæ 2. ad verſ. 10. *Cethim, Hieronymus intelligit inſulas Italiæ, vel Occidentalium partium, quod terræ Iudææ Cyprus inſula, in qua vrbs hoc vocabulo nuncupatur, vicina ſit.*

Gaſpar Sanchez in Iſaïæ 23. num. 21. *Mihi fit veriſimile inſulas omnes quæ à Cypro, ad Occidentem mare pertinent Gades vſque, adſcriptas fuiſſe Cethim Iauæ filio, & ab eo nomen accepiſſe: ſiue inſulæ illæ ad Libycum, ſiue ad Italicum, ſiue etiam ad Græcum littus pertineant: & ab his inſulis regiones illis adiacentes appellari Cethim.* Subſcribit huic Cornelius à Lapide in 24. Numeror. ad verſ. 24. Qui etiam in Geneſ.10. ad verſ.4. ſcribit: *Cethim, inde orti ſunt Citij, Cyprij, & Cretenſes. Vnde Cyprus, Creta, & aliæ inſulæ maris mediterranei in Sacra Scriptura vocantur Cethim.* Et in 24. Numeror. ad verſ. 14. *Cittim, vel Cetim propriè Cyprum ſignificat: Citium enim fuit vrbs Cypri, ex qua ortus eſt Zenon Stoicorum parens. A Citio ergo tota inſula Cyprus, dicta videtur Cetim. Inde Cetim ſignificat alias quaſlibet inſulas: atque vlterius omnes gentes, tam inſulanas, quàm tranſmarinas.*

Ioannes Mercerus Commentariis in Geneſ.10. ad verſ. 4. *Cithim volunt eſſe Cyprum inſulam, in qua & vrbs Citium celebratur: vnde Zeno Cittiæus. Alij Macedones, vnde Alexander Macedo, quaſi Macitim. Atque hoc nomine Hebræi interim non Macedones tantùm & Græcos, ſed & Italos intelligunt. Vnde Numeror. 24. pro Cichim Chaldæus habet Romanos.*

Ioſephus Stephanus in 1. Machabæor. 1. ad verſ.1. cùm accuratè de Cethim diſſerit, hæc inter alia habet: *Reſtat igitur ex Ioſephi, Hieronymi, Epiphanij, & aliorum auctoritate, Cithimos non quidem propriè Cretenſes, ſed potius Cyprios dictos, & ex ea inſula ceteras maritimas partes, & colonias inde deductas, in Italiæ continentis terræ vrbes, Cithim appellatas. Vt verò rem propiùs attingamus, Cithæi non ſolum Itali, Numeror. 24. Elias Leuites verbo Italia, & Suidas verbo Latini: verùm etiam Macedones dicti fuerunt, vt ex Machabæorum colligimus hiſtoria lib.1. cap.8. verſ.5. vbi Philippus & Perſes à Romanis deuicti, Cithæorum, id eſt, Macedonum reges appellantur. Id quoque ſatis valida coniectura conſtat, cùm in Macedonia Citium, vt ait Liuius Decades, lib.2. oppidum fuerit nobile, quò omnes Perſei copiæ conuenerant. Eſt etiam Decad.5. lib.3. in eadem regione mons Citium. Ergo cùm terra Cethim Macedoniæ ſit, quæ mediterraneo & Hadriatico mari alluitur, meritò Alexander Macedonum rex egreſſus de terra Cethim dicitur. Apud Euſtathium in Dionyſium de ſitu orbis, & Heſychium Macetia, Macedonia, & Macetæ, Macedones dicti ſunt: fortaſſe inuerſis & tranſpoſitis litterulis, aliiſque appoſitis ex Cetim Macetæ dicti. Auſonius.*

Macetúmque attollite nomen.

Locus Liuij de Citio Macedoniæ oppido eſt lib.42. cap. 51. *Litteríſque circa Præfectos dimiſſis, Citium, (Macedoniæ oppidum eſt) copias omnes contrahit.* (Perſeus.) *Ipſe centum hoſtiis ſacrificio regaliter Minervæ, quam vocant Alcidam, confecto, cum purpuratorum, & ſatellitum manu profectus Citium eſt. Eò iam omnes Macedonum, externorúmque auxiliorum conuenerant copiæ.* Quod verò attinet ad Macetiæ nomen, Scaliger Auſonianarum Lectionum lib.1. cap. 23. ad verſum eundem Auſonij. *Ma-*

cetúmque attollite nomen, hæc annotat: *Macetum, pro Macedum, vera est Lectio: nam Macetia, Macedonia, & Macetæ, Macedones. Gellius lib.9. cap.3. ex veteri Scriptura: Philippus Amyntæ, terra Macetiæ rex, cuius virtute, industriáque Macetæ locupletissimo imperio aucti, gentium, nationúmque multarum potiri cœperant. Hesychius:* Μακετία, ἡ Μακεδονία. Quod autem Cethim transpositum sit Macetia, obseruarunt ante Stephanum, Forerius, Auenarius, Veldius.

Christophorus Castrus in Ieremiæ 2. ad vers. 10. *Cithiim quæ gens aut regio fuerit, dubium est valde. Tria autem ex Interpretibus, & ex Scriptura colligimus significare. In primis insulam Cyprum, vt ait Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 7. & Hieronymus hic, & in Genesim: cuius vestigium est vrbs Citium dicta, vndè Stoicorum princeps Citius Zeno est nominatus, significat. Deinde Italos, seu Romanos, Numeror. 24. 24. vbi Chaldæus etiam interpretatus est Romanos: & Ezechiel. 27. 6. illud de insulis Cethim, Latinus interpres vertit, de insulis Italiæ. Chaldæus verò de Apulia. Daniel etiam 11. 30. Et venient super eum trieres, & Cithiim, vertit Noster Interpres, & Romani: & ita vertendum Hebræi ipsi agnoscunt. Demum videtur Macedoniam, seu Græciam significare, ex illis 1. Machabæor. 1. verbis: Alexander Philippi Macedo, egressus de terra Cethim. Et cap. 8. 5. Philippus & Perses postremi reges Macedoniæ Cethæorum reges vocantur. Ex quibus variis significationibus vox hæc deriuata est ad significandas insulas maris mediterranei, vt inquit Iosephus eodem loco. Imo ad vlteriora loca significanda se extendit, Græciam nempe & Italiam: denique gentes transmarinas, scilicet Europæas. Hebræi enim populos à se mari mediterraneo discretos, insularum incolas existimabant, cùm ipsi habitarent continentem, quos ad se nauibus accedere nouerant: vt eos qui trans Alpes agunt, Tramontanos vocant Itali. Hic ergo occidentales omnes regiones, seu Hespericas intelligunt Hieronymus, Theodoretus, cum ceteris Interpretibus.*

Villalpandus in 27. Ezechiel. ad vers. 6. cùm fusè disputet de Cethim, in sententias Iosephi, S. Hieronymi, Theodoreti à nobis superiùs descriptas, concedit. Tu ipsum, si videbitur, adito. Ioannes Ferdinandus in Thesauro, cap. 66. eodem modo, sententiis Iosephi, S. Hieronymi, S. Cyrilli de Cethim quas supra posuimus adhæresçit. Ipsum consule. Pineda lib. 4. de Rebus Salomonis, cap. 14. §. 2. num. 2. expositiones Iosephi, S. Hieronymi, S. Epiphanij, Theodoreti, Pererij, Serarij, Massæi, de Cethim, tantummodo refert. Sed & Hebræi, Aben-Ezra in 11. Daniel. inquit: *Cithim rectum est, vt indicet regnum Græciæ, seu Macedoniæ. Cithim etiam Macedones interpretantur Forsterus, & Mercerus.*

Dauid de Pomis in Germine: *Chitim, Itali, Romani, Kimchi verò Isaiæ 23. exponit pro filiis Græcorum: & Ezechiel. 27. capitur pro insula vbi elephantes reperiuntur.*

Hæc omnia hactenus ex tot auctoribus notata, haud sanè perturbant, aut confundunt, sed potiùs illustrant & explicant notionem & vsum vocis Cethim in sacris litteris.

Moses quidem inter filios Iauan, quem Ioniæ & vniuersæ Græciæ nomen dedisse, consentiunt omnes, enumerat Genes. 10. 4. Elisa, Tharsis, Cethim, Dodanim: addítque: *Ab iis diuisæ sunt insulæ gentium.* Quem locum reddens Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 7. ait: *A Iauane verò Ionia, totúmque Græcorum genus descendit. Iauanis item trium filiorum vnus Alisas, Alisais, vt originem, ita nomen dedit, qui hodie sunt Æoles. Pari quoque modo Tharsenses Tharsus, sic enim olim appellabatur Cilicia. Cuius rei signum est Tharsus vrbium eius celeberrima, ceterarúmque princeps, prima nominis littera in Thau mutata. Porrò Cethimus insulam occupauit, tunc Chetimam, nunc Cyprum.* Et cetera, quæ suprà de Chetimo descripsimus.

S. Hieronymus Quæstionibus Hebr. in Genes. 10. Iosephum penè secutus: *De Ionibus, id est, de Græcis nascuntur Elisæi, qui vocantur Æoliades, vnde & quinta lingua Græciæ Æolis appellatur. Tharsis Iosephus Cilicas arbitratur: vnde & metropolis eorum ciuitas Tharsus appellatur, Paulo Apostolo gloriosa. Cethim sunt Cypri, à quibus hodie quoque vrbs Cypri Citium nominatur. Dodanim sunt Rhodij, ita enim Septuaginta Interpretes transtulerunt. Legamus Varronis de Antiquitatibus libros, & Sisinij Capitonis, & Græcum Phlegonta, ceterósque eruditissimos viros, & videbimus penè omnes insulas, & totius orbis littora, terrasque mari vicinas Græcis accolis occupatas.* Quod ad Dodanim attinet à Iosepho prætermissos, sed à LXX. & S. Hieronymo, aliísque Rhodios expositos, existimant plerique, vti Steuchus, Honcala, Pererius, Delrius, Cornelius in Genes. 10. positum, vel mutatum ד Daleth, in ר Resch, propter nimiam inter se similitudinem. Sed Montanus in Phaleg hæc annotat: *Dodanim, in lib. 1. Paralipomenon 1. Rhodanim, Rhodij fuerunt, nomen & significationem retinentes: nam Dod idem significat Hebræis quod ῥόδος Græcis.* Reineccius Parte 1. Historiæ, Heroicæ, in Regno Rhodiorum, pag. 227. ait: *Hoc constat, Rhodios monetam rosa signasse: & ipse nummum illorum argenteum possideo, qui vna parte Rosam, altera Solem præfert.*

Cùm igitur affirmante Mose, Cethim cum Æolibus, Cilicibus, Rhodiis coniungantur: quæ sunt regiones inter se proximæ, atque ab his propagatæ dicantur insulæ gentium, facile quisque intelliget, Cithim, Cyprum, Cretam, & alias insulas maris Mediterranei significare: vnde peculiariter & signatæ, insulæ Cethim dicuntur Ieremiæ 2. v. 10. *Transite ad insulas Cethim.* Et Ezechiel. 27. 6. *de insulis Cethim.* Et cùm quatuor præfati illi insularum gentium primi cultores, Elisa, Tharsis, Cetim, Dodanim, auctore Mose, filij, fuerint Iauan, à quo Græcorum genus est deriuatum: Græciáque Ionia sit nuncupata, liquidò colligitur, innumeras insulas Ægæi, Ionij, Carpathij maris à Græcis cultas, & habitatas fuisse, vt eas nomine Cethim comprehensas existimare par sit.

His accedit quod est annotatum à Forerio in 23. Isaïæ, ad vers. 1. Pererio in Genes. 10. ad vers. 4. Delrio in Genes. 10. ad vers. 4. & 5. Cornelio à Lapide in Genes. 10. ad vers. 5. Castro in Ieremiæ 2. numer. 11. aliísque, Hebræos insulas appellare quascunque terras, ad quas non nisi per mare communis erat transitus, nondum lustratis ex omni parte regionibus, an mari vndique cingerentur, necne: vnde factum est, vt loca etiam continentia, mari tamen mediterraneo proxima, & ab eius insulis haud procul dissita, ad quæ ex Iudæa non nisi per mare solerent transmeare, Insulæ appellarentur. Ita capiunt illud Ieremiæ 25. 22. *Regibus terræ insularum quæ sunt trans mare,* & Sophoniæ 2. 11. *Adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.* Qua ratione Cethim, siue Insulæ Cethim interdum in Scriptura Græciam, Macedoniam, Italiam proculdubio significant, sic 1. Machabæor. 1. vers. 1. de Alexandro Magno dicitur: *egressus de terra*

terra Cethim percussit Darium Regem Persarum. Nullus verò non nouit Alexandrum ex Macedonia & Græcia fuisse egressum in Persicam expeditionem contra Darium. Nam summus Græcorum Imperator aduersus Persas creatus, è Macedonia molem belli mouit, vti Diodorus Siculus lib. 17. cap. 4. & 16. Plutarchus in Alexandro, Arrianus lib. 1. Iustinus lib. 11. & alij produnt. Ad hæc 1. Machabæor. 8. 5. Philippus, & Perses ille triumphatus à Paulo Æmilio, reges Cethæorum dicuntur, quos constat Macedoniæ reges fuisse. Ezechiel. verò 27. 6. insulæ Cethim à nostro vulgato, *insulæ Italiæ* vocantur: à Chaldæo, insulæ Apuliæ. Equidem Cethim Italiam significare, præter Ezechielis hunc locum, sunt quoque duo alij expressi in nostro Vulgato, nempe præsens Numerorum 24. v. 24. & Daniel. 11. v. 30.

Quod inde illustratur, siquidem Suidas hæc scribit: *Latini, qui nunc Romani dicuntur. Telephus enim filius Herculis, cognomento Latinus, eos qui olim Cethij dicebantur, Latinos appellauit. Iidem Itali dicti, à principe quodam Italo. Ab Ænea, cùm is occidentem occupasset, Æneadæ. Post eum omnes Romani dicti, cognomento à Romulo accepto.* Vides, vt Itali & Romani, auctore Suida, haud dubiè è veteri aliquo scriptore, olim Cethij nuncupati fuerint, quæ est ipsissima vox Cethim. Ioannes Annius de Antiquitatibus Hetruriæ, & hunc secutus Hector Pintus in Isaïæ 23. & Ezechiel. 27. distinguunt inter Cethim, & Kytim: Cetim volunt esse Macedoniam, vt in libro Machabæorum: Kytim verò Italiam, in reliquis Scripturæ locis. Sed id vanum arbitramur, cùm non nisi vnicum esse nomen Chitim, vel Chitiim in Scriptura, quod idem & Macedoniam & Italiam significet, superiùs ostenderimus: & Varia in alienis linguis enuntiatio, nomina ipsa Hebraïca nequaquam variet, aut distinguat. De Kytim apud Italos regnante plura Berosus Annianus lib. 5. Chaldaicorum, in 14. Rege Assyriorum, quæ fabulosa remur, eruditorum fermè consensu. Ergo vt breuiter omnia iam contrahamus, vox Chithim, vel Chithiim octies tantùm in Hebraïco ipso Bibliorum fonte reperitur. LXX. Interpretes semper ininterpretatam reliquerunt, sed tamen ad Græcum sonum deflexam. Vulgatus Genes. 10. 4. 1. Paralipom. 1. 7. Isaïæ 23. 1. 12. Ierem. 20. 10. nomẽ ipsum reliquit Hebraïcum *Cethim.* Numeror. 24. 24. *Italiam* dixit, vt etiam Ezechiel. 27. 6. Daniel. verò 11. 30. *Romanos.* In Græco verò 1. Machabæor. 1. 1. *Cethim,* & cap. 8. 5. *Cethæos.*

Quid verò Cithim, suis quibusque locis significet, id propriè eorundem locorum interpretum est edicere: & ex ipsis fusiùs iam à nobis est in superioribus descriptum: nec nostrarum partium est de singulis locis nunc accuratè disserere: cum tantùm hîc Numerorum 24. 24. locum susceperimus explanandum. Illud extra controuersiam est, 1. Machabæor. 1. 1. & cap. 8. 5. Cethim Græciam, seu Macedoniam esse. Aben-Ezra, & alij ex Hebræis contendunt Chithim, esse singulare è Genes. 10. 4. sed magis remur esse plurale, vt Dodanim.

Etymum verò vocis variè enodant. Origenes homilia 19. in Numeros: *Cithij interpretantur plaga finis.* S. Hieronymus in 23. Isaïæ, ad vers. 12. *Cithij interpretantur plaga consummata seu perfecta.* Et in interpretatione Nominum Hebraïcorum, in Genesim: *Chetim, confracti.* Caietanus in Numer. 24. ad vers. 24. *Chitthim, sonat contundentes.* Sanctes in interpretatione Hebraïcorum nominum: *Chittim, alias Chittiim, potest interpretari concisiones, aut contusiones: vel concisi, contusi: vel concidentes, aut contundentes à* בחת *Cathath.* Auenarius in Dictionario, & Fungerus in Etymologico à בחם *Chatham,* emicuit, deduxerunt. *Catham* in Niphal tantum semel reperitur Ierem. 2. 22. vbi Chaldæus, Rab. Scelomoh, & Noster, *maculata es.* Sanctes, & Schindlerus, *signata est,* & in Thesauro, è Kimchi, *descripta, impressa est.* Forsterus, & Mercerus, *fulgida est, & insignis vt aurum.* Auenarius, *promicat.* Kimchi, *manifestata est.* Marinus, & Buxtorfius, *inaurata est,* vel *insigni auro obducta est.* Auenarius annotat id verbum esse, emicuit, promicuit, fulsit, resplenduit instar micarum auri, & *Catham,* per syncopem & metathesim, esse idem quod mico, micas, micare. *Chetem* Hebræis est massa auri mundissimi, & primæ notæ: nam *Chethem* Chaldæo, & Rabbinis significat quoque, notam, maculam, quod Gallicè vocant *tache, ou marque,* vt *Chittim* sint quas vulgò vocamus Terræ Marchas, vnde Marchiones: Hispanicè *Manchas,* id est, Terrarum spatia seu portiones conspicuas, insignes, illustres.

Hebræi vnde dicti.

CAP. III.

IAm in eodem Balaami vaticinio elucidanda est tertia illa vox עבר *Héber,* quam omnes interpretantur Hebræum, & collectiuè Hebræos: & disquirendum vnde dicti sint Hebræi.

Prima sententia est, dictos Hebræos ab Abraham, quasi Abrahæos. Eusebius lib. 9. Præparationis Euangelicæ, cap. 4. *Artapanus verò historicus Hermuith Iudæos dicit appellatos fuisse: & Hebræos ab Abrahamo dictos.*

S. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum, cap. 14. *Israël, qui nepos fuit Abrahæ, à quo gens cœpit Hebræorum.*

Auctor sanè vetustus qui habetur ad finem 4. Tomi operum S. Augustini, in Quæstionibus ex vtroque Testamento mixtim. quæstione 108. *Si autem non legitur super Abraham dictos Hebræos, sed post Abraham: non iam vtique ex Heber, sed ab Abraham dicuntur Hebræi: quippe cùm filij Abraham primi hoc nomine appellati noscantur.* Addit multa in eandem sententiam.

Ambrosiaster in Epist. ad Philippenses, cap. 3. *Hebræi tamen propter Abraham dicti sunt: immutata est enim littera propter sonum, vt non vocarentur Abræi, sed Hebræi. Si enim origo ex Abraham est, ex ipso trahit & nomen: non ex Heber, qui sexta generatione est super Abraham.*

Hæc sententia passim refellitur gemina perspicua ratione, Primò, quia Abraham ipse Genes. 14. 13. nominatur Hebræus: nemo autem à seipso denominatur, 2. quia Abraham, scribitur cum aleph, Hebræus verò cum ע ain, עברי. *Hibri*: quæ sunt distinctissimæ voces.

Secunda sententia, vocatos Hebræos, à verbo עבר *Habar,* transire, vel ab עבר *Heber,* transitus, traiectus, trans, vltra, &c. Hunc etymon sic exposuit Forsterus in Dictionario: עברי *Hebræus, nomen masculini generis, quo cognomine à Chananæis, & Phœnicibus Abraham initio appellatus est: quòd priusquam ad ipsos venisset, trans Euphratem in Me-*

ſopotamia habitauerit, & inde traiecto fluuio ad eos commigrauerit, quaſi dicas, Tranſeuphrateus, ſicut dicimus Tranſiordanus, Tranſalpinus Tranſpadanus, &c. Et ab Abrahamo deinde tota eius poſteritas, non ſolùm à Chananæis, verùm etiam Ægyptiis, aliiſque gentibus Hebræi ſunt cognominati. Et ad huius ſententiæ confirmationem facit, quod Ioſuë 24.2. Deus de Abrahamo, Hebræorum populo dicit: Trans fluuium (Euphratem) *habitauerunt patres veſtri ab initio: tulique patrem veſtrum Abraham de transflumen, & duxi illum per vniuerſam terram Chanaan.* Vnde Hebræus propriè erit, Tranſitor, Traiector, Tranſfluuialis, Græcè περάτης, vel περαίτης. Vnde Geneſ. 14. 13. quod Hebraïcus Fons, & Noſter habent, *nuntiauit Abram Hebræo. LXX.* reddiderunt τῷ περάτῃ, Aquila, quod eſt fermè idem, τῷ περαίτῃ, id eſt, *Abram tranſitori.* S. Hieronymus in Quæſtionibus in Geneſ. *Nuntiauit Abraham tranſitori, pro eo quod nos poſuimus tranſitori, in Hebræo ſcriptum eſt HEBRI, hoc enim tranſitor exprimitur.*

S. Auguſtinus in Locutionibus in Geneſ. 14. legit, *nuntiauit Abraham transfluuiali*, vt etiam Quæſtione 29. in Geneſim. Ergo Hebræos dictos à tranſitu Euphratis fluuij non pauci docuerunt.

Origenes in Catena Græca ad 14. Geneſis: *Tranſitor nominatur Abraham, quoniam è Chaldæorum regione pertranſiens Meſopotamiam, venit in partes Chanaan.*

Euſebius lib. 11. Præparationis Euangelicæ, cap. 3. *Ipſum quoque gentis Hebrææ nomen a nomine Heber deductum eſt, quod tranſitum, & tranſeuntem lingua eorum ſignificat.*

Diodorus Tarſenſis in eandem Catena: *Tranſitorem vocat Abraham, quippe qui habitaret trans Iordanem.*

S. Ioannes Chryſoſtomus Homilia 35. in Geneſim: *quia trans Euphraten domicilium habuerat Abram, propterea vocatus eſt transfluuialis, ſiue Tranſitor.*

S. Auguſtinus Quæſtione 29. in Geneſim: *Et nuntiauit Abraham transfluuiali. Transfluuialem Abraham appellatum etiam Græca exemplaria ſatis indicant: ſed cur ita appellatus ſit, hæc videtur cauſa, quòd ex Meſopotamia veniens, tranſito flumine Euphrate, ſedes conſtituit in terra Chanaan, & tranſfluuialis appellatus eſt ex ea regione vnde venerat. Vnde Ieſus Naue dixit ad Iſraëlitas cap. 24. 15. Quid vultis ſeruire diis patrum veſtrorum qui ſunt trans flumen?* Eadem Strabus in Geneſ. 14.

Theodoretus quæſt. 60. in Geneſim: *Ego verò puto appellatos eſſe Hebæos, ex eo quòd Abraham Patriarcha, quum è regione Chaldæorum veniret in Palæſtinam, fluuium Euphratem pertranſiit.*

Hoc ipſum quoque exiſtimarunt, Rupertus Abbas lib. 5. in Geneſ. cap. 11. Paulus Burgenſis aditione 2. in 21. Matthæi, Ioannes Reutlinus lib. 3. de Verbo mirifico, cap. 13. Ludouicus Viues lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 3. Antonius Gueuara parte 2. Epiſtolarum, in Diſſertatione cum Iudæis Neapolitanis, Hebraïcum Lexicum Complutenſe, Ioannes Forſterus, Ioannes Auenarius, Marcus Marinus in ſuis Lexicis, in verbo *Habas*, Conradus Pellicanus, & Iſidorus Clarius in 10. & 14. Geneſ. Antonius Honcala, & Emanuel Sà in 10. Geneſ. Arias Montanus in libro Chanaan, cap. 9. Franciſcus Ribera in Ionæ 1. numero 42. & Præfatione in Epiſtolam ad Hebræos, ad finem, Ludouicus à S. Franciſco lib. 1. Globi Linguæ ſanctæ cap. 1. Aloyſius Lippomanus, Ludouicus Yſtella in Geneſ. 14. Ioſephus Scaliger epiſtola ad Stephanum Vbertum, Georgius Amiras Edenienſis è Libano, in Præludiis ad Grammaticam Syriacam, Flaminius Nobilius in Notis ad Editionem Latinam LXX. Interpretum, Geneſ. 14. Ioannes Fungerus in Etymologico Trilingui, Benedictus Iuſtinianus in Epiſtolam ad Philippenſ. cap. 3. ad verſ. 5. Guilielmus Eſtius Præfatione in Epiſtolam ad Hebræos. Ex Hebræis quidem idem affirmant, Rabbi Scelomoh in Geneſ. 10. & 14. Dauid de Pomis in Lexico.

Tertia ſententia eſt Hebræos dictos ab Heber pronepote Sem, cuius fit mentio Geneſ. 10. v. 24. & 25. qui & linguam Hebraïcam, & nomen tranſmiſit in poſteros fideles, qui fuerunt populus Dei. Ioſephus 1. Antiquit. cap. 7. *Ex Arphaxade prognatus eſt Sales: ex hoc Heberus, à quo Iudæi quondam appellabantur.*

S. Theophilus Epiſcopus Antiochenus lib. 3. ad Autolycum: *Sala genuit filium nomine Heber, ab hoc vniuerſum ipſorum genus Hebræi dicuntur.*

Anonymus Chronologus ſub Alexandro Seuero editus ab Henrico Caniſio, lib. 1. cap. 6. *Sale genuit Heber, vnde Hebræi.* Idem habent Excerpta Latina primi libri Chronicorum Canonum Euſebij, quæ edidit Ioſephus Scaliger.

Euſebius lib. 1. Chronici: *Sala autem genuit Heber, vnde Hebræi.* Et lib. 7. Euangelicæ Præparationis, cap. 2. *Hebræi verò appellati ſunt ab Hebero, à quo Abraham originem traxit.*

Acatius Cæſarienſis Epiſcopus in Catena Græca Geneſ. 14. verſ. 13. *Poſitum eſt gentile nomen ductum ab attauo ipſius Abram, id eſt, Heber: ſed interpretatione redditum, nimirum, pro Abram Hebræo, Abram tranſitori: Hebræus enim interpretatione redditur tranſitor.* Quod ad nominis Hebræi interpretationem attinet, Philo lib. de migratione Abraham: *Hebræus enim migrator interpretatur.* S. Hieronymus in Ezechielis 7. ad verſ. 7. *Abraham Hebræus, id eſt, περάτης, & peregrinus, tranſitórque memoratur.*

S. Hieronymus Quæſtionibus Hebraïcis in Geneſ. 10. *Heber à quo Hebræi, vaticinio quodam filio ſuo Phaleg nomen impoſuit: qui interpretatur diuiſio, ab eo quod in diebus eius linguæ in Babylone diuiſæ ſunt.*

S. Auguſtinus lib. 2. Retractationum, cap. 16. *In quo libro* (nempe 2. de conſenſu Euangeliſtarum, cap. 14.) *quod dixi ex Abraham cœpiſſe gentem Hebræorum: eſt quidem & hoc credibile, vt Hebræi velut Habraëi dicti eſſe videantur: ſed ex illo verius intelliguntur appellati, qui vocabatur Heber, tanquam Heberæi: de qua re in libro 16. de Ciuitate Dei, ſatis diſſerui.* Vbi cap. 3. inquit: *Sala genuit Heber. Non itaque fruſtra ipſe primus nominatus eſt in progenie veniente de Sem* (nimirum quum dicitur Geneſ. 10. 21. *De Sem quoque nati ſunt, patre omnium filiorum Heber,*) *& prælatus eſt etiam filiis, cùm ſit quintus nepos: niſi quia verum eſt quod traditur, ex illo Hebræos eſſe cognominatos, tanquam Hebræos. Cùm & alia poſſit eſſe opinio, vt ex Abraham tanquam Abrahæi dicti eſſe videantur. Sed nimirum hoc verum eſt, quod ab Heber Hebræi appellati ſunt: ac deinde vna detracta littera Hebræi.* Pluribus etiam hæc eadem proſequitur cap. 11.

S. Iſidorus lib. 9. Originum, cap. 2. *Ex Aſſur, Aſſyrij, ex Heber Hebræi.*

S. Beda in Chronico: *Sale genuit Heber: ab hoc Heber, Hebræorum nomen, & genus oritur.*

S. Ado Viennenſis Epiſcopus in Chronico: *Sale genuit Heber: ab hoc Heber, Hebræorum nomen, & ge*

& genus oritur. Sunt ipſiſſima verba S. Bedæ.

Suidas: *Hebræi ab Hebere filio Sale, qui inter populos terra diſtributa, ſuos appellauit Hebræos. Hic quia non inter turris conditores fuit, eius ſermo non eſt mutatus.*

Cedrenus in Annalibus, pag. 9. *Aiunt ſolum Eberum, Phaleci patrem in ſubſtructionem turris non conſenſiſſe: itaque etiam reliquorum linguis confuſis, Eberi ſermo integer permanſit. Ea eſt lingua qua Adamus vſus eſt: & ab hoc poſteri ſe gentilitio nomine Ebræos, & linguam Hebræam nominarunt.*

Zonaras Tomo 1. Annalium: *Hebræi, quæ gens ab Hebere auctore ſuo nomen habet.* Atque in eandem ſententiam conſpirant Rabbanus lib. 2. in Geneſ. cap. 11. Strabus in 10. Geneſ. Marianus Scotus in Chronico lib. 1. cap. 15. Otho Friſingenſis lib. 1. Chronici, cap. 4. S. Thomas in 3. ad Philippenſ. Lyranus in Geneſ. 10. & 14. Toſtatus in Geneſ. 14. & in Exodi 24. quæſt. 4. Petrus Galatinus lib. 4. Arcanorum Catholicæ veritatis, cap. 20. Matthæus Beroaldus lib. 2. Chronici, cap. 3. Caietanus, Steuchus, Tremellius & Iunius, Mercerus, Cornelius à Lapide, Druſius, Vatablus, Pererius, Delrius in 10. & 14. Geneſ. Guillaudus in 1. cap. Epiſtolæ ad Hebræos, ad finem, Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 33. Adrichomius in Chronico anno mundi 1757. Torniellus in Annalibus Mundi, Anno 2217. numero 2. Schindlerus, & Buxtorfius in Hebraïcis Lexicis, Mercerus in Theſauro Pagnini, Henricus Henriquez de Fine hominis, cap. 23. §. 3. Hugo Brougthonus in Concentu S. Scripturæ, pag. 21. Reinerus Reineccius in Syntagmate Heroico, parte 1. in Regno VII. Iſraëlitico, Leonardus Coquæus in 16. De Ciuitate Dei, cap. 4. Quin & Kimchi, teſte Hamero, ait: *Hebræus dicitur à familia ſeu cognatione Heber.*

Nec defuere qui vtramque ſimul opinionem coniungerent, nimirum Hebræos primùm appellatos ab Heber patriarcha, deinde vero à traiectu Euphratis, vt Abraham. Ita diſertè Cornelius à Lapide in 10. & 14. Geneſ. quod etiam amplecti videntur Guilielmus Hamerus in Geneſ. 14. & Hieronymus Oleaſtrius in Geneſ. 10. 11. & 14.

Verùm etſi vtraque ſententia proba ſit & probabilis, plurimóſque pro ſe quæque auctores habeat: at cunctis accuratè perpenſis, hanc vltimam, nempe Hebræos ad Heber Patriarcha nomen accepiſſe, meritò præferimus: ob duplicem rationem, Primo quòd עִבְרִי *Hibri*, formam potius patronymici & gentiliti nominis referat, vt יְהוּדִי *Iehudi*, Iudæus, à Iuda, יִשְׂרְאֵלִי *Iſraëli*, Iſraëlites, ab Iſrael, עֲמָלֵקִי *Hammaleki, Amalecites, ab Amalec*, אֲרַמִּי *Arami*, Aramæus, ſeu Syrus ab Aram, Syria. Dicetur ergo עִבְרִי *Hibri*, Hebræus ab Heber gentis auctore. Secundò, quod vrget S. Auguſtinus, Geneſ. 10. 21. Sem dicitur pater omnium filiorum Heber. Filij ergo Heber ab Heber nuncupati ſunt. Cur enim potius, dicetur Sem pater omnium filiorum Heber, qui quintus fuit à Sem, niſi quia Heber genti nomen dederit? Vide Steuchum in 14. Geneſ. Nec enim audiendus eſt Rabbi Scelomoh in Geneſ. 10. & hunc ſequutus Iſidorus Clarius, qui ibi Heber non nomen proprium, ſed appellatiuum eſſe volunt, quod Sem pater fuerit omnium transfluuialium, eorum ſcilicet, qui ante Abrahamum trans, ſeu vltra Euphratem habitarunt, Ioſue 24. 2. Vide Genebrardum lib. 1. Chronographiæ, pag. 50.

Annotat Eugubinus: *Hebræi autem reſpuunt ſe ab Heber cognominari, quòd is idololatra, vt ferunt, fuerit: nefáſque ſit, tam ſanctam gentem, ab homine profano atque impuro nomen ſortiri.* Id quod ego falſiſſimum exiſtimo, ſiquidem verum eſt quod S. Epiphanius initio operis aduerſus hæreſes, Suidas, Conſtantinus Manaſſes, & alij prodidere, à Serug, qui fuit quartus ab Heber, idololatriam cœpiſſe. Hoc autem loco Numerorum 24. v. 24. *Heber* nomen proprium auctoris gentis, pro patronymico, ſeu gentilito עִבְרִים *Hibrim*, Hebræis poſitum, vt etiam Aſſur, pro Aſſyriis ibidem, conſenſu omnium conſtat: more nimirum Scripturæ Hebraïcæ, quo propria nomina primitiua, pro gentilitiis vſurpari ſolent; ſic Iſraël, pro Iſraëlitis, Iacob, pro Iacobitis, Iudas, pro Iudæis.

Vaticinij Balaami Numerorum 24. v. 24. variæ explanationes.

CAP. IV.

ANte omnia, poſtquam cap. 2. tam multa diſſeruimus de voce *Chitthim*, diſquirendum quid hoc loco ſignificet, quum dicitur: *Et naues de manu Chitthim.* Aben-Ezra, & Oleaſtrius *Chittim* hoc loco Græcos interpretantur: ita tamen vt Græcorum nomine etiam Romanos includant: quod Regnum Græcorum & Romanorum pro vno, eodemque reputetur. Ait enim Aben-Ezra: *Et iam ſcripſi in libro Daniel, quod regnum Græciæ & Romanum idem eſt, & eſt beſtia tertia.* Verùm exulat à regione veri, Græcorum Regnum & Romanorum idem omnino eſſe. Forſterus & Auenarius reddunt: *Et naues de littore Macedoniæ.* Ceterum Chaldæus Paraphraſtes, Rabbini Scelomoh, Saadiah, Kimchi & alij, vulgatus, quod plurìs eſt faciendum, & Latini omnes *Cethim* hîc Italiam, ſeu Romanos intelligunt. Chaldæus: *Et naues venient à Romanis*, ſeu, vt alij reddunt: *Et cœtus venient à Romanis.* Thargum Ieroſolymitanum: *Et egredientur copiæ multæ ex Prouincia Italiæ, vnà cum multis legionibus Romanorum.*

Ad verbum: *Et naues*, ſeu trieres *de manu Italiæ. de manu* quoque habent LXX. quod variè exponunt. Primò, Aben-Ezra, Scelomoh, Kimchi, Pellicanus, Druſius, Marinus, *de manu Italiæ*, id eſt, de loco Italiæ. Deuteron. 23. 12. *Et manus erit tibi extra caſtra:* id eſt, *locus*, vt LXX. Chaldæus, & Vulgatus, atque omnes reddunt. Iſaïæ 56. 5. *Dabo eis in domo mea manum.* Id eſt, *locum*, vti LXX. Chaldæus, & Vulgatus reddunt. Eſt Hiſpaniſmus, *Darles è mano en mi caſa.* Latinè, plurimum in domo mea poterunt. Secundò, Sanctes, Franciſcus Georgius, Vatablus, Forſterus, Auenarius. Tremellius & Iunius, Druſius, *de manu*, id eſt, de littore, ſeu ripa. Numeror. 13. 30. *Chananæus verò moratur iuxta mare, & ſuper manum Iordanis.* Id eſt, ad ripam Iordanis. Deuteron. 2. 37. *omnem manum torrentis Iacob.* Id eſt, omnem ripam aut latus. Tertiò, *De manu Italiæ*, id eſt, de termino, ora, finibus, limitibus Italiæ, nempe de Roma, quæ eſt in ora Italiæ, mari infero, ſeu Tyrrheno impoſita. *Iad* enim Hebræis terminum & limitem interdum denotat: obſeruant enim Forſterus & Mercerus veteres in limitibus ſolitos manum ponere, quæ terminos & fines vniuſcuiuſque poteſtatis, aut poſſeſſionis demonſtraret. Ezechiel. 11. 19. *& manum crea*, ſeu facito, *in capite viæ.* Ieremiæ 6. 3. *pauerunt vir* (quiſque) *manum ſuam*, id eſt terminum ſuum. Quartò,

de manu Italiæ, de regione, plaga, ſinu, tractu. Oleaſtrius, *de plaga*, ſeu *ſinu*. Leo Iudas, *de partibus*. Iſaiæ, 22. 18. *terram latam manuum*, vel *manibus*, id eſt, tractibus, ſeu regionibus. Quintò, *de manu Italiæ*, id eſt, de poteſtate, Imperio, ditione Italiæ ſeu Romanorum. Sic cum de Deo dicitur, *In manu tua cuncta ſunt poſita*: hoc eſt, poteſtati tuæ, Imperio omnia parent, & ſubiacent. Caietanus, *de manu*, id eſt, *de operatione Romanorum*. Steuchus, *à potentia Italorum*, ſiue *Romanorum*. Quam latè pateat vſurpatio manus in Scriptura, Hebraïca Lexica variorum abundè te docebunt: itémque Phraſes Villauicentij & Sà, verbo *Manus*. Nec illud omittimus manum interdum capi pro exercitu & copiis militaribus: vt eſt notiſſimum. Virgilius: *Iuuenum manus emicat ardens*. Æneid. 6. Et, *Hîc manus ob patriam pugnando vulnera paſſi*. Et 2. Æneidos: *Hîc Delopum manus, hîc ſæuus tendebat Achilles*. Hinc Manipulus militaris, Varro lib. 4. de Lingua Latina: *Manipulos exercitus minimas manus, quæ vnum ſequuntur ſignum*. Vegetius lib. 2. c. 13. *Manipulus vocabatur, ab eo quod iunctis manibus pariter dimicabant*. Sic capiunt Threnor. 4. 6. *& non ceperunt in ea manus*, id eſt, caſtra, exercitus, copiæ militares, Kimchius, Sanctes, Vatablus, Figuerius, Caſtrus. Actorum 12. 1. *Miſit Herodes rex manus*, ſubaudi militum, ſeu manipulos militares, vt Pintus in Daniel. 8. & quidam alij interpretantur: ſed aliter communis ſenſus, iniecit manus. Ergo hîc: *Et naues de manu*, id eſt, de exercitu Italorum, ſeu Romanorum, haud abſurdè accipere poſſumus.

Prima Explanatio.

Prophetaſſe iis verbis Balaamum expeditiones & victorias Alexandri Magni aduerſus Aſſyrios, Perſas, totúmque Orientem: quando etiam ipſos Hebræos in poteſtatem redegit. Venient trieres, ſeu naues longæ de Cethim, hoc eſt, Græcia, & Macedonia, nimirum veniet Alexander cum claſſibus & exercitu de Macedonia & Græcia. Siquidem Alexandrum nauibus traieciſſe exercitum ex Europa in Aſiam per Helleſpontum, Diodorus, Plutarchus, Arrianus, Inſtinus & alij rerum eius ſcriptores tradunt. Faciunt ad lucem loci verba nonnulla iſtorum. Diodorus lib. 17. num. 570. *Alexander cum exercitu ad Helleſpontum progreſſus, ex Europa in Aſiam copias traiecit. Ipſe quinquaginta cum nauibus longis Troadem appulſus, Macedonum primus haſtam è naui eiaculatus littore defixit: & puppi exiliens à diis ipſis Aſiam haſta ſubactam ſe accepiſſe oſtendit*. Arrianus lib. 1. *Ineunte vere ab Helleſponto ſoluit, Macedoniæ & Græciæ adminiſtratione Antipatro commiſſa*. Et poſteà de eius exercitu ſubdit: *Qui quidem triremibus centum & ſexaginta, aliiſque nauibus onerariis quamplurimis tranſuecti ſunt. Alexandrum ex Eleunte in Achæorum portum nauigaſſe plures ſcribunt, nauiſque prætoriæ gubernatorem fuiſſe: quumque iam in mediis Elleſponti fluctibus verſaretur, taurum Neptuno ac Nereidibus mactaſſe, aureáque phiala in mare profuſa libaſſe. Fexunt etiam primum ex naue cum armis in Aſiæ terram deſcendiſſe*. Iuſtinus lib. 11. *Adunato deinde exercitu naues onerat: vnde conſpecta Aſia, incredibili ardore mentis accenſus, duodecim aras deorum in belli vota ſtatuit. Priuſquam vlla nauis littore excederet, hoſtias cædit, petens victoriam bello. Cùm delati in continentem eſſent, primus Alexander iaculum velut in hoſtilem terram iecit, armatúſque de naui tripudianti ſimilis proſiluit*. Hæc mirè illuſtrant quod Balaam ait: *Et naues* ſeu trieres *de manu Cethim*, venient, nimirum, veniet Alexander Magnus è Macedonia & Græcia cum ingenti claſſe in Aſiam.

Porrò Alexandrum ſuperaſſe Aſſyrios, & Orientem, atque Babylonem cepiſſe, nulli non notum. Sed & Hebræos humiliaſſe, ſibíque ſubieciſſe, Ioſephus fusè narrat 11. Antiquit. cap. 8. At eos planè non deuaſtauit, ſed potius honoribus, & remiſſione tributorum affecit. Qualiter autem Alexander, eiúſque regnum tandem perierit, nimis eſt peruagatum.

Quin & poſt Alexandrum, Antiochum Epiphanem Syriæ & Babyloniæ regem, ex ſtirpe Macedonum, ex Ægypto, & Cypro mouentem grauiſſimè afflixiſſe & deuaſtaſſe Hebræos, ex diuinis & humanis litteris nulli eſt incompertum, qui tandem diro & funeſto exitu periit, vt 2. Machabæor. 9. accuratè narratur. Expoſitio eſt Theodoreti quæſt. 45. in Numeros, qui ita habet: *Prædixit itaque Macedonum victoriam aduerſus Perſas: Egredientur enim, ait de manu Cethim, & affligent Aſſur, & profligabunt Hebræos. Alexander quidem deleuit regnum Perſarum: Antiochus autem dimicans contra Iudæos, tum metropolim cepit, tum diuinum Templum deſertum reddidit*. Neque ab eadem abludit Oleaſtrius. *Sed hoc*, inquit Steuchus, *refellitur Hebræorum auctoritate & editione Chaldaica*. Quaſi verò horum auctoritas nobis præſcribat.

Tremellius Immanuel & Franciſcus Iunius totum locum ita reddunt, & exponunt: *Sed quum naues à littore Citthæorum ſoluentes afflixerint Aſſyrios, & afflixerint Hebræos: tum etiam populus ille in perpetuum peribit. Citthæorum, Cilicum: intelligit autem Græcorum & Seleucidarum copias, quibus Hebræi & Aſſyrij domiti ſunt. Sed ipſi Græci & Seleucidæ tandem perierunt*.

II. Vaticinatum Balaamum de Imperio & potentia Romanorum, qui ingentibus claſſibus & exercitibus in Orientem penetrarint, plurimáſque & magnas in eo prouincias ſubiugauerint, atque cumprimis Aſſyrios & Hebræos. Quod enim ad Aſſyrios attinet, nota ſunt bella Romanorum cum Antiocho Magno rege Syriæ & Babyloniæ, quæ fuere prima in Aſia à Romanis ſuſcepta, atque de eodem rege victoriæ, è Polybio lib. 15. & Excerptis Legationibus, 23. & 24. Liuio lib. 35. 36. 37. Iuſtino lib. 31. Floro lib. 2. cap. 8. Appiano in Syriacis, Eutropio lib. 4. Rufo Feſto in Breuiario, Aurelio Victore de Viris Illuſtribus, cap. 54. Oroſio lib. 4. cap. 20. & aliis.

Tandem vero à Pompeio Magno regnum Syriæ ſublatum, & in Prouinciæ formam redactum fuiſſe, auctores conſenſu produnt. Velleius lib. 2. de Pompeio. *Syria, aliæque quas occupauerat Tigranes prouinciæ erepta, & aliæ reſtitutæ Populo Romano, aliæ tum primum in poteſtatem eius redactæ, vt Syria, quæ tum primum facta eſt ſtipendiaria*. Iuſtinus lib. 40. de Pompeio: *Atque ita Syriam in prouinciæ formam redegit, paulatimque Oriens Romanorum, diſcordia conſanguineorum regum, factus eſt*. Plutarchus in Pompeio: *Deſcendit in Syriam, quam vt iuſto rege vacantem in formam Prouinciæ redegit, poſſeſſionémque fecit Populi Romani*. Appianus in Syriacis: *Pompeius Antiochum ſpoliauit regno Syriæ. Atque ita Cilicia, & tum mediterranea, tum Cœla Syria, Phœnicaque ac Paleſtina ſine certamine acceſſit Romano Imperio, cum aliis gentibus Euphratem inter & Ægyptum ſitis*. Florus lib. 3. cap. 5. *Sic Pompeio Populus Romanus totam, quæ latiſſima eſt, Aſiam peruagatus, quam extremam habebat prouinciam, mediam fecit. Exceptis quippe Parthis, qui fœdus maluerunt, & In*

& Indis qui adhuc nos non nouerant, omnis Asia inter Rubrum mare, & Caspium, & Oceanum, Pompeianis domita, vel oppressa signis tenebatur. Vide quoque Epitomen Liuinam lib. 101. & 102. Aurelium Victorem de Viris Illustribus, cap. vltimo, Dionem lib. 36. Eutropium lib. 6. Rufum Festum in Breuiario, Orosium lib. 6. cap. 4. & 6.

De triumpho Pompeij Plinius lib. 7. cap. 26. *Ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Cyria, Scythis, Iudæis, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis, triumphauit.* Plutarchus: *Titulis præcedentibus, gentes de quibus triumphabat, significatæ. Hæ fuerunt, Pontus, Armenia, Cappadocia, Paphlagonia, Media, Colchis, Iberia, Albania, Syria, Cilicia, Mesopotamia, præterea quæ circa Phœnicem, & Palæstinam incolunt gentes, Iudæa, Arabia.* Appianus in Mithridaticis: *Pompeius splendidissimo triumpho vrbem iniit, exacto anno ætatis quinto supra trigesimum: durauitque pompa per biduum, traductis tam multis gentibus, Ponticis, Armeniis, Cappadocibus, Cilicibus, totius Syriæ nationibus, Albanis, Heniochis, Achæis, Scythis, Iberis.*

Sed & victrices expeditiones Traiani Imperatoris in Assyriam, Babylonem, Ctesiphontem, & reliquum Orientem copiosè describit Dio lib. 68. Rufus Festus in Breuiario: *Per Traianum Armenia, Mesopotamia, Syriæ, & Arabiæ prouinciæ factæ sunt, ac limes Orientalis supra ripas Tigridis est institutus.* Et post alia: *Traianus, qui post Augustum Romanæ Reipublicæ mouit lacertos, Armeniam recepit à Parthis, sublato diademate, regi Armeniæ maioris regnum ademit. Albanis regem dedit, Iberos, Bosphorianos, Colchos in fidem Romanæ ditionis recepit. Osræenorum loca & Arabum occupauit, Cardenos, Marcomedos obtinuit. Antemusium optimam Persidis regionem, Seleuciam Ctesiphontem, & Babyloniam accepit & tenuit. Vsque ad Indiæ fines post Alexandrum accessit. In mari Rubro classem instituit. Prouincias fecit, Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam, quæ inter Tigridem, atque Euphratem sita irriguis amnibus instar Ægypti fœcundatur.*

Eutropius lib. 8. *Traianus Armeniam, quam occupauerant Parthi, recepit, Sarmato rege occiso qui eam tenebat: Albanis regem dedit: Iberorum regem, & Sauromatarum, & Bosphoranorum, & Arabum, & Osdroænorum, & Colchorum in fidem accepit: Adiabenos, Marchomedos occupauit: & Antemusium magnam Persidis regionem, Seleuciam, & Ctesiphontem, Babylonem, & Edessios vicit, ac tenuit vsque ad Indiæ fines: & Mare-Rubrum accessit, atque ibi tres prouincias fecit, Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam.* Vide Eusebij Chronicon.

Orosius lib. 7. cap. 12. *Traianus regiones trans Euphratem & Tigrim sitas, prouincias fecit. Seleuciam, & Ctesiphontem, & Babylonem occupauit.* De aliis subsequentium Romanorum Principum in Assyriam & Babyloniam expeditionibus, vide Eutropium, & Festum Rufum. Quæ omnia mirè faciunt ad lucem verborum Balaami de Romanis, *superabunt Assyrios*, seu humiliabunt, affligent.

Quod verò sequitur, *vastabunt Hebræos*, cumprimis etiam illustratur ex his quæ tradunt auctores, de cladibus quas Romani Iudæis intulerunt. Liuiana Epitome lib. 102. *Cn. Pompeius Iudæos subegit, fanum eorum Ierosolyma inuiolatum ante id tempus cepit.*

Strabo lib. 16. *Hircanum & Aristobulum de imperio disceptantes, Pompeius superueniens deiecit, atque eorum munitiones euertit: & ipsa in primis Ierosolyma vi capta sunt. Pompeius cepit, obseruato ieiunij die, quo ab omni opere Iudæi abstinent: iussitque mœnia omnia conuelli.*

Plutarchus in Pompeio: *Iudæam subegit, regémque Aristobulum cepit.*

Tacitus Historiarum 5. *Romanorum primis Cn. Pompeius Iudæos domuit: templúmque iure Victoriæ ingressus est. Inde vulgatum, nullas intus deûm effigies, vacuam sedem, & inania arcana. Muri Ierosolymorum diruti, delubrum mansit.*

Florus lib. 3. cap. 5. de Pompeio: *Ierosolymam defendere tentanere Iudæi, verùm hanc quoque & intrauit, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens sub aureo vti cælo.* Emendat Lipsius 2. Electorum, cap. 5. *sub aureo vitem solo.* Vitis aurea in templo, auctoribus notissima.

Appianus in Syriacis: *Vna Iudæorum gens armis subigenda superfuit: cuius regem Aristobulum Victor Pompeius Romam misit, & Ierosolymæ maximæ, sanctissimæque in ea regione vrbis mœnia diruit.*

Dio lib. 36. de Pompeio, *Itaque etiam reliquos Iudæos haud difficulter subegit. Ierosolymorum autem oppugnatio haud paruo ei labore stetit. Vrbem quidem ipsam, à fautoribus Hircani receptus, facilè obtinuit: templum autem quod alterius partis homines præoccupauerant, haud absque labore cepit. Situm erat loco edito, suis mœnibus munitum: nec si ex æquo omnibus diebus id defendissent, expugnatum esset: verum quod Saturni, quos vocant, diebus, propugnationem intermittentes, (& his quidem ab omni opere vacant) Romanis eo libero spatio occasionem muri subruendi dederunt. Quippe vbi hunc hostium morem animaduerterunt, nihil serio egerunt reliquis diebus: quum verò circumacta septimana, Saturni dies rediisset, denuò aggressi, summa vi templum oppugnarunt. Atque ita tandem Iudæi, nihil quidquam propugnantes in potestatem hostium venerunt.*

Rufus Festus in Breuiario: *Pompeius Iudæa capta, Ierosolymam obtinuit.*

Eutropius lib. 6. *Inde ad Iudæam* Pompeius *transgressus, Ierosolymam caput gentis tertio mense cepit: duodecim millibus Iudæorum occisis, ceteris in fidem acceptis.* Vide quoque Chronicon Eusebij, & Orosium lib. 6. cap. 6. Descripsit id bellum Diodorus Siculus lib. 40. Bibliothecæ, sed tamen eius libri vix paruæ Eclogæ superstant apud Photium. Nemo tamen certius & accuratius Iosepho proprio gentis historico, qui illud ex professo narrat lib. 14. Antiquit. cap. 6. 7. & 8. & lib. 1. Belli Iudaïci, cap. 5. atque ex eo Hegesippus lib. 1. Excidij Ierosolymitani, cap. 15. 16. & 17.

Afflixerunt quoque Romani Iudæos per M. Crassum, vt refert Iosephus 14. Antiquit. cap. 12. & lib. 1. Belli Iudaici, cap. 6. Orosius lib. 6. cap. 13. Hegesippus lib. 1. cap. 21. Per Cassium, vt Iosephus & Hegesippus eisdem locis, item Iosephus 14. Antiquit. cap. 18. & 1. Belli, cap. 9. Hegesippus lib. 1. cap. 28. scribunt. Per Vespasianum & Titum, vt Iosephus integro opere de Bello Iudaico, Tacitus 5. Historiarum, Dio lib. 66. Eutropius lib. 7. Orosius lib. 7. cap. 9. Eusebius lib. 3. Historiæ Eccles. cap. 5. 6. 7. 8. Hegesippus integro Commentario de Excidio Ierosolymitano, produnt. Per Hadrianum, vt Dio lib. 69. Ælius Spartianus in Hadriano, Appianus in Syriacis, Eusebius lib. 4. Historiæ, cap. 6. Orosius lib. 7. cap. 13. & alij sunt auctores. Denique per Seuerum, vt Dio lib. 75. Spartianus in Seuero, Eusebius in Chronico, Orosius lib. 7. cap. 17. affirmant.

Quod autem in Balaami vaticinio additur: *& ad*

ad extremum etiam ipſi peribunt. Volunt eſſe prædictionem de interitu Imperij Romani in fine mundi, ante aduentum Antichriſti, quando ipſum Romanum Imperium penitus deſtruendum eſt, iuxta Danielis, Pauli, & Patrum ſententias. De qua re integro libro ediſſeruimus. Explanatio eſt Strabi, Petri Comeſtoris, Lyrani, Toſtati, Caietani, Steuchi, Contadi, Pellicani, Vatabli, Iſidori, Clarij, Cornelij à Lapide, in hunc locum Numeror. 24. v. 24. Villalpandi in Ezechiel. 27. ad verſ. 6.

III. Nonnulli exponunt de Imperio Romanorum, qui Aſſyrios & Hebræos afflixerunt, & ſubiugarunt, vti in ſecunda Explanatione diximus: ſed ipſum Imperium Romanum tandem periit, & ſublatum eſt: nimirum poſt quartum regnum ferreum, hoc eſt, Romanum, Daniel. 2. ſucceſſit regnum Chriſti ſempiternum, hoc eſt, Eccleſiæ. Siquidem regnum Chriſti extinxiſſe videtur & deleſſe Romanum Imperium: non quidem corporeo & materiali interitu: ſed ſpiritali quadam & ſublimiori morte, paulatim auulſa & extirpata idololatria, & omni gentilica ſuperſtitione depulſa: illúdque totum ſubdendo, & ſubiiciendo Chriſtianæ religioni. Aut illud commutando in ſublimius & excelſius Imperium Romanum, nempe in illud Eccleſiaſticum Romanæ Eccleſiæ & Pontificis ampliſſimum regnum. Nam quamuis reuera adhuc maneat ac ſtet temporale ipſum & ciuile Romanum Imperium in Germania, vti ſuperiori libro dicebamus: at magnitudo eius & amplitudo, præſtantia, dignitas tota ferè ceſſit Imperio Summi Pontificis, & in iſtud commigrauit. Ita interpretantur Rupertus, Strabus, Burgenſis.

IV. Alij putant eſſe peculiare & proprium vaticinium de ſupremo Iudæorum excidio, Vrbiſque ac Templi ruina per Veſpaſianum & Titum: quaſi dicat: Romani ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabunt & excindent Hebræos per Titum: ſed ipſum tandem Imperium Romanum etiam extinguetur. Ita Lyranus hîc, & Pererius in 11. Danielis.

Expendenda hîc ea verba: *& ad extremum etiam ipſi peribunt.* Hebræa variè redduntur. Franciſcus Georgius: *& etiam tandem peribit.* Sanctes, *& etiam ipſe in ſæculum perit.* Vatablus, *& etiam illud vſque ad perditionem.* vel, *etiam ille vſque ad perdentem.* Leo Iudas, *qui & ipſe perpetuò peribit.* Montanus, *& etiam ipſe vſque ad perditionem.* Forſterus, *& etiam ipſe perpetuò ablatus.* Caietanus, *& etiam ipſe ſempiterna perditio.* Marinus, *quin & ipſe vſque ad interitum.* LXX. *& ipſi pariter peribunt.* Origenes: *Pariter ergo Græcus ſermo pro ſtatim ponit.* Qui Hebraïcè norunt, vident etiam, vt Fons ipſe omnes eiuſmodi ſenſus ferat. Subolfecimus & nos alium ſenſum: *Et etiam ipſum*, ſcilicet Romanum Imperium, *vſque ad perditum*, vel *ad perdentem.* Vt Vatablus expoſuit. Neque enim alligandi ſumus ſententiæ Rabbi Iaacob Ben Eleazar, aliorúmque Hebræorum aſſerentium, OBED אבד hoc loco non eſſe benoni, loco Toar, more Hebraïco: ſed eſſe nomen ſubſtantiuum, hoc eſt *perditio:* nam eſſe participium pro adiectiuo, *perditus*, Forſterus & Marinus annotarunt. Erítque mirificus ac propheticus ſenſus: Ipſum Imperium Romanum ſtabit vſque ad perditum illum, nempe Antichriſtum, omnium mortalium perditiſſimum, vel vſque ad perdentem, ſcilicet Antichriſtum, deprauantem & corrumpentem omnia. Iam enim fusè nobis ſuperiori libro demonſtratum, Romanum Imperium victurum ad Antichriſtum vſque, quo extincto, mox affuturum Antichriſtum.

V. Poſſumus quoque haud abſurdè verba Balaami interpretari de vaſtatione Hebræorum per Titum, & Hadrianum, atque alios Romanos Principes: & illud, *ipſe tandem*, vel *perpetuò, æternùm periens*, vel *ipſi omnino peribunt*, non intelligatur de Imperio Romano: ſed de ipſo Heber, ſeu Hebræis, qui poſt clades Romanas, exilio diſſipati & diſperſi toto orbe feruntur, patrio cælo, & ſolo extorres, miſeri, afflicti, oppreſſi, malè à cunctis gentibus habiti, tantùm non perpetuò pereuntes & agentes animam: immaniſſimi illius ſceleris occiſi & repudiati Filij Dei iuſtas luentes pœnas, vſque ad tempora Antichriſti, quando animos tantiſper reſument.

VI. Caietanus ſingularem attulit huius loci expoſitionem his verbis: *Quocirca ſi Chitthim hoc in loco eſt nomen proprium, Græca regio ſignificatur: & quæ hîc prophetantur, fortè adhuc adimpleta non ſunt: ſed paulatim adimplentur in regno Turcarum, quorum ſedes eſt in terra Chitthim.*

VII. Concipiat forſan aliquis aliam intelligentiam, nimirum, vt illis verbis: *Venient in trieribus de Italia, & ſuperabunt*, vel humiliabunt *Aſſur*, prænuntiet Balaam idem prorſus quod Daniel. 11. 30. quum ait: *Et venient ſuper eum trieres & Romani, & percutietur*, nempe quando Romani legati iuſſerunt Antiochum Epiphanem Syriæ & Babyloniæ regem Ægypto excedere, vt ſequenti capite videbimus. Illis verò aliis: *& vaſtabunt Hebræos: & ad extremum etiam ipſi peribunt*, illud velit: Romanos deuaſtaturos gentem Hebræorum, variis cladibus, vti prædiximus in 2. Explanatione: atque ipſum regnum Romanum tandem interiturum.

VIII. Neque prorſus inepta ea fuerit interpretatio, vt verba illa, *ſuperabunt Aſſyrios*, dicta ſint de Romanis, qui Antiochum Epiphanem regem Syriæ & Babyloniæ humiliarunt. Illa verò alia, *& vaſtabunt Hebræos*, non ſint ad Romanos, ſed ad Antiochum, eiuſque duces referenda. Fremens enim Antiochus quòd iuſſus fuerit à Romanis Ægypto excedere, cui victor imminebat, rabiem & bellum in Iudæos conuertit: qui tandem fœdè & horribiliter periit. Quæ omnia & in libro Danielis, & in Machabaicis fusè narrantur. Ac ſi dicat: Romani ſuperabunt Antiochum Syriæ regem, eiiciendo eum ex Ægypto: ipſe autem Antiochus indignans quod ſpe Ægypti potiundæ deiectus fuerit, bellum in Hebræos transferet, eóſque magnis cladibus afficiet: ſed ipſe tamen Antiochus miſerabili, & horrenda morte interibit. Nec te moueant enallages numerorum, & perſonarum, quæ ſunt in ſacris litteris frequentes. Hunc ſenſum illuſtrant verba Danielis 11. 30. de Antiocho: *Et venient ſuper eum trieres, & Romani, & percutietur, & reuertetur, & indignabitur contra Teſtamentum Sanctuarij*, & cetera quæ ſequuntur de vaſtatione Ieruſalem, & Templi profanatione. Equidem locus hic Danielis ſimilis admodum eſt vaticinio Balaami, vt videri poſſit eundem quoque ſenſum ferre: ſed eum ſequenti capite copiosè elucidabimus.

Ex his autem octo explanationibus, ſecundam ceteris anteferimus. Nec tamen alias, vel pro obſcuritate vaticinij, vel pro fœcunditate Scripturæ prorſus repudiamus. Illud ex cunctis habetur exploratiſſimum, nullo pacto ex verbis Balaami deduci poſſe, Antichriſtum ex Italia, aut ex Roma eſſe venturum, indéque Regni, & bellorum apparatum & molem auſpicaturum: ac Franciſcum Georgium qui illud, ſine vlla auctoritate, ratione, aut veriſimili interpretatione ſomniauit, penitus deliraſſe.

Expli

Explicatur locus Danielis 11.v.29. & 30. Statuto tempore reuertetur, & veniet ad Austrum: & non erit priori simile nouissimum. Et venient super eum trieres, & Romani: & percutietur, & reuertetur, & indignabitur contra Testamentum Sanctuarij, &c.

CAP. V.

QVòd hic locus similis sit præcedenti, illi Numer. 24. quem explanauimus: & quòd in eo quoque mysterium Antichristi adumbretur, vt ad finem huius capitis dicemus, ratio instituti postulat, vt cum cura à nobis exponatur. In primis consentiunt omnes interpretes prædici hîc à Daniele, Antiochum Epiphanem Syriæ regem maiori ex parte capta, & in potestatem redacta Ægypto, cùm Ptolemæum Philometorem Ægypti regem Alexandriæ inclusum, arctissima obsidione cinctum, iam iam expugnaturus, vel ad deditionem compulsurus esset: missa à Romanis legatione, repressum, & bello abstinere, Ægyptóque abscedere iussum, inde furorem & bellum in Iudæos & Ierosolymam conuertisse: atque in Vrbe & Templo horrenda & infanda patrasse. S. Hieronymus in Commentario: *Et Græca & Romana narrat historia postquam reuersus est Antiochus expulsus ab Ægyptiis, venisse eum in Iudæam, hoc est aduersus Testamentum sanctum, & spoliasse templum, & auri tulisse quamplurimum: positóque in arce præsidio Macedonum, reuersum in terram suam. Et post biennium rursum contra Ptolemæum exercitum congregasse, & venisse ad Austrum. Cúmque duo fratres Ptolemæi, Cleopatræ filij, quorum auunculus erat, obsiderentur Alexandriæ, legatos venisse Romanos: quorum vnus Marcus Popilius Lænas, cum eum stantem inuenisset in littore, & Senatus consultum dedisset, quo iubebatur ab amicis populi Romani recedere, & suo imperio esse contentus: & ille ad amicorum responsionem consilium distulisset: orbem dicitur fecisse in arenis baculo quem tenebat in manu, & circumscripsisse regem, atque dixisse: Senatus & Populus Romanus præcipiunt, vt in isto loco respondeas, quid consilij geras. Quibus dictis ille perterritus, ait: Si hoc placet Senatui & Populo Romano, recedendum est. Atque ita statim mouit exercitum. Percussus autem dicitur esse, non quod interierit, sed quod omnem arrogantiæ perdiderit magnitudinem.*

Theodoretus: *Romani enim, sicut nos Iosephus historicus docet, audita eius* (nempe Antiochi) *cum exercitu profectione* (in Ægyptum) *per legatos denuntiarunt, vt recederet ab Ægypto.* Eadem omnes alij Danielis explanatores summo consensu tradidere. Sed quia S. Hieronymus in hanc interpretationem, Græcam & Romanam accersit historiam, eam nos, quod id non iniucundum fuerit, totam excitemus, quò huic loco Danielis plena lux inferatur.

Iosephus lib. 12. Antiquit. cap. 6. *Antiochus autem Domi vsus fortuna prospera, expeditionem Ægyptiam tentare statuit, captus eius regionis cupidine: & contempta Ptolemæi filiorum ætate, rebus administrandis nondum idonea. Profectus igitur cum magno exercitu Pelusium, æstu circumuento Philometore, Ægyptum occupat: & redacta priùs in potestatem Memphi, locisque circumuicinis, ad Alexandriam duxit, & vrbem, & regem subiugaturus. Sed omnes eius conatus vnica Romanorum denuntiatione repressi sunt, ita vt iam occupata relinqueret, sicut & alias diximus.* Et cap. 7. *Reuersus ab Ægypto quam metu Romanorum reliquerat rex Antiochus, ad Ierosolymitarum vrbem mouit exercitum: & ingressus eam centesimo quadragesimo tertio anno, ex quo primùm ad Seleuci familiam Syriæ regnum deuenerat, sine vllo negotio Dominus eius factus est, admissus apertis portis per suæ factionis homines: quam dominationem crudeliter exercuit, necatis permultis, qui diuersarum erant partium: direptisque pecuniis, & adsportatis Antiochiam.*

Cicero Philippica 8. *Prò dij immortales! vbi est ille mos, virtúsque maiorum? Caius Popillius apud maiores nostros cùm ad Antiochum regem legatus missus esset, & verbis senatus denuntiasset, vt ab Alexandria discederet; quam obsidebat: cùm tempus ille differret, virgula stantem circumscripsit: dixítque se non anteà renuntiaturum Senatui, nisi prius sibi respondisset, quid facturus esset, quàm ex illa circumscriptione excederet. Præclarè! Senatus enim faciem secum attulerat, auctoritatem Populi Romani: cui qui non paret, non ab eo mandata accipienda sunt. sed ipse est totus repudiandus.*

Valerius Maximus lib. 6. c. 4. *Caius verò Popilius à Senatu legatus ad Antiochum missus, vt bello se, quo Ptolemæum lacessebat, abstineret: cùm ad eum venisset, atque is prompto animo & amicissimo vultu dextram ei porrexisset; inuicem ei suam porrigere noluit: sed tabellas senatus consultum continentes tradidit. Quas vt legit Antiochus, dixit se cum amicis collocuturum. Indignatus Popillius, quod aliquam moram interposuisset; virga solum, quo insistebat, denotauit: At prius, inquit, quam hoc circulo excedas, da responsum quod Senatui referam. Non legatum locutum, sed ipsam Curiam ante oculos positam crederes: continuò enim rex affirmauit forè, ne amplius de se Ptolemæus quereretur. Ac tum Demum Popillius manum eius tanquam socij apprehendit. Quam efficax est animi sermonisque abscisa grauitas! Eodem momento Syriæ regnum terruit, Ægypti texit.*

Velleius lib. 1. c. 10. *Per idem tempus cum Antiochus Epiphanes, qui Athenis Olympicum inchoauit, tum rex Syriæ Ptolemæum puerum Alexandriæ obsideret, missus est ad eum legatus Marcus Popillius Lænas, qui iuberet incepto desistere: mandatáque exposuit, & regem deliberaturum se dicentem, circumscripsit virgula, iussitque priùs responsum reddere, quàm egrederetur finito arenæ circulo. Sicque cogitationem regiam Romana disiecit constantia: obeditúmque imperio.*

Plutarchus in Apophthegmatis: *Caius Popillius à Senatu litteras Antiocho attulit, quæ eum ex Ægypto iubebant exercitum abducere, neque regnum pupillorum Ptolemæi vita defuncti sibi vendicare. Accedens per castra, eminus ab Antiocho comiter salutatus, non reddita salute, epistolam tradidit. Qua lecta, cum deliberatione habita, responsurum se rex diceret, palmite Popillius orbem circa cum descripsit, inquiens: Hic ergo stans delibera & responde. Omnibus magnanimitate hominis perculsis, cùm Antiochus profiteretur se ex sententia Romanorum acturum, ita demum regem salutauit, amplexusque est Popillius.*

Appianus in Syriacis: *Antiochus in Ægyptum expeditionem suscepit contra Ptolemæum sextum, cuius pater tum è viuis excesserat, duobus filiis superstitibus. In eius castra propè Alexandriam Popillius à Romanis legatus venit cum litteris denuntiantibus, vt abstineret à regno Ptolemæorum. Quibus lectis cùm se deliberaturum diceret, virga eum circumscripsit Popillius, dixítque: Hic delibera. Ille territus discessit.*

Iusti

Iustinus lib. 34. *Rex Syriæ Antiochus Ptolemæo, maioris sororis suæ filio, regi Ægypti, bellum infert, segni admodum, & quotidiana luxuria ita marcido, vt non solùm regiæ maiestatis officia intermitteret, verumetiam sensu hominis nimia sagina careret. Pulsus igitur regno, ad fratrem minorem Ptolemæum Alexandriam confugit, participatóque cum eo regno, Romam legatos ad senatum mittunt, auxilia petunt, fidem societatis implorant. Mouêre Senatum preces fratrum. Mittitur igitur legatus P. Popillius ad Antiochum, qui abstinere eum Ægypto, aut si iam incessisset, excedere iuberet. Cum in Ægypto eum inuenisset, osculúmque ei rex obtulisset, (nam coluerat inter ceteros P. Popillium Antiochus cùm Romæ obses esset) tunc Popillius facessere interim priuatam amicitiam iubet, cùm mandata patria intercedant: prolatóque Senatus decreto, & tradito, cùm cunctari regem videret, consultationémque ad amicos referre: ibi Popillius virga quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum, vt amicos caperet, consulere iubet: nec priùs inde exire, quàm responsum Senatui daret, aut pacem aut bellum cum Romanis habiturum. Adeóque hæc asperitas animum regis fregit, vt parituru m se Senatui responderet.*

Verùm ceteris copiosius & explicatius rem gestam Liuius narrat lib. 44. cap. 19. *L. Æmillio Paulo. C. Licinio Coss. Idibus Martiis, sacrificio ritè perfecto, primi Alexandrini Legati, à Ptolemæo & Cleopatra regibus vocati sunt. Sordidati, barba, & capillo promisso, cum ramis oleæ ingressi curiam procubuerunt: & oratio quàm habitus fuit miserabilior: Antiochus Syriæ rex, qui obses Romæ fuerat, per honestam speciem maioris Ptolemæi reducendi in regnum, bellum cum minore fratre eius, qui tum Alexandriam tenebat, gerens: & ad Pelusium nauali prælio Victor fuerat & tumultuario opere ponte per Nilum facto transgressus cum exercitu, obsidione ipsam Alexandriam tenebat: nec procul abesse, quin potiretur regno opulentissimo videbatur. Ea legati querentes, orabant Senatum, vt opem regno, regibusque amicis imperio ferrent. Ea merita Populi Romani in Antiochum, eam apud omnes reges, gentesque auctoritatem esse, vt si legatos misissent qui denuntiarunt non placere Senatui sociis regibus bellum fieri, extemplò obscessurus à mœnibus Alexandriæ, abducturúsque exercitum in Syriam esset. Quod si cunctentur facere, breui extorres regno Ptolemæum & Cleopatram Romam venturos cum pudore quodam populi Romani, quod nullam opem in vltimo discrimine fortunarum tulissent. Moti Patres precibus Alexandrinorum extemplò Caium Popillium Lænatem, & Caium Decimium, & Caium Hostilium legatos ad finiendum inter reges bellum miserunt: priùs Antiochum, dein Ptolemæum adire iussi, & nuntiare; Nisi abstinatur bello, per virum stetisset, eum non pro amico, nec pro socio habituros esse. His intra triduum simul cum legatis Alexandrinis profectis, &c.*

Vetustissimæ tabulæ fragmentum, quod in schedis Ludouici Viuis repertum edidit Stephanus Pighius in Romanis Annalibus, septem dierum eius anni quo Paulus Æmilius, II. & Licinius Crass. Coss. fuere, vrbana acta continens, inter alia habet: *III. Non. April. C. Popillius Lænas, C. Decimius, C. Hostilius legati mittuntur ad reges Suriæ, & Ægupti ad bellum inter ipsos componendum.*

Idem Liuius lib. 45. c. 11. *Cùm hæc gererentur, Antiochus frustra tentatis mœnibus Alexandriæ, abscesserat: ceteráque Ægypto potitus, relicto Memphi maiore Ptolemæo, cui regnum quæri suis viribus simulabat, vt victorem mox aggrederetur, in Syriam exercitum abduxit. Nec huius voluntatis eius ignarus Ptolemæus, dum conterritum obsidionis metu minorem fratrem haberet, posse se recipi Alexandriæ, & sorore adiuuante, & non repugnantibus fratris amicis ratus: primum ad sororem, deinde ad fratrem, amicósque eius non priùs destitit mittere, quàm pacem cum his confirmaret. Suspectum Antiochum effecerat, quod cetera Ægypto sibi tradita, Pelusij validum relictum erat præsidium. Apparebat claustra Ægypti teneri, vt quum velit, rursus exercitum induceret. Bello intestino cum fratre eum exitum fore, vt victor fessus certamine, nequaquam par Antiocho futurus esset. Hæc prudenter animaduersa à maiore, cum assensu minor frater, quique cum eo erant, acceperunt: soror plurimum adiuuit, non consilio modò, sed etiam precibus. Itaque consentientibus cunctis, pace facta, Alexandriam recipitur, ne multitudine quidem aduersante: quæ in bello non per obsidionem modò, sed etiam postquam à mœnibus abcessum est, quia nihil ex Ægypto subuehebatur, omnium rerum attenuata inopia erat.*

His cùm lætari Antiochum conueniens esset, si reducendi eius causa, exercitum Ægyptum induxisset, quo speciosó titulo ad omnes Asiæ & Græciæ ciuitates legationibus recipiendis, litterisque dimittendis vsus erat; adeò est offensus, vt multo acrius, infestiúsque aduersus duos, quàm ante aduersus vnum pararet bellum. Cyprum extemplò classem misit: ipse primo vere cum exercitu Ægyptum petens, in Cœlen-Syriam processit. Circa Rhinocolura Ptolemæi legatis agentibus gratias, quòd per eum regnum patrium recepisset, petentibusque vt suum munus tueretur, & diceret potius quid fieri vellet, quàm hostis ex socio factus, vi atque armis ageret: respondit, non aliter neque classem reuocaturum, neque exercitum reducturum, nisi sibi & tota Cypro, & Pelusio, agróque, qui circa Pelusiacum ostium Nili esset, cederet: diemque præstituit intra quam de conditionibus peractis responsum acciperet. Postquam dies data induciis præteriit, nauigantibus ostio Nili ad Pelusium per deserta Arabiæ ad Memphim incolebant, & ab ceteris Ægyptiis partim voluntate, partim metu, ad Alexandriam modicis itineribus descendit.

Ad Leusinem transgresso flumen, qui locus quatuor millia ab Alexandria ab est, legati Romani occurrerunt. Quos cùm aduenientes salutasset, dextrámque Popillio porrigeret, tabellas ei Popillius scriptum habentes tradit, atque omnium primum id legere iubet. Quibus perlectis, cùm se consideraturum adhibitis amicis, quid faciendum sibi esset, dixisset: Popillius pro cetera asperitate animi, virga quam in manu gerebat, circumscripsit regem: ac, Priusquam hoc circulo excedas, inquit, redde responsum Senatui quod referam. Obstupefactus tum violento imperio, parumper cùm hæsitasset: Faciam, inquit, quod censet Senatus. Tum demum Popillius dexteram regi tanquam socio, atque amico porrexit. Die deinde finita cum excessisset Ægypto Antiochus, legati concordia etiam auctoritate sua inter fratres firmata, inter quos vix dum conuenerat, pars Cyprum nauigant: & inde quæ iam vicerat prælio Ægyptias naues, classem Antiochi dimittunt. Clara ea per gentes legatio fuit, quod haud dubiè adempta Antiocho Ægyptus habenti iam, redditúmque patrium regnum stirpi Ptolemæi fuerat. Hactenus Liuius, cuius locum mutilo asteriſco notatum, Sigonius ita resarsit: *Nauigantibus ostio Nili quod est ad Pelusium, per deserta Arabiæ populi sese dediderunt. Deinde receptus ab iis qui Memphim incolebant, & ab ceteris Ægyptiis, partim voluntate, partim metu, ad Alexandriam modicis itineribus descendit.*

Ex hac Liuij narratione mirificè illustratur præsens Danielis locus, simúlque fit mentio duplicis Antiochi in Ægyptum expeditionis, cuius hîc meminit Daniel, & Auctor lib. 2. Machabæor. cap. 5. v. 1. Litem hîc Chronologicam Liuio intentat Serarius: sed ridiculè. Nec tamen præsentis est instítu

instituti ista nunc excutere. De nomine tamen legati vidimus variantes auctores. Velleius, & S. Hieronymus Marcum Popillium, Iustinus Publium Popillium, Cicero, Liuius, Valerius, Plutarchus, Caium Popillium, vocant: & hæc est veritas: sic etiam appellatur in fragmento illo vetustissimæ tabulæ diariæ eius anni. In Fastis Sigonij, Onuphrij, Pighij, anno V. C. DLXXXI. gessit Consulatum C. Popillius Lænas, è Liuio, Cassiodoro, Marino Scoto, & aliis. Factus est II. Consul, etiam anno Vrbis DXCV. Vide Pighij Annales.

Perspicuus est in Plinio memoriæ lapsus lib. 34. cap. 6. cùm ait: *Non præteribo C. Octauium ob vnum verbum: hîc regem Antiochum, daturum se responsum dicentem, virga quam tenebat fortè, circumscripsit, & prius quàm egrederetur circulo illo responsum dare coëgit. In qua legatione interfecto Senatus statuam poni iussit quàm oculatissimo loco in Rostris.* Neque enim Cn. Octauius missus est ad Antiochum Epiphanem, vt Ægypto excederet: sed ad eius filium Antiochum Eupatorem, ne classes haberet, & elephantos aleret: qui in ea legatione Laodiciæ Syriæ à quodam Leptine in gymnasio interfectus est, cui ob id Senatus statuam posuit. Neque C. Popillius qui Epiphanem circumscripsit, in ea legatione interfectus est. Confundit igitur Plinius, ac miscet diuersas personas, ac legationes, & gesta. De legatione Cn. Octauij agunt Cicero Philippica 9. Appianus in Syriacis, Zonaras tom. 2. Annalium. Incidit ea in annum V. C. DXCI. C. verò Popillij in DLXXXV. sexennio antè. Vide Annales Pighij.

Iam verba ipsa Danielis expendamus, ea tantùm quæ nostro instituto faciunt. *Et venient super eum trieres, & Romani.* Hebræa: *Et venient in eo*, vel *in eum*, *Tziim Chittim.* De his vocibus abundè diximus cap. 1. & 2. Chithim hîc omnes Hebræi, & nostri intelligunt Italos, seu Romanos. Sanctes: *Et venient cum eo naues Chithim.* Tremellius & Iunius: *Venientibus enim contra eum nauibus Chittæis, id est, Cilicibus, aut potius Romanis, quæ in Ciliciæ portubus ferè seruabantur, vt mari Mediterraneo omnibus ex partibus imperarent.* Forsterus: *Et venient contra eum insulani Citthim.* Idem aliter: *Et venient contra eum naues ex Cithim.* Ita quoque Auenarius, Schindelerus: *Et venient contra eum insulani, & Chittim.* Vatablus in Editione Sanctandreana: *Nam venient ad eum naues Cithim: id est, venient ad eum locum ad quem ille appellet, naues Romanorum: hoc est, legatio Romana.* Leo Iudas: *Et venient contra eum naues Cypriæ.* Marinus: *Et venient in (contra) eum Zimi, Citimi.* Reuchlinus: *Et venient super eum trieres Romanæ.*

LXX. Interpretes: *Et ingredientur ad illum egredientes Citij.* In Complutensi & Regia Editionibus: *Et venient qui in eo, & egredientes Citij, & humiliabuntur.* Theodoretus: *A Scitis enim sibi multis Cypriis, & aliis insulanis, nam Citium ad hoc vsque tempus oppidum est Cypri, inuadet quidem Ægyptum, sed victus & profligatus redibit.* At Liuius potiùs Antiochum in Cyprum classem misisse victricem refert, quo eam insulam, in potestatem redigeret, quàm pro eo, aut cum eo naues Cyprias venisse. Nec aliena est Marini interpretatio: *Venient in eum aridi, (sicci) Cithimi*, seu *Romani.* Siccos enim & aridos Hispani interdum figuratè vocamus, homines aspera seueritate, qualem fuisse legatorum Principem Popillium, virum asperitate animi, atque abscissa grauitate insignem, Liuius, Valerius, Iustinus, vti vidimus, tradunt. Sanctus Hieronymus: *Alius interpretatus est: Et comminabuntur ei trieres, & Romani.* Quod instituto mirè congruit.

Et percutietur. Hebræa variè redduntur. Reuchlinus ex Rabbi Leui Ben-Gerson, Santes in Lexico: *Et debilitabitur.* Idem Sanctes & Vatablus, *Et dolebit.* Forsterus, *Et conturbabitur.* Montanus & Buxtorfius, *Et atteretur.* Auenarius, *Et obscurabitur.* Tremellius, Iunius, Marinus, *Et dolore afficietur.* Maldonatus, *Et infirmabitur.* Schindlerus, *Et turbabitur.* Possis exponere, *Et compungetur*, vel *tristitia & mœrore afficietur*, seu *irascetur.* Omnes enim has significationes tribuit Vulgatus verbo *Caah*, variis locis, quòd verò hîc dixit *percutietur*, deduxit à *Nacah*, accepto Aleph, pro He, vt solet; propriè hîc erit, & *percelletur-animo*: vel, *consternabitur*: vt Leo Iudas.

Et reuertetur, & indignabitur contra Testamentum Sanctuary. Nimirum Antiochus spe omni occupandi Ægyptum, à Romanis deiectus, indéque abscedere coactus, totam iram & bellum in vrbem sanctam Ierosolymam, & Templum Dei conuertit, atque in his illa designauit atrocia, quæ S. Daniel sequitur enarrare, & auctor lib. 1. Machabæorum, cap. 1. & 2. Machabæor. cap. 5. atque Iosephus 12. Antiquit. cap. 7. & libello de Machabæis, ac Diodorus Siculus lib. 34. in Eclogis Photij tradiderunt. Vnde S. Hieronymus in hunc locum: *Hæc plenius in Machabæorum gestis legimus: quod postquam eum de Ægypto pepulerunt Romani, indignans venerit contra Testamentum Sanctuarij.* Theodoretus: *Omnem enim iracundiam, inquit, qua propter acceptam cladem exarserit, contra Sanctum Testamentum euomet.* Quod ait: *Testamentum Sanctuary.* Hebraïcè: *Fœdus, pactum, Sanctitatis:* diuinam Legem significat, ipsámque vrbem Ierosolymam, ac Templum, quod erat diuinæ Legis sacrarium. Qui plura de hoc Danielis loco scire auet, adeat recentiores Interpretes, Veldium, Pintum, Pererium, Maldonatum. Nos enim quæ instituto erant necessaria tantùm attigimus: simúlque omnem præcidimus occasionem suspicandi Antichristum ex Italia, aut Roma regnum auspicaturum. Cùm equidem si de Antichristo verba Danielis capiantur, ex iis perspicuè colligatur, potiùs Italos, atque Romanos cum classibus, & exercitibus aduersus illum venturos.

Neque enim dubito mystico, & sublimiori sensu hisce verbis Danielem respexisse ipsum Antichristum, cuius magnus typus Antiochus fuit, quam expositionem sanctus Hieronymus firmat: *De Antichristo nullus ambigit, quin pugnaturus sit aduersus Testamentum sanctum, & primum contra Regem Ægypti dimicans, Romanorum pro eis auxilio terreatur. Hæc autem sub Antiocho Epiphane in imagine præcesserunt, vt rex sceleratissimus, qui persecutus est populum Dei, præfiguret Antichristum, qui Christi populum persecuturus est.* Et paulò inferiùs: *Quod plenius complendum est sub Antichristo, qui indignabitur contra Testamentum Dei, & cogitabit aduersus illos, quos vult Legem Dei derelinquere. Vnde significantius interpretatus est Aquila: Et cogitabit, vt deseratur pactum Sanctuary.*

Antichristum in Babylone Chaldaïca regnum inchoaturum.

CAP. VI.

Libro 3. cap. 25. vidimus S. Antoninum Archiepiscopum Florentinum retulisse fragmentum ex Methodio, Antichristum in Capharnaum & Corozaim Galilææ vrbibus regnum auspicaturum. Quod equidem non alia ratione traditum suspicati possum, nisi ob acres illas obiurgationes, quas Christus Matthæi 11. 21. in eas vrbes iaculatus est. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida.* Et vers. 23. *Et tu Capharnaum, numquid vsque in cælum exaltaberis? vsque in infernum descendes.* Verùm id nullo certo auctore affirmatur: & fragmenta illa Methodij, haud esse prorsus indubitatæ fidei, lib. 1. cap. 1. docuimus. Illud compertius, & exploratius apud eos qui de rebus Antichristi scripserunt, habetur, Antichristum in regione Babyloniæ Assyriacæ nasciturum, atque ibidem initia regni sui constituturum. Lactantius quidem haud obscurè id significauit, cùm lib. 7. cap. 17. de Antichristo ait: *Alter rex orietur ex Syria, malo spiritu genitus, euersor, ac perditor generis humani.* Vide quæ de Syria annotauimus lib. 3. cap. 12.

Sanctus Hieronymus in 11. Daniel. elucidans verba illa vers. 25. *Et concitabitur fortitudo eius, & cor eius aduersus regem Austri, &c.* inquit: *Nostri autem secundùm superiorem sensum interpretantur omnia de Antichristo, qui nasciturus est de populo Iudæorum, & de Babylone venturus, primùm superaturus est regem Ægypti, qui est vnus de tribus cornibus Bestiæ, de quibus antea iam diximus.* Cùm affirmet Hieronymus hanc esse nostrorum, id est, Ecclesiasticorum, atque Patrum sententiam, magnum auctoritatis momentum habere necesse est.

Andreas Cæsariensis Episc. cap. 27. in Apocalyps. enarrans illud cap. 9. *Solue quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.* ait: *Credibile quoque est, Euphratis ob id mentionem fieri, quod Antichristus ex illis locis exoriturus credatur.*

Aretas eundem quoque Apocalyps. locum explanans, scribit: *Nec explodendum aiunt si dicantur dæmones ad Ephratem alligati, quandoquidem breui inde Antichristus processurus sit a captiuis Hebræis, qui vel in Ierusalem fuerint reseruati, vel in illis locis commorati.* Et quamuis horum Patrum sententiæ rectè quoque possint accipi de primo ortu, & natali Antichristi; at rectiùs & pleniùs videntur intelligi de ortu & initiis regni illius, cùm primum mundo Antichristi formidabilis potentia innotescere, & manifestari cœperit. Etverò Antichristum in Babylone prima regni sui fundamenta iactutum, atque in eadem regione se primùm regem ostensurum, comparata aula regali, & reliquo opum, armorum, militariúmque copiarum apparatu, ij qui res Antichristi in litteras misêre, communi fermè consensu produnt. Videndi cum primis Sotus 4. sentent. distinct. 46. quæst. 1. art. 1. & 2. Ribera in Zachariæ 5. num. 22. Sa ibidem, Pererius lib. 14. in Daniel. Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 54. sect. 5. Henriq. de Fine Hominis, c. 25. §. 4. Lessius de Antichristo, cap. 12. & alij.

Afferuntur ad eam rem firmandam verosimiles aliquot rationes. Primùm, quia Nemrod primus post diluuium violentus Tyrannus, Dei contemptor, insignis Antichristi typus qui primus in orbe regnum impium, & apostaticum condidit; Babylone primum regnare cœpit: non igitur à ratione alienum, si vltimum mundi apostaticum regnum Antichristi, per illud Nemrodis ad amussim delineatum, in Babylone primum exoriatur. Nam vt ille ædificata illa immanis altitudinis turre, à Deo palam defecit, in eámque defectionem homines traxit, atque Deo bellum publicè indixit: haud aliter Antichristus, imò multo atrocius bellum cunctis mundi, & inferni viribus Christo inferet: & maximam apostasiam inuehet.

De Nemrod quidem hæc habet Moses Genes. 10. 9. *Porrò Chus genuit Nemrod. Ipse cœpit esse potens in terra: & erat robustus venator coram Domino. Ab hoc exiuit prouerbium: Quasi Nemrod robustus venator coram Domino. Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arach, & Achad, & Chalane in terra Sennaar.* Quod Noster dicit *potens*, & bis, *robustus*, LXX. semper habent, *gigas*. qua ratione constat legisse Philonem lib. de gigantibus extremo, Eusebium lib. 1. Chronici, S. Epiphanium sub initium Panarij, S. Ambrosium de Arca Noë, cap. 34. S. Hieronymum in 3. Isaiæ ad vers. 2. S. Augustinum 16. de Ciuitate Dei, cap. 4. Seuerum Sulpitium lib. 1. Historiæ sacræ, S. Chrysostomum homil. 20. in Genes. Orosium lib. 2. cap. 6. S. Isidorum in Chronico, & alios. Scholia Græca reddunt, *violentus*. Hebraicè *Ghibor*, fortem, potentem, prævalidum, strenuum, Heroëm propriè, significat. Neque ab hoc significatu abludit Græca vox, γίγας: non enim semper significat hominem immanis, & inusitatæ proceritatis, sed interdum, potentem, fortem. Hesychius in Lexico: γίγας, δυνάστης, ἰσχυρὸς. Vt etiam annotauit Drusius ad lib. 1. Historiæ sacræ Seueri.

Ipse cœpit esse potens in terra. Hebræa ferè eodem sensu ab omnibus redduntur: *ipse cœpit esse, fortis, prævalidus, superior, herus, heros, in terra.* Sed vt est eximia Scripturæ fœcunditas, possis exponere: *Ipse violentauit (violauit, profanauit, vim intulit) ad esse (prævalidus, herus, superior, dominus, heros) in terra.* Admirabili sensu, quasi dicat, violato iure naturæ, vi arripuit regnum, seu tyrannidem. Verbum *Chalal* in Hiphil, vt hîc ponitur, id etiam significat Vulgato Ezechiel. 39. 7. Aliter: *Ipse fistulauit (perforauit) ad esse superior (herus dominus) in terra:* q. d. omnia perterebrauit, pertudit, perrupit, vt dominaretur, & regnaret. Hispanicè, *todo lo barreno.* Leo Iudas: *Hic cœpit esse heros violentus in terra.*

Rabbi Scelomoh interpretatur: *Ipse cœpit esse potens in terra*: id est, cœpit agitare bella, & fortia in terra gerere. Aben-Ezra in Genes. 9. & 11. annotat, Nemrod fuisse primum regem post diluuium. Auctorem fuisse consilij de constructa turre Babel, Rab. Scelomoh in 50. Genes. affirmat. Vrsisse Nemrod cultum idolorum, Rabbi Moseh in Moreh Nebuchim, è quodam libro Ægyptiaco tradit. Seduxisse homines vt in Deum rebellarent, ab eóque deficerent, Rab. Scelomoh in Genes. 10. docet. Denique impium fuisse, impietatísque exactorem, tyrannum, oppressorem hominum, regnúmque primum post diluuium Babylone condidisse, nihil est apud Hebræos constantius. Idem Cabbalæ, Thalmudici, Ramban, Rab. Isaac, & alij tradiderunt. Vide Genebrardum lib. 1. Chronographiæ, pag. 50. & 51. qui hæc omnia ex Rabbinis excerpsit.

Atque ea planè omnia asseruntur à Iosepho lib.

lib. 1. Antiquit. cap. 4. cuius verba posuimus lib. 5. cap. 28. in IV. Explanatione. Adstipulantur & Patres. S. Epiphanius initio Panarij: *Turris ædificationem, & primam vrbem post diluuium extructam in ipsa ædificatione principium de cetero consultationis accipit Nebroth, de congregatione, ac tyrannide. Nebroth enim regnat, filius Chus Æthiopis. Huius regnum in Orech fuit, & in Arphal, ac Chalamia: extruit autem, & Thiras, & Thobel, & Lobon in Assyriorum regione. Hunc dicunt esse Græci Zoroastrem, qui vltra progressus ad Orientales partes, Bactra inhabitauit. Hinc iniquitates in terra distributæ sunt. Inuentor enim hic fuit malæ doctrinæ, Astrologiæ, & Magiæ, velut quidam de hoc Zoroastre tradunt. Verùm vt rei veritas habet, hoc tempus ipsius Nebroth gigantis erat: non longè autem inter se ambo distant tempore, Nebroth, & Zoroastres.* De Zoroastris ætate quædam annotauit Scaliger in Eusebianis pag. 25.

Sanctus Hieronymus Quæstionibus, seu Traditionibus Hebraïcis in Genesim elucidans eadem verba cap. 10. vers. 9. *Ipse cœpit esse potens in tera*, inquit: *Nemrod filius Chus arripuit insuetam primus in populo tyrannidem, regnauitque in Babylone, quæ ab eo quòd ibi confusæ sunt linguæ turrim ædificantium, Babel appellata est. Babel autem interpretatur confusio. Regnauit autem & in Arach, hoc est, in Edessa, & in Achad, quæ nunc dicitur Nisibis, & in Chalane, quæ postea verso nomine à Seleuco rege est dicta Seleucia, vel certè quæ nunc Ctesiphon appellatur.*

Sanctus Chrysostomus homilia 29. in Genes. de eodem Nemrod: *Sed hic iterum proauum suum* (Cham) *imitatus, & abusus naturæ priuilegiis, alium seruitutis modum adinuenit, & princeps, atque rex fieri attentauit. Rex enim nondum erat, cùm nondum essent subditi. Et vide habendi auiditatem quæ faciat: Vide corporis robur non manens intra suos limites, sed plura expetens, & gloriæ appetentem naturam.* Et post pauca: *Deinde Nemrod hominem tyrannum, peruicacem.*

Sanctus Augustinus 16. de Ciuitate Dei, cap. 4. *Babylon quippè interpretatur confusio. Vnde colligitur gigantem illum Nemroth fuisse illius conditorem, cùm de illo Scriptura ait: Initium regni eius fuit Babylon.* Et inferiùs: *Sicut dictus est gigas iste venator contra Dominum. Quod non intelligentes nonnulli, ambiguo Græco decepti sunt, vt non interpretarentur contra Dominum, sed ante Dominum.* Ἐνάντιον *quippè & ante, & contra significat. Hoc enim verbum est etiam in Psalmo: Et ploremus ante Dominum, qui fecit nos. Et hoc verbum est etiam in libro Iob, vbi scriptum est: In furorem erupisti contra Dominum. Sic ergo intelligendus est gigas ille venator contra Dominum. Quid autem significatur hoc nomine quod est venator, nisi animalium terrigenarum deceptor, oppressor, extinctor? Erigebat ergo cum suis populis, turrem contra Dominum, qua est impia significata superbia.* Inconsulta veritate Hebraïca, quæ habet *ad facies*, vel *faciebus*, *Domini*, videtur sanctus Augustinus sugillare vulgatam translationem, *coram Domino*, seu *ante Dominum*. Sed S. Augustini sententiam reiecit S. Chrysostomus homil. 29. in Genesim: *Quidam dicunt hîc coram Domino, id est, aduersarius Deo: ego autem non puto Scripturam hoc insinuare: sed quod robustus quis fuerit, & virilis.* Vide Steuchum Genes. 10. Cordatius idem S. Augustinus in Locutionibus de Genesi: *Hîc erat gigas venator contra Dominum Deum. Incertum est, vtrum possit accipi, coram Domino Deo, quia & sic solet intelligi, quod Græcè dicitur* ἐνάντιον.

Sed & de Nemrod sanctus Isidorus in Genesim cap. 9. *Primus post diluuium inter homines Nembroth, filius Chusi, noua Imperij cupiditate tyrannidem arripuit: regnauitque in Babylonia: quæ ab eo quod ibidem confusæ sunt linguæ, Babel appellata est, quod interpretatur confusio. Cuius ædificandæ turris idem Nembroth extitit auctor.* Et paulò inferiùs: *Quod autem dicitur venator, quid significatur hoc nomine, nisi terrenarum animarum deceptor, & capiens homines ad mortem?* Eadem omnino leguntur apud sanctum Eucherium lib. 2. in Genes. c. 11. & S. Adonem in Chronico. Idem S. Isidorus 7. Originum, cap. 6. *Nembroth interpretatur tyrannus. Iste enim prior arripuit insuetam in populos tyrannidem: & ipse aggressus est aduersùs Deum impietatis ædificare turrem.* Et lib. 14. Originum, cap. 3. *In Persica primum orta est Magica, ad quam Nembroth gigas post confusionem linguarum abiit, ibique Persas ignem colere docuit: nam omnes in illis partibus solem colunt, qui ipsorum lingua El dicitur.* Et in Chronico: *Hanc turrim Babel Nembroth gigas construxit, qui post confusionem linguarum, migrauit inde ad Persas, eósque ignem colere docuit.*

Zonaras tom. 1. Annalium: *Nemrodus Chami nepos, qui primus in terris gigas visus est, homo audax & robore manuum præstans ceteris, tyrannicum Imperium instituit, ac eis condendæ turris ex coctis lateribus auctor fuit.*

Constantinus Manasses in Annalibus: *Nebrodus autem secessit ad regionem Aquilonarem, quæ ab Assuro Semi filio appellata est Assuria: Hic auctor fuit hominibus reiiciendi creatorem, primúsque fremuit aduersus Deum vnum, & honorem Deo, seu fas est, conuenientem ad se ipsum transferre stolidè voluit. Dedit & consilium exstruendæ turris, vt contra Deum se defenderet, si rursum vellet humano generi diluuium immittere.*

Hugo de S. Victore in Annotationibus ad 10. Geneseos: *Nemrod mole corporis, & viribus alios superans dominium cœpit exercere per violentiam, & induxit homines ad idololatriam, vt ignem & solem, qui igneus est, quasi Deum colerent: quem errorem posteà Chaldæi secuti sunt.*

Petrus Comestor in Scholastica Historia Geneseos, cap. 37. *Nemroth qui cœpit primus potens esse in terra: & robustus venator hominum coram Domino, id est, extinctor, & oppressor amore dominandi, & cogebat homines ignem adorare.* Quod attinet ad cultum ignis à Nembrodo inuectum, vti tradunt sanctus Isidorus, Hugo Victorinus, Comestor, & alij, videtur id acceptum ex traditione illa Hebræorum De Vr, siue igne Chaldæorum, quam referunt sanctus Hieronymus, & alij in Genes. 11. vers. 28.

Ioannes Sarisberiensis lib. 8. Polycratici, cap. 20. *Primum ergo tyrannum nobis obiecit diuina Pagina Nemrod, robustum contra Dominum venatorem.* Eadem de Nemrodis apostasia, tyrannide, primóque ab eo post diluuium condito regno, de sede regni eius Babylone, & quod is auctor ædificandæ turris Babel extiterit, sacris Litteris, & Patribus consentanea tradiderunt alij posteriores, Lyranus, Tostatus, Caietanus, Steuchus, Pellicanus, Tremellius, Iunius, Hamerus, Honcala, Sà, Pererius, Delrius, Cornelius à Lapide in Genes. 10. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 50. 51. Galesinius, & Drusius in Notis ad lib. 1. Historiæ sacræ Seueri, Reineccius in Syntagmate Heroïco, in Monarchia Assyriorum, pag. 51. Bodinus in Methodo Historica, cap. 7. Torniellus in Annali-

bus, anno mundi 1931. num. 29. Forsterus, Auenarius, & Mercerus in MARAD, Marinus in NIMROD, Gordonus in Quæstionibus Chronologicis, cap. 4. Schindlerus in Pentaglotto, in TSVD, & alij.

Et erat robustus venator. Hebraïcè, *Ipse fuit potens (præualidus, superior) venatione*, seu *venationis.* Bifariam potest intelligi, Primò de venatione ferarum. Ita ferè Hebræi, & ex nostris Sanctes, Vatablus, Oleastrius, Genebrardus. Hebræi exponunt: *Offerens de venatione sua coram Domino:* Hoc est, splendidas victimas quas venatu strenuo cepisset, Domino mactabat ad aras. Ita Aben-Ezra, Kimchi, Sanctes, & alij. Isidorus Clarius: *Dicunt Hebræi, primum hunc cœpisse vti potestate humano generi data, in feras videlicet, & ex illis obtulisse sacrificia Domino.* Refellit hanc interpretationem Ramban, id est, Rabi Moseh ben Nachman, quòd Nemrod semper impius fuerit, ac veri Dei sanctæque Religionis contemptor. Vide Genebrardum lib. 1. Chronographiæ, pag. 50. Secundò, Allegoricè, seu metaphoricè de venatione hominum, vt Nemrod dicatur homo truculentus, sanguinarius, latro, insidiator, captor, oppressor hominum. Forsan enim Nemrod primùm se venatione ferarum exercuit: inde vim suam & artem ad capiendos, & opprimendos homines transtulit: nam venationes sunt quædam bellorum, ac præliorum veluti meditationes, & progymnasmata, vti demonstrat Xenophon lib. 1. Cyropædiæ, & in libro de Venatione. Et Aristoteles 1. Politicorum, cap. 8. Ληστείαν, id est, latrocinium inter genera venationis recenset. Sic sumitur *Venandi* verbum Psalm. 90. 3. *Ipse liberauit me de laqueo venantium.* Psalm. 123. 7. *Anima nostra erepta est de laqueo venantium.* Ieremiæ 16. 16. *Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos.* Lamentationum 3. 52. *Venatione caperent me inimici mei.* Non aliter Nemrod dicitur, *Robustus venator*, vti Patres, omnes, & recentiores summo consensu interpretantur. Vnde Caietanus: *De venatione hominum ab omnibus intelligitur: ad significandum, quòd vsus est fortitudine sua ad capiendos homines, ad similitudinem venatoris.* Ac si dicat. Vt feras partim vi, partim insidiis, aut tensis retibus venatores capere solent: ita Nemrod homines partim vi manifesta, partim insidiis, & dolo, quasi feras ad seruitutem, vel ad necem captabat.

Coram Domino. Hebraïcè, *Faciebus*, vel *ad facies Entis*, seu *Domini.*

1. Sanctus Augustinus 16. de Ciuitate Dei, cap. 4. *Intelligendus est gigas ille venator contra Dominum. Quid autem significatur hoc nomine quod est venator, nisi animalium terrestrium deceptor, oppressor, extinctor?* Etiam contra Dominum legit Ioannes Sarisberiensis lib. 8. de Nugis Curialium, cap. 20.

2. Sanctus Chrysostomus homil. 29. in Genesim: *Et quod dicit: Coram Domino, hoc est, à Domino constitutus, eo quod acceperat aliquam ab illo diuinam existimationem: vel quod Deus per hunc esset in admiratione habendus, quod talem produxisset, & super terram monstrasset.*

3. Anselmus Laudunensis: *Coram Domino, id est, non ignorante Domino: vel contra Dominum.*

4. Lyranus: *Coram Domino, quia nihil latet eius aspectum.*

5. Tostatus: *Coram Domino, id est, palam.*

6. Caietanus: *Quod autem dicitur, in faciebus Dei: dupliciter exponi potest; vel contemptiuè, hoc est, contempto conspectu diuino: vt sit dictum ad exaggerationem peccati, quemadmodum exaggeratur crimen commissum spectante Prætore. Vel simulatè, ad significandum, quod Nimrod hinc simulabat se esse deicolam, vt populus minùs putaret se pati iniustum. Et hic sensus magis quadrat contextui.* Vtrumque acutè, & eruditè. Atqui nihil magis continet, atque coërcet cœtus humanos, quàm Religio.

7. Sanctes in Thesauro, verbo PANAH: *Vel dixit, Coram Domino, ad magnificandum eius potentiam: ac si dicat: Maximus venator: sicut dicuntur montes Dei, id est, maximi, altissimi.*

8. Isidorus Clarius: *Illud, Coram Domino, hyperbole est, quod non fuerit sub cælo quisquam ei aqualis potentia.*

9. Vatablus in Annotationibus Sanctandreanis: *Coram Iehouah. Hebraismus, pro, sub cælo: id est, fortissimus erat omnium hominum, qui sub cælo erant: quasi dicat: Nemo erat sub toto cælo, qui aquiparari eum viribus: erat enim fortis & corpore & animo, qui auderet feras inuadere. Aliis, istud, Coram Domino, exprimere videtur, quòd Nemrod eximere se conatus sit è numero hominum, quemadmodum superbi homines ventosa confidentia sese efferunt, & reliquos omnes quasi ex nubibus despiciunt.*

10. Canus lib. 2. de Locis, cap. 15. *Sic Nemrod robustus venator coram Domino dicitur, id est, sub cælo, quasi robustissimus omnium hominum qui sub cælo erant. Scio quosdam ita interpretari, vt venator coram Domino dictus sit, quasi Dei venator: quo significaretur ciuilem vnius Monarchiæ potestatem esse a Deo approbatam, vt quæ Dei administra sit. Sed id quod prius dixi, Hebræorum doctissimis placet. Vel certè venator coram Domino vocatur, id est, sub dio: homines enim ferarum more palantes in agris, ad ciuilem societatem coëgit.*

11. Honcala: *Nemrod robustus dicitur venator: quia quos non poterat aperta vi opprimere, quodam quasi aucupio fallebat, alliciebat, capiebat, captósque sibi parêre compellebat. Id quod Nemrod perpetrabat, animo non solum in homines pugnaci, subdolóque, sed etiam in Deum ipsum elato, atque rebelli, & impudentissimo. Hoc est, enim quod ait, Coram Domino, ac si dixerit, vidente Domino, & sentiente cœpit alios homines dolis circumuenire, violentia opprimere, eósque rapinis, cædibúsque atrociter affligere, tantáque in ceteros mortales sæuitia abutebatur, támque superba mente Deo repugnabat, quod, ab hoc exiuit prouerbium, Quasi Nimrod robustus venator coram Domino, quo significatur is qui manifestario diuinitatis contemptu, tum hominibus, tum Deo iniuriam inferre, nec veretur, nec timet.*

12. Bartholomæus Vvestmerus in Phrasibus Villauicentij: *Quemadmodum alibi de Nimrod dicitur, quòd esset tyrannus, & ferox coram Domino, id est, non verebatur Deum, & vidente Domino, ausus est exercere tyrannidem.*

13. Oleastrius: *Quod dicitur; Coram Domino, videtur esse phrasis linguæ. Si verò aliter explicare vis, dicito, eum fuisse fortem venatorem coram Domino, id est, Domino inspiciente, & vidente,*

14. Martinus Cantapetrensis lib. 8. Hypotyposeon, cap. 10. *Sæpè, coram, in sacris Litteris pro, aduersus, vel contrà ponitur. Genes. 13. Homines Sodomitæ pessimi erant coram Domino. Et Nimrod erat robustus venator coram Domino, id est, Deo conniuente, ac sciente erat pessimus, aut coram Domino, id est, sub cælo.*

15. Masius in 4. Iosuë, vers. 13. *Illud de Nemrod,*

rod robustus venator coram Domino, nimirum, vt per excellentiam, insignis præstantia roboris commendetur.

16. Genebrardus lib.1.Chronographiæ,pag.50. *Nemrod primus etiam post diluuium venatoriam exercuit. Hinc in Genesi, Nimrod robustus venator coram Domino, id est, mirabiliter, & prodigiosi roboris. Dum enim Hebræi cupiunt aliquid exaggerare, vt prodigiosum, & extraordinarium, sic loquuntur.*

17. Ribera in Ionæ 3.n.4. *Etenim quoniam oculi Dei falli non possunt, quod Deo, siue coram Deo, siue in oculis Dei tale est, id verè & simpliciter tale est, etiam si dissentirent hominum iudicia, vt Lucæ 1. Erit enim magnus coram Domino. Et Genes. 10. Nemrod erat robustus venator coram Domino: id est, verè erat robustus. Genes. 13. Sodomitæ erant peccatores coram Domino, re vera erant peccatores, etiam si aliter fortè nonnulli opinarentur.* Et quis nisi emotæ mentis poterat opinari Sodomitas non fuisse peccatores?

18. Sà: *Coram Domino: quasi dicat, Deo inspiciente, & ferente. Vel Deo iudice: quasi dicat, verè.*

19. Pererius: *Verùm illa mihi videtur simplicior, & planior, eóque probabilior expositio: Illis verbis, coram Domino, vel in oculis, seu in conspectu Domini fuisse robustum, non aliud significari, quàm reuerà & maximè fuisse robustum. Quod enim apud Deum tale est, id reuerà, & simpliciter, & maximè tale est. Deus enim iudicat & æstimat rem vti est; non sic homines, quorum æstimatio & iudicium sæpè fallax est. Ad hunc modum prænunciatum est ab Angelo, Ioannem Baptistam futurum magnum coram Domino: id est, verè & valdè magnum.*

20. Delrius in sacris adagialibus Veteris Testamenti, Adagio 14. *Verus Commentarius, coram Domino, id est, etiam Dei iudicio valdè robustum, ac potentem tyrannum fuisse. Hominibus sæpè videntur tales, quæ tamen imbecilles sunt, & facilè possent euerti: solus Deus non fallitur, qui res omnes iusta lance ponderat.* Et in Genes.10. ad vers.9. *Coram Domino, prætermissa D. Chrysostomi explicatione, interpretor cum aliis, reuerà & valdè robustus: vtpotè in oculis Dei, qui rem iusta lance ponderat. Lucæ 1.15. Magnus coram Domino: vt intelligamus illud, coram, non esse aliud, quàm in oculis, & iudicio Dei.*

21. Schindlerus in Pentaglotto in TSVD: *Ipse fuit fortis venatione coram Domino. Subegit homines, vt multis in locis regnaret: idque Deo intuente, Deum nihil veritus, affectauit dominatum, & tyrannidem exercuit.*

22. Cornelius à Lapide: *Coram Domino, idem est, quod reuerà, & eximiè talis: vtpotè talis iudicio Dei, qui falli non potest.*

Hæc alij: quibus addimus, si illud, *Coram Domino*, tantùm exponatur, id est, iudicio Dei, seu Deo iudice, qui falli non potest,& vera æstimatione responderat,quasi dicat, verè,reuerà; valdè exilem & demissum esse sensum: quasi verò vt intelligeremus Nemrod verè fuisse robustum venatorem,non satisfuisset vt nobis id Scriptura simpliciter dixisset: sed oportuisset addere fuisse robustum venatorem Deo iudice,id est, verè. Si verò, *Coram Domino*,intelligatur,valdè,eximiè,maximè,insigniter, mirabiliter, prodigiosè, extraordinariè, quòd nomen Dei,more Hebraïcæ Linguæ, soleat intendere significatum,& ad hyperboles addi,vt montes Dei,cedri Dei, sagittæ Dei,tenebræ Dei; hunc nos sensum mirificè probamus, quem adhibuere, Sanctes, Vatablus, Canus, Masius, Genebrardus.

Priorem illam Caietani interpretationem illustrant mirificè verba illa Genes.13.13. *Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino.* Hebr. *Dominto:* id est, per summam impudentiam, & contemptum Domini: nullo respectu & verecundia Dei, extremo propudio, q. d. proiectissimè, & impudentissimè.

Sed possis locum, vt est vberrimus fons, interpretari: *Ipse fuit præualidus insidiator,* vel *potens insidiis,faciebus Entis:* quasi dicat:Etsi insidiæ, artésque eius, homines latêre possent,at non Dei facies,quæ cuncta conspiciunt.Verùm propriè etiam reddi potest:*Ipse fuit præualidus latro,* vel *potens latrocinio, ad facies Iehoueh,* seu *Erit,* aut *Entis.* Verbum *TZVD,* propriè est laterare,latrocinari,à latere,insidiari, à latere insidias,seu retia tendere,vt solent venatores: inde significat venari, capere,captare. Equidem latrones dictos Latinis à latere, vel à latendo in insidiis, auctores docuere præclari. Varro lib. 6. de Lingua Latina: *In Cornicula: Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio.Latrones dicti à latere qui circum latera erant regi,atque ad latera habebant ferrum: quos posteà à stipatione Stipatores appellarunt, & qui conducebantur mercede: ea enim merces dicitur Græce* λατρὸν ϗ σαρὸν. *Ab eo veteres Poëtæ nonnunquam milites appellant latrones, quod item vti milites cum ferro, aut quòd latent ad insidias faciendas.* Quod ad veteres Poëtas attinet, Ennius Annali 1.

Hæc ecfatus ibus latrones dicta facessunt.

Et, *—Fortunas cequas cepere latrones*

Inter se memorant— Vide in hæc loca commentarios Rauli Merulæ.

Festus: *Latrones eos antiqui dicebant, qui conducti militabant,* ἀπὸ τ̃ λατρείας, vel τ̃ λαϑ̃, *At nunc viarum obsessores dicuntur, quod à latere adoriuntur, vel quod latenter insidiantur.* Nonius: *Latrocinari, militare mercede. Plautus Cornicularia: Latrocinatus annos decem mercedem. In Tiberio: Qui apud regem in latrocinio fuisti, stipendium acceptitasti. Ennius: Fortunas quas cepere latrones iterserare.* Sed est hic locus Nonij mirè depranatus. In Glossis Fornerij: *Latro,* λησ̃ης, στρατιώτης, δορυφόρος. *Ennius in primo.* In eisdem: *Laterare,* δολεύσει.

Sanè Virgilius latronem pro venatore disertè dixit Æneidos 12.

—Fixúmque latronis
Impauidus frangit telum—

In quem locum Seruius Petri Danielis hæc annotat: *Latronis, Insidiatoris à latendo, sed modo venatoris: & est Græcum, nam* λατρέυειν, *dicunt obsequi, & seruire mercede. Vnde latrones vocantur conducti milites: moris autem erat, vt hos Imperator & circa se haberet, & eos primos mitteret ad omne discrimen. Vnde nunc dicit, latronis telo fixum leonem, quia etiam venatores operas suas locare consueuerant. Sic etiam dicti qui circa caueas sunt, quòd vt milites stent cum ferro, aut quod lateant ad insidias faciendas. Ergo ex eadem similitudine latronem hîc venatorem accipiendum, quia & obsidet saltus, & cum ferro est. Sanè latronem venatorem quis ante hunc? Varro tamen dicit hoc nomen & Latinam posse habere etymologiam, vt latrones dicti sint, quasi laterones, quòd circa latera regum sunt, quos nunc satellites vocant. Vna tamen significatio, licet in diuersa etymologia. Plautus in Pyrgopolinice apertè ostendit, qui sint latrones, dicens: Nam rex Seleucus me opere orauit maximo, vt ei conducerem latrones, & conscriberem. Idem in Bacchidibus executus est, militem latronem,dicens, Suam qui auro vitam venditat.* Vide Petrum Victorium lib.16.Variarum Lectionum, c.17.

Ergo cùm dicitur Nemrod, *prævalidus latro*, vel *potens latrocinio* : Possit intelligi, vel militaris & bellica eius virtus : vel grassationes eius, & insidiæ ad capiendos & opprimendos homines. Nec tamen alienè expones : *Ipse fuit prævalidus vastator (desolator) faciebus Erit:* vel *Entis*. Sic enim capitur verbum TZADAH Sophoniæ 3.6. Iam illud, *Faciebus*, vel *ad facies*, *Iehereh*, id est, *Erit*, vel *Entis*: Sciēdum, Faciem Domini in Scriptura aliquando significare locum, vbi colitur Deus, nempe cœtum & Ecclesiam visibilem piorum. Genes. 4.16. *Egressúsque Caïn à facie Domini*. Ionæ 1.3. *Vt fugeret in Tharsis à facie Domini*: hoc est à loco vbi erat verus Dei cultus. Vti Forsterus, & Mercerus in Thesauris annotarunt. Vnde quod dicitur Nemrod prævalidus venator, latro, insidiator, grassator, vastator faciebus Domini: potest rectè interpretari, quod fuerit magnus mastix, & persecutor Ecclesiæ Dei, & cœtus piorum. LXX. Interpretes : *Hìc erat gigas venator contra Dominum Deum.*

Quis autem fuerit hic Nemrod, num fuerit Belus, aut Ninus gentium historiis decantanti, num Saturnus: non est huius loci disquirere : egerunt de his Gerardus Mercator in Chronologia, Pererius in 10. Genes. disp. 3. Reineccius in Syntagmate Heroïco, pag. 51. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 51. Marianus Victorius in Indice ad Opera S. Hieronymi, in Nemrod, Cornelius à Lapide in Genes. 10. ad vers. 10. Gordonus in Quæstionibus Chronologicis, cap. 4. Torniellus in Annalibus, anno mundi 1931. num. 30. & alij.

Etymon Nimrod varij reddunt, Philo lib. de Gigantibus extremo : *Interpretatur autem Nimrod, transfugium.* S. Hieronymus in Michææ 5. ad vers. 6. *Nemrod, qui interpretatur, tentatio descendens.* Et in Interpretatione Nominum Hebraïcorum Geneseos: *Nemrod, tyrannus, aut profugus, aut transgressor.* Idem habet S. Isidorus lib. 7. Originum, cap. 6. Bodinus in Methodo Historica, cap. 9. *Nimrod, rebellis : malè Philippus Melanchthon, amarum Dominatorem interpretatur: est enim M A R A D, rebellauit.* Equidem Forsterus, Auenarius, Genebrardus, Mercerus, Marinus, Schindlerus à MARAD deducunt, quasi dicas, defectorem, apostatam, rebellem, desertorem. Vt & in nomine & in factis agnoscas Nemrod insignem fuisse typum, & anteambulonem Antichristi, ac propemodum Antichristum legis naturæ. Vnde vt Nemrod in Babylone regnauit, ita quoque Antichristus in eadem regione regnum suum primum videtur auspicaturus.

Insuper Nabuchodonosor, & Antiochus Epiphanus, qui Ecclesiam priscam atrociùs quam vlli alij vexauere, magni typi Antichristi venturi, ac Veteris Instrumenti tantum non Antichristi, reges Babyloniæ fuere, & in Babylonia regnarunt : ita consentaneum esse videtur, vt verus Antichristus, qui crudeliùs quàm omnes ante se Ecclesiam Dei afflicturus est, in Babylone primum regnare incipiat.

Denique vt nullum vnquam in orbe regnum tam dirè & immaniter populum Dei Veteris Testamenti torsit, vt Babylonicum : (nam & primum fuit post diluuium, & Babylon tunc prima vrbs condita, vti Orosius lib. 2. cap. 1. annotauit,) ita quoque verisimile est, vltimum & Ecclesiæ infestissimum omnium Antichristi regnum exordia in Babylone sumpturum.

His mirè consentiunt quæ lib. 3. c. 11. obseruauimus, Iudæos diligentissimè conseruare in Babylonia successionem Principum è tribu Iuda, & familia Dauidis, quos ipsi capita captiuitatis, seu Æchmaotarchas, vel Patriarchas appellant, ex qua suum Pseudomessiam, reuerà Antichristum, nasciturum præstolantur. Neque defecturam eam quam sibi mendaciis compinxerunt, & fraude propagant, inanem successionem credunt, quoúsque suus adueniat Messias, id est, ipsissimus Antichristus. At cùm hîc potissimum propter Iudæos à quibus recipietur, venturus sit, vt suo loco dicemus : optima suadet ratio, vt in ea vrbe regnum auspicetur, & se Messiam illis approbet, ab iisque recipiatur, vbi ipsi eum auidiùs exspectant, & intentiùs in aduentum eius aduigilant, sobolem Dauidicæ stirpis tribus Iudæ tanto studio conseruantes : nimirum, infami & detestando errore Antichristum ex Tribu Dan ortum, pro vero Messia Iudaïci, & Dauidici generis recipient. Vide quæ ibidem annotauimus ad finem capitis.

Non est tamen hoc loco prætereundum, quod est à sancto Epiphanio traditum de portentis quæ sanctus Daniel Propheta vaticinatus refertur in Babylone aliquando euenturis : nam ea ad Antichristi tempora, quum primùm regnum in Babylone rapturus est, vtcumque pertinere prudens quisque non ibit inficias. Sanctus enim Epiphanius in vita Danielis Prophetæ hæc scribit : *Ille Propheta* Daniel *in celsis montibus Babylonis monstrum annunciauit, & exhibuit, dicens: Vbi cernetis montem ex parte Boreæ fumo denigratum, pro foribus Babylonis terminus imminebit. Quando verò istunc flagrantem igne videbitis, aderit totius orbis terrarum finis. Sed quum ad meridiem mons aquas propellet, remeabit populus in patrium solum. Et condetur Ierusalem latè, campóque capaciori, perinde atque factum est etiam per Iesum Pontificem pariter, & Zorobabel filium Salathiel. Quod si denique mons iste cruentus sanguine manat, stragem portendit ipsius Beliar in vniuerso terrarum orbe.* Sed & Dorotheus eadem fermè sancti Epiphanij verba describens, in Synopsi sic ait : *Portentum etiam assignauit Daniel in assignatis montibus supra Babylonem iacentibus : videlicet, quòd venturus esset finis Babylonis, quando illi ab Aquilone fumigarentur. Quando verò igne comburerentur, finis è vicino esset totius terræ. Si verò in morbo defluerent aquæ, futurum esset, vt populus reuerteretur in terram suam. Si flueret sanguis, cædes futura esset in omni terra.* Porrò per Beliar, seu Belial intelligi Antichristum, lib. 1. cap. 7. docuimus. Lectori expendendum relinquimus, num hæc prodigia quæ Danielem prænuntiasse S. Epiphanius & Dorotheus tradiderunt, rectè ad ea tempora spectare possint quando Antichristus arrepto in Babylonia regno, Iudæos in solum patrium restituet : ipséque vniuersum terrarum orbem bellis, & cædibus, ac sanguine complebit.

Elucidatur Oraculum Zachariæ 5. vers. 11. Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam.

CAP. VII.

INtegrum sacri Poëtæ vaticinium ita se habet: v. 5. *Et egressus est Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me : Leua oculos tuos, & vide quid hoc est, quod egreditur.* 6. *Et dixi: Quidnam est? Et ait: Hæc est amphora*

phora egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in vniuersa terra. 7. Et ecce talentũ plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ. 8. Et dixit: Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius. 9. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas milui: & leuauerunt amphoram inter terram & cælum. 10. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quò istæ deferunt amphoram? 11. Et dixit ad me: Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam. Locus planè arduus, ac difficilis, qui interpretes mirum in modum distraxit.

Ante omnia enodanda est vox *Sennaar*. LXX. perspicuè habent, *in terra Babylonis*. Chaldæus, *in ciuitate*, vel *prouincia*, aut *metropoli Babylone*. Babylonem quoque hîc disertè intelligunt S. Hieron. S. Cyrill. Theodoretus, & omnes cum Hebræi, tum nostri. Genes. 10. 10. Babylõ manifestè dicitur fuisse in terra Sennaar. Et cap. 11. 2. Babylon apertè construitur in campo terræ Sennaar: vnde constat Babylonẽ partem fuisse regionis Sennaar, & Sennaar terram circumfusam fuisse Babyloni; vnde regio circũ Babylonem vrbem, dicta est Sennaar, quæ quoque appellata sit Babylonia: nam Babylon vrbem propriè, Babylonia verò & vrbem ipsam, & circumiacentẽ regionem significat. Daniel. 1. v. 2. refertur Nabuchodonosorũ asportasse vasa Templi Domini, in terram Sennaar, cùm constet ex historia Baltassaris, Daniel. 5. ea adducta fuisse Babylonem. Ioseph. lib. 1. Antiq. cap. 4. *De loco autem, qui Sennaar in Babylonia nominatur, meminit Hestius historicus hoc modo: Aiunt, Sacerdotes cladis eius superstites Enyelij Iouis sacra ferentes in Sennaar Babyloniæ peruenisse.* Eadem totidem verbis habent Eusebius & sanctus Hieronymus de Locis Hebraïcis.

Sed & S. Epiphanius sub initium Panarij: *Situs est autem campus Sennaar nunc in regione Persica, quæ olim erat Assyria.* Regionem Persicam vocat, quòd tempore S. Epiphanij Babylonia sub ditione Persarum esset, vti ex Eutropio, Festo Rufo, Ammiano Marcellino, & aliis liquet.

De vocis etymo Forerius in Isaïæ 11. v. 11. *Fortè totus ille terræ tractus à Mesopotamia versus Orientẽ* SINEAR *dictus est à* SAAR, *id est, horruit, incerta littera NVN, quòd natura, & moribus horridi sint populi qui terras illas incolũt.* Displicet etymõ, quòd SINEAR, cum SCIN dextro, SAAR verò, cum sinistro scribatur. Marinus in Arca Noë: *Sinear nomen proprium regionis Babylonicæ, quam Iudæi putant sic dici, à radice NAAR, & littera SCIN, quod ibi homines diluuij, propter humilitatem, & depressionem loci, deiecti fuerint.* Montanus in Zach. 5. ad v. 11. *Sennaar compositum nomen est ex S E, particula idem significante cum Latino quod, & ex NAGHAR verbo, quod excutere, excludereque significat: vnde nomen illi olim regioni factum est, ex qua Noë posteritas, cum turris nominis causa ædificare moliretur, vel inuita excussa fuerit.*

S. Hieronymus de Nominibus Hebraïcis Genesis, & in 5. Isaïæ, ad v. 10. *Sennaar, excussio dentium interpretatur.* Et id quidem quadrat diuisioni linguarum, quæ facta est in Babel, quòd dentes sint præcipua instrumenta loquendi. Iosephus Scaliger in Eusebianis, pag. 107. col. 1. agens de vi litteræ ע *Ain*, inquit: *Cuius duplex pronunciatio: altera gutturalis, vt Iudæi Critici vocant: altera est merum G durum Germanicum, quale pronunciatur Gallis ante A, O, V. Hodie Iudæi hanc differentiam ignorant: Samaritæ optimè tenent: qui vt Arabes, punctum imponunt illi litteræ vbi habet potestatem G.* שגער, *SINGHAR, σιγσαρα, & σιγσαρωὴ regio Sexto Russo.* Et pag. 231. col. 1. *Singara vrbs Mesopotamiæ, à qua pars Campestrium Mesopotamiæ dicta Singarena à Sexto Rufo. Haud dubiè sine vlla mutatione est* שגער *SINGAR Hebræorum, littera gutturali crassiùs pronuntianda. Nam illa gutturalis duplex est, lenis & crassa, tam Hebræis, quàm Arabibus, & Samaritis. Sed crassam Iudæi hodierni ignorant.* De Singara Mesopotamiæ vrbe circa Tigrim, agunt Plinius lib. 5. cap. 24. Ptolemæus lib. 5. cap. 18. Sextus Rufus in Breuiario Imperij, cap. 27. Eutropius lib. 10. cap. 3. Ammianus Marcellinus lib. 25. cap. 23. 24. S. Hieronymus in Chronico. Sanctum Paulum Constantinopolitanum Episcopum à Constantio Imperatore ferro vinctum in Singaram Mesopotamiæ deportatum, auctor est S. Athanasius epistola ad Solitarios, penè extrema. Cùm tradat Ammianus, in fœdere Iouiani, transisse in iura Persarum, Nisibim & Singaram, ea conditione vt incolæ ad Romana præsidia reuerti permitterentur: in mentem venit Baronio Annali 4. ann. 363. num. 121. num Singareni tum patria extorres, sint iidem ipsi qui nunc per omnes Europæ regiones vagantur, quos Itali *Singaros*, Hispani *Ægyptianos*, seu *Gitanos* vocant: de quibus plura Albertus Krantius lib. 11. Saxoniæ, cap. 2. Munsterus lib. 3. Cosmographiæ, pag. 267. Polydorus Virgilius lib. 7. de Inuentoribus rerum, cap. 7. Abraham Ortelius in Thesauro Geographico, in voce Zeugitana, Reinerius Reineccius in Historiæ Heroïcæ par. 1. in Regno Ægyptiorum, pag. 242. Martinus Delrius Disquisitionum Magicarum, lib. 4. cap. 3. q. 5. Franscius Fernandius in Didascalia, c. 10. Bonauentura Vulcanius in peculiari & breui Dissertatione de Nubianis erroribus, Guido Bodetianus in Dictionario Syro-Chaldaïco in voce C V T H, & alij. At de Sennaar egimus quoque lib. 4. cap. 17.

Verùm cùm hoc vaticinium Zachariæ nimis tenebricosum sit, interpretes in diuersas expositiones abripuit, quas omnes hîc persequi, nec loci, nec instituti est, qui eas videre cupit, adeat S. Hieronymum, S. Cyrillum, Theodoretum, Haymonem, Remigium, Lyranum, Dionysium Cartusianum, Paulum Burgensem: & ex recentioribus Vatablum, Isidorum Clarium, Paulum Palatium, Ariam Montanum, Didacum Stunicam, Hieronymum Osorium, Petrum Figuerium, (qui explanationes Rab. Seelomoh, Aben Ezra, & Kimchi fusè recensẽt,) Christophorum Castrum, Gasparem Sanctium, Antonium Fernandium, omnes in Commentariis huius loci. Quod ad rem nostram propriè spectat, sine aliarum iniuria interpretationem illam cum primis probamus, fusum à Zacharia singulare oraculum de obcœcatione, induratione, ac perenni perfidia & impietate populi Iudaïci, post interfectum & repudiatum Iesum Christum Dei Filium, quæ duratura est vsque ad tempora Antichristi.

Mulier, id est, Impietas, in medio Amphoræ, seu Mensuræ (sic enim reddiderunt LXX.) est Improbitas & perfidia Iudæorum cum pleno cumulo & mensura: nimirum id quod illis Christus exprobrat Matth. 23. 32. *Et vos implete* (pro impletis, aut implebitis, Hebraica phrasi imperatiuus pro Præsenti, aut futuro, vt Matth. 26. 45. *Dormite iam & requiescite*: id est, Dormitis iam & requiescitis: vel, Dormietis posteà & requiescetis: nam satis est, quod hucvsque dormistis. Et Ioan. 21. 19. *Sequere me*: id est, sequeris me,) *mensuram patrum vestrorum.* Impleuerũt Iudæi mensuram patrum suorum interficiendo Filium Dei, Apostolos profligando, & Euangelium repudiando.

Duæ autem mulieres portantes amphoram, hoc est, Iudaïcam impietatem, sunt perennis Iudæorum Excæcatio, & Induratio, in quibus hactenus manent, qui lucem noluerunt recipere, sed obstinatissimè perdurant in infidelitate. Quæ mulieres duæ amphoram, seu plenam Iudæorum Impietatem in terram Sennaar, id est, Babyloniæ deferunt: quia in Babylonia plusquam alibi terrarum, vt ingentior multitudo Iudæorum degit, ita ibidem magis eorum impietas viget: nam ibi intentiùs, & auidiùs expectant suum Messiam, & sollicitiùs conseruant inanem illam, & ementitam Principum è tribu Iuda, & Dauidica stirpe successionem: conseruabúntque eandem deinceps semper ibidem, quousque in eadem regione pro Messia Antichristum recipiant, eúmque Babylone pro rege suo adorent, vti abundè lib. 3. cap. 11. demonstrauimus: quod planè erit omnem cumulum, mensurámque suæ impietatis Iudæos implere.

In Babylonia igitur huic plenæ summæ, & absolutæ Iudæorum Impietati domus ædificabitur, vt ibidem stabiliatur, & ponatur super basem suam: quia nimirum quando ad terminum, finemque suæ peregrinationis, dispersionis, & exilij per totum terrarum orbem perfida Iudæorum natio peruenier, tunc in Babylonia regnum Antichristo deferet, honorem Messiæ tribuet, Palatium, aulam, domúmque regalem constituet, sacramento se ei obstringet, vtque suum Principem, & Imperatorem adorabit: atque omni apparatu, & ornatu regio & bellico instruet. Túncque in ea regione stabilietur summa omnium Impietas, quia ibidem firmabitur prima Antichristi potentia, & regia maiestas, ibi regnum auspicabitur, atque solemni ritu, ac cæremoniis Imperio inaugurabitur à Iudæis: ponetúrque ibi Impietas super basem suam, quia in eodem loco constituetur Antichristo prima regni sedes, basis, thronus à Iudæis. Hanc huius Zachariæ vaticinij explanationem facilem, simplicem, congruentem amplexi sunt, Osorius, Ribera, & Sà in hunc locum, Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 52. sect. 5. Lessius de Antichristo, cap. 12. Cornelius à Lapide in 2. Thessalonic. 2. num. 70 Antonius Fernandius Visione Veteris Testamenti, 34. sect. 5. num. 3.

Chaldæus interpres nonnulla quæ ad eandem interpretationem faciunt, videtur innuisse, cùm totum oraculum in hunc modum reddidit: *Et egressus est Angelus Domini, qui loquebatur mecum: & dixit mihi: Erige nunc oculos tuos, & vide quinam sunt hi qui transmigrantur,* vel *(reuelantur, apparent.) Et dixi: Qui sunt hi? Et dixit: Hi sunt populus, qui capiebat, & dabat in mensurâ falsâ. Et dixit: Ecce hi in exilium abeunt,* vel *reuelati*, seu *detecti*, aut *manifesti, sunt coram omnibus, &c. coram omnibus habitatoribus terræ. Et ecce populi veloces in exilium abducunt illos velociter: & venerunt populi alij, & habitauerunt in loco eorum, quia accipiebant, & dabant in mensura falsa. Et dixit: Propter hoc damnati sunt, & exulauerunt, quia capiebant, & dabant in mensura falsa. Et venerunt populi alij, & habitauerunt in loco eorum. Et erexi oculos meos, & ecce duæ ciuitates,* vel *reuelabantur, apparebant, migrabantur, & populi veloces migrabant eas velociter sicut inuolat aquila: & in exilium abduxerunt populum qui dabat, & accipiebat in mensura falsa, ad regna populorum terræ, quæ sunt sub omni calo. Et dixi Angelo, qui loquebatur mecum: Quonam hi migrant populum hunc, qui capiebat & dabat in mensurâ falsâ? Et dixit mihi: Ad præparandum ei locum in ciuitate Babylone: & retineantur, ac demorentur ibi, quousque adueniat tempus eorum.* Vides vt verpi isti fœtentes cogantur ex verbis sacri Vatis, suam dispersionem, & fugam per totum orbem, ob sua scelera fateri, in qua tamdiu erunt, dum veniat tempus eorum, quum sub Antichristo, inaniter respirare videbuntur.

Sed nonnulla oraculi verba quæ explanatores præterierunt, expendamus. *Hæc est impietas.* HARISAH, *Impietas illa:* vel *Impia illa*, nempe Iudæorum natio: nam adiectiuè etiam sumi posse, admonuit Kimchi. RISAH, propriè Improbitas, Præfractio, Inquietudo, Turbulentia, Motus, Seditio, Reatus, Damnatio, indicat Iudaïcæ gẽtis perfidæ & obstinatæ post reiectum Christum, miserabilem & infelicem statum in dispersione & exilio mundi: vbique enim sunt improbi, inquieti, præfracti, turbulenti, seditiosi, damnati, piaculares, omnium criminum rei: vbique odiosi, pessumdati, omnibus infortuniis cooperti.

Verbum HVCAN, quod à Vulgato, *stabiliatur*, redditur, est masculeum, ex Hophal CVN; vnde annotat Ribera non posse referri ad amphoram, seu Impietatem quæ Hebraïcè sunt fœminea, nempe EPHA, & RISAH: sed ad domum, quæ Hebræis est masculini generis, BAITH. Sed multò rectiùs est, vt construatur cum EPHA, & RISAH, insigni mysterio, more linguæ, suppositio fœmineo tribuatur verbum masculeum, quo indicetur Impietatem Iudaïcam in Antichristo ex paruis & tenuibus initiis, valida & mascula incrementa breui susceptura. Vnde Forsterus reddidit, *Et confirmabitur.* Sanctes, Auenarius, & alij, *Et præparabitur.*

Et ponatur. Verbum HVNICHAH, est valdè anomalum, componitur enim ex diuersis coniugationibus Hiphil & Hophal verbi INACH: compositionis causam assignat Kimchi in Commentariis, his verbis: *Et nota quod illud* VEHVNNICHAH *dictio est composita ex coniugatione actiua & passiua, ad indicandum, quòd initio quando illuc abducta est, posita est ibi inuita, & non ex voluntate sua: sed postmodum ipsa vltrò posuit & stabiliuit ibi semetipsam, quasi dicat, voluntate sua ibi moratur, & ad ascendendum Ierosolymam pigra est.* Eadem habet ex Kimchi Mercerus: quæ quamuis consentanea sint iis, quæ lib. 3. cap. 11. sub initium, ex Iosepho & Philone narrauimus, de Iudæis qui Babylone voluntarias posuere sedes: at putamus sublimius quid à Zacharia ea coniugationum permixtione fuisse significatum: nimirum positum verbum illud anomalum præter omnem Grammatices rationem, ad insinuandum regnum illud ab Antichristo tyrannicè, dolo, vi, rapiendum: futurúmque contra omnes normas, & rationes iusti, æquíque Imperij, plenum scelere & iniustitia.

Super basim suam. Ribera: *Metaphorica locutio est, sumpta ab statuis idolorum, quibus domus erigitur, & stabilitur: & mox statua super basim suam ponitur.* Idem annotauit Sà, & Fernandius. Rectè, nam ab eodem Zacharia 11. 17. Antichristus idolum dicitur: & verè erit magnum idolum, vti inferiùs videbimus. MECVNAH, Forstero & Mercero est fundamentum, basis, certa & firma sedes præsidentiæ: vt thronum, sedémque regni Antichristi Babylone significet. Tremellius, & Iunius: *In basi sua*, id est, *in sede illa vbi iam antè fundati,*

fundati, & radicati corruptissimos suos mores hauserant, & vbi fratres ipsorum neglectis Dei beneficiis, sedes suas fixerant, vt narratur, Chronicor. 4. 22. 23. Nempe Iudaica impietas Babylone decidens.

Non est hîc sine consideratione prætereundum, quod nefarium illud Thalmud Iudaicum, cunctis blasphemiis & spurcitiis refertissimum, quod vniuersam Iudaïci populi dispersi, & pœnas occisi & repudiati Christi luentis impietatem in vnum confusam & conglobatam continet, in Babylonia potissimum conflatum & confarcinatum fuerit, atque in eadem regione magna cura ab ipsis Iudæis conseruetur: vt certè videri possit magnus quidam, & conspicuus apparatus ad recipiendum Antichristum, & pro rege Messia inaugurandum. Equidem Paulus Burgensis longa digressione conatus est demonstrare, totum hoc Zachariæ vaticinium de impietate, Babylone super basem suam collocata, de impio, & infando Thalmud intelligendum esse. Quæ sanè interpretatio quamuis multis non probetur, ab ipso tamen auctore luculenta disputatione perducitur, & cum singulis oraculi verbis ingeniosè componitur. Verùm geminum fuisse Thalmud nemo non nouit, alterum Ierosolymitanum Ierosolymis compositum: alterum Babylonicum, Babylone absolutum, multò Ierosolymitano copiosius, quo penè solo vtuntur Iudæi vbique gentium, inquit Masius. Sed de vtroque Thalmud, & quod quóque tempore scriptum fuerit, si plura aues, (non enim nobis otium est nunc in his immorandi) adito Hieronymum à sancta Fide lib. 2. contra Iudæos, in Præfatione. Petrum Galatinum lib. 1. Arcanorum Catholicæ Veritatis, cap. 5. Hadrianum Finum lib. 9. Flagelli contra Iudæos, Xystum Senensem lib. 2. Bibliothecæ, Genebrardum lib. 2. Chronographiæ, pag. 260. & lib. 3. pag. 388. 446. 455. Andream Masium in Peculiari Indice Auctorum & librorum Hebraïcorum, ad finem Commentariorum in Iosue, Ioannem Buxtorfium in Bibliotheca Rabbinica, Antonium Possevinum tom. 2. Sacri Apparatus. Haud est probandum quod Finus & Xystus tradidere, Thalmud Babylonicum in Babylone Ægypti quam nonnulli Cairum putant, conscriptum fuisse: cùm omnes affirment cùm Hebræi, tum nostri in Babylonia Chaldaica fuisse compositum.

Primordia manifestationis & regni Antichristi.

CAP. VIII.

IAm lib. 3. cap. 26. diffusè perscripsimus, Antichristum traducta adolescentia pudendo, & detestando vitæ genere, immani versutia, fraude, dolo, & malis artibus, comparata nequissimorum hominum, præsertim Iudaïci generis colluuie, pellectis omnium in se animis & studiis, re omni priùs diabolicis conciliis, & apparatibus tutissimè disposita: tandem cunctis exposcentibus, & acclamantibus, publicè, palámque regnum Babylone inuasurum, atque rapturum, ab omnibúsque vt verum & legitimum regem excipiendum, & adorandum. Sed quonam pacto tanta hæc fieri continget, iam oratione diffusiori dicamus.

Primùm, exploratum est, Antichristum non iure hæreditario, aut electione legitima, seu quouis alio iusto titulo, sed fraude, dolo, astu, & prauis artibus primùm regnum comparaturum. Cùm enim constet oriturum ipsum ex vilissimis, & abiectissimis parentibus, ex sordida, & extremæ fæcis familia, non poterit ad sublimem regni honorem conscendere nisi per scelus & fraudulentiam.

Deinde, nemo prudens dubitare poterit, diabolum omnem suam operam Antichristo ad regnum adipiscendum nauaturum: atque ita permittente Deo propter hominum scelera, incitaturum omnium animos, vt illum pro rege suscipiant: nullum non lapidem moturum, nullum non funem tracturum, nihil denique omissurum, quo accuratissimè, quibuscumque poterit apparatibus ea omnia præstet, quæ Antichristo fauorem omnium & gratiam ad regnum capessendum conciliare possint. ipsum verò filium perditionis, summa eloquentia, ingenti verborum vi, profusa liberalitate, infinita munificentia, immanibus sumptibus, pretiosissimis muneribus, ventosis pollicitationibus, admirandis futurorum vaticiniis, ac prædictionibus, magicis artibus, & incantationibus, falsis aliquot patratis miraculis, quo sibi maiorem fidem, & auctoritatem apud omnes vendicet, ementita cum primis probitatis, & sanctimoniæ specie, falsa virtutum ostentatione, & quibuscumque valebit dolis, fraudibus, versutiis, artificiis, operibus, omnium mentes & voluntates adeò sibi deuincturum, vt pro arbitrio regat, moderetur, moueat, trahat, & ad quæcumque voluerit nutu propellat.

Sed potissimum prætextum Religionis iniiciet, validéque, & strenuè declamabit, quantùm ad subueniendum rebus humanis, Dei ignoratione, & vitiis cunctis: mortalium genere deprauato, conducat: quantùm ad restituendam, & stabiliendam veram Dei Religionem expediat: quantùm reformando mundo interfit, aliquem creari regem, qui perdita restituere, lapsa erigere, fracta redintegrare, quassata stabilire, nutantia firmare, extincta instaurare, orbem reficere, omnia suæ integritati & præstantiæ reddere valeat.

His, & aliis huiusmodi, quæ certè vix humana mens capere possit, acerrimè ab Antichristo peroratis, & cunctis, quæ sua, & diaboli, qua plurimum pollebit, industria ad rem tantam patrandam abundè suppeditabit, egregiè comparatis; ita miseros homines capiet, obstupefaciet, ac penitus dementabit, vt communi consensu, ingentíque applausu, maximo populorum concursu, & tumultu, eum in Regem deposcant, & acclament, summámque rerum propensissimè deferant. Præclarè enim secum agi existimabunt, ac manu diuina tantum sibi regem obuenisse censebunt, iustum, sanctum, religiosum, benignum, liberalem, modestum, temperantem, magnificum, eruditum, prudentem, fortem, inuictum, omnibus artibus, disciplinis, scientiis, virtutibus, aliísque regnandi dotibus, & ornamentis instructissimum, & excultissimum: qualem ne ipsi cogitare, nedum optare, aut sperare, vel inuenire potuissent.

Porrò Iudæos, ex quorum gente nasciturus est Antichristus, huius fabulæ, seu potiùs tragœdiæ futuros præcipuos auctores, atque architectos, nemo qui res Antichristi perspectas habuerit, dubitauerit. Gens enim hæc perfida, cæca, mundo odibilis, Deo execrabilis, sempiternæ suæ ignominiæ extremum propudium per vniuersum terrarum orbem vaga & profuga circumferens, tædio exspectandi suum Messiam fessa, & victa, Antichristum

regem

regem suum creabit, & pro suo Messia recipiet, putans se iam ad finem malorum peruenisse. Hæc quæ de initiis regni Antichristi disseruimus, apertè Patres suo testimonio, & auctoritate confirmant.

Sanctus Hippolytus Martyr Oratione de Consummatione Mundi & Antichristo: *Verùm in primordiis suis Antichristus clemens erit, factus ad dilectionem, quietus, religiosus, pacificus, qui odio prosequatur iniustitiam, detestetur munera, idololatriam non admittat, amet Scripturas, reuereatur Sacerdotes, canitiem honori habeat, scortationem repudiet, adulterium abominetur, obtrectationes non audiat, deierationes non recipiat, hospitalis, studiosus pauperum, misericors. Postea edet prodigia, leprosos mundando, paralyticos excitando, expellendo dæmones: longinqua non aliter quàm præsentia denuntiabit, excitabit mortuos, viduis opem feret, pupillos tuebitur, cunctos diliget, consiliabit homines contendentes ad amicitiam. Non possidebit aurum, nec diliget argentum, diuitias non amplectetur. Atque hæc omnia faciet consilio simulato, ac fraudulento, quo circumueniat omnes, vt se regem creent. Nam vbi populi, ac multitudines tantas eius virtutes atque facultates perspexerint, vno consensu conuenient omnes vnum in locum, ad creandum illum regem. Ac potissimum Hebræorum gens præ omnibus ipsi tyranno chara erit: dicéntque alius alij: Numquid in generatione nostra talis, ac tam bonus, & iustus homo inueniri potest? Iudæi præcipuè, vt iam dixi, sperantes se spectaturos illum regem tali Imperio, quem adeuntes, his verbis alloquentur: Omnes tibi obtemperamus, omnes in te fiduciam collocamus, agnoscimus te iustum super omnem terram, omnes tuâ operâ salutem nos consecuturos speramus, & ex ore tuo iustum, & incorruptum iudicium accipiemus. Atque initio quidem mendax, & iniquus ille subdolè gloriam hanc repudiabit: at perseuerantes homines, & obsecrantes, illum declarabunt regem.*

Sanctus Ephrem Syrus S. Hippolyti vestigia assectans, sermone de Antichristo: *Veniet scelestissimus ille, vt fur: & vt cunctos decipere possit falsus, & irreligiosus impostor, se humilem simulabit, atque quietum, iniustitiæ osorem, auersorem idolorum, magnum pietatis æstimatorem, benignum, pauperum amatorem, speciosum vltra modum, longè placidissimum, hilarem in cunctos; supra modum autem Iudæorum gentem honorabit, quod ij scilicet maximè illius exspectent aduentum, tanquam ipsius veri Christi. Atque inter hæc omnia editurus est signa, portenta, atque terrores in potestate magna. Astu, dolóque placere conabitur cunctis, vt citò populi amorem, atque beneuolentiam sibi conciliet. Munera non captabit, cum iracundia non loquetur, mœstus nunquam apparebit, & lætus apud omnes semper. Et in his omnibus sub specie Religionis, quoad regnauerit, decepturus est mundum. Quando autem multi è populo, ac plebe, tot, tantásque eius virtutes aspexerint, ipsum decore, atque potentia adeò præstantem, cuncti pariter in eandem sententiam condescendent, summóque cum gaudio illum sibi in regem eligent, dicentes ad inuicem: Numquid reperiri potest alius vir tantus, adeóque benignus, ac iustus, Potissimum autem impiorum, ac homicidarum Iudæorum populi ipsum honore afficient, applaudéntque eius regno.*

Sanctus Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 15. *Ac primum quidem tanquam prudens aliquis, & intelligens temperantiam, & humilitatem simulabit, signisque & portentis, magica impostura decipiet Iudæos, tamquam is esset Christus ab illis expectatus. Non à patribus accipiens regnum, sed arte magica principatum vsurpabit.*

Sanctus Hieronymus in 11. Danielis, ad vers. 21. *Antichristus consurgere habet de modica gente, id est, de populo Iudæorum: & tam humilis erit, atque despectus, vt ei non detur honor regius, & per insidias, & fraudulentiam obtineat principatum.*

Sanctus Ioannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 27. *Ex fornicatione itaque, vt diximus, nascetur, & clam educabitur, ac repente insurget, caputque attollet, atque Imperio potietur. Atque in regni quidem sui, vel tyrannidis potiùs præludiis bonitatis speciem præ se feret. Cùm autem rerum potitus fuerit, tum verò Ecclesiam Dei persequetur, peruersitatémque suam omnem depromet.* Atqui Antichristum ex obscuris, & paruis initiis regnum fraude, & dolo, ac malis artibus comparaturum, docent omnes summo consensu, qui res Antichristi descripserunt. Vide peculiariter Sanderum lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 38. 39. Bellarminum lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 16. Acostam lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 6. Suarem tom. 2. in 3. part. disput. 52. sect. 5. Henriquez de Fine Hominis, cap. 23. §. 5.

Quòd verò S. Hippolytus ait, Antichristum subdole recusaturum regnum, quò propensius ab illis deferatur, sunt planè istæ ambitiosissimorum hominum artes, quorum vnum, aut alterum exemplum ad rem illustrandam proponemus.

De Perdicca Alexandri Magni Duce, cui Alexander moriès annulum tradiderat, quíque regnum demortui Alexandri flagrantissimè cupiebat, Q. Curtius lib. 10. hæc prodit: *Tunc Perdicca regia sella in conspectum vulgi data, in qua diadema, vestísque Alexandri cum armis erant, annullum sibi pridie traditum à Rege, in eadem sede posuit.* Et post alia: *Tum Aristonus orsus est dicere, Alexandrum consultum, cui relinqueret regnum, voluisse optimum deligi: iudicatum autem ab ipso optimum Perdiccam, cui annulum tradidisset. Neque enim vnum eum assedisse morienti, sed circumferentem oculos, ex turba amicorum delegisse cui traderet. Placere igitur summam Imperij ad Perdiccam deferri. Nec dubitauere, quin vera censeret. Itaque vniuersi procedere in medium Perdiccam, & Regis annulum tollere iubebant. Hærebat inter cupiditatem, pudorémque, & quo modestius, quod expetebat, appeteret, peruicacius oblaturos esse credebat. Itaque cunctatus, diúque quid ageret incertus, ad vltimum tamen recessit, & post eos qui steterant proximi, constitit.*

De Cæsare Dictatore Tranquillus cap. 79. *Nam cum sacrificio Latinarum reuertente eo inter immodicas, ac nouas populi acclamationes, quidam de turba statuæ eius coronam lauream candida fascia colligatam imposuisset: & Tribuni plebis Epidius Marullus, Cæsetiúsque Flauus coronæ fasciam detrahi, hominémque duci in vincula iussissent, dolens, seu parum prosperè motam regni mentionem, siue vt ferebat, ereptam sibi gloriam recusandi, Tribunos grauiter increpitos potestate priuauit: neque ex eo infamiam affectati etiam regij nominis discutere voluit: quamquam & plebei regem se salutanti, Cæsarem se, non regem esse responderit: Et Lupercalibus, pro Rostris à Consule Antonio admotum sæpius capiti suo diadema repulerit, atque in Capitolium Ioui Optim. Maxim. miserit.* Eadem habent Plutarchus in Cæsare, Appianus 2. Bellorum Ciuilium, Dio lib. 44. & alij.

De Tiberio idem Suetonius cap. 24. *Principatum quamuis neque occupare confestim, neque agere dubitasset, & statione militum, hoc est, vi & specie dominationis assumpta, diu tamen recusauit impudentissimo animo: nunc adhortantes amicos increpans, vt ignaros*

ignaros quanta bellua esset Imperium: nunc precantem Senatum, & procumbentem sibi ad genua, ambiguis responsis, & callida cunctatione suspendens: vt quidam patientiam rumperent, atque vnus in tumultu proclamaret: Aut agat, aut desistat: alter coram exprobraret, Ceteros quod polliciti sint, tardè præstare: seipsum quod præstet, tardè polliceri. Tandem quasi coactus, & quærens miseram, & onerosam sibi iniungi seruitutem, recepit Imperium. Tacitus Annali 1. *Verse inde ad Tiberium preces: & ille varia differebat, de magnitudine Imperij, suâ modestiâ. Solam Diui Augusti mentem tantæ molis capacem: se in partem curarum ab illo vocatum, experiendo didicisse, quàm arduum, quàm subiectum fortunæ, regendi cuncta onus: proinde in ciuitate tot illustribus viris subnixa, non ad vnum omnia deferrent: plures facilius munera Reipubl. sociatis laboribus executuros. Plus in oratione tali dignitatis, quàm fidei erat, Tiberióque etiam in rebus quas non occuleret, seu naturâ, siue adsuetudine suspensa semper, & obscura verba: tunc vero nitenti vt sensus suos penitus abderet, in incertum, & ambiguum magis implicabantur. At Patres, quibus vnus metus, si intelligere viderentur, in questus, lacrymas, vota effundi: ad Deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere.* Et post alia: *Fessúsque clamore omnium, expostulatione singulorum, flexit paulatim, non vt fateretur suscipi à se Imperium, sed vt negare, & rogari desineret.* Eadem fusè refert Dio lib. 57. & Aurelius Victor in Epitome, inquit: *Delatum à Patribus principatum, quod quidem astu fecerat, fictè abnuere, quid singuli dicerent, vel sentirent, atrociter explorans: quæ res bonos quosque pessumdedit.*

At equidem eiusmodi, & peiores adhuc artes Antichristo non defuturas, satis est exploratum.

Plures qui ex infimo, & obscuro loco in regni fastigium euasere, vti Antichristus.

CAP. IX.

NEminem iam subeat admiratio, quanam ratione vilissimus homuncio Antichristus ex infima, & pudenda suæ gentis fæce procreatus, ad amplissimos regni honores conscendere breui tempore possit: cùm equidem docente Spiritu sancto Ecclesiast. 4. 14. *De carcere, catenisque interdum quis egrediatur ad regnum:* atque hæ sint vicissitudines rerum humanarum, quarum multa produntur exempla planè miranda: pauca hîc inserere non fuerit abs re.

De Tullo Hostilio III. Romanorum rege Valerius Maximus lib. 3. cap. 4. *Incunabula Tulli Hostilij agreste tugurium cepit: eiusdem adolescentia in pecore pascendo fuit occupata: validior ætas Imperium Romanum rexit, & duplicauit: senectus excellentissimis ornamentis decorata, in altissimo maiestatis fastigio fulsit.* Dissentiunt à Valerio Dionysius Halicarnasseus initio lib. 3. & Liuius lib. 1. cap. 22. qui genus nobile, & auitam gloriam Tullo tribuunt.

De Agathocle Siciliæ seu rege, seu tyranno Diodorus Siculus lib. 19. num. 670. *Præ cunctis autem singulari quodammodo Agathocles Syracusiorum tyrannus euasit, minimis profectus initiis, maximisque cladibus non Syracusas dumtaxat, sed totam quoque Siciliam, adeóque Libyam inuoluit. Nam cùm ob victus inopiam, rerúmque infirmitatem figulinam exercuisset, eò potentiæ & crudelitatis processit, vt maximam insularum omnium, & pulcherrimam in seruitutem redigeret, maiorémque Africæ partem, & quasdam Italiæ portiones obtineret, & iniuriis, lanienisque Siciliæ vrbes repleret.*

Et num. 671. mira de ortu Agathoclis in hunc modum narrat: *Carcinus Rhaginensis, à patria vrbe relegatus, Thermis Siciliæ, (vrbe Carthaginiensibus tunc subiecta) habitabat. Is cùm fœminam quandam eius loci in matrimonium ductam grauidam fecisset, crebrò in somnis perturbatur. Anxius igitur de noua sobole, Carthaginensibus Theoris quibusdam Delphos adituris negotium dedit, vt de fœtu in lucem edendo Deum consulerent. Quibus diligenter iniuncto sibi munere fungentibus, oraculum edit: Natum illum Carthaginiensibus, totique Siciliæ maximarum auctorem calamitatum fore. Is nuntio perterritus, infantem publicè exponit, adhibitis qui interitum eius obseruarent. Aliquot verò diebus exactis, ille non moritur, & res à custodibus geritur negligentiùs: mater interim noctu accedens, clam puerum tollit: ac domum quidem suam, viri metu, illum non reportat, sed apud fratrem Heraclidem depositum, Agathoclem parentis sui nomine appellat.*

Vbi educatus puer forma elegans, ac corpore valentior, quàm pro ætate, euasit. Iamque septennium attigerat, cùm ad sacrum quoddam vocatus Carcinus, Agathoclem cum æqualibus quibusdam lusitantem vidit, formámque, ac robur demiratur. Ibi cùm vxor subiiceret, tantæ magnitudinis fore expositum illum, si educatus esset; pœnitere se facti, ille respondet, & continuè lacrymatur. Intelligens ergo mulier voluntatem mariti cùm perpetratis à se congruere, omnem illi veritatem exponit. Qui narrationem eius cùm voluptate amplexus, filium ad se recipit, & metu Carthaginiensium, Syracusas cum omni familia commigrauit. Sed, quia pauper erat, figulinam Agathoclem docuit adhuc puerum. Mater autem lapideam filij statuam in quodam loco posuerat: ad hanc examen apum considens, ceram in coxis fingere cœpit. Quo signo ad eos delato, qui huiusmodi rebus vacant, omnes pronuntiarunt, in matura hominem ætate ad magnam peruenturum claritatem. Id quod euentus quoque probauit.

Nec absimile huic de Agathocle apum prodigio illud fuit, quod de Hierone Syracusanorum rege refert Iustinus lib. 23. *Huius futuræ maiestatis ipsa infantilis educatio quasi prænuntia fuit. Quippe genitus erat patre Hieroclito, nobili viro, cuius origo à Gelo, antiquo Siciliæ tyranno manabat; sed maternum illi genus sordidum, atque admodum pudibundum fuit. Nam ex ancilla natus, ac propterea à patre velut dehonestamentum generis, expositus fuerat. Sed paruulum & humanæ opis indigentem apes coniecto circa iacentem melle, multis diebus aluere. Ob quam rem responso aruspicum admonitus pater, qui regnum infanti portendi canebant, paruulum recolligit, omnique studio ad spem maiestatis, quæ promittebatur, instituit.*

Sed de Agathocle idem Iustinus lib. 22. initio: *Agathocles Siciliæ tyrannus, qui magnitudine prioris Dionysij successit, ad regni maiestatem ex humili, & sordido genere peruenit. Quippe in Sicilia patre figulo natus, non honestiorem pueritiam, quàm principia originis habuit. Siquidem forma, & corporis pulchritudine egregius, diu vitam stupri patientiæ exhibuit. Annos deinde pubertatis egressus, libidinem à viris ad fœminas transtulit. Post hæc apud vtrumque sexum famosus, vitam latrociniis mutauit.*

Quin & grauissimus auctor Polybius lib. 12. pag. 659. hæc de Agathoclis exordiis scribit: *Quod enim*

enim sit omnino necesse, vt ingentibus à natura dotibus esset ornatus Agathocles; id verò etiam ex illis, quæ de eo ipsemet Timæus scribit, liquidò constat. Nam si figularem rotam, & fumum, ac lutum fugiens, cùm vix decem & octo esset annorum, Syracusas primùm venit: ac mox à tali profectus principio, Siciliam vniuersam suo subiecit imperio, maxima Pœnis creauit pericula, postremò vbi in tyrannide consenuisset, & nomen regium esset consecutus, ita vitam finiuit; quis neget magnum profectò virum, & admirabilem fuisse Agathoclem, quique magnis à natura dotibus, & præsidiis ad res solerter gerendas esset instructus? Et lib. 15. pag. 720. *Agathocles verò, vt quidam eum irridens ait Timæus, figulus cùm esset, relicta rota, argilla, & fumo, inuentis Syracusas venit.*

De Eumene magno Alexandri duce Plutarchus in eius vita, initio: *Eumeni Cardiano tradit Duris patrem fuisse, qui ob inopiam in Chersoneso victum vectura exercenda quæritauit.* Cornelius Nepos de claris Græcis Imperatoribus: *Neque aliud huic defuit, quàm generosa stirps; tametsi enim ille domestico summo genere erat, tamen Macedones eum sibi aliquando anteponi indignè ferebant.* Res Eumenis stylo prosecuti sunt Diodorus Siculus lib. 18. & 19. Iustinus lib. 13. & 14. Cornelius Nepos, & Plutarchus.

De Sandrochotto Iustinus lib. 15. hæc prodit: *India post mortem Alexandri, iugo seruitutis excusso, Præfectos eius occiderat. Auctor libertatis Sandrochottus fuerat: sed titulum libertatis post victoriam in seruitutem verterat. Siquidem occupato regno populum quem ab extrema dominatione vindicauerat, ipse seruitio premebat. Fuit hic quidem humili genere natus, sed ad regni potestatem maiestate numinis impulsus: quippe cum procacitate sua Alexandrum regem offendisset, interfici à rege iussus, salutem pedum celeritate quæsierat. Ex qua fatigatione, cum somno captus iaceret, leo ingentis formæ ad dormientem accessit, sudorémque profluentem lingua ei terfit, expergefactúmque blandè reliquit. Hoc prodigio primum ad spem regni impulsus, contractis latronibus, Indos ad nouitatem regni sollicitauit: molienti deinde bellum aduersus Præfectos Alexandri, elephantus ferus infinitæ magnitudinis vltrò se obtulit, & veluti domita mansuetudine, eum tergo excepit, duxque belli, & præliator insignis fuit. Sic adquisito regno Sandrochottus ea tempestate, qua Seleucus futuræ magnitudinis fundamenta iaciebat, Indiam possidebat.* Sandrochotti meminit quoque Appianus in Syriacis, pag. 123. & Strabo lib. 15. pluries ad quem missum Megasthenem refert.

De Arsace Parthici Imperij conditore Iustinus lib. 41. *Erat eo tempore Arsaces vir sicut incertæ originis, ita virtutis expertæ. Hic solitus latrociniis, & rapto viuere, accepta opinione Seleucum à Gallis in Asia victum, solutus regis metu, cùm prædonum manu Parthos ingressus, Præfectum eorum Andragoram oppressit, sublatóque eo, Imperium gentis inuasit.* Ammianus Marcellinus lib. 23. cap. 16. de regno Parthorum: *Hoc regnum quondam exiguum, multísque antea nominibus appellatum, cùm apud Babylona Magnum fata rapuissent Alexandrum, in vocabulum Parthi concessit Arsacis obscurè geniti, latronum inter adolescentiæ rudimenta ductoris: verùm paulatim in melius mutato proposito, clarorum contextu factorum aucti sublimius, qui post multa gloriosè, & fortiter gesta, superato Nicatore Seleuco, eiusdem Alexandri successore, cui victoriarum crebritas hoc indiderat cognomen, præsidiísque Macedonum pulsis, ipse tranquillius agens temperator obedientium fuit, & arbiter lenis.*

Viriatum Lusitanum Magnum Hispaniæ nostræ decus pluribus testimoniis illustremus: Cicero 2. de Officiis: *Multo maiores opes habuit Viriatus Lusitanus latro: cui quidem etiam exercitus nostri, Imperatoréque cesserunt.*

Liuius Epitome 52. *Viriatus primum in Hispania ex pastore venator, & ex venatore latro, mox iusti quoque exercitus dux factus, vniuersam Lusitaniam occupauit.*

Velleius Paterculus lib. 2. *Triste deinde & contumelioſum bellum in Hispania, duce latronum Viriatho, secutum est: quod ita varia fortuna gestum est, vt sæpius Romanorum gereretur aduersa.*

Iulius Frontinus lib. 2. Stratagematum, cap. 5. *Viriatus ex latrone dux Celtiberorum.*

Florus lib. 2. cap. 17. *Ceterùm Lusitanos Viriatus erexit, vir calliditatis acerrimæ: qui ex venatore latro, ex latrone subitò dux, atque Imperator, & si fortuna cessisset, Hispaniæ Romulus, non contentus libertatem suorum defendere, per quatuordecim annos, omnia citra, vltraque Iberum & Tagum, igni, ferróque populatus, castra etiam Prætorum, & Præsidum aggressus, &c.*

Aurelius Victor, seu si quis est alius auctor de Viris illustribus, cap. 71. *Viriatus genere Lusitanus, ob paupertatem primò mercenarius, deinde alacritate venator, audacia latro, ad postremum dux, bellum aduersus Romanos sumpsit.*

Eutropius lib. 8. *Viriatus à suis interfectus est, cùm quatuordecim annos Hispanias aduersus Romanos mouisset. Pastor primò fuit, mox latronum dux, postremo tantos ad bellum populos concitauit, vt assertor contra Romanos Hispaniæ putaretur.*

Orosius lib. 5. cap. 4. *Viriathus in Hispania, genere Lusitanus, homo pastoralis, & latro, primùm infestando vias, deinde vastando prouincias, postremò exercitus Prætorum & Consulum Romanorum vincendo, fugando, subigendo, maximo terrori Romanis omnibus fuit.* Agunt pluribus etiam de Viriatho Appianus in Ibericis, Iustinus lib. 44. Paulus Diaconus lib. 4. Miscellæ.

Sed in Excerptis lib. 32. Diodori Siculi, apud Photium hæc leguntur: *Cùm Lusitani satis idoneum initio ducem non haberent, in bello cum Romanis non magno subigebantur negotio: postea Viriathum nacti, magnis Romanos detrimentis affecere. Hîc ex Lusitanis Oceanum incolentibus erat, à puero inde vsque pastor, vitaque montana adsuetus, corporis etiam naturam adiutricem habuit: nam robore, ac celeritate, membrorúmque agilitate ceteris Iberis longè antecelluit. Ita autem se adsuefecerat, vt exiguo nutrimento, & multa exercitatione, somnóque ad necessitatem solummodò vteretur: ferrea denique arma perpetuò gestando, & cum belluis, ac latronibus decertando, apud multitudinem celebris euasit, & dux tandem creatus, subito prædonum circa se agmen congregauit. Magnósque in bellis progressus faciens, non ob alias tantum virtutes in admirationem venit, sed Imperatoriis etiam artibus excellere iudicatus est. In spoliorum præterea distributione iustus erat, & pro merito illos, qui fortiter rem gesserant, muneribus extollebat. Ac subinde altius prouectus, non latronem amplius, sed Principem se declarauit. Bella gessit cum Romanis, multísque præliis victor abiit.* Non est dubium quin Diodorus fusè res Viriathi prosecutus fuerit, quarum tantum breuem Eclogam Photius contraxerit.

De Pertinace Imperatore Dio lib. 73. *Pertinax autem Ligur erat natione, ex ciuitate alba Pompeia, patre ignobili, ita in studio litterarum versatus, vt ex his parce,*

parcè ac tenuiter viueret. Iulius Capitolinus. *Publio Heluio Pertinaci, pater libertinus Heluius Successius fuit, qui filio nomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quod pertinaciter eam rem gereret imposuisse fertur.* Et infrà: *Nam pater eius tabernam coctilitiam in Liguria exercuerat.* Quæ autem sint coctilia, Casaubonus & Salmasius in Notis, & Scaliger in Eusebianis pag. 207. 208. docent. Sunt ligna cocta. Aurelius Victor in Epitome Cæsarum: *Heluius Pertinax origine gentis sordida, Præfecturam Vrbis agens, Imperator effectus, prouectúsque eò, vt Fortunæ vocaretur Pila. Nam Libertino genitus patre apud Ligures in agro squalido Lollij Gentiani, fuit doctor litterarum.*

De Artaxerxe, qui Parthorum Imperium deleuit, priscum illud Persarum restituit, sub Alexandro Mammææ, Agathias lib. 2. cap. 14. hæc scribit: *Eodem autem tempore quo res Græcorum per Alexandrũ Mammæa adolescentem administrabantur, & Chosrois apud nos cœpit genus regnare: ex quo profecto instituta & mores, qui apud Persas ad id tempus obseruantur, ortum cepere, perinde prima stabilimenta. Siquidem Artaxerxes quidam vir Persa, inglorius inprimis, & obscurissimus, aliàs tamen fatis sat potens, & sanè industrius, peridoneúsque posse constituta mouere, & obturbare pacata, coniuratorum manu mox facta, Artabanum regem Parthorum obtruncat, & tiara regio insigni sibi imposita, Parthorúmque viribus debilitatis, denuò Persis pristinum regnum restituit. Erat is sanè ex magica arte sacrorum peritus, de séque arcana confecit: vnde & Magorum gens omnis ex eo validior facta & insolens, iam pridem id nominis seruat.* Et infrà: *Ferunt, quondam Artaxerxis matrem Pauedo cuidam nupsisse, infimæ sortis viro, & coriariam exercenti, qui tamen siderum decursus calleret, & scientissimus esset per quam facilè posset futura prospicere. Apud hunc semel Sannum quempiam militem per Caduſiorum agrum iter habentem, in tugurium diuertisse: tunc & Pauecum perinde vatem, vtcunque hospitis semen & maximum fore, & celeberrimum præuidentem, & euasurum quandoque ad summam felicitatem, affectum primò mœrore fuisse, ac flebiliter questum, quòd sibi nec filia esset, nec soror, nec fœmineum denique aliquid, quod se propinquitate contingeret, vt cum Sanno illo & hospite necessitudine iungeretur. Sic demum illi & noctu vxore apposita, toro cessisse, spreta perstrenuè verecundia, & breui cum nota futura, & optima commutata fortuna. Quo ex nocturno congressu Artaxerxem natum, sub Pauecóque educatum, ad iuuenilesque annos prouectum, fortissimè sibi Imperium comparasse. Vnde inter Sannum, Pauecúmque ortam fuisse contentionem, dum eorum quisque iam vellet puerum ex se filium dici: & vix tandem in id conuenisse, vt Puer Paueci filius diceretur, sed alioquin ex Sanni semine ortus. Hoc pacto dum Artaxerxi genealogiam repetunt Persæ, vera fuisse quæ de eo traduntur, affirmant, vt in regum suorum annalibus litteris prodita.*

Zonaras tomo 2. Annalium, in Alexandro Mammææ: *Interim Artaxerxes Persa, homo obscuro & inglorio genere ortus, Parthorum regnum ad Persas translatum sibi vendicauit: à quo Chosroë genus deduci fertur. Nam post Alexandri Macedonis obitum, successores illius Macedones longissimo tempore Persis & Parthis imperarunt: sed tandem intestinis bellis alij alios euerterunt. Quorum fractis viribus primus Arsacides Parthus ab eis deficere, & Parthis dominari cœpit, regno in successores propagato: quorum postremus fuit Arthabanus: quem hic Artaxerxes tribus præliis victum & comprehensum interfecit.* De Artaxerxe isto qui post Parthicum, Persicum Imperium fundauit, plura Dio lib. 80. Herodianus lib. 6. Lampridius in Alexandro, Eusebius in Chronico, Sextus Rufus in Breuiario, cap. 22. Eutropius lib. 8. extremo, Orosius lib. 7. cap. 18. Agathias lib. 4. cap. 11. & alij. Fuit hoc regnum maximè pauendum Romanis, cum quo sæpiùs vires infeliciter contulerunt. Valerianus Imperator à Sapore rege Persarum victus, captus, ludibrio habitus; Maximianus Constantius, & Iulianus malè contra Persas pugnauere.

De Maximino Imperatore Herodianus lib. 7. *Nam cùm se inuisum hominibus cognosceret, quòd primus ex infimo loco ad eam fortunam peruenisset: præterea moribus perinde vt genere barbarus, patrioque instituto cædis auidissimus, ad id potissimum dabat operam, vt Imperium sibi sæuitia constabiliret: scilicet metuens ne Senatui, reliquisque omnibus Romanæ ditionis hominibus contemptibilior fieret, dum non tam in eo præsens fortuna, quàm natalium obscuritas spectatur. Quippe iam id tritum, vulgatumque apud omnes, opilionem fuisse in Thraciæ montibus: dein corporis vastitate ac robore inter eius regionis tenuissimos milites ascitum, quasique manuductum à fortuna ad Romanum Imperium.* Eadem iam dixerat anteà lib. 6. Capitolinus: *Hic de vico Thraciæ vicino, barbaróque etiam patre, & matre genitus, quorum alter è Gothis, alter ex Alanis, genitus esse perhibetur. Et patri quidem nomen Micar, matri Ababa fuisse dicitur. Sed hæc nomina Maximinus primis temporibus ipse prodidit, postea verò, vbi ad Imperium venit, occuli præcepit, ne vtroque parente barbaro genitus Imperator esse videretur. Et in prima quidem pueritia fuit pastor, nonnumquam procer, qui latronibus insidiaretur, & suos ab incursionibus vindicaret.* Zozimus lib. 1. *Nam obscuro natus loco Maximinus, quum primum accepisset Imperium, &c.*

De Probo Imperatore Aurelius Victor in Epitome: *Probus genitus patre agresti, hortorum studioso, Dalmatio sanguine.*

De Diocletiano idem Victor: *Diocletianus Dalmata, Anulini Senatoris libertinus.* Eutropius lib. 9. *Exercitus Diocletianum Imperatorem creauit, Dalmatiâ oriundum, virum obscurissimè natum: adeò vt à plerisque scribæ filius, à nonnullis Anulini Senatoris libertinus fuisse credatur.* Iornandes: *Diocletianus Dalmata scribæ filius.*

De Maximiano Herculeo Aurelius Victor: *Aurelius Maximianus cognomento Herculeus, ferus natura, ardens libidine, consiliis stolidus, ortu agresti, Pannonióque: nam etiam nunc haud longè Syrmio eminet locus palatio ibidem constructo, vbi parentes exercebant opera mercenaria.*

De Iustino I. Imperatore Zonaras tomo 3. Annalium: *Imperator autem creatus est Iustinus Thrax, parentibus ortus ignobilibus & obscuris, atque ipse principio operarius fuit, aut armentarius, aut porcarius.*

De Basilio Macedone Imperatore idem Zonaras: *Fuit Basilius ex Macedonia, parentibus obscuris ortus: etsi quidam rerum eius gestarum scriptor, eum genus ab Arsacidis ducere comminiscitur.*

De Lamissio secundo Longobardorum Rege Paulus Diaconus lib. 1. cap. 15. de Gestis Longobardorum mirabilem texit historiam: *His temporibus quædam meretrix, vno partu septem puerulos enixa, belluis omnibus mater crudelior, in piscinam proiecit necandos. Hoc si cui impossibile videtur, relegat historias veterum, & inueniet, non solum septem*

infantulos, ſed etiam nouem vnam mulierem ſimul peperiſſe. Et hoc certum eſt maximè apud Ægyptios fieri. Contigit itaque vt rex Agelmundus, dum iter caperet, ad eandem piſcinam deueniret. Qui cùm equo retento miſerandos infantulos miraretur, haſtáque quam manu gerebat, huc illucque eos inuerteret, vnus ex illis manu iniecta, haſtam regiam comprehendit. Rex miſericordia motus, factúmque altius admiratus, cum magnum futurum pronuntiat. Moxque eum è piſcina leuari præcipit, atque nutrici traditum, omni eum ſtudio mandat alendum. Et quia eum de piſcina, quæ eorum lingua Lama dicitur, abſtulit, Lamiſſio eidem nomen impoſuit. Qui cùm adoleuiſcet, adeò ſtrenuus iuuenis effectus eſt, vt & bellicoſſimus extiterit, & poſt Agelmundi funus, regni gubernacula rexerit.

De Mahometis impiæ ſectæ conditoris obſcuris & perinfamibus initiis, vndè ad tantam magnitudinem immane eius regnum proruperit, lib.1. cap.24. abundè perſcripſimus.

Othomanus Turca obſcuro loco, & parentibus agrariis natus, Imperium iſtud Othomanicum quod nunc in Oriente obtinet, Chriſtianis adeò exitiale, circa annum Domini MCCC. primus auſpicatus eſt, vti Laonicus Chalcondylas lib. 1. de Rebus Geſtis Turcarum, Baptiſta Egnatius lib.2. Romanorum Principum, Iouius de Vitis Turcarum, cap.1.& innumeri alij ſunt auctores.

Tamerlanes quem Græci Tamirem nuncupant, Matthias vero Michouienſis lib. 1. de Sarmatia, cap. 15. ac Demetrius Moſchus apud Iouium in Legatione Moſchouitica, Themir-cultu, quod Dominum Ferreum, ſeu Fortunatum-ferrum ſignificare aiunt, Hiſpani noſtri olim Tamurbeque: cum proprium ac geminum nomen eius prodatur Themir-lang, quod Ferrum-Claudum Tartarica lingua exponitur; ex equorum paſtore, mox latro, deinde clariſſimus Imperator euaſit, orbémque nominis ſui terrore compleuit, circa annum Salutis MCD. Cuius res, quia omnibus notiſſimæ, abſtinemus latiùs deſcribere: de quibus videndi cum primis Laonicus Chalcondylas lib.1. extremo, & toto lib. 3. Gonzalus Clauiius in Legatione Henrici III. Hiſpanicæ Regis ad Tamerlanem, quam ipſe Clauiius vnus Legatorum obiit anno MCDIII. & ſcriptis accuratè mandauit, Ioannes Baptiſta Fulgoſus lib. 3. Factorum, dictorúmque memorabilium, cap.3. Iouius lib.2. Elogiorum in Tamerlane, Petrus Perondinus in Vita Tamerlanis, Munſterus lib.4. Coſmographiæ, pag.959. Petrus Mexia in Silua Variæ Lectionis lib.1. cap.13. Martinus Chromerus lib.15. rerum Polonicarum extremo, Genebrardus lib. 4. Chronographiæ, pag.712. 713. 714. Mariana de Rebus Hiſpanicis lib. 19. cap. 11. & plurimi alij. At exemplorum iam ſatis, vt minimè mirandum ſit, Antichriſtum ex obſcuriſſimis & abiectiſſimis initiis ad Imperij culmen euehendum.

Vaticinium Danielis 7. verſ. 8. Et ecce cornu aliud paruulum Ortum eſt de medio eorum. *Et verſ.* 24. Et alius (*rex*) conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus. *De initiis regni Antichriſti.*

CAP. X.

HOc cornu paruulum, quod Angelus Danieli regem alium ſurrecturum, eſt interpretatus, eſſe ipſum Antichriſtum, ex conſenſu Patrum & Recentiorum lib.5. cap.22. & 24. abundè demonſtrauimus: nunc perueſtigandum, cur à ſacro vate dictus ſit Antichriſtus Cornu paruulum, ſeu Rex paruulus. S.Irenæus lib. 5. c. 25. hæc eadem verba Danielis exponens, vocat, *Cornu puſillum*. S.Hippolytus lib. de Antichriſto: *Cornu tanquam pullulus*. Lucifer Calaritanus, *cornu minus*, qua etiam ratione legit S.Proſper in Dimidio, cap.8. Atqui concors eſt omnium explanatorum ſententia, Antichriſtum dictum à Daniele Cornu paruulum, ſeu regem paruulum, quòd ex viliſſima, & ignominioſiſſima Iudæorum gente, & parentibus infimæ ſortis, abiectiſſimus ipſe & deſpicatiſſimus homuncio, pudendo & infami ortu, obſcuriſſimis initiis, tanquam aliquis terræ filius proditurus ſit, qui regnum, non quidem iure hereditario, aut iuſta electione, ſeu inſigni virtute, aut alio quouis legitimo titulo adipiſcatur: ſed fraude, dolo, ſcelere, & peſſimis artibus rapiat.

Cornu illud quod Chaldaïcè dicitur ZEERAH, Græcè μίκρον, à Vulgato, *paruulum*, ſcitè S. Hippolytus appellauit, ὡς παραφυάδιον, *tanquam pullulum*. Annotant Budæus & Henricus Stephanus, *Paraphyada dici, quæ adnaſcuntur arbori, vel ſoboles adfructificantes, Plinio Adnata, aliiſque adnaſcentia, ſiue Appendices: atque in plantis ramulos qui iuſto germini adnaſcuntur, & ſuccreſcunt, quasique proles noua, & aſcititia, è caule ſponte pullulant. Quod ſi ab radice, potius ſtolones Latinè dicuntur, quæ ipſi Plinio ſunt inutilis fructificatio*. Plinius lib.17. cap.1. *Stolonum Liciniæ genti cognomen: ita enim appellatur in ipſis arboribus fructificatio inutilis: vnde & pampinatio inuenta primo Stoloni dedit nomen*. Varro lib.1. de re Ruſtica, cap.2. *Nam C. Licinium Stolonem video venire: vnum cuius maiores de modo agri legem tulerunt. Nam Stolonis illa lex, quæ vetat plus D.iugera habere ciuem romanum: & qui propter diligentiam culturæ, Stolonum confirmauit cognomen: quòd nullus in eius fundo reperiri poterat ſtolo: quòd effodiebat circum arbores, è radicibuſque naſcerentur è ſolo, quos ſtolones appellabant.*

Gloſſæ veteres: *Pullus*, παραφυὰς. *Pullat* (*in Georgia arbores dicuntur, quoties ramos ex ſe generant.*) παραφυάδας βάλλει βλαστάνει. Et ſurſum: Παραφυὰς, *Pullulus, propago*. Plinius lib.17. c.10. *Nullis verò talet pulluli proueniunt, &c.* Hinc pullulare. Appoſitè S. Hyppolitus Antichriſtum cornu pullulum nuncupauit, quaſi adnatum, ac prolem nouam, & aſcititiam, ſpurium, & illegitimum germen, inutilem fructificationem, ſtolonem adulterinum, & nothum, vitulamen, nouellam, ſurculum peſſimum. Nimirum falſum & intruſum regem, tyrannum: vt in eum dici poſſit illud Sapientiæ 4.3. *ſpuria vitulamina* (ſeu adulterini ſtolones) *non dabunt radices altas.*

stas. Nam breui immane illud Antichristi regnum dissipabitur,& extinguetur. Sed hic Danielis loco ampliùs ex eo quem sequenti capite elucidamus,illustrabitur.

Aliud oraculum Danielis de initiis Regni Antichristi.

CAP XI.

DAnielis 11.v.21.*Et stabit in loco eius despectus, & non tribuetur ei honor regius: & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.* 22. *Et brachia pugnantis expugnabuntur à facie eius,& conterentur: insuper ex dux fœderis.* 23. *Et post amicitias, cum eo faciet dolum: & ascendet & superabit in modico populo.* Locus insignis & memorabilis,quem confessione interpretum vtcumque de Antiocho Epiphane, sed præcipuè,& sensu sublimiori de Antichristo intelligendum esse constat. Verùm S.Hieronymum quem vnum præ ceteris & accuratissimum Danielis explanatorem, & fidissimum veterum Patrum interpretationum testem habemus,de huius loci sensu differentem audiamus: qui graui, multáque eruditione referta oratione vtitur, ex quo reliquos qui secuti sunt accepisse quæ ad Danielis intelligentiam attinent, non est dubium. Cùm iam alia quæ hoc vaticinium antecedunt,exposuisset,ad hunc locum enarrandum accedens,ita orditur: *Hucúsque ordo historiæ se sequitur, & inter Porphyrium ac nostros nulla contentio est. Cetera quæ sequuntur vsque ad finem voluminis, ille interpretatur super persona Antiochi, qui cognominatus est Epiphanes, frater Seleuci, filius Antiochi Magni, qui post Seleucum vndecim annis regnauit in Syria, obtinuitque Iudæam: sub quo legis Dei persecutio,& Machabæorum bella narrantur. Nostri autem hæc omnia de Antichristo prophetari arbitrantur,qui vltimo tempore futurus est. Cúmque eis videatur illud opponi: Quare tantos in medio dereliquerit sermo propheticus, à Seleuco vsque ad consummationem mundi: respondent, quod & in priori historia, vbi de Regibus Persis dicebatur, quatuor tantùm reges post Syrum Persarum posuerit, & multis in medio transilitis, repente venerit ad Alexandrum regem Macedonum: & hanc esse Scripturæ sanctæ consuetudinem,non vniuersa narrare, sed ea quæ maiora videntur exponere.*

Cúmque multa quæ posteà lecturi & exposituri sumus, super Antiochi persona conueniant; typum eum volunt Antichristi habere, & quæ in illo ex parte præcesserint,in Antichristo ex toto esse complenda. Et hunc esse morem Scripturæ sanctæ, vt futurorum veritatem præmittat in typis, iuxta illud quod de Domino Saluatore in 71. Psalmo dicitur, qui prænotatur Salomonis, & omnia quæ de eo dicuntur, Salomoni non valent conuenire. Neque enim permansit ille cum sole & ante lunam generationis generationum: neque dominatus est à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum: nec omnes gentes seruierunt ei: neque ante solem permansit nomen eius: nec benedictæ sunt in ipso omnes tribus terræ:neque omnes gentes magnificauerunt eum. Ex parte autem,& quasi in vmbra & imagine veritatis in Salomone præmissa sunt, vt in Domino Saluatore perfectiùs implerentur. Sicut igitur Saluator habet & Salomonem: & ceteros sanctos in typum aduentus sui: sic & Antichristus pessimum regem Antiochum, qui sanctos persecutus est, Templúmque violauit.

Sequamur igitur expositionis ordinem, & iuxta vtramque explanationem,quid aduersariis,quid nostris videatur, breuiter annotemus. Stabit inquiunt in loco Seleuci,frater eius Antiochus Epiphanes: cui primùm ab his qui in Syria Ptolemæo fauebant, non dabatur honor regius: sed postea simulatione clementiæ obtinuit regnum Syriæ. Et brachia pugnantis Ptolemæi,& vniuersa vastantis,expugnata sunt à facie Antiochi,atque contrita. Brachia autem fortitudinem vocat: vnde & manus appellatur exercitus multitudo. Et non solùm, ait, Ptolemæum vicit fraudulentia: sed ducem quoque fœderis,hoc est,Iudam Machabæum superauit dolis. Siue quod dicit hoc est: cùm ipse obuuliſſet pacem Ptolemæo,& fuisset dux fœderis, postea est ei molitus insidias. Ptolemæum autem hîc non Epiphanem significat qui quintus regnauit in Ægypto: sed Ptolemæum Philometorem,filium Cleopatræ sororis Antiochi,cuius hic auunculus fuit. Et cùm post mortem Cleopatræ, sororis Antiochi, *Eulæus eunuchus nutritius Philometoris,& Leneus Aegyptum regerent, & repeterent Syriam quam Antiochus fraude occupauerat; ortum est inter auunculum, & puerum Ptolemæum prælium. Cúmque inter Peluſium & montem Cassium prælium commisissent, victi sunt duces Ptolemæi. Porrò Antiochus parcens puero, & amicitias simulans, ascendit Memphim,& ibi ex more Aegypti regnum accipiens, puerique rebus se prouidere dicens,cum modico populo omnem Aegyptum subiugauit sibi: & abundantes, atque vberrimas ingressus est ciuitates. Fecitque quæ non fecerunt patres eius, & patres patrum illius: nullus enim Regum Syriæ ita vastauit Aegyptum, & omnes eorum diuitias dissipauit: & tam callidus fuit,vt prudentes cogitationes eorum qui duces pueri erant, sua fraude subuerteret. Hæc Porphyrius sequens Suctorium, sermone lacinioſissimo prosecutus est, quæ nos breui compendio diximus.*

Nostri autem & meliùs interpretantur & rectiùs: quod in fine mundi hæc sit facturus Antichristus: qui consurgere habet de modica gente, id est, de populo Iudæorum: & tam humilis erit, atque despectus, vt ei non detur honor regius: & per insidias & fraudulentiam obtineat principatum: & brachia pugnantis populi Romani expugnentur ab eo,& conterantur. Et hoc faciet quia simulabit se ducem esse fœderis,hoc est legis & testamenti Dei. Et ingredietur vrbes ditissimas: & faciet quæ non fecerunt patres eius,& patres patrum illius. Nullus enim Iudæorum absque Antichristo in toto vnquam orbe regnauit. Et contra firmissimas cogitationes Sanctorum inibit concilium: faciétque vniuersa vsque ad tempus, donec eum Dei voluntas facere ista permiserit. Hactenus S. Hieronymus. Cuius prudentissimam interpretandi rationem secuti sunt alij omnes posteriores,Theodoretus,Strabus, Anselm. Laudunensis,Lyranus, Vatablus,Isidorus Clarius,Pintus,Veldius,Pererius,Sà,Maldonatus.

Sed enim quò lucidiùs quæ præclarè S. Hieronymus disputauit explicentur, sciendum est, consensu omnium certum & exploratum haberi, Antiochum Epiphanem expressum Antichristi typum & figuram extitisse, atque eum in multis adamussim repræsentasse, moribus,& factis quam simillimum. Quocirca Danielem de Antiocho Epiphane propheticam historiam contexentem multa de eo perstripsisse,quæ tametsi in eum vtcumque conueniant, propriùs tamen, atque veriùs in Antichristum competere,cuius Antiochus præluxit imago. Siquidem diuinum Prophetam mentis oculos simul in vtrumque Antiochum nimirum, & Antichristum,dum eiusmodi vaticinia conderet, coniicientem,attentiùs atque directiùs in Antichristum

destinasse, ad illum præcipuè collimasse, cuius potissimum causâ totam de Antiocho narrationem suscepisset: sicque res vtrisque communes descripsisse, vt simul de vtroque, magis tamen de Antichristo, eas intelligi voluerit.

Interdum verò in continua vaticinij serie nonnulla interserere, quæ non nisi ægrè, aut ne ægrè quidem Antiocho adaptari posse videantur: vt inde intelligamus sacrum vatem, non de typo: & vmbra, sed de prototypo & re præsignificata principaliter instituisse sermonem. Hunc enim esse solemnem sacris vatibus morem, vt historiæ mysteria admisceant, simúlque atque eisdem omnino verbis, & typum, & prototypon describant: nonnumquam verò subita sancti Spiritus incitatione correptis, in medio narrationis, relicta figura & vmbra in veritatem & corpus, mysterij fulgor aliò animum & linguam abripiat. Hinc fit vt aliquando ita verba sua temperent atque componant, vt tam typo, historiæque, quàm veritati & mysterio rectè & aptè conueniant, sed archetypo magis atque distinctius, in quem præcipuè oculos defixerint: aliquando verò quædam intermisceant, quæ nullo modo typo seu historiæ, sed rei significatæ & mysterio propriè & verè competant. Neque multum pensi habeant, an hæc quæ interiiciunt, cum reliquo historiæ de typo tenore cohæreant, antecedentibus & consequentibus eodem narrationis filo connexa: sed quid eos vis & instinctus numinis sublimiori sensu eloqui compellat. Nam si ea quæ de mysterio interserunt, typo quem historicè describunt, haudquaquam conueniunt; quid mirum si præcedentibus & sequentibus in eodem ordine historiæ aut sensu non conglutinentur. Et cùm sint huiusce rei, vel moris plurima in Scripturis exempla, illud à S. Hieronymo adductum ex Psalm. 71. est planè luculentissimum: nam cùm ibi Vates de Salomone, qui typus Messiæ fuit, multa canat, quæ in Salomonem, sed magis in Christum verè conueniant: quædam tamen interspergit, quæ neque in Salomonem, verè & rectè quadrant, sed tantum in Christum: neque cum his quæ de Salomone præmittit aut subdit connecti posse videantur. Qui hanc Prophetarum consuetudinem minus notam aut perspectam habuerit, labi eum in quamplures interpretandi errores necesse est, vt interdum aliena atque absurda explanatione mentem prophetæ non assequatur, aut aliò detorquere compellatur.

De hoc Prophetarum more S. Hieronymus in 16. Isaiæ, ad vers. 1. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion*, pulchrè differit in hunc modum: *Quod interpretamur, non est historia, sed prophetia. Omnis autem prophetia ænigmatibus inuoluitur: & præcipuè sententiis, dum de alio loquitur, transit ad aliud: ne, si ordinem Scriptura conseruet, non sit vaticinium, sed narratio. Et est sensus. O Moab, in quam desæuiturus est leo, & de qua ne reliquiæ quidem saluari poterunt, habeto solatium hoc: Egredietur de te Agnus immaculatus, qui tollat peccata mundi, qui dominetur in orbe terrarum. De petra deserti, hoc est, de Ruth, quæ mariti morte viduata, de Booz genuit Obed, & de Obed Iesse, & de Iesse Dauid, & de Dauid Christum. Montem autem filiæ Sion, aut ipsam vrbem Ierosolymam interpretabimur, aut iuxta sacratam intelligentiam, Ecclesiam, quæ sit in virtutum culmine constituta.* vers. 2. *Et erit sicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes. Redit ad ordinem quem ceperat. Quum posuero, inquit, iis qui fugerint de Moab, & reliquiis terræ leonem sæuissimum, qui eorum artus, ossáque confringat, tunc pauidi auolabunt.* Vides vt apposititissimo exemplo confirmet S. Hieronymus propheticam consuetudinem, qua vaticinia intexere solent cum serie historiæ minimè connexa? nam cùm Isaïas vastationem Moab describeret, & inter alia vers. extremo, præcedentis Capitis 15. dixisset, *Ponam iis qui fugerint de Moab leonem, & reliquiis terræ*, immediatè subdit Vaticinium de Agno venturo, v. 1. c. 16. *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ*, &c. & mox vers. 2. redit ad ordinem historiæ de clade Moabitarum, *Et erit sicut auis fugiens*, &c. Idem S. Hieronymus in Nahum 2. ad v. 1. *Et hinc vel maximè obscuri sunt Prophetæ, quod repentè dum aliud agitur, ad alios persona mutatur.* S. Gregorius homil. 7. in Ezechielem: *Consuetudo Prophetiæ est, nunc ista, nunc illa conspicere, & ab aliis in aliud subito verba deriuare.* Adducendæ essent ad idem institutum perspicuæ aliæ Patrum sententiæ, sed abstinemus ob vitandam prolixitatem: videndi tamen Theodoretus in Daniel. 11. ad v. 35. Vt conflentur, & deligantur. Euthymius in Psalm. 117. ad vers. 22. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes.* Lyranus in 8. Danielis, sub initium, & in c. 11. ad v. 21. Vatablus in Psalm. 8. & 21. & 71. Fererius in 14. Isaïæ. ad vers. 25. & c. 45. ad v. 8. Michaël Medina lib. 6. de Recta in Deum Fide, c. 25. ad 4. obiectionem, Vincentius Villauicentius lib. 2. de rectè formando studio Theologico, cap. 12. Obseruatione 21. & c. 13. Obseruatione 6. c. 20. §. *Cæterum oportet*, & seqq. Martinus Cantapetrensis lib. 3. Hypotyposeon, cap. 2. & lib. 5. c. 1. Stephanus Salazarius lib. 2. Genealogiæ Christi, pag. 148. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, c. 16. Pererius lib. 14. in Danielem, initio, Maldonatus in 11. Danielis, ad vers. 21. Pineda lib. 6. de Rebus Salomonis, cap. 17.

Illud verò notandum, quum Prophetæ res consimiles de typo & prototypo verbis eisdem narrant, atque de vtrisque simul eodem sermone loquuntur, atque in vtrumque simul animum, mentemque collimant: vtrumque sanè sensum, minirum illum de figura, & hunc de veritate censendum esse historicum, ac planè litteralem: ac propriè tunc eiusdem loci Scripturæ duplicem esse sensum litteralem: sed illum de archetypo potiorem, sublimiorem, & præcipuum. Cur enim Spiritus sanctus eisdem omnino verbis, & typum, & prototypon simul edicere non potuit, cùm ipsorum verborum integra proprietas & significatio exactè in hunc & in illum competat: qui est ipsissimus litteralis sensus, nempe quem verba significant ex animo & mente diuini Scriptoris? Quasi verò voces quæ ex hominum instituto significant, non possint ex Spiritus sancti institutione ita temperari & disponi, vt simul plures res significent quam simillimas? Scio alios secus existimasse, vt Michaëlem Medinam lib. 6. de Recta in Deum Fide, cap. 25. ad 4. Obiectionem, Riberam in Osee 11. numero 11. & in cap. 1. ad Hebræos num. 47. & seqq. Suarem Tomo 2. in 3. Partem 1. disput. 17. section. 1. qui sensum de typo volunt esse historicum & litteralem; de prototypo verò, mysticum dumtaxat, seu allegoricum. Vtcumque sit, illud tamen extra controuersiam est, in eiusmodi locis, vtrumque illum sensum, siue ille de typo tantum litteralis, siue alter de archetypo tantũ allegoricus dicendus sit, vtrumque, inquam, certissimum esse, & in afferendis Fidei placitis penitus irrefragabilem auctoritatem habere: quando vterque nimirum vel Scripturæ ipsius auctoritate, vel Patrum & Ecclesiæ consensu & testimonio adstruitur & firmatur. Ego cum eruditis, sensum de typo, historicum, litteralem, primum: de

proto

prototypo verò, propheticum, primarium, sublimiorem, præcipuum meritò appellauerim.

Iam illud semel constituere oportet, Danielem c.11.& aliis locis multa historicè tradere de Antiocho Epiphane, coniectis potissimum in Antichristum oculis, quem sub persona & imagine Antiochi intendit accuratè describere: sicque sermonem suum attemperare, vt simul vtrique, sed Antichristo magis & propriùs conueniat, cuius Antiochus typus insignis extitit: interdum verò diuino spiritu incitatum, Antiocho tantisper omisso, de solo Antichristo quædam vaticinari, quæ Antiocho neutiquam propriè conuenire posse videantur: vt suis quæque locis opportunè inferiùs demonstrabimus. Hoc autem oraculo quod nunc elucidandum suscepimus, concordi Patrum & recentiorum sententia, vti iam vidimus, Daniel ita res Antiochi narrat, vt sub illarum typo, & vmbra, primario & sublimiori sensu gesta Antichristi prænuntiet, & in illa præcipuè mentem & verba dirigat. Sed interpretatione de Antiocho nunc omissa, quæ nostri instituti nō est, quámque iam superiùs breuiter ex S. Hieronymo perstrinximus: eam quæ propriè est de Antichristo, cū singulis sacri Vatis verbis cōponamus.

Et stabit in loco eius despectus.

Hebræa: *Et stabit (stabilietur, sistetur, firmabitur) super basi sua.* CHEN, est basis, sedes, thronus, locus residentiæ constitutus & firmus: Marinus: *Et stabit super aptatione sua.* Tremellius & Iunius: *In huius autem statu stabit.* Leo Iudas paraphrasticè: *Succedet autem in regno*, quasi dicat: mira res! Antichristus stans in throno, & sede regni, quod erit plusquam portentum. Vel Antichristus succedet in locum Seleuci regis Syriæ, de quo antè Daniel locutus fuerat, iuxta Porphyrij, S. Hieronymi, & aliorum omnium interpretationem, v.20. Hoc est, vt olim Seleucus regnauit in Syria & Babylone, ita quoque in eisdem regionibus regnaturus est Antichristus initio sui Imperij: locum & sedem regni quā quondam habuit Seleucus Philopator, obtinebit in fine sæculi Antichristus: siquidem Babylone primū basim & sedē regni figet, vti c.6. dicebamus.

Si roges, cur Daniel tam vasto hiatu à Seleuco ad Antichristum transiliat, relictis in medio tot Asiæ regibus qui post Seleucum, & ante Antichristum regnarunt: iam superius vidimus respondisse S. Hieronymum, hanc esse Scripturæ consuetudinem, non vniuersa narrare, sed ea quæ maiora videantur, exponere. Adde, quod sæpiùs inculcamus, Prophetas in flatu numinis abreptos, relicta, succisaque plerumque historiæ serie, repente animum, calamúmque ad mysteria conuertere. LXX. reddiderunt: *Et stabit super præparationem eius.* Auenarius: *Et stabit super apparatione eius.* Id est, incumbet Antichristus apparando sibi regno. Possis exponere: *Et stabit in plantatione sua despectus.* CHEN sic vertitur à Nostro, Daniel. 11.7. atqui significare etiam caudicem, stipitem, truncum, Forsterus & Mercerus annotarunt. Ac si dicat: Antichristus à sua plantatione, caudice, trunco stabit despectus, ab stirpe vilissimus, è trunco despicatissimo & abiectissimo Iudaicæ fæcis. *Despectus.* NIBZEH, contemptus, vilis, despicabilis, vel propter viciniam BAZAZ, direptus, spoliatus. Hispanicè, *desarrapado*, vt extremam inopiam, & vilitatem initiorum Antichristi significet. Marinus construxit cum CHEN, *Et stabit super gradu (loco) suo despecto*, id est, initiò inter suos locum infimum & abiectum obtinebit.

Et non tribuetur ei honor regius.

Ad verbum: *Et non dederunt (vel dabunt) super eum celebritatem regni.* Tremellius & Iunius, *Quamuis non imposuerint ei decorem regium.* HOD, potentiam, maiestatem, decus, decorem, gloriam, honorem, dignitatem, virtutem, substantiam, pulchritudinem, reuerentiam, venerationem, celebrationem, splendorem denotat. Non est dubium Christum Matth. 6.29. *gloriam*, reddidisse, quod 1. Paralipomen. 29.25. de Salomone dicitur: *Et dedit super eum* HOD MALCVTH, *gloriam regni*, quæ sunt eadem prorsus verba quæ Daniel hic de Antichristo posuit, *Et non dederunt super eum gloriam regni.* Sed vt est mira Scripturæ fœcunditas, possis reddere: *Et non dabunt super eum confessionem*, (*acclamationem, ouationem, iubilum, plausum,*) *regni.* Nihil minus in mentem hominibus veniet, quàm vt vilissimo & despicatissimo homuncioni Antichristo regnum bonis artibus deferant: quòd ob infamiam & sordes natalium, verè humani generis probrum ac reiectamentum, honore regni prorsus censeatur indignus. LXX. *Et despectus fuit, & non est data super eum gloria regni*, vel *Et contemptus fuit, & non dederunt super eum gloriam regni.* In editionibus verò Complutensi & Regia totus hic locus ita exprimitur, vt verbum *stabit* præcedentibus annectatur: *& non in facie, neque in prælio stabit. In præparatione eius spernetur: & non dedit super eum gloriam regni.*

Et veniet Clam.

LXX. apud Theodoretum: *Et reuertetur in abundantia.* Exponítque: *Veruntamen, inquit, quamuis valde despectus, cum multa copia veniet, plurimóque exercitu.* In editione verò Romana: *Et veniet in tranquillitate*, qua etiam ratione reddidit Buxtorfius, atque Marinus. In Complutensi, & Regia: *Et veniet in abundantia.* Sanctes, *in dolo.* Forsterus, *in prosperitate.* Auenarius, *in felicitate.* Vatablus in Scholiis Salmāticis, *in fraude.* In Annotationibus verò Sanctandreanis, *in pace, vel otio, & tranquillitate, id est, nihil tale cogitantibus eius regionis hominibus, tempore pacis.* Leo Iudas, *cum opibus.* Tremellius & Iunius, *tranquillè*, vel, *in tranquillitate.* Montanus, *in quiete.* Vox SALVAH, propriè est, salus, fortuna, felicitas, prosperitas, abundantia, pax, quies, tranquillitas, otium, vacatio. Noster vertit Psalm. 121.7. *abundantiam.* Prouerb. 1.32. *prosperitatem.* Prouerb. 17.1. *gaudium.* Ieremiæ 22.21. *abundātiam*, vt etiam Ezechiel. 16.49. Daniel. 8.25. *copiam-rerum-omnium.* Daniel. 11.21. *clam*, & vers. 24. *abundantes.* Neque enim alibi reperitur. Propriè hîc dices: *Et veniet in pacificatione*, hoc est, pacificè, tranquillè, quietè, sine strepitu, & tumultu militari. Antichristus ad rapiendum regnum, initio non aget strepitu & motu, ciendo turbines, & seditiones in populo: sed multa suauitate, ac lenitate omnia tractabit, omnium animos facilè ad se alliciet, vt multa cum pace, communi consensu, concorditer & tranquillè omnes eum regem recipiant. Si exponas. *Et veniet in prosperitate*, vel *felicitate*, id erit, Antichristo, prosperè & feliciter successuros regni conatus, vel multam prosperitatem seu felicitatem, fortunam & salutem promissurum iis qui ei adhæserint. Si autem reddas: *Et veniet in abundantia*, seu *cum opibus*, indicat largissimas Antichristi profusiones diuitiarum, vel ad rapiendum regnum, vel initio regni, vt omnium animos sibi arctissimè deuinciat: neque enim dubitandum, quin dæmonum industria, ei adsint immensi Thesauri. Illud *clam* vulgati mirè significat, quàm arcanis & reconditis consiliis vsurus est Antichristus, vt regnum inuadat, quanto artificio & secreto occulturus sit suas spes & cogitationes regni.

Et vt est diues Scripturæ vbertas, possit forsan

appositè interpretari : *Et veniet cum Salua.* Hæc enim Hispanica vox *Salua*, quæ ipsissima Hebræa est hîc posita SALVAH, duo nobis significat, & apparatum magnificum & principalem, in supellectili, vasis, ornatu virorum Principum, vt dicere solemus *Sennor de Salua :* & splendidam illam & lætissimam communis gaudij significationem, qua Reges & Imperatores, præsertim cùm regno inaugurantur, excipi solent, nimirum æneorum tormentorum, bombardarum, mosquettorum, scloppetorum reboatu, variorum instrumentorum musicorum sono, communibus omnium acclamationibus, vocibus, iubilis : quæ est veluti quædam publica Salutatio, plena omni lætitia, gaudio, applausu : qua salutaria omnia, fausta, felicia, fortunata, prospera regibus acclamantur, & optantur, quod à notione Hebraïcæ vocis SALVAH minimè abludit. Eiusce Saluæ insigne exemplum in Coronatione Caroli V. Imperatoris, Bononiæ Anno 1530. editum, Iouius lib. 27. prodit his verbis : *Ceterùm summa sacrorum fuit, vt Cæsari de manu Pontificis Romani Clementis VII. Imperij insignia traderentur. Itaque solemni precatione semper adhibita, Pontifex ei supplici sceptrum aureum dedit, florenti cacumine consicuum, quo piè gentibus imperaret : itémque nudatum ensem, quo Christiani nominis hostes persequeretur ; ac pomum aureum, quem vti terrarum orbem insigni pietate, constantia, virtutéque regeret : & postremò Thiaram illam potius quam coronam, bicipiti fastigio, multisque adamantibus insignem capiti imposuit. Ille piè inflexo genu pronus exosculato pede, Pontificem adorauit. Tum demum Cæsar in illa tot gemmis ac vnionibus exornata triumphali trabæa, ad læuam non procul à Pontifice, in sede auro protecta, sed paulo humiliore sessum est perductus, & Romanus Imperator appellatus. Quod vbi in foro militibus est renuntiatum, Antonius Leua, ad declarandam lætitiam, maiora, minoráque tormenta displodi iussit, ita vt terribili sonitu cælum crepitare, terra quati, & tecta mutare viderentur. Acclamationes, tubarum cantus, tympanorum strepitus audiuntur.* At hæc coronatio sancta & pia fuit.

Neque tamen dubium est, in impia Antichristi regni inauguratione Babylone, magnam futuram quoque Saluam, nempe horrisonis tormentorum tonitruis, immodicis, & inconditis turbarum acclamationibus, musicorum instrumentorum omnis generis cantibus, salutationibus, cunctis denique effusissimæ lætitiæ significationibus : quæ omnia, vt rectè Hispanica voce *Salua*, designantur, ita quoque Hebraïca eadem dictione שלוה SALVAH, hîc à Daniele indicari, haud absurdè intelligimus.

Et obtinebit regnum.

Ex verbo, *Et fortificabit, vel roborabit regnum*, vti reddiderunt Auenarius, Marinus, & Schindlerus. Sed melius : *Et prehendet, (apprehendet, firmiter, & valide arripiet, fortiter arreptum tenebit) regnum.* חזק CHAZAK enim in formula præsertim Hiphil, vt hîc ponitur, denotat firmam alicuius rei apprehensionem, vel cum comprehensione firmam retentionem. Vt indicet Daniel quanta vi & robore regnum Antichristus accipiet & arreptum tenebit. Forsterus : *& occupabit, (corroborabit) regnum.* Tremellius & Iunius, *& vsurpabit regnum.*

In Fraudulentia.

Hebræa vox est pluralis numeri CHALAKLAKOTH, geminata à verbo חלק CHALAK : & quia verbum id est notabilis significatus & vsus, accuratè vim eius ex professoribus linguæ sanctæ reddamus. Reuchlinus, CHALAK, *Diuisit, distribuit, partiuit, impertitus est.* CHALAK, *mollificauit, leniuit, blanditus, & adulatus est, dolo suasit, dolose egit,* CHALAKLAKOTH, *lubricum, lene.*

Sanctes : CHALAK, *id est, diuidere, portiri : lenire, blandiri.* Addit Mercerus : *Hanc significationem sunt etiam qui ad priorem reducant, quod læuia, seu mollia vt butyrum & eiusmodi, propter lubricitatem, in multas partes dispertita latè diffundantur. Significat autem dispertiri, tam in partes, quàm in ordines, aut classes, seu officia, & vices. Et nomen* CHALAK, *glaber, lubricus, leuis : quasi dispertitum & diffusum dicas, iuxta rationem prioris significatus.*

Forsterus : *CHALAK, dispertiuit, vel in partes, vel in ordines, Psalm. 55. 22. Dispertiuerunt supra butyra os suum. Solet enim butyrum, propter lubricitatem, in multas partes dispertiri, & latissimè diffundi. Inde nomina,* CHALAK, *Dispertitus, diffusus, glaber, lubricus, læuis.* CHALAKLAKOTH ; *Dispartitiones, perplexitates, lubricitates.*

Auenarius : KALAK, *Distribuit blandas partes, partitus est blandè, dispertiuit, diuisit in ordines, seu turmas, & hæc distributio est blanda, & grata accipientibus partem. Cognationem habet cum* לקח LAKACH, *accepit distributum. Hinc Græci acceperunt* γλυκύς, *dulcis, blandus* γλυκαίνω, *dulcefacio. Et* κολακεύω, *adulor,* κολακεύομαι, *blanditiis accipior,* κολακία, *assentatio, blanditiæ,* κόλαξ, *adulator, &c. In prima coniugatione distribuit, & intransitiuè blandus fuit. In 2. Coniugatione, distribuit, dispertiuit, diuisit per partes, seu ordines. In 3. coniugatione, blanditus fuit, blandum fecit, blandificauit. Inde nomina,* CHALAK, *blandus, lenis, non asper.* CHALAKLAKOTH, *blanditiæ, lubricitates magnæ.*

Dauid de Pomis : CHALAK, *diuidere, partiri, distribuere, lenire, blandiri, adulari.* CHALAK, *lubricus, blandus, nitidus. Liscio, piaceuole, splendido, rilucente. Si prende anco alle volte per vano.* CHALAKLAKAH, *fraudulentia, Inganno.*

Marinus : CHALAK, *Diuisit, partitus est, dispartiuit : de quacunque diuisione dicitur, vel in partes, vel in ordines, & huiusmodi. Mollis effectus est, vel mollem effecit. Mollem, leuem, lubricum reddidit. Far mollesino, tenero.* CHALAK *nomen, mollis, læuis. Etymon dictionis non est satis apertum : etsi quidam frigidiusculè conentur asserere, sic dicti, quasi dispertitus, diffusus, & lubricus : sed an rectè, alij viderint.* CHALAKLAKOTH, *lubricitates Sdrucciolamenti, cose mollesine tenere.*

Schindlerus : CHALAK, *significat Primò, diuisit in partes, hæreditatem, vel cibum, aut in ordines : Item ministeria distribuit, partitus fuit. Secundò, diuisit in partes inuicem æquas, læuigauit, læue, planum, aut glabrum reddidit : læue enim aut glabrum est, cuius partes sunt æqueæ : & aspero & birsuto opponitur, ac proprie dicitur de rebus ad tactum pertinentibus, de lamina diducta, de oleo & butyro diffuso, postea transfertur ad sermonem, & huius organa, os, labia, linguam, guttur, quæ pro hoc accipiuntur, ac denotat læuitatem, suauitatem, blanditias, adulationem. Nomen* CHALAK, *læuis, glaber, lubricus, blandus.* CHALAKOTH, *lubricitates, blanditiæ.*

Buxtorfius : CHALAK, *partitus, impertitus est, distribuit, diuisit, dispertiuit : Læuè, molle esse. In Hiphil, emolliuit, læuigauit, blanditus est.* CHALAK *nomen, læuis, mollis, glaber, blandus, blanditus.* CHALAKLAKOTH, *lubricitates, blanditiæ.*

Forerius accuratius præ aliis notionem verbi expendit, in Isaiæ 30. ad vers. 10. sic differens : *Manifestum est* CHALAK *significare, quod Latinè dispertiri : hinc quia in sermonum varietate, distributione, &*

en,& ordine est magna suauitas,ac gratia,& huiusmodi varietas auribus suauiter illabitur; transfertur ad notandam suauitatem,atque leuitatem,tam in sermonibus, quàm in rebus tactus: præsertim si construantur cum nominibus oris, verborum,gutturis &c. Hinc nomen CHALAK de monte dispertito dicitur in propria significatione Iosuë 11.17.vel cuius ascensus erat lubricus, & de Iacob, quod esset vir læuis, seu glaber, Esaù autem pilosus, Genes.27. 11. CHELKAH in forma feminina Genes.27.16.de glabricie colli dicitur: & in plurali Psalm.73.18. & Psalm.12. 3. lubricitates significat,sicut Isaiæ 30. 10.Vnde vbi nos habemus Psalm.52.22. diuisi sunt ab ira vultus eius, possunt reddi Hebræa,lubricum reddiderunt plusquam butyra os suum, & bellum gerit cor eorum, vt sit idem quod sequitur: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula,&c. Vide in Psalterio nostro. Hæc diffusius disserui, Christiane lector, quia videbam huius verbi significationem tam à Iudæis, quàm à nostris iniustè distrahi, & rationem huius translationis adeò venustæ à plerisque ignorari. Quo fit, vt plurimi loci Scripturæ, vel hac vna annotatione aperti sint: vt ille Prouerb.28. 23. Qui arguit hominem, posteà inueniet gratiam plusquam dispertiens linguam. Vbi Vulgatus Paraphrastem agens, quam qui per linguæ blandimenta decipit. Est autem dispertire linguam,loqui lubrica, & quæ non offendant. Vide quoque Pinedam in Iob.17.ad vers.5.

Oleastrius in 4. Deuteronomij: *Verbum CHALAK,quod diuidere vertimus, dicunt Hebræi & nostri significare etiam lenire, ad quam significationem probandam citant multa Scripturæ loca. Primum illud Psalm.55.22. Chaleku,id est,lenierunt præ butyris os suum. Illud etiam Psalm.5.10. Iachalikun,id est,lenificabunt linguam suam. Item illud Genes.27. 11. & ego Chalak, id est, lenis. Item Prouerb.26. 28. & os Chalak, id est, lene. Sed si per lene, molle intelligunt, non bene dicitur:dicitur enim de lapide,1.Samuelis,17. 40. Et elegit sibi quinque Chalukæ, id est, lenes lapides. Vbi,si per lenes, molles intelligas, natura lapidis, quæ dura est, repugnare videtur: sed reuera significat post diuidere, id quod nos vocamus liso, seu æquale, quod manibus tractatum non habet vbi manum lædas, aut vbi manus exasperetur. Habet tamen lene esse, allusionem ad diuidere, quod est principale significatum, quoniam lenia facilè diuiduntur.*

Ergo non est dubium,verbum CHALAK,præter illam priorem dispertiendi notionem,indicare etiam læuitatem,seu læuorem,planitiem,politiem, glabriciem: itemque mollitiem,lentorem, lubricitatem, blanditiem, diffusionem,qualis est butyri, & eiusmodi. Genes.27. 11. quod vulgo legitur: *& ego lenis*, iam rectè restitutum est in lectionibus Breuiarij Dominica II. Quadragesimæ, *& ego læuis*, diphthongo.

Iam hîc vocem pluralem CHALAKLAKOTH, quam rectè Noster vertit, *in fraudulentia*. LXX.& recentiores ferè omnes, Forsterus, Sanctes, Tremellius, Iunius, Auenarius, Marinus, Schindlerus, Buxtorfius,Leo Iudas,Maldonatus,& alij reddunt, *in lubricitatibus*,seu *blanditiis*,vel *blandimentis*,quasi dicat: blanditiis & omni illectamenti genere Antichristus illabetur in regnum: variis & lubricis artibus inescabit homines, instar lubrici anguis mira calliditate irrepet in rerum summam: vt comprehendat ea vox eloquentiam Antichristi, varsam,desultoriam,blandam, suauem, illabentem dulciter in animos, vim dicendi admirabilem pigmentis & artificio distributam, & dispertitam: item adulationes,fucos,fraudes,versutias,technas, & omnia denique dicta,facta,cogitata eius in eum finem composita & comparata, vt in his veluti in lubrico labantur homines & corruant. Lubricum quoque Latini dixere fallacem; Virgilius 2. Æneidos: *Necquicquam patrias tentasti lubricus artes.* Vbi Seruius, *lubricus,fallax,mobilis.* Vox geminata Chalaklakoth non caret mysterio, quasi innuat ingentes lubricitates, & non qualescunque, vt etiam annotauit Auenarius. Theodoretus, seu potius eius interpres, *in lapsibus*, quia regnum Antichristi erit ipsi, & aliis in lapsum & ruinam. Forsan subsit & hic alius sensus, *prehendet* Antichristus *regnum in lubricitatibus*, quòd initio quidem ex obscurissimis initiis emergens,regnum non stabile & firmum: sed veluti in lubrico nutans & lapsans occupabit; quod tamen posteà ipse validè firmabit, qui sensus inde lucem maiorem capiet, si cum multis exponamus: *Et fortificabit, (corroborabit) regnum in lubricitatibus*, nimirum regnum quod prius lubricum & instabile accepit, strenuè firmabit.

Nec alienè ex primaria verbi significatione exposuerimus, *in dispartitionibus*, vel *diuisionibus*,hoc est quum Romanum Imperium dispertitum & diuisum fuerit in decem illos Reges, & regna, de quibus tam multa scripsimus libro 5. Vel, in dispartitionibus, subaudi donorum, munerum, &c. partietur inter suos ingentia donatiua adepto regno. Aut in dispartitionibus, id est, vt regnum suum inter suos dispertiat. Vt sit illud vers.39. Et *dabit eis potestatem in multis, & terram diuidet gratuito.* Nam hîc etiam pro *diuidet*, ponitur verbum CHALAK.Partietur inter suos terras, vrbes, prouincias,& regna,vti lib.9. c.10. explicabimus.

Et brachia pugnantis expugnabuntur à facie eius.

Ex verbo: *Et brachia inundationis inundabuntur de ad facies* vel *de faciebus* (datiui casus) *eius.* Ita Mercerus,Leo Iudas,Marinus, Maldonatus,vel, *Et brachia inundatione inundabuntur (obruentur) à faciebus eius.* Ita Sanctes,Forsterus, Auenarius, Buxtorfius,Tremellius,& Iunius: *Et brachiis inundantibus, vel inundationis,inundabuntur à conspectu eius* שטף SATAPH, aiunt ei,inundare vt aliquid immergatur,simúlque abundantiam & impetum inundationis denotare, quasi obruere aliquem vndis ingentibus,item lauare aquis plurimis,mergere, immergere. Hinc per metathesim volunt fecisse Græcos, suum baptiso, & pontizo,mergo, & pontus, inserto, o, euphoniæ causa. Brachia inundationis, seu pugnæ, S.Hieronymus, Kimchi,Vatablus, Mercerus,Tremellius, Iunius,Marinus,Veldius, interpretantur copias militares, exercitus, irrumpentes, quasi inundantes & obruentes, seu vastantes omnia. Nam vt manus phrasi Hebraïca interdum designat copias militares, etiam Latinis, vt cap.4. ostendebamus: sic brachia ingentes, & robustissimos exercitus denotant ac si dicat: magni & prævalidi exercitus inundabuntur ab Antichristo, id est, obruentur & opprimentur. Alij vt Maldonatus, quod ferè eodem recidit, brachia intelligunt vires, auxilia. Nam brachia pro viribus interdum Scriptura sumit, Ierem.17.5. *Maledictus homo qui ponit carnem brachium suum. Possis* reddere: *Et brachia diluuij* seu *cataclysmi,inundabuntur à facie eius.* Nam vocem SETEPH, Noster diluuium vertere solet,Psalm.36.6.Nahum 1.8. vt sit simile illi Iob. 40.18. *Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius. Brachia inundationis*,seu *diluuij* eleganter dixit,vt His-

panicè dicimus, *Brachia maris*, id est, ingentes sinus: seu infusiones, aut irruptiones. Quid si actiuè exponas: *Et brachia diluuij inundabunt à facie eius*, quasi Antichristus instar immensi diluuij, quod vastos effundat fluctus & vortices, omnia sit inundaturus & obruturus. Quo forsan respexit Ioannes Apocalyps. 12. 15. *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen.* Et cap. 13. 1. *Et vidi de mari*, seu *de abysso*, *bestiam ascendentem.* Et cap. 11. 7. *bestia quæ ascendit de abysso.*

Si verò sexto casu legamus: *Et brachia inundatione inundabuntur à facibus eius*: geminatio more linguæ sanctæ, indicat immanem & prodigiosam fore Antichristi inundationem, omnia proterentem & obruentem. Illud vero Nostri: *Et brachia pugnantis expugnabũtur à facie eius.* S. Hieron. ita exponit: *Et brachia pugnantis, populi Romani expugnabuntur ab Antichristo, & conterentur.* Nimirùm quia illi decem reges, qui ex dissecto & dissipato Romano imperio tanquã quædã eius brachia exorientur in fine sæculi, vincentur, & expugnabũtur ab Antichristo: cùm tres ex illis interficiet, & septem reliquos suo subiiciet Imperio, vti lib. 5. fusè diximus, & inferiùs c. 15. magis adhuc demõstrabimus. LXX. *Et brachia inundantis inundabuntur à facie eius.* In Cõplutensi, & Regia. *Et brachia inundantis deuoluentur à facie eius.* Per inundantẽ, intelligit Theodoretus Ægypti regnum. Fortè propter Nili inundationes, quod fermè Antiochus expugnauit: vel quasi Antiochus vt Ægyptum caperet, brachia, seu ostia Nili aliò deoluerit, & diuerterit. Sed meliùs intelliges Romanum Imperium, quod sua magnitudine, & potentia vniuersum propè orbem inundauit.

Et conterentur.

Hebraïcè *Et frangentur.* Si de exercitibus Antichristi capias, delebuntur eius copiæ in supremo illo prælio Gog, & Magog, de quo dicemus lib. 12. c. 7. si verò de hostium Antichristi, certissimum est ingentes exercitus ab eo fundendos, & internecione delendos, vti c. 13. & seqq. ostendemus. Illud verò, *Insuper & dux fœderis*, abundè à nobis explicabitur lib. 8. cap. 1.

Et post amicitias cum eo, faciet dolum: & ascendet, & superabit in modico populo.

Variè interpretantur prius hemistichium. Sanctes: *Et cum iis qui secum erunt confœderati, faciet dolum.* Forsterus: *Et cùm consociationibus ad eum, faciet impostturam.* Tremellius & Iunius: *Nam ex consociatione sua cum illo, faciet dolum.* Vatablus: *Postquam societatem inierit cum eo*, vel *Propterea quod societatem inibit cum eo*, aut *Et ab associatione sua se ad eum, faciet dolum.* Leo Iudas: *Vbi verò cum illo fœdus inierit, dolo aget malo. Marinus: Et à (post) consociatione ad eum, faciet fraudem.* Auenarius: *Et ex eo quando societatem cum eo inierit, aget dolo*, vel *dolosè.* Montanus: *Et ab associando se ad eum, faciet dolum.* Sanctes in Lexico: *Et à coniunctionibus (id est, post coniunctiones) ad eum, faciet dolum.* Hæbræis inest hîc duplex lectio, התחברות HITHCHABERVTH, numero singulari, quàm vulgo exemplaria præferunt, & plures sequuntur: & HITHCABEROTH, plurali numero, quam certum est sectatos LXX. Interpretes, sanctum Hieronymum, Kimchium in libro Radicum, Forsterum: & quam esse præferendam nemo prudens dubitauerit. Ad verbum: *Et de (à) consociationibus ad eum, faciet dolum:* vel *fraudem, fallaciam, impostturam, deceptionem.* Possit exponi: *Et de conspirationibus, (coniurationibus) ad eum, faciet dolum.* Hoc est postquam praua & feralis gens Iudæorum se ei Antichristo coniunxerit, sociauerit, atque conspirauerit, & coniurauerit cum eo: vbi fœdus, amicitiam, & societatem cum eo inierit vt, eum regem constituant: faciet dolum & impostturam, decipiet eos, imponet illis, fraude rapiens imperium, se illis verum Messiam venditans, & omnia dolo malo agens. Aliter, *Et de consociationibus ad eum, faciet dolum:* id est, omni arte & dolo aget, vt se multi ei consocient & adiungant, seu vt cum eo conspirent, & coniurent, & ei regnum deferant.

LXX. apud Theodoretum, & in Complutensibus, & Regiis Bibliis: *Et à commistionibus erga ipsum, facit dolum.* Commistiones interpretatur ipse Theodoretus, ministros: q. d. multos mystas & ministros habebit suorum dolorum & impostturarum. Rectiùs intelligemus, vilissimorum & perditissimorum, hominum colluuiem miscellaneam Antichristo adhæsuram. In editione verò Romana. *Et ex commistionibus aduersus eum, faciet dolum:* q. d. si qui aduersus eum coëant, aut conspirent, facilè eos decipiet, & in partes trahet. Nec ille sensus erit alienus: *Et de veneficiis*, seu *incantationibus*, vel *coniurationibus cum eo*, vel *ad eum, faciet dolum*: id est, coniurabit diabolum, incantationibus sibi eum adiunget, se eius constituet socium, & partiarium, veneficiis & arte magica erit instructissimus ad struendas omnes fraudes & impostturas. Verbum enim חבר CHABAR, incantare, & coniurare etiam significare, nulli non notum, præsertim Deuteronom. 18. 11. & Psalm. 57. 6.

Et ascendet, & superabit in modico populo. Ad verbum: *Et ascendet, & corroborabitur (consolidabitur, ossabitur) in pauca gente*: vel *in modica, minima, parua gente*, aut *in parum, paululum gentis.* Tremellius & Iunius: *& ascendens roborabit se cum parua gente.* Ascendet, id est, increscet, augebitur, virésque sumet. Sic enim interdum sumi in Scriptura verbum ascendendi, notius est, quàm vt exemplis sit demonstrandum. Vide Forsterum & Mercerum in Lexicis, Villauicentium & Sà in Phrasibus, Riberam in Osææ 1. num. 133. 134. *Et corroborabitur*, osseum robur capiet in parua & pauca gente Iudæorum, modica, vili, abiecta, infami, despecta: & sanè pauca, tametsi numerosa, si conferatur cum tot nationibus & gentibus quæ posteà parituræ sunt Antichristo. Ex Iudæis natus, inter Iudæos eductus, ab ipsis rex acclamatus, ipsorum potissimum ope & præsidiis incipiet prævalere, ingentiàque Imperij incremẽta capere. LXX. *Et prævalebit super eum in pauca gente.*

Oraculum Apocalypsis 13. *de primordiis regni Antichristi.*

CAP. XII.

VErba Ioannis sunt, vers. 1. *Et vidi de mari Bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiæ.* 2. *Et Bestia quam vidi, similis erat pardo, & pedes eius sicut pedes vrsi, & os eius sicut os leonis. Et dedit illi Draco virtutem suam, & potestatem magnam.* Bestiam hanc esse Antichristum, lib. 5. c. 26. & 27. copiosè docuimus: vbi etiam accuratè exposuimus, quænam futura sint Antichristi septem capita, & cornua decem: nunc alias partes istius oraculi enarremus.

Bestiæ nomen Latinis plerúmque nonnisi pro fera, & noxia bellua vsurpatur, quæ vnguibus, aut morsu, aut veneno noceat: cuiusmodi sunt leones, vrsi, apri, lupi, tigrides, viperæ, serpentes, &c. De Vipera mordente Paulum, Act. 28. 5. *Et ille quidem*

dem excutiens Bestiã in igne, nihil mali passus est. Hinc Latinis, *Damnari ad Bestias, Bestijs obiici subiici.* Quod sæpè legitur & in Martyrologiis, & in Actis Sanctorum Martyrum. De qua videndi cum primis Budæus Annotat. Posterioribus in Pandectas, Baronius in Notis ad Roman. Martyr. 1. Februarij, Gallonius de Cruciat. SS. Martyrũ, c. 9. pag. 209. & seqq. Vnde *Bestiarij* dicti, ad bestias damnati, vel auctoritati, vt cum illis pugnarent: de quibus plura Philippus Beroaldus & Læuinus Torrentius ad caput 34. Suetonij in Claudio. Bestiariorum frequens mentio apud Tertullianum. Illud verò Pauli 1. Corinth. 15. v. 32. *Ad bestias pugnaui Ephesi*, intelligũt quidam reuera Paulum Ephesi feris obiectum, sed singulari miraculo seruatum. Ita Ambrosiaster, & indicat Theodoretus, nec abnuit Primasius: assentiuntur ex Recentioribus, Caietanus, Guillaudus, Cornelius à Lapide. Rem gestam prodidit Nicephorius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 25. sed ex apocryphis. Quãuis plerique velint Paulum figuratè locutum de pressuris sibi ab hominibus belluinis, & ferinos mores indutis, illatis, vti S. Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Pelagius, Sedulius, Haimo, S. Thomas, Lyranus, Gagnæius, Sà, Estius, Iustinianus in eum locum: Tertullianus de Resurrectione Carnis, c. 48. S. Hieronymus Præfatione lib. 3. Commentariorum in Epistolam ad Ephesios. Vide Baronium Annali 1. anno Christi 55. num. 5. & 6.

Bestiam hîc Antichristum vocatum omnes intelligunt, ob sæuitiam, & truculentiam incredibilem, qua Sanctos laniabit, quos nedum ad bestias immaniter discerpendos proiiciet: sed infinitis aliis cruciatuum generibus excarnificabit. Aretas in 11. Apocalyps. ad vers. 7. *Bestiam vocat Antichristum, ob crudelitatem, feritatem, ac sanguinis auiditatem.* Primasius & Ansbertus annotarunt, positum hîc nomen Bestiæ, tanquam Agno contrariũ: nempe nomen Antichristi, è diametrò Christo oppositum. Nobis illa potior ratio videtur, idcirco Ioannem nomen bestiæ Antichristo tribuisse, vt eius regnum & monarchiam indicaret: simulque ostenderet, se eodem diuino spiritu quo Daniel, scripsisse: atque vt Daniel quatuor illa famosa mundi Imperia, seu monarchias bestiarum appellationibus expressit, ita quoque se horrendum illud & formidabile regnum Antichristi sub bestiæ nuncupatione adumbrauisse: quod postremæ Danielis bestiæ, id est, Romano Imperio, succedet. Vnde scitè S. Hieronymus in Daniel. 7. ad v. 3. *Et hoc notandum, quòd regnorum feritas, atque crudelitas bestiarum nomine demonstretur.*

De mari Bestiam ascendentem.

Hoc variè interpretantur. Primò de mari, seu abysio, id est, de cœtu impiorum, qui mare rectè vocantur, propter turbulentos animi motus & procellas. Isaiæ 57. 20. *Impij quasi mare feruens.* Heb. *mare pulsum, eiectum, instar Euripi quod quiescere non potest: & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum.* Heb. *& eiectant aquæ eius stercus (spumam) & lutum.* v. g. vnum Antichristum. De Euripo quia res est notissima, solum indicamus auctorum loca, Strabonis lib. 1. pag. 38. lib. 9. pag. 278. Liuij, lib. 28. c. 5. & 6. Pomponij Melæ lib. 2. c. 7. Plinij lib. 2. c. 97. & lib. 4. c. 12. Senecæ in Hercule Furente, Actu. 2. v. 376. & in Hercule Oethæo, Actu 3. v. 777. Antiphili Byzantij in Græco Epigrammate, Eustathij in Dionysium de Situ Orbis. Vide quoque notas Ioachimi Vadiani & Andreæ Scotti in Melam, Casauboni in Strabonem, Delrij in Senecam. Aristotelem, quod naturam Euripi assequi non potuerit, mœrore contabuisse tradunt S. Iustinus Martyr in Patenæsi ad Græcos, pag. 26. S. Gregorius Nazianzenus Oratione III. quæ est 1. Inuectiua in Iulianum Apostatam, pag. 79. imo se in Euripum præcipitem dedisse, addito elogio: *Quoniam Aristoteles Euripum minimè cepit, Aristotelem Eurypus capiat,* scribit Nonnus Græcus auctor in expositione profanarum Historiarum, quarum S. Gregorius Nazianz. meminit in Priore Inuectiua aduersus Iulianum, num. 33. Antigonus in Mirabilibus Narrationibus, c. 140. *Videtur aliquid inscrutabile & obseruatu difficile habere, quòd Euripus septimo quoque die non reciprocat.* Vide Cælium Rodiginum lib. 29. Lectionum Antiquarum, cap. 8. & Notas Iacobi Biblij ad Orationem 3. Nazianzeni, n. 41. Adagium, *Euripus homo,* enucleat Erasmus in Chiliadibus. Vt qui naturam Euripi rectè nouerit, hunc rectè comparet cœtui improborum, è quorum colluuie prodibit Antichristus. Vel, *de mari,* id est, de hoc sæculo, quod instar propulsi & agitati maris, turbinibus & fluctibus iactatur & illuditur. Aut, de vitiorum & scelerum altissima voragine. Andreas: *At S. Methodius & Hippolytus, & alij veteres de ipso Antichristo præsentem locum interpretati sunt: vt qui ex turbulento plurimúmque vndoso vitæ huius mari egressurus sit.*

Aretas in 11. Apocalyps. ad vers. 7. *Abyssum verò vocat vitam hominum amaram propter peccatum, & tristem, instabilémque propter aduersos vndique flatus & sibilos malignorum spirituum. Non enim ex alia natura exsurget sceleratus iste, sed ex nostra, adeóque humana substantia. Nam homo erit iuxta efficaciã satanæ.*

Primasius: *Hoc hîc mare posuit quod ante abyssum, de qua dixerat ascendere istam bestiam: in vtroque autem significatur populus: quippe videt de populo bestiam surgere.*

S. Beda: *De populo nasci impiorum significat. Hoc enim mare, quod supra abyssus intelligitur.* Nempe Apocalyps. 11. 7.

Ansbertus: *Hoc autem in loco abyssi, vel maris nomine siue occulta Dei iudicia, siue infidelium corda non inconuenienter accipimus.*

Ambrosiaster: *Hæc bestia Antichristum significat: per mare verò designatur multitudo scilicet reproborum. De mari igitur bestia conscendere visa est, quia de societate reproborum Antichristus exurget.*

Anselmus Laudunensis. *De mari, id est, de collectione malorum.*

Rupertus: *De mari, id est, de sæculo præsenti nequam, de fluxu generis humani nascendo bestia talis ascendit: de multitudine impiorum, de vndosa populositate malignantium.* Eadem ferè posteriores alij.

Secundò, Ribera obseruat: *Cum de mari exeuntem videret, rectè & accommodatè non exeuntem dixit, sed ascendentem, quod littus superius mari sit: atque ideò semper in Scriptura qui intrant in mare, descendere dicuntur: qui exeunt ascendere, vt Psalm. 106. 23. qui descendunt mare in nauibus. Isaiæ 42. 23. qui descenditis in mare. Daniel. 7. 3. & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari.*

Nec desunt qui existiment, idcirco dici in sacro sermone descendere in mare, & ascendere de mari, quòd reuera terra altior sit mari: quæ est famosa quæstio, & eruditorum disputationibus strenuè ventilata, quam pluribus excutere non est huius instituti, sed libet in gratiam lectorum breuem indiculum recentiorum auctorum vtriusque partis, qui pro se vetustiores etiam laudant, hîc inferere. Mare terræ eminere sentiunt S. Thomas 1. parte, quæst. 69. art. 1. ad 2. Dionysius Richelius in Enarratione Genes. art. 11. Ambrosius Catharinus in Genes. 1. Franciscus Gomara in Generali Historia Indiarum, cap. 3. Hieronymus Vielmius de Sex

diebus

diebus Conditi Orbis, Lectione 15. Aſcanius Martinengus Vielmij diſcipulus in Gloſſa Magna Geneſ. pag. 742. Contrà, Terram mari eſſe altiorem, affirmant, Aben-Ezra, & Hebræi alij in Geneſ. 1. & in Pſalm. 23. Caietanus in Geneſ. 1. & in Pſalm. 23. Steuchus in Coſmopœia Geneſ. 1. & in Pſalm. 23. Honcala, Lippomanus, Pererius, Delrius, Cornelius à Lapide in Geneſ. 1. in Opere tertiæ Diei, Gaſpar Contarenus lib. 2. de Elementis, Franciſcus Valleſius de Sacra Philoſophia, cap. 1. Chriſtophorus Clauius ad caput 1. Sphæræ, Ianſenius, Genebrardus, Agellius, Bellarminus in Pſalm. 23. Ludouicus Molina in comment. 1. partis, in Opere 3. diei, diſput. 11. Gregorius Valentiæ 1. parte, q. 3. de Opere ſex dierum, punct. 3. Pineda in Iob 26. verſ. 10. Auguſtinus Torniellus in Annalibus Mundi, Anno 1. Die 3. num. 5. Conimbricenſes in Meteorologicis, tract. 8. cap. 1. Martinus Becanus 1. part. Summæ Theologiæ, tract. 4. cap. 3. in Opere tertiæ diei, & alij. Hanc quoque aiunt eſſe Philoſophorum, & Aſtronomorum ſententiam. Imo addit Caietanus: *Si quis autem dubitat, terram apparentem eſſe ſuperiorem aquis, non tam eget ratione, quàm applicatione ad ſenſum, quo ad oculum videmus, aquæ motum ſemper ad decliuiorem eſſe locum.*

Obſeruationi Riberæ illud obſtare videtur, quod Pſalm. 105. 7. dicitur: *Et irritauerunt aſcendentes in Mare, Mare Rubrum.* Sed primum ſciendum, Hebraïcè non eſſe *aſcendentes*: ſed tantum, *& irritauerunt ſuper Mari, in Mari Rubro*, vt indicet eos amaricaſſe Deum, & iuxta mare Rubrum, nimirum in littore, cùm iam iam ingreſſuri mare eſſent: & etiam cum iam in ipſo mari conſiſterent, vti annotauit Genebrardus: etverò particulam *ſuper*, Hebraïca phraſi, *iuxta, propè*, ſignificare, notius eſt quàm vt exemplis demonſtrari oporteat. Sed illud nunc ſatis ſit, Pſalm. 136. 10. *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus.*

Titelmanus & Genebrardus in Pſalm. 105. ad verſ. 7. Ribera in Apocalyp. 13. num. 2. aiunt, LXX. poſuiſſe *aſcendentes*, quod reſpexerint ſitus locorum: quoniam egredientibus Ægypto, verſus terram Chanaan, aut verſus deſertum Arabicum, aſcenditur, quod Ægyptus in humiliore, & depreſſiore loco iaceat. Quare Iſthmus non eſt perfoſſus à multis Regibus, etſi tentatus, ne tota regio inundaretur. Nobis mirè placet Agellij ſententia, LXX. nequaquam præter fontem addidiſſe, *aſcendentes*: ſed quod nunc Hebraïcè eſt עַל־יַם *Al-iam*, diuiſim, id eſt, *ſuper-mare*: coniunctim vnica dictione, atque aliis punctis legiſſe עֲלִים *Olim*, id eſt, *aſcendentes*: vnde non geminaſſe dictionem *maris*, vt nunc ex Hebræis exprimunt: ſed ſimpliciter dixiſſe: *Et irritauerunt aſcendentes in Rubro mari*: vel, *in Rubrum mare*, qua etiam ratione habet Pſalterium Romanum. Vide Notas Nobilij: ſed cum primis Commentarium S. Auguſtini, qui addit: *Aſcenderunt autem propterea dictum eſt, quia ita eſt terræ poſitio, vt deſcenſio dicatur in Ægyptum de terra Chanaan, & in eam illinc aſcenſio.*

Sed quod attinet ad Iſthmum à Nilo ad Arabicum Sinum, quem reges perfodere tentarunt, atque à Nilo ad Mare-rubrum foſſam perducere: pauca de his ab Auctoribus accipe. Herodotus lib. 2. num. 158. *Pſammitichi filius qui regnum Ægypti ſuſcepit, extitit Necos, qui foſſam ad Rubrum mare ferentem primus aggreſſus eſt, quam Darius Perſes ſecundo loco depreſſit, longitudinis quidem quatuor dierum nauigationis, latitudinis, vt per eam duæ poſſent ſimul agi triremes. Aqua quæ in hanc è Nilo deducitur, paulo ſupra Bubaſtin vrbem, iuxta oppidum Arabiæ Patumon deducitur, euadens in mare Rubrum. Initium fodiendi ſumptum eſt à planitie Ægyti, Arabiam verſus. Nam quæ ſupra planitiem ſunt, contiguus ſupra Memphim occupat mons, in quo lapidicinæ ſunt. Itaque ad huius montis ima deducta eſt foſſa ab Occidente Orientem verſus longo tractu, & deinde pertingit diuortio montis tenus (quod diuortium ad meridiem & ventum Auſtrum fert) in Sinum Arabicum. Qua igitur breuiſſimus tractus & maximè compendiarius eſt a mari ſeptentrionali aſcenſus ad auſtrale, quod idem Rubrum vocatur, à monte Caſio, qui Ægyptum, Syriámque diſterminat, ſtadia mille ſunt in Arabicum ſinum. Et hoc quidem breuiſſimum eſt: verùm foſſa multo longior, ſcilicet quanto eſt obliquior. In qua fodienda ſub rege Neco centum viginti millia Ægyptiorum perierunt. Inque eius medio opere Necos deſtitit, hoc interpellatus oraculo, Eum id opus Barbaro præmunire. Ægyptij autem Barbaros omnes vocant, qui non ipſorum lingua loquuntur.*

Diodorus Siculus lib. 1. Numero 20. *A Peluſiaco foſſa in Sinum Arabicum & Erythræum mare hominum manibus deducta eſt. Cuius ducendæ Necos Pſammetichi filius primus auctor fuit, & poſt eum Darius Perſa opus quodamtenus produxit, ſed imperfectum tandem reliquit, edoctus à quibuſdam, Iſthmi perfoſſione illa effecturum, vt Ægyptus ſubmergatur. Rubrum enim mare editus eſſe Ægypto demonſtrarunt. Poſtea verò Ptolemæus ſecundus vltimam operi manum impoſuit, & loco opportuniſſimo ſepimentum quoddam tranſuerſarium machinatus eſt. Quod tranſiturus aperuit, & mox iterum occluſit, vſu conſilium non fruſtrante. Amnis per foſſam decurrens, Ptolemæus, nomine auctoris, dicitur, vbi mare intrat, vrbem habet nomine Arſiones.* Hic Necos eſt ille inſignis Nechao rex Ægypti, qui Ioſiam pientiſſimum regem prælio interfecit, vti Scriptura commemorat: nam terreſtri acie congreſſum cum Syris in Magdalo, ſiue Maggeddo, victoria potitum, idem Herodotus refert. De quo vide Chronicon Euſebij numero MCDIII. & Notas Scaligeri ibidem, & Reineccium in Syntagmate Heroïco parte 1. in Regno Ægyptiorum.

Plinius lib. 6. c. 29. *Ex Daneo portu Maris Rubri, nauigabilem alueum perducere in Nilum, qua parte ad Delta dictum recurrit ſexaginta duûm millium paſſuum interuallo, quod inter flumen & Rubrum mare intereſt, primus omnium Seſoſtris Ægypti rex cogitauit: mox Darius Perſarum: deinde Ptolemæus ſequens: qui & duxit foſſam latitudine pedum centum, altitudine triginta, in longitudinem triginta ſeptem millium quingentorum paſſuum vſque ad fontes amaros. Vltra deterruit inundationis metus, excelſiore tribus cubitis Rubro mari comperto, quàm terra Ægypti. Aliqui non eam afferunt cauſam, ſed ne immiſſo mari corrumperetur aqua Nili, quæ ſola potus præbet.*

S. Baſilius homil. 4. in Hexaëmeron: *Alioquin quid prohiberet mare Rubrum ſua exundanti alluuie irrumpere in vniuerſam Ægyptum, quæ ipſo mari tanto eſt concauitate depreſſior, ſéque mari quod Ægypto adiacet, coniungere, niſi creatoris præcepto tanquam compedibus coerceretur? Etenim Ægyptus, quòd ſit mari Rubro humilior, vel illi nobis re ipſa perſuaſere, qui connixi ſunt maria hæc, Ægyptum, inquam, & Indicum, cui permiſcetur Rubrum mare, inter ſe committere, & alterum alteri coniungere.* (Nimirum medio Nilo) *Quamobrem deſtitere a tanto conatu Ægyptius ille Seſoſtris, qui primus id eſt aggreſſus: Darius item Medus, qui ſecundum hac voluit proſequi rem tantam, & ſupremam operi admoliri manum.*

S. Am

S. Ambrosius S. Basilium, vt assolet, exscribens lib. 3. Hexaëmeron, cap. 2. *Ceterum nisi vis statuti cælestis inhiberet, quid obstaret, quin per plana Ægypti, quæ maxime humilioribus iacens vallibus campestris asseritur, mare Rubrum Ægyptio pelago misceretur? Denique docent hoc, qui voluerunt hæc duo sibi maria connectere, atque in se transfundere. Sesostris sanè Ægyptius, qui antiquior fuit, & Darius Medus, qui maioris contuitu potentiæ, in effectum voluit adducere, quod ab indigena fuerat ante tentatum. Quæ res indicio est, quod superius est mare Indicum, in quo mare Rubrum, quam equor Ægyptium, quod inferius alluit.*

At Strabo lib. 17. pag. 553. *Et alia* fossa, *quæ* à Nilo *in Rubrum mare & Arabicum sinum exit, & ad vrbem Arsinoën, quam nonnulli Cleopatridem vocant, atque per eos locus fluit, qui Amari vocantur. Hi cùm antiquitus amari essent, facta fossa, & admixto flumine, sunt immutati: ac nunc bonos ferunt pisces, & aquatilibus volucribus abundant. Fossa primùm à Sesostri incisa est, ante bellum Troianum: nonnulli eam à Psammetichi filio solum inchoatam putant, morte eum præcipiente: posteà Darium primum in operis absolutionem successisse. Is opus penè absolutum deseruit: falsò enim ei erat persuasum, Rubrum mare Ægypto esse sublimius: ideóque si intermedius isthmus incideretur, Ægyptum à mari obrutum iri. Ptolemaici quidem reges eum incidentes Euripum clausum fecerunt, vt quum vellent, in exterius mare nauigarent, ac rursum sine impedimento reuerterentur. Fossa autem in mare Rubrum exeuntis initium est à pago Phaccusa, cui continuus est Philonis pagus. Fossa latitudinem habet cubitorum centum, profunditas ea quæ naui satis sit ingenti.*

Vides hìc, Lector, dissensum auctorum. Herodotus & Diodorus Siculus tradunt, eam fossam primùm aperiri cœptam, sed non perfectam à Necho Psammitichi filio: Strabo, Plinius, S. Basilius, & S. Ambrosius, à Sesostri, qui Neco fuit multo vetustior. Item Plinius, S. Basilius, & S. Ambrosius aiunt, neque à Ptolemæis opus illud fuisse absolutum metu inundationis; id Diodorus Dario Persarum regi tribuit: causamque irridet Strabo: atque à Ptolomæis regibus integrè perductam fossam, Diodorus & Strabo disertè affirmant. Idque indicare videtur Plutarchus in Antonio, cùm de Cleopatra victa ab Augusto prodit: *Delatus Antonius Alexandriam ex Lybia, offendit Cleopatram opus magnum & inopinatum aggressam. Inter Rubrum enim & Ægyptium mare, qua maximè vtrinque premitur, arctiorque est tellus, trecentorum fermè stadiorum latitudo est, videturque Asia, Libyaque esse termimus. Per hunc locum Cleopatra transferre classem instituit in Arabicum sinum: & cum auro, & argento & magna suorum manu in ignotas sedes commigrare, fugiens bellum ac seruitutem.* Forsan vetustæ fossæ repurgato alueo classem Ceopatra immittere parabat. Alfonsum Albuquercium Indiæ Prætorem, conatum fossa auertere Nilum in Arabicum Sinum, scripsimus, lib. 1. c. 25. extremo. At de his satis.

Genebrardus aliam assignat causam, cur LXX. dixerint, *ascendentes in Rubrum mare. Captarunt*, inquit, *phrasim Græcam, qua euntes in mare, dicuntur ascendere, in mediterranea descendere. Inde Liber Xenophontis* Ἀνάβασις Κύρου, *Ascensus Cyri, id est, Naualis eius expeditio.* κατάβασις *contrà descensus, quando tenditur in mediterranea: cùm contrario modo Hebræi loquantur, propter littorum supra aquas altitudinem, vt docet Kimchi in Psalm. 106. siue 107. & in c. 1. Ionæ.*

Nec alienè exposuerimus, *ascendentes in mare*, quasi vectos & equitantes super mare. Sic Iudicum 12. 14. *ascendentes super septuaginta pullos asinarum.* Psalm. 103. *qui ponis nubem ascensum tuum*, id est, vecturam, currum, quadrigam cui inequitas. Nam quamuis Sinus Arabicus diffisus fuerit, & siccum præbuerit iter transeuntibus, at ad emphasim miraculi placuit LXX. ita poëtico vocabulo vti.

Tertiò, addit Ribera: *Arbitror etiam propterea dici bestiam Antichristum ascendere de mari, quod subito & quasi ex improuiso apparebit eius potestas, & quòd maxima futura est, atque terribilis, & qualis antea non fuerit: sumpta à maximis, vastissimisque belluis similitudine, quæ subito exire solent è mari, & prodigiosa forma, atque nouitate terrere, ac nocere.* Rectè quidem & appositè.

De immani & prodigiosa marinarum belluarum magnitudine & forma, Excursus.

CAP. XIII.

VErùm vt lectoris tædium varietate tantisper leuemus, nonnulla hîc visum est intexere de quarundam maris bestiarum enormi mole & vastitate. Plinius harum rerum diligentissimus lib. 9. cap. 2. *Sunt autem complura in iis, maiora etiam terrestribus. Causa euidens humoris luxuria. Alia fors alitum, quibus vita pendentibus. In mari autem tam latè supino, mollique ac fertili accremento, accipiente causas genitales è sublimi, sempérque pariente natura, pleraque etiam monstrifica reperiuntur, perplexis & in semet aliter atque aliter, nunc flatu, nunc fluctu conuolutis seminibus, atque principiis, vt vera fiat vulgi opinio, quidquid nascatur in parte naturæ vlla, & in mari esse, præterque multa, quæ nusquam alibi. Rerum quidem, non solum animalium simulachra esse, licet intelligere intuentibus vuam, gladium, serras, cucumim vero colore & odore similem, quo minus miremur equorum capita in tam paruis eminere cochleis.*

His consentientia prodit Aristoteles Problemate 10. *Animalia maris, maiora & vegetiora sunt quàm terræ.* Et Opianus 1. Hælienticôn:

Innumeræ pelago gentes voluuntur in imo
Nantes, quæ numerum vincunt. Sunt abdita nobis
Plurima monstra maris. ——
Alma parens tellus non agmina plura ferarum,
Nec maiora tulit, quàm vastus in æquore pontus.

Pergit Plinius cap. 3. *Plurima autem & maxima in Indico mari animalia, è quibus balænæ quaternûm iugerûm, pristes ducenûm cubitorum: quippe vbi locustæ quaterna cubita impleant.* Et post alia: *Gedrosos qui Arbim amnem accolunt, Alexandri Magni classium Præfecti prodidere in domibus fores maxillis belluarum facere, ossibus tecta contignare, ex quibus multa quadragenûm cubitorum reperta.* Et cap. 4. *Maximum animal in Indico Mari pristis, & balæna est. In Gallico Oceano Physeter, ingentis columnæ modo se attollens, altiórque nauium velis diluuiem quandam eructans. In Gaditano oceano Arbor in tantum vastis dispansa ramis, vt ex ea causa fretum nunquam intrasse credatur.*

Et cap. 5. *Tiberio Principi nunciauit Olysipponensium legatio ob id missa, visum, auditúmque in quodam specu concha canentem Tritonem, qua noscitur, formam: & Nereidum falsa non est, squamis modo hispido corpore, etiam quà humanam effigiem habent. Námque hæc in eodem spectata littore est, cuius morientis etiam gannitum tristem accolæ audiuere longè. Et Diuo Augusto legatus Galliæ complures in littore apparere exa-*

mines

nimes Nereidas scripsit. Auctores habeo in equestri ordine splendentes, visum ab his in Gaditano Oceano marinum hominem, toto corpore absoluta similitudine: ascendere eum nauigia nocturnis temporibus, statimque degrauari, quas insederit partes: & si diutius permaneat, etiam mergi. Tiberio Principe (Vide hic Notas Dalecampij, & Iulij Cæsaris Scaligeri Exercitationem 226.cap.12.) *contra Lugdunensis Prouinciæ littus in insula simul trecentas ampliùs belluas reciprocans destituit Oceanus, miræ varietatis & magnitudinis, nec pauciores in Santonum littore: intérque reliquas, elephantos, & arietes, candore tantum cornibus æssimulatis: Nereidas verò multas. Turanius prodidit, expulsam belluam in Gaditana littora, cuius inter duas pinnas vltimæ caudæ cubita sexdecim fuissent, dentes eiusdem centum viginti, maximi dodrantium mensura, minimi semipedum. Belluæ, cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romæ, apportata ex oppido Iudææ Ioppe, ostendit inter reliqua miracula in ædilitate sua M. Scaurus longitudine pedum quadraginta, altitudine costarum, Indicos Elephantos excedente, spinæ crassitudine sesquipedali.* Quod ad marinum hominem attinet, Iuuenalis Satyra 14.

Oceani monstra, & iuuenes vidisse marinos.

Solinus cap. 55. aliàs 60. *Indica maria balænas habent vltra spatia quatuor iugerum. Sunt & quos Physeteras nuncupant, qui enormes vltra molem ingentium columnarum, supra antennas se nauium extollunt, haustósque fistulis fluctus ita eructant, vt nimbosa alluuie plerumque deprimant alueos nauigantium.* Et cap. 37. de Ioppe oppido Iudææ: *Id oppidum saxum ostentat, quod vinculorum Andromedæ vestigia adhuc retinet, quam expositam belluæ non irritus rumor circumtulit. Quippe ossa monstri illius M. Scaurus inter alia miracula in edilitate sua Romæ publicauit. Annalibus nota res est: mensuræ quoque veracibus libris continentur, scilicet quod costarum longitudo excesserit pedes quadraginta, excelsitas elephantis fuerit Indicis eminentior: porrò verticuli spinæ ipsius, latitudine semipedem sunt supergressi.*

Strabo lib. 15. pag. 499. *Paulò pòst Nearchus in Persicum Sinum classem adduxit, multas cùm alias ærumnas, tum ob cetorum magnitudinem perpessus. Et quanquam verisimile est, qui tum nauigauerunt multa inflatiùs garriuisse, tamen ostenderunt quid ipsis contigerit, etsi perinde magis metus, quàm periculum afficit. Plurimùm eos turbauerunt Physiterum* (*qui sic ab efflanda aqua dicuntur*) *magnitudines, fluctum maximum & confertim cum caligine tanta exsufflationibus suis excitantium, vt proxima etiam quæque conspici non possent. Sed cùm nauigationis duces, illis timentibus & causam ignorantibus indicassent, belluas esse quæ facilè tubarum sonitu, & plausu exaudito discederent: Nearchus naues cum impetu eò compulit, vbi maximè arcebatur, ac tubis belluas exterruit. Illæ vndas subeuntes, nauale certamen à puppi minabantur: verùm subitò cessauere. Etiam ij qui hodie in Indiam nauigant, belluas ingentes narrant, & earum apparitiones, sed quæ neque confertim, neque crebrò se offerant: & discedant clamore ac tubis repulsæ, eas terra nequaquam appropinquare: ossa verò iam dissolutarum à fluctibus facilè eiici, & materiam faciendorum tugurìorum Ichthyophagis suppeditare. Nearchus cetorum magnitudinem vlnarum tredecim refert.* Et de Ichthyophagis anteà pag. 495. dixerat: *Domos ex ossibus cetorum, & ostreorum conchis magna ex parte faciunt: nam trabium & fulcrorum vsum costæ præstant, portas maxillæ.*

Eandem de Nearcho historiam narrat Arrianus in Indicis: *Porrò cetæ ingentis magnitudinis in exteriori mari nascuntur, piscésque multo maiores quàm in hoc interiori. Scribit etiam Nearchus cùm ex Cyzis nauigarent, sub auroram vidisse aquam sursum è mari efflari, & tanquam violento quodam turbine in altum efferri: perculsósque spectaculo rei nautas percontatos esse ex ducibus nauigationis, quidnam hoc sibi vellet: eósque respondisse, cete esse, quæ in mari volutantia aquam sursum efflent: nautisque attonitis remos è manibus excidisse. Ipse instans eos hortabatur atque animabat: propiúsque adnauigans, iussit vt naues aduersis proris veluti ad naualem pugnam instructi, in ea dirigerent: vtque assiduè validéque remigantes vna cum ipso remorum sonitu ingentes etiam clamores ederent, tubisque clangerent. Ita reuocatis animis, simul omnes signo dato, remigationi incubuisse. Cúmque iam propiores belluis facti fuissent, quantum capita ferre poterant, acclamasse, tubasque clanxisse, & remorum pulsum ingentem sonitum edidisse: atque ita cete quæ iam proris nauium appropinquare videbantur, exterrita in profundum se se abdidisse, neque multo post ad puppes emersisse, rursúsque magnam vndarum vim sursum efflasse. Tum incredibilem nautarum ob inopinatam salutem, applausum factum fuisse, Nearchi audaciam pariter & prudentiam laudantium. Nonnullæ verò balenæ interdum ad littus appelluntur, quæ recedente æstu, in vadis hærent: aliæ tempestatibus in terram eiicuntur, quibus putrefactis, carnibusque colliquatis ossa remanent, quibus homines ad domos ædificandas vtuntur. Et laterum quidem ossa vtpote maiora in trabes ædium deligunt: minora verò in tabulas, quæ verò in maxillis sunt, ad ianuas accipium: multa siquidem eorum XXV. cubitos magnitudine excedunt.*

Ælianus de Animalibus lib. 16. c. 12. *Cete in mari Indico quintupla ad elephantum vel maximum magnitudine degunt. Nam vna etiam costa ceti ad viginti cubita accedit. Labrum habet quindecim cubitorum, pinnam ad vtramque branchiam septem cubitos longam.* Et cap. 18. *Id mare magnum infinitos pisces & cete procreare ferunt: & eorum quædam habere capita leonum, pantherarum, arietum, aliorúmque animalium: & quod magnam admirationem habet, satyrorum speciem, similitudinémque cete nonnulla gerunt. Alia existunt muliebri facie, eisque pro crinibus spinæ dependent. Addúntque alia reperiri absurda, quorum genera tam monstrosa exactè explicari ne à peritissimis quidem pictoribus possent.* Et lib. 17. c. 6. *Theocles libro quarto ad Syrtim ait cete procreari triremibus maiora. Circa Gedrosiam Indiæ regionem non ignobilem, Onesicritus atque Orthagoras scripserunt, cete longitudine dimidij stadij, & latitudine pro rata longitudinis portione nasci: tantóque robore septa esse, vt sæpe quum naribus respirarint, tantopere in sublime marinos fluctus iactent, vt hæ imperitis maximæ maris tempestates ac turbines esse videantur.*

Plinius lib. 32. cap. 1. *Iuba in his voluminibus quæ scripsit ad C. Cæsarem Augusti filium de Arabia, tradit, cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis in flumen Arabiæ intrasse.* Strabo lib. 16. pag. 527. *Nearchus ait, vidisse etiam cetum adsultantem quinquaginta cubitorum.* Nimirum in Sinu Persico.

S. Basilius homilia 7. in Hexaëmeron, de cetis maris Atlantici inquit: *Cete maximis mole corporis montibus æquantur: nam quum ad summam aquæ superficiem enatarint, instar insularum sæpenumerò apparent.* Eadem ad verbum ex S. Basilio descripserunt S. Ambrosius lib. 5. in Hexaëmeron, cap. 11. & Procopius in Genes. 1. ad vers. 21.

Miranda sunt quæ de Porphyrio immani ceto Byzantino, sub Iustiniano Imperatore prope Constanti

stantinopolim, anno tertio decimo belli Gothici extincto Procopius Cæsariensis lib. 3. Belli Gothici, cap. 15. in hunc modum narrat: *Per ipsum id tempus & cete quidem marinus piscis, quem Porphyrium Byzantini vocant, mirificè capitur. Hic sanè circa annum iam quinquagesimum, vt Byzantinis ipsis, ita & finitimorum locorum tunc incolis infestior fuerat, non continenter, sed per temporis interualla: nam & naugia plerâque ad imum depresserat, multarúmque nauium vectores, ac nautas turbando, & vim inferendo longius disturbarat. Quam belluam capiendi magnum Iustiniano studium fuit: peragere tamen quod animo inerat, nulla potuit arte. Sed quemadmodum in capturam hæc venerit, paucis explicabo. Erat fortè summa in tranquillitate tunc mare, delphinorúmque grex ingens circa ostium Euxini Ponti vno agmine confluebat: qui subito ceto illo conspecto, quo cuique licuit, perfugium habuere: pars tamen maxima, ad Sangaridis fluminis exitum sese ex fuga recepit. Cete vero in eo tum primùm delphinorum aduentu nonnullos exitis, sed improuidos quidem, vorauit. Sine itaque fame tunc fortè detineretur, siue id ex certamine ageret continenter, & tamdiu fugientes hos insectatur, quoad tandem in continentem ex incursu delatus, nec volens quidem profundiore se limo immersit. Vnde quibusvis modis eruere se connitendo, nullo potuit pacto limoso loco exsolui: sed quo magis enitebatur, eo & acrius limo se immergebat. Quæ res vbi ad circumiecti loci incolas est & passim perlata, concursu vndique facto, in cete mox irruunt, securibúsque vndequáque, & crebris ictibus præcidendo, neque hoc pacto conficere belluam potuere: funibus denique prænalidis colligatam, magna vi hominum extrahunt, & plaustris deuehendam imponunt. Cuius magnitudinem cùm cura emensi, cubitis in longitudinem triginta, in latitudinem decem hanc esse comperibant.* Eadem Zonaras habet in Iustiniano.

Sanctum Maclouium Episcopum in Oceano Britanico nauigantem incidisse in cetum ingentem, quem super aquas extantem, cùm existimasset insulam esse, excensione facta, cùm centum octoginta viris è comitatu suo, in eo Missam celebrasse, Sigebertus Monachus Gemblacensis in eius vita, apud Surium tom. 6. & Auctor Anonymus eiusdem vitæ, quem edidit Ioannes Boscus in Floriacensi Bibliotheca, pluribus referunt.

Mirabile quoque illud est, quod Aloysius Cadamustus lib. 2. suæ Nauigationis, cap. 50. scribit, in hunc modū: *Anno ab ortu Domini MCDXCIII. Februarij VIII. circiter meridiem, superato capite Albo Promontorio, in mari apparuit bellua immanissima, habens effigiem piscis, quæ in nos gradu citatissimo contendebat. Hæc à nobis in prora existentibus conspecta est illicò, quam vt vidimus, cœpimus trepidare, quippe qui vastiorem nusquam videramus. Ibat igitur bellua huiusmodi tanto impetu, ac fragore, celsoue capite, vt nos perterrefaceret plurimùm: quare in re subita præsentaneum cœpimus consilium: decreuimus propterea nobis fuga consulere. Datis itaque velis, quàm celerius potuimus, altum petentes, euasimus discrimen Deo fauente. Præuentus est ergo piscis huiusmodi spatio vnius milliarij: nec propriùs accessit: tunc est à nobis conspectus ad regulam: nam diligentius formam belluæ considerauimus. Cùm enim caput supra aquam efferebat, videbatur alas quasdam habere instar alarum molendini, quod vento circum agitur, vbi non adest aquarum copia. Ob id nostra sententia, visa est bellua non minor liburnicis, id est, galleis nostris. Quamobrem Hispani omnes, qui assueuerunt magnis nauigationibus, fatebantur ingenuè, nunquam vidisse atrociorem, vastiorémve belluam, quam tantopere formidauissent: licèt innumeras vidissent balenas: confessione igitur eorum, hæc bellua balenam superat magnitudine.*

Ludouicus Vartomannus lib. 7. suæ Nauigationis, cap. 4. *Aliam insulam præteriuimus, cui diuæ Helenæ nomen est, vbi enormes pisces conspicati sumus, tantæ quidem vastitatis, vt singuli singulis magnis ædibus conferri possent: ij enim supra aquas tolluntur, hianti ore eminent; videntúrque quum supernatant, frontem retegere instar loricati militis, dum à congressu temperat lumen admissurus: rursus memorati pisces dum vrinant, frontem condunt latam ternos passus. Quum enim innatant pelago, adeò deturbant aquas, vt nos agitatione huiusmodi, præsertim vt belluas submoueremus, omnia tormenta exoneraverimus.*

Sed illud multò magis stupendum Maffeius Rerum Indicarum, lib. 7. scribit in hæc verba: *Per eosdem fere menses* (nempe anno M D X X.) *nouum, & multiplex aliud in mari miraculum extitit. Classis nauium nouem duce Georgio Britto, dum ex Lusitania Indiam petit, rostrata celsior Rotherici Vasci Pereiræ in medio cursu repentè velut freno equus adducto, ita subsitit, magno cum aquæ sonitu, ac motu, qualis vbi in vada, & Sirtes incurritur, edi consueuit. Eo ipso terrore perculsi nautæ, demissa vtrimque bolide, profundum sine dubio mare comperiunt. Cum inflatis vento velis, hæreret nauigium, nihilominùs dispiciendi causa, quòd esset nox, admotis ad marginem luminibus, implexam alueo ingentem belluam vident. Carinæ centum, & quinquè dodrantium longitudine applicuerat corpus, cauda gubernaculum illigarat: alis immanibus latera ad summum vsque cingebat: quas iam in alas per imprudentiam nonnulli manus iniecerant. Ad spectaculum adeò tetrum ingenti videlicet horrore nautæ, militésque perfusi: vt verò dolij magnitudine, vasto hiatu nouissimè caput extulit, metu exanimati penè omnes, infernum profectò monstrum diuinitus immissum credere, ad viua tot noxiorum corpora glutienda. Pauci quibus in tanto discrimine mens, animúsque constiterat, consultandi gratia in vnam partem secedunt. Erant qui contis & iaculis, ballistísque depellendum suaderent cetum: alij contra, nihil magis tali tempore vitandum aiebant, ne tanta molis animal vulneribus irritatum, concussu ipso, & agitatione violenta nauem euerteret. In summa inopia consilij cùm nihil explicaretur, & maior in singula momenta terror instaret: suppliciter, ac demissè veniam pacémque Dei, & cælestium exposcere, atque ad vota precésque confugere placitum est. Neque ea irrita fuere. Sacerdos cum linteo & stola, & signo crucis in medium prodiit. ab eo sacris carminibus, & exorcismis delinita bellua, mirum dictu! nulla cuiusquam noxa relicto nauigio, cùm è portentosis narium fistulis ingentem reflasset aquæ vim, sese admodum placido lapsu in mare demisit. Lusitani, tanquam ex orco præter spem erepti, debitas diuinæ clementiæ laudes & grates agebant.*

Atque hactenus de marinorum animalium vastitate, de quibus si plura quis aueat, adeat Olaum Magnum Archiepiscopum Vpsalensem lib. 21. de Septentrionalibus Gentibus, cap. 5. 6. 7. 10. 11. 12. 13. 22. 23. 24. 25. 26. 27. Simonem Maiolum in Canicularibus, Colloquio 9. Philippum Camerarium part. 2. Meditationum Historicarum, lib. 5. cap. 3. Vt ex his omnibus iam cernere liceat, non sine insigni aliquo mysterio præuidisse Ioannem, Antichristum quasi immanem quandam, monstrificam, & valdè horrendam belluam emergentem

de mari, quòd marinæ beſtiæ, & forma, & mole ſoleant eſſe monſtroſiſſimæ.

Elucidantur verba Ioannis Apocal. 13. 1. *de Beſtia accedente de mari, id eſt, Antichriſto.*

CAP. XIV.

APud quemque eruditum dubium eſſe non debet, S. Ioannem in his quæ hîc de Beſtia marina vaticinatur, reſpexiſſe, ac planè imitatum viſionem illam Danieli cap. 7. diuinitus oblatam, qua vidit quatuor beſtias grandes aſcendentes de mari, diuerſas inter ſe, nempe leænam, vrſum, pardum, & aliam anonymam, quæ quatuor mundi Monarchias ſignificauerint, Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum. Nam planè eiſdem verbis, & eiſdem nominibus beſtiarum vtitur, niſi quòd omnes illas quatuor Danielis beſtias Ioannes in vna, ſcilicet Antichriſto, concludit, ac veluti recapitulat: vti ad finem huius capitis apertiùs oſtendemus: & agnoſcunt Interpretes ferè omnes. Et exploratum eſt, Antichriſtum cornu paruulum orturum ex quarta Danielis Beſtia, vti ſuperiùs cap. 10. dicebamus. At Daniel verſ. 17. ex ore Angeli exponens quæ fuerint quatuor illæ beſtiæ quas viderat, & quodnam eſſet illud mare vnde viderat eas aſcendentes, ait: *Hæ quatuor beſtiæ magnæ quatuor ſunt regna, quæ conſurgent de terra.* Ergo quod verſ. 3. dixerat, *Aſcendebant de mari*: verſ. 17. explicat, *quæ conſurgent de terra.* Mare ergo terram diſertè interpretatur. Vbi S. Hieronymus: *Mare autem mundum iſtum, ſæculúmque ſignificat, ſalſis, amariſque fluctibus redundantem, ſicut Dominus in parabola ſagenæ miſſæ in mare interpretatur.* Scilicet Matthæi 13. 47. Theodoretus: *Beatus autem Daniel mare cernit, quo præſentis vitæ fluctus edocetur. Mare itaque vitam vocat, vtpote quæ infinitas habeat maximas procellas.* Eadem omnes alij.

Et Beſtia quam vidi, ſimilis erat Pardo.

Pardum dici quidam volunt, qui maſculus eſt inter pantheras, pardalim verò fœminam, Pantheram autem vtrumque ſexum complecti. Alij volunt hæc tria nomina in vno eodémque animali confundi penes Auctores. Nec deſunt, qui pardos à pantheris diſcriminent. De his prodita ab auctoribus breuiter intexamus. Plinius lib. 8. cap. 17. *Panthera & tigris macularum varietate propè ſolæ beſtiarum ſpectantur, ceteris vnus, ac ſuus cuiuſque generis color eſt. Leonum tantùm in Syria niger. Pantheris in candido breues macularum oculi. Ferunt odore earum mirè ſollicitari quadrupedes cunctas, ſed capitis toruitate terreri. Quam ob rem occultato eo, reliqua dulcedine inuitatas corripiunt. Sunt qui tradant in armo iis ſimilem lunæ eſſe maculam creſcentem in orbes, & cauantem pari modo cornua. Nunc Varias, & Pardos, qui mares ſunt, appellant in eo omni genere creberrimo in Africa, Syriaque. Quidam ab iis pantheras, candore ſolo diſcernunt: nec aliam adhuc differentiam inueni. Senatus-conſultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam aduehere. Contra hoc tulit ad populum Cn. Aufidius Tribunus plebis, permiſitque Circenſium gratia importare. Primus autem Scaurus Ædilitate ſua Varias centum quinquaginta vniuerſas miſit: dein Pompeius Magnus quadringentas decem: Diuus Auguſtus quadringentas viginti.* Africanas, ſeu Varias pro pantheris poſitas leges in antiquis lapidibus præſertim illo Ancyrano in quo Breuiarium rerum Auguſti inciſum erat: De quo Caſaubonus in Notis ad Suetonium in Auguſto ad finem, & Gutherius de Veteri Iure Pontificio, lib. 3. cap. 20.

Solinus cap. 21. *Pantheræ quoque numeroſæ ſunt in Hircania, minutis orbiculis ſuperpictæ, itavt oculatis ex fuluo circulis, vel cærulea, vel alba diſtinguatur tergi ſuppellex. Tradunt odore earum, & contemplatione armenta mirè affici, atque vbi eas perſentiſcant, properatò conuenire, nec terreri niſi ſola oris toruitate. Quam ob cauſam pantheræ abſconditis capitibus, quæ corporis reliqua ſunt, ſpectanda præbent, vt pecuarios greges ſtupidos in obtutu, populentur ſecura vaſtatione. Sed Hircani, vt hominibus intentatum nihil eſt, frequentius eas veneno, quàm ferro necant. Aconito carnes illinunt, atque ita per compita ſpargunt ſemitarum. Quæ vbi ederunt, fauces earum angina obſidentur. Ideò gramen pardalianchen appellauerunt. Sed pantheræ aduerſus hoc virus excrementa humana deuorant, & ſuoptè ingenio peſti reſiſtunt. Lenta illis viuacitas, adeò vt eiectis intraneis, mortem diu differant. In his ſilueſtribus & Pardi ſunt, ſecundum à pantheris genus, noti ſatis, nec latiùs exequendi. Quorum adulterinis coïtibus degenerantur partus leænarum, & leones quidem procreantur, ſed ignobiles.* De Pardalianche aconito eadem quæ Solinus, tradunt Ariſtoteles lib. 9. de Natura Animalium, cap. 6. Cicero libro 2. de Natura Deorum, Plinius lib. 8. cap. 27. & lib. 27. cap. 2.

De adulterinis verò coïtibus leænarum cum pardis, quorum Solinus meminit, rem ipſam accuratiùs deſcribit Philoſtratus in Vita Apollonij lib. 2. cap. 7. *De leænis autem huiuſmodi ſermo narratur: ipſas amorem in ſui pardales trahere, eóſque in leonum cubilibus ſuſcipere: vbi verò ſe eorum concubitu grauidas ſentiunt, ad montes confugiunt, & pardorum conſueta loca ſequuntur. Pariunt autem maculoſos catulos: propterea in auiis, & denſis ſiluis occultatos nutriunt, ſimulantes, venationis cauſa à maribus abeſſe, Leones enim ſi fortè catulos viderint, eos lacerant, ac diſcerpunt tanquam adulteram ſobolem.* Vide Plinium lib. 8. cap. 16.

Ælianus de Animalibus, lib. 4. cap. 49. *Pantheræ digiti in anterioribus pedibus quini, in poſterioribus quaterni. Fœmina viribus mari præſtat. Quod ſi imprudens herbam venenatam quam pardalianchum (aconitum) vocant, deguſtarit, remedium ſibi hominis excrementum quærit.* Et lib. 10. cap. 39. *Pantheræ genus quoddam Ampelon, hoc eſt, vitem, eodem cum frutice vinifero nomine vocari aiunt, peculiaris præter ceteras naturæ, abſque cauda videlicet, & mulieribus ſolo conſpectu morbi inopinati cauſam afferens.* Et lib. 5. cap. 40. *Admirabilem quandam & nobis occultam odoris ſuauitatem olet pardalis: quam benè olendi præſtantiam diuino munere donatam, cùm ſibi propriam planè tenet, tum verò cetera animalia hanc eius vim præclarè ſentiunt. Hæc autem hoc modo venationem capit: Quum horum quæ ad victum opus ſunt eget, ſeſe vel in loca fruticibus denſis conſita, vel foliis veſtita ita occultat, vt inuentu difficilis tantùm reſpiret. Tum hinnuli, dorcades, capræ ſilueſtres, atque alia eiuſmodi animalia quadam ſuauis odoris illecebra attrahuntur, & proximè accedunt. Illa tum quàm mox de latebra exiliens, ad prædam ſe rumpit, atque eam comprehendit.* Et lib. 8. cap. 6. *Pardalis curſus celeritate, cùm alia pleráque, tum verò maximè ſimias aſſequitur.* Et lib. 5. cap. 54. *In Mauritania pardalis, cum*

cùm robore & viribus præſtet, non tamen iis ſimias aggreditur. Cauſa eſt, quoniam ſimiæ non ſe opponunt ei, ſed in fugam ſe conferentes, in arbores altas aſcendunt: & illius impetum declinantes, illic conſident. Verumtamen pardalis ad hanc rationem ſimia doloſior, inſidias molitur, & dolos nectit. Vbi enim ſimiarum multitudo manet, eò profecta, ad terram ſe ſub arbore abiicit, & iacet tanquam ventre inflata, tibiis reſolutis, oculos claudit, & ſpiritu compreſſo, ſeſe ab anhelando continet, denique mortua videtur. Illæ verò hoſtem ex alto deſpicientes, mortuam ſuſpicantur, & facillimè credunt id quòd vehementer optant, nondum tamen deſcendere audent. At experimenti cauſa vnam ex ipſis, quam audaciorem putant, ad examinandum pardalis affectum præmittunt. Hæc quidem non omnino ſibi præſidens, deſcendit: ſed timidè, & pedetenim primò decurrit, poſt metu repreſſa reuertitur. Tum verò iterum deſcendit, & quum proximè ad pardalim acceſſit, regreditur rurſum. Tum tertiò deſcendit, & illius oculos ſpeculatur, ſpiritum ducat necne periclitatur. Illa autem immotam ſe fortiſſimè præſtans, paulatim huic animos addit. Et iam cùm hanc permanere conſtanter, ſine damno circum illam, ſublimiores ex ſuperiori loco ſimiæ ſpeculantur, fiduciam & ſpiritum colligentes, ex arboribus frequentiſſimè decurrunt, & circum eam concurſantes, ſaltant, ſimul & ſupra ipſam gradientes inſultant, & in illius contumeliam ſaltationem ſimiis conuenientem ſaltantes, multifariam ei illudunt: & gaudium quod de hac ipſa tanquam mortua immortaliter pergaudent, teſtantur. Illa autem omnia ſuſtinens, ſimul ac illas inſultando, & illudendo defatigatas eſſe intelligit, exinopinatò exiliens, earum partem vnguibus lacerat, partem dentibus diſtrahit, atque optimum, & adipale ex hoſtibus prandium ſibi abundè comparat. Egregiè ſanè patienter & fortiter omnia ſuſtinet, ac tolerat pardalis, diſſimulat, & ſe continet, donec opportunè hoſtes tam contumelioſos vlciſci poſſit. Hactenus Ælianus, qui etiam lib. 13. cap. 10. latè deſcribit, quanam arte Pardales venentur Mauri. De Panthera quoque & Pardo vide ſanctum Iſidorum lib. 12. Originum, cap. 2. vbi tamen quædam non ad fidem hiſtoriæ. Eraſmus in Adagio, *Pardi mortem aſſimulat.* Æliani præcedentem narrationem non viderat. *Panther*, inquit ſanctus Iſidorus, *ſiue quod omnium animalium amicus ſit, excepto Dracone, ſiue quia & ſui generis ſocietate gaudet, ad eandem ſimilitudinem quidquid accipit, reddit. Pan omne dicitur.* Vulgo tamen Pantheram dictam putant ab omnimoda feritate, quòd tota fera ſit: nam Græcum eſſe Pantheræ vocabulum M. Varro lib. 4. de lingua Latina annotauit.

Scriptura ſacra Pardum vocat in primigenia lingua נמר *Namer*, quæ vox cùm tantùm ſexies in veteri Inſtrumento ponatur, à LXX. Chaldæo, & Noſtro ſemper Pardus exponitur. Et quamuis Interpretes de etymo varient, at non eſt dubium, dici à *Marar*, מרר, nimirum ab amarulentia, & ſæuitia. Vel à מיר *Mir*, quod eſt mutare, ob cutem variegatam, & maculoſam, ſeu à מר, *Mar*, gutta, quòd notis diſtinctam, & veluti guttulis conſperſam pellem habeat. De hoc animali hæc ex ſacris Libris habemus. Primò, eſſe varium, & maculoſum, Ieremiæ 12. 13. Secundò, attentum, & vigilans, Ierem. 5. 6. Tertiò, ſolitum circa vias inſidiari, Oſeæ 13. 7. Quartò, leue, & velox, Habacuc 1. 8. ſanctus Hieronymus in 7. Daniel. ad vers. 6. *Pardus Beſtia velociſſima, & ormitica, id eſt, impetuoſa, & incitata, quæ præſens fertur ad ſanguinem, & ſaltu in mortem ruit.* Eadem ex ſancto Hieronymo mutuatus eſt ſanctus Iſidorus lib. 12. Originum, cap. 2.

Auctores Hieroglyphicorum multa pantheræ, ſeu pardi egregia morum ſignificata obſeruant. Primò, per pantheram deſignari maximam improbitatem, hoc eſt, hominem inſatiabilem, & omnium rerum appetitorem prorſus impudentem, & inuerecundum: quippè qui omnia corripiat, atque conſumat. Ferunt enim pantheram nullum non animal venari: vnde ei nomen ab omnifaria feritate, & venatione inditum: & Ariſtophanes pardalim impudentem appellat. Id rectè Antichriſto conuenit, qui omnia ſumma improbitate, & impudentia venabitur, prædabitur, rapiet, corriuator, deglubitor, abliguritor, nefarius rerum humanarum, atque diuinarum latro.

Secundò, Animum promptiſſimum, & impetuoſiſſimum ad fundendum humanum ſanguinem, qualem eſſe pardum nuper ex ſancto Hieronymo, & S. Iſidoro dicebamus. Quod & exactè Antichriſto competit, qui futurus eſt crudeliſſimus, & ſanguinis humani ſitientiſſimus.

Tertiò, Hominem vitiorum, & praui ingenij diſſimulatorem, vt neque ab intimis domeſticorum deprehendi poſſit. Vidimus enim ex Plinio, Solino, Æliano, pantheras odore illicere alias beſtias, atque occultato capite eas venari. Nemo magis diſſimulator & hypocrita vt Antichriſtus, vti lib. 7. cap. 1. docebimus.

Quartò, Hominem callidum, aſtutum, vafrum, verſipellem, in omnes dolos, artéſque verſatilem, ac deſultorium: quòd panthera inſigniter maculoſa, multijugáque ſit varietate conſperſa. Aſtutiam eius in venando ſimias, ſuperiùs ex Æliano referebamus. Inde Adagium, *Pardaleam*, id eſt, Pardalis corium, *induere*, apud Euſtachium, in 3. Iliados, de quo etiam Cælius Rhodiginus lib. 27. Lectionum antiquarum, cap. 14. & Hadrianus Iunius Centuria 3. Adag. 46. Et aliud, *Pardi mortem aſſimulat.* De quo idem Eraſmus Chiliadis 2. Centuriæ 4. Adagio 66. Antichriſtum verò futurum omnium mortalium callidiſſimum, & vaferrimum, lib. 7. cap. 2. oſtendemus. Sed pantheræ Hieroglyphica vberiùs exequitur Pierius Valerianus lib. 11.

At propiùs Antichriſtum pardo comparatum Patres interpretantur. Tyconius: *Pardo propter varietatem gentium ſimilauit: quia temporibus Antichriſti cum varietate gentium, & populorum regnum eius erit commixtum.* Victorinus: *Similem pardo: regnum illius temporis Antichriſti cum varietate gentium, & populorum commixtum ſignificat.* Primaſius: *Pardo propter varietatem gentium comparatur.* Sanctus Beda: *Pardo propter varietatem gentium ſimilatur.* Anſbertus: *Pardus etenim Beſtia ſæua, atque impatientiſſima, varietate cutis inuenitur diſcolor. Et quid in varietate huius beſtiæ accipimus? Significatur etenim in ea diuerſitas gentium, numeroſitas hæreticorum, fictio hypocritarum, atque omnium actiones reproborum. Quia enim ex diuerſis gentibus hoc corpus extruitur, rectè pardo ſimilis vocatur.* Ambroſiaſter: *Per pardum, qui fertur diuerſos colores habere, hypocriſis Antichriſti deſignatur: qui cùm futurus ſit homo nequiſſimus, variis virtutibus ſeſe decolorabit,*

vt facilius ſtultos quoſque decipiat. Eiuſmodi habent recentiores, Pannonius, Gagnæius, Bulengerus, Ribera, Melus, Viegas.

Ceterùm Sà Pardum hîc, non belluam terreſtrem, ſed marinam, id eſt, picem pardalim, vel pantheram interpretatur. De quo Ælianus lib. 16. cap. 18. *Pardalis piſcis, vt ij qui ipſum viderunt, dicunt, in mari rubro naſcitur, colore & maculis orbiculatis, ſimilis eſt montanæ pardali.* Vide eundem lib. 11. cap. 24. Et quamuis id ad præſens inſtitutum parum referat: eum & marini & terreſtris pardi idem hic ſit ſignificatus: potius tamen cum omnibus aliis de pardo terreſtri Ioannem locutum arbitramur.

Et pedes eius, ſicut pedes vrſi.

Vrſi naturam abundè tradiderunt, Ariſtoteles in Hiſtoria Animalium lib. 7. cap. 36. Plinius lib. 8. cap. 36. Solinus cap. 29. Ælianus de Animalium Naturis lib. 2. cap. 19. lib. 6. cap. 3. & 9. lib. 5. cap. 49. Sunt in vrſo multa quæ mores Antichriſti vtcumque adumbrent.

Primò, Ariſtoteles, Plinius, Solinus, Ælianus, aiunt, vrſam parere carnem quandam informem & rudem, candidam, ſine oculis, ſine pilis, & membris aliis indiſcretam, catto minorem, mure maiorem, vnguium tantum lineamenta prominere: hanc, vrſam fotu, incubitu, ſed potiſſimum lambendo paulatim figurare in integram vrſi formam. Quamuis id falſum contendant plerique. Iulius Cæſar Scaliger Exercitatione 6. §. 15. *Quid huiuſce fabulæ auctoribus fidei habendum ſit, ex hac hiſtoria cognoſces: In noſtris Alpibus venatores fœtam vrſam cepere: diſſecta ea, fœtus planè formatus intus inuentus eſt.* Iacobus Dalecampius in Notis Plinianis: *Hoc falſum. In vtero grauidæ vrſæ à venatoribus captæ & exenteratæ, omnibus ſuis membris diſtinctos catulos & formatos vidi. Fabulæ cauſam præbet catulorum ortus craſſiſſimis ſecundis obuolutorum, quas non niſi diu lambendo mater reuellere poteſt. Sic videlicet contecti informis carnis ſpeciem monſtrant.* Siuè informis vrſus naſcatur, ſiuè ita propter craſſas ſecundas appareat: haud aliter Antichriſtus ab ortu ſuo rudis, informis, vilis, abiectus, paulatim figuram, formámque potentiſſimi principis induet: vngues tantùm ei ab initio prominebunt, quia feram, & immanem naturam haud dubiis ſignis ſtatim prodet.

Secundò, iidem auctores docent nullum eſſe animal laboris & inediæ vrſo magis patiens: nam magna parte hyemis antris & ſpecubus incluſum ſine cibo durare. Antichriſtus ſanè laborum patientiſſimus, & tolerantiſſimus erit. Nec mirum ea in re magnos duces imitaturum Antichriſtum. De Alcibiade Cornelius Nepos in Claris Imperatoribus: *Idem cùm tempus poſceret, laborioſus, patiens.* De Alexandro Q. Curtius lib. 10. *Vis incredibilis animi, laboris patientia propemodum nimia.* De Annibale Liuius lib. 21. cap. 4. *Nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat: caloris ac frigoris patientia par.* De Iulio Cæſare Suetonius cap. 57. *Laboris vltra fidem patiens erat: in agmine nonnunquam equo, ſæpius pedibus, anteibat, capite detecto, ſeu ſol, ſeu imber eſſet.*

Tertiò, Dicitur etiam vrſus eſſe animal vehementer irritabile, & iras ingentes momento concipere, atque immodicis animis excitari, in omnémque truculentiam efferueſcere. Vnde adagium, *Fumantem naſum vrſi ne tentaueris.* De quo Pierius lib. 11. Hieroglyphicorum, & Eraſmus in Chiliadibus. Martialis lib. 6. Epigrammatum, 64.

——*Rabido nec perditus ore*
Fumantem naſum viui tentaueris vrſi:
Sit placidus licèt, & lambat digitoſque, manúſque:
Si dolor & bilis, ſi iuſta coëgerit ira,
Vrſus erit, vacua dentes in pelle fatiges.

Exitiabilem autem iram Antichriſti, eiúſque efferatiſſimam rabiem in Chriſti Eccleſiam lib. 9. fusè demonſtrabimus.

Quartò, Plinius de Vrſo annotat: *Nec alteri animalium in maleficia aſtutia ſolertior.* Id quam rectè & appoſitè Antichriſto competat, facilè quiſque videt. Primaſius: *Vrſo comparatur Antichriſtus propter malitiam beſtialem.* Tichonius: *Similauit Vrſo propter malitiam & vaſaniam.* Eadem omnino S. Beda. Sed Vrſi hieroglyphica Pierius lib. 11. accuratè proſequitur.

Sed cur Ioannes Antichriſto pedes Vrſi peculiariter tribuit? Obſeruant Gagnæius, Bulengerus, Ribera, Melus, Viegas, pedes vrſi fortiſſimos eſſe, quibus anterioribus & poſterioribus plurimùm valent. Solinus cap. 29. *Vis magna in brachiis & lumbis: vnde interdum poſticis pedibus inſiſtunt.* Plinius: *Ingrediuntur & bipedes. Tauros, ex ore cornibuſque eorum, pedibus & manibus ſuſpenſi, pondere fatigant.* Hoc idem & Solinus. Vt quod robuſtius & crudelius eſt in vrſo, Antichriſtum adumbret. Iam pedes hic vrſi ita exponunt: Tichonius: *Pedes tanquam vrſi, duces eius.* nempe Antichriſti. Victorinus: *Pedes tanquam vrſi fortes, & ſpurciſſimæ beſtiæ. Duces pedes eius dixit.* Idem quoque intelligunt Pannonius, & alij. Hoc eſt, ſatellites & adminiſtros Antichriſti: qui erunt eius pedes & manus, hoc eſt, Hiſpanica phraſi, per quos omnia aget, & quorum præcipuè operâ in cunctis vtetur. Siue pedes appellauit, quòd viles, abiecti, ſordidi erunt: ſed inſtar pedum vrſi fortiſſimi, & robuſtiſſimi, qui omnia proterent & calcabunt, Sanctos præſertim. Theophraſtus, Soſtratus, Plinius, & alij tradunt, vrſos hieme quadragenis fermè diebus, quibus in ſpecubus latitant, priorum pedum ſuctu viuere: nec quidquam aliud mandere: vt hinc rectè poſſimus philoſophari, idcirco à ſacro Euangeliſta vrſinos pedes Antichriſto tributos, nimirum vt indicaret, Antichriſtum ſibi per ſe ſuffecturum, ſuis ipſum opibus abundè pollentem, & quaſi ſuis brachiis parta rerum copia fruiturum: aut certè pedum ſuorum, hoc eſt, ſatellitum & miniſtrorum opibus ingentibus locupletandum iri, & quaſi ipſos ſucturum, quum eorum cum primis opera ad emungendum & ſugendum, ſeu expilandum alio vtetur. Nec mirum, Antichriſtum ea in re imitaturum Iulium Cæſarem, de quo Suetonius cap. 72. *Iam autem rerum potens, queſdam etiam infimi generis ad ampliſſimos honores prouexit. Cum ob id culparetur, profeſſus eſt palam, ſi graſſatorum & ſicariorum ope in tuenda ſua dignitate vſus eſſet, talibus quoque ſe parem gratiam relaturum.* En Vrſinos Antichriſti pedes.

Corollarij loco adiicimus vrſum Hebræis dici דוב DOB, quæ vox duodecies in Sacris Libris occurrit, & ſemper ab Interpretibus exponitur Vrſus. De cuius etymo Forſterus: *DOB, vrſus, ſeu vrſa generis communis. Arbitror autem nomen hoc*

Ive huic animali inditum, vel à murmure, vel quod propter lanienam infamis sit, maléque audiat. Nempè à DIBAH. Eadem habent Mercerus, Bertramus, & Marinus. Schindlerus inquit: *DOB, vrsus, vrsa, ita appellatus à murmure: famelicus enim & iratus murmurat: latitans item cum murmure quodam pedes fugit, tanquam alimenti quidquam inde percipiat. Horatius: Et Vespertinus circum gemit vrsus ouile: Isaiæ 59. vers. 11. Murmurabimus vt vrsi omnes nos. Threnor. 3. vers. 10. Vrsus est astutus, cadis auidus, pernicios, perfidus.*

Arias Montanus 1. part. in Magni Operis Corpore, pag. 320. דבא *DABA, fortitudinem, robur, & senectæ vltimum terminum significare comperimus:* Vti Deuteronomij 33. 25. *Vnde Vrsi nomen DOB factum coniicere est: quòd illa fera viribus firmissimis vsque ad senectam constet: irritata impotenter dolet, ac furit, fame penè insaniens: viribus & luctu magis, quàm dente, aut vngue, valet & nocet.* Aliena & vana notio.

Auenarius: *DOB, vrsus, à fumando dicitur, qui è naribus densum spiritum emittit instar fumi. Est communis, seu epicœni generis, nam vtrumque sexum comprehendit,* Existimauit hîc, verbum DABAB esse, exhalauit, fumauit, emisit ex ore tenues spiritus, tanquam fumum ascendentem. Inde DIBAH, Fumum, famam, quæ latè dispergitur instar fumi, seu venti, item, infamiam. Et vt id rectè conueniat iis, quæ anteà notabamus de naso fumante vrsi: at significatus verbi Dabab, pro exhalauit, fumauit, est prorsus delirium à fumante Nouantis cerebro confictum. Verisimilius est DOB dictum à murmure.

Et os eius, sicut os Leonis.

Tichonius: *Leoni similauit propter virtutem corporis, & linguæ superbiam. Os eius, iussio eius.* Victorinus: *Os eius tanquam ora leonum, inquit, est: id est, ad sanguinem armatum. Os enim eius, iussio illius est, & lingua quæ ad nihilum processura est, nisi ad sanguinem effundendum.* Primasius: *Leoni comparatur, propter virtutem corporis, & linguæ superbiam.* Eadem totidem verbis S. Beda. Ambrosiaster: *Per leonem eius crudelitas ad dilacerandum populum Dei designatur.* Ansbertus propter crudelitatem, insidias, rugitum perterrentem, leoni assimilatum Antichristum fusè interpretatur.

Præcipua & insignior corporis pars est os ipsum, id est, facies, seu caput, vbi sensus residenr: ergo cùm Ioannes Antichristo caput, seu os leoninum assignet, satis indicat, præcipuum in Antichristo futurum totum leoninum. Leonis autem hieroglyphica insigniora hæc obseruat Pierius lib. 1. Per leonem nimirùm significari, Primò, Magnanimitatem, seu animum erectum, ac generosum. 2. Robur, fortitudinémque. 3. Vigilantiam, & insomnem, attentámque custodiam, quod leo apertis, intentísque oculis, aut certè splendescentibus, dormire videatur. 4. Terrificum hominem, crudelem, ferocem. 5. Vim inuictam & insuperabilem. 6. Summam ingenij astutiam, & calliditatem. 7. Hominem summum omnium dominatorem. Hæc omnia significata quàm rectè, & aptè Antichristo conueniant, non est opus multis verbis edocere, cùm facilè quisque per se expendere, atque æstimare possit. Expressiùs non poterat magnus Apostolus truculentissimam, ac planè omnium prodigiosissimam bestiam Antichristum depingere, quàm ex sæuissimis aliis mistam, & compactam delineando, nimirùm vt in vno veluti corpore Antichristo omnium bestiarum immanitatem, & sæuitiam, atque omnigenam malitiam, & improbitatem coniunctam, & conglobatam ostenderet.

Ceterùm iam initio huius capitis notabamus Ioannem in describenda bestia, id est, Antichristo, procul dubio respexisse ad vaticinium Danielis 7. De quatuor bestiis leæna, vrso, pardo, & anonyma, quæ quatuor præcipuas orbis Monarchias, Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum adumbrarunt: atqui ex omnibus illis quatuor bestiis compinxisse, & conformasse bestiam Antichristum, qui tanquam cornu paruum orietur ex decem cornibus, quartæ bestiæ, id est, decem regibus, in quos tandem diducendum, ac distrahendum est Imperium Romanum, nempè succedet Antichristi regnum Romano Imperio in decem reges diuiso. Quasi voluerit diuinus Ioannes suo vaticinio significare, quidquid magnum, insigne, immane, terribile, horrendum propriè & peculiariter in vnaquáque ex quatuor orbis Monarchiis fuit, totum id in solidum, & coniunctim, maioríque cum cumulo futurum in Antichristi regno: atque Antichristi Monarchiam in se veluti comprehensuram, & recapitulaturam ingentia illa quatuor orbis Imperia.

Andreas: *Per pardum, Græcorum, per vrsum, Persarum, per leonem, Babyloniorum regnum denotatur, quæ omnia vnus obtinebit Antichristus.* Paulò aliter Aretas: *Qualis est autem bestia? Similis est, inquit, pardo: & pedes similes pedibus vrsi: & os tanquam os leonis. Per pardum quidem Romanorum designatur principatus, quòd celer fuerit aduersus quoscumque impetus ipsius, ac tolerans quo ad finem cœpti pertigerit, quod & per vrsi pedes significat: referuntur autem hæc & ad Persarum regnum. Denique per os leonis, regnum designatur Babyloniorum, cui Sarracenorum regnum manifestè successit, quòd in hoc vsque tempus regia eorum Babylone sit: quibus profectò Antichristus perinde, ac Romanorum Imperator dominabitur.*

Iam hîc digladiandum erat cum Alcasaris expositionibus: sed apagè tales pugnas, & sine fine, & sine fructu: ille suam graditur viam: nos communem, & à multis magnísque interpretibus calcatam incedimus.

Danielis vaticinia de Antichristi præliis, quibus initio regni sui debellaturus est tres reges, nimirùm regem Ægpti, regem Libyæ, & regem Æthiopiæ.

CAP. XV.

DIffusè satis lib. 5. cap. 22. & sequentibus demonstrauimus, Antichristum quum venier, reperturum in orbe decem potentissimos reges, qui Imperium Romanum inter se diuisum obtinebunt: atque ex iis decem, tres bello superaturum & deleturum Antichristum, reliquos septem vel metu, vel amore eidem subiiciendos. Vnde S. Ephrem Syrus Sermone de Antichristo: *Citò autem eius regnum erigetur, & in furore suo tres reges magnos, atque potentes percutiet.* Nunc iam ostendendendum est, tres istos reges qui ab Antichristo extinguentur, futuros regem Ægypti, regem Africæ,

& regem Æthiopiæ : quorum regna, opésque, iis regibus sublatis, occupaturus est in exordiis regni sui Antichristus.

Id quidem disertè, & expressè docuere sanctus Hippolytus Martyr, sanctus Hieronymus, sanctus Beda, Strabus, Anselmus Laudunensis, & alij quorum sententias lib. 5. cap. 22. descripsimus. Alios verò Patres quorum verba ibidem fusè recitauimus, quum tradunt, ex illis decem regibus, tres ab Antichristo interficiendos, quamuis prouincias quarum erant reges, apertè non exprimant; intellexisse nihilominùs, eos tres reges futuros, regem Ægypti, regem Africæ, & regem Æthiopiæ, ex verbis Danielis quæ statim elucidabimus, vnde suam traditionem iidem Patres acceperunt, tam perspicuum est, vt in controuersiam venire non possit. Quocirca sanctus Hieronymus palam professus est, hanc esse omnium Ecclesiasticorum Scriptorum sententiam : cuius verba hîc repeto : *Ergo dicamus, quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt : In consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter se diuidant, & vndecimum esse regem paruulum,* (Antichristum) *qui tres reges de decem regibus superaturus sit : id est, Aegyptiorum regem, & Africæ, & Aethiopiæ : sicut in sequentibus manifestius dicemus. Quibus interfectis, etiam septem alij reges victori* (Antichristo) *colla submittent.* Quid ergo aduersus tantum consensum Patrum pertendi poterit ? Quocirca prudenter Engelbertus Abbas Admontensis libro de ortu, & fine Romani Imperij, cap. 24. De hac re in hunc modum disserit : *Quoniam igitur certior, & cautior est via in talibus tractandis, & indagandis Sanctos, & Expositores originales sequi, nec aliud quidquam dicere, aut sentire, vel etiam diuinare: verba Hieronymi de hoc ponamus, super sextam visionem Danielis, qui exponens mysterium Bestiæ quartæ, ita dicit : Dicamus ergo, quòd omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi,* (*quando destruendum est regnum Romanorum*) *decem reges futuros esse, qui orbem Romanum inter se diuidant, & vndecimum surrecturum regem paruulum, id est, Antichristum, qui tres reges primo de ipsis decem regibus superabit, id est, Regem Aegypti, & Africæ, & Aethiopiæ : quibus ab eo interfectis, etiam alij septem reges victori Antichristo colla submittent. Cùm igitur de prædictis decem regibus,* (*qui signantur in Daniele per decem cornua Bestiæ quartæ*) *soli tres reges per nomina suorum regnorum ab expositoribus sint expressi, videlicet rex Aegypti, & Africæ, & Aethiopiæ: qui secundùm situm Terræ-Sanctæ,* (*vbi erit sedes regni, & dominatio Antichristi*) *sunt eidem Terræ Sanctæ ad meridiem collaterales : restat, vt alios septem reges ad septem partes reliquas Imperij totius Romani, post diuisionem, & discessionem regnorum, siue Principatuum ab ipso Imperio referamus: siue in Oriente, siue in Occidente, aut Aquilone fuerint illæ partes, olim ad corpus Romani Imperij pertinentes. Quare autem illi tres reges sint per nomina regnorum suorum expressi, & non itidem alij septem : id in Scriptura aliqua authentica nondum hactenus legi : nisi per quandam consequentiam dici possit, quòd ideò isti tres reges nominatim per Expositores sunt expressi, quia illa regna viciniora sunt Terræ Sanctæ, vbi dominabitur Antichristus : sicut etiam Hieronymus super Danielem ibidem hoc addit, quòd de manibus Antichristi saluabuntur hæ solæ tres terræ, quæ sunt etiam ad Orientem vicinæ Terræ Sanctæ, videlicet, desertæ Idumææ, & Moab, & Arabia. Sancti enim Antichristo resistentes ad deserta confugient supra dicta, vt electorum reliquiæ saluæ fiant.* Hæc Engelbertus. Scimus quidem Lactantium Firmianum lib. 7. cap. 16. scripsisse, tres illos reges quos Antichristus tollet, regnaturos in Asia : sed id neque Patrum receptæ traditioni, neque apertissimis Danielis verbis, quæ iam proferemus præiudicare vllo modo poterit : nisi dicere velimus, Lactantium Asiæ nomine prouincias vltra Mediterraneum mare comprehendisse. Certè lapsus hîc in Lactantio excusandus, quòd sacrarum Litterarum non magnam peritiam nactus fuerit.

Sed nimium obtusæ mentis extiterit, qui eiusmodi præclarum Patrum consensum de tribus regibus nempè Ægypti, Libyæ, atque Æthiopiæ bello superandis, & interficiendis ab Antichristo, non videat ex verbis istis Danielis 11. 40. desumptum : *Et in tempore præfinito præliabitur aduersus eum rex Austri : & quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis in curribus, & in equitibus, & in classe magna : & ingredietur terras, & conteret, & pertransiet.* Et vers. 42. *Et mittet manum suam in terras : & terra Aegypti non effugiet.* 43. *Et dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Aegypti. Per Libyam quoque & Aethiopiam transibit.* Porphyrius hoc vaticinium de Antiocho Epiphane interpretatus est : quam interpretationem S. Hieronymus, Theodoretus, Polychronius, Anselmus Laudunensis, Hugo, Veldius, Maldonatus, prosecuti sunt. At vtcumque hæc Antiocho conueniant, præcipuo tamen & prophetico sensu de Antichristo fuisse prophetata, concors est, & veterum & recentiorum consensio, S. Hieronymi, Theodoreti, Strabi, Anselmi Laudunensis, Lyrani, Vatabli, Isidori Clarij, Pinti, Pererij, Maldonati. S. Hieronymus : *Nostri autem ad Antichristum & ista referentes, dicunt, quòd primum pugnaturus sit contra regem Austri, id est, Aegypti, & posteà Libyas & Aethiopias superaturus,* (*quæ de decem cornibus tria contrita cornua supra legimus*) *& quia venturus sit in terram Israël, & multæ ei, vel vrbes, vel prouinciæ daturæ sint manus.* Theodoretus : *Sæpè diximus, quartæ Bestiæ decem cornua, quæ eodem tempore apparuerunt, decem reges illos significare, qui circiter finem Romani Impery regnabunt. Ex his itaque rursus Austri rex cum ipso* (Antichristo) *dimicabit, qui Aquilonis rex vocatur.* Eadem omnes alij.

Et in tempore præfinito.

Hebræa ad verbum : *Et in tempore finis*, qua phrasi totidem verbis vtitur Daniel eodem cap. 11. 35. & cap. 8. 17. Hic verò Vatablus, Leo Iudas, Sanctes, & alij exponunt, *Tandem autem*, vel *Ad extremum.* Sed eruditius multo Noster קֵץ KETZ, id est, finem, accepit pro præcisione, determinatione, præfinitione, intellexítque in tempore præfinitionis, seu præfinito. Quod & Vatablus secutus est in Annotationibus Sanctandreanis. Fortè sit mysterium, *in tempore finis* : nimirùm quum veniet finis rerum humanarum, in tempore finis mundi, propè finem sæculi : vt innuat ipsa Antichristi tempora. LXX. *Et in temporis fine.* Theodoretus rectè interpretatur, Circa finem Romani Imperij, quando dissectum erit in decem

decem reges. Forsterus,& Schindlerus: *Et in tempore finali*: id est, extremo mundi tempore.

Præliabitur aduersus eum.

LXX. apud Theodoretum: *Confliget cum eo.* In Romana Editione; & in Complutensi, & Regia: *Confliget*, seu *Cornucertabit cum rege Austri.* Sanctes, *Cornupetet cum eo.* Forsterus, *Feriet cum eo.* Vatablus, *Cornupetet illum. Cornuferiet illum, id est, congredietur cum eo.* Leo Iudas, *cum eo congredietur.* Auenarius, *Cornibus petet cum eo.* Marinus, *Cornupetet (pugnabit) cum eo.* Schindlerus, *Feriet (præliabitur) cum eo.* Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *Confliget cum eo.* Verbum ITHNAGACH in formula Hithpael, tantùm hoc loco in Scriptura occurrit: quæ formula significare solet actionem in seipsum. Ex verbo reddes: *Seipsum cornupetere faciet in eo:* vel *Se impellet, vt impetu cornu feriat in eo.* Notant Grammatici peculiare id esse Coniugationi Hithpael, vt vehementiam, multiplicitatem, & vrgens quidpiam, seu intensionem, aut frequentiam actionis significet. Verùm existimo mysteria Hebraïcarum Coniugationum, quando idem verbum variè inflexum, peculiarem significandi modum auget, & immutat, quæ tamen vt remur, maxima sunt, & Nostris, & Hebræis maiori ex parte occulta, & ignorata esse. Culpa conferenda videtur in sanctæ Linguæ neglectum, desuetudinem, obliuionem, quæ homines tot sæculis tam malè habuerunt. Gratulandum nostræ, & superiori ætati in quibus Hebraica studia reuiruere, & acri iudicio cœpere perpoliri. Nos quoad fieri poterit, intentè vim coniugationum obseruare satagemus.

Existimamus ergo vocem ITHNAGACH hîc propriè denotare ingentem metum, ac trepidationem, præcipitémque, & acceleratum impetum: vel potiùs ingentes animos, efferuescentes iras, robúrque concitatissimum, ac pugnæ validam determinationem, qua extremos quosque casus, & supremam belli aleam experiri, ac de summa rerum vniuersis viribus periclitari, ac decernere statuet, aut certè certissimam victoriæ fiduciam. Hispanicè vtcúmque expressérimus, *Topetársea, acorneársea, chocarà.* Videtur autem in hisce Danielis verbis describi pulchra metaphora duorum ferocissimorum taurorum atrox, & cruenta pugna, vt apud Virgilium 12. Æneidos:

Ac velut ingenti Sila, summóque Taburno
Quum duo conuersis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pauidi cessêre magistri:
Stat pecus omne metu mutũ, mussántque iuuenca,
Quis pecori imperitet, quẽ tota armenta sequãtur.
Illi inter sese multa vi vulnera miscent:
Cornuáque obnixi infigunt, & sanguine largo
Colla, armósq; lauãt: gemitu nemus omne remugit.
Haud aliter Tros Æneas, & Daunius heros
Concurrunt clypeis.—

Et 3. Georgicorum:

—Et sapè superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantes.
Illi alternantes multa vi prælia miscent
Vulneribus crebris, lauit alter corpora sanguis,
Versáque in obnixos vrgentur cornua, vasto
Cum gemitu roboãt siluæq;, & magnus Olympus.

Nec secus Ægypti rex cum Antichristo bellum inibit. Forsan etiam reciprocus Hithpael significatus indicet omnes huius regis austri conatus, & apparatus in ipsum casuros, & in exitium eius vertendos. Forsitan quoque Daniel vsus est vocabulo, & allegoria cornupetendi, vt alluderet ad Cornu illud paruulum, nempè Antichristum, quod ortum de medio decem cornuum quartæ bestiæ tria de decem cornibus, id est, regibus, & in his Regem Ægypti, euulsit, & contriuit, cap. 7. vers. 7. 8. 20. 24. vti latiùs lib. 5. cap. 24. explicauimus. Atque id quidem apertè obseruauit Theodoretus hîc iis verbis, quæ superiùs posuimus.

Rex Austri.

Seu *Meridiei*, נֶגֶב NEGHEB, meridiem propriè significat. Sanctus Hieronymus, Theodoretus, Strabus, Anselmus Laudunensis, Lyranus, & omnes alij posteriores interpretes regem austri, seu meridiei intelligunt regem Ægypti, nimirùm quod Ægyptus in situ, & positione mundi, ad austrum, seu meridiem iaceat: aduersus autem Ægypti regem primum erit Antichristo bellum. Et si coniecturis locus est, regem austri non solùm Ægypti, sed & Marmaricæ & Nubiæ, & vicinarum regionum acceperim. Siquidem NEGHEB per metalepsim vsurpatur interdum pro terra torrida, arida, sicca, squalenti, deserta, sterili propter nimios solis æstus, qualis est terra versus meridiem, quæ caret aquis. Ægyptus sanè irrigua est, & fertilis, sed pluuiis caret: vbi-*Nec pluuio supplicat herba Ioui.* Marmarica verò & Nubia arentes, & torridæ.

Et quasi tempestas veniet contra illum.

LXX. *Et congregabitur contra eum:* vel *super eum.* Sanctes, *Et instar turbinis veniet contra eum.* Forsterus, & Mercerus, *& tempestuosè feretur super eum.* Vatablus, *Et turbinabit contra illum, id est, tanquam tempestas irruet in eum.* Marinus, *Et instar turbinis se commouebit super (contra) eum.* Auenarius, *Et horribiliter se geret contra eum.* Leo Iudas, *seu turbo in eum inuehetur.* Tremellius, & Iunius, *Irruétque vt turbo in illum.* Montanus, *Et turbinabit super eum.* Buxtorfius, *Et instar turbinis feretur, vt turbo irruet.* Verbum טער SAAR Noster variè reddere solet, Psalm. 57. 10. *Absorbere.* Isaïæ 54. 11. *Tempestate conuelli.* Ionæ 1. 11. *Intumescere.* Osææ 13. 3. *Turbine rapi.* 4. Regum 6. 11. *Conturbari.* Zachariæ 7. 14. *Dissperdere*, Quæ omnia significata in hunc locum rectè conferri possunt. Verbum id propriè ductum est à turbine, & horrore, seu horripilatione, vt sit irruere, seu turbo cum vasto ingentíque horrore, seu deturbare, & deiicere quasi tempestas horribiliter, vel instar turbinis, & horribilis procellæ. Hîc positum est in inflexione Hithpael, nec alibi in ea forma legitur in Scriptura: mutátque Samech, in Scin semol ישתער ISTAHER: quod vtrumque indicat vehementiam, & horribilem prorsus, & immanem vim, ac tempestatem Antichristi, seu vasti turbinis irruentis in regem Ægypti, eúmque proterentis, & deturbantis, vt annotauit Marinus.

Rex Aquilonis.

Vel Septentrionis. Hunc Aquilonis regem sanctus Hieronymus, Theodoretus, Strabus, Anselmus Laudunensis, Lyranus, Vatablus, Clarius, Pintus, Pererius, & omnes Ecclesiastici Scriptores, teste sancto Hieronymo, Antichristum interpretantur. Sed cur eum Aquilonis regem appellat Daniel? Ratio est in promptu, quia in Babylonia regnare incipiet, & à Babylonia contra tres illos potentissimos reges primùm mouebit: Babyloniam autem, & Chaldæam con-

fueuisse in sactis Libris terram Aquilonis vocari, res est notior, quàm vt prolixiori indigeat obseruatione, è Ieremiæ 1. 14. 15. cap. 10. 22. Ezechiel. 26. 7. & aliis locis. Et verò Ierusalem, cuius respectu situs locorum solent auctores sacri describere, eminet supra Æquatorem triginta & vno gradibus cum quadraginta minutis, vt annotat Ptolemæus lib. 5. cap. 16. Babylon autem triginta quinque gradibus eleuatur, vt idem Ptolemæus scribit lib. 5. cap. 20. Quatuor igitur fermè gradus vergit magis in Aquilonem Babylon, quàm Ierusalem.

Et si mysterium velimus aucupari, Antichristum Aquilonis regem dictum possumus accipere, quòd Aquilo, hoc est, TZAPHON, Hebræis ab absconsione nomen habeat, nimirùm quia est plaga impenetrabilis, occulta, remota ab habitatione hominum, vulgi opinione: vel quod sit regio abscondita, & separata à cursu, & calore solis, quò sol non plenè accedit, & aër ibi in modum crepusculi sit caliginosus: aut quod in terra Iudææ habitantibus absconditа, & recondita sit, sicut nobis septentrionalibus plaga meridionalis abscondita, & ignota est. Videant Sanctem, Forsterum, Mercerum, Marinum, Auenarium. Buxtorfium in Lexicis, Forerium in 14. Isaïæ, ad versic. 15. & in cap. 49. ad versic. 12. Sic Antichristum regem TZAPHON, Aquilonis, seu Absconsionis, vel absconditum appositè Daniel nuncupasse videtur, quia de repentè in mundum prodibit tanquam ex orco ignotus anteà, & absconditus, seu quidam terræ filius ex obscurissimis initiis.

Nec fuerit alienum illud Ioëlis 2. 20. *Et eum qui est ab Aquilone, procul faciam à vobis:* Mystico saltem sensu ad Antichristum attrahere. Nam nomen TSEPHONI quod ibi ponitur, propriè significat Aquilonarem, seu Septentrionalem, vel eum qui est ab Aquilone. Hunc autem Aquilonarem quidam interpretantur agmen, seu exercitum locustarum à Septentrione erumpentem. Ita Aben-Ezra, Scelomoh, Kimchi, sanctus Hieronymus, sanctus Cyrillus, Strabus, Lyranus, Sanctes, Vatablus, Mercerus, Marinus, Schindlerus, Figuerius. Alij exercitum Chaldæorum, seu Assyriorum, vt Chaldæus Paraphrastes, sanctus Hieronymus, Strabus, Anselmus Laudunensis, Rabbi Scelomoh, Isidorus Clarius, Montanus, Castrus, Figuerius. Nonnulli Sennacheribum, vt Theodoretus, Remigius, Albertus, Hugo, Richelius, Palatius. Quidam, exercitum Assyriorum duce Holoferne, vt Ribera, & Sà. At sanctus Cyrillus, & Rupertus, Satanam, seu diabolum. Sed cur typicè innui non possit Antichristus?

Ceterùm Rab. Scelomoh in hunc locum annotat: *Et Doctores nostri exponunt: Et IETZER HARAHAH, hoc est, figmentum, fomitem malum, seu cogitationem, aut imaginationem malam, id est, concupiscentiam, quæ est occulta in corde hominis, &c.* Itaque veteres Hebræi hîc Aquilonarem intellexere peccatum originarium, seu eius effectum Concupiscentiam, seu Fomitem peccati, quam quoque explanationem secutus est latè Arias Montanus. Vetustissimi Hebræorum septem nominibus Originale peccatum, seu Peccati fomitem, hoc est, innatam concupiscentiam soliti sunt appellare, vt annotant Rabbi Scelomoh in 2. Ioëlis, & Rabi Meir Gen Gaboi Libro Habodad hakodes id est, de sacro Cultu, parte 2. cap. 31. cuius hæc sunt verba: *Sanctes ille, Benedictus ille* (Deus,) *vocat illud MALVM, quum ait Genes. 6. 5. Quia figmentum cordis hominis malum ab adolescentia sua. Moses verò vocat illud PRÆPVTIVM, dicens Deuteronomij 10. 16. Et circumcidetis præputium cordis vestri. Dauid vocat illud IMMVNDVM, illis verbis Psalm. 50. 12. Cor mundum crea mihi Elohim. Constat ergo immundum à Propheta appellari. Scelomoh vocat INIMICVM, HOSTEM, siue OSOREM, quum dicit Prouerb. 25. 21. Si esuriendo esurierit inimicus tuus, ciba illum pane, si sitierit, pota eum aqua: quoniam carbones tu accipiens super caput eius: & Iehoueh Iesalem, reddet tibi. Ne explices Iesalem, id est, reddet: sed Iastimenu, id est, pacatum eum reddet, vel pacificabit eum tibi. Isaïas vocat eum SCANDALVM, seu OFFENDICVLVM, quum ait cap. 57. 14. Sternite, sternite, complanate viam, eleuate offendiculum de via populi mei. Ezechiel vocat ipsum LAPIDEM, PETRAM, quia dictum est cap. 36. 26. Et discedere faciam cor lapidis de carne vestra. Ioël vocat ipsum AQVILONAREM, vel ABSCONDITVM, quia dictum est, cap. 2. 20. Et Aquilonarem elongare faciam desuper vobis.* Vide de his Galatinum lib. 6. Arcanorum Catholicæ Veritatis, cap. 5. Bartholomæum Valuerdium Gandiam Præfatione ad Librum de Purgatorio ex Sententiis Hebræorum, Genebrardum in Psalm. 50. ad versic. 7. Atqui sanè ea ratione possit Antichristus nomine Aquilonaris aptè significari, cùm rectè is audiat, Fomes peccati, irritamentum omnium malorum, quo etiam pacto Antiochus Epiphanes Antichristi personatus histrio *Radix peccatrix* appellatur 1. Machabæorum 1. versic. 11. Cùm & reliqua Fomitis peccati nomina, quæ modò recensebamus appositè Antichristo adaptentur.

Quin & Antichristum verè Aquilonarem dixerimus, siue Aquilonis regem, propter animum gelidissimum, crudissimum, rigidissimum, turbinibus, & procellis cuncta proterentem, ac deturbantem: seu quòd astutia, consiliis, moribus occultus, & obtectus erit: vt ne Tiberij quidem reconditus ille, & abstrusus animus cum Antichristi conferri valeat.

Quæ sequuntur in Daniele: *In curribus, & equitibus, & in classe magna: & ingredietur terras, & conteret, & pertransiet.* Ostendunt ingentem belli apparatum terra, marique quo Antichristus Ægyptum inuadet, & occupabit. Sed ad verbum reddamus Hebræa: *in curru, & in equitibus, & in nauibus multis; & veniet in terras, & inundabit, (impetu submerget, diluuio opprimet,) & transibit.* LXX. in Romana Editione: *In curribus, & nauibus multis: & ingredietur in terram. Et conteret, & transibit.* Apud Theodoretum verò: *In curribus, & in equitibus, & in nauibus multis: & ingredietur in terram in inundationibus, & conteret, & pertransibit.* Sed rectè annotauit Flaminius, illud, *In inundationibus,* alteram esse interpretationem, pro verbo, *conteret.* Porrò verbum *inundabit*, tametsi apertè indicet vim magnam copiarum Antichristi, quibus tanquam diluuio obruet Ægyptum. Qua phrasi vsus est etiam Daniel hoc eodem cap. 11. versic. 22. vti superiùs cap. 11. explicabamus: nihilominus forsan

forsan innuat, Antichristum deruptis fossis, & æstuariis Nili tunc inundaturum Ægyptum quæ in prono iacet. Illud verò *Et pertranſiet*: summam celeritatem, & facilitatem qua Antichristus Ægyptum instar turbinis proteret, demonstrat: ac si dicat: Nihil victoriatum eius cursum, aut successus remorabitur. Vatablus: *Omnia nullo impedimento vastabit.* Vel, Pertranſiet ad alias prouincias inuadendas. Vatablus exponit aliter: *Vel transibit, id est, se recipiet depopulatis terris.* Perperam: nam Antichristus vastata Ægypto non se recipiet, sed Lybiam & Æthiopiam aggredietur, vt mox in vaticinio Danielis dicitur, quod iam explicatum imus.

Perducitur explanatio eorumdem vaticiniorum Danielis.

CAP. XVI.

VErs. 42. *Et mittet manum suam in terras, & terra Ægypti non effugiet.* 43. *Et dominabitur thesaurum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti. Per Libyam quoque, & Æthiopiam transibit.* Veldius, & Maldonatus secuti Porphyrium totum hoc oraculum de Antiocho Epiphane interpretantur. Sed satius fuisset Patrum communi expositioni inhærere. Sanctus Hieronymus: *Hæc Antiochum ex parte fecisse legimus. Sed quod sequitur, Per Libyas & Æthiopes transibit, magis nostri asserunt Antichristo conuenire: Antiochus enim Libyam, quam plerique Africam intelligunt, Æthiopiámque non tenuit, nisi forte, quia in ipso climate sunt prouinciæ Ægypti, & longè per deserta vicina, captis Ægyptiis, etiam istæ prouinciæ conturbatæ sint. Vnde non dicit quòd ceperit eas: sed per Libyas, Æthiopásque transierit.* Eadem Strabus.

Sed & Theodoretus ait: *Et hæc item minimè conueniunt Antiocho, qui neque Libya, neque Aethiopia, neque etiam ipsa Aegypto potitus est: iussus enim à Romanis, reuersus est inde. Vt hinc tria illa cornua significentur, quæ à paruo cornu euersa sunt: neque tres nationes maximas Aegyptum, Aethiopiam, & Libyam, quæ à tribus, vt verisimile est regibus obtineantur, iste destruet, & in suam rediget potestatem.* Nempe Antichristus. Nihil verius, aut prudentius dici potuit. Anselmus Laudunensis: *Hoc verius Antichristo congruit. Hæc sunt tria cornua, quæ à facie Antichristi tollentur, Rex Aegypti, rex Libyæ, rex Aethiopiæ.* Eodem modo de Antichristo interpretantur Lyranus, Clarius, Vatablus, Pererius: nec vllus sanè eruditus & pius ambiget, locum de Antichristo intelligendum.

Et mittet manum suam in terras.

LXX. *Et extendet manum suam super terram.* In Theodoreto additur, Ægypti. *Super terram Ægypti.* Fortè explicationis gratia. Mittere, vel extendere, aut iniicere manum, aliquando in bonum, aliquando in malum in Scriptura vsurpatur. In bonum, Prouerbiorum 31. 19. *Manum suam misit ad fortia.* In malum, Iob 2. 5. *Aliquin mitte manum tuam, & tange os eius, &c.* Vniuersim autem immissio, seu extensio manus notat habitum strenuum & promptum, siue ad succurrendum, siue ad nocendum. Hispanicè, *Meter la mano.* Primò, Manus Hebraïca phrasi, pro imperio, potestate, ditione, Psalm. 94. 5. *Quia in manu eius sunt fines terræ.* Iob 12. 10. *In cuius manu anima omnis viuentis.* Sic hoc loco: *Mittet manum suam in terras:* id est, reducet in potestatem suam, & ditionem, suo subiugabit Imperio terras. Vatablus: *Id est, iniiciet manus in regiones, vel inuadet regiones aliquot.* Leo Iudas: *Iniiciet quoque manus regionibus aliquot:* seu capiet regiones. Secundò, manus, pro percussione, plaga, clade, strage, Exodi 14. 31. *Et viderunt Ægyptios mortuos, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos.* Iob 30. 24. *Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam.* Vnde non alienè hîc interprecabimur, *Mittet manum suam in terras:* id est, magnis cladibus Antichristus terras affliget. Vide Phrases Villauicentij, & Sà, in voce *Manus.*

Et terra Ægypti non effugiet.

Ægyptus Hebraïcè semper in Scriptura dicitur MITZRAIM, omnium consensu Interpretum, proculdubio à Mitzraim filio Cham, Genes. 10. Iosephus 1. Antiquitatum, cap. 7. *Mesræis etiam sua mansit appellatio. Ægyptum enim Mesren, & Mesræos Ægyptios vocamus quotquot eam regionem incolunt.* Eusebius lib. 1. Chronici: *Metsre, vnde Ægyptij.* Sanctus Epiphanius sub initium Panarij: *Sic Misacem* (pro Mesrem) *suscipit Ægypti sortem.* Sanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraïcis Genes. 10. *Mesraim, Ægyptus.* Et de Nominibus Hebraïcis Genesis: *Sed sciendum quòd Mesraim Ægyptus appellatur.* Sanctus Isidorus lib. 9. Originum, cap. 2. *Mesraim, à quo Aegyptij perhibentur exorti.* Et inferiùs: *Multarum gentium vocabula partim manserunt, ita vt hodieque appareat vnde fuerant deriuata, sicut ex Assur Assyrij, ex Heber Hebræi: partim verò temporis vetustate ita mutata sunt, vt vix homines doctissimi antiquissimas historias perscrutantes, nec omnium, sed aliquarum ex istis origines gentium potuerint reperire. Nam quod ex filio Cham, qui vocabatur Mesraim, Aegyptij sunt exorti, nulla hoc resonat origo vocabuli.* Zonaras tom. 1. Annalium: *Mesrem, Mesræorum* (*sic Aegyptij vocantur, & terra Aegypti Mesren*) *conditor extitit.* Constantinus Manasses in Annalibus: *Mesremus quidem secundo genitus filius Chami, Noë filij, habitabilem fecit Aegypti terram, à quo Aegyptum appellatam esse tradunt. Nam Mesrem Hebraicè sonat Aegyptum.*

Suidas: *Mesrem Chami filius, à quo etiam Ægyptus Mesrem, quæ nunc Meser dicitur.* Cedrenus in Annalibus: *Ægyptus à Mestrem culta, & regnata, ad hæc vsque tempora ab Hebræis, Syris, & Arabibus Mestræa nominatur.* Equidem Ioannes Leo in Descriptione Africæ, lib. 8. disertè affirmat, ipsam Ægyptum *Mesrem*, incolas *Chibth*, tam Arabum, quàm sua lingua adhuc hodie dici, vt etiam annotarunt, Bodinus in Methodo Historica, cap. 9. Reineccius in Regno Ægyptiorum, pag. 246. Montanus in Phaleg, & in Isaïæ 19. vers. 6. Delrius & Cornelius à Lapide in 10. Genes. ad vers. 6. Torniellus anno mundi, 1931. num. 31. Fungerus in Etymologico. Beniamin Tudelensis in Itinerario, pag. 100. *Inde in Misraim quatuor itinera conficiuntur, vrbem magnam iuxta Niliripas sitam, ex qua toti regioni nomen est factum, in qua Iudæi bis mille sunt.* Et pag. 104. meminit alterius veteris Misraim à prædicta duabus leucis distantis.

De

De etymo S. Hieronymus de Nominibus Hebraïcis Geneſis : *Meſraim, hoſtes eorum, ſiue menſura.* Forſan, *preſſura.* Sanctus Iſidorus 9. Originum, cap. 2. *Ægyptij lingua Hebraïca interpretantur affligentes, eo quod afflixerint Dei populum, priuſquam diuino auxilio liberaretur.* Sanctes in Interpretatione Hebraïcorum Nominum : *Meſraim, ſcribe, Miſraim, id eſt, angustiæ, aut duæ angustiæ, habet enim formam dualis, & poteſt deduci à* מצר *Matzar, quaſi Meſarim, aut Meſaraim. Threnorum* 1. *Omnes perſecutores eius apprehenderunt eam inter Meſaraim, id eſt, angustias.* Bodinus in Methodo hiſtorica, cap. 9. *Miſrim, anguſti : male Philippus Melachthon rebellem interpretatur: ſic Ægyptij dicuntur, & his quoque temporibus veterem retinent appellationem.* Conſtat has omnes notiones ductas à verbo צור TZVR, à quo non dubitamus ductum nomen MITZRAIM, indictúmque Prouinciæ, ſeu regioni Ægypti à Mitzraim filio Cham, vti prædiximus, ſed etymon ſumptum in forma duali, à munitionibus, & aggeribus Ægypti quas ab vtraque ripa Nili inſignes habet. Et eſt quam maximè veroſimile, Ægyptum in Scriptura interdum vocari MATZOR, id eſt, Munitionem, aggerem, propugnaculum, nimirùm per paronomaſiam vocis MITZRAIM, ab eadem radice TZVR, quòd aggeres, arces, munitiones, vrbes quamplurimas ad aquas habuerit munitiſſimas, vti Kimchius, Sanctes, Forſterus, Mercerus, Bertramus, Auenarius, Marinus, Schindlerus in Lexicis, Vatablus, Forerius, Montanus in Iſaïæ 19. ad verſ. 6. Fungerus in Etymologico, annotarunt : ſic capiunt illud 4. Regum, 19. 24. *Et ſiccaui veſtigiis pedum meorum omnes aquas MATZOR, Aggeris, munitionis, Ægypti.* Noſter, *clauſas.* Iſaïæ 19. 6. *Siccabuntur riui MATZOR, aggeris, Aegypti :* cap. 37. 25. *Et exiccaui veſtigio pedis mei omnes riuos MATZOR, aggeris,* ſeu *Aegypti.* Quod Annius ad 2. librum Beroſi, Reineccius, Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 52. & alij putant, Mizraim eſſe Oſirim, voce congruente, vanum eſt.

Ceterùm eidem regioni factum nomen Ægypti à rege quodam Ægypto, qui in eadem regnauit, Manethon in fragmentis quæ extant, ſanctus Theophilus Alexandrinus lib. 3. ad Autolycum, Euſebius in Chronico, numero DXXXIV. S. Iſidorus 9. Originum, cap. 2. & alij produnt. Vide de his Reineccium Hiſtoriæ Heroïcæ part. 1. in Regno Ægyptiorum, & Scaligerum in Euſebianis, pag. 33. De variis Ægypti appellationibus, plura Ortelius in Theſauro, Reineccius, Scaliger, Fungerus, locis nuper citatis. De Ægyptiorum antiquitate multa Herodotus, lib. 2. Plato in Timæo, Diodorus Siculus lib. 1. Pomponius Mela lib. 1. c. 9. Iuſtinus lib. 2. Diogenes Laërtius ſub initium Proœmij de Vitis Philoſophorum, & ex recentioribus Pererius lib. 15. in Geneſim, diſp. 2. Reineccius loco modò citato, Scaliger lib. 3. Iſagogicorum Canonum, pag. 309. 310. Neque enim huius eſt inſtituti longiùs iſta perſequi.

Non effugiet. Ex verbo: *non erit in euaſionem*, vel *euaſioni :* ſeu *ſaluationi, libertationi.* LXX. *non erit in ſalutem :* non euadet, non ſaluabitur.

Et dominabitur Theſaurorum auri & argenti:

Ad verbum : *& dominabitur in abſconditis,* (*reconditis,*) *vel paratis, auri & argenti :* qua etiam ratione habent LXX. Poſſit indicare, & theſauros reconditos, & repoſitis à multis annis : & auri, argentíque fodinas Ægypti, vnde radiantia metalla è latebris eruuntur : nam iis abundare Ægyptum, Agatharchides Gnidius lib. 5. de Mari Rubro, cap. 10. & 11. in Excerptis Photianæ Bibliothecæ, & Diodorus Siculus lib. 3. num. 105. auctores ſunt. Auenarius, *Et dominabitur in collectiones auri & argenti.* Putátque vocem Hebræam MICMANIM propriè ſignificare collectiones theſaurorum labore partorum : vnde Græcis κάμνω, laboro, fatiſco.

Et in omnibus pretioſis Ægypti.

LXX. *Et in omnibus deſiderabilibus Aegypti.* Ita quoque recentiores, Auenarius, Marinus, Montanus, Buxtorfius. At Sanctes : *Et in omnibus concupiſcibilibus Aegypti.* Leo Iudas, *Et in omnibus rebus pretioſis Aegypti.* Forſterus, *Et in omnibus expetibilibus*, vel *expetitionibus Aegypti*, ſeu *& cunctis deſiderabilioribus Aegypti.* Tremellius & Iunius : *Et in omnia deſideratiſſima Aegypti.* Vatablus, *Et in omnibus deſideriis Aegypti :* id eſt, In omnibus rebus ingentis pretij, CHAMVDOTH, nedum participium paſſiuum, id eſt, deſiderabilia, ſed & abſtractum, id eſt, deſideria, eſſe poſſe, ex S. Hieronymo annotant Vatablus, Mercerus, Auenarius. Obſeruauit Forerius in Iſaïæ 1. ad verſ. 29. verbum CHAMAD vbique eſſe emphaticum. Atqui Forſterus, Mercerus, Auenarius, & alij aiunt propriè eſſe, appetiuit, expetiuit, deſiderauit ex animo, cupiuit, concupiuit feruenti animo, incaluit deſiderio, vehementer, ſeu ardenter cupiuit ea quæ iucunda, grata, voluptuoſa, vtilia, pretioſa ſunt. Hîc abſtractum, *Et in omnibus deſideriis Aegypti.* Maiorem emphaſim habet, quaſi dicat, rediget in poteſtatem omnia pretioſiſſima Ægypti, quæcumque præ ſui pulchritudine, decore, pretio quàm maximè oculos omnium, atque animos capere poterunt, ſecum auertet. Ægypti diuitias & opulentiam Scriptores celebrant, propter nobile Alexandriæ emporium, ad quam vrbem frequentes ex toto orbe nationes confluebant. Dio Chryſoſtomus oratione 32. de Alexandria : *Video enim ego non ſolùm Græcos apud vos, neque Italos, neque à propinquis regionibus, Syria, Libya, Cilicia, neque qui ſupra illos Aethiopes habitant, neque Arabes, ſed etiam Bactrianos, Scythas, & Perſas, & Indorum quoſdam, qui concurrunt, & ſemper apud vos verſantur.* Hadrianus Imperator epiſtola ad Seruianum Coſſ. apud Flauium Vopiſcum in Saturnino : *Ciuitas opulenta, diues, fœcunda, digna profectò quæ pro ſui magnitudine, totius Aegypti teneat principatum.* Ammianus lib. 22. cap. 40. *Alexandria enim vertex eſt omnium ciuitatum, quam multa nobilitant.* Herodianus lib. 7. loquens de Carthagine : *Siquidem vrbs illa, vel opibus, vel populi frequentia, vel magnitudine tantum Romæ concedens, cum Alexandri vrbe Aegyptiaca de ſecunda palma contendit.* Sed Ægypti, Alexandriæque opes fusè executus eſt Strabo lib. 17. Vide Guidonem Pancirolum in commentariis ad Notitiam Orientalis Imperij, cap. 17. Ægyptum accuratiſſimè deſcripſerunt Herodotus lib. 2. Diodorus Siculus lib. 1. Strabo lib. 17. Plinius lib. 5. cap. 9. & 10. Mela lib. 1. cap. 9. Solinus cap. 35. Ptolemæus lib. 4. Nec mirum Antichriſtum abacturum cunctos Ægypti theſauros, quod iam ante ipſum fecerunt Auguſtus Cæſar, vti refert Plutarchus in Antonio : itémque Selinus Turcarum Imperator, vti auctor eſt Iouius lib. 18. Hiſtoriarum.

Hanc primam, ex Prouinciis quæ quondam Imperij Romani fuere, Antichriſtus ſuo ſubiugabit Imperio. Nam Ægyptum in Prouinciam Romani

Romani Populi ſub Auguſto redactam. Strabo qui ſub Auguſto vixit lib. 17. *Nunc prouincia eſt, & tributa maxima pendit, ab hominibus modeſtis adminiſtratur.* Velleius lib. 2. cap. 39. *Diuus Auguſtus, præter Hiſpanias, aliaſque gentes, quarum titulis Forum eius præniteț, penè idem facta Ægypto ſtipendiaria, quantum pater eius Gallia, in ærarium reditus contulit.* Suetonius in Auguſto, cap. 18. *Ægyptum in prouinciæ formam redactam, vt feraciorem, habiliorémque annonæ vrbicæ redderet, foſſas omnes, in quas Nilus exæſtuat, oblimatas longa vetuſtate, militari opere deterſit.* Sextus Rufus in Breuiario Imperij, c. 13. *Ægyptus omnis ſub amicis regibus fuerat: ſed victa cum Antonio Cleopatra, prouinciæ formam Octauiani Cæſaris Auguſti temporibus accepit, & primus apud Alexandrinos Cornelius Gallus Romanus iudex adminiſtrauit.* Eutropius lib. 7. *Ægyptus per Octauianum Auguſtum Imperio Romano adiecta eſt: præpoſitúſque eſt Cn. Cornelius Gallus, hunc primum Ægypus Romanum iudicem habuit.* Aurelius Victor in Auguſto: *Regionem Ægypti inundatione Nili acceſſu difficilem, inuiámque paludibus, in prouinciæ formam redegit: quam vt annonæ Vrbis copioſam efficeret, foſſas, incuria vetuſtatis limo clauſas, labore militum patefecit.* Ammianus lib. 22. cap. 43. *Id autem notum eſt, vt Annales veteres monſtrant, quòd Ægyptus omnis ſub amicis erat antea regibus: ſed ſuperatis apud Actium bello nauali Antonio, & Cleopatra, prouinciæ nomen accepit, ab Octauiano Auguſto poſſeſſa.*

Qui ſint LVBIM *in Scriptura.*

CAP. XVII.

VBi Noſter hîc habet, Libyam, Hebraïcè eſt לובים LVBIM. Occurrit hæc vox quater tantùm in Scriptura, nempe 2. Paralipom. 12. 3. & cap. 16. 8. Nahum 3. 9. & hoc Danielis loco. Quibus locis LXX Vulgatus, & omnes Interpretes *Libyam*, vel *Libyes* reddunt. Nulla eſt ſanè ratio, cur non ſuſpicemur LVBIM, vocem eſſe contractam ex לחבים LEHABIM, atque vtrumque eiuſdem gentis eſſe vocabulum. LEHABIM autem Geneſ. 10. 13. refertur inter filios Mitzraim, id eſt, Ægypti conditoris: omnéſque intelligunt Libyæ regioni, ſeu Libyis populis voce conſentiente dediſſe nomen. Ioſephus 1. Antiquit. cap. 7. *Labimus, qui ſolus coloniis in Libyam deductis regionem à ſe denominauit.* Sanctus Hieronymus in Quæſtionibus in Geneſ. 10. *Labaim, à quo Libyes poſteà nominati ſunt.* Sanctus Iſidorus 9. Originum, cap. 2. *Labim, à quo Libyi.* Zonaras tom. 1. Annalium; *Libya à Liby filio Meſreni.* Eadem habent Strabus, Anſelmus Laudunenſis, Lyranus, Pellicanus, Iunius, Tremellius, Mercerus, Honcala, Oleaſtrius, Pererius, Delrius, Cornelius à Lapide in Geneſ. 10. ad verſic. 13. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, Montanus in libro Phaleg. Auenarius in Lexico Hebraico, Torniellus anno mundi 1931.

At illud notandum, in Scriptura quod Hebraïcè eſt פוט *Phut*, exponi plerúmque, præſertim à noſtro Vulgato, Libyam, vt Ieremiæ 46. 9. Ezechielis 27. 10. & cap. 30. 5. & cap. 38. 5. quibus etiam locis LXX. *Libyam* reddunt, & omnes ferè alij Interpretes. Fuit autem PHVT tertius filius Cham, filij Noë, frater Miſraim eius qui nomen Ægypto dedit, Geneſ. 10. 6. de quo Ioſephus lib. 1. Antiquit. cap. 7. *Quin & Libyæ colonos dedit Phutes, de ſuóque nomine Phutos dici voluit. Extat & flumen in Mauritania hoc nomine, & complures apud Græcos hiſtorici eius mentionem faciunt, ſicut adiacentis etiam regionis quæ Phute dicitur. Mutauit autem præſens nomen (* hoc eſt Phut in Libyam, *) ab vno filiorum Meſrai qui vocabatur Lybis. Cur autem Africa ſit dicta, paulò poſt docebimus.* Nempe docet id inferiùs cap. 16. Vbi agens de Ophra Abrahami nepote, cuius meminit Moſes Geneſ. 25. 4. hæc ſcribit: *Fertur etiam quòd hic Ophres cum exercitu profectus occupauit Libyam, quam poſteà nepotes eius tenuerunt, Aphricam ab ipſo denominatam. Atteſtatur huic opinioni, & Alexander Polyhiſtor ſic ſcribens: Cleodemus, inquit, Propheta cognomine Malchus, qui ad imitationem Moſis Legiſlatoris Iudæorum hiſtoriam contexuit, narrat Abrahamum è Chætura aliquot filios ſuſcepiſſe, tres nominatim recenſens, Aphram, Surim, Iaphram. A Suri appellatam Aſſyriam: ab Aphra verò & Iaphra vrbem Aphrem, & regionem Aphricam nominatas. Hos enim ductu Herculis in Libya militaſſe contra Antæum. Herculem etiam ex Aphra filia genuiſſe filium Dedorem, ex hoc Sophonem prognatum, a quo Sophaces barbari habent nomen.*

Sanctus Hieronymus Quæſtionibus Hebraïcis in Geneſ. ad cap. 10. *Phut Libya, à quo & Mauritaniæ fluuius vſque in præſens Phut dicitur, omniſque circa eum regio Phutenſis. Multi Scriptores tam Græci, quàm Latini huius rei teſtes ſunt. Quare autem in vna tantùm climatis parte antiquum Libyæ nomen reſederit, & reliqua terra vocata ſit Africa, diſſerere, non huius loci, nec temporis eſt.* Diſſerit tamen de ea re inferiùs ad cap. 25. in hunc modum: *Dicitur autem vnus ex poſteris Abrahæ, qui appellabatur Apher, duxiſſe aduerſus Libyam exercitum, & ibi, victis hoſtibus, conſediſſe: huius rei teſtis eſt Alexander, qui cognominatur Polyhiſtor, & Cleodemus cognomento Malcus, Græco ſermone barbaram hiſtoriam retexentes.*

Sanctus Iſidorus 9. Originum, cap. 2. *Phut à quo Libyi: vnde & Mauritaniæ fluuius vſque in præſens dicitur Phut, omniſque circa eum regio Phutenſis.* Eadem totidem verbis ſanctus Beda in 10. Geneſ. Idem S. Iſidorus eodem capite inferiùs: *Afri appellati ab vno ex poſteris Abrahæ, qui vocabatur Afer: qui dicitur duxiſſe aduerſus Libyam exercitum, & ibi victis hoſtibus conſediſſe: eiúſque poſteros ex nomine attaui, & Afros, & Africam nuncupaſſe.*

Zonaras tom. 1. Annalium: *Phut Libyam incoluit, regionis incolas Phutos nominauit, ipſámque regionem Phutam. Poſt appellatio eius in Libyam eſt mutata, à Libij filio Meſrami.* Atqui Phut eſſe Libyam, docent quoque Anſelmus Laudunenſis, Lyranus, Pellicanus, Tremellius, Iunius, Honcala, Oleaſtrius, Pererius, Sà, Delrius, Cornelius à Lapide in 10. Geneſ. Torniellus anno mundi 1931. num. 34. Gaſpar Varrerius in Ophirica regione, pag. 231. 232. Bernardus Aldrete de Hiſpaniæ antiquitatibus, lib. 3. cap. 7. Montanus in Phaleg, Forſterus, Marinus, Mercerus, Auenarius, Pomarius, Schindlerus in Lexicis. Quid illud eſt, quod ait Auenarius: *PHVT, filius Cham: hinc ea pars Africæ quam incoluit dicta eſt Pythia, quam D. Hieronymus vocat Libyam.* Vnde nomen Pythiæ Libyæ? Montanus: *Phut, Africa Mauritania, Ptolemæo.* Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 32. *Phut pater Mauritanorum, vnde fluuius Mauritaniæ Phut, & tota regio Phutenſis, vbi hodie regnum Feſſenſe.* Fut, vel Phut Mauritaniæ fluuius, de quo Ioſephus,

Iosephus, & S. Hieronymus, vti vidimus, agunt, meminere quoque Plinius lib. 5. cap. 1. & Ptolemæus lib. 4. cap. 1. vbi etsi Græcè scribatur Φοὺδ, at Φοὺθ esse legendum, ex Plinio dubium esse non potest: quod etiam annotarunt Gaspar Varrerius in Ophirica regione, & Bernardus Aldrete de Antiquitatibus Hispaniæ, lib. 3. cap. 7. Et Varrerius quidem inquit: *Quod flumen Phut, nunc corrupto nomine Fez, & regio Phuti, etiam regnum Fez hodie nuncupari, nemini dubium est.*

Corruptus procul dubio locus lib. 1. Chronici Eusebiani, editionis Scaligerianæ, vbi scribitur: *PHVT PHVT, vnde Æthiops gens.* Æquè falsum quod apud S. Epiphanium legitur initio Panarij: *Pfus* (pro Phut) *Æxiomiticas partes suscepit.* Pro, *Axumiticas* Chronicum Priscum sub Alexandro Seuero, lib. 1. cap. 5. *Phuth, de quo Troglodytæ.*

Isaiæ 66. 19. Hebraicè scribitur פוּל Phul, quod noster Interpres dixit *Africam.* Nimirùm, vt *Phul*, sit idem quod *Phuth*, vel corruptè pro פוּט Phut, positum sit פוּל Phul. Sanctus Hieronymus: *Phut autem, siue Phul, Libyes, omnisque Africa vsque ad mare Mauritaniæ, in qua fluuius hodie qui Phut dicitur, & cuncta circum eum regio Phutensis appellatur.* Victor Palma in Notis ad Chronographiam Genebrardi, lib. 1. pag. 52. *Arbitror in regionem Phuth referri posse Phthios Homericos, qui filij etiam Auroræ dicebantur: & tamen Fessa hinc etiam deduci videtur, quia, o, Punicum auditur sono duplicis, ff, ex ratione Grammatica, quæ permutat literas inuicem, quæ sunt eiusdem instrumenti: at literæ aspiratæ, & sibilantes sunt eiusdem organi in pronuntiando.*

Ceterùm vidimus ex Iosepho, ac Zonara eam regionem quæ priùs PHVT dicta fuit, à PHVT filio Cham, posteà à LEHABIM nepote eiusdem Cham, Libyam fuisse nuncupatam. Quod etiam existimauit S. Hieronymus, quum ait: *Labaim à quo Libyes posteà nominati sunt, qui priùs Phutei vocabantur.* Sanctus Isidorus: *Labim, à quo Libyi, qui quondam Phutei vocabantur.* Eadem habent Strabus, Anselmus Laudunensis, Lyranus, Honcala, & alij. Quibus sanè vt minimè assentiamur, adigit nos validè Scripturæ auctoritas, quæ ita interdum coniungere solet PHVT & LVBIM, seu LEHABIM, vt duas distinctas procul dubio regiones velit intelligi. Nahum 3. 9. *Æthiopia fortitudo eius, & Ægyptus, & non est finis: Africa, & Libyes fuerunt in auxilio tuo.* Hebraicè pro, *Africa, & Libyes*, est, *Phut, & Lubim.* Vbi quisque facilè cernit diuersas à Vate significari terras. Torniellus, & Schindlerus annotant, priùs Phut appellatam totam Africam: Deinde Phut nomen hæsisse occiduæ Africæ parti, videlicet Mauritaniæ Tingitanæ, vbi regnum Fessæ, seu Libya est; & fluuius illam ambiens adhuc hodie Phuti, & regio Phutensis. Vel ipsum Phut partem illius prouinciæ, quæ postmodum Libya dicta est, incoluisse: Deinde etiam occidentem versus, aliam quæ nunc Mauritania appellatur. Montanus in Phaleg ita distinguit: *Phut, Africa Mauritania. Ptolemæo. Lehabim, Libyi Cyrenaici, siue Libyes Ægyptij, Ptolemæo.* Mercerus in Genes. 10. vers. 13. *Lehabim apertè sunt Libyes, & totam Africam videtur hoc nomen sonare propriè dictam: cùm Phuthei essent in interiori Africa.* Et superiùs ad vers. 6. *Put, vel Phut, qui Africæ interiori nomen dedit, in qua fuerunt & Phutem esse fluuium.* Idem omninò habent Tremellius, & Iunius. Nobis illud veniebat in mentem, Phut forsan esse partem illam Africæ quæ complectitur vtramque Mauritaniam Tingitanam, & Cæsariensem, Getuliam, Numidiam, & quam vocant Africam propriè, à Freto Herculeo & Mari Atlantico, vsque ad Aras Philenorum: nimirùm vt Phut sit regio illa quam hodie Barberiam vocant, Biledulgerid, quamque Ortelius, & Mercator graphicè tabulis descripserunt. Lubim verò, vel Lehabim esse Libyam, quæ continet Cyrenaïcam, & Marmaricam, ab Ægypto, ad Aras Philenorum, nimirùm habens ab Oriente Ægyptum, à Septentrione mare Mediterraneum, ab Occasu Africam propiam, seu Zeugitanam, & Libyam interiorem, à Meridie Garamantas, & Nubiam. Nam Lehabim fuit ex filiis Misraim, id est, Ægypti Genes. 10. 13. vnde videtur Ægypto proxima. Nam Cyrenaïcam, & Marmaricam Libyam passim ab auctoribus constat appellari. Herodotus lib. 1. n. 32. *Oram enim maritimam Libyæ aquiloni obnoxiam Libyas, & Libyum permultas gentes ab Ægypto incipientes omnem obtinere vsque ad promontorium Soloentem, quod Libyam terminat.*

Plinius lib. 5. cap. 6. distertè Marmaricam regionem appellat Libyam Mareotidem, & Mela lib. 1. cap. 4. memorat Libyes Ægyptios. Libyæ Cyrenaïcæ meminit Orosius lib. 1. cap. 2. dicens: *Libya Cyrenaïca, & Pentapolis post Ægyptum in parte Africæ prima est. Hæc incipit à ciuitate Peratonio, & montibus Catabathmon: inde secundo mari vsque ad Aras Philenorum extenditur.* Sanctus Isidorus 14. Originum, cap. 5. *Libya Cyrenensis in parte Africæ prima est, à Cyrene vrbe metropoli, quæ est in eius finibus nuncupata.* Et mox: *Est autem Pentapolis Libyæ Cyrenensi adiuncta, & eius finibus deputata.* Auctor locorum de Actis Apostolorum, nomine sancti Hieronymi: *Libyæ prouinciæ duæ sunt, vna Libya Cyrenaica, de qua dictum est Actor. 2. 10. & partes Libyæ quæ est circa Cyrenem. Hæc post Ægyptum in parte Africæ prima est, & mari Libyco cognomen dedit. Post quam Libya Æthiopum vsque ad meridianum pertingens Oceanum.* Procopius lib. 6. de ædificiis Iustiniani: *Vniuersa igitur Libya secundum vnam quamque regionem, alia, atque alia nomina quædam sortita est, ab indigenis, quemadmodum par est, agnominata. Quæ ab Alexandriæ promontoriis vsque ad Cyrenem vrbem protenditur, in Pentapoleos districtu, hoc dumtaxat nomine iam Libya dicta est.*

Libyam autem & Libyes dictos ab Hebraïco nomine Lehabim, vel Lubim, more gentium inflexo & luxato, ex L X X. Interpretibus, Iosepho, sancto Hieronymo, & aliis, vt anteà dicebamus, adeò certum est, vt in dubium reuocari non possit. Herodotus quidem lib. 4. num. 45. inquit: *Iam enim Libya quidem à plerisque Græcorum fertur sortita nomen à Libya quadam muliere indigena.* Solinus cap. 27. *Quidam tamen Libyam à Libya Epaphi filia dictam receperunt.* Id quoque referunt Hygenus in Fabulis, cap. 149. & S. Isidorus 14. Originum, cap. 5. At Seruius in 1. Æneidos, ad illud: *Venturum excidio Libyæ: Dicta autem Libya, quòd inde Libs flat, hoc est, Africus: aut, vt Varro ait, quasi λιπνία, egens pluuiæ. Sic Sallustius: Cælo, terràque penuria aquarum.* Vide S. Isidorum ibidem. Sed multò certius est, vti diximus, Libyam dictam à Lehabim. De cuius etymo S. Hieronymus de Nominibus Hebraïcis: *Laabim, deusti, siue flammantes.* Rectè, nempe ab Hebraïco Lahab, flamma. Idem quoque annotarunt Mercerus, Marinus, & alij; quòd ij populi sint adusta & inflammata facie, propter solis ardorem combusti. Auenarius *Lubim,*

deduxit

deduxit à *Leb*, id est, corde : quòd Africani corda-ti sunt, callidi, & astuti, acuti, ingenioſi, vnde prouerbio iactatum, *ingenium Punicum.*

Libyam seu Africam vniuersam cum suis partibus multi descripserunt : ex Veteribus, Herodotus lib. 2. & 4. Diodorus Siculus lib. 3. Sallustius in Iugurthino, cap. 18. & 19. Strabo lib. 17. Plinius lib. 5. à cap. 1. vsque ad 8. Mela lib. 1. cap. 4. 5. 6. 7. 8. Solinus cap. 27. vsque 36. Ptolemæus lib. 4. cap. 1. vsque ad 7. Orosius lib. 1. cap. 2. S. Isidorus lib. 14. Originum, cap. 5. ex recentioribus Ioannes Leo, Ludouicus Marmor, Lhuins Sanutus, Abraham Ortelius, Gerardus Mercator omnes ex professo. Ceterùm Libyam, quam, hìc vaticinatur Daniel occupandam esse ab Antichristo, esse illam Libyam Cyrenaïcam, ab Ægypto vsque ad Philenorum aras, quam nuper describebamus, pro comperto non dubitamus asserere : Siquidem hæc Ægypto proxima, post deuastatam Ægyptum, inuadetur quoque ab Antichristo.

Libyam Cyrenaïcam fuisse Olim prouinciam populi Romani, Epitomes Liuianæ lib. 70. ita scribitur : *Ptolemæus Cyrenarum Rex, cui cognomentum Apionis fuit, mortuus hæredem populum Romanum reliquit : & eius regni ciuitates Senatus Liberas esse iussit. Eusebius in Chronico, numero MCMXXI. Ptolomæus Rex Cyrenæ moriens Romanos testamento dimisit hæredes.* Et numero MCMLII. *Libya per testamentum Apionis Regis Romanorum relicta.* Eutropius lib. 6. *Quo tempore Libya quoque Romano Imperio, per testamentum Apionis, qui Rex eius fuerat accessit : in qua inclytæ ciuitates erant, Berenice Ptolemais, & Cyrene.* Quin & Ammianus Marcellinus lib. 22. cap. 43. ita affirmat : *Aridam Libyam supremo Apionis regis consequuti sumus arbitrio : Cyrenas cum reſiduis ciuitatibus Libyæ Pentapoleos, Ptolemæi liberalitate suscepimus.* Sextus Rufus in Breuiario, cap. 13. *Cyrenas cum ceteris ciuitatibus Libyæ Pentapolis, Ptolemæi antiquioris liberalitate accepimus. Libyam supremo Apionis regis arbitrio sumus adsequuti.* Cyrenaicam prouinciam fuisse sub Augusto, Strabo lib. 17. testatur. Vide Scaligerum ad eos Numeros Eusebij.

CHVS, seu Æthiopia.

CAP. XVIII.

AIt quoque Daniel Antichristum Æthiopiam occupaturum : vbi pro Æthiopia, Hebraicè est כּוּשִׁים CHVSIM. Hìc iam magnæ exoriuntur difficultates : Prima, num CHVS in Scriptura significet eam quæ propriè ab auctoribus vulgò Æthiopia vocatur, nimirum in Africa sub Ægypto an verò tantùm designet Arabiam vniuersè, seu eas dumtaxat terras, quæ in Asia inter vtrumque Sinum Arabicum & Persicum iacent : nimirum regionem illam, quam Plinius lib. 6. cap. 28. breuiter ita describit : *Ipsa verò peninsula Arabia inter duo maria Rubrum, Persicúmque procurrens, quodam naturæ artificio, ad similitudinem, atque magnitudinem Italiæ mari circumfusa, in eandem etiam cæli partem nulla differentia spectat.*

Matthæus Beroaldus Nouator in Chronico, lib. 2. cap. 7. & lib. 4. cap. 6. & Christophorus Castrus in Sophoniæ 3. num. 17. contendunt, Chus in Scriptura non esse Æthiopiam interioris Africæ sub Ægypto : sed Arabiam intra vtrumque Sinum, Persicum & Arabicum : nec ab ea sententia abludere videtur Ortelius in Thesauro Geographico, voce CHVS. Quæ tamen opinio penitus exulat à regione veri. Primùm, quia CHVS primogenitum Cham, Genes. 10. 6. Æthiopiæ nomen dedisse, ingens est auctorum consensio. Iosephus 1. Antiquit. cap. 7. *Ex quatuor enim Chamæ liberis, Chuso nihil detrimenti tempus attulit : Æthiopes enim quibus præfuit, nunc quoque tam à seipsis, quam ab Asianis omnibus Chusei nominantur.* Eusebius sub initium lib. 1. Chronici : *Chus, vnde Æthiopes.* Chronicon vetus sub Alexandro Seuero lib. 1. cap. 5. Chus, *ex quo Æthiopes.* S. Epiphanius sub initium Panarij : *Sic Mesraem suscipit Ægypti sortem, Chus Æthiopiam, Pſius (Phut) Æxiomaticas partes.* S. Hieronymus Quæstionibus Hebraicis in Genes. ad cap. 10. *CHVS vsque hodie ab Hebræis Æthiopia nuncupatur.* S. Isidorus lib. 9. Originum, cap. 2. *Chus, à quo progeniti Æthiopes.* Zonaras tomo 1. Annalium ; *A Chuso Chusæi sunt orti, hoc est, Æthiopes.* Atque Chus esse Æthiopiam, & Chusim Æthiopes, affirmant Anselmus Laudunensis, Lyranus, Honcala, Pererius, Sà, Delrius, Cornelius à Lapide in Genes. 10. Montanus in Phaleg, Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 28. 29. 52. Torniellus anno Mundi 1931. num. 25. Reuchlinus, Alfonsus Camorensis, Sanctes, Forsterus, Mercerus, Pomarius, Marinus, Auenarius, Schindlerus, Buxtorfius in Hebraïcis Lexicis, Reineccius in Heroïcæ Historiæ part. 1. in Regno Æthiopum, pag. 279. Fungerus in Trilingui Etymologico, verbo *Æthiops.* Montanus annotat, à Lusitanis Æthiopes etiamnum hodie vocari Cussios.

Secundò. Patres omnes & recentiores qui docent Geon fluuium Paradisi Genes. 2. 13. esse Nilum : cùm de illo dicat Scriptura, *ipse circumit omnem terram Chus*, disertè intelligunt, Chus esse Æthiopiam sub Ægypto : hanc enim, & non Arabiam Nilus præterfluit. Vide quæ de his copiosè disserimus in Paradiso, cap. 28. vbi Patres innumeros adducimus in eam sententiam.

Tertiò, LXX. Interpretes, Philo in Allegoriis Legis lib. 1. Iosephus, Vulgatus Interpretes, & omnes cum veteres, tum recentiores Interpretes Bibliorum, vocem Chus vbicúmque ponitur, Æthiopiam semper exposuerunt, & nunquam Arabiam. Et si reuera Arabiam intellexerunt nomine Æthiopiæ, cur apertè Arabiam nunquam reddidere? cur tanta confusione Æthiopiæ appellationem, quæ communi Scriptorum vsu & vsurpatione de Æthiopia Africana sub Ægypto accipitur, Arabiæ tribuerunt promiscuè, semper, & vbique.

Quartò, Chus, seu Æthiopiam in Scriptura semper esse Arabiam, & nunquam Æthiopiam sub Ægypto ? Quis id crederet ? Et vt alia multa omittam, quum 4. Regum, 19. 9. & Isaiæ 37. 9. dicitur Tharaca rex Chus, seu Æthiopiæ : quis vnquam dubitauit Tharacam Æthiopiæ sub Ægypto regem fuisse ? De quo vide Iosephum lib. 10. Antiquitatum, cap. 1. Eusebium in Chronico, num. MCCCVI. & Scaligerum in Animaduersionibus ; Strabo lib. 1. pag. 42. & lib. 15. pag. 472. Tearchonem vocat. Et quum Esther 1. vers. 1. scribitur Assuerum regnasse ab India vsque ad Chus, id est, Æthiopiam, quis non hìc Æthiopiam sub Ægypto intelligat, cùm tunc Ægyptus sub Persarum Imperio esset ? Vide Isaiæ 20. 5. Ezechiel. 29. 10. & cap. 30. 9. Tædet iam vanissimam opinationem pluribus argumentis exagitare : quam iam abundè refutauit Pererius in Ge-

neſ.10. diſputatione 1. Vide ſuprà lib. 4. cap. 19.

Secunda difficultas, Num nomen Chus ſeu Æthiopiæ, aliquando in Scriptura ſignificet Arabiam, aut aliquam regionem earum, quæ inter vtrumque Sinum Perſicum & Arabicum tenduntur: Magno conſenſu recentiores duplicem in Sacris Litteris ſtatuunt Æthiopiam, alteram Africanam, ſub Ægypto, ſeu Occidentalem: alteram, Orientalem, Aſianam, nempe Arabiam inter duos Sinus Perſicum & Arabicum. Primam nunc nunc apertis ex Verbo Dei, & interpretum omnium teſtimoniis firmabamus: Secundam verò Æthiopiam innumeri adſtruunt, S. Auguſtinus quæſt. 10. in Numeros, Theodoretus Quæſtione 22. in Numeros, Strabus, Rabanus, Rupertus, Lyranus, Burgenſis, Steuchus, Vatablus, Iunius, & Immanuel Tremellius, Oleaſtrius, Sà, Cornelius à Lapide, Ioannes Mariana in 12. Numeror. ad verſ. 1. Petrus Comeſtor in Hiſtoria Scholaſtica Numerorum, cap. 16. Toſtatus Quæſtione 6. in 12. Numerorum, Xyſtus Senenſis lib. 5. Bibliothecæ Sanctæ, Annotatione 123. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 74. 126. & in Pſalm. 73. verſ. 16. Pererius lib. 3. in Geneſ. de Tertio flumine Geon, & in 2. Exodi, diſput. 13. Steuchus in Coſmopœia, ad illud Geneſ. 2. 13. *ipſe eſt qui circuit omnem terram Æthiopiæ*, & Annotationibus in Geneſ. 2. & in eundem locum Tremellius, Iunius, & Mercerus, Ribera in 3. Sophoniæ, & in 3. Habacuc, Sà, Palatius, Figuerius, Gueuara, atque Agellius in Habacuc 3. Delrius in Geneſ. 10. ad verſ. 6. Torniellus anno Mundi 1931. numero 25. & anno mundi 3090. Fungerus in Etymologico, voce, *Æthiopia*, Pineda in Iob 28. ad verſ. 19. Yſtella in 2. Geneſ. Antonius Fernandius Præfatione in Viſionem 6. veteris Teſtamenti, num. 8. Druſius cap. 52 in Numeros, Marinus in Arca Noë, in voce *Chus*, Auctor Lexici Complutenſis in eadem voce, quam quoque ſententiam expreſsè tuentur Aben-Ezra, & Kimchi, vti videre eſt in Sanctis Theſauro, in Radice C H V S: neque ab ea abludunt Schindlerus, & Buxtorfius in ſuis Lexicis, quum annotant, Madianitas, quos conſtat in Arabia eſſe, interdum in Scriptura vocari Æthiopes, propter viciniam Æthiopiæ Africanæ, ſeu ſub Ægypto. Afferuntur argumenta pro Arabica Æthiopia nec pauca, nec leuia.

Primò, Quia Sephora vxor Moſis, quam conſtat fuiſſe Madianitidem, filiam Iethro Sacerdotis ſeu Principis Madian, Exodi 2. apertè vocatur Chuſſitis, ſeu Æthiopiſſa Numeror. 12. 1. *Locutáque eſt Maria & Aaron contra Moſen propter vxorem eius Æthiopiſſam.* Addunt Hebræa, *quam accepit: quia mulierem Æthiopiſſam accepit:* Vides ergo vt Madian dicatur Æthiopia, ſeu pars Æthiopiæ. Madian autem eſſe in Arabia, nemo non nouit.

Secundò, Pſalm. 73. 14. de Pharaone ſubmerſo cum toto exercitu in Sinu Arabico, atque eiectis cadaueribus in littus proculdubio Orientale Maris Rubri, canitur: *Dediſti eum eſcam populis Æthiopum.* Iam igitur accolæ littoris Orientalis Maris Rubri, quibus in prædam data ſunt cadauera Ægyptiorum, dicti ſunt Æthiopes, quos tamen non eſt dubium fuiſſe Arabes. Hoc eſt leniſſimum, annotatúmque ab Steucho, & Genebrardo. Duas haſce rationes accuratè expendebamus in Paradiſo cap. 37. & 38.

Tertiò, Habacuc 3. 7. Æthiopia cum Madian coniungitur, innuente Propheta, vel vnam & eandem eſſe regionem, vel certè confines & proximas: *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ: turbabuntur pelles terræ Madian.*

Quartò, 2. Paralipomen. 21. 16. *Suſcitauit Dominus contra Ioram ſpiritum Philiſthinorum, & Arabum, qui confines ſunt Æthiopibus.* Et Pſalm. 86. 4. Palæſtini coniunguntur cum Æthiopibus, vt pote proximis & confinibus? *Ecce alienigenæ* (Heb. Palæſtini) *& populus Æthiopum.*

Quintò, 2. Paralipomenon, 14. fusè refertur, vt Aſa rex Iudæ percuſſerit validum exercitum Æthiopum cum eorum rege Zara: & additur verſ. 14. *& percuſſerunt ciuitates omnes per circuitum Geraræ: & diripuerunt Vrbes.* Vbi LXX. *& exciderunt pagos eorum in circuitu Geraræ.* Ergo ſi vrbes, vel pagi Æthiopum erant circum Geraram, exploratum eſt, Geraram fuiſſe in Arabia, atque quondam metropolim Palæſtinæ extitiſſe, vti Euſebius & S. Hieronymus de Locis Hebraïcis annotarunt. Iam igitur Æthiopes in Arabia. Hoc argumentum S. Auguſtinus Quæſtione 20. in Numeros in hunc modum expendit: *De vxore Moſis Æthiopiſſa quæri ſolet, vtrum ipſa erat filia Iethro, an alteram duxerit, vel ſuperduxerit. Sed ipſam fuiſſe credibile eſt: de Madianitis quippe erat, qui reperiuntur in libris Paralipomenon Æthiopes dici, quando contra eos pugnauit Ioſaphath:* (Aſia potiùs) *etenim in his locis dicuntur eos perſecuti Hebræi, in quibus Madianitæ habitabant, qui nunc Saraceni appellantur. Sed nunc eos nemo fere appellat Æthiopes, ſicut ſolent locorum & gentium nomina plerumque vetuſtate mutari.* Et Theodoretus Quæſtionibus in 2. Paralipomenon: *Aſa aciem inſtruens, fudit & fugauit Æthiopes, & perſequens omnes conſumpſit. Dicit autem eos fuiſſe ipſorum finitimos. Multa enim, inquit, cepit ſpolia, & excidit eorum pagos in circuitu Gerar, & diripuerunt eorum ciuitates. Quòd autem Gerara ſint Palæſtinæ, neminem puto contradicturum: nam circa Eleutheropolim, quæ vocatur Geraron Saton in præſentem vſque diem eſt nominatum. Eſt ergo veroſimile illos colonia ab Aethiopibus deducta illam habitaſſe regionem.*

Sextò, Patres Madian interdum vocant Æthiopiam, haud dubiè ab Scriptura ſacra edocti. S. Baſilius Homilia 1. in Hexaëmeron, agens de Moſe qui ob interfectum Ægyptum coactus eſt fugere in terram Madian, Exod. 2. 15. inquit: *Et quidem nihil inuitus ceſſit ſeditioſæ ac tumultuanti vitæ Aegyptiorum. Ad Aethiopiam enim vſque profectus, ibique ſecurus omnium, ac proinde liberrimum nactus otium, totos quadraginta annos contemplationi rerum indulſit.* In eandem ſententiam S. Ambroſius lib. 1. in Hexaëmeron, cap. 2. *Denique priuſquam ad populi liberandi munus vocaretur, naturali æquitatis ſtudio prouocatus, accipientem iniuriam de popularibus ſuis vltus, inuidiæ ſeſe dedit, voluptatique eripuit, atque omnes regiæ domus declinans tumultus, in Secretum Aethiopiæ ſe contulit, ibique à ceteris negotiis remotus, totum diuinæ cognitioni animum intendit.* Theophanes Byzantius in Hiſtoria apud Phorium in Bibliotheca, Homeritas, quos conſtat eſſe in Arabia, Æthiopes appellat. Theodoretus Quæſtione 32. in 3. Regum: *Quænam eſt Gens Saba? Aethiopica. Hic autem eos dicit eſſe ſitos in mari Indico, nominant autem eos Homeritas. Sunt autem è regione. Auxumitarum: inter hos autem & illos medium eſt mare.*

Nos in priori operis huius editione, & in Paradiſo, cap. 37. & 38. agmine auctorum abrepti, in eandem ſententiam de Æthiopia Arabica, & Aſiana

Aſiana in Sacris litteris, iuimus: neque nunc, & propter auctores, & propter rationes ab ea prorſus abimus: ſed tamen acrius eam expendi cupimus, ne fortè hauſta ſit ab Hebræorum imperitia & inſcitia, qui veterum nominum & locorum plerumque ignari, aliis alia affingere ſolent. Equidem hanc de Arabica Æthiopia aſſertionem recentiores ab Aben-Ezra, & Kimchio accepiſſe, pro certo affirmauerim. Argumenta ſanè quibus ex Scriptura firmatur, Madianitas, ſeu alios Arabes intra vtrumque Sinum Arabicum & Perſicum, dici à Sacris Scriptoribus Æthiopes, aut eorum regionem Chus, ſeu Æthiopiam, quanto magis verſo & perlibro, minùs roboris & momenti mihi videntur habere.

Primum quidem de vxore Moſis Æthiopiſſa abundè diſcuſſimus in Paradiſo, cap. 37. vbi cumprimis probabiliter oſtendimus vxorem Moſis Æthiopiſſam, non Sephoram Madianitidem, ſed Tharbim filiam regis Æthiopum ſub Ægypto, Numer. 12. 1. intelligi poſſe. Hanc enim Moſi etiam fuiſſe coniugem, ex Ioſepho adſtruximus: cui adſtipulatos diximus Petrum Comeſtorem, Lyranum, Toſtatum, Pierium: quibus nunc addimus Zonaram, & Cedrenum in Annalibus, Gotfridum Viterbienſem parte 5. Chronici, Ioannem Baptiſtam Gramaye in Aſiatica Hiſtoria, pag. 39. Reineccium Parte 1. Syntagmatis Heroïci, in Regno Æthiopum pag. 285. Martinengum Prolegomenis in Geneſim, in Vita Moſis. Druſius cap. 52. in Numeros hæc annotat: *Hiſtoria habetur apud Ioſephum, & in libro Apocrypho, qui inſcribitur, Verba dierum Moſis. Meminerunt huius libri Commentator ſuper Aboth, Aben-Ezra & Hiſcuni hoc loco Numeror. 12. 1. Aben-Ezra eius memoriam vſurpat in Exodum ſcribens, ſed non admodum laudat. Ante me nemo quod ſciam Chriſtianorum eius nomen prodidit.* Et quamuis multi vt fabuloſam eam Ioſephi de Tharbi Æthiopiſſa Moſis Vxore narrationem, quos ibidem retulimus: at non propterea aliis, & nobis idem iudicium fuit. Vnde probare non poſſumus quod Victor Palma in Notis ad Genebrardinæ Chronographiæ lib. 1. pag. 74. ait: *Alij mulierem Aethiopiſſam fuiſſe ex interiori Aethiopia exiſtimant: de qua Ioſephus multa ſcribit inutilia relatu, nec ſatis credibilia, quidquid dicant rerum illarum admiratores.* Et quod Nicolaus Godignus lib. 1. de Abaſſinorum rebus, cap. 7. ſcribit: *Illud quoque omitto libens quod eſt à Ioſepho Hebræo traditum, & ab aliis acceptum, Moſem Iſraëlitici olim ductorem populi, dum adhuc in Aegypto, ſub Thermutis filiæ Pharaonis tutela viueret, ſuperatis bello Aethiopibus, cum eorum Regis filia matrimonium ſimulatè contraxiſſe, pérque annos aliquot in Aethiopia regnaſſe. Opinor longè hoc à veritate ab eſſe.* Multò ſanius Caietani iudicium Numer. 12. 1. *An autem hæc mulier Aethiopiſſa fuerit princeps illa Aethiopum, cuius meminit Ioſephus, an fuerit Sephora Madianitis, incertum eſt.* Pendet igitur res adhuc in ambiguo.

Secundum argumentum non adeò eſt ad inſtitutum, Primò, quia eo loco Pſalm. 73. 14. Hebraïcè non eſt *Chus*, aut *Chuſim*, id eſt, regio Æthiopum: de qua nunc propriè nobis eſt quæſtio. Sed *Tziim*, quam vocem cap. 1. huius libri fusè eluci-dauimus. Secundò, Aethiopes hîc non propriè ſed figuratè capiuntur ferè ab omnibus, pro aridis, ſiccis, ſolitudinicolis, deſerticolis, ſiue hominibus, ſiue feris, vti ibidem demonſtrauimus. Tertiò. Non eſt reſpuendum, quod Genebrardus ad eum Pſalmi locum annotauit: *Quoniam autem mare Rubrum diuidit Arabiam & Aethiopiam more noſtro acceptam,* (id eſt, Africanam ſub Aegypto) *illud innuit Vates, non tantum euomuiſſe in littus Arabicum merſos Aegyptios, in quibus conſiſtebant Iſraëlitæ: ſed & Aethiopicum, vt fama iſtius diuini facti ad populos multos circumquaque permanaret. Ita populis Aethiopum dedit eos eſcam, id eſt, in eſcam & in prædam. Nam vt Iſraëlitæ vna ex parte illos ſpoliarunt ac exuerunt ornamentis & opibus, ita & Aethiopes ex altera. Quoniam Aegyptiorum arma, ornamenta & diuitiæ ad littora Aethiopum appulerunt, atque Aethiopibus ceſſerunt.* Idem ferè obſeruauit Ioannes Bachius. *Nec mirum ſanè aut impoſſibile in tanta ſubmerſorum multitudine, & fluxu, refluxúque maris, in vtrumque aduerſum littus eiectos Aegyptios.* Quartò, Alio ſenſu hîc Aethiopes nonnulli accipiunt illos propriè ſub Aegypto S. Baſilius in Scholiis huius Pſalmi: *Aethiopes cùm eſſent Aegyptiis contermini, crebra aduerſus eos bella geſſerunt. Cùm ergo Pharao cum exercitu ſuo mari traditus eſſet, factum eſt vt Aegyptij deinceps prædæ eſſent Aethiopibus. Quemadmodum enim eſcam eſuriens facilè conſumit, ita Aegyptios prorſus ſine negotio debellarunt Aethiopes.* Theodoretus: *Finitimi Aegyptiorum ſunt Aethiopes, qui crebrum bellum cum illis geſſerunt: ſed cùm Pharao cum ſuo exercitu in mari ſubmerſus eſſet, expugnabiles facti ſunt Aegyptij Aethiopibus. Et quemadmodum qui eſurit, facilè cibum deuorat: ſic ipſos facilè expugnabant: propterea diuinum oraculum ait: Eſcam dediſti populis Aethiopum, id eſt, expugnabiles eos reddidiſti, efficiens, vt facilè ab Aethiopibus conſumerentur.* Euthymius: *Aethiopes finitimi ſunt Aegyptiis: hi autem populi inimicitias olim inter ſe exercebant, & mutuo alter alteri tendebat inſidias. Athiopes igitur proſpecta Aegyptiorum clade, excurſiones fecerunt, Aegyptúmque deprædati ſunt, & reliquos omnes qui ſuperfuerant in ore gladij comederunt.* Omitto alias huius loci probabiles interpretationes, iuxta quas Aethiopes hîc nequaquam Arabes intelliguntur: quæ videri poterunt apud explanatores.

Tertium argumentum tametſi Arabicam Aethiopiam non magnopere ſtatuat, habet tamen non modicam difficultatem de ſenſu verborum Habacuc. Hebraïcè pro Aethiopiæ, non eſt כוש CHVS, ſed כושן CHVSAN: Vnde plures arbitrati ſunt, cani victoriam Othonielis de Chuſan rege Meſopotamiæ, quæ latè deſcribitur Iudicum 3. Ita Chaldæus Paraphraſtes, Rabbini, Scelomoh, Aben-Ezra, Kimchi, Burgenſis, Vatablus, Clarius, Montanus, Ianſenius, Figuerius: nec eam explanationem repudiant Agellius, & Caſtrus: refellunt tamen Palatius, Ribera, Gueuara, non magnis argumentis, quorum illud eſt robuſtius: Quod LXX. Vulgatus, S. Hieronymus, S. Cyrillus, Theodoretus, Theophylactus, & alij veteres interpretes pro *Chuſan*, Aethiopiam reddiderunt. Quod quidem rectiſſimè facere potuerunt: nam potuit eſſe paragoge *Chuſan* pro *Chus*, ſeu cauſa metri, ſeu vſu linguæ, ſiquidem gaudere Hebraïcam Scripturam frequentibus paragogis, exemplis paſſim obuiis nimis eſt exploratum: nec ſine myſterio hîc, vt nimirum indicaret, vaſtum ſupra modum & immanem Aethiopum exercitum, & bellicum apparatum. Deinde LXX. & Vulgatus, qui vertêre ante Maſſoretas, potuerunt legere eiſdem litteris, ſed aliis punctis, כושן *Chuſin* plurale pro כושם *Chuſſim*, id eſt, Aethiopes, nempe vſurpato נ *Nun*, pro ם *Mem*, more Syriaco, ſeu Chal

Chaldaïco : nam eiusmodi Syriacas pluralium formas, terminatas in *Nun*, interdum in Hebraïco Fonte reperiri norunt eruditi, vt Ezechielis 4. 9. *Chittin*, pro *Chittim*, *frumenta*. Daniel.12. 13. *Iamin*, pro *Iamim*, dies. Psalm.88. 13. *Iamin*, pro *Iamim*, *dextera*, & alibi : de qua re consule Kimchium in Michlol, Quinquarboreum in Opere Grammatico, pag.34. Ludouicum S.Francisci lib. 2. Globi Linguæ Sanctæ, cap. 9. Ioannem Drusium cap.101. in Genesim. Est hîc *Chusan*, procul dubiò Aethiopia, quod vnicâ Vulgati auctoritas euincat, sed cur non possit figuratè accipi pro fero, & barbaro exercitu Chusan regis Mesopotamiæ? nam & allegoricè pro dæmonibus capiunt S. Hieronymus, Theodoretus & alij : & S. Cyrillus pro idololatris : atque Theophylactus habet : *Tentoria Aethiopum, non eorum qui reuerà Aethiopes, sed qui mente concipiuntur, caliginosam deliberationem habentium: mortalium dico animæ, in quibus tenebrarum tentoriis morabantur, perterrefactæ sunt, & submissæ sunt verbo Euangelij.*

S.Cyrillus Aethiopes hic latè interpretatur; ait enim : *Erant autem Aethiopes, qui aliquando Indicum mare ad Orientem, & Austrum, seu Meridiem accoluerunt.* Iam lib.4. cap.19. ostendimus, Orientalem Indiam interdum & in Scriptura, & in magnis auctoribus dici Aethiopiam. At quid per australes seu meridionales Aethiopes Cyrillus intelligat, in dubio est : possit videri eum Arabes, & magnæ illius peninsulæ ad Erythræum mare accolentes indicare, quòd mox addat Aethiopibus vicinos fuisse Madianitas, qui sanè sunt in eadem peninsula. Sed potius reor significasse verè Aethiopes ad meridiem Aegypti in Africa. Atqui ex verbis Habacuc tantùm habetur, Aethiopes & Madianitas coniungi, num propter situm locorum, vel ob similitudinem victoriæ, aut ob aliam causam, prorsus incertum. Et vt dicamus locis proximos, non propterea cogimur affirmare vtrosque Arabes fuisse : cùm etiam Aethiopes sub Aegypto Homeritis & Arabibus propinquos fuisse iam nunc demonstrabimus.

Quartum argumentum non aliud euincebat, quàm Aethiopiam confinem esse Arabiæ, non tamen quòd Aethiopia sit in Arabia, aut pars Arabiæ. Equidem eo loco Paralipomenon, pro *confines* Hebraicè est, *qui ad manum*, vel *super manum* : manum enim Hebræis interdum in Scriptura significare ripam, latus, littus, cap.4. huius libri ostendebamus. Atqui exploratum est Sinum Arabicum solùm dispescere Aethiopes ab Arabibus, cuius latus vel ripam Occidentalem tenent Aethiopes, Orientalem verò Arabes. Loquitur igitur diuinus auctor de Arabibus qui ad Sinum Arabicum seu Mare-Rubrum incolebant, qui manum vel latus, seu littus eius maris obuersum Aethiopibus occupabant. Vnde Tremellius & Junius : *Arabum qui sunt ad latus Aethiopum, id est, ex Petræa & Felice Arabia, quæ vergunt ad Aethiopiam.* Et verò hi rectè confines Aethiopibus dicuntur, quia solùm mare inter vtrosque distinguit : & ex parte, angustissimo freto, nempe ipsis faucibus Arabici Sinus discluduntur. Plinius lib. 6. cap. 29. *Faucésque hiberno Orienti obuersas, alij quatuor millium, alij septem millium, alij duodecim millium passuum patere prodiderunt.* Strabo lib.16.pag.529. *Angustiæ Diræ proximè ad sexaginta stadia contrahuntur. Hodie non hæ dicuntur Angustiæ, sed vlterius nauiganti, vbi traiectus est inter continentes ducentorum ferè stadiorum.* Arrianus in Periplo Maris Erythræi : *Fretum est non admodum longum, quod ipsum pelagus in angustum cogit atque constringit : cuius sanè freti transitum intermedium sexaginta stadia Diodori insula intercipit.* Acta SS. Martyrum Aretæ & Sociorum apud Surium Tomo 5. 24. Octobris, de Dunaan rege Homeritarum Arabum bellum gerente cum Elesbaan rege Aethiopum, hæc referunt : *Itaque considerans angustissimum esse fretum, quod est inter Aethiopes & Homeritas, neque superare latitudinem duorum stadiorum, & alioqui habere etiam saxa multis in locis latentia, cùm grauem ferream construxisset catenam, & quæ posset ferre vim ventorum & vndarum, & eam vtrimque in terra alligasset ipse Dunaan, vt existimabat, Elesbaan prohibebat aditum, vbi quidem erant latentes petræ, plumbum circulis catenæ appendens, & ferrum faciens requiescere : vbi autem erat profundum, colligans cum lignis leuissimis, & subleuans catenam.*

Ludouicus Vartomanus lib. 2. suarum Peregrinationum, cap.3. *Versus ostium Erythræi maris iter cepimus. Vbi verò ad ostium pelagi peruentum est, inter sepia siue claustra quæpiam esse videbamur, ostio non plus ternis millibus passuum patente.* Andreas Corsalius in quadam Epistola : *Peruenimus ad ostium freti maris Rubri. Ostium est tredecim gradus, in cuius aditu in medio mari insula est dicta Bebel, non omninò humilis, sterilis, omnisque viriditatis expers. Insulæ ambitus duarum leucarum, à continente Arabiæ distans duabus leucis, totidémque ab Aethiopia. In illa antiquitus duæ feruntur fuisse catenæ ferreæ, quæ vtroque continenti alligatæ à maris Rubri aditu prohibuerunt.* Descripsit id fretum Ptolemæus in 4. Africæ Tabula, & Strabo lib.16. appellant *Angustias Diræ*, recentiores, *Bebel Mandel*, vti Vartomannus, Corsalius, Ortelius, & alij. Vide Scholia Ioannis Guilielmi Stukhij, ad Periplum Arriani.

Ex his ergo haud ineptè intellexerimus, Arabes dici confines Aethiopibus, quos fretum Diræ adeò angustum coniungit : haud aliter quàm si dicamus Afros Hispanis confines, nimirum eos qui littus maris Hispaniæ obuersum inhabitant, præsertim ad Septam, & Tingim, quos tantum Fretum Tartessiacum, seu Gaditanum disterminat. Atqui Aethiopes sub Aegypto in littore Africano Sinus Arabici, conterminos Arabibus facit Heliodorus lib. 8. Aethiopicorum, cap.23. quum ait : *Troglodytæ autem sunt natio Aethiopica, pascuis dedita, & Arabibus contermina.* Equidem Strabo & alij Aethiopes qui ad ripam. Africanam seu Occidentalem Freti, seu ostij Maris Rubri incolunt, Troglodytas esse tradunt.

Ad quintum argumentum, S.Augustinus, Theodoretus, vt ibi vidimus, Burgensis in 12. Numeror. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 125. Delrius in Genes.10. vers.6. Matthæus Beroaldus lib. 2. Chronici, cap.7. & alij existimarunt Zara fuisse Arabum regem, qui dicti sint Aethiopes, quam sententiam valdè propugnat Torniellus in Annalibus, anno mundi 3090. At Vatablus, Sà, & alij notant fuisse Aegypti regem, dictum Aethiopem ob nigredinem. Quod sanè minimè probamus. Multo simplicius ac verosimilius est, fuisse Aethiopum sub Aegypto regem : de quo pluribus agit Reineccius 1. parte Syntagmatis Heroici, in Regno 21. Aethiopum, pag.286. Scaliger lib. 3. Isagogicorum Canonum, pag.311. Genebrardus coniectatur Aethiopiæ & Arabiæ regem fuisse. Sed mera est coniectura. In Hebræo,

Hebræo,& Vulgato non eſt particula, *eorum*, quæ Aethiopes referat. Vrbes autem circum Geraram percuſſas refert diuinus auctor, vel quòd in eas Aethiopes è prælio fugientes ſe recepiſſent,quamuis non ipſorum, ſed Arabum eſſent: vel fortaſſe quod Aethiopum confœderatæ eſſent: aut quòd tunc per occaſionem belli, Iudæi de hoſtibus ſuis Arabibus Geraritis ſe vltum ierint. Vide Toſtatum quæſtione 18. in illud 14. cap. 2. Paralipomenon.

In ſexto argumento, videntur ſanè S. Baſilius & S. Ambroſius in ea fuiſſe opinione de Arabica Aethiopia, quam poſteà S. Auguſtinus, Theodoretus, & alij plurimi amplexi ſunt: eam propter Patres, & propter auctores nos quidem minimè contemnimus aut obiicimus: ſed eſſe incertam, affatim hactenus demonſtrauimus.

Tertia difficultas, num externi auctores agnouerint, aut aſſeruerint Arabicam Aethiopiam, ſeu Arabiam vniuersè, vel aliquam eius partem intra duos Sinus Perſicum & Arabicum, aliquando Aethiopiam appellauerint? Homerus lib. 1. Odyſſææ.

Αἰθίοπας τοὶ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν,
Οἱ μὲν δυσομένυ ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνίοντος.

Aethiopes, qui bifariã diuiſi ſunt, vltimi hominum,
Alij quidem Occidentalis ſolis, alij verò Orientalis.

Seneca in Hercule Furente, verſ. 57.

——*quà ferens Titan diem*
Binos propinqua tingit Aethiopes face.

Apuleius lib. 1. Mileſiarum: *Verùm etiam Indi, vel Aethiopes vtrique.* Heliodorus lib. 9. Aethiopicorum, cap. 24. *Hydaſpes Orientalium & Occidentalium Aethiopum Rex.* Hinc etiam exoritur magna quæſtio, num duæ illæ Aethiopiæ, Occidentalis, & Orientalis quas ponit Homerus, ſint, illa Aethiopia ſub Aegypto in Africa, cis Sinum Arabicum, quæ communiter dicitur Aethiopia, éſtque Occidentalis: & altera, nempe Arabia vltra Sinum Arabicum, quæ dicta ſit Aethiopia Orientalis, vtraque Arabico ſinu diſcluſa: num verò Aethiopia illa duplex Homeri Occidentalis & Orientalis, conſtituenda tantùm ſit in Africa, ſeu ſub Aegypto: quæ bifariam ſit diuiſa vtquidem Occidentalem vnius generis Aethiopes, Orientalem verò alterius generis Aethiopes, ſed vtrique in Africa, ſeu ſub Aegypto, incolant. Strabo lib. 1. latè locum hunc Homeri verſat, tandémque indicare videtur, Homerum loqui de gemina Aethiopia, Africana & Aſiana, quas Sinus diſpeſcit Arabicus: ſic enim ait pag. 24. *Simile eſt quod de Aethiopibus dixi eſſe intelligendos, ſcilicet, qui accolunt per totam oram Oceani à ſolis ortu vſque ad eius occaſum: nam ſic dicti Aethiopes natura ſunt à ſe inuicem diuulſi Sinu Arabico.* Herodotus quoque eodem modo videtur accepiſſe Homerum, quum agens de Gentibus quæ erant in exercitu Xerxis, lib. 7. num. 69. & 70. hæc ſcribit: *Arſames quidem Aethiopibus qui ſunt trans Aegyptum, atque Arabibus præerat. Ii autem Aethiopes qui ſunt ob ortu ſolis, (nam bifariam militabant) cenſebantur cum Indis, ſpecie nihil admodum à ceteris differentes, ſed ſono vocis dumtaxat atque capillatura. Nam Aethiopes qui ab ortu ſolis ſunt, promiſſos crines: qui ex Libya, criſpiſſimos inter omnes homines habent. Aethiopes autem bi qui ex Aſia erant, pleraque arma, quæ Indi geſtabant. Libyes autem corio armati iere.* Vides Aethiopes Aſianos, & Aethiopes Libyes trans Aegyptum apud Herodotum. Et lib. 3. num. 93. *Et qui & Aſia ſunt Aethiopes.* Recentiores non pauci Homerum quoque de Arabica & de Africana Aethiopia ſunt interpretati, vt Steuchus, Pererius, Ortelius, Delrius, Caſtrus, & alij.

Verùm non defuere qui vtramque Homeri Aethiopiam Occidentalem & Orientalem in Africa dumtaxat à Poëta poſitam intellexerint. Plinius lib. 5. cap. 8. *Veriſſima opinione eorum, qui deſertis Africæ duas Aethiopias ſuperponunt: & ante omnes Homeri, qui bipartitos tradit Aethiopas, ad Orientem, occaſumque verſus.* Ptolemæus verò lib. 4. cap. 7. 8. 9. duplicem in Africa Aethiopiam conſtituit, alteram ſub Aegypto, alteram interiorem, quas ibidem fusè deſcribit. Qui Africam recentiſſimè & accuratiſſimè deſcripſerunt, duas in ea orbis parte præcipuas Aethiopias collocant, alteram Occidentalem verſus mare Atlanticum & Aethiopicum, vbi ſunt Nigritæ, Guinei, Giloſi, Manicongi, &c. alteram Orientalem ſub Aegypto, quæ comprehendat Aethiopiam exteriorem, & interiorem, nempe totam Abyſſinorum regionem, verſus Sinum Arabicum & Mare Rubrum.

Ego quum verba Homeri & vſum veterum conſidero, in eam facilè adducor ſententiam, Homerum, & hunc ſecutos Herodotum, Strabonem, & alios, Orientales, ſeu Aſianos Aethiopes appellare Indos qui Orientalem Indiam colunt, quòd colore, & aliis rebus Aethiopibus ſint perſimiles. Vide quæ diximus lib. 4. cap. 19. niſi quòd Strabo generaliùs, omnes qui accolunt oram Oceani ab ortu Solis vſque ad Arabicum Sinum, Æthiopes vocatos exiſtimet: Occidentales verò Æthiopes nuncupaſſe eos qui ſunt in Africa, cis Sinum Arabicum. At de his ſatis.

De nomine Æthiopiæ Plinius lib. 6. cap. 30. *Vniuerſa verò gens Ætheria appellata eſt, deinde Atlantia, mox à Vulcani filio Æthiope Æthiopia.* Sed id fabuloſum eſt, cùm potiùs dicta ſit ab αἴθω cremo, vro, & ὄψ, hoc eſt, aſpectus, facies: quòd ardore ſolis vicini facies crematas, aduſtas, atque nigras habent Æthiopes. Seruius in 4. Æneidos: *Et dicta Æthiopia à colore populorum, quos ſolis vicinitas torret: Græcè enim* αἴθειν, *torrere, &* ὄψ *aſpectus dicitur.*

Æthiopiam Africanam vltra Ægyptum verſus Meridiem, tam exteriorem, quàm interiorem, Indiam interdum ab auctoribus appellari.

CAP. XIX.

Lib. 4. cap. 19. pluribus demonſtrauimus, Indiam Orientalem, cùm in Scriptura, vt Iſaïæ 18. 1. Sophoniæ 3. 10. tum apud alios auctores vocatam interdum Æthiopiam: nunc cum ſtudio oſtendendum, Æthiopiam, eam quam communiter ita auctores vocant, nimirum exteriorem, & interiorem vtramque ſuperpoſitam Ægypto verſus Meridiem, ab Scriptoribus plerunque Indiam appellatam, eíque nomen Indiæ tributum: ſicque Indiam & Æthiopiam communicaſſe & permutaſſe nonnunquam ſua vocabula. Virgilius 4. Georgicorum, de Nilo:

Et diuerſa ruens ſeptem diſcurrit in ora

Vsque coloratis amnis deuexus ab Indis.

At quis nescit Nilum ab Æthiopibus deuehi? Et 2. Georgicorum:

—Sola India nigrum

Fert ebenum. Vbi Seruius annotat: *Atqui & in Ægypto nascitur: sed Indiam omnem plagam Aethiopia accipimus.* Et Ouidius 1. de Arte amandi, de Perseo, qui Andromadem, *nigris portauit ab Indis.* Ælianus lib. 16. de Animalibus cap. 33. *In Libya Indis finitima retrouersus pascentium boum esse armenta auditione accepi.* Et lib. 17. cap. 40. *Indica regio est circa Estamenum (aliàs Astabaram) fluuium, vbi Rhisophagi habitant.* At quis nescit Astabaram esse in Æthiopia, & partem Nili? Et paulò inferiùs: *Circa lacum etiam Arrhatan, qui & ipse in India est prope fluuium iam dictum, &c.* Procopius oratione 6. de Aedificiis Iustiniani: *Nilus fluuius ab Indis in Ægyptum decurrens.* Theophylactus Simocatta in Historia Mauricij Imperatoris lib. 7. cap. 17. *Nilus omnium fluuiorum orbis terræ latissimus, multorúmque per Libyam, Æthiopiam, Indiam regiones secans, &c.* S. Ioannes Damascenus in Historia de sanctis Barlaam & Ioasaphat, cap. 1. *Pij quidam viri interioris Æthiopiæ, quos Indos vocant.* Anastasius Nicænus quæst. 23. in Sacram Scripturam: *Sæpe qui viderunt magnam vim imbrium fuisse in regione Indica, prædicunt aliquibus, in Ægypto futurum magnum Nili ascensum.*

Paulus Diaconus lib. 16. Miscellæ, cap. 22. *Anno decimo sexto Imperij Iustiniani contigit debellare inuicem reges Azumitensium Indorum, & Iudæorum, ex causa huiusmodi. Azumitensium rex vltra Ægyptum est Iudaizans,* aliàs, *iudicans. Romanorum autem negotiatores per Homeritensem ingrediuntur ad Azumitensem, & ad interiores partes Indorum, atque Æthiopum. Negotiatoribus autem secundùm consuetudinem ingressis terminos Homeritarum, Damianus eorum rex occidit illos, & abstulit omnia eorum, dicens: Quoniam Romani malefaciunt Iudæis qui in regione sua sunt, & occidunt eos. Et ex hoc soluerunt negotiationem interiores Indorum Azumitæ. Et indignatus est Azumitensium rex Adad mittens Homeritensi: Quia læsisti regnum meum, & interiorem Indiam, prohibens Romanorum mercatores ad nos ingredi, &c.* Axumitas verò esse Æthiopes lib. 4. cap. 8. ostendimus. Nicephorus lib. 17. Historiæ Eccles. cap. 32. *Eo verò Iustiniano adhuc Imperium gubernante, Auximitarum Indorum rex, Græcorum sacrorum consectator, prælium cum Homeritis Indis, Iudaicam religionem colentibus commisit.* Sequitur eadem quæ Paulus Diaconus referre: & tandem de Auxumitarum rege ad Christi fidem conuerso, tandem subdit: *Atque ex huiusmodi sanè causa interiores etiam Indorum populi Christianismum sunt complexi.*

Huc etiam referunt verba Agrippæ regis ex Oratione ad Iudæos, apud Iosephum lib. 2. Belli Iudaïci, cap. 16. de Ægypto: *Hæc enim cùm vsque ad Æthiopas porrigatur, opulentámque Arabiam, contigua quoque sit Indiæ.* At de his vide latiùs Ludouicum Viuem ad lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 17. M. Antonium Sabellicum Enneadis 8. lib. 10. Franciscum Gomaram in Generali Indica Historia, cap. 17. Iacobum Pamelium in Notis ad cap. 42. Apologetici Tertulliani, Abrahamum Ortelium in Thesauro Geographico, vocibus, *Æthiopia, Indi, India, Rhisophagi:* Albericum Gentilem in disput. ad 1. Machab. pro Editione vulgata, cap. 5. Isaacum Casaubonum in Notis ad Firmum Flauij Vopiscí, Guilielmum Stukium in Notis ad Arriani Periplum Erythræum, Nicolaum Serarium in 1. Machabæor. 8. Quin & Homeritas populos Arabiæ Felicis dictos interdum Indos Eccleastasticis Scriptoribus, nimis est peruagatum, è S. Hieronymo Præfat. in Amos, Theodoreto quæst. 32. in 3. Regum, Procopio lib. 1. de Bello Persico, cap. 15. S. Damascéno initio Historiæ Barlaam, Theodoro Lectore lib. 2. Collectaneorum, Nicephoro lib. 8. histor. cap. 35. & lib. 9. cap. 18. & lib. 17. cap. 32. Vide Serarium in 1. Machabæor. 8. & infra cap. 28. ac de Homeritis quæ notauimus lib 4. cap. 8.

Verùm vt propiùs ad institutum orationem reuocemus, cùm inter tres præfatas prouincias, quas Daniel vaticinatur, ab Antichristo primùm inuadendas & debellandas, Ægypto & Libyæ, tertia iungatur Æthiopia, dubium esse non potest, quam Æthiopiam intelligi velit Propheta: non equidem aliam, nisi eam sub Ægypto, nimirum illam Ægypto & Libyæ conterminam, quam omnes auctores communiter nomine Æthiopiæ censent. Hæ enim tres prouinciæ, Ægyptus, Libya, & Æthiopia, vicinæ sunt atque confines: quas certum est, vt Daniel prædixit, occupandas bellorum turbine ab Antichristo.

Æthiopiam quidem magna ex parte olim fuisse Imperij Romani, perspicuum est ex Strabone lib. 17. Plinio lib. 6. cap. 29. Dione lib. 54. qui bella Publij, vt Plinius, vel Caij, vt Dio, Petronij, Ægypti Præfecti, cum Candace Æthiopum regina, tempore Augusti Cæsaris describunt.

Iam verba ipsa Danielis expendamus. *Per Libyam quoque & Aethiopiam transibit.* Hebræa ad verbum variè redduntur. Forsterus iungit præcedentibus: *& in cunctis desiderabilioribus Aegypti, & Libyæ, & Aethiopiæ per ingressus suos.* Sanctes, *& Lubim, & Chusim in gressibus eius.* Leo Iudas: *Libyes denique & Aethiopes erunt in eius profectionibus.* Tremellius & Iunius: *Libyésque & Aethiopes comitabuntur gressus eius.* vel, *ad gressus eius erunt.* Vatablus & Auenarius: *& Libyes & Aethiopes in gressibus eius, id est, sibi subiiciet, & tanquam Victor & Dominus liberè gradietur in illis locis, q. d. Per Libyam, id est, Africam, & per Æthiopiam transibit liberè, & illas sibi subiiciet.* Marinus, *& Libyes, & Æthiopes in gressus eius, hoc est, auxiliatores incessus illius. Quidam censent Tzade* צ, *positum esse pro Samech* ס, *id est, fulcimine, quod non placet.* Id secutus est Schindlerus, qui hæc annotat: *MITZADIM, pro MISADIM, litteris Tsade, & Samech permutatis, fulcra. Daniel. 11. & cunctis desiderabilibus Ægypti, Libyæ, Æthiopiæ in fulcris suis.* Sed neque hic, neque ille Marini sensus vllo modo probandus: siquidem, vt latè ex sententia Patrum & Interpretum demonstrauimus, Daniel non canit Libyes & Æthiopes venturos auxilio Antichristo: sed potiùs vincendos, debellandos, & subiugandos ab Antichristo.

Verbum צעד *TZAAD*, propriè est incedere cum pompa, & ornatu. Passissauit, passegiauit. Vulgatus interdum *calcare*, & *conculcare* reddit, vt Iob 18. 14. Habacuc 3. 12. vnde hîc possit exponi: *& Lubim & Chusim in conculcationibus eius.* id est, conculcabit, pessumdabit, proteret, deuastabit eas prouincias. Vel, in passibus eius; hoc est, in has primùm ac potissimùm cogitabit.

Hispani

Hispanicè, *Seran sus passos, o passeos.* Vel victor & triumphator per eas pompaticè incedet. LXX. totum locum ita expressêrunt : *Et dominabitur in reconditis auri, & argenti, & in omnibus desiderabilibus Aegypti, & Libyum, & Aethiopum in munitionibus eorum.* Vt Antichristus nedum prouincias illas inuasurus & debellaturus : sed & earum arces & munitiones occupaturus, iisque sua præsidia impositurus referatur.

Verùm opportunè hîc disquirendum, cur Antichristus initio statim regni sui, tres istas prouincias Ægyptum, Libyam, & Æthiopiam potiùs quàm alias sit inuasurus, præsertim cùm istæ satis distent à Babylonia, vbi ipse regnare incipiet ? Num fortassis, quia istæ eo tempore futuræ sunt omnium ditiores & opulentiores, atque validiores ? Sed id in obscuro est. An quia Aegyptus validissima prouincia Imperij Romani, semper ineundo aut capessendo Imperio opportunior visa. Cornelius Tacitus Annali 2. *Tiberius Germanicum acerrimè increpuit, quòd contra instituta Augusti, non sponte Principis Alexandriam introisset : nam Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus, aut equitibus Romanis illustribus, sepositi Ægyptum : ne fame vrgeret Italiam, quisquis eam prouinciam, claustraque terræ ac maris, quamuis leui præsidio aduersus ingentes exercitus insedisset.* Et Historiarum 1. *Aegyptum, copiásque quibus coërceretur, iam inde à Diuo Augusto, equites Romani obtinent loco regum. Ita visum expedire, prouinciam aditu difficilem, annonæ fœcundam, superstitione ac lasciuia discordem & mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum domi retinere.*

Arrianus lib. 3. Expeditionum Alexandri Magni : *Alexander Ægypti Imperium in plures Præsides partitus esse dicitur, naturam regionis miratus simul & munimenta, neque tutum ratus vniuersum Aegypti imperium vni committere. Quod quidem Alexandri consilium imitati Romani in tuenda Aegypto mihi videntur : neminémque Senatorij Ordinis, sed equestris Proconsulem eò mittere.* Dio lib. 51. *Aegypto autem postea tributariæ factæ Cornelium Gallum præfecit Augustus. Multitudo sanè hominum, vrbium, ac agrorum, ac mores eius gentis leues, tum copia annonæ & pecuniæ efficiebant, vt non modò committere prouinciam Senatori nulli auderet, sed & proficiscendi in Aegyptum potestatem, nisi ipse nominatim alicui permisisset, Senatoribus adimeret : adeò enim suspectos Aegyptios studij nouarum rerum habebat, vt nemini eorum Senatorum esse Romæ permiserit : sed ceteris quidem vrbibus suo vnicuique modo, Alexandrinis verò sine Senatoribus rempublicam administrare iusserit.*

Iosephus lib. 5. Belli Iudaïci, cap. 11. de Vespasiano capessente Romanum Imperium, ait : *Mutiano autem, ceterisque rectoribus, qui eum ad Imperium inuitarant, & exercitu alio vociferante, vt se in hostes omnes duceret, prius res Alexandrinas procurandas putauit : sciens Aegyptum plurimam esse partem Imperij, propter frumentariam functionem : eáque si potitus esset, vi quoque, si perstaret, Vitellium deiiciendum sperabat, nec enim perpessurum esse populum fame oppressum. Cogitabat etiam propugnaculo sibi fore illam regionem aduersus incerta fortunæ : nam & terra difficilis accessu, marique importuosa est.* Et post alia : *Itaque non sine ratione Vespasianus Alexandrinarum rerum erat cupidus ad totius imperij firmamentum.*

Succurrit & alia non prorsus repudianda ratio, cur Antichristus initio statim regni sit occupaturus tres istas Prouincias Ægyptum, Libyam, Africam, nimirum quòd hæ præ ceteris, post Babyloniam, vbi Antichristus regnum auspicabitur, erunt illis temporibus refertæ Iudæis, qui futuri sunt præcipuè regni Antichristi administri, quorum præcipua opera, ab iis pro Messia susceptus, monarchiam sibi comparabit. Horum enim ope & viribus adiutus, facilè tres illas prouincias in potestatem rediget. Hæc siquidem perfida natio in Antichristi tragœdia agitanda priores partes obtinebit ; omnia vbique tumultu & seditione replendo.

Non est hæc vana coniectura : constat enim & priscis & recentioribus temporibus Ægyptum & Libyam, atque Æthiopiam innumeris abundasse Iudæis : de infinita Iudæorum multitudine Alexandriam, & Ægyptum incolente, vbique Iosephus est Auctor : sed cumprimis lib. 2. Belli, cap. 21. narrat, orta seditione quadam sub Nerone Alexandriæ quinquaginta Iudæorum millia fuisse trucidata. Sed & Philo in Flaccum Ægypti Præfectum : *Cùm sciret ciuitatem Alexandriam habere incolarum duo genera, nostros homines, & illos alteros, totámque Aegyptum similiter, & quòd non minus quàm decies centena millia Iudæorum habitent Alexandriam, totámque regionem, quanta patet à Catabathmo Libyæ, vsque ad terminos Aethiopiæ, &c.*

In Libya verò Pentapolitana, & Cyrenaïca plurimos habitasse Iudæos, ac seditiones sub Vespasiano Principe mouisse, Iosephus lib. 7. Belli, cap. 31. perscribit. Sed & de alia Iudæorum Cyrenensium sub Traiano seditione Dio lib. 68. extremo hæc prodit : *Interim Iudæi qui circum Cyrenem habitabant, Andrea quodam duce, Romanos pariter atque Græcos concidunt, vescuntúrque eorum carnibus, edúntque viscera, tum oblinuntur eorum sanguine ; & pellibus induuntur : multos à vertice serris discidêre medios, multos obiecere bestiis, multos etiam certare inter se coëgerunt : ita vt interierint hominum ad ducenta viginti millia.* De hac etiam fœda Iudæorum apud Cyrenas rebellione pluribus agit Eusebius lib. 4. Historiæ Ecclesiast. cap. 2.

De Æthiopiæ quoque Iudæis ex historia Æthiopiam ista excerpsit Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 122. *Regina Saba in Aethiopiam secum duxit duodecim Iudæorum millia, mille scilicet, è singulis tribubus, quibus ibi magno numero propagatis, iam Aethiopes præsertim nobiles se è semine Israëlis esse gloriantur.* Ludouicus Carretus ex Iudaïsmo ad Christum conuersus, in Epistola, quæ inscribitur, *Liber visorum diuinorum aduersus Iudæos*, cuius meminerunt Simlerus & Possevinus in Bibliothecis, inquit : *Quin etiam iam olim multi sunt Christiani Indi atque Aethiopes in medio regno Presbyteri Ioannis, quorum bona pars sunt è semine Israël, cùm miserit rex Salomon illuc reginæ Sabææ amore, eiúsque rogatu, cùm ab eo discederet, duodecim hominum millia, millenos è singulis tribubus : ibique creuerunt, atque propagati sunt, sicut arena maris : & singuli secuti sunt sua signa militaria, sicut scriptum est in Annalibus regum Indorum.* Hoc ipsum tradit Ioannes Barrius in 3. Decade, lib. 4. cap. 2. Vide Ioannem Pinedam de Rebus Salomonis

lib.5. cap. 14. §. 9. num. 49. Nicolaum Godinum lib. 1. de Abyſſinorum rebus, cap. 7. vt interim omittam fabuloſa multa quæ Eldad Danius Hebræus de Hebræis in Æthiopia fluuio Sabbatico Clauſis memoriæ prodidit peculiari libello, quem à ſe Latinè conuerſum edidit Genebrardus: cuius lectio meritò eſt ab Eccleſia interdicta. Benjamin Tudelenenſis Iudæus qui temporibus Alexandri III. Romani Pontificis, orbem peragrauit, multa de Iudæis tunc in Ægypto, Libya & Æthiopia degentibus refert in Itinerario ſuo, interprete Aria Montano: ſed & noſtra ætate multos Iudæos, vt ſe feralis natio longè latéque per mundum ſparſit, in eiſdem prouinciis reperiri, nimis eſt compertum. Cùm certùm ex prædictis ſit Æthiopiam illam Ægypto proximam & confinem debellandam & occupandam ab Antichriſto, in dubium iam vertitur, num intima illa & ima Æthiopia, quam Imperio tenet magnus Abyſſinorum monarcha, de qua multa diximus lib. 4. cap. 13. armis ſubiuganda & deuaſtanda ſit ab Antichriſto. Niſi fortè id ei euenturum ſatis minentur errores & ſchiſma quibus adhuc hodiéque implicatur.

Ceterùm hoc Danielis vaticinium quod hactenus expoſuimus de regnis ſeu prouinciis Ægypti, Libyæ, Æthiopiæ ab Antichriſto debellandis, omnino conferendum eſt cum alio oraculo eiuſdem Danielis cap. 7. verſ. 8. *Conſiderabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum: & tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius.* Exponénſque Angelus Danieli hanc cornuum allegoriam, ait verſ. 24. *Porrò cornua decem ipſius regni, decem reges erunt: & alius conſurget poſt eos: & ipſe potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit.* Quod ſanè Oraculum lib. 5. cap. 24. fusè explanauimus, diximúſque decem cornua, futuros decem reges qui prope finem rerum, Imperium Romanum extinguent, & inter ſe diuident: quibus regnantibus exurget Antichriſtus, qui tres ex illis decem bello vincet, & interficiet. Hos autem tres reges delendos ab Antichriſto, futuros regem Ægypti, regem Libyæ, & regem Æthiopiæ, ex vaticinio Danielis quod nuper cap. 15. & ſeqq. huius libri interpretati ſumus, Patres, & recentiores magno conſenſu docuêre. S. Hippolytus Martyr Oratione de Conſummatione Mundi: *Quod cornu demonſtrat pullulum alium non eſſe, niſi Antichriſtum, qui ſuſcitabit regnum Iudæorum. Tria cornua quæ ab eo radicitus euellentur, tres reges indicant, Ægypti, Libyæ, Æthiopum, quos deleturus eſt acie bellica.*

S. Hieronymus in Daniel. 7. ad verſ. 8. *Ergo dicamus, quòd omnes Scriptores Eccleſiaſtici tradiderunt. In conſummatione mundi, quando regnum deſtruendum eſt Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter ſe diuidant, & vndecimum ſurrecturum eſſe regem paruulum* (Antichriſtum) *qui tres reges de decem regibus ſuperaturus ſit, id eſt, Ægyptiorum regem, & Africæ, & Æthiopiæ, ſicut in conſequentibus* (nempe ad Daniel. 11. verſ. 40.) *manifeſtius dicemus. Quibus interfectis, etiam ſeptem alij reges victori* (Antichriſto) *colla ſubmittent.* Et in Daniel. 11. ad verſ. 40. *Noſtri autem ad Antichriſtum & iſta referentes, dicunt, quòd primùm pugnaturus ſit contra regem Auſtri, id eſt, Ægypti, & poſtea Libyas, & Aethiopias ſuperaturus: quæ de decem cornibus tria contrita cornua ſuprà legimus.* Nempe Daniel. 7. v. 8.

Theodoretus in Daniel. 11. ad verſ. 42. *Et hæc minimè conueniunt Antiocho, qui neque Libya, neque Aethiopia, neque etiam ipſa Aegypto potitus eſt: iuſſus enim à Romanis, reuerſus eſt. Vt hinc tria cornua ſignificentur, quæ à paruo cornu euerſa ſunt: námque tres nationes maximas, Ægyptum, Æthiopiam, & Libyam, quæ à tribus, vt veriſimile eſt regibus obtineantur, iſte deſtruet, & in ſuam rediget poteſtatem.*

S. Beda in 17. Apocalypſis: *Et habebat cornua decem: & ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum: & tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius. Et Antichriſtum de Babylone natum, Aegypti regem, & Africæ, & Aethiopiæ ſuperaturum. Quibus interfectis, etiam ſeptem alij reges victori colla ſubmittant.* Eadem totidem verbis habent Strabus & Anſelmus Laudunenſis in Daniel. 7. ad verſ. 8. Et hanc quidem eſſe communem mentem Patrum & recentiorum, eodem lib. 5. cap. 24. abundè demonſtrauimus. Vide ſupra cap. 15. initio, & ſeorſim, Sanderum lib. 8. de Viſibili Eccleſiæ Monarchia, cap. 6. & 40. Bellarminum lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 16. Henriquez de Fine Hominis cap. 25. Suarez tomo 2. in 3. part. diſput. 54. ſect. 5. & lib. 5. contra Anglicanos errores, cap. 22. Riberam in 12. Apocalypſ. num. 11. & ſeqq. Viegam in 13. Apocalyp. comment. 2. ſect. 10. Leſſium lib. de Antichriſto, cap. 14. & alios.

Quæ facturus ſit Antichriſtus poſt occupatas Ægyptum, Libyam, & Æthiopiam, earúmque reges deletos.

CAP. XX.

INcredibili celeritate inſtar violentiſſimi fulminis, Ægypto, Libya, Æthiopia debellatis, ingens ſibi nomen & famam rerum geſtarum comparabit Antichriſtus, totúmque orbem terrore & perturbatione complebit. Opera cumprimis dæmonum, & miniſtrorum Antichriſti, quos promptiſſimos ad omnia ſcelera habebit, maximi vbique ſpargentur rumores, nullum vnquam fortiorem & meliorem regem exortum. Sed antè alios, Iudæos toto orbe diſperſos, ac palantes incendet infernalibus œſtris diabolus genus hominum clamoſum, turbulentum, atrox, atque in ſeditiones & motus efferatiſſimum. Hi quod ſibi iam perſuadere cœperint, Meſſiam à ſe tamdiu expectatum aduenisſe, qui ipſos ex tam diuturnis, laborioſiſque exiliis in ſolum patrium, vrbemque Ieroſolymam reducat, vt cum eo in Iudæa regnent, gentéſque peſſumdent, imperioque ſubiiciant, ac vitam deinceps agant beatam, in ſumma rerum omnium felicitate & copia: immane dictu! ex tam longa diſperſionis mora ſubito in tantas ſpes erecti, quam nimium ſui præ gaudio impotentes, vbique tumultuabuntur ac perſtrepent, barbaras nationes concitabunt, omnia turbabunt: cunctíque in Iudæam effræni impetu ſe proripient, ruéntque viſuri & ſecuturi Meſſiam, quem tantopere concupiſcunt.

Eſt quoque valde veriſimile Iudæos tunc vel immenſa pecuniarum profuſione conductos, vel ſpontè claritudine nominis & victoriarum noui regis Antichriſti permotos, potiſſimum anni-

tente

tente Diabolo immensas secum ad Antichristum in Iudæam barbararum & immanium gentium copias, vt sub signis eius militent, pertracturos: tuncque venturos Gog & Magog in auxilium Antichristo. Hincque initium sumi rerum à S. Ioanne Apocalyp. 20. 7. prædictarum: *Et quum consummati fuerint mille anni, soluetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris, &c.* Quod vaticinium lib. 12. cap. 6. 7. & 8. & 9. copiosè elucidabimus.

At Antichristus quàm primùm subegerit prouincias Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ, illico terram Iudææ inuadere cogitabit: id enim ipse præcipuè cupiet atque curabit, vt Iudæi eum Ierosolymis regnantem aspiciant, quò se possit illis vt verum Messiam venditare. Verùm sunt hæc omnia ex Danielis oraculis firmiùs stabilienda. Diuinus enim vates postquam prædixisset Antichristum potiturum Ægypto, Libya, Æthiopia, statim eodem cap. 11. vers. 44. subdit: *Et fama turbabit eum ab Oriente & ab Aquilone.* S. Hieronymus: *Et in hoc loco Porphyrius tale nescio quid de Antiocho somniat: Pugnans, inquit, contra Ægyptios, & Libyas, Æthiopiásque pertransiens, audiet sibi ab Aquilone & ab Oriente prælia concitari: vnde & regrediens capit Aradios resistentes & omnem in littore Phœnices vastat prouinciam. Confestimque pergit ad Artaxiam regem Armeniæ, qui de Orientis partibus mouebatur, & interfectis plurimis de eius exercitu, ponit tabernaculum suum in loco Apadno, &c.*

Veldius: *Subindicat enim Angelus qualis sit Antiochi futura ruina, quam ex libris Machabæorum & Iosepho satis omnibus esse cognitam arbitror. Dum enim in Iudæa pugnatum contra Iudam Machabæum infeliciter per nuntios intelligit, suas copias quas in Persida habebat, esse fusas ac profligatas: vnde videbat imminutam esse regni Syriaci potentiam, occasione defectionis Persarum, Parthorum & Babyloniorum. Hi rumores dum Antiocho adferuntur, tam ab Oriente quam ab Aquilone, quibus ille efferatior factus, multò acerbiùs solitò cœpit in victos sæuire, omnem in littore Phœnicis vastauit prouinciam, regem Armeniæ Artaxiam bello petiuit.*

Maldonatus: *Iudæa si cum Ægypto comparetur, ad Orientem Meridionalem sita est: 2. autem Machabæorum lib. cap. 5. scribitur Antiochus suspicione Iudaicæ ab eo defectionis ex Ægypto discessisse. His itaque gestis, ait auctor ille, suspicatus est rex societatem deserturos Iudæos, & ob hoc profectus est ex Ægypto efferatis animis, ciuitatem quidem armis cepit, iussit autem militibus interficere, nec parcere occurrantibus, & per domos ascendentes trucidare. Hoc ergo est quod hoc versu 44. à Daniele prædicitur. In hac interpretatione cuius Polychronium grauissimum auctorem habui, penitus acquiesco.*

Isidorus Clarius: *Qui de Antiocho intelligunt, sic dicunt, cognoscens in Iudæa turbas & tumultus excitatos ob mutuas Iasonis & Menelai contentiones, auditis illis, velociter reuersus est.*

Verùm locum hunc de Antichristo omninò intelligendum constans est Ecclesiasticorum Patrum assertio. S. Hieronymus: *Nostri autem extremum visionis huius capitulum super Antichristo sic exponunt: quòd purgans contra Ægyptios, Libyásque, & Æthiopias, & tria cornua de decem cornibus conterens, auditurus sit de Aquilonis & de Orientis partibus aduersum se bella consurgere: quòd veniens cum magna multitudine, vt conterat, & interficiat plurimos, &c.*

Theodoretus: *Nec hoc quidem in Antiochum conuenit, quem non fama ita perturbauit, vt ab Aegypto recesserit: sed Romanorum decretum ab Occidente, non ab Oriente missum, de hoc verò.* (Antichristo) *ait fore, vt capta Aegypto, Libiáque, & Aethiopia, & in suam ditionem redacta, reuertatur, & multo furore percitus veniat, deleat, & anathematizet multos, &c.* Atqui de Antichristo quoque interpretantur, Anselmus Laudunensis, Lyranus, Vatablus, Isidorus Clarius, Pintus, Pererius, Sà, Maldonatus etiam.

Et quidem S. Hieronymus, Anselmus, Lyranus, Vatablus, Pererius, Sà, Maldonatus famam hìc bellorum exponunt, quòd Antichristus animo magnopere percelletur, quum fama ad eum perferetur, gentes multas ab Oriente & Aquilone bella contra ipsum parare. Sed Lyranus, Pererius, & alij singulariter intelligunt, Christianorum principum illos futuros bellorum apparatus, qui ab Oriente & ab Aquilone coniunctis viribus sese Antichristo opponere, eiúsque conatus infringere tentabunt. Lyranus: *Quia fama Sanctorum nolentium Antichristo obedire, turbabit eum: vel fortè fama aliquorum regum fidelium, ei resistere volentium.* Isidorus Clarius aliter: *Tunc aduersus illum concrepabit tuba Euangelicæ prædicationis: quare sic terrebitur, vt quidquid furoris habeat, in Sanctos Dei effundat.*

Sed nos re tota acriùs expensa, iusta cum ratione existimamus hunc esse genuinum sensum verborum Danielis: Antichristum occupatis Ægypto, Libya, & Æthiopia expeditionem in Iudæam adornantem, rumore ad ipsum perlato ingentes gentium exercitus ex Oriente & Aquilone descendere, ac Iudæam versus iter intendere, turbandum mirum in modum animo iri, & animo incerto fluctuaturum, num tantæ copiæ pro se aut contra se excitatæ sint. Hos autem immensos exercitus proculdubio arbitramur futuros illos Gog & Magog, & aliarum nationum, sed præcipuè Iudæorum infinita examina, qui concitato Oriente & Aquilone innumeras barbaras gentes, & cumprimis Gog & Magog, vel mercede conductas, vel spe magnarum rerum impulsas, Antichristo militaturas pertrahent. Et quamuis tot, tantæque copiæ, Iudæorum, dæmonúmque impulsu ad militandum sub signis Antichristi sint aduolaturæ: at variæ cogitationes animum Antichristo in diuersa rapient, intérque metum & spem, necdum plenè cognitis & exploratis rebus, anxiè distrahent: reputante nimirum illo, vt in magnis eiusmodi casibus, claris Imperatoribus vsu venire solet, an vasti illi exercitus, à Christianis Principibus, aut ab aliis regibus aduersus ipsum cogantur, an verò eius partes acturi, próque eo pugnaturi adueniant. Hanc autem esse germanam Danielis mentem, & series rerum Antichristi, & loci Scripturæ apertissimi, & gentes quæ erunt in exercitibus eius, de quibus posteà ex ordine, & accuratè dicemus tam perspicuè ostendunt, vt ineptum prorsus sit dubitare. Sed excutiamus verba diuina.

Et fama turbabit eum, &c. Ad verbum: *Et auditus* (rumores, famæ) *accelerabunt eum*, seu *festinare facient eum, vrgebunt, præcipitabunt eum terribiliter*, vel *subito terrore percellent.* Verbum enim BAHAL in Piel, vt hìc ponitur, festinationem, sollicitam celeritatem, properantiam, & terribilem

lem præcipitationem propriè denotat, etiam noſtro Vulgato, vt 2. Paralipom. 35. 21. Eſther 8. 14. Prouerb. 20. 21. Eccleſiaſtes 5. 1. cap. 7. 10. LXX. *Et auditiones*, ſeu *rumores*, *& feſtinationes*, ſeu *celeritates perturbabunt eum ab oriente*, *& ab Aquilone*. Vt planè turbationem hanc Antichriſti, nedum animi incerti & fluctuantis agitationem, ſed celeritatem & feſtinationem profectionis Antichriſti ex Ægypto in Iudæam capiamus. Cùm enim vt primùm in poteſtatem redegerit Ægyptum, Libyam, & Æthiopiam, audierit immanes exercitus ab Oriente & Aquilone erumpere: tametſi initiò animo non nihil percellatur, incertus quò gentes illæ ferantur: at mox vbi certiſſima fama, & compertiſſimis nuntiis acceperit, copias Gog & Magog, aliarumque gentium ad ſe aduentare ipſi militaturas, incredibili gaudio incenſus, atque ardentiſſimo deſiderio flagrans quamprimum illis occurrendi, eáſque excipiendi, ac ſibi adiungendi, momento vaſa conclamare, incredibili celeritate exercitum proficiſci, raptímque cum magna turbatione & ſtrepitu cunctos iter properare ac præcipitare iubebit. Hugo Etherianus lib. de Regreſſu Animarum ab inferis, cap. 23. legit hunc locum: *Et fama crebreſcet de eo ab Oriente & ab Aquilone.* Vt nimirum fama Antichriſti longe latéque ſparſa ad Orientem & ad Aquilonem, ex illis partibus ad ſe exciat innumerabiles populos.

Tunc autem quando tot ferarum gentium agmina ab Oriente & Aquilone ad Antichriſtum ſeſe effundent, exiſtimamus euenturum, quod Ioannes prædixit Apocalyp. 16. 12. *Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem: & ſiccauit aquam eius vt præpararetur via regibus ab ortu Solis.* 13. *Et vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ ſpiritus tres immundos in modum ranarum.* 14. *Sunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.* Sed hoc Vaticinium cap. 34. elucidabimus ex profeſſo.

Iam de aduentu & expeditione Antichriſti ex Ægypto, Libya, & Æthiopia in Iudæam dicere aggrediamur: neque id ſanè aliis verbis quàm ipſiuſmet Danielis, qui cap. 11. poſtquam verſu 40. dixiſſet, Antichriſtum Ægypti regem deuicturum, totáque prouincia potiturum, adiecit verſ. 41. *Et introibit in terram glorioſam.* Et quamuis Daniel poſteà verſ. 42. & 43. ſcribat Antichriſtum Ægyptum, Lybiam, & Æthiopiam ſubacturum: at eſſe manifeſtum hyſteron proteron, & non niſi poſt occupatas Ægypti, Lybiæ, & Æthiopiæ prouincias Antichriſtum venturum in terram glorioſam, & ordo rerum gerendarum Antichriſti, & Patres, & interpretes ex arcano Danielis ſermone haud dubiè intellexerunt. Vnde S. Hieronymus: *Noſtri autem ad Antichriſtum & iſta referentes, dicunt, quòd primùm pugnaturus ſit contra regem Auſtri, id eſt, Ægypti, & poſtea Libyas, & Æthiopias ſuperaturus: quæ de decem cornibus tria cornua contrita ſupra legimus: & quia venturus ſit in terram Iſraël: & multæ ei vel vrbes, vel prouinciæ daturæ ſint manus.* Eadem quoque recentiores Interpretes annotarunt.

In terram glorioſam. Hebraicè, *terram TZEBI.* S. Hieronymus: *Veneritque ad terram inclytam, id eſt, Iudæam, quam Symmachus terram fortitudinis interpretatus eſt: pro qua Theodotio ipſum verbum Hebraïcum poſuit TZEBI.* LXX. in Editione Romana: *terram Sabaïm.* Vbi Græca Scholia: *Sabaïm, eam quæ eſt Æthiopum: pronepotes enim Sabæ ſunt Æthiopes.* Ridiculè. Apud Theodoretum, *terram Sabir. Rurſum terram Sabir Ieroſolymam declarauit.* Idem S. Hieronymus eodem Danielis cap. 11. verſ. 16. vbi dicitur: *Et ſtabit in terra inclyta*, hæc annotat: *Terram inclytam, ſiue vt LXX. interpretati ſunt, voluntatis, hoc eſt, quæ complaceat Deo, Iudæam ſignificat, & propriè Ieruſalem. Pro terra inclyta, quod interpretatus eſt Aquila, quem nos in hoc loco ſecuti ſumus Theodotio ipſum Hebraïcum verbum poſuit Sabin: pro quo Symmachus vertit, terram fortitudinis.* Theodoretus in hunc etiam locum: *Quædam exemplaria in terra Sabair, habent: & quidam eorum, qui Hebræorum vocem in Græcam tranſtulere, voluntatis terram, terram Sabaïr vocarunt, ſignificátque promiſſionis terram, quæ voluntatis erat, & montem Sion quem dilexit, & in quo bene placitum eſt Deo habitare in eo. Et Sabaïr, virtutum, ſiue exercituum interpretantur. Siue igitur terra voluntatis, ſiue terra exercituum Iudæa vocata ſit: etenim ſuprà quoque exercituum ipſam appellauit: hîc etiam Sabaïr, ſiue Sabir eam nuncupat.* Græca item Scholia: *In terra Sabi, in Iudæa. Hæc enim per legem erat regio voluntatis Dei gloriæ, & virtutis: horum enim vnumquodque interpretatur illud Sabi.* Hebraïca vox TZEBI, præter notum ac vulgatum, capreæ, capreoli, hinnuli ſignificatum, quod ad præſens non pertinet, aliud etiam habet, quod qui Hebraïca tractarunt, in hunc modum expreſſerunt. Reuchlinus: *TZEBI, præcipuum, iucundum, beneplacens, decorum, & egregium. Inde terra Iſraël eo nomine dicta eſt, ſcilicet beneplacens, decora & Deo præcipua.* Sanctes: *TZEBI, Gloria, decor, voluntas, deſiderium, amor, Terra Iſraël, quia ceteris eſt deſiderabilior.* Forſterus: *Tzebi, mutata ה Hè, littera in י Iod. Et generaliter de qualibet re dicitur, quæ pulchrè ſtat ſurſum, & iucundè conſtituta eſt, mentémque & ſenſum erigit ac iuuat, inflat, ac dilatat, quæque ad ſe amandam allicit, & ex qua voluptas aliqua & oblectatio capitur. Nam & Chaldæus CHEDEVAH, id eſt, gaudium reddidit. Epitheton Iudææ, ſeu Ieroſolymæ.*

Forerius in 4. Iſaïæ ad verſum 2. *TZEBI, de qualibet re dicitur, quæ eleganter, aptè, & appoſitè conſtituta eſt, animóſque videntium & oculos in ſe conuertit, allicit ac rapit in contemplationem & amorem ſui, atque etiam mirabili iucunditate & lætitia perfundit: Vnde & Chaldæus reddidit CHEDEVAH, id eſt, gaudium.* Marinus: *TZEBI, nomen maſculinum genere & declinatione. Dubitatur autem de radice: nam aliquibus eſt propria, & tunc etymon vocis ignoratur. Alij deducunt à TZABAH Syriaco, quaſi iucundus, & voluntatem, complacentiam pulchritudine ſua attrahens. Et quidem hac dictio in Sacris litteris ſignificat etiam voluntatem & complacentiam, à dicta radice forſitan: nam hîc non habet locum ſignificatio tumoris TZABAH radicis Hebraïcæ. Hinc eleganter vſurpatur de aliquibus regionibus, & præſertim de Ieruſalem, quod loci amœnitate voluntatem omnium in ſe excitant.* Pomarius: *TZEBI, gloria, decor: vnde Danielis 8. exponitur pro terra Iſraëlitica, quæ cæteris pulchrior fuit.* Auenarius: *TZEBI, iucunditas, gloria, alacritas tumeſcens, iucundiſſima terra.*

Mercerus: *TZEBI, gloria, decor: Terra Iſraël, κατ' ἐξοχήν ſcilicet: alicubi de Ieroſolyma peculiariter dici videatur. Voluntas, deſiderium, amor. Hîc non iam locum habet præcedens ſignificatio tumeſcen*

meſcendi verbi TZABAH, *vt quidam putarunt, violenti nimium, quaſi ita generaliter dicatur res omnis pulchrè ſurſum ſtans, & iucundè conſtituta, ſenſum & animum inflans, dilatans, ac erigens ſua iucunditate, & elegantia. In his omnibus communicat Hebræus cum Chaldæo, apud quem hæc radix eſt, placere, iucundum eſſe. Nomen ergo hoc iucunditatem ſonat.* Hæc contra Forſterum.

Schindlerus: *TZEBI, ex vſu Chaldaïco eſt, iucunditas, pulchritudo, delectatio, decor, voluptas, deſiderium, voluntas. Vnde pro terra Sancta accipitur.* Buxtorfius: *TZEBI, decus, gloria, ornamentum, ſic dicta, quòd hæc animum tumidum reddant. Iudæa hoc elogio aliquoties appellatur.* Conſentiunt itaque omnes, hoc nomine TZEBI, peculiariter κατ' ἐξοχὴν, in Scriptura Terram ſanctam, ſeu Iudæam & propiùs interdum ipſam Ieroſolymam, frequenter inſigniri; quòd glorioſa, decora, præcipua, inclyta, amœna, pulchra, iucunda, voluptuoſa, delicata, eximia, præſtantiſſima, optima, cunctis amabilis, & deſiderabilis, omnium animos & voluntates alliciens, implens, voluptate & oblectatione capiens, gaudium denique vniuerſæ terræ ſemper ſit habita. Quum autem vox TZEBI de Terra Iſraël, ſeu Iudæa, aut Ieroſolyma dicitur, variè à Noſtro Interprete, ſed fermè in eundem ſenſum, exponitur: 2. Regum, 1. 19. Daniel. 11. 16. *inclyta*; Ezechiel. 20. 6. *egregia*, & verſ. 15. *præcipua*: Daniel. 8. 9. *fortitudinem*, id eſt, terram fortitudinis.

Eiuſmodi glorioſis encomiis ſacri vates Iudæam, ac præſertim Ieroſolymam plerumque exornabant, Pſalm. 86. 3. *Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei.* Pſalm. 42. 2. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ.* Hebraïcè, *Pulchra*, (*decora*) *regio.* vel, *pulchrum clima*, ſeu *pulcher ſurculus*, vel *tractus*, aut, *pulchrum fauum mellis, gaudium omnis terræ.* Locus per otium alibi elucidandus. Threnorum 2. 15. *Ieruſalem vrbs perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ.* Sed & Ieruſalem elogia præclarè executus eſt S. Tobias cap. 13. Quin & externi auctores eandem mirificè prædicant. Cornelius Tacitus Hiſtoria V. *formoſam vrbem.* Plinius lib. 5. cap. 14. *Clariſſimam vrbium orientis* appellant. Si tam illuſtribus nominibus & Sacri & humani Scriptores vrbem illam meritò inſigniuere, in qua Deus religionem ſuam & cultum ſtatuit, & tanta, támque diuina patrauit opera: iure nunc à nobis ſplendidioribus titulis eſt efferenda, quam Deus ipſe homo factus, ortu ſuo, vita, prædicatione, miraculis, doctrina, præſentia, veſtigiis, ſanguine, morte, humanitate ſua adeo ſacroſanctam reddidit: alioqui triſtis, & mœrens ſub iugo Turcarum oppreſſa iacet, ita Deo permittente propter ſcelera noſtra, qui malumus luxui & vitiis inſeruire, quàm terram pedibus Dei noſtri calcatam & conſecratam vendicare. Sed vtinam Chriſtus Optim. Maxim. eam mentem, animum, vires Chriſtianis Principibus inſpiret, vt beatam illam terram tandem reciperent.

Victor Antichriſtus rediens ab Auſtrinis prouinciis Ægypto, Libya, Æthiopia, ſumma celeritate in Iudæam, ac Ieroſolymam contendet: vt ibi cùm innumerabilium Iudæorum multitudinem, tum vaſtas Gog & Magog, & aliarum gentium copias ad ipſum aduentantes excipiat, quibus ſuos exercitus multo auctiores & validiores reddat, atque immanem & incredibilem ſibi fundet ac ſtatuat potentiam. Tunc equidem potitus terra Iudæa & Ieruſalem, ſe Iudæorum Meſſiam declarabit, ac totius orbis monarcham, regem, & Imperatorem ingenti omnium gentium conſenſu & applauſu pronuntiabit.

Nec leuis eſt coniectura, Antichriſtum ex Ægypto in Iudæam venientem, circumducto itinere per vrbem Dan, quæ limes ac terminus Aquilonaris eſt Iudææ, ingreſſurum in ipſam prouinciam: imò non ſine ratione ſuſpicamur, in eadem vrbe Dan aliquamdiu ſubſtiturum, ibique expectaturum, atque excepturum exercitus Gog & Magog, ac Iudæorum, ceterarúmque nationum, qui ipſi militaturi venient. Quibus exceptis, & ex his, atque aliis quæ anteà iam habebit, copiis, conflatis immenſis peditum, equitúmque exercitibus, conſtitutis ducibus, diſtributis ordinibus, omníque apparatu bellico comparato, atque ad maximum hoſtium terrorem cunctis diſpoſitis, indè terrifico ſtrepitu, & horriſono tot gentium armatarum reboatu, equitatúſque procella, & hinnitibus tormentorum innumerabilium horrendo fragore, armorum ſe concutientium ſonitu, clamore omnium & lætitia, mouebit, terramque Iudæam ex ea parte inuadet, tanta cum potentia, & agminum robore, vt terra ipſa conuelli, concuti, diſrumpi, cælum ruere, & mundus ſede ſua moueri videatur: ipsámque prouinciam & vrbem Ieroſolymam momento ferè occupabit, vel bello vel hoſtium deditione.

Id quidem proſpexiſſe viſus eſt Ieremias, quum cap. 8. 16. ait: *A Dan auditus eſt fremitus equorum eius, à voce hinnituum pugnatorum eius, commota eſt omnis terra. Et venerunt & deuorauerunt terram, & plenitudinem eius, vrbem, & habitatores eius.* Hunc enim locum myſtico ſaltem ſenſu intelligi poſſe de Antichriſto, quòd quum primùm Terram Sanctam ingredietur, ab ipſa vrbe Dan Boreali termino eius Prouinciæ, omnem equitatum & peditatum, atque apparatum belli ſit excitaturus, & per eam vrbem in Iudæam ſit irrupturus, lib. 3. cap. 8. copiosè demonſtrauimus. Iam hîc ad ordinem hiſtoriæ & rerum ab Antichriſto gerendarum, ſunt nonnulla obſeruanda.

Primò, Antichriſtum, occupata Terra ſancta, & Ieruſalem vrbe in poteſtatem redacta, in ea ciuitate ſedem regni & Imperij ſui fixurum: ac verbis exprimi non poteſt, quam ingens tunc ſit futura Iudæorum lætitia & exultatio, quum ſe viderint ex tam longo tot ſæculorum, tam infami, triſti, & ignominioſo exilio in terram patrum ſuorum, tandem cum tanta gloria, honoréque reductos, Meſſiam ſuum aduenisſe, cœpiſséque iam regnare, eóſque ex diſperſionibus, quibus in omnes mundi plagas eiecti, & diſſipati fuerant, quotidie magis magíſque congregare, adeptos iam terram ſuam, vrbemque deſideratam, adeſſe iam tempus felicitatis omnimodæ tantopere concupitæ, ſe iam ſub iugum miſſuros nationes omnes, ac gentibus totius orbis imperaturos. Túncque lætioribus acclamationibus, magnificentioribus apparatibus, ſolemnioribus ritibus, ſacratioribus cæremoniis, effuſioribus gaudiis, ſtudiis, fauoribus, feſtis, tripudiis, ludis Antichriſtum omnes denuo verum ſuum Meſſiam, orbis monarcham, moderatorem, aſſertorem, pium, fortem, felicem, inuictum, æternum, patrem

trem patriæ conclamabunt.

Secundò, facilè quoque existimare possumus, eo tempore rerum Antichristi famam totum terrarum orbem impleturam, quæ maximam tunc ac planè immanem Antichristi potentiam, in maius multo efferet : nec vllum tunc quantumuis fortissimum & potentissimum regem ausurum suas vires Antichristo opponere, aut bellum experiri : sed omnes metu exangues & attonitos, illud tantùm prospecturos quomodo possint rebus suis in supremo discrimine consulere. Tunc etiam illud proculdubio euenturum arbitramur, quod iam lib. 5. abundè perscripsimus, nimirum, septem reges ex decem illis quos in orbe regnantes inueniet Antichristus, quum viderint tres illos Ægypti, Libyæ, Æthiopiæ deletos ab Antichristo, terrore tam immanis potentiæ perculsos, se, suáque regna, ac res omnes victori Antichristo tradituros, eique adhæsuros, pro suo rege, ac domino illum recipientes.

Tertiò, Quo etiam tempore, vt remur, mittet Antichristus plures, validósque exercitus, cum fortissimis ducibus, in varias partes, terra, marique ad debellandas, imperióque subiugandas gentes & nationes quascunque poterit, etiam remotissimas. Nec id difficile fuerit, tot, tantisque copiis, & classibus subnixo, in ea potentia & opibus, quæ post conditum orbem erunt omnium maximæ.

Quartò, Atqui hîc figendum esse initium supremæ Antichristi monarchiæ, & summi eius Imperij certò certius affirmamus : quando efferus homo, atque humani generis mastyx, portentosi regni fastigium adeptus, vasta & prodigiosa potentia, immensis diuitiis & opibus succinctus, exercitibus incredibili numero coactis, fama inclytus, mundo formidabilis, nihil deinceps cum suis aliud meditabitur, quàm vt nomini suo & muneri plenissimè satisfaciat, omnesque partes plenissimè exequatur eius hominis, quem omnis infernus in id potissimum destinauit, vt in eo solo affatim ostenderet & repræsentaret, quid summa malitia cum summa potentia possit : nempe vt omnia diuina & humana misceat, imò vt cuncta conuellat, corrumpat, perdat : & vt vno verbo dicam, ea omnia præstet, quæ deinde toto reliquo hoc opere de vitiis eius, & maleficentia ex professo tradituri sumus.

Cùm autem nefandissimi nebulonis vitæ seriem, ordinémque rerum ab eo gerendarum, ad eiusdem vsque interitum, per certa distinctáque tempora tenere nequaquam possimus, quòd diuini Prophetæ Daniel & Ioannes, qui præ cæteris accuratiùs Antichristi opera sunt vaticinati, ordinis, vitæ, actorúmque nullam certam rationem & acoluthiam obseruasse videantur, sed nunc hoc, nunc illud prout Spiritus sanctus illis suggerebat, sparsim, variè, obscurè, frequentibus hysteris proteris consignauerint : iam hinc deinceps vitam supremi Impostoris, non per tempora, sed per species exequemur, quò distinctius demonstrari, cognoscíque possit : ita quæque suis locis aptè disponentes, vt commodum, atque opportunum scriptionis corpori visum fuerit.

Gentes & nationes quæ futuræ sunt in exercitibus Antichristi.

Plures, ferásque nationes secuturas Antichristi militiam, & eius stipendia sub signis facturas, Ezechiel cap. 38. vt posteà apertiùs videbimus, perspicuè vaticinatus est : de quibus omnibus ordine quo ab eodem Propheta recensentur, (sepositis interim Gog & Magog in peculiarem disquisitionem) diligenter à nobis differendum. Ait ergo vers. 3. *Ecce ego ad te Gog, principem capitis Mosoch, & Thubal. &c.*

Mosoch.

CAP. XXI.

HEbraïcè est *Mesech*, extat autem mentio Mesech, vel Mosoch Genes. 10. 2. 1. Paralipomen. 1. 3. Ezechiel. 27. 13. cap. 32. 26. cap. 38. 2. & 3. cap. 39. 1. Moses quidem Mosoch inter filios Iapheth reponit, sed cuinam genti à se fundatæ & propagatæ nomen dederit, quámque orbis regionem cum posteris incoluerit, iam perscrutandum. Iosephus 1. Antiquitatum, cap. 7. *Meschini à Mescho auctore appellantur : Cappadocum enim appellatio noua est, veteris autem vestigium adhuc superest : vrbs enim est apud eos hodie quoque Mazaca, satis indicans intelligere volenti, hoc priscum fuisse genti nomen.*

S. Hieronymus Quæstionibus Hebraïcis in Genes. 10. *Mosoch, Cappadoces, vnde & vrbs hodie apud eos Mazaca dicitur. Porrò septuagima Interpretes Caphthorim Cappadoces arbitrantur.* Auctor S. Eucherij nomine lib. 2. in Genes. cap. 10. *Mosoch, Cappadoces, vnde & vrbs eorum vsque hodiè apud eos Mazaca dicitur.* Sanctus Isidorus 9. Originum, cap. 2. *Mosoch, ex quo Cappadoces sunt : vnde & vrbs apud eos vsque hodie Mazaca dicitur.* Eadem Rudericus lib. 1. de Rebus Hispaniæ, cap. 2. Zonaras tom. 1. Annalium : *Mosoch auctor fuit Meschenorum, qui nunc Cappadoces habentur.* Theodoretus in Ezechiel. 32. ad vers. 26. *Mosoch vocantur Cappadoces.* Et in cap. 38. ad vers. 2. *Mosoch autem Cappadoces esse aiunt.* Ergo Mosoch esse Cappadoces, Appollinarius, Polychronius, & alius Græcus Scholiastes in 27. Ezechielis, ad vers. 13. S. Beda, Anselmus Laudunensis, Lyranus, Honcala, Sa, in 10. Genes. Vatablus, Pintus, & Maldonatus in 38. Ezechiel. Clarius, Villalpandus in 27. Ezechielis, ad vers. 13. Galesinius in Notis ad sacram Historiam Seueri affirmant.

De Mazaca vrbe Cappadociæ Strabo lib. 12. pag. 370. *In Præfectura autem* Cappadociæ *quæ Cilicia dicitur, Mazaca sunt gentis metropolis : ipsa quoque Eusebia cognominatur ad Argæum : Sita est enim sub Argæo omnium altissimo monte.* Plinius lib. 6. cap. 3. *Et sub monte Argæo Mazacam, quæ nunc Cæsarea nominatur.* Solinus cap. 47. *Mazacam sub Argæo sitam, Cappadoces matrem vrbium nominant.* Ptolemæus lib. 5. cap. 6. *Mazaca, quæ & Cæsarea.* Stephanus de vrbibus : *Mazaca vrbs Cappadociæ, quæ nunc Cæsarea.* Appianus in Mithridaticis, pag. 251. *In Cappadocia Mazacam bello vastatam reparauit denuò Pompeius.* Putant quidam Suetonium in Nerone, cap. 30. huius meminisse vrbis, quum ait : *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis canusinatis mulionibus, armillata, & phalerata cum Mazacum turba, atque cursorum,* Mazaces hîc Cappadoces Mazacæ vrbis intelligunt Sabellicus, Egnatius, Torrentius. At

Turne

Turnebus lib. 27. Aduersariorum, cap. 18. Casaubonus, & Marcellus Donatus in Suetonium, Mazaces Africæ. Ipsos vide. Libeat nunc criticum agere: existimo istos rem non vidisse, & cum varia hic sit in Suetonio lectio, præeunte Beroaldo, qui legit *Hamaxicorum*, hoc ipsum probauerim, vel substituerim *Hamaxobiorum*. Hamaxobij enim sunt populi Scythiæ in plaustris degentes, quorum meminere Plinius lib. 4. cap. 12. Ptolemæus lib. 3. cap. 5. Strabo lib. 11. pag. 87. & lib. 11. pag. 539. *Hamaxicos* vocat. Vide Græca Strabonis. Mela lib. 2. cap. 1. *Agathirsi, & Sauromatæ: quia pro sedibus plaustra habent, dicti Hamaxobitæ.* Hos describit Horatius lib. 3. Ode 24.

Campestres melius Scytæ,
Quorum plaustra vagas ritè trahunt domos.

Hamaxæ, sunt plaustra. Iulius Capitolinus in Maximino: *Quòd hamaxas manibus attraheret, rhedam onustam solus moueret.* Hos igitur Hamaxicos, vel Hamaxobios secum in itinere traxisse Neronem ait Suetonius, vt gentes peregrinas, cùm anteà carrucarum fecerit mentionem. Adagium, *Hamaxobio instabilior*, habet Tertullianus lib. 1. aduersus Marcionem, cap. 1. Vide ibi Pamelium. Ioachimus Vadianus in lib. 2. Melæ ad cap. 1. *Hamaxobios crediderim eos esse, quos hodie Moschouitas vocant, corrupto vocabulo.* Sed & de Mazaca hæc Ammianus lib. 20. cap. 23. *Apud Cæsaream Cappadociæ etiam tum degentem inuenere Constantium, Mazacam antehac nominatam, opportunam vrbem, & celebrem, sub Argæi montis pedibus sitam.*

Verùm à quo Mazaca nomen Cæsareæ acceperit, variè traditur. Sextus Rufus in Breuiario, cap. 11. *Cappadoces ita maiestatem coluere Romanam, vt in honorem Augusti Cæsaris, Mazaca ciuitas Cappadociæ maxima, Cæsarea nuncuparetur.* Eadem habet Iornandes de Regnorum Successione, cap. 55. S. Hieronymus in Isaiæ 66. ad vers. 19. *Mosech Cappadocas significat, quorum Metropolis Mazaca, quæ posteà à Cæsare Augusto, Cæsareæ nomen accepit.* Et in 27. Ezechiel. ad vers. 13. *Mosoch, quos Cappadocas intelligimus, quorum Metropolis, quæ posteà ab Augusto Cæsare, Cæsarea appellata est, vsque hodie lingua ipsorum, Mazaca dicitur.*

At potiùs à Tiberio Cæsaream cognominatam alij prodidere. Eusebius in Chronico, numero MMXXXVI. *Tiberius multos reges ad se per blanditias euocatos, nunquam remisit: in quibus & Archelaum Cappadocem: cuius regno in prouinciam verso, Mazacam nobilissimam ciuitatem Cæsaream appellari iussit.* Sed est perspicuum, hæc non esse Eusebij, sed à sancto Hieronymo Chronico Eusebiano inserta, ex Eutropij lib. 7. qui hæc scribit: *Tiberius quosdam reges per blanditias euocatos, nunquam remisit: in quibus Archelaum Cappadocem: cuius etiam regnum in prouinciæ formam redegit, & maximam ciuitatem appellari suo nomine iussit, quæ nunc Cæsarea dicitur, cum Mazaca anteà vocaretur.* Eadem ad verbum habent Iornandes de Regnorum successione, cap. 67. Paulus Diaconus Historiæ Miscellæ lib. 7. cap. 22.

Nec desunt, qui à Claudio nomen accepisse perscribant. Sozomenus lib. 5. Histor. cap. 4. *Iulianus Cæsaream ad montem Argium sitam, vrbem amplam, locupletem, & regionis Cappadociæ primariam ex numero ciuitatum deleuit, & Cæsaris priuauit nomine: quod quidem nomen regnante Claudio, cùm Maza (Mazaca potiùs) iam anteà appellata fuisset, obtinuerat.* Nicephorus lib. 10. Historiæ, cap. 4. *Cappadocum quoque Cæsaream, vrbem magnam, & locupletem Iulianus è ciuitatum albo expunxit, & Cæsaris ei cognomen abstulit. Primum enim Mazacam eam vocatam, Claudius Cæsar appellatione mutata, nomine suo cohonestauit.* Vides auctorum dissensum, vt ex formula pronuntiare liceat, Non liquere. Hæc idcircò annotaui, quia friuolè Scaliger in Eusebianis S. Hieronymum hac in re obliuionis insimulat.

Hanc vrbem Iustinianus Imperator Nouella 30. de Proconsulatu Cappadociæ, miris laudibus effert. Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 20. quæ est in laudem Basilij: *Cæsaream, vt Scholarum vrbis illius particeps esset, contendit: hanc, inquam, illustrem ciuitatem, & nostram, (nam meorum quoque studiorum dux & magistra extitit) non minus litterarum, atque doctrinæ, quàm vrbium, quibus præcellit, & dominatur, metropolim: quam si quis doctrinæ palma spoliauerit, rem omnium pulcherrimam, ipsique maximè propriam eripuerit. Nam cùm aliæ ciuitates aliis ornamentis, vel antiquis, vel nouis glorientur, provt opinor, vel historiis, vel rebus quibusdam visendis ornatæ sunt: hanc contra, vt arma, vel tragœdias nota quædam, atque insignia, sic litterarum gloria nobilitat, illustrémque reddit.* Sed multò illustriorem & clariorem eam reddidit sancti Basilij Magni Episcopatus. Sed de ea vide plura in Commentariis Guidonis Pancitoli ad Notitiam Orientalis Imperij, cap. 129. Sed ad Mosoch reuertamur.

Chronicon Anonymum editum sub Alexandro Imperatore, & publicatum ab Henrico Canisio tom. 2. Antiquæ Lectionis, hæc habet lib. 1. cap. 4. *Mosoch, vnde Illyrici.* Eusebius lib. 9. Demonstrationis Euangelicæ, cap. 3. *Per Mosoch autem Mysiam, & ei finitimas gentes; quæcumque nunc sub Romano Imperio sunt, Iosephus intelligit.* Nihil tale vnquam Iosephus. Eusebium verò puto Mysiam intellexisse illam Europæam, Pannoniæ iunctam, quam, describunt Plinius lib. 3. cap. 26. Strabo lib. 7. pagina 204. 205. Ptolemæus lib. 3. cap. 9. & 10. & alij, dictam quoque Mæsiam.

Dionysius in Periegesi:

Pannonij, ac Mysi, propiùs quàm Thracia pubes,
Ad Boream.—

Hanc à M. Crasso, Romano subiectam Imperio constat ex Liuianæ Epitomes, lib. 134. Lucio Floro lib. 4. cap. 12. Appiano Illyricorum extremo. Mirùm illud quod Florus de Mysis scribit: *Mysi quàm feri, quàm truces fuerint, quàm ipsorum etiam barbari barbarorum horribile dictu est. Vnus ducum ante aciem postulato silentio: Qui vos, inquit, estis? Responsum inuicem: Romani gentium domini. Et illi: Ita, inquiunt, si nos viceritis. Accepit omen M. Crassus, &c.*

Cetcrùm Matthæus Beroaldus lib. 4. Chronici, Pererius in 10. Geneseos, Castrius in 5. Ieremiæ, ad vers. 8. Isidorus Clarius ad Psalm. 119. vers. 5. & Flaminius ibidem, item Vatablus, & alij existimant Mosoch fuisse populos Syriæ, & Arabiæ, vicinos, & confines Cedarenis. Sed id prope delirium fuerit. Torniellus anno mundi 1931. num. 22. inquit: *De Mosoch, quem Iosephus Meschum appellat, prodierunt Mosochæi, qui primò regionem quandam Syriæ, Arabiæque proximam incoluisse creduntur, mox transisse in eam Asiæ prouinciam, quæ postmodum Cappadocia est dicta, vt colligit Iosephus ex nomine vrbis Mazaca, quæ suo tempore adhuc in ea prouincia extabat. Sunt qui ex eisdem Mosochæis, etiam putent exisse Moscouitas.* Sed hoc est ludere, & cuncta miscere, & gentes pro arbitrio transmigrare.

Immanuel Tremellius, & Franciscus Iunius in

Geneſ.10. verſ.2. *A Meſecho Cappadoces, quos olim Meſchinos fuiſſe vocatos Ioſephus ait: Signúmque priſcæ illius appellationis apud hos extare Mazacam vrbem, quam Tiberius Cæſar, Cappadocia in formam prouinciæ redacta, vocauit Cæſaream, vbi floruit Baſilius Magnus. Etſi haud ſcio, an etiam Mazaces cum his intelligendi ſint, populi Sarmatiæ Aſiaticæ, quorum meminit Plinius lib. 6. cap. 7. ſuperiores Albanis, iaculandi peritia commendatiſſimi: ſed ea tamen lege, vt à Mazacibus Africanis, ſiue, vt Ammianus vocat, Mazicibus diſtinguantur. His enim fuit nomen inditum ab adducendo arcu, Hebræa origine, id eſt, à verbo MASCHAC, tetendit: non ab hoc Meſech proprio nomine. Iunguntur autem ferè in Scripturis Thubalis, & Meſechi nomina, vt Ezechiel. 27. 13. & 32. cap. verſ. 26. & cap. 38. verſ.3. & cap. 39. 1. Atque hinc Moſſyni Plinio lib.6. cap.4. Themiſcyrenarum gentium in Cappadocia, quos Epiphanius vocat Moſſynæos, & Mela lib. 1. cap. 21. & Moſchicus mons in Armenia Cappadociam verſus.*

Hebræi Aben-Ezra & Kimchius, vt videre eſt in Theſauro Pagnini, citant auctoritatem Ioſephi Ben-Gorion, aſſerenti Moſoch, ſiue Meſech eſſe Hetruriam, ſeu Thuſciam, aut Toſcanam Italiæ prouinciam. Hinc Aben-Ezra illud Ieremiæ 5. 8. *Equi amatores, & Maſſechim fuerunt. Maſechim* interpretatur: *Thuſcos quòd è Thuſcia venirent equi fortes, hinnientes, & concupiſcentes fœminam.* Reuchlinus in Lexico: *Putat litteratiſſimus Rabi Aben-Ezra nominatos eſſe validos apud Ieremiam equos illos quos nos legimus emiſſarios, Ieremiæ 5. Equi amatores in fœminas, & emiſſarij facti ſunt, id eſt, equi de Meſech robuſtiſſimi, atque laſciui. Rabi Ioſeph Gorionides hoc vocabulo dici putat gentem Tuſcanam.*

Genebrardus in Pſal.119.ad verſ.5.hæc annotat: *Meſech, id eſt, Cappadocia, Tartaria, vel Meſchia, à Meſech Iapheti filio Geneſ. 10. Hetruriam aliqui ineptè imaginantur: etſi in eam ſententiam Kimchi & Aben-Ezra citent Ioſephum Ben-Gorion. Nam eius Venetiis editus lib. 1. cap. 1. aliter habet; Tubal inquit, hi ſunt, qui habitant in Tuſcana terra ad flumen Phiſaa: Meſech autem qui Subſune, quos aliqui putant eſſe Saxones Germaniæ.*

Oleaſtrius in Geneſ. 10. *Sunt autem Tubal, & Meſech populi aquilonares, cuius caput dicitur Gog, Ezechielis 39.* Sà in Ezechiel.38.ad verſ.2. *Moſoch, id eſt, Cappadocum, vel Moſcouitarum.* Delrius in 10.Geneſ.ad verſ.2.*Moſoch,ab hoc populi Moſoch,& Moſochæi: quos Hieronymus cum Ioſepho cenſuit eſſe Cappadoces: alij Syriæ,aut Arabiæ populos: alij Moſchos, ſeu Moſchouitas: alij Moſchos magis ad Occidentem, Moſoch verò ad Hircanum mare ſtatuunt.*

Moſoch eſſe Moſcouiam, ſeu Moſcouitas, plures affirmant: Forſterus: *Meſech eſt & nomen proprium filij à Iapheth geniti, Geneſ. 10. A quo Moſchi, quos hodie Moſchouitas vocamus, antiquum retinentes nomen, originem & nomen traxerunt. Et adhuc vtuntur arcubus, quaſi tractores, ſcilicet arcuum dicas, Ezechiel 27. & 38.*

Mercerus: *Meſech videntur potius eſſe Moſchi, qui & hodie iuxta nomen antiquum, Moſchouitæ vocantur, quaſi tractores arcuum: nam & hodie arcubus vtuntur. Etſi à Meſech potius filio Iapheth nomen obtinuiſſe videntur.* Eadem habet in Geneſ. 10. verſic. 2.

Forerius in Iſaiæ 63.verſ.1. *Meſech, Moſcouitas, ſeptentrionales Scythas.*

Ribera in 20.Apocal.num.61. *Alij, quibus magis aſſentior, Moſoch affirmant dici eos, quos Pomponius Mela lib. 1. cap. 2. Moſchos appellat: & hodie vocantur Moſchouitæ: nam Cappadoces dicuntur Hebraicè Caphthorim.*

Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 31. *Moſoch pater Moſchouitarum, & Cappadocum Ponticorum, quorum Metropolis Mazaca.*

Leo Caſtrus in Iſaiæ 66. ad verſ. 19. *Moſoch LXX. viri Moſchos hoc loco intelligunt, qui adhuc nomen retinent antiquum, quorum mentionem apud Geographos leges, vt apud Plinium lib. 7. cap. 10. & apud reliquos. Eſt enim natio hominum ſupra Armeniam, Parthis finitima. Arcu & ſagittis vtebantur, & inde ſunt appellati Moſchi à Maſach, tendo.*

Pomarius: *Meſech nomen gentis: quidam interpretantur Cappadociam, alij Hetruriam Italiæ: mihi non diſpliceret, ſi quis crederet prouinciam eſſe Moſcouiæ, vt alij hoc etiam opinari videntur: quod mihi magis placet, propter vocis conſonantiam, tum etiam, quia Prophetæ Meſech coniungunt cum aliis gentibus ſeptentrionalibus, inter quas recenſent Meſech: Moſcouia autem ſine dubio ad Septentrionem ſita eſt.*

Marinus: *A Moſco Iapeti filio, vt omnes arbitrantur, dicti ſunt Moſchi, illi forſan, quos etiam nunc Moſchouitas vocamus. La Moſcouia, Moſcouitæ.*

Auenarius: *Meſech, eſt quoque nomen filij Iapheth, à quo deinde terra & regio, quam ipſe inhabitauit, nuncupata eſt. Hinc fortè Moſci, Moſcouitæ.*

Arias Montanus in Phaleg, cap. 14. *Meſech, Moſchi, Pomponio: hactenus tuentur nomen Moſchouitarum.* Eadem habet Poſſeuinus lib.2. Bibliothecæ, cap. 5.

Ortelius in Theſauro Geographico: *Moſchi ſunt populi ad Hircanum mare, Pomponio: circa fontes Phaſidis fluminis, Plinio. Hos Meſech in ſacris Litteris dici, ſcribit Montanus in Apparatu Biblico. Qui hodie Moſchouitæ appellantur, verſus Occidentem magis vergunt.*

Schindlerus: *Meſech filius Iapheth: inde gens ab hoc orta, Moſchi, vel Moſchouitæ, quaſi tractores arcuum, quibus adhuc vtuntur.*

Cornelius à Lapide in 10. Geneſ. ad verſ. 2. *Moſoch, ab hoc orti, & appellati videntur Moſchouitæ. Licet S. Hieronymus & Ioſephus à Moſoch ortos putent Cappadoces.*

De Moſchis Strabo lib. 11. pag. 341. *Qui res Mithridatis conſcripſerunt, quibus maior eſt adhibenda fides, primos Achæos dicunt, deinceps Zygos, Heniochos, Cercetas, Moſchos, Cholcos: & ſupra hos ſitos Phthirophagos, Thoanes, aliáſque exiguas gentes circa Caucaſum.* Et pag. 343. *Tradit Eratoſthenes Caucaſum ab accolis Caſpium appellari: fortaſsè à Caſpiis ita dictum. Cubitos autem quaſi quoſdam prætendit verſus meridiem, qui & Iberiam mediam complectuntur, & Armeniæ montibus coniunguntur, & iis qui Moſchici appellantur.* Et pag. 359. *Poſt Antitaurum verſus Septentrionem extenditur mons magnus, & variè ſciſſus: eius pars Polyarrhen, alia Moſchoci montes, aliter appellantur: Si totam Armeniam vſque ad Iberos & Albanos.* Et pag.343.inferiùs agens de fluminibus Colchidis, Phaſide, Glauco, Hippo, Cyro, ait: *Supradicta flumina in Moſchica regione ſitum eſt Leucotheæ templum à Phrixo conditum, ibique oraculum eius, vbi aries non immolatur.* Et pag. 344. *Moſchica, in qua templum fuit, tripartita eſt, partem eius Colchi, Iberes aliam, aliam Armenij tenent.*

Mela lib. 1. cap. 2. *Super Amazonas, & Hyperboreos, Cimmerij, Scythæ, Heniochi, Georgi, Moſchi, Corſitæ, Phoriſtæ, Riphæces.* Et cap. 21. *Montes, qui altera parte in Euxinum & Mæotida, & Tanain: altera in Caſpium pelagus obuerſi, Ceraunij dicuntur. Iidem aliubi Taurici, Moſchi, Amazonici, Caſpij,*

Cora

Coraxici, Caucaſij, vt aliis, aliiſque appoſiti gentibus, ita aliis, aliiſque dicti nominibus.

Plinius lib. 5. cap. 27. *Taurus mons, quin etiam conſractus, effugiens quoque maria plurimis ſe gentium nominibus hinc & illinc implet: à dextra Hircanus, Caſpius: à læua Pariædrus, Moſchicus, Amazonicus, Coraxicus, Scythicus appellatus: in vniuerſum verò Græcè Ceraunius.* Et lib. 7. cap. 10. *Vltra ſunt Colchicæ ſolitudines, quarum à latere ad Ceraunios verſo, Armenochalybes habitant, & Moſchorum tractus ad Iberum amnem in Cyrum defluentem.* Et lib. 6. c. 4. *Clariſſimúſque Ponti Phaſis oritur in Moſchis.*

Ptolemæus lib. 5. cap. 13. *Armenia maior terminatur à Septentrionibus parte Colchidis, & Iberiæ, & Albaniæ: ab Occaſu parte Cappadociæ, ſecundùm expoſitam Ponti Cappadocum vſque ad Colchidem, per Moſchicos montes lineam: & portione Euphratis, quæ eſt inter Moſchicæ montes, & Taurum.* Vide eiuſdem Ptolemæi Tabulam 3. Aſiæ.

Lucanus 3. Pharſaliæ, Moſchos finitimos canit Heniochis, Sarmatis, & Colchis:

Heniochi, ſauíſque affinis Sarmata Moſchis,
Colchorum quà rura ſecat ditiſſima Phaſis.

At de Heniochis, & Colchis plura Strabo, Mela, Plinius, Ptolemæus. His omnibus longè vetuſtior Herodotus lib. 3. num. 94. gentes Perſarum regi vectigales recenſens, ait: *Moſchis, & Tibarenis, & Macronibus, & Moſynæcis, & Mardis trecenta talenta præcepta erant.* Et lib. 7. enumerans gentes quas Xerxes in expeditionem Græcanicam duxit, num. 77. inquit: *Moſchi ligneas circa capita Caſſidas gerebant, ſcutáque, & haſtilia breuia, ſed longa in haſtilibus ſpicula. Eodem quo Moſchi ornatu militabant Tibareni, & Macrones, & Moſynæci: quos hi regebant: Moſchos, & Tibarenos Ariomardus Darij filius, & Parmyis filiæ Smerdis, filij Cyri.* Tibarenos verò, Macrones, & Moſynæcos, gentes eſſe Ponticas, Cappadocibus & Scythis finitimas, ex Strabone, Mela, Plinio, & aliis diſces: De quibus vide Scholia Stukijin Arriani Periplum Ponticum, & Theſaurum Ottelij.

Num autem Moſchi de quibus tot auctorum ſententias laudauimus, ſint iidem ipſi quos nunc eodem ferè nomine Moſchouitas appellamus, etſi appellatio conſonet, incertum nihilominùs eſt: & certè vt perſpicuè intueor, niſi veteres auctores in deſcriptione ſitus Moſchorum errauerint, Moſchi illi priſci, magis ad Orientē & Meridiem vergunt, quàm noſtri, Ruſſi, ſeu Moſcouitæ. Equidem qui nunc Ruſſi, ſeu Moſchouitæ dicuntur eſſe populos in Aſia Septentrionales, Scythas, vel Scythis finitimos, nimis compertum eſt: de quibus permulti plura conſcripſerunt: ſed cum primis Matthias Michouienſis lib. 2. de Sarmatia, cap. 4. Paulus Iouius peculiari libello de Legatione Moſchouitarum ad Clementem VII. Pontificem, Sigiſmundus Liber Baro in Herbeſtain in Commentario rerum Moſchouitarum, Martinus Cromerus Polonicarum rerum lib. 1. cap. 8. Reinoldus Heidenſtenius de Bello Moſcouitico lib. 1. Ioannes Leuuenclaius de Moſchorum bellis aduerſus finitimos, Sebaſtianus Munſterus lib. 4. Coſmographiæ, pag. 910. Antonius Poſſeuinus Commentario ſingulari de Rebus Moſchouiticis, Abraham Ortelius, & Gerardus Mercator in Tabulis Ruſſiæ, & Moſchouiæ, qui eam prouinciam ſcitè deſcripſerunt.

Mercerus, Torſterus, Schindlerus, Fungerus, Caſtrus, annotant dictos Moſoch à משך, *Maſac*, id eſt trahere, quaſi dicas, tractores, nimirum arcuum: quod iis egregiè vterentur. Iſaïæ 66. verſ. 19. quod Noſter habet, *tenentes arcum*, Hebraicè eſt MOSECHE KESETH, id eſt *trahentes*, ſeu *tractores arcus*, vbi LXX. poſuere *Moſoch*. Et ſanè Moſchouitæ hodiéque arcubus vtuntur, inſignique ſagittandi peritia, & dexteritate pollent, vti Iouius hiſce verbis refert: *Iuuentus variis ludis, ſed militiæ proximis ſe exercet, pernicitati equorum ſtudet, omnibúſque præmia, & præſertim ſagittariorum peritiſſimis proponuntur.* Et mox: *Peritiſſimè vel auerſi, & fugientes ſagittas emittunt.* Sigiſmundus: *Communia arma ſunt arcus, telum, &c.* At Mercerus illud addidit: *Etſi à Meſech potiùs filio Iapheth nomen obtinuiſſe videntur.*

Verùm locus ille Ieremiæ 5. verſ. 8. de quo anteà dicebamus, tametſi in varias diſtrahatur expoſitiones, propter vocis *Maſſechim* ambiguitatem, de qua videnda ſunt Lexica Sanctis, & Marini: tamen rectè interpretari poſſe putamus: *Equi amatores, & Maſechim:* id eſt, Moſchouitæ. Moſchouiam enim equis abundare certum eſt. Iouius: *Moſchouitæ verò equorum, atque hominum multitudine ceteros antecedunt: etenim eos poſſe conficere centum & quinquaginta millia equitum, conſtat: quod fortè ſupra veri fidem poſitum videbitur. Nobis ſanè retulerunt Petrus Aretinus architectus, & Paulinus Inſuber tormentorum, & bellicarum machinarum egregius artifex, centum millia equitum in caſtris vidiſſe, quum Ioannes Baſilij pater, apud quem plures annos ſtipendia meruerunt, aduerſus Tartaros bellum gereret. Id quoque prolixè confirmauit Demetrius Baſilij regis legatus ad Clementem miſſus, quo docente, iubenteque Pontifice, Moſchorum mores, & eorum regionis ſitum peculiari libello deſcripſimus.* Et poſteà: *Supra enim centum & quinquaginta millia equitum Baſilius ad bellum ducere conſueuit, diſtinctis per vexilla turmis quæ ſuos duces ſequuntur. Regiæ alæ vexillo inſcripta eſt Ioſuë Hebræi imago, illius qui, vt Sacræ referunt hiſtoriæ, à Deo optimo maximo longiſſimum diem, retardato ſolis curſu, piis precibus impetrauit. Pedeſtres copiæ nulli propè vſui ſunt in illis vaſtis ſolitudinibus, tum ex ipſa veſte quæ fluxa, talariſque eſt, tum ex hoſtium conſuetudine, qui curſu potius, & equitandi celeritate, quàm vi ſtatariæ pugnæ, vel ipſo congreſſu militiam exercent. Equi eorum ſtatura infra mediam exiſtunt: ſed robuſti & velociſſimi habentur. Equites præpilatis haſtis, clauiſque ferreis, & ſagittis rem gerunt.* Nec his diſſimilia tradunt, qui res Moſchouitarum expoſuere.

At locus ille Pſalmi 119. 5. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.* Hebræis, & noſtris recentioribus ita ad verbum redditur: *Heu me quia peregrinatus ſum Meſech.* Ita enim exponunt Kimchi, Sanctes, Forſterus, Campenſis, Mercerus, Leo Iudas, Munſterus, Pellicanus, Marinus, Auenarius, Schindlerus, Forerius, Flaminius, Clarius, & alij. At Felix Pratenſis, & Vatablus: *Incola fui Hetruriæ: vel, peregrinor in Hetruria.* Nimirùm è Kimchio, qui ita expoſuit. Interpres verò Chaldæus: *Hei mihi, quoniam peregrinatus ſum cum Aſiaticis.* Auguſtinus Nebienſis: *Heu mihi, quia peregrinatus ſum in Cappadocia*; qua etiam ratione Meſech hîc Cappadociam intellexit Conradus Pellicanus. Genebrardus: *Etſi aliqui vertant, in Meſech, id eſt, Cappadocia, Tartaria, vel Meſchia.*

Verùm ille ſenſus paſſim recipitur, vt lamentetur Dauid ſe peregrinari, aut exulem agere apud Meſech, hoc eſt, Moſchouitas: non quòd apud illos vnquam extiterit, ſed quòd exiliis, & fuga raptatus metu Saülis, inter feras, ac barbaras gen-

tes, atque omnis humanitatis expertes, videbatur sibi proculdubio inter Scythas, & Moschouitas durum & inhumanum hominum genus versari. Vnde prouerbium, *Scythâ asperior*. Forsterus: *Quamuis Dauid hanc Mesech appellationem posteà per metonymiam transferre videatur ad suum populum, Psal. 120. Heu mihi, inquiens, quia peregrinor apud Mesech, ipsi & Ecclesiæ Dei non minùs infestum, quàm illos Septentrionales Scythas.* Mercerus: *Hanc Mesech appellationem ad suum populum transfert Dauid, vel eum apud quem agebat exul: quod duri essent & inhumani, vt Scythæ. Quod ad Ecclesiæ hostes refertur. Quam ob causam & Kedarenos appellat.* Forerius in 63. Isaïæ, ad v. 1. *Gaudent enim Prophetæ huiusmodi allusionibus; sicut Dauid Psalm. 120. Heu me, quia peregraui Mesech: inhabitaui cum tentoriis Kedar, Rabath habitauit sibi anima mea. Sic enim omninò vertendus est locus. Non est autem intelligendum, quod vnquam apud Moscouitas Septentrionales Scythas, aut apud Ammonitas, quorum ciuitas erat Rabath, à multitudine, seu magnitudine dicta, aut in Agarenorum solitudine, & regione, quæ nomen accepit à Kedar filio Ismaëlis, quæ vox quoque obscuritatem notat, habitauerit Dauid: sed ipsos Israëlitas similes moribus illarum gentium insimulabat: quasi illis tribus nominibus nihil aliud significauerit, quàm quòd longam moram traheret in obscuritate, populares suos notans.* Nec ab hac interpretandi tatione multùm abludit Genebrardus.

Sed nos alium sensum fortasse germaniorem olfecimus, vt non ad feritatem, & inhumanitatem gentium apud quas exul agebat Dauid, translata Mesech appellatio respiciat: sed potiùs indicetur, vagum, palabundum, & inquietum Dauidis vitæ genus, qui nullibi metu Saülis consistere auderet: sed quotidie cogeretur mutare exilia, more Moschouitarum & Cedarenorum Arabum, quos constat Nomades esse, & loca perpetuò mutantes. Didacus Arzius annotatione 12. ad Orationem suam 3. in Euangelium Dominicæ xxiv. post Pentecosten, oblique me carpit, quòd voluerim auctor huius explanationis videri, cùm eam priùs Arias Montanus adhibuisset. Verè mihi auctor fui, nec magnum id erat: & Deum testor me tunc Ariam non vidisse, qui tamen locum Psal. 119. vers. 5. ita carmine reddidit:

Heu me, quique vagus colo
Moschos, quique Arabum non stabiles domos.

Vbi hanc affigit annotationem: *Inter hoc hominum genus ita versor, ac si inter Moschouitas, Scythas, Arabésque campestres versarer, imò vagarer incertis consuetudinibus, & sedibus.*

Equidem Cedarenos, hoc est, Agarenos, & Saracenos Arabes Monades esse, & incertis sedibus vagantes, res est notior, quàm vt testibus necesse sit comprobari. De Moschouitis verò Matthias Michouiensis lib. 2. de Sarmatia, cap. 4. hæc prodit: *In dominio Moschorum, homines de loco in locum, & de territorio in territorium ad incolendum transferuntur, & alij pro his commutati mittuntur, & locantur.* Sed de Scythis quoque compertum, id est, vnde Hippocrates in lib. de aëre, aquis, & locis, scribit: *Scythæ Nomades vocantur, propterea quod nullas habeant domos, sed in curribus habitent. Sunt autem currus, ex quibus minimi quatuor rotis, reliqui sex circumaguntur. Sunt etiam luto obturati, instar domorum fabrefacti, aliqui simplici, aliqui etiam triplici tabulato: vnde robur inest illis aduersus omnes iniurias aquarum, niuis, ac ventorum propellendas. Trahunt currus aliquos quidem boum paria duo, aliquos tria, atque hi cornibus carent, cùm præ frigore regionis cornua eis non nascantur. In his itaque curribus degunt mulieres, in equis autem vehuntur viri: sequuntur autem simul oues, boues, & equi. Tamdiu deinde in vno subsistunt loco, dum sufficit ipsis pecoribus pabulum: quo deficiente, in aliam regionem commigrant.*

Quin ex abundantia adiicimus aliam interpretationem, vt queratur Dauid se in locis desertis, horridis, incultis, & asperis solitudinibus vagari compulsum, ac si in media Scythia, & Moscouia, ac Cedarenis locis alioqui disertissimis versaretur. Cedar quidem nulli non notum esse Arabiæ Desertæ regionem, de qua Eusebius & sanctus Hieronymus in locis Hebraïcis: *Est autem Cedar regio in eremo Saracenorum à filio Ismaëlis Cedar ita cognominata.* Et Quæstionibus Hebraïcis in Genes. 25. *Cedar in deserto regio.* Scythiæ autem deserta, seu solitudines prouerbio etiam celebrantur. Scytharum legati Alexandro Magno hæc dicunt apud Q. Curtium lib. 7. *Scytharum solitudines Græcis etiam prouerbiis audio eludi. Nos deserta, & humano cultu vacua magis quàm vrbes & opulentos agros sequimur.* Meminere Adagij Aristophanes, & Plutarchus. Vide Chiliadas Erasmi. In Moschouia verò esse latissimas solitudines, & vastas siluas, Iouius, Herbesteinus, & alij passim referunt. At iam de loco Psalmi satis: in quem vide quoque Ioannem Lorinum.

Porrò Mosoch potiùs aliam regionem, quàm Cappadociam esse, illa quoque ratio à sancto Hieronymo obseruata suadet, quòd Cappadoces in Scriptura sacra Caphthorim ex Mesraim filio Cham LXX. Interpretibus auctoribus, dicti esse videantur Genes. 10. 14. Equidem Caphthor, & Caphthorim Deuteronomij 2. 23. Ieremiæ 47. 4. Amos 9. 7. Cappadociam, & Cappadoces interpretatur, LXX. Interpretes, Vulgatus, Chaldæus Paraphrastes, S. Hieronymus, S. Cyrillus, Theodoretus, & alij antiqui: ex recentioribus, Sanctes, Caietanus, Vatablus, Oleastrius, Marinus, Auenarius, Schindlerus, Montanus, Drusius, Maldonatus, Capella, Figuerius, Castrus, & omnes ferè. Putidè Forsterus & Mercerus putant esse Cyprum insulam, seu Cyprios.

Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 31. & 32. obseruat, Mosoch esse Cappadoces ad Pontum Euxinum; Caphthor verò, seu Caphthorim esse Cappadoces ad Taurum montem. Hoc ipsum sequitur Delrius in 10. Genes. vers. 14. Constat Cappadociam ab Aquilone habere Pontum, à Meridie Taurum: Strabo lib. 12. pag. 368. *Cappadociam Persa in duas diuiserunt Satrapias: eas ab his acceptas Macedones passi sunt in duo regna mutari, partim sponte, partim inuiti: eorum alterum propriè Cappadociam, & Cappadociam ad Taurum, adeóque maguam Cappadociam nuncupauerunt: alterum Pontum, siue Cappadociam Ponticam.* Auctor est Stephanus Cappadociam primùm diuisam in maiorem & minorem, deinde in primam & secundam. In Notitia Vicarij Diœcesis Ponti, fit mentio primæ & secundæ Cappadociæ. Et Iustinianus Imperator in Edicto de Fide ad Ioannem Romanum Pontificem, agit de prima Cappadocia cuius Metropolis Cæsareæ, & de secunda Cappadocia, cuius Metropolis esset Thyana. Vide Pancirolum in Commentariis ad Notitiam Orientalis Imperij, cap. 129.

In tanta vetustissimorum nominum obscuritate, Mosoch esse Cappadoces, Iosepho, sancto Hieronymo, & tot auctoribus, quos initio huius capitis

pitis laudabamus, facilè assentimur: & ne aliorum de Moscouitis sententiam contemnere videamur, coniectura existimamus, totum illum terrarum tractum complectentem Cappadociam Ponticam, oram orientalem Ponti Euxini, item orientalia littora Paludis Mæoticæ, Scythiæ, seu Tartariæ partem ad Tanaim, vsque Fluuium, & Moschouiam prouinciam versus Borcam, nomine Mosoch etiam includi: quod satis indicant quæ de Moschis ex Herodoto, Strabone, Mela, Plinio, Ptolemæo, Lucano superiùs annotauimus, quos Colchis, Iberis, Armenis, Sarmatis proximos, & finitimos tradunt. Et Plinius lib. 6. cap. 7. inter populos Colchis vicinos circa Mæotidem, Mazacas ponit. Et sanè constat supra Colchidem, & Mæoticam Paludem esse Moschouiam. Vide quoque Stuxium in Scholiis ad Arriani Periplum Ponti Euxini, pag. 106.

Ergo habemus ex Ezechielis loco Cappadoces, & alias vicinas gentes, atque etiam Moschouitas in exercitibus Antichristi stipendia facturos. Nec mirum de Cappadocibus, cuius gentis malignitas, & improbitas Scriptorum consensu traducitur. Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epistola 158. ad Priscum Cappadocem: *Nimirùm prodigiosa patriæ improbitas. Ac vereor ne tu illius Cappadocum partis sis, quæ omni vitiorum genere inusta est.* Et epistola 281. *Si Philisthæi à Cappadocibus genus traxerunt.* Amos 9. 7. *Ab iisque oriundi sunt, atque in Philisthæorum numero Gabaonitæ sunt, Cappadoces profectò Gabaonitæ sunt. Cùm igitur eorum improbitatem, ac nequitiam Litterarum sacrarum monimentis proditam, atque consignatam habeas, quid Gigantium miraris? Subdola enim, atque improba magna ex parte hæc natio est. Pace offenditur, contentionibus, ac dissidiis alitur eundémque dulcis, & amari fontem habet. In congressu blandè, ac benignè loquitur, in absentia obtrectat. Fallax est, impudens, temeraria, meticulosa, cauillatrix, illiberalis, versuta, inhumana, superba, & contumax in secundis amicorum rebus mœsta, in aduersis læta, & insatiabilis. Sub pietatis larua mulierculas in captiuitatem redigit, atque insano auri amore Babylonium superat. Ad mentiendum proclinis, ac peierandum celer. Ac denique qualem habes improbissimum, ac prorsus exosum Gigantium, tales omnes Cappadoces esse existima, ac pro certo habe.* Et epistola 351. ad Ammonem: *Quid tibi cum genere belluinis moribus prædito? Quid tibi cum barbara natione? Quid te cum ignobilibus commisces? Quid cum Cappadocibus collideris? Quid Gigantij congigantes aduersus te ipsum armas? Quid eos qui bibendo plurimùm possunt, extimulas? Quid rabie pernicitos canes, quorum pestiferi morsus sunt, exasperas? Quid maledicas linguas exacuis? quid tuam ipsius existimationem commaculas, cum illis te conferens, quibus nec vt mancipiis quisquam mente præditus vti velit?* Et sequenti epist. 352. multa in eandem sententiam adnectit, & inter alia: *Malè feriata natio, generalem improbitatem tanquam a natura sibi insitam, suis vitiis prætexere potuisset.* Eodem lib. 1 ab epist. 483. vsque ad 490. Cappadocum gentis improbitatem, & nequitiam pluribus exagitat, quem tu adeas.

Notum adagium, *Tria Cappa pessima*: nempe Cappadoces, Cretenses, Cilices. Vide Erasmi Chiliades. Extant in Antilogia aliquot Græca Epigrammata de Cappadocum pessima, & prauissima indole, quæ collegit Conradus Rittershusius in Notis ad epist. 181. lib 1. S. Isidori Pelusiotæ. Isaacus Casaubonus elucidans illud Ælij Spartiani in Hadriano: *Deinde à Cappadocibus seruitia castris profutura suscepit.* Hæc annotat: *Olim pars magna seruorum Cappadoces erant: de quorum illiberali ingenio multa passim Græci. Apud Romanos verò Cappadox & mancipium, sæpe idem.* Persius Satyra 6. extrema:

Cappadoces rigida pingues plausisse catasta.

Vides Notas Philippi Beroaldi ad 1. epistolarum Horatij, & Hadrianum Turnebum Aduersariorum lib. 2. cap. 8. & lib. 30. cap. 7. Vetus Interpres ad Persij Satyram 6. *Cappadoces dicuntur, habere studium naturale ad falsa testimonia proferenda: qui nutriti in tormentis à pueritia, equuleum sibi facere dicuntur, vt in eo se inuicem torqueant: & quum in pœna perdurarent, ad falsa testimonia se benè venundarent.*

Moscouitæ verò suo schismate quo à Romana Ecclesia diuulsi sunt, & erroribus Græcorum quibus innexi tenentur, nisi resipiscant, viam Antichristo muniunt.

Thubal, seu Iberia.

CAP. XXII.

THubal Iapheti filium fuisse, Moses affirmat Genes. 10. 2. ab eo gentem seu nationem, regionemque aliquam nomen esse sortitam, ex pluribus sacræ Scripturæ locis habetur exploratissimum. De Thubal agitur etiam 1. Paralip. 1. 5. Isaïæ 66. 19. Ezechielis 27. 13. cap. 32. 26. cap. 38. 2. & 3. cap. 39. 1. Sed quænam gens, aut regio sit Thubal iam disquiramus. Iosephus 1. Antiquitatum, cap. 7. *Quin & Thobelus, Thobelis sedem dedit, qui nunc sunt Iberi.* Chronicon Priscum sub Alexandro Seuero, lib. 1. cap. 4. *Thubal, vnde & Italienses.* Eusebius lib. 9. demonstrationis Euangelicæ, cap. 3. *Per Thobel Iberiam Iosephus intelligit, qui à Thobel dicit factos esse Thobeelos, qui iberes dicuntur.*

Sanctus Hieronymus in Quæstionibus Hebraïcis, Genes. 10. *Thubal, Iberi, qui & Hispani: à quibus Celtiberi, licet quidam Italos suspicentur.* Et in Isaiæ 66. ad v. 19. *Thubal autem, siue Thobel, aut Italia interpretatur, aut Iberia, hoc est, Hispania, ab Ibero flumine: vnde & hodie Hispaniarum regio appellatur Celtiberia: de quibus pulchrè Lucanus: Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis. Quos nos possumus Gallo-Hispanos dicere.* Et in Ezech. 27. ad vers. 13. *Thubal, id est, Iberi Orientales, vel Occidentis partibus Hispani, qui ab Ibero flumine hoc vocabulo nuncupantur.* Et in Ezech. 32. ad vers. 26. *Thubal, quos alij Iberos, alij Italos intelligi volunt.* Et in Ezech. 38. ad vers. 2. *Thubal, quos idem Iosephus Iberos, vel Hispanos, Hebræi Italos suspicantur.* Theodoretus in Ezech. 32. ad v. 26. *Thobel vocantur Iberes.* Et in cap. 38. ad vers. 2. *Thobel, Iberos.*

Sancti Eucherij nomine auctor lib. 2. in Genes. cap. 10. *Thubal, Iberi, qui & Hispani, à quibus posteà Celtiberi nuncupati sunt.*

S. Isidorus 9 Originum, c. 2. *Thubal, à quo Iberi, qui & Hispani: licet quidam ex eo & Italos suspicentur.* S. Beda in Genes. 10. *Thubal Iberi, qui & Hispani, à quibus Celtiberi.* Zonaras annali 1. *Thobel, Thobelos à se cognominauit: Iberes hi sunt.* Conradus Pellicanus in Genes. 10. v. 2. *Thubal Hesperiam duplicem volunt, Hispaniam, & Italiam.* Ergo Thubal esse Hispaniam, seu Hispanos, præter S. Hieronymum, S. Eucherium, S. Isidorum, vti modò dicebamus, affirmant quoque, Strabus, Anselmus Laudunensis, Lyranus, Tostatus,

ſtatus,Burgenſis,Honcala,Mercerus,Delrius,Corn. à Lapide in 10.Geneſ.Sebaſt.Munſterus lib.2.Coſmograph.p.56.Galeſinius in Notis ad Hiſtoriam ſactam Seueri,Genebrard.lib.1.Chronogr.p.31. Pintus in Ezech. 38. ad v.2. Sà in Ezech.27.v.13.& in c.32. v.26. Forerius & Montanus in Iſaiæ 66. v.19. Torniellus anno mundi 1931. n. 22. Ioan.Baptiſta Villalpandus in 27. Ezechielis ,ad verſ.13. Ioannes Pineda lib.4. de Rebus Salomonis,cap.15.§.7. Adſtipulantur ſummo conſenſu noſtræ gentis hiſtorici, qui Hiſpanicæ nationis originem,à Tabale filio Iapheti deriuant , quem aiunt primum in Hiſpaniam veniſſe , primúmque eam regionem incolis propagaſſe : Rudericus Toletanus lib.1.Rerum Hiſpanicarum, cap. 3. *Quintus autem filius Iapheti fuit Thubal , à quo Iberes , qui & Hiſpani , vt dicunt Iſidorus & Hieronymus proceſſerunt. Filij autem Thubal diuerſis prouinciis peragratis, curioſitate vigili, occidentis vltima petierunt : qui in Hiſpaniam venientes , & Pyrinæi iuga primitus habitantes , in populos excreuere , & primo Cetubales ſunt vocati, quaſi Cœtus-Thubal.* Eadem habent Ioannes Margarinus Epiſcopus Gerundenſis, lib. 1. Paralipomenon Hiſpaniæ,c.10. Antonius Nebriſſenſis in Exhortatione ad legendas res geſtas Ferdinandi , & Eliſabes, Lucius Marinæus Siculus lib.6.de rebus Hiſpaniæ, cap. 1. Franciſcus Tarrapha de Regibus Hiſpaniæ, in Thubal primo Rege, Ioannes Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ,c.10.Antonius Beuter lib.1. Chronicorum Hiſpaniæ, cap.6. & 7. Florianus Docampus lib.1.Rerum Hiſpanicarum, cap. 4. Stephanus Garibaius lib.4.de Rebus Hiſpaniæ,cap.4.Ambroſius Morales, Gaſpar Eſcolanus in Hiſtoria Valentina , lib. 1. cap. 4. Ioannes Pineda lib. 1. Monarchiæ Eccleſ. cap. 18. §. 4. Franciſcus Diagus lib. 2. Annalium Valentinorum , cap. 2. Bernardus Aldrete lib. 2. de origine Linguæ Caſtellanæ, cap.15. & innumeri alij. Quorum omnium nomine Ioannes Mariana lib.1.Rerum Hiſpanicarum, cap.1. inquit : *Iapheti filius Thubal mortalium primus in Hiſpaniam venit. Sic magnorum virorum conſentiens opinio eſt , eam orbis terrarum partem , aliis alio deductis coloniis , multis per late patentem prouinciam oppidis conſtitutis , imperio iuſto , moderatóque tenuiſſe.* Et paulò inferiùs : *Alij Iapheti filij in alias regiones abierunt : Thubal autem quinta eius proles ad extremum Occaſum ablegatus , Hiſpanorum gentem & regnum primis illis temporibus , rudique adhuc ſæculo , auſpicato numine annuente , atque auctore , in æternum ea in orbis parte conſtituit.* Alfonſus Garſias Matamorus de Academiis Hiſpaniæ , ſub initium : *Igitur fama eſt , non vago , nec incerto ſparſa rumore , ſed communi veterum auctorum conſenſu, teſtimonióque firmata , Tubalem quintum Noei ex Iapheto nepotem veniſſe primùm in Hiſpaniam,à quo, & fundatum ante omnia Imperium Hiſpaniæ , &c.*

Beroſus Chaldæus editus ab Annio , lib. 5. Deflorationis Chaldaicæ , initio ait : *Anno Saturni duodecimo Tubal condidit Celtiberos.* Quibus addit Annius : *Hiſpanos condidit Tubal. Primum locum tenuit in Bætica, à ſe dictum Tubal , quem mutata ob ſimilitudinem litterarum in prolatione T , in D , poſteri dixerunt Dubal , vt ſcribitur à Pomponio Mela de vrbibus Bætica.* Idem Beroſus poſteà, in Nino filio Beli, tertio Aſſyriorum rege, inquit: *Anno huius Nini IV. Thubal legibus format Celtiberos.* Et paulò inferiùs : *Ianus pater* (Noë) *ex Africa in Celtiberos Hiſpalos venit , vbi duas Colonias dimiſit à ſe dictas Noëlam , & Noëglam.* Eadem habet Annius libello de Regibus Hiſpaniæ, cap. 4. At quod ad Dubal , vel Tubal attinet vrbem Bæticæ Pomponio Melæ , nulla vrbs Bæticæ eius , vel conſimilis nominis memoratur Pomponio Melæ , niſi Salduba , lib. 2. cap. 6. cuius quoque meminere Plinius lib. 3. cap.1. Ptolemæus , lib. 1. cap. 4. quam *Vbedam* eſſe Mercator , & alij annotant.

Rudericus Toletanus , & Ioannes Gerundenſis aiunt primos Hiſpaniæ conditores à Thubale dictos Cetubales , quaſi Cœtus-Thubal. Noëlam, & Noëgam Colonias fundatas à Noë , docent etiam Nebriſſenſis , Tarrafa, Florianus, Beuter, Vaſæus , Diagus. Porrò Tubalam , & Tubelam, hodie Taffallam , & Tudelam , item Setubal vrbem Luſitaniæ, atque etiam Tarraconem , & Saguntum , conditas à Tubale primo Hiſpaniæ cultore , Beuterus , Tarrapha , Florianus , Diagus , & alij annotarunt.

Non defuére qui Thubalis in Hiſpaniam aduentum , & Colonias vt rem fabuloſam , & à Beroſo Anniano primùm excogitatam exploſerint, vti Carbonellius libro 1. Rerum Catalonicarum, cap. 1. ex Hieronymo Paulo, & Petrus Nonius in Hiſpania,cap.3. vbi inter alia hæc ait : *Anne aliquid nepiius , vel audacius dici poteſt , quàm Setubalem à Tubale conditam, qui nunquam Hiſpaniæ pedem intulit , ſed apud Ponti accolas Iberos habitauit?*

Ego vt certiſſimum affirmauerim , Tubalem primum Hiſpaniam incoluiſſe , regionique nomen dediſſe , propter auctorum conſenſum quem prædiximus : ita in incerto & obſcuro poſuerim , quæ de peculiaribus ab eo , vel à Noë Coloniis in ea prouincia conditis produntur.

Cordatè Mariana lib. 1. Rerum Hiſpanicarum, cap. 7. in hunc modum differit : *Itaque veniſſe Thubalem in Hiſpaniam , in confeſſo eſt : quibus verò in locis inſederit , quamquam latiſſimæ prouinciæ regionem primùm colendam , habitandámque ſuſceperit , dicere non habemus, diuinare non iuuat. Tametſi Setubalis oppidi indicio , quidam in Luſitania putant, alij in ea Vaſconum parte malunt, cui Nauarræ nomen eſſe demonſtratum eſt : ex Taffalla , atque Tudela , quas Tubalis colonias eſſe magis ob affinitatem vocum ſuſpicantur , quàm certo aliquo argumento confirmant , ſumpta pronuntiandi occaſione. Nam toti prouinciæ de primi conditoris appellatione, Setubaliæ nomen factum , quod nonnulli probabili quidem , & ad ſcenæ oſtentationem apto mendacio affirmarunt,eruditæ aures auerſantur. Quid enim niſi hoc deſipere ſit, tantam vetuſtatem ad linguæ Latinæ etymon velle præpoſtere reuocare , & venerandam antiquitatis formam nouis commentis fœdare ? Quod ij faciunt , cùm Setubaliam Tubalis Cœtum ſignificare perſuadent. Tarraconem , & Saguntum in Tubalis Coloniis numerant : quod neque affirmare hoc loco , neque refellere in animo eſt. Nimirùm quòd ignotas , remotáſque à noſtro commercio regiones deſcribentibus ſæpè accidit , vt inacceſſos montes , paludes perpetuas, horrida gelu , aut ardoribus vaſta loca eſſe dicant: varias piſcium , ferarum , auiúmque formas , prodigioſos hominum mores , inſolentes vultus, iis in regionibus ad intuentium , legentiúmue voluptatem eſſe confingant , nullo qui redarguat abſque exiſtimationis periculo prorſus impunè. Idem pleriſque tum noſtris, tum externis hiſtoricis video ,contigiſſe : qui vbi lumen hiſtoriæ deficiebat , rerúmque ignoratio antiquitatis velum oculis opponebat , ipſi illuſtrandi eam gentem ſtudio , cuius res geſtas in hiſtoriam conferre erat propoſitum , & ad maioris ſcriptionis gratiam , ſi nullis lacunis præciſa & impedita , contra magnarum rerum*

ferum luminibus illustris narratio esset, de suo multa commenti sunt. Sed antiquitati fas esse ais, consecrare gentis origines, initiáque multò quàm sint splendidiora facere miscendo falsa veris. Sit sanè. Modo nè malè affictæ vrbium origines, inauditæ regum progenies, & nomina, & bella, sexcentáque alia id genus portenta ex aniculárum fabulis, & populari rumore collecta posteritati prodantur, simplexque veritatis facies apertis mendaciis deformetur quod imitari profectò non debemus, quamuis cum spe veniæ aliena vestigia sectaremur. Ac multò minus Berosò adscripti, qui non ita pridem in lucem prodidit, & ceteros in errorem misit, libri opiniones venditare, somniáque ex fabulis, & mendacio composita, eius, qui suas cogitationes alieno nomine, speciosóque titulo, quia diffidebat ingenio, more malorum mercatorum voluit illustrare, haud satis dissimulata fraude: neque enim cohærentia loquitur, neque alia ex aliis apta, & colligata ita respondent secundæ primis posteriora mediis, vt non commenti vestigia expressa vbique cernantur, exténtque, si præsertim veterum scriptorum, quæ nobis relicta lux est, tenuis certè, & maligna, sed lux tamen nonnulla propiùs admoueatur. Itaque quod ex noui Berosi officina prodiit, Noëmum in Hispaniam, ex longo nimirùm errore tandem appulsum, Noëlam in Gallæcia, in Asturibus Noëgam primum fundasse, speciosò mendacio, quoniam de his oppidis Plinius, Strabo, Ptolemæus meminerunt, repudiamus. Hactenus Mariana.

Ludouicus Nonius in Hispania, cap. 3. *Ferunt Hispanicarum rerum Scriptores vnanimi consensu, Tubalem post cataclysmum vniuersalem, in Hispanias traiecisse, suique nominis vrbes condidisse Setubalem, & Tudelam: posteà & Noemum hisce littoribus appulsum, Noëlam in Gallæcia, & in Asturia Noëgam extruxisse, à Tubale longam Regum seriem fluxisse, nempe Iberum, Idubedam, Brigum, Tagum, Bætum, Sicorum, Sicanum, aliósque quos recensere molestum esset. Huius choreæ, & fabulæ præsultor fuit Ioannes Annius Viterbiensis, homo non religiosissimæ fidei: illum secuti ceteri. Is Berosum Chaldæum primus in lucem dedit, & commentario illustrauit, qui non solùm de Chaldæorum, sed totius penè orbis primordiis, regibúsque agit. Sed nihil hæc cum Berosò illo, quem Athenienses χρυσόγλωττον, id est, Auream linguam vocarunt. Nam cùm is ante Alexandri Magni ætium vixerit, quo non solùm Chaldæis, sed & Græcis Europæ res, & præcipuè Hispaniæ in occulto erant, multisque demum post sæculis latuerunt, donec victricibus Romanorum armis passim detectus, & per commercia conuictus fuit. Vnde ergo Berosò tam immenso terrarum spatio ab Hispania remoto tanta illius prouinciæ notitia contigit? Sed demus hæc illi diuinitus fuisse cognita: cur posteriorum nemo Scriptorum, ad quos Berosi opera peruenerunt, horum meminit regum? Cur hoc ab Eusebio præteritum in Chronicis? Nihil agitis, puræ putæ nugæ sunt: nec genuini solùm hoc esse Berosi opus ausim inficiari, sed Annij potius Viterbiensis, aut alicuius malè feriati commentum credo: cui sub speciosò hoc titulo posteritati illudere lubido fuit: ratus posteros omnes ita fungos fore, vt lupinos hos ab ære nescirent discernere. Sed quis tam modestis splenis est, dum Hispanica nomina à Chaldæo homine audit è medio Latio peti, vt non risu diffluat. Nec Setubalis nomen Latino cælo, aut fido alicui Scriptori notum. An ideò dicemus Noëgam, aut Noëlam à Noë fundatam, quia vocis aliqua affinitas intercedit? Præsertim verò cùm Becanus noster, & Gaspar Barrerius dudum personam huic Pseudo-Berosò detraxere, multáque vero Berosò contraria habere ostenderunt. Quare auctor sim, vt cùm interprete suo Annio, Aut Vticam fugiat, aut vnctus mittatur Ilerdam.*

De variis Hispaniæ nominibus excursus.

CAP. XXIII.

PRæter appellationem Thubal quam præcedenti Capite Hispaniæ conuenire monstrauimus, variis aliis nominibus appellatam Hispaniam constat. Iberiam vocatam in confesso est apud omnes auctores. S. Ioannes Damascenus lib. 2. de Fide Orthodoxa, cap. 8. *Iberia quæ Hispania vocatur.* Suidas: *Hispania regio, quæ & Iberia, & Hesperia vocatur.* Glossæ veteres: Σπανία, *Iberia.* Ἱσπία, *Hispania.* Atque ita fere nuncupant veteres. Herodotus lib. 1. numero 163. *Hi Phocenses primi Græcorum longinquis nauigationibus vsi feruntur: Adriámque simul & Tirrheniam, Iberiam, atque Tharteſſum occupauerunt. Nauigiis autem vtebantur non rostratis, sed penteconteris, hoc est, lembis quinquaginta remorum. Hi quum primum Tharteſſum venirent, grati admodum fuerunt regi cui nomen erat Arganthonio: quique iam octoginta annis Tarteſſiorum regno præfuerat, vixit autem annos centum viginti.*

Thucydides lib. 6. sub initium, de Sicanis primis Siciliæ insulæ cultoribus: *Propius est vero, Iberos ipsos esse, ex Iberia, à flumine Sicano ab Liguribus pulsos: ab his tunc Sicania appellari insula cœpit, prius Trinacria vocitata.*

Iosephus lib. 1. contra Apionem, pag. 1039. *De Gallis enim & Hispanis sic ignorauere ij qui putantur diligentissimi conscriptores, quorum est Ephorus, vt vnam Ciuitatem esse arbitrarentur Iberos, qui tantam partem Occidentalis terræ noscuntur inhabitare.* Polybius lib. 2. & 3. Dionysius Halicarnasseus lib. 1. Diodorus Siculus lib. 4. num. 156. 157. Strabo lib. 3. Plutarchus in Lucullo, & alibi sæpe, Lucianus in Alexandro, Dio lib. 39. Pausanias lib. 1. Atticorum, pag. 32. & lib. 10. in Phocicis, pag. 332. Athenæus lib. 2. cap. 6. & omnes Græci Hispaniam, Iberiam communiter appellant: vnde Ptolemæus lib. 1. cap. 4. *Hispaniæ, quæ apud Græcos Iberia dicitur, tres Prouinciæ sunt.* Appianus initio Ibericorum: *Iberiæ verò, siue, vt nunc à nonnullis nominatur Hispaniæ magnitudo vastior est, &c.* Et ad finem Ibericorum: *Ex eo tempore mihi videntur Romani Iberiam, quam nunc Hispaniam vocant, in tres partes diuidere.* Et Latini. Catull. Epigrammate 12.

Nam sudaria Setabra ex Iberis.

Maro 3. Georgicorum:

Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.

Et 11. Æneidos:

Ni roseus fessos iam gurgite Phœbus Ibero
Tingat equos. ——

Lucanus:

Si tibi durus Iber, vel si tibi terga dediſſe
Cantaber. —— Et alij passim.

Dictam verò Iberiam ab Iberio flumine plerique adstruunt. Plinius lib. 3. cap. 3. *Iberus amnis, quem propter vniuersam Hispaniam Græci appellauere Iberiam.* Solinus cap. 25. *Iberus amnis toti Hispaniæ nomen dedit.* Quintus Curtius lib. 10. rerum Alexandri: *Hispaniam deinde, quam Iberiam Græci à flumine Ibero vocabant, adire, & præteruehi Alpes, Italiaque oram.* Statuerat Alexander. Iustinus, lib. 44. *Hispaniam veteres ab Ibero amne primùm Iberiam, posteà ab Hispalo Hispaniam cognominauerunt.* Ammianus lib. 23. cap. 20. *Vt à fluminibus maximis Ægyptus, Homero auctore, & India, &*

Euphratensis, ante hac Commagena, itidémque Iberia ex Ibero, nunc Hispania, & a Bæti amni insignis prouincia Bætica. Seruius in 11. Æneidos: *Hispaniam autem Iberiam, ab Ibero flumine constat esse nominatam.* Sanctus Hieronymus in Isaiæ 66. ad vers. 19. *Iberia, hoc est, Hispania ab Ibero flumine.* Sanctus Isidorus lib. 9. Originum, cap. 2. *Hispani ab Ibero amne primùm Iberi, posteà ab Hispalo, Hispani cognominati sunt.* Et lib. 14. cap. 4. *Hispania prius ab Ibero amne Iberia nuncupata: posteà: ab Hispano Hispania cognominata est.* Nicephorus lib. 12. Historiæ Eccles. cap. 1. *Iberiam námque Hispaniam vocant nomine eo ab Ibero amne, qui per eam fluit, sumpto.* Hoc ipsum indicauit Lucanus 4. Pharsaliæ; quum de Cinga influente in Iberum, ait:

Qui præstat terris, aufert tibi nomen Iberus.

Strabo lib. 3. distinctè: *Sanè cùm antiquitus Iberiæ nomine intellectum fuerit quidquid est extra Rhodanum, & Isthmum, qui à Gallicis coarctatur finibus: nunc eam Pyrena terminant, vocántque peculiari nominis ratione Iberiam: Hispaniæ nomine eam tantum accipientes, quæ est intra Iberum. Priores autem eos Igletas vocabant, regionis cultores non amplæ, vt ait Asclepiades Mirleanus. Romani totam regionem promiscuè Iberiam, & Hispaniam nominantes, in interiorem, seu citeriorem, & exteriorem, seu vlteriorem diuidunt.* De voce Igletas consule Isaacum Casaubonum in Notis ad Strabonem, & Ludouicum Nonium in Hispania, cap. 1.

Sed cùm constet duas esse Iberias, alteram hanc nostram Hispaniam, alteram ad Pontum, de qua sequenti capite abundè dicemus. Iam hinc magna exoritur quæstio, quænam ex his ab altera nomen, & cultores acceperit. Equidem Ponticam Iberiam ab Iberia nostra occidua appellatam, quòd Hispani Iberes, in Hiberiam Ponticam colonias miserint, noménque suum ei regioni communicauerint, non pauci tradiderunt. Strabo lib. 1. pag. 42. agens de gentium transmigrationibus, inquit: *Vt quod Iberi Occidentales in loca vltra Pontum, & Colchidem commigrarunt.*

Appianus editus ab Henrico Stephano in Mithridacis, pag. 240. *Iberos Asiaticos quidam putant colonos Europæorum Iberorum, hoc est, Hispanorum, quidam contra, hos illorum: aliy nomen tantum vtrisque commune, cùm nec in lingua sit quidquam simile, nec in moribus.*

Dionysius Alexandrinus in Periegesi, interprete Andrea Papio:

Isthmus Caspiaci vergit maris, Euxinique,
Quem super Eoum populi funduntur Iberum,
Pyrrhenæ venêre iugis, qui nuper ad ortum,
Hyrcanis inimica viris bella vsque gerentes.

Priscianis, seu Rhemnius Faunius in Periegesi, ex eodem Dionysio expressa:

Euxinum dirimens, & Caspia littora latè
Diffusus, spatium per longum panditur Isthmus:
Quem iuxta terras habitant Orientis Iberes:
Pyrrhenes quondam celso qui monte relicto,
Huc aduenerunt, Hircanis bella ferentes:

Rufus Festus Auienus in Ora Maritima:

Caspinam latè terram superabluit vnda,
Euxinique subest tergum salis: asper Iberus
His agit: hìc olim Pyrrhenide (Tyrrhenide) *pulsus*
Cespitis Eoi tenuit sola.—— (*ab ora.*

In hanc sententiam quoque Socrates lib. . Historiæ Ecclesiast. cap. 16. *Iberes propè Pontum Euxinum; súntque colonia deducta* (Græcè *Coloni deducti*) *ab Iberibus qui Hispaniam incolunt.* Nicephorus lib. 8. Histor. Ecclesiast. cap. 34. *Habitat autem hæc* Iberorum *natio in interiori Armeniæ parte ad Septentrionem, & Euxinum versus. Sunt autem Iberorum in Hispania coloni.* Hoc ipsum quoque adstruunt Recentiorum nonnulli, Tarapha de Regibus Hispaniæ, in Ibero, Iacobus Pontanus in Notis ad Chronicon Georgij Phranzæ, ad lib. 3. cap. 1. Bernardus Aldrete lib. 3. de Origine Hispanicæ linguæ, cap. 2. Delrius in 10. Genes. ad vers. 2. & quidam alij Hispanici Scriptores.

Alij contrà existimarunt Hispaniam nostram nuncupatam Iberiam, ab illa Asiatica & Pontica Iberia, quòd illinc in Hispaniam nostram ductæ fuerint Iberorum coloniæ, quæ prouinciam incoluerint, noménque illi de suo nomine fecerint. Plinius lib. 3. cap. 1. *In vniuersam Hispaniam Marcus Varro peruenisse Iberos, & Persas, & Phœnicas, Celtásque, & Pœnos tradit.* Iêre in hanc sententiam magno numero recentiores. Ioannes Annius libro de XXIV. Regibus Hispaniæ, cap. 3. *In vniuersam Hispaniam principio gentium penetrarunt à Caspiis Iberi, Persæ, Phœnices, Pœni, Celtæ, vt in 3. Naturalis Historiæ Plinius adstipulatur, & Marcus Varro testatur, & Cato de Originibus retulit.* Et cap. 5. *Quare ab Iberis Caspiis tota Iberia dicta est teste M. Varrone.*

Ioannes Margarinus Episcopus Gerundensis lib. 1. Paralipomenon Hispaniæ, cap. 10. *Est autem Hispania: Iberia dicta ab Ibero amne Hispaniæ. Huic autem fluuio nomen dedit gens, quæ oram fluminis antè incoluerat. Processerat enim hæc gens à prouincia Iberia, quæ in Asia situm habet, media inter Armeniam & Colchos, secundùm Claudium Ptolemæum. De qua etiam & eius situ meminit Paulus Orosius lib. 6. per hæc verba: Iberia regio est Asiæ propè Pontum, Armeniæ iuncta. Hanc itaque gentem vetustissimo tempore, refert Priscianus lib. 6. ab eius prouincia prodiisse, & peruenisse in Scythiam, & inde in Oceani oram, & ab ipsa ora nauigasse in insulam, quam ex suo nomine, atque aduentu Hiberniam appellarunt: quæ insula est in Oceano Britannico. Altera nauigatione peruenisse tradunt in Hispaniam, quæ oram amnis incolens flumini, & regioni tradidit nomen, vt Iberus amnis, & Iberia prouincia appellata sit.*

Arias Montanus in Phaleg: *Thubal, Iberi Aquilonares iuxta Mæotidem, Pomponio, nomine paululum immutato, aspirata detracta, & l in r affinem mutata. Ab his Iberis deductæ coloniæ Hispaniam occupauere: eámque Iberiam, séque Iberos appellarunt. Vnde constans Hispanis fama est, Thubalem fuisse primum illius regionis cultorum. Sed nos alias de hac re disseruimus.*

Cæsar Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, 22. Aprilis: *Nec adeò mirandum si eiusdem nominis ciuitas Cordubareperitur in Hispania, ac in Perside: nam sicut ex Varrone docet Plinius lib. 3. cap. 1. Persæ & Iberi in Hispaniam peruenerunt, cum suis coloniis, licèt Socrates lib. 1. cap. 16. dicat Iberos Hispanorum esse coloniam: sed ex prædictis errare conuincitur.*

Antonius Parthenius in Notis ad 9. Epigramma Catulli: *Iberes teste Strabone, sunt Orientis populi, vnde venerunt prisci Hispaniæ incolæ, qui Iberi dicti sunt: & inde fluuius & prouincia dicuntur.*

Ioannes Bodinus in Methodo Historica, cap. 9. *Incolarum Hiberniæ vetus opinio: aiunt enim Iberos, id est, Hispanos, maiores habuisse. Iberia verò videtur ab Afris Hispaniæ finitimis, aut certè ab Iberis Asiæ primùm culta fuisse.*

Abraham Ortelius in Thesauro Geographico, voce Iberia: *Ego dixerim Hispanos, quos ex hac Iberia Asiatica*

Aſiatica originem habere, claſſicorum ferè omnium ſcriptorum teſtimonio conſtat, ab hac Spania potiùs quàm ab Hiſpalo, vt quamplurimi affirmant, nomen ſortitos. Et in Parergo Geographico, in Tabula Hiſpaniæ veteris: *Ego & regionem & flumen Iberum, ab Iberia Aſiatica regione, (vnde nempe horum Hiſpanorum origo) & Ibero huius amne nomen ſortitam faciliùs crediderim.*

Reinerus Reineccius 1. parte Heroïci Syntagmatis, in 52. Regno Celtiberico: *Nos ſic rem definimus, vt tam Iberiæ, quàm Hiſpaniæ denominationem deberi Orientali Iberiæ ſtatuamus, ſimul Iberis, ſimul Hiſpanis indè profectis.* Et poſt alia: *Iberos Orientalium Iberorum ſobolem eſſe, ſuprà monuimus.*

Antonius Beuterus lib. 1. Chronicorum Hiſpaniæ, cap. 7. *Multi ex montibus Caſpiis in Hiſpaniam venêre, vti Varro prodit: fuerunt ij Iberi & Celtæ, & alij. Qui cùm in Hiſpaniam veniſſent, curſum magni fluminis aptiùs diſpoſuerunt, vt faciliùs deductis foſſis agros irrigaret: eique nomen Iberi indiderunt.*

Franciſcus Ribera in 20. Apocalypſ. num. 61. *Eſt autem Iberia Aquilonaris regio iuxta Pontum, inter Colchidem & Armeniam, quæ Caucaſiis montibus circumdatur: à quibus profecti dicuntur quidam, qui in Hiſpaniam venerunt: vnde & ipſa paulatim Iberia dicta eſt.* Antonius Poſſeuinus in Bibliotheca Selecta lib. 16. c. 13. *Cùm Iberi Aquilonares iuxta Meotidem conſediſſent, videtur ab his Iberis deducta colonia Hiſpaniam occupaſſe eámque Iberiam, ſeſeque Iberos appellaſſe.*

Ioannes Baptiſta Gramaie in Hiſtoria Aſiatica, Pagina, 477. *Hinc* (ab Iberia Aſiatica) *in Europæ occidentalem tractum ducta colonia.*

Ioan. Bapt. Villalpandus in 27. Ezechiel. ad verſ. 13. *Arias Montanus Iberiam Aſiaticam putat in ſacris libris nonnunquam deſcribi ſub nomine Thubal, atque hinc profectos Hiſpanos, qui Europæ vltimam partem verſus Occidentem occuparunt. Cui quidem ſententiæ patrocinantur Ioſephi verba, &c.*

Ioannes Mariana lib. 1. Rerum Hiſpanicarum, cap. 7. *Neque recipimus ab Ibero Thubalis filio Ibero fluuio, toti deinde prouinciæ Iberiæ nomina fuiſſe facta: cùm ſit potiùs veriſimile, Iberos ad Pontum Euxinum intra Cochida, & Armenias Caucaſiis montibus incluſos, inde in Hiſpaniam magno numero delatos, atque vrbe Iberia ſupra Dertuſam conſtituta, vicino fluuio primum, vniuerſæ deinde prouinciæ nouas Iberi, & Iberiæ appellationes feciſſe.*

Ioannes Fungerus in Etymologico Trilingui, voce Hiſpania: *Hiſpaniam nomen traxiſſe ab Iberia Aſiæ regione, & inde veteres Hiſpanos oriundos eſſe, quidam affirmant.* Adducítque ſententias Ortelij, & Montani, quas anteà deſcripſimus: nec improbat, ſed illuſtrat.

Ludouicus Nonius in Hiſpania, cap. 1. *A Græcis verò Hiſpania paſſim Iberia dicitur, ab Ibero fluuio, vt Stephano Byzantino placet: vel ab Ibero Thubalis filio, vt Pſeudo-Beroſo, & nugatori Annio Viterbienſi: ſed vero propius eſt ab Iberis Aſiæ populis, qui in Hiſpaniam venere, (ſi Varroni apud Plinium fides habenda) amni & regioni nomen inditum eſſe: licet Dionyſio Alexandrino aliter viſum ſit, nempe Orientales Iberos ab Hiſpanis ortum, & nomen ſumpſiſſe: quod & Euſtathio eius Commentatori, & Nicephoro Calliſto lib. 8. cap. 34. perſuaſum video.*

Gerardus Mercator in Atlante maiore, in Tabula Hiſpaniæ: *Abrahamus verò Ortelius vir in palæſtra Geographica valdè operoſus, cùm Scriptores ferè omnes animaduertiſſet, primos Hiſpaniæ incolas ex Iberia vſque deriuare: eductus eſt, &c.* Et paulò inferiùs: *Temporibus antiquiſſimis Hiſpaniam, Iberiam, & Heſperiam nominatam, memoriæ produnt Strabo, Plinius, aliique. Iberia quidem ab Iberia Aſiæ regione, vnde primos Hiſpaniæ incolas non pauci deducunt.* Vides diſſenſum auctorum, in quo nihil certi ſtatuere poſſumus: rem igitur in medio relinquamus, vti fecere nonnulli. Antonius Nebriſſenſis in Præfatione Exhortatoria ad legendas res geſtas Ferdinandi & Eliſabeth Regum Catholicorum, hæc habet: *In eandem quoque Hiſpaniam Iberes Aſiæ populos, Albanis, Colchiſque finitimos veniſſe auctor eſt Marcus Varro. Sunt tamen qui dicant, noſtros in Aſiaticam Iberiam penetraſſe, quod eſt conſentaneum ei, quod de Ibero rege ſcripſimus: vt in dubio relinquatur, vtri populi alteris nomen indiderint.*

Sebaſtianus Munſterus lib. 5. Coſmographiæ, pag. 996. de Iberia Pontica: *Huius regionis populos quidam aſſerunt præſertim Dionyſius, ab Iberis Hiſpaniæ veniſſe. Nam Iberi in Hiſpania graue damnum paſſi à mari profecti ſunt in Italiam, vt ibi manſionem ſibi facerent. Italis verò recuſantibus dare illis habitandi locum, progreſſi vltra, venerunt tandem in Aſiam ad Caucaſum montem, ibique ſedem figentes, cæperunt vſurpatum locum implere ciuitatibus, & hominibus. Varro tamen contrarium ſcribit, nempe Iberos Orientales veniſſe, & inhabitaſſe partem Hiſpaniæ.* Rem quoque in incerto relinquit Cornelius à Lapide in 10. Geneſ. ad verſ. 2.

Auſus eſt nuper Ioannes de Ponte lib. 4. Conuenientiæ vtriuſque Monarchiæ, cap. 33. §. 3. quidam chartis illinire, Scriptores Hiſpanicos, qui Hiſpaniam coloniam Iberiæ prodidere, malè de ſua patria meritos, rigidos & crudeles in eandem extitiſſe, intolerabili iniuria ipſam dehoneſtaſſe veritatem parum ſciſſe, neque iniuriæ illatæ grauitatem expendiſſe. Hominis futiliſſimam vanitatem! Ineptior ego, ſi refutauerim.

Alias Iberiæ nominis enodationes aliqui excogitauerunt Reinerus Reineccius part. 1. Heroïci Syntagmatis, in 52. Regno Celtiberico, pag. 638. Hæc annotat: *Iberos Orientalium Iberorum ſobolem eſſe ſuprà monuimus: ſed & de nomine, cui metallici ſignificatum, ineſt, alibi egimus. Vnde veriſimile fit, metallorum ſtudio in Hiſpaniam progreſſos. Hanc enim metallis abundaſſe, liquet è Diodoro lib. 5. cap. 9. liquet ex aliis. Pertinet eodem Chalybum in Hiſpania mentio apud Iuſtinum lib. 44. Etſi is perperam nomen à Chalybe fluuio deriuauit, cùm potiùs hìc à gente traxerit. Alludit enim ad Thubal, filium Iapheth, enuntiatione per metatheſim variata. Ab eodem Iberos eſſe, Ioſephus teſtificatur lib. 1. cap. 7. Imò ipſum Tubalem ab affectione erga rem metallicam, nuncupationem à Tubalcaino repetiſſe, itaque ad poſteritatem tranſmiſiſſe, apparet. Fuit hic Lamecho patre natus è Caini poſteritate. Eundem æraríj, ferrariique opificium reperiſſe, Litterarum ſacrarum monumentis erudimur. Nec repugnarim, ſi cui nomen Vulcanus de eo manſiſſe, arriſerit. Illud apertum omnibus, poſteros eiuſdem conditoris ſui inſtitutum vrgentes, ea occaſione non modò in Iberia, & Hiſpania, verùm etiam in Ponto, Sicilia, & Italia conſediſſe. Certè in Ponto regio Tibaris, in Italia fluuius Tibaris inde indigitati. Eſtque verò conſentaneum fuiſſe ex iis Cyclopes non monſtra monophthalma, quemadmodum eſt in fabulis, ſed homines metallis deditos, ideóque in cauernis, & antris quaſi deliteſcentes.* Hugo Broughthonus in concentu ſacræ Scripturæ, pagina 2. *Thybal, Tibareni, Thalbis, & propter litterarum ת thau, & ת cheth ſimilitudinem, Chalybes.*

Ioan

Ioannes Fungerus in Trilingui Etymologico, voce Tibareni : *Tibareni, Plinio, Herodoto, & Melæ, populi Chalybibus proximi : eosdem dicit Reinerus Reineccius cum Iberis, præpoſito tantùm Germanico articulo. Quod ipſum factum docti cenſent in aplatione Tuiſconum, quæ ab Aſcane defluxit.* Et in voce Iberia : *Iberia dicta Hiſpania à fluuio Ibero. A regione dicti populi Iberi, vel potiùs à Tibarenis, qui metallicas venas olim ſcrutaturi in Hiſpaniam traieciſſe dicuntur. Qua ratione haud inſulsè accommodari poterit notio vocabuli* בור *BOR, quæ vox Hebræis puteum & ciſternam ſignificat.* De auri argentique fodinis, déque puteis Annibalis in Hiſpania, vnde pretioſa metalla eruerentur, dicemus abundè lib. 7. cap. 15. Sed & Strabo lib. 3. pag. 100. *Etenim metallis quidem plena eſt tota Hiſpania.* Et lib. 11. pag. 343. *Niſi fortè Iberos occiduis Iberibus, qui Hiſpani ſunt, cognomines vocant, ob auri vtrobique metalla.*

Ioannes Bodinus in Methodo Hiſtorica, cap. 9. *Iberia verò videtur ab Afris Hiſpaniæ finitimis, aut certè ab Iberis Aſiæ primùm culta fuiſſe, quorum vetus lingua parum admodum ab Hebræica differebat, vt in ea lingua eruditi homines ſcripſere. Primùm vox ipſa eſt Hebræorum, quæ nihil Græcis, aut Latinis ſignificat. Itaque Græci eos Hebræica voce Heberos, Latini Græca voce Hiſpanos, id eſt, raros, quòd hominum inopia olim laboraret : tametſi populoſam ſuis temporibus Cicero appellauit. Prætereà flumen illud Hiſpaniæ maximum quod Hebro incolæ vocant Latini Iberum, & Bethis ex ipſa Palæſtina fluere mihi videntur.* Verùm hæc omnia exiſtimo eſſe aliena, & longè petita, curioſiora quàm vera.

Alterum Hiſpaniæ nomen eſt Celtiberia. Diodorus Siculus lib. 5. num. 214. *Poſtquam de Celtis mediocriter à nobis dictum eſt, ad finitimos iis Celtiberos hiſtoriam transferemus. Hi duo enim populi Iberes, & Celtæ cùm de agris quondam bello diſceptarent, pace tandem inita regionem promiſcuè incoluere: & contracta mutuis inter ſe connubiis affinitate, commune ex hac permixtione nomen accepiſſe memorantur. Cúmque duæ gentes validæ, quibus fertilis regio ſuberat, ita coaluiſſent, ad ingens gloriæ incrementum vt Celtiberes progrederentur, euenit : adeò vt diu cum Romanis conflictati, vix tandem debellarentur.*

Appianus in initio Ibericorum : *Qui primùm Hiſpaniam incoluerint, quiue poſteris temporibus tenuerint, mihi Romanam hiſtoriam ſcribere ingreſſo non eſt conſilium curioſiùs ſcrutari. Quanquam exiſtimo Celtas aliquando ſuperato Pyrenæo, Iberis permixtos, vna habitaſſe : vnde Celtiberorum nomen manarit.* Lucanus 4. Pharſaliæ:

——Profugíque à gente vetuſtæ
Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.

Silius Italicus 3. Pœnorum:

Venere & Celtæ ſociati nomen Iberis.

Sanctus Hieronymus in Iſaïæ 66. ad verſ. 19. *Vnde & hodie Hiſpaniarum regio appellatur Celtiberia : de quibus pulchrè Lucanus:*

Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.

Quos nos poſſumus Gallo-Hiſpanos dicere. Vide Ioannem Gerundenſem lib. 1. Paralipomenon Hiſpaniæ, cap. 10. Marineum Siculum lib. 1. rerum Hiſpanicarum, cap. 1. Franciſcum Taraphan de Regibus Hiſpaniæ, cap. 2. Ioannem Vaſæum in Chronico Hiſpaniæ, cap. 10. Ioannem Marianam, lib. 1. de Rebus Hiſpaniæ, cap. 7. Verùm contractiùs poſteà Celtiberiæ appellatio peculiari tantùm Hiſpaniæ parti hæſit, vt ex Liuio, Strabone, Plinio, Floro, Appiano, Ptolemæo, aliiſque conſtat : quam propriè deſcribunt Strabo lib. 3. Ptolemæus lib. 2. cap. 6. & plerique noſtræ gentis auctores.

Aliud Hiſpaniæ nomen eſt Heſperia, vel Sperida. Horatius lib. 1. Carminum, Ode 36.

Qui nunc Heſperia ſoſpes ab vltima.

Vbi Acron, Porphyrio, & alij interpretes Heſperiam Hiſpaniam intelligunt. Lucan. 1. Pharſaliæ:

—Tethys maioribus vndis
Heſperiam Calpe, ſummóque impleuit Atlanta.

Et lib. 4.

Heſperios inter Sicoris non vltimus amnis.

Et,

Qui ferit Heſperiam poſt omnia flumina Batis.

Sic dictam ab Heſpero ſtella occidua plerique putant. De Heſpero ſtella Cicero 2. de Natura Deorum : *Intima eſt quinque errantium, terræque proxima ſtella Veneris, quæ φώσφορος Græcè, Lucifer Latinè dicitur, quum antegreditur ſolem, quum ſequitur autem Heſperus.* Varro lib. 5. de Lingua Latina: *Quum ſtella prima exorta Græci vocant ἕσπερον, noſtri. Veſperuginem, vt Plautus, Neque Veſperugo, neque Vergiliæ occidunt. Exortæ ſtellæ tempus dictum à Græcis ἑσπέρα, Latinè Veſper : vt ante ſolem ortum, quod eadem ſtella vocabatur Iubar, quòd Iubata.* Et lib. 6. *Veſperugo, ſtella quæ veſpere oritur, à quo etiam Opilius ſcribit Veſperum. Itaque dicitur, Alter Veſper adeſt, quem dicunt Græci δίεσπερον.* Plinius lib. 2. cap. 8. *Infra ſolem ambit ingens ſidus, appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipſiſque cognominibus æmulum Solis, ac Lunæ : præueniens quippè & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, vt Sol alter, diem maturans : contra ab occaſu refulgens nuncupatur Veſper, vt prorogans lucem, vicémque Lunæ reddens.* Feſtus : *Veſperugo, Veſper ſtella.* Plautus : *Nec Veſperugo, nec Vergiliæ occidunt :* Sanctus Auguſtinus lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 8. *Eſt in M. Varronis libris, quorum inſcriptio eſt : De gente Populi Romani, quod eiſdem verbis quibus ibi legitur, hîc ponam : In cælo, inquit, mirabile extitit portentum : nam in ſtella Veneris nobiliſſima, quam Plautus Veſperuginem, Homerus Heſperon appellat, pulcherrimam dicens, Caſtor ſcribit, tantùm portentum extitiſſe, vt mutaret colorem, magnitudinem, figuram, curſum.*

Ab Heſpero igitur occidua ſtella, Hiſpaniam vltimam terrarum ad Occidentem ſolem, Heſperiæ vocabulum traxiſſe, produnt, Seruius in illud 1. Æneidos, *Eſt locus, Heſperiam Graij cognomine dicunt. Heſperiæ,* inquit, *ſunt duæ : vna quæ Hiſpania dicitur, altera quæ eſt Italia : quæ hac ratione diſcernuntur : aut enim Heſperiam ſolam dicis, & ſignificas Italiam : aut addis vltimam, & ſignificas Hiſpaniam, quæ in Occidentis eſt fine, vt Horatius : Qui nunc Heſperia ſoſpes ab vltima. Et hæc eſt vera Heſperia ab Heſpero dicta ſtella Occidentali. Ceterùm Italia, Heſperia dicitur à fratre Atlantis, qui pulſus à Germano Italiam tenuit, eíque nomen priſtinæ regionis impoſuit, vt Hyginus docet.* Et in 3. Æneidos, ad illud, *Heſperiam Graij cognomine dicunt :* ait: *Heſperiam, ab Heſpero Hiſpaniæ rege, vel ſtella quam intuentur petentes Italiam.* Et in illud Æneidos, 7. *Heſperia in magna. Magna,* inquit, *propter Hiſpaniæ diſcretionem.* Ridiculè, cùm maior ſit Hiſpania & amplior : ſed magna, id eſt, inclyta.

Sanctus Iſidorus lib. 14. Originum, cap. 4. *Italia autem & Hiſpania idcircò Heſperiæ dictæ, quòd Græci Heſpero ſtella nauigent, & in Italia, & in Hiſpania : duæque hac ratione diſcernuntur : aut enim Heſperiam ſolam dicis, & ſignificas Italiam : aut addis*

addis vltimam,& ſignificas Hiſpaniam,quæ in fine Occidentis eſt. Et poſt alia : *Hiſpania ipſa eſt, & vera Heſperia, ab Heſpero ſtella occidentali dicta.*

Rudericus Archiepiſcopus Toletanus lib.1. Rerum Hiſpanicarum, cap.3. de primis Hiſpaniæ cultoribus : *Attendentes ſtellam, quæ ibi poſt ſolis occubitum occultatur, occaſum eius Veſperum, ſtellam Heſperum, & patriam ſtellæ nomine Heſperiam vocauere.* Ioannes Epiſcopus Gerundenſis lib. 1. Paralipomenon Hiſpaniæ, cap. 8. *Primùm Hiſpaniam priores appellauere Heſperiam. Sunt autem, vt antiqui tradunt, Heſperiæ duæ, Italia, & Hiſpania, quarum quælibet Heſperia dicta eſt. Eſt autem Heſperia Italia ab Heſpero rege fratre Atlantis regis Æthiopiæ, qui regnauit in Italia. Vbi autem additur vltima Heſperia, de Hiſpania intelligendum eſt : vbi verò, magna, Italiam ſignificat : Vnde Virgilius in principio ſeptimi libri Æneidos, Heſperia in magna, ſi qua eſt ea gloria, ſignat. Sed Hiſpania dicitur vera Heſperia. Dicta autem eſt Hiſpania, Heſperia ab Heſpero ſtella, quæ poſt Solis occaſum primùm in Hiſpania apparet, & ortum habere videtur. Vel ſecundùm aliquos dicitur vtraque Heſperia, Italia & Hiſpania, quia ab Oriente in Occidentem Heſpero ſtella nauigatur.* Ergo Hiſpaniam dictam Heſperiam ab Heſpero ſtella, affirmant quoque Rudericus Sanctius Hiſpanicæ Hiſtoriæ part. 1. cap. 1. Alfonſus à Carthagena in Anacephalæoſi Regum Hiſpanicorum, cap. 2. Abrahamus Ortelius in Parergo Theatri, in Tabula Hiſpaniæ veteris ; Gerardus Mercator in Atlante maiore, in Tabula Hiſpaniæ, Ioannes Fungerus in Etymologico,Andreas Schottus in Bibliotheca Hiſpanica tom.1.cap. 1. Ludouicus Nonius in Hiſpania, cap. 1.

Alij potiùs ab Heſpero Atlantis fratre qui in Hiſpania regnarit, Hiſpaniam, Heſperiam appellatam volunt. Annius in Commentariis ad Beroſum in xiij. Rege Aſſyriorum, hæc annotat : *Græci dicunt Italiam & Hiſpaniam dici Heſperias ab Heſpero ſtella, qua Græci in Italiam, & Hiſpaniam adnauigant. Quod falſum eſſe, non Beroſus modò & Hyginus, ſed ratio ipſa conuincit. Nam ſi à ſidere, quo à Græcia in Italiam & Hiſpaniam nauigant, nemen Heſperiam acceperunt duo hæc extrema Italia & Hiſpania, neceſſario conſequens eſt, vt & Gallia ſit Heſperia, quia media eſt inter Italiam & Hiſpaniam: & impoſſibile ſidus illud percurrere, aut eos adnauigare ab Italia in Hiſpaniam, niſi per mediam Galliam. Porrò cùm nemo Scriptorum concedat Galliam dici Heſperiam, conſequens eſt, vt non à ſidere, ſed à rege Heſpero dicatur, qui primùm in Hiſpania, deinde in Italia, & non in Gallia regnauit, vt Hyginus, & Beroſus clariſſimè tradunt.* Hæc eadem ſcribit in Libello de Regibus Hiſpaniæ, cap. 15. & libro de Antiquitate Hetruriæ, & in Commentariis ad Fabium Pictorem.Annij ſententiam ſecuti ſunt,Antonius Beuterus lib. 1. Chronicorum Hiſpaniæ, cap.11.Florianus Ocampus lib.1.Rerum Hiſpaniæ, cap. 19. Franciſcus Tarapha de Regibus Hiſpaniæ, cap. 12. Ioannes Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ, cap. 10. Heſperum hunc Hiſpaniæ regem Beroſo acceptum ferunt præfati auctores Beroſo, inquam, Anniano, quem ſuppoſititium & vanum eſſe, maior iam & melior eruditorum pars deprehendit. De Heſpero Atlantis filio agit Diodorus lib. 3. num. 135. de Heſpero verò Atlantis fratre lib. 4. num. 162. Vide Natalem Comitem, lib. 4. Mythologiæ, cap. 7.

Nec porrò deſunt, qui rem in medio relinquant, vel ab Heſpero ſtella, vel ab Heſpero rege inditum Hiſpaniæ nomen Heſperiæ. Marinæus lib. 1. Rerum Hiſpaniæ, cap. 1. *Heſperia quoque ab Heſpero ſtella Occidentali dicitur, vel, vt alij volunt, & ſcribit Hyginus, ab Heſpero Atlantis fratre, à quo etiam fratris arma fugiente, Italia Heſperiæ nomen accepit.* Mariana lib 1.Rerum Hiſpanicarum, cap. 10. *Vſque eò vt vniuerſam Hiſpaniam de Heſperi nomine Heſperiam cœpiſſe dici Græcis & Latinis auctoribus perſuaſum ſit. Macrobius & Iſidorus ab Heſpero ſtella occidua malunt, quæ in Hiſpania occidit, ad quam fermè reſpiciunt in eam regionem nauigantes.*

Equidem Italiam dictam Heſperiam ab Heſpero Atlantis germano, Hyginus, Seruius, & alij, vti nuper videbamus, prodidêre. Ab Heſpero verò ſtella nuncupatam,idem Seruius in 3. Æneidos voluit, & Macrobius 1. Saturnalium, cap. 3. his verbis : *Solis occaſus ſuprema tempeſtas eſto, deinde veſpera : quod à Græcis tractum eſt : illi enim ἕσπερον,à ſtella Heſpero dicunt : vnde & Heſperia Italia, quod occaſui ſubiecta ſit, nominatur.*

Argumentum illud Annij futile eſt, quod Gallia licèt media ſit inter Italiam & Hiſpaniam : at incumbit magis ad Aquilonem, cùm illæ ſint Occidentales. Nec omittimus quæ Diodorus lib. 3. num. 135. de Heſpero refert, in hunc modum: *Inter plures eius (Atlantis) filios, pietate, iuſtitia, & humanitate erga ſubditos eminuit Heſperus.Is quum ad explorandos ſiderum motus, Atlantis verticem conſcendiſſet, nimbo ſubito abreptus euanuit. Eiúſque caſum plebs commiſerata, vt immortali eum honore afficeret : pulcherrimum in cælo ſidus eius nomine inſigniuit.*

Recentiores aliquot Hiſpanici auctores peritè excogitarunt, Hiſpaniæ factum nomen Heſperiæ, ab Hebraïca voce *Sepharad*, quam Hiſpaniam ſignificare, latè docuimus lib. 4. cap. 27. Heſperia enim ſeu Sperida quo vocabulo Græci, Latiníque Hiſpaniam indigitant, eadem omninò vox videtur quæ Sepharad : nam detractis vocalibus, quibus Hebræi carent, tot conſonantes, eædémque reperiuntur in Sperida, quæ in Sepharad. Id quidem Montanus, Palatius, Luyſius Legionenſis, Caſtrus in Abdiam annotarunt. Sed aliorum nomine Montanum audiamus in hunc modum diſſerentem : *Eandem autem eſſe Hiſpaniam, quæ Sepharad olim dicta fuerit, illud argumento nobis eſt, quòd antiqui Græcorum auctores prouinciam hanc antiquo, atque illuſtri vocabulo Sperida nominarunt. Illud autem ex variis linguis, quarum cognitio, atque vſus nobis diuino beneficio contigit, obſeruauimus, propriorum nominum variam pronunciationem, non tam conſonantium litterarum, quàm vocalium corruptione, aut mutatione in alia, atque in alia, & perſæpè in eadem lingua accidere. Quam rem exactè conſiderantibus, varia quæ videntur nomina componere inter ſe, atque ad antiquiſſimam & certam rationem reuocare, non magni negotij eſſet. Exemplis autem hanc rem indicabimus, quoniam iuſta diſputatione explicare nunc non poſſumus. In huiuſmodi igitur nominibus reductio, ſemotis omnibus vocalibus, atque conſonantibus etiam iis quæ certum in vnaquaque lingua pronuntiandi modum ſtatuere ſolent, & ceteris conſonantibus relictis, fit, vt à nomine MITHRIDATES, primum finitionem ES,quæ Græcè terminationis nota eſt, abſcindimus : deinde verò vocalibus omnibus expunctis, reliquæ ſunt nobis MTHDRTH, quæ eadem ſunt in Hebraïco, & Chaldaïco, atque etiam Pontico, ſiue Scythico eiuſdem viri nomine, MATHREDATH, cui ablatis vocalibus, eadem omninò litteræ, quæ in*

MITHRIDATH, relinquuntur. Sic nomen. ARTAHAXTA, idem ARTAXAS. Sic ACHASVEROS, idem ASSVERVS est Eandem itaque rationem secuti SPERIDA, ad SPARAD nobis hoc loco oblatum nomen facilè reducemus, cum iisdem vtrimque consonantibus constet litteris. Similia habet in Phaleg, cap.7. & 14. Refellit hanc nominis Hesperiæ, seu Speridæ à Sepharad deductionem Franciscus Ribera in Abdiam, num. 108. sed non prorsus inuicta ratione. Verùm in his nihil certi statuimus,nisi quod Montani, aliorúmque coniecturam non ducimus repudiandam.

Iam nunc de insigni HISPANIÆ nomine,cum cura disquirendum. Primùm veteres Græci & Latini complures non Hispaniam, sed ΣΠΑΝΙΑΝ, *Spanian*, vel *Spaniam* enuntiabant; pleriquè annotant Romanor. 15. 24. & 28. Græcè à Paulo dici Σπανίαν, tametsi in recentioribus Græcis exemplaribus Bibliorum Regionum Ισπανίαν, scriptum *sit*.In Græco Athenæo nuper edito lib.14. cap. 16. Σπανία, legitur. In Lexico Græco Latino ab Henrico Stephano, & Bonauentura Vulcanio euulgato, Σπανία quoque habetur. Plutarchus in Sertorio Σπάνος ἀνὴρ, *Spanus vir.* Spaniam scribi in Iustino lib. 44. in membranis, & apud Q. Curtium lib. 10. in optimis quibusque exemplaribus, obseruauit Iacobus Bongarsius,vti refert Ortelius. Apud sanctum Hieronymum quoque in Isaiæ 64. in bonis libris scribi, Spaniarum,annotarunt, Ortelius, & Mercator. Vetus Iuuenalis Scholiastes ad Satyram 12. inquit: *Spanas Veticas.* Vbi Pithœus annotat: *Scribe ex vsu sæculi, Spaniæ Baticæ.* Sanctum etiam Eulogium Cordubensem Martyrem in suis Operibus scribere solitum Spaniam, Ambrosius Morales in Scholiis ad lib. 1. eiusdem S. Eulogij. Ioannes Grialus in Notis ad S. Isidori lib.2.Originum, cap.18. inquit: *In Gothica Scriptura frequens aphæresis Spania, pro Hispania, Spalensis, pro Hispalensis.*

Quidam igitur Hispaniam dictam putant à rege Hispano, vel Hispalo. Iustinus lib. 44. initio: *Hanc veteres ab Ibero amne primùm Iberiam, posteà ab Hispalo Hispaniam cognominauerunt.* Sanctus Isidorus lib. 9. Originum, cap. 2. *Hispani ab Ibero amne primùm Iberi, posteà ab Hispalo Hispani cognominati sunt.* Et lib. 14. cap. 4. *Hispania prius ab Ibero amne Iberia nuncupata: posteà ab Hispano Hispania cognominata est.* Hoc ipsum adstruunt Rudericus Archiepiscopus Toletanus lib.1. de Rebus Hispaniæ, cap.5. & 7. Lucas Tudensis lib.1.Chronici, in Prologo sancti Isidori, Ioannes Gerundensis lib. 1. Paralipomenon Hispaniæ, cap.8. Rudericus Santius Historiæ Hispaniæ, patt. 1. cap. 7. Alfonsus à Carthagena in Anacephalæosi Regum Hispaniæ,c.2. Antonius Beuterus lib.1.Chronicor. Hispaniæ,c.10.Franciscus Tarafa de Regibus Hispaniæ,c.9.& 10.Ioan.Vasæus in Chronico Hispaniæ, c. 10. Duos reges Hispaniæ nobis Annius venditauit Hispalum, & Hispanum : sed vnum & eundem fuisse, Hispalum, seu Hispanum appellatum, docet Mariana lib. 1. Rer. Hispanic. cap. 10.

Ludouicus Nonius in Hispania, cap. 1. eorum sententiam qui nomen Hispaniæ ab Hispalo, seu Hispano deriuatum tradidere, ita refutat: *Largiter hac in parte deliquêre Hispani Scriptores: nam cùm prouinciam antiquitati sacrare conantur, ab Hispano Herculis filio, vel ab Hispalo rege Hispaniæ nomen fluxisse, vno consensu contendunt omnes. Sed citra classici auctoris alicuius assensum.* Verùm huic, vt Rudericum Toletanum,& alios omittam,Iustinus, & S. Isidorus classici non sunt.

Ortelius, Mercator, Reineccius, Gramaius, Fungerus, ex verbis auctoris apud Plutarchum de Fluminibus, & montibus, perperam, vt apparet, intellectis, existimauerunt Iberiam Asiaticam, seu Ponticam olim primum Paniam à Pane quem Dionysius victoria potitus, Iberis illis præfecerat, inde verò Spaniam posteà appellatam fuisse: atque ab illa Iberia, & Spania Asiatica & Pontica, huic nostræ Europeæ & Occiduæ factum vtrumque nomen & Iberiæ, & Hispaniæ: simul Iberis, simul Hispanis inde profectis. Veritas est, Spaniam, seu Hispaniam nostram dictam initio Paniam, & inde Spaniam, à Pane Dionysi socio, qui illi præfuit, non Iberiæ Ponticæ : de Iberia enim nostra, non de Asiatica capienda verba Plutarchi. In qua re constat hallucinatum Ortelium, & alios. Et quia id Nonius in Hispania, cap. 3. eruditè explicauit, eius hîc verba intexo: *Ego verò veterum scriptis insistens, à Pane Dionysi comite, non vnius, aut protelarij Scriptoris suffragio deriuatum esse euincam. Agmen mihi ducat C. Plinius lib. 3. cap. 1. In vniuersam Hispaniam, inquit, peruenisse Iberos, & Persas, & Phœnicas, Celtásque, & Pœnos tradit. Lusum enim Liberi patris, aut Lyssam cum eo bacchantem nomen dedisse Lusitaniæ, Panaverò Præfectum eius, vniuersè. Vides clarè duo hic dici, à Luso, vel Lysa Lusitaniam, à Pane verò vniuersam nominatam Hispaniam. Sed hoc vt fabulosum eliminabit aliquis: non ego, qui sciam Plinium subtexere: At quæ de Hercule, ac Piryne, vel Saturno traduntur, fabulosa in primis arbitror. Quidni idem de Pane, aut Lysa dixisset, si commentitia indicasset? Idem apertiùs longè docet Plutarchus libello de fluminibus & montibus cap. 16. Mox cùm Satyros & Panas in militiam delegisset suo Imperio Indos subiecit: atque deuicta Iberia, Pana illis locis præfecit, qui regionem de seipso Paniam vocauit, at Iuniores vocabulum inde deducentes Spaniam dixerunt,vti voluit Sosthenes lib. 13. rerum Ibericarum. Clarè hîc ostendit, primò Paniam à Pane, deinde & Spaniam vocatam. In vsu etiam fuisse postremum hoc nomen, testis est vetus Iuuenalis Scholiastes ad Satyram 12. vbi Spaniam Baticam, pro Hispania Batica vocat. Idem docet multæ eruditionis Ambrosius Morales Notis suis ad D. Eulogium Cordubensem. Facem hoc loco mihi præfert Plutarchus ad illustrandum Stephani Byzantini locum libro de vrbibus : vidit illum diligentissimus Abrahamus Ortelius, sed corruptum præteriit: cuius verba sunt in dictione, Hispania: Hispaniæ duæ sunt Italiæ Præfecturæ, altera quidem magna, altera verò parua : vocata quoque est Iberia & Pannonia. Sed quis vnquam quæso, Hispaniam Pannoniam dictam scripsit,quæ tantùm ab hac nostra, Quantum Hypanis Veneto distat ab Exidano. Apage ergo hanc vocem, quam nec per somnium quidem auctor scripsit, & eius loco substitue audacter Paniam, Hispaniam scilicet, olim dictam Iberiam,& Paniam:quod cum imperitis non arrideret, litterarum, non, interiectione Pannoniam effinxerunt. Ioannes etiam Goropius Becanus lib.4. Rerum Hispanicarum, luculentè satis docet, Hispaniam primò fuisse dictam Paniam, & posteà syllabæ, His, adiectione, Hispaniam : quod Cimmeria, seu Teutonica lingua, occiduam Paniam significat, ad discrimen Orientalis Paniæ, quæ Hesychio teste, Peloponnesus erat. Et cùm constet Italiam olim Saturniam dictam, in Saturni memoriam: & Latium, quòd in illa latuerit, quis mirabitur Hispaniam in Panis Dei honorem. Paniam olim dictam?*

Præsertim

Præsertim cùm & ipse Stephanus, Arcadiam Paniam quondam vocatam referat. Hactenus Nonius.

Atqui Dionysum in Hispaniam venisse, ibique res gessisse, ac prouinciam subiugasse, præter M. Varronem, ac Plinium, vti vidimus, affirmat quoque Silius Italicus 3. Punicorum:

Tempore quo Bacchus populos domitabat Iberos,
Concutiens thyrso, ac armata Mænade Calpem.

Et post alia:

Ac Nebrissa Dionysæis conscia thyrsis,
Quam Satyri coluere leues.—

Ambrosius Morales in Hispaniæ descriptione, ex D. Didaco Mendocio in hunc modum enodat nomen Hispaniæ: *Cùm scribat Plinius ex M. Varrone Liberum patrem venisse in Hispaniam, vniuersámque imperio subiecisse: reuertentem in Græciam, præfecisse vniuersæ Hispaniæ insignem è suis comitibus ducem Pana nuncupatum, qui fuit princeps & dominus regionis. Addit Plinius, Lusum Liberi patris comitem nomen dedisse Lusitaniæ: Pana verò Præfectum eius, vniuersæ Hispaniæ. Quod cùm ita sit, Græci, vt ex Lycophrone poëta, & priscis aliis auctoribus apparet, vsi sunt articulo, His, ad indicandam alicuius rei eximiam præstantiam: vt etiam ad exprimendum id quod in partem & ditionem alicuius cedebat, seu quod alicuius propriè censebatur. Itaque si Græcanico more iungamus Græcum articulum. His, cum nomine Pan in recto, dicemus Hispan, denotátque excellentiam Panis, quasi dicas, Præstantissimus, optimus princeps ille Pan: si verò idem Græcus articulus eidem nomini Panis in genitiuo adiungatur, reddit, Hispanos, hoc est, illud Panis, ac si dicas, illud quod possidebat, cuiúsque dominus erat princeps ille Pan: siue regio illa, quam obtinebat, in qua rerum potiebatur Pan. Sicque Hispania propriè erit prouincia, vel regio, seu ditio Panis. His consonat quod Appianus in bellis Hispanicis scribit. Hispaniæ nomen factum huic prouinciæ ab illo Pane qui in ea dominatus est. Quamquam hoc non reperiatur in Appiani interpretatione Latina: at D. Didacus Mendocius ait se legisse in Græcis Appiani exemplaribus.* Hæc Morales. Vide Antonium Augustinum Dialogo 7. de Nomismatis.

Henricus Stephanus tomo 3. Thesauri, colum. 910. in voce Σπανία id est, Raritas, vel etiam Penuria, inquit: *Σπανία pro Ἰσπανία vsurpauit Paulus in Epistola ad Romanos, cap. 15. Sunt qui ob rerum vitæ necessariarum penuriam, vocatum sic existiment, διὰ τὸ σπάνιον τῶν ἐπιτηδείων: atque adeò huc pertinere quod dixit Horatius, Duræ tellus Iberiæ. Ac præsertim quæ in Arcton vergunt Hispaniæ littora, duri cæli esse feruntur, montibus compluribus aspera, ac, ne pabuli quidem copiam habere: ideóque nostri sæculi Poëta quidam cecinit, Ieiunia miseræ tesqua Lusitaniæ Glebæque tantum fertiles penuriæ. Alioqui teste Iulio Solino Polyhistoris sui cap. 37. Hispania terrarum comparanda optimis, nulli posthabenda frugum copia, siue soli vbere, siue vinearum prouentus respicere velis. Omni materia affluit, quæcumque aut pretio ambitiosa est, aut vsu necessaria. Argentum vel aurum si requiras, habet: ferrariis nunquam deficit: non cedit vitibus, vincit olea. A Plinio quoque & Strabone prædicatur huius regionis εὐδαιμονία, & fertilitas.* Equidem Strabo sub initium lib. 3. hæc habet: *Hispaniæ magna pars incommodè habitatur: quippe montes & siluas, & campos terra præditos exili, neque æqualiter aquis irriguam magna ex parte incolunt: tum pars septentrioni obuersa, præter asperitatem, etiam frigidissima est. At versus meridiem sita, felix ferè omnis est regio.* Sed tamen Hispaniæ fertilitatem peculiari aduersus Sebastianum Munsterum Apologia Damianus Goes celebrauit.

Alij verò annotant Græcè Σπανίον dici, rarum, pretiosum. Plato in Euthydemo: *Σπανίον, id est, rarum, ὦ Euthydeme, τίμιον, pretiosum est.* Aristoteles 1. Rethoricorum: *τὸ σπανιώτερον, quæ enim rara sunt, præstant iis quorum copia est, vt aurum ferro.* Hinc Hispaniam dictam volunt, quòd rara sit, & pretiosa metallis, ac fertilitate soli. Quò respexisse visus est Strabo lib. 3. pag. 100. *Etenim metallis quidem plena est tota Hispania: at non omnes regiones ita frugiferæ sunt, ac felices, minimúmque eæ, quæ metallis abundant. Σπανίον, id est, rarum nimirum est, cum metallorum habere, tum frugum copiam. Σπανίον, id est, rarum etiam in exigua regione opes omnis generis metallorum habere. At Turditania, eique contigua regio, ita vtraque re abundat, vt nulla satis laudatio præstantiæ earum instituí possit.* Vide Bernardum Aldrete lib. 3. de Hispanica lingua, cap. 2. Reineccius 1. parte Heroïci Syntagmatis in 52. Regno Celtiberico, nominis Hispaniæ notionem ridiculè deducit à voce Germanica *Spannen*, qua significari ait, vim & tyrannidem, addítque: *Nam illius quidem veluti tyrannidem mirificam nemo ignorat, sic vt leui ex occasione infinita potestate crescat: hoc per se vim coniunctam habet.* Sic dolet, gemítque Nouator Catholicorum Hispanorum quotidie crescens Imperium.

Cetcrùm Hispaniæ appellationem ex Syriaca & Chaldaïca lingua Guido Fabritius Boderianus epist. ad Philippum II. Regem Catholicum, editioni Syriacæ Noui testamenti præfixa tomo 5. Bibliorum Regiorum, in hunc modum deriuat: *Syriacè verò à nauigandi peritia sortita est Hispania denominationem: dicitur enim* אירספניא *Hispania, &* ספניא *Sphania, à* ספנא *Sphinà Hebraïcè & Chaldaïcè: vnde Syris Sephintho, & Arabibus Saphinathum, quod nauim, seu nauium classem denotat. Inde etiam naucleri Sapanin Chaldaïcè, & Sapone Syriacè nuncupantur. Cuius duplicis etymologiæ gloriam quis nescit Hispanos iam pridem esse consecutos? Quippe quorum partim res terra, marique præclarè gestæ, partim harum fama & honorifica prædicatio, iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continetur.* Idem auctor in Dictionario Syro-Chaldaïco: אספמיא *Asphamia, Hispania. In Thargum Abdiæ, vt habet Aruc, & Rabbi Scelemoh, & exemplar Complutense manuscriptum: in quo tamen ex alio correctissimo notatur ad marginem,* איספניא *Hispaniia, quæ videtur verior lectio, nam facilè fuit scribendo ex* נ *compodere* מ. *Venetum sine* ספמריא,א, *Sephamiia habet.* Vide quoque de his Dauidem de Pomis in Germine, Antonium Possevinum lib. 16. Bibliothecæ, sectione 5. cap. 13. Omittimus iam minutiora alia Hispaniæ nomina, de quibus videri possunt Nonius in Hispania, cap. 1. Aldrete lib. 3. de Hispanica lingua, cap. 2. qui de his præ ceteris accuratiùs disseruere.

Iberia Pontica.

CAP. XXIV.

COnsensus auctorum est, duas esse Iberias, Hispaniam, & Iberiam Asiaticam ad Pontum Euxinum. Stephanus: *Iberiæ duæ sunt, altera quidem ad Herculis Columnas, ab Ibero flumine: altera verò apud Persas.* Iberiam Ponticam Colchis

& Albanis finitimam constat. Plutarchus in Pompeio : *Maximæ nationes Albani, & Iberes sunt. Iberes ad montem Moschium, & Pontum pertinent : Albani vergunt ad Orientem & mare Caspium.* Dio initio lib.36. *Iberi ex vtraque Cyrni parte habitant : vna parte Albanis, alia Armeniis contermini.* Descripsere hanc regionem Strabo lib. 11. pag. 343. 344. Plinius lib. 6. cap. 4. & 10. & alij. Ptolemæus lib. 5. cap. 11. hæc ait : *Iberia terminatur à septentrionibus parte Sarmatiæ : ab Occasu Colchide : à Meridie parte Maioris Armeniæ : ab Oriente autem Albania.* Pompeius Albanos, Iberos, Colchos deuicit, ac triumphauit, vti Epitomes Liuiana lib. 101. Florus lib. 3. cap. 5. Plutarchus in Pompeio, Appianus in Mithridatico, Dio lib. 36. Auctor de Viris illustribus, cap. 77. Eutropius lib. 6. & alij. De Iberis Laonicus Chalcocondylas lib. 9. Rerum Turcicarum, hæc prodit : *Iberia finitima est Colchidis regionis, eiúsque reges haud sunt instrenui & ingenerosi. Porrigitur autem ab eo loco qui Bathy dicitur, & ab Phaside fluuio vsque Chaltlichi, quæ pertinet ad ditionem Gurguri, Cotij, Cachetij, & Typhlisij. Vrbes hæ propinquæ sunt Samachio, quam vrbem tenent, & incolunt Turcæ, sub quorum potestate degunt separatim infra Cachetum vrbem in regione maritima, Sebastopolis Mengrelliorum, & Dandianni metropolis, Mamla, Samantaula, Gurij, & aliæ vrbes maritimæ. Nam vrbibus superioris Iberiæ contermini sunt Alani, Hunni, & Embi. Verùm Alani ad Caucasum vsque se extendunt, qui præ reliquis habentur viri fortissimi, & bellicarum rerum peritissimi. Hi conficiunt loricas optimas. Sequuntur religionem Domini nostri Iesu Christi : lingua vtuntur peculiari. Arma habent quæ ex ære parant, & Alanica nominantur. Quin & ipsi Iberi sunt. Vnde autem in istam regionem profecti venerint, an ab Iberis Occidentalibus, aut aliunde, coniectando assequi non possum. Magnam breui sibi pararunt potentiam : etiam opes plurimas nacti sunt. Fidem verò Christianam Constantinopoli hauserunt. Nam mulier quæ eò proficisci consueuerat, vt veram fidem & sacrosanctam addisceret, etiam Iberos, abnegata sua superstitione, ad sanctissimam & miraculorum effectricem fidem adduxit : eósque Christianos declarauit, cùm se Christianos esse confiterentur. Temporibus multis post Scythæ finitimi iis bellum intulere : & ingressi regionem Iberiæ, eam planissimè eorrumpebant, & euastabant. Viros qui præsto erant, captos in mancipiorum numerum retulerunt. Iberorum verò reges confugerant in montes, vt in his seruarentur. Posteà cùm Scythæ regione excessissent, reuersi ad sua, etiam Iberi ex montibus ad sua descenderunt, & regi deinceps Scytharum quotannis tributum ferentes, in regno suo manserunt.* Huc vsque Laonicus.

At quibus nominibus hæ gentes patrum nostrorum ævo appellarentur, & quis earundem status esset, Paulus Iouius lib. 14. Histor. in hunc modum exponit : *Albanorum regio, quam hodie Seruan appellant, proxima Mediæ & mari Caspio imminens Caucasiis rupibus inaccessa est, cui niuosi admodum, excelsique montes, & abruptæ valles catenatis inter se rupibus, adnectuntur, pertinentes ad Georgianos, qui hodiè sunt Iberi, & ad Mengrellios, qui Colchorum & Albanorum regna ad Phasim amnem incolunt, paucis ante annis Bendiam Colchis, Georgianis Pancratius, Albanis Aguasapas regnabant. Regiæ eorum sedes sunt, Phasium introrsus à mari, retento veteri nomine Phasi fluuio impositum. Insula Oëtis & Medææ, velleréque aureo poëtarum carminibus celebrata, inde Cotachis & Gorgora asperrimis in saltibus sitæ. Hi reguli pari studio, tanquam amici & fœderati Persarum regibus leuia tributa pendunt. Christiano more, sed Græcorum ritu sacrificant. Ex his maximè bellicosi Albani sunt, secundum eos Iberi, cùm Mangrelli stoliditate, temulentia, & latrociniis infames existimentur.* Describit quoque Iberiam Munsterus lib. 5. Cosmographiæ, pag. 996.

Iberorum gentem ad fidem Christi accessisse per Christianam quandam captiuam, tempore Constantini Magni, annotauimus lib. 4. cap. 8. vbi de eorum florenti Christianismo egimus. Sed & de Georgianorum Christiana religione multa etiam scripsimus eodem lib. 4. cap. 9. de quibus vide Haithonum lib. de Tartaris, cap. 10. & 58. Agit de Iberis Theophanes Byzantius in Historia apud Photium in Bibliotheca, aítque tempore Iustini Iunioris, eorum metropolim fuisse Tiphilim. Historiam Zamanardi, vel Zanabarzi Iberorum regis, habent Paulus Diaconus in Miscella lib. 16. cap. 20. Cedrenus in Annalibus anno VIII. Iustiniani, Dogmatis Iberorum meminit Ioannes Cantacuzenus lib. 4. Historiæ Andronici Iunioris, cap. 14. & de Monasterio Iberorum apud montem Atho agit cap. 16. Iberorum morem nuptialem refert Georgius Phranzes in Chronico Orientalis Imperij, lib. 3. cap. 3. Iberos esse, quos nunc Georgianos nuncupant, Iouius, Ortelius, Mercator, & omnes ferè obseruant. At Pomponius Mela lib. 1. cap. 2. Iberos distinctos ponit à Georgis, quamuis finitimos, hisce verbis : *Super Caspium Sinum, Comari, Massagetæ, Cadusij, Hircani, Iberi. Super Amazonas, & Hyperboreos, Cymmerij, Scythæ, Heniochæ, Georgi, Moschi, Corsitæ, &c.* De Georgis Plinius lib. 6. cap. 15. Solinus cap. 20. Mela lib. 2. cap. 1.

Ceterùm cùm tanto auctorum consensu cap. 22. demonstrauerimus, Thubal in sacris libris esse Iberiam, seu Hispaniam, vaticinante Ezechiele, Thubalem futurum in exercitibus Antichristi, inde perspicuè deducitur Hispanos futuros Antichristi stipendiarios, & ei in bellis operam suam nauaturos. Et verò Hector Pintus in 38. Ezechielis, non dubitauit scribere, Hispaniæ regem subiiciendum Antichristo. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 3. ex verbis Ezechielis accipit, Hispanos futuros in exercitibus Antichristi. Hoc idem affirmant Pineda lib. 4. de Rebus Salomonis, cap. 15. §. 7. Hieronymus Baptista Tractatu 4. in Euangelia, numero 36. Ioannes à Ri nte lib. 3. vtriusque Monarchiæ, cap. 33. §. 3. in margine, ad finem §. Sed iste magnam putat inuri iniuriam & ignominiam Hispanicæ genti, si dicatur ex Iberia Pontica in Hispaniam ductam coloniam : & nullam ducit asserere, Hispanos Antichristo militaturos.

Ego planè non ingens orthodoxissimæ nationis dedecus censuerim, si aliqui ex Hispanis signa Antichristi sint secuturi, cùm id propterea fidem & pietatem reliquæ gentis non euertat : & sint in humanis cœtibus boni malis permisti : sed rem acriùs expendi velim, non adeò patriæ, quàm veritatis amore. Iosephus quidem & Eusebius, ceteris antiquiores, quos secuti sunt Thodoretus, Zonaras, & alij, Thabal quidem Iberos esse tantùm affirmant, nihílque ampliùs addunt, nec aiunt disertè esse Hispanos : nam cùm duplicem Iberiam esse constet, Ponticam, & Hispaniam : in ambiguo manet, quos Iberos, & quam Iberiam sub Thubalis nomine Iosephus & Eusebius intelligant.

ligant. S. Hieronymus quidem, & Latini alij recentiores, vti cap. 22. videbamus, Thubal Iberos, qui & Hispanos explicatè dixerunt : sed disiunctim fere S. Hieronymus, Iberes, vel Ponticos, vel Hispanos interpretatur, vt in Ezechiel 27. vers. 13. *Thubal, id est, Iberi Orientales, vel de Occidentis partibus Hispani.* Tremellius & Iunius in Genes. 10. ad vers. 2. *Iberos Ponticos propriè intelligunt*, notant enim : *Iberos olim Thobelos fuisse dictos, Iosephus testis est, Iberiæ puta, & Albaniæ incolas, vbi Thabilaca oppidum à Ptolemæo recensetur. Sunt ergo liberi & Albani à Thubale.*

Etverò facilè suspicor Thubalem Iapheti filium, & Iberes Ponticos, & Hispanos, imò & Italos, vt mox dicemus, condidisse : certè his tribus gentibus nomen *Thubal* in Scriptura commune esse, non ambigo, vti statim ostendam : atque illud intrepidè pronuntio & adstruo, propter Scriptorum consensum, quem cap. 22. posui, Genes. 10. 2. & 1. Paralipom. 1. 3. Thubal Hispaniam quoque seu Hispanos significare : nullibi tamen aliàs in diuinis litteris posse certò conuinci, Thubal, Hispaniam esse. Excutiamus loca :

Isaiæ 66. 19. Thubal à Vulgato nostro, cuius auctoritas sacra & inluctabilis est, Italia expressissimè redditur : *Mittam ex eis qui saluati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam, tendentes sagittam, in Italiam, & Græciam.* Vbi pro *Italiam*, Hebraïcè est *Thubal*. Et quod Noster habet, *Mittentes*, vel *tendentes sagittam*, LXX. dixerunt, *Mosoch*, id est, Cappadociam.

Ezechielis etiam 27. 13. *Græcia, Thubal & Mosoch, ipsi institores tui.* proculdubio Thubal est Italia, nam vt in superiori Isaiæ loco, coniungitur cum Græcia, & Cappadocia, regionibus vel vicinis, vel non longissimè distantibus.

Aliis autem Scripturæ locis, quum Thubal cum solo Mosoch coniungitur, ac præsertim in Vaticinio Ezechielis, quo prænuntiat Thubal & Mosoch in exercitibus Antichristi futuros, Thubal nullo pacto esse Hispaniam, sed potius Iberiam Ponticam, tametsi non extra omnem incertitudinis & ambiguitatis aleam statuerim ; at vt quàm verisimile & probabile esse non dubito. Ezechielis 32. 26. *Ibi Mosoch, & Thubal, & omnis multitudo eius.* Et cap. 38. 2. *Fili hominis pone faciem tuam contra Gog, & terram Magog, principem Capitis Mosoch, & Thubal : & vaticinare de eo, & dices ad eum : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te Gog principem Capitis Mosoch, & Thubal.* Eadem repetit cap. 39. 1. Quibus locis manifestè videmus Thubal cum Mosoch sociari, nimirùm sane tanquam cum proxima ac vicina regione, siquidem sub vnius Principis Gog imperio & ditione, in eisdem castris merentes : at quæ vicinitas, quæ commercia sunt in ditione, aut bellicis stipendiis inter Ponticam, Cappadociam seu Moschouiam, quas diximus nomine Mosoch denotari, & Hispaniam, longissimè inter se dissitas regiones ? Iberia autem Pontica, & Cappadocia Pontica vicinæ & proximæ sunt prouinciæ. Conatus est hoc argumentum eludere Ioannes Pineda : sed sanè haud solidè.

Insuper Mosoch & Thubal dicuntur ab Ezechiele regiones Aquilonares : certè ab Aquilone magnis agminibus ad Antichristum venturæ. Sic enim vaticinatur cap. 38. 15. *Et venies Gog de loco tuo à lateribus Aquilonis, tu, & populi multi tecum, ascensores equorum vniuersi cœtus magnus, & exercitus vehemens.* Nempe conflatus ex gentibus Magog, Mosoch, & Thubal, vti disertè anteà idem Vates expresserat. Et cap. 39. 1. subdit : *Ecce ego super te, Gog principem capitis Mosoch & Thubal : & circumagam te, & ascendere te faciam de lateribus Aquilonis.* At quis non videt Hispaniam non esse Aquilonarem, sed omnium Occidentalissimam tunc cogniti orbis, respectu cuius Scriptura situs locorum haud dubiè describit ? Constat tamen Iberiam Ponticam Aquilonarem esse ipsi Iudææ, vt Cappadociam & Moschouiam, & totum illum terrarum Scythiæ tractum, vndè venturi sunt exercitus Gog & Magog in Iudæam ad Antichristum.

Nec defuêre recentiores, qui nullibi in Scriptura, Saltim Ezechielis 38. & 39. Thubal Hispaniam, sed Iberiam Ponticam significare existimauerint. Oleastrius in Genes. 10. *Sunt autem Thubal & Mesech populi Aquilonares, cuius caput dicitur Gog, vt patet Ezechielis 39. vbi dicitur : Ascendere faciam te à lateribus Aquilonis : & venire faciam te super montes Israël.*

Arias Montanus in Phaleg : *Thubal, Iberi Aquilonares Iuxta Mæotidem, Pomponio.* Quamuis hîc non neget Tubalem fuisse primum Hispaniæ cultorem.

Ribera in 20. Apocalyp. numero 61. *Iosephus lib. 1. Antiquitatum, cap. 7. Mosoch Cappadoces esse vult, Thubal autem Iberos, quos Hieronymus Hispanos esse interpretatur, vel iuxta Hebræorum sententiam, Italos. Alij, quibus magis assentior, Mosoch affirmant dici eos quos Pomponius Mela lib. 2. cap. 2. Moschos appellat, & hodie vocantur Moschouitæ : nam Cappadoces dicuntur Hebraïcè Caphthorim. Thubal autem, nec Hispanos Iosephus esse dixit, nec Itali sunt, sed Iberi. Est autem Iberia Aquilonaris regio iuxta Pontum, inter Colchidem & Armeniam, quæ Caucasiis montibus circumdatur : à quibus profecti dicuntur quidam qui in Hispaniam venerunt : vnde & ipsa paulatim Iberia dicta est. Hoc autem verius esse vel hinc constat, quòd neque Hispania, neque Italia ad Aquilonem pertinent : nec verò Cappadocia si propriè loquamur : Moschi autem & Iberi Aquilonares sunt, & regnum huius principis Gog esse in Aquilonaribus regionibus, manifestè docemur in eodem 38. Ezechielis capite : Et venies de loco tuo à lateribus Aquilonis, tu, & populi multi tecum.* Hæc Ribera. Sed cùm ait Thubal non esse Italiam, id quidem verum est, 38. & 39. Ezechiëlis : nam Isaiæ 66. 19. esse Italiam, Vulgato adstruente, non est dubium.

Emanuel Sà in 38. Ezechielis, ad vers. 2. *Thubal, id est, Iberiæ scilicet Aquilonaris, quæ iuxta Pontum.*

Ioannes Maldonatus in 38. Ezechiel. ad vers. 2. *Quamquam alij fortasse non sine magna ratione, Thubal Iberos, nec Hispanos, nec Italos, sed eos qui Scythis vicini sunt, intelligunt.*

Ergo probabile cumprimis arbitramur in oraculo Ezechielis quo prænuntiat, Mosoch, & Tubal, aliasque gentes venturas in exercitibus Antichristi, Thubal nequaquam intelligi Hispanos : sed Iberos Ponticos, seu Asiaticos. Nec absurda coniectura suspicamur Thubalis nomine eo in Vaticinio includi quoque præter Iberam, Albaniam, Maris Caspij Occidentalia littora, & populos, qui nunc Circassi dicuntur, tractúmque terræ versus Cicatram & Volgam fluuium, ac Tartariæ fines : nam hoc equidem pacto Mosoch & Thubal sunt confines & proximæ regiones, cùm inter se se, tum etiam cum gentibus Magog, id est,

Scythis, quibus in prophetia Ezechielis coniunguntur.

Sic Hiſpanam gentem, bello, & pace inclytam, gloria Orthodoxæ Fidei clariſſimam à probro Antichriſtianæ militiæ vindicamus. O quàm ingens campus laudum nationis nobiliſſimæ hîc pateſcebat? ſed malo nunc puſillo animo eſſe, & inuidiam domeſtici teſtimonij formidare. Verùm quæ de Thubal gente Antichriſto militatura diſſeruimus, magis adhuc illuſtrabuntur, quum veram ſententiam de Gog & Magog cap. 31. ſolidè ſtabiliemus.

Perſæ, Æthiopes, Libyes, Gomer, Thogorma.

CAP XXV.

HAs etiam nationes ſecuturas Antichriſti vexilla, Ezechiel vaticinatur cap. 38. 3. *Hæc dixit Dominus Deus: Ecce ego ad te Gog principem capitis Moſoch & Thubal,* 4. *& Circumagam te, & ponam frænum in maxillis tuis: & educam te, & omnem exercitum tuum, equos & equites veſtitos loricis vniuerſos, multitudinem magnam, haſtam & clypeum arripientium & gladium.* 5. *Perſæ, Æthiopes, & Libyes cum eis, omnes ſcutati & galeati,* 6. *Gomer, & vniuerſa agmina eius, domus Thogorma, latera Aquilonis, & totum robur eius, populique multi tecum.*

Perſæ.

Hos vocat Ezechiel פרס PARAS, quæ vox recentior videtur, cùm non niſi in libris ſacris Captiuitatis reperiatur: vetus enim Perſarum appellatio videtur Elam, vti lib. 4. cap. 17. notabamus. Nomen autem PARAS, vel à Perſis, aut Perſis ab eo ductum videtur. Significat PARAS Hebræis, findere, frangere, diuidere, lacerare. Perſarum originem, & mores, & inſtituta tradiderunt, Herodotus lib. 7. numero 150. lib. 1. numero 125. & ſequentibus, Cteſias Gnidius in Perſicis Excerptis apud Photium in Bibliotheca, Xenophon lib. 1. Cyropædiæ, & lib. 8. verſus finem, & alibi ſæpius, Agathias lib. 2. & ex recentioribus Barnabas Briſſonius libris tribus de Regio Perſarum principatu, Petrus Bizarus peculiari Opere, & nuper Petrus Teixera Luſitanus duobus libris de origine & ſucceſſione Regum Perſicorum. Regionem deſcripſerunt Strabo lib. 15. Plinius lib. 7. cap. 23. Mela lib. 1. cap. 2. Ptolemæus lib. 6. cap. 4. S. Hieronymus in 27. Ezechielis, ad verſ. 10. inquit: *Perſas fuiſſe fortiſſimos, & ſacra, & ſæcularis narrat hiſtoria.*

De antiqua Perſicæ militiæ ratione, armorúmque mirando apparatu pluribus agit Briſſonius integro libro tertio, de Principatu Perſarum: de noua verò, qualis erat patrum & auorum noſtrorum memoria, accuratè Paulus Iouius 14. Hiſtoriarum diſſeruit. Ceterùm hîc Perſarum nomine Vatablus, Pintus & alij, gentes Orientales intelligi annotant: quod Perſæ in Oriente olim longè latéque imperitauerint: ſícque his congruet locus ille Apocalypſ. 16. 12. *Vt præpararetur via regibus ab Ortu ſolis*, nimirum venientibus cum validis exercitibus ad coniungendum ſe Antichriſto, vti infrà cap. 34. fuſiùs explicabimus. De Æthiopibus & Libyis abundè ſuperiùs perſcripſimus, cap. 17. & 18. Horum tamen nomine Vatablus & Pintus obſeruant indicatas vniuersè gentes Occidentales, quotquot militiam Antichriſti ſunt ſecuturæ. Meliùs dixiſſent Auſtrales, ſeu Meridionales.

Gomer.

Fuit primus filius Iapheth, Geneſ. 10. 2. & 1. Paralipom. 1. 5. Cuiuſnam autem gentis auctor fuerit, Ioſephus lib. 1. Antiquitat. cap. 7. ita exponit: *Quos enim nunc Græci Galatas vocitant Gomarenſes olim dictos, Gomor condidit.* S. Hieronymus in Quæſtionibus Hebraïcis in Geneſ. 10. *Sunt autem Gomer, Galatæ.* Idem docet in Ezechiel. 38. ad verſ. 6. Theodoretus in 38. Ezechiel. ad verſ. 6. *Gomer, Galatas ita vocat.* S. Eucherius lib. 2. in Geneſ. cap. 3. *Sunt autem Gomer, Galatæ.* S. Iſidorus lib. 9. Originum, cap. 2. *Gomer, ex quo Galatæ, id eſt, Galli.* S. Beda in Geneſ. 10. *Gomer, id eſt, Galatæ.* Zonaras Annali 1. *Gomares enim à Gomer, nunc Galatæ dicuntur.* Strabus in 10. Geneſ. *Gomer, Hi ſunt Galatæ, ſecundùm Ioſephum, qui Latinè Gallo-Græci dicuntur.* Anſelmus Laudunenſis: *Gomer, Galatæ.* Rudericus Toletanus lib. 1. de Rebus Hiſpaniæ, cap. 2. *De Gomer filio Iapheth, Galatæ ſecundùm Ioſephum & Iſidorum, qui Latinè Gallo-Græci dicuntur. Olim enim Senones Galli quandam partem Græciæ inuadentes, à Gallis & Græcis Gallatiam quaſi Gallo-Græciam appellarunt.* Lyranus: *Gomer, à quo nominati ſunt Galatæ: & poſteà Gallici, vt dicunt aliqui.* Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 31. *Gomer pater Galatarum, ſiue Gallorum.* Ergo Gomer eſſe Galatas affirmant Otho Friſingenſis in Chronico lib. 1. cap. 4. Honcala in 10. Geneſ. Vatablus in Ezechiel. 38. Clarius in Ezechiel 27. Sà in Geneſ. 10. & Ezechiel. 38. Ribera in Apocalyp. 20. numero 59. Maldonatus in 38. Ezechielis, Reineccius in 1. Parte Heroïci Syntagmatis in Regno 51. Celtico, Mercator in Notis ad Ptolemæum lib. 5. c. 3. Ortelius in Theſauro Geographico, & alij.

Diuersè aliquantulum exiſtimarunt nonnulli. Oleaſtrius in Geneſ. 10. *Videntur etiam filij Gomer Germani, quia cap.* 38. *Ezechielis coniunguntur domui Togarmah, quam diximus in Germania, aut partibus Aquilonaribus eſſe: nam ibi dicitur, Gomer, & vniuerſa agmina eius: & ſtatim ſequitur, domus Togarmah.*

Tremellius & Iunius in Geneſ. 10. 2. *Gomer, Cimmerij. Hinc Cimmerij montes ſupra Albaniam, & in Phrygia oppidum Cimmaris, & Cimmerius Boſphorus, & in vltimo ipſius oſtio Cimmerium oppidum. Qui autem Cimmerij ante vocabantur, ijdem Cimbri, de generante nomine fuerunt appellati. Ioſephus Galatiam Gomero tribuit, dicens, Galatas Gamaræos primùm fuiſſe dictos. Ieroſolymitanus Paraphraſtes Africam, quo auctore, aut qua ratione non ſatis video.*

Hugo Brougthonus in Concentu S. Scripturæ, pag. 2. *Gomer, Cameritæ, Cimmerij apud Dionyſium Geographum.*

Mercerus in Geneſ. 10. verſ. 2. *A Gomer Galatæ, ſeu Gallogræci, & Galli deſcendunt. Alij Cimbres putarunt. Comarij populi in Aſſyria aut Media leguntur, huic nomini viciniores.*

Montanus in Phaleg: *Gomer, Comari, ita dicti Melæ: aliis Cimmerij, vel Cimbri: namque ex Gomer, Comari, & ex Comaris, Cimbri procreati ſunt.* Pomponius lib. 1. c. 2. *Super Scythas, Scytharúmque deſerta, ac ſupra Caſpium Sinum, Comari, Maſſagetæ Ca*

te Cadusij, Hyrcani, Iberi. Super Amazonas, & Hyperboreos, Cimmerij, Scythæ, Heniochi, Georgi, Moschi, Corsitæ, &c.

Auenarius in Lexico: *Gomer filius primogenitus Iapethi filij Noë Patriarchæ. Hinc Græci Cimmerij, & Cimbri populi Septentrionales, Saxonici maris peninsulam incolentes, vbi nunc sunt Dani, Holsatij, Norduegij, & Gothi. Hieronymus putat, Gomer fuisse Galatarum patrem, qui adhuc Germanica lingua, id est, Saxonico idiomate vtuntur, quos Latini per metathesin litterarum, Gemanos vocant.*

Delrius in Genes. 10. ad vers. 2. *Gomer, Iosephus, Hieronymus, Isidorus ab hoc deducunt Galatas, olim dictos Gomares, Gomaritas; Mela, Comari: inde Cimbri, & Cimmerij: denique à lacteo colore Gallos, seu Galatas: nam qui Brenno duce in Asiam perruperunt, Cimbri erant, & in Asia Galatæ, & Gallo-Græci vocati. Non obstat locus Ezechielis cap. 36. vers. 6. vbi Gomerei iunguntur cum Thogormais, Gogitis, & Magogitis: quia non illic regionum situs, sed gentium, quæ Antichristo adhæsura, confœderatio describitur.*

Cornelius à Lapide in Genes. 10. ad vers. 2. *Ex Gomer itaque orti & dicti sunt Gomari, siue Cimbri, & Cimmerij: & vt Iosephus, & Hieronymus, & Isidorus tradunt, Galatæ: Galatæ enim Cimbri fuerunt: nam qui Brenno duce in Asiam perruperunt, Cimbri erant: & in Asia ac Græcia Gallo-Græci, à lacteo colore (γάλα enim Græcis lac significat) sunt appellati. Vnde & Galatas Treuirenses lingua, quæ sanè Germanica fuit, vsos esse, docet S. Hieronymus Præfat. in Epist. ad Galatas.* Et in Argumento Commentariorum in Epist. ad Galatas: *Denique S. Hieronymus, Iosephus, & Isidorus tradunt Galatas Ortos esse ex Gomer, puta ex Gomaris, siue Cimbris, qui vel Germani, vel Germanis affines fuerunt.*

Pererius in 10. Genes. *Ergo Gomeritas credibile est fuisse populos in Asia, quæ Aquilonaris est, seu Septentrionalis Palæstinæ, vel etiam in aliqua parte Syriæ, non longè tamen remotos à Palæstina: dici verò Aquilonares comparatione Iudææ: talem enim positum ea regio habet ad Palæstinam.*

Torniellus anno mundi 1931. num. 21. *A Gomer primùm inter filios Iapheth nominato, disseminati sunt Gomerenses, seu Gomeritæ populi, quos priùs consedisse in partibus Asiæ Septentrionalibus Syriæ proximis, colligit Perius in Genesim, ex Ezechielis c. 38. vers. 6. Oportet autem eos posteà duxisse Colonias in Asiam minorem: nam teste Iosepho, ex ipsis deinde orti sunt Galli, seu Galatæ, qui Galatiam eiusdem Asiæ prouinciam, ab ipsis denominatam, incoluerunt: ex quibus plurimi mox spoliata Delpho, & propè Troadem consedentes maiorem Phrygiæ partem occupasse feruntur: & cum Græcis mixti, propterea Gallo-Græci, & illa regio à Græcis Gallo-Græcia fuit appellata, vt scribit Iustinus lib. 35. Sunt qui putant Gomeritas esse Cimmerios, & à Pomponio Mela Comaros nuncupari: ex quibus posteà Cimbri prodiisse dicuntur.* Sed hoc est omnia confundere & miscere.

Valentinus Schindlerus in Pentaglotto: *Gomer filius Iapheth, Genes. 10. à quo Gomeritæ, qui nunc Galatæ dicuntur. Aliis Cimbri. Rabbinis ERETZ GOMER est Turcia.* Contradus Pellicanus in Genes. 10. vers. 2. *Gomer, Iudæi Africam, Hieronymus Galatas, vel Gallogræciam putant.*

Maior ergo auctorum pars Gomer Galatiam, seu Galatas esse confirmat, quod omnino sequendum ducimus. Sed illud obseruandum, Gallos Græcis Scriptoribus Galatas appellari solitos. Diodorus Siculus lib. 5. num. 210. *Accidit autem vt Hercules in bello aduersus Geryonem, in Celticam deflectens, Alesiam ibi conderet. Tum puella conspicata Herculem, cùm virtutem & corporis eminentiam demiraretur, complexum eius percupidè, non absque parentum tamen consensu, admisit. Congressa igitur cum Hercule, Galaten suscepit, qui populares virtute animi, ac corporis longè præstabat. Is cùm ad virilem ætatem peruenisset, regnum paternum adeptus, multas de finitimis terras acquisiuit, magnásque res bello confecit. Cúmque fama de fortitudine eius vbique inclaruisset, subditos à nomine suo Galatas appellauit: totique proinde nationi Galatiæ, seu Galliæ nomen fuit ascitum.*

Appianus Alexandrinus initio Ibericorum: *Celtæ, qui Galatæ, & Galli cognominantur.* Ammianus lib. 15. cap. 23. *Ambigentes super origine prima Gallorum Scriptores Veteres, notitiam reliquere negotij semiplenam: sed posteà Timagenes & diligentia Græcus & lingua, quæ diu sunt ignorata, collegit ex multiplicibus libris: cuius fidem sequuti obscuritate dimota, eadem distinctè docebimus & apertè. Aborigenes primos in his regionibus quidam visos esse firmarunt, Celtas nomine regis amabilis, & matris eius vocabulo Galatas dictos: ita enim Gallos sermo Græcus appellat.* Theodoretus in 2. Timoth. 4. ad vers. 10. elucidans illud, *Crescens in Galatiam*, inquit: *Gallias sic appellauit: ita enim appellabantur antiquitus. Ita etiam nunc eas nominant qui sunt externæ doctrinæ participes.* Quin & S. Epiphanius Hæresi 51. ait: *Velut etiam de comitibus quibusdam ipsius, in Epistolis suis idem Sanctus Lucas dicit: Cresces, inquit, in Gallia. Non enim in Galatia, velut quidam decepti putant, sed in Gallia legendum est.* Sed & Eusebius Cæsariensis lib. 3. Historiæ Eccles. cap. 4. eundem Pauli locum laudans, ait: Κρίσκης μὲν ἐπὶ τὰς γαλλάας. *Crescens autem in Galliam.* Tametsi Christophorsonus emendet ἐπὶ τὴν γαλατίαν. Adstipulatur S. Epiphanio, & Theodoreto, Sà in 2. Timoth. 4. 10. Equidem S. Crescentem in Gallia prædicasse Euangelium affirmant Martyrologia, S. Bedæ, S. Adonis, Vsuardi, Notkeri, & aliorum, 27. Iunij.

Illud etiam 1. Machabæorum, 8. 2. de Romanis: *& virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia*, reddens Iosephus 12. Antiquit. cap. 17. ait: *Qui quoniam multa audierat de Romana potentia, & quòd deuicerint Galatiam, & Hispaniam, & Carthaginem Libyæ, &c.* Vbi Interpres Rufinus, seu Gelenius reddunt: *Qui quoniam multa audierat de Romana potentia, quòd deuictis Gallis & Hispanis ac Carthaginensibus, &c.* pro Galatia, exponunt Gallos. At ego puto Auctorem libri Machabæorum, & Iosephum intelligere de bello Gallo-Græco confecto à Cn. Manlio Coss. de quo Polybius in Excerptis Legationum, excerpto 31. 32. 33. 34. 35. Liuius lib. 38. cap. 12. & seq. Florus lib. 2. cap. 11. Orosius lib. 4. cap. 20. & alij. Sed & Gallos Galatas disertè appellat Sozomenus lib. 7. Histor. Eccles. cap. 4. initio. Et Nicephorus Gregoras lib. 2. cap. 7. *Celtæ & Galatæ, siue Galli sunt appellati.* Eusebius in Chronico, numero MDCCCXCIII. in Græcis: *Augustus Cantabriam & Galatas (Gallos) vectigales facit.* & ita Græci passim loquuntur. S. Hieronymus Præfat. lib. 2. in Epist. ad Galatas, eruditè de his:

his: *Lactantij nostri quæ in tertio ad Probum volumine de hac gente Galatarum opinatus sit, verba ponemus: Galli, inquit, antiquitus à candore corporis Galatæ nuncupantur: & Sibylla sic eos appellat. Quod significare voluit Poëta, cùm ait: Tum lactea colla Auro innectuntur: cùm posset dicere candida. Hinc vtique Galatia prouincia, in quam Galli aliquando venientes, cum Græcis se miscuerunt. Vnde primùm ea regio Gallogræcia, post Galatia nominata est.* S. Isidorus lib. 9. Originum, cap. 2. *Galatæ Galli esse noscuntur, qui in auxilium à rege Bithyniæ euocati, regnum cum eo peracta victoria diuiserunt. Sicque deinde Græcis admixti, primùm Gallogræci: nunc ex antiquo Gallorum nomine Galatæ nuncupantur.* Et posteà: *Galli à candore corporis nuncupati sunt: γάλα enim Græcè lac dicitur. Vnde & Sibylla sic eos appellat. Et Poëta cùm ait de his:-tunc lactea colla Auro innectuntur.* Desumpsit partim ex S. Hieronymo, partim ex Iustino lib. 25. vbi ait: *Itaque Galli in auxilium à Bithyniæ rege inuocati: regnum cum eo parta victoria diuiserunt, eámque regionem Gallogræciam cognominarunt.* Equidem Gallos in Galatiam profectos, eam prouinciam insedisse, ab iisque Gallo-Græciam & Galatiam appellatam docent Liuius lib. 38. Strabo lib. 4. pag. 129. 130. & lib. 12. pag. 390. Plinius lib. 5. cap. 32. Sed de Gallorum nomine & origine plura Ioannes Bodinus in Methodo Historica, cap. 9. Galatas fortes bellatores appellat Lucianus in Dialogo meretricio, *Leonthichus.*

Ergo, vt iam colligamus, Gomer primùm Gallos, deinde ab iis propagatos Galatas suo sub nomine complecti non ambigimus. Sed nomen Gomer, seu Gallorum, vel Galatarum, latiùs hîc intelligi planè arbitramur, vt & Cimmerios, seu Cimbros quoque comprehendat, & alias gentes Scythis finitimas: vt plurimum includat forsitan eam regionem, quam fusè describit Ioannes Boëmus Aubanus lib. 3. de Moribus Gentium, cap. 21. sic orsus: *Galatia magna Europæ regio fuit, vltra Celticam, ad Notum, Oceanumque versus pertinentes oras, & Hercynium montem, & à terminis Istri ad Scythiam vsque prorensa. Sic appellata à Galate Herculis, & Celticæ cuiusdam mulieris filio.* Sequitur multa de ea Galatia perscribere, quæ longè, latéque nuncupationem Galatarum patuisse demonstrant. Tu ipsum adito.

Thogorma.

Filius Gomer, nepos Iapheti dicitur Genes. 10. 3. & 1. Paralipom. 1. 6. De quo Iosephus 1. Antiquit. cap. 7. *Thygrammes Thygrammæis, quos Phrygas Græcis libuit vocare, originem dedit.* S. Hieronymus Quæstionibus Hebraïcis in Genes. 10. *Thogorma Græci Phrygas vocant.* Et in Ezechielis 38. ad vers. 6. *Thogormah Phrygas interpretantur.* Theodoretus in 38. Ezechielis, ad vers. 6. *Thogormah, Phryges hos aiunt esse.* S. Eucherius lib. 2. in Genes. cap. 4. *Thogorma Græci Phrygas vocant.* S. Isidorus 9. Originum, cap. 2. *Thogorma, à quo sunt Phryges.* Zonaras Annali 1. *Thorgamæi Thorgaman auctorem iactant, post mutato nomine Phryges appellati.* Ergo Thogormah esse Phrygiam, vel Phryges autumant quoque Anselmus Laudunensis in Genes. 10. Honcala in Genes. 10. Isidorus Clarius in 27. Ezechielis, Sà, in 10. Genes. Maldonatus in 27. & 28. Ezechielis.

Aliter alij existimarunt, Pererius in 10. Genes. & Torniellus an. mundi 1931. num. 21. volunt Thogormæos esse populos Syriacos vel Asianos, non longè dissitos à Palæstina. Hector Pintus in 38. Ezechielis, suspicatur esse forsan Teucros, seu Troianos. Chaldæus interpres Ezechielis 27. 14. & Ezechiel. 38. 6. Thogorma *Germaniam* exponit. Thargum alia Ierosolymitana in Ezechielis 27. *Barbariam* reddidit. Oleastrius in 10. Genes. *Sic etiam puto filios Thogarmah, Germanos aut prope Germanos morari.* Vatablus in Ezechiel. 27. vers. 14. *Thogormach, Chaldæus Paraphrastes, de regione Germaniæ, vertit. Alij Phrygiam interpretantur, nam & Turciam hodie Iudæi, Thogorma appellant.* Et in Ezechiel. 38. ad vers. 6. *Domus Thogorma, vel familias Germaniæ.* Conradus Pellicanus in Genes. 10. vers. 3. *Thogorma, Iudæi Barbariam, Hieronymus Phrygiam sentit.* Villalpandus in 27. Ezechiel. ad vers. 14. inquit: *Aliis Thogorma dicitur Germania, quoniam Chaldæus Paraphrastes hoc loco posuit Garmaniq. Verùm quis non videat, eandem esse vocem hanc, & Hebraicam Thogorma, sublata addititia priori littera, & retentis tribus, quas Hebræi vocant, radicalibus?* Putant alij Thogorma esse Turcas. Marinus in Arca: *Iudæi hodierni nomine Thogorma Turcas appellant: quod an rectè, alij viderint.* Beniamin Tudelensis in Itinerario, pag. 31. *Thogorma, qui Turcæ vulgò dicuntur.* Et pag. 33. *Thogorma, quos Turcas vocant.* Et pag. 52. *Thogorma, qui Turcæ vulgò dicuntur.* Dauid de Pomis in Germine: *Thogarmah, regio Turciæ aut Barbariæ.*

Mercerus in Genes. 10. vers. 3. *A Thogarma Iosepho Phryges. Iudæi hodie putant esse Turcas, alij Tartaros. Quidam nomen affine volunt Germanis Thau detracto, vt Garmani primùm, paulatim deinde voce corrupta Germani sint dicti. Sed incerta est coniectura: & magis septrentionales populi videntur in Asia iuxta Ezechielem.*

Montanus in Phaleg. cap. 7. *Inter Magog, & Mesech, Riphath longè protensam regionem, & Aquilonaribus frigoribus obnoxiam incertis finibus penetrauit, Ripheámque gentem de nomine dixit suo. Huic vicinus Thogormah consedit, montosis partim, partim campestribus extentus regionibus, atque ad ortum magis quàm Riphath accedens.* Et posteà: *Thogarmah equis & mulis abundare dicitur, Ezechiel. 27. 14.* Et ad finem capitis: *Thogarmah frequens populus, bellóque ferus, & multis aliarum gentium nationibus pertinaciter infestus, Turcarum gentis origo.* Et in Indice nationum: *Thogarmah, Thurcæ, Melæ, corrupto aliquantulum vocabulo, tribus litteris præcipuis conseruatis, T,H,R,G.*

Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 31. *Togorma, Sarmatarum pater. Recentioribus Hebræis, Turcarum.* Ortelius in Thesauro, voce, Turcæ: *Postellus putat Turcas Hebræis Togarma nominari: sic etiam Beniamin Tudelensis.*

Delrius in Genes. 10. ad vers. 3. *Thogormah, ab hoc gens eiusdem nominis, Ezechiel. 27. 14. Iosephus Phrygas vult fuisse. Hebræi recentiores hodie vocant Togar, magnum Turcarum Tyrannum, & volunt Togorma esse gentem Turcarum. Sanè Turciman, aut Turgiman haud longè abit: ideò assentior Beniamino Tudelensi in suo Itinerario, Postello, & Ariæ, potiùs quàm Thargumæo Chaldaico in Ezechielem, cap. 27. qui Germanos exponit.*

Cornelius à Lapide in Genes. 10. ad vers. 3. *Thogorma, ab hoc orti sunt Turcæ, qui Turcimanni, vel*

vel Turgimanni vocantur. Vnde & Hebræi modo regem Turcarum vocant Togar : licèt Ioſephus à Thogorma natos putet eſſe Phryges.

Priſcum Chronicum ſub Alexandro Imperatore editum, quod in Lucem emiſit Henricus Caniſius tomo 2. Antiquæ Lectionis, hæc habet lib. 1. cap. 4. *Togorma, de quo Armenij.* Franciſcus Iunius & Tremellius Emmanuel in 10. Geneſ. *Thogorma, Armenia minor, cuius reges Tygranes, & oppida multa Tygranocerta. Ezechiel.* 27. & 38. *Ieroſolymitanus Paraphraſtes incolam Barbariæ fuiſſe putat.* Hugo Brougthonus in Concentu S. Scripturæ, pag. 2. *Thogorma, Tygranes reges Armeniæ. Turcæ apud Plinium proximi ſunt. Iurcæ in Herodoto, Trocmi Ptolemæo.*

In tanta Scriptorum diuerſitate, difficile erit veritatem ſtatuere. Thogormah quidem regionem eſſe Aquilonarem, ſaltim reſpectu Iudææ, Ezechiel. 38. 6. apertè dicit: *Domus Thogorma, latera Aquilonis.* Phrygiam, vel Phrygas eſſe, Ioſephi, S. Hieronymi, & veterum potior eſt auctoritas. Quam maximè tamen veriſimile exiſtimauerim, Sarmatas & Turcas voce conſentiente, etiam includere. (cùm Turcæ ſanè Plinio & Melæ Sarmatæ quoque ſint, vt mox dicemus.) nimirum gentes Scythicas vicinas Magog, Thubal, & Moſoch. Sarmatiam vtrámque Scythicam & Europæam deſcripſit accuratè Matthias Michouienſis.

De Turcarum origine, excurſus.

CAP. XXVI.

NEc abs re, nec iniucundum erit de feræ & formidabilis nationis primordiis pauca notare. Herodotus lib. 4. num. 22. deſcribens ſolitudines ſupra Mæotidem, & Tanaïm, inquit: *Supra Bodinos ad Aquilonem, ſtatim excipit ſolitudo octo dierum itineris. Poſt hanc ſolitudinem, declinando magis ad ventum Subſolanum, incolunt Thyſſagetæ, natio copioſa & propria, & è venatu victitans. His contigui, & in eiſdem habitantes locis, ij quibus nomen inditum eſt Iyrcæ, & ipſi è venatione victitantes, hunc in modum. Conſcenſis arboribus, quæ per omnem regionem frequentes ſunt, inſidiantur: ſingulis autem adeſt canis, & item equus, in ventrem cubare edoctus, humiliùs ſubſidendi gratia. Vbi quis igitur ab arbore feram viderit, ſagittáque percuſſerit, conſcenſo equo illam perſequitur comitante cane. Super hos auroram verſus, incolunt alij Scythæ.* Nunquam dubitauerim, Iyrcas Herodoti eſſe Turcas, imò eſt magna coniectura, in Herodoto legendum Tyrcas, ſeu Turcas: nam Plinius & Mela, qui Herodotum in earundem Scythicarum gentium deſcriptione ſectantur, non Iyrcas, ſed Turcas habent.

Plinius quidem lib. 6. cap. 7. de gentibus circa Mæotin: *Tanaïn amnem incolunt Sarmatæ, & ipſi in multa genera diuiſi. Primò Sauromatæ Gynæcocratumeni: vnde Amazonum connubia: Dein Euazæ, Cottæ, Cicimeni, Meſſeniani, Coſtobocci, Choatræ, Zigæ, Dandari, Thuſſagetæ, Turcæ, vſque ad ſolitudines ſaltuoſis conuallibus aſperas: vltra quas Arimphæi, qui ad Riphæos pertinent montes.*

Mela lib. 1. cap. 21. *Ripæ eius.* (Tanaïs) *Sauromatæ, & ripis hærentia poſſident. Vna gens, aliquot populi, & aliquot nomina. Primi Mæotici Gynæcocratumeni, Regna Amazonum: fœcundos pabulo: ad aliáque ſteriles, nudóſque campos tenent Budini. Geloni vrbem ligneam habitant: Iuxta Thyſſagetæ, Turcæque vaſtas ſiluas occupant, aluntúrque venando. Tum continuis rupibus latè aſpera & deſerta regio ad Arimphæos vſque permittitur.* Vides diſertè in Plinio & in Mela Bodinos, Thyſſagetas, vel Thuſſagetas, & Iyrcas ipſiſſimos imò Turcas, quos in Herodoto, in quo ex Mela & Plinio, pro Iyricis, reſtituendi proculdubio Turcæ. Sed turbat Ferdinandus Pintianus, qui in Melam hæc annotat: *Iuxta Thyrſagetæ, Turcæque. Lego Thyſſagetæ, Iurcæque ex Herodoto in Melpomene: cui Iyrcæ ſunt, non Turcæ. Idem vitium in Plinio, apud quem tamen nulla ratione Hermolaus, Turcæ agnoſcit.* Quando ſatius fuiſſet ex Mela & Plinio, in Herodoto reſtituere Turcas, cùm Turcæ gens ſit notiſſima, Iyrcarum tamen nomen non aliàs vnquam auditum. Quare viri eruditi Pintiani emendationem minimè probarunt. Ortelius in Theſauro: *Non prætereire hîc debeo, quòd Pintianus in ſuis Pomponianis caſtigationibus Turcarum nomen ex Plinio & Mela expungit, in eorúmque locum Iurcas ſubſtituit, ex Herodoti Melpomene, quo verò iure, ipſe viderit. Maiore certe applauſu eos ex noſtra Europa, quàm ex iis Scriptoribus profligaſſet.* Andreas Schottus in Spicilegio ad Melam: *Turcæque, Iurcæque Pintianus, qui Turcas hinc profligauit: atque vtinam ex Europa, tanquam Hercules alter profligaſſet: æreus ſtaret in omnibus foris & compitis. Plinius Turcas agnoſcit lib. 6. cap. 7. & Simocatus apud Euſtathium in Periegeſin, Hunnos Scythiæ populos, Turcos à Perſis appellatos auctor eſt.*

Turcorum quoque meminit Ælianus in Tacticis, cap. 37. in Græcis duobus manuſcriptis, quæ ſe vidiſſe ait Nicolaus Rigaltius in Notis ad Onaſandri paginam 32. Sed gloſſema oræ adſcriptum fuiſſe, exiſtimauit Sixtus Arcerius in Notis ad cap. 37. Æliani Tacticorum, vt etiam Godeſchalcus Steuuechius in Nota marginali ad idem Æliani caput.

Theophanes Byzantius lib. 1. Hiſtoriarum, apud Photium in Bibliotheca, hæc de Turcis refert: *In Oriente ad Tanaïm Turci degunt, qui Maſſagetæ antiquitus dicti à Perſis, ſua lingua Kermichiones appellantur. Hi tempeſtate hac cum muneribus ad Iuſtinum Iuniorem Imperatorem legarunt, ne Abaros reciperet, obſecrantes. Ille munera libenter accepit, omnique adeò benevolentiæ atque humanitatis genere complexus, domum remiſit. Cúmque Abari mox acceſſiſſent, qui Pannoniam habitare, pacéque frui Romanorum precabantur, ob datam Turcis fidem, pactáſque conditiones, repulſam tulerunt.* Et mox: *Ergo Bombycum ortum, texendique artificium cum poſt Turcis Iuſtinus Imperator oſtendiſſet, vehementer obſtupuerunt: nam Serum illi tum emporia, portuſque tenebant, quæ Perſæ priùs tenuerant. Ephthalanus enim Ephthalitarum rex, à quo & appellationem vniuerſum genus traxit, Perozen & Perſas cùm viciſſet, ſubmoti his locis Perſæ, rerum verò potiti ſunt Ephthalitæ: quos paulo poſt Turci prælio ſuperantes, his etiam finibus pepulerunt. Iuſtinus Zemarchum ad Turcos legatum miſit: qui & publicè eos epulis excipiens, omnique adeo officij genere exceptus, Conſtantinopolim remiſſus eſt.* De bello Ephthalitarum, qui ſunt Hunni, & Perozæ

plura Procopius lib. 1. Perſici belli, cap. 2.

Euagrius lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 1. de initiis Iuſtini Iunioris, ait: *Abari ſunt ex gente Scytharum, qui Hamaxobij dicuntur, quique agros vltra Caucaſum iacentes accolunt, oriundi. Qui Turcas vicinos ſuos, ab illis grauibus affecti incommodis, cum omnibus ſuis fugientes, primùm ad Bophorum venerunt: &c.* Eadem totidem ferè verbis Nicephorus lib. 17. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 34.

Theophylactus Simocatta lib. 3. Rerum Mauricij Imperatoris, cap. 6. *Hunnis itaque in Oriente Boream verſus incolentibus, quos Turcas vocare Perſis mos eſt, ſumma vi ab Hormiſda rege Perſarum, vt vno verbo dicam, debellatis, Varamus dux Perſarum bellum in Colchidem promouit. Tantum enim Perſarum opes excreuerant, vt cùm anteà pacis nomine Hunnis quadraginta aureorum millia penderent, tum eadem tributi nomine ab Hunnis è contrario exigerent. Turcarum itaque gens auro ditata Pontico, ſumptu in luxum magnopere prodiit. Nam lectos, menſas, ſcyphos, ſedes, ſuggeſtus, ornamenta equeſtria, & totas armaturas, & quæcumque tandem diuitiarum ebrietas excogitarat, ex auro ſolido conficiebant. Procedente tempore cùm Turcæ fœdus ſanctum eſſe amplius non paterentur, penſionémque pecuniarum, ingenti auctario grandiorem poſtularent, & Perſæ ſummæ tributariæ adiectitium onus non ferrunt, bellum vtrinque paratur. Perſiſque illuſtri parta victoria, res Turcarum ſimul cum fortuna collabitur: illorum ſtipendiarij fiunt, & inſuper quam prius coacernarant pecuniam, amittunt, denuóque res Perſicæ florent, & Hormiſda inſigniter triumphat, ablatis in prædam lectis, menſis, ſedilibus aureis, ornamentis equeſtribus, amphoris, & quæcumque demum ad Principum honorem, magnificentiámque inſtituta & comparata ſunt. Vbi eneruatis Turcarum viribus, res illi ex ſententia proceſſit, Mars Scythicus Perſarum virtute emarcuit, gladium contra Suaniam ſuſtulit. Itaque Varamus bello Turcico claritatem adeptus, Suaniæ infeſtam manum admouet, &c.*

Euagrius lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſ. cap. 14. *Atque etiam Barames dux Perſarum, qui iam cum ſuis ex prælio contra Turcas commiſſo reuerterat, idem ipſum ſuaſit.* Eadem Nicephorus lib. 18. cap. 18.

Rurſum Simocatta lib. 4. cap. 10. *Conſulentibus aliis, vti ad Scythas Orientales, quos Turcas nominare ſolemus, proficiſceretur.* Et lib. 5. cap. 10. de prælio Narſetis Romani Ducis pro Choſroë rege Perſarum: *Romani fugitiuis potiuntur, & complures ad Choſroën vinctos adducunt: qui eorum partim enſibus mactandos, partim elephantorum pedibus per ludibrium conculcandos exponit. Aſt vbi quoſdam de captis, Turcas eſſe cognouit,* Choſroës Perſarum rex, *eos ad Mauricium miſſos, tanquam victoriæ primitias, offert, Romanámque virtutem commendat. Horum frontibus Dominicum ſignum, quod Chriſtianæ religionis cultores, crucem appellant, impreſſum oſtentabatur. Itaque Imperator Barbaros percunctari, quid hac nota ſibi vellent. Illi ſe à matribus eam ſortitos referre. Nam cùm Scythas Orientales dira ac peſtifera lues corripuiſſet, quoſdam Chriſtianos ſuaſiſſe vti in puerorum frontes huiuſmodi figuram imprimerent. Quæ monita quia Barbari nequaquam ſpreuiſſent, ex eo ſoſpitatos eſſe.*

Paulus Diaconus in Miſcella lib. 16. cap. 31. *Hunni quippe per illud tempus,* (nempe 7. anno Iuſtini Iunioris) *quos Turcos diſcere conſueuimus, legationem dirigunt ad Iuſtinum, per Alanorum regionem mittentes.* Et lib. 17. cap. 17. *Siquidem expugnatis Turcis à Perſis, adeò Hormiſda creuit, vt etiam tributa quadraginta millia auri à Turcis acciperet, cùm priùs æqualia Turcis ipſe perſolueret.* Et cap. 21. *Aſt Hormiſda commonebat Perſas, qualiter Turcos Perſidi tributa ſoluere, Romanos pacem amare coëgerit.* Et cap. 22. *Nonnullis ſane conſilium ſibi* (nempe Choſroi) *ad Turcos ſecedere dantibus.* Et cap. 23. *Narſes verò ſex millia vincta ad Choſroën adduxit: aſt Choſroës omnes mucrone peremit. Quotquot autem Turci erant, hos ad Imperatorem* Mauricium, *Bizantium miſit. Sanè cùm Turci ſignum haberent in fronte ex Cruce, interrogabantur ab Imperatore, quonam modo hoc ſignum in fronte portarent? At verò Turci aſſerebant, ante multos annos peſtilentiam in Turcia factam, & quoſdam Chriſtianorum hoc adinueniſſe: & hinc ſalus in patria facta ſit.*

Zonaras tom. 3. Annalium, in Mauricio Imperatore: *Is igitur Narſes cum Bara congreſſus, illuſtri victoria potitur, Perſarum multis occiſis, & ad ſex millia captis, quos Choſroës ad ſe adductos iaculis omnes confecit. Qui verò ex Bara fœderatis Turcicæ nationis erant, eos ad Mauricium miſit: quorum multi cruces in frontibus gerebant, compactis ſuperciliis in crucis modum, infuſóque atramento. Cuius rei quæſita cauſa, reſponderunt, ſuperiori tempore cùm ſua gens fame periclitaretur, ſe à Chriſtiano quodam monitos hoc feciſſe, nec vllum ex eis qui paruerit, fame periiſſe.*

Nicephorus lib. 18. cap. 20. *Narſes cum Perſis prælio congreſſus, ſex millia Perſarum manu cepit, eoſque ad Choſroën adductos, haſtilibus confixit. Ex iis ſi qui Turci erant, eos Choſroës Imperatori Mauricio Byzantium miſit. Turcos, quos Choſroës Conſtantinopolim miſerat, ſtigmaticos liquato atramento cruces in frontibus impreſſas Imperator habere videns, interrogauit. Quanam gratia, quæ non colerent, circumferrent ſigna? Illi grauem ante plures annos in Perſide & patria ſua peſtem coortam eſſe dixerunt, à qua cùm multi mortales infecti interirent, Chriſtianos quoſdam, qui ibi fuere, hominibus, ſi hoc feciſſent, ſaluti ſuæ conſultores eſſe, regionémque eam à lue tali intactam, liberámque fore perſuaſiſſe. Idque ita eſſe ab eis factum.*

Simoccata lib. 7. Mauricianæ Hiſtoriæ, cap. 7. *Sed quoniam de Scythis ad Caucaſum & Boream habitantibus mentio illata eſt, agedum, quæ maximis hiſce gentibus per hæc tempora acciderunt, curſu hiſtoriæ, inſititia quadam narratione interrupto, prodamus. Æſtate huius anni appetente, Chaganus in Oriente à Turcis celebratus, legatos ad Mauricium Imperatorem mittit, cum epiſtola, in qua de triumphis ſuis gloriatur. Inſcriptio ad verbum talis erat: Imperatori Romanorum Chaganus magnus Deſpota ſeptem gentium, & Dominus ſeptem mundi climatum. Sanè principem gentis Abdeclarum, qui aliter Nephthalitæ, bello hic Chaganus ſubegit, ſibique Imperium illud vindicauit. Ea victoria inflatus, & Stembiſchada ad armorum ſocietatem adiuncto, Abarum quoque nationem in ditionem ſuam redegit. Nolim autem quempiam opinari, me huius temporis res mala fi-*

de

de commemorare, dum sentit, Abaros esse Barbaros illos, qui in Europa & Pannonia sedes habent, eóque ante Mauricij tempora aduenerunt. Falsò enim id nomen Barbari Instrum accolentes vsurpant. Vnde porrò & illis genus, infrà dicetur. Ergo deuictis à Chagano Abaris, (sursum enim redeo) alij eorum ad Taugastenses confugerunt: (est autem Thaugast Turcarum nobilis colonia, stadiis mille quingentis ab India distans: cuius indigenæ & strenuissimi & frequentissimi, & præstantia quouis populo in orbe terrarum superiores) alij propter amissam libertatem, humiliorem sortiti conditionem, ad Mucritas qui dicuntur, Taugastensibus vicinissimos se contulerunt, ad prælia ineunda, tum propter quotidiana belli exercitia, tum propter tolerantiam in periculis, eximio animorum robore præditos. Aggressus est & aliud facinus Chaganus, & Ogor gentem totam domuit. Fuit hæc gens tum numero, tum armorum exercitatione validissima. Hæc in Oriente ad fluuium Til accolit, quem Turcæ Nigrum appellare solent. Eius vetustissimi principes, V, ar, & Cheunni vocabantur, à quibus etiam nonnullæ illarum gentium adeptæ sunt vocabula, vt V, var, & Chunni nominarentur.

Et cap. 8. sequitur: *Iustiniano porrò Augusto Imperium obtinente, ex hisce gentibus V, ar, & Chunni exigua pars à primæuo genere illo profugiens, in Europam se intulit, qui se Abares, & principem suum Chaganum honoris causa nominarunt. Qua verò occasione nomina commutarint, nihil à veritate abeuntes, explicabimus. Sarselt, & Vnuguni, & Sabiri, & insuper aliæ gentes Hunnicæ, postquam partem V, ar, & Chunni ad loca sua confugientem viderunt, ingenti metu perculsæ sunt, quod aduenas illos Abaros esse suspicarentur. Quocirca securitati consultum cupientes, donis amplissimis eos coluerunt. V, ar, itaque, & Chunni vt perfugium sibi feliciter euenisse animaduerterunt, errorem se se honorantium non aspernati, Abares dici voluerunt. Etenim inter gentes Scythicas ingenio omnibus antecellere Abares existimantur. Nimirum etiam vsque ad nostram ætatem Pseudabares (sic enim magis propriè appellari debent) generis origine distincti, alij V, ar, alij Chunni veteri nomine dicuntur. Quoniam ergo de Pseudabaris breuiter disseruimus, quæ de historia sequuntur, scribere persequamur. Ogor magna ope debellatis, Colch gentis Principem Chaganus gladio sustulit. Ex qua gente cæsa bello tercenta millia: vt cadauerum continuata series dierum quatuor viam occuparet.*

Hunc igitur in modum victoria Chagano insigniter arridente, ciuile inter Turcas bellum exarsit. Vir quidam vocabulo Turum cum Chagano cognatione coniunctus, res nouans, copias ingentes contraxit, collatisque cum eo signis, superior discessit. Chaganus alios tres Chaganos sibi per legatos adiungit, quibus nomina propria fuerunt Sparzeugun, Cunaxolan, Thuldich. Vniuersis itaque copiis ad Icar locum, latis in campis situm constitutis, & instructis, aduersariisque ibidem fortissimè dimicantibus, tyrannus occumbit eius agmen fugæ se dat: & Chaganus magna cum cæde ditionem in potestatem reducit. Harum victoriarum lætitiam Chaganus Mauricio per legatos significauit. Icar verò à Monte aureo, vt appellatur, quadringentis millibus abest. Hic Mons Orientem spectans, partim ab vbertate & copia fructuum in eo prouenientium, partim à pecudibus & iumentis, quibus est frequentissimus, apud indigenas Aurei nomen inuenit. Est autem lege receptum apud Turcas, potentiori Chagano Montem aureum cedere.

Ceterùm duabus de rebus, iisque maximis Turcarum gens gloriatur. Aiunt enim iam inde à priscis temporibus, & à principio nunquam pestilentiam eos inuasisse, rarásque in ea regione terræ concussiones existere: Baeath ab Vnnuguris olim ædificatam terra conquassata corruisse: Sogdianam verò & pestilentiam, & terræ tremores experiri. Turcæ admodum stolidè ignem colunt, aërémque & aquam venerantur, telluri hymnos concinunt: adorant autem tantummodo & Deum nuncupant, qui hanc rerum vniuersitatem ædificauit. Huic equos & boues, & oues sacrificant: habéntque Sacerdotes, in quibus inesse vaticinandi facultatem arbitrantur. Per idem tempus, & Tarniach, & Cotzageri (hi populi, etiam ex V, ar, & Chunni gentibus erant) à Turcis profugi, Europam immigrant, & Abaribus Chagano subiectis se admiscent. Traditum est etiam, Zabender ex V, ar, & Chunni propagatos. Qui ad Abares accesserunt, eos ad decem millia fuisse planè compertum est. Et cap. 9. pergit idem Simocatta: *Chaganus igitur ciuili bello finito, rem felicibus auspiciis administrat, & cum Taugastensibus fœdus percutit: vt tranquillitatem & pacem supremam vndique nactus, principatum sibi omnis seditionis expertem efficeret. Princeps autem in Taugast Taïsan audit, quæ vox Græca lingua Filium Dei sonat. Hoc regnum nullis intestinis discordiis agitatur, propterea quod Princeps illic à successione generis creatur. Statuas venerantur, iustis reguntur legibus, frugalitatem in omni vita excolunt. Consuetudo est apud eos, vim legis obtinens, vt mares ornatu aureo in perpetuum abstineant: quamquam auro argentóque propter magnorum mercimoniorum commoditatem abundant. Hanc vrbem fluuius discriminat, qui olim duos frequentissimos populos dissidentes diuidebat: quorum alter nigra, alter cocco tincta veste vtebatur. Nostris itaque temporibus, Mauricio Imperatore, nigram gestantes, transmisso fluuio, rubram indutis bellum intulerunt, victoréque toto illo Imperio potiti sunt.*

Vrbem Taugast Barbari memorant Alexandrum condidisse, quando Bactrianos, & Sogdianos, centum viginti Barbarorum millibus igne consumptis, subiugaut. Vxores regiæ auro & lapillis pretiosissimis conspicuæ, curribus vehuntur aureis, quorum singuli à singulis iuuencis frænis auro & gemmis sumptuosè exornatis, trahuntur. Princeps cum feminis septingentis noctem exigit. Nobilium coniugibus pilenta sunt argentea. Fama est Alexandrum aliam quoque vrbem non multis millibus distantem, quam Barbari Chubdan nominant, ædificasse. Eius Principem demortuum, ipsius vxores rasis capitibus, & pullatæ continenter lugent: neque per legem eius sepulchrum deserere vnquam possunt. Chubdan duo latissimi amnes disterminant, quorum ripis Cupressi, vt ita loquar, annuunt. Multos habent elephantos, & cum Indis negotiantur. Hos autem Indos in plaga Boreali habitantes, albis corporibus esse prædicant. Bombycum, vnde fila serica, magna & diuersicolor apud eos copia: in quibus curandis Barbari magnum & artificiosum studium præstare solent. Verum ne historiam à meta proposita abducamus, hactenus de Scythis ad Bactrinam, & Sogdianam & Nigrum fluuium, à nobis dictum esto. Hactenus Simocatta: quæ omnia ad verbum ferè exscripsit Nicepho

cephorus lib. 18. Histor. Ecclesiast. cap. 30. tu ipsum, si videbitur, consules.

Ioannes Zonaras tom. 3. Annalium : *Sunt autem Turci gens Hunnica, populosissima & libera, Caucasiorum montium septentrionale latus accolens.* Sequitur multa de initiis Turcorum, & progressibus tradere, quæ tu vises.

Laonicus Chalcocondylas lib. 1. Rerum Turcicarum : *Turcos ego nescio quodnam antiquitus nomen tenuisse dicam, ne à vero aberrare videar. Quidam putant eos à Scythis, quos Tartaros nominant, originem trahere : non malam sequuti coniecturam, videlicet, quod moribus haud multùm inter se differant, linguaque vtantur etiam nunc nec multùm dissimili. Aiunt enim Scythas septenis vicibus à Tanai progressos, Asiam superiorem deuastasse, Parthis ea tempestate rerum summa potientibus : nec non Persarum, Medorum, Assyriorúmque regiones tenentibus. Hinc peragrata quoque inferiori Asia, Phrygiam, Lydiam, & Cappadociam suo Imperio adiecisse. Etiam nunc videre est, vt fertur, plurimos istius generis homines vbique per Asiam dispersos, moribus & victus ratione referentes Scythas Nomades, (quos pastores siue armentarios non absurdè dicas) nullibi in Asia certas & fixas sedes habentes. Illi & alia coniectura ducuntur, qua confirmare nituntur, Turcos Scytharum esse progeniem, quod inferioris Asiæ regionem gentes Turcorum barbaræ incolant, Lydiam, Cariam, Phrygiam, & Cappadociam, qui lingua, & reliquo quotidianæ vitæ vsu nihil discriminis habere cognoscuntur à Scythis agentibus in ea regione, quæ inter Tanaim & Sarmatiam excurrit.*

Sunt qui existimant Turcos è Parthorum progenie descendere. Hos enim cùm persecutionem hostilem à Scythis vagis, qui Nomades dicuntur à permutandis pabulis paterentur, in inferioris Asiæ regionem contendisse constat. Cúmque & ipsi vagi incertis sedibus mapalia sua plaustris circumferentes, eò loci versarentur, per eas vrbes esse disseminatos tandem apparet. Exinde istud hominum genus contigit Turcos, quasi Nomades, vocitari. Alij ex Turca Persarum vrbe magna & opulenta, hoc hominum genus progressum esse tradunt : & hinc profectos, Asiæ inferioris regionem tandem in suam ditionem redegisse totam perhibent. Sunt quibus magis placet, Turcos ex Cœle-Syria & Arabia, nec ex Scythia, in istam regionem, habentes secum legislatorem Homarem, siue Omarem, delatos esse, Asiæque imperium tandem obtinuisse, viuentes instar Nomadum.

An autem commemoratæ sententiæ singulæ veritatem complectantur, aut cui earum quis accedere tutò ausit, nequeo quàm tutissimè & verissimè pronuntiare. Mihi tamen probabilius videtur assensum præstare illis, qui Turcorum originem in Scythas referunt, cui manifestum sit, Scythis, qui adhuc hodie in Europa Orientem versus ætatem agunt, optimè conuenire cum Turcis in foro, emporiis, & commerciis. Victus, & reliquus vitæ vsus etiamnum vtrisque par est, qua Scythæ vniuersa imperitauerunt Asiæ. Id etiam insinuat nomen Turcorum, significat enim hominem, qui agrestiorem victus rationem sequitur, instar Nomadum, & maximam vitæ partem in eo consumit. Pergit toto Opere libris nouem comprehenso res Turcorum explicare. De Turcorum tamen origine innumeri scripserunt, qui eorum res stylo ex professo prosecuti sunt : sed nos antiquiores tantùm annotauimus. Vidé, si libet, Matthiam Miechouiensem lib. 1. de Sarmatia, cap. 15. Ioan. Bapt. Egnaticum lib. 2. de Rom. Principibus, Paulum Iouium libello de Rebus Turcarum, Petrum Maxiam lib. 1. Siluæ Variæ lectionis, cap. 14. Ioan. Boëmum Aubanum de Moribus Gentium lib. 2. cap. 11. Ioan. Guilielmum Stukium in Scholis ad Arriani Periplum Ponti Euxini, pag. 49. & 50. Abrahamum Ortelium in Thesauro Geographico, in voce *Turcæ*, Ioan. Fungerum in Etymologico Trilingui. Corrigendi, Egnatius ibidem, Ioan. Langus in Scholiis ad Nicephorum lib. 18. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 18. Genebrardus lib. 3. Chronographiæ pag. 468. qui aiunt Turcarum nomen primùm in historia auditum tempore Mauricij Imperatoris : cùm iam anteà sub Iustino inclaruisse, ex Theophane, Euagrio, Paulo Diacono, Nicephoro, ostenderimus.

Verùm quia præualida hæc & ferox Turcarum natio, præcipuum locum in Antichristi exercitibus est habitura, perpetuò Christiano nomini infensissima atque exitialissima, non erit abs re si quæ de Turcarum militia, moribus, vitæque ratione Leo Magnus Imperator filius Basilij Macedonis Imperatoris, singularia planè & insignia in Tacticis suis, cap. 18. litteris prodidit, hîc inseramus : ait ergo : *Quoniam Turcarum mentionem fecimus, haud abs re fuerit vniuersam illorum aciem, & quemadmodum aduersum illos nostra acies instruenda sit, explicare. Scythicæ nationes vnam habent aciei, apparatúsque formam, quamuis diuersorum hominum imperiis subiiciantur, & ad negotia facessenda incitati, pastionibus pecorum vitam transmittunt. Solæ autem Bulgarorum & Turcarum nationes similiter acies suas in bello instruunt, reliquis Scythis longè melius ac fortius ordinati, & vnius imperio obedientes bella gerunt. De Turcarum forma parum aut nihil à Bulgaris differente iam dicamus. Populosa ac libera hæc natio est, reliquarum rerum quæ sunt in hominibus splendida, minorem curam habentes : in eo solum laborantes, vt in confligendo cum hostibus fortes sint atque habeantur. Hæc igitur natio sub vnius dominatu cùm sit, graues, acerbásque pœnas dant Præfectis suis, si vllius delicti teneantur : neque amore, sed timore ab improbitate coërcetur, & labores atque æruminas omnes strenuè perfert : ad calores & frigora toleranda satis paratur : reliquarum rerum egestatem, quemadmodum reliqui qui Nomades sunt, id est, pastionibus pecudum se totos tradiderunt, æquo animo perpetiuntur.*

Laboriosum admodum genus Turcarum est, & tectum in consiliis atque occultum, neque sociale, neque fidum, pecuniarum cupiditate inexplebile, iusiurandi contemnens, fœdifragum : donis haud contineri potest, nam penè priusquam dona acceperint, insidias moliuntur, & induciarum violationem. Temporum opportunitatem diligentissimè persequuntur, neque manu & viribus tantum contendunt, quantum dolis, & subitis incursionibus, & rerum necessariarum intercluſione hostes adoriuntur. Armantur gladiis, hastis, sagittis, galeis. Vnde in prælio duplicia arma complures ex illis gestant : humeris hastas ferunt, & manibus arcum tenent, & si quando vsus poscit, vtrisque vtuntur. Vbi verò alij eos insequuntur, arcu magis valent. Nec verò soli illi arma gestant, sed equi etiam spectatorum virorum cenduclo, aut ferro anteriora tegunt. Multum opere collocant in studio

studio sagittarum ex equis iaciendarum.

Bestiarum multitudinem secum habent, equarum, iumentorúmque aliorum, tum ad hac bibendum, tum propter opinionem multitudinis. Castra ponunt, non in fossato, quemadmodum Romani, sed vsque, ad belli diem per cognationes & tribus disperguntur. Equos assidue tum hieme, tum æstate alunt. Belli autem tempore, necessarios ad vsum equos retinent, & propè Turcica tentoria pedicis iniectis tenent, atque vsque ad ipsius prælij tempus conseruant. Excubias eminus collocatas habent, sed ita crebras, vt non facilè subitis impressionibus opprimi possint. In prælio, vt Romani faciunt, aciem suam in tres partes non diuidunt, sed diuersis in partibus Drungistè (Quid sit Drungus docebit te Iosephus Scaliger in Eusebianis, pag. 204. colum. 1.) *simul, & confertim inter se adiuncti, partes ita parum inter se distantes habent, vt vna videatur esse acies. Præter aciem instructam, copias quasdam præterea habent, quas vel ad insidias mittunt aduersus eos, qui negligenter in hostili acie illis opponuntur, vel ad subsidium afflictæ, oppressæque partis emittunt. Tuldum autem, id est, impedimenta, à tergo aciei, prope vel ad dextram vel ad sinistram, vnius aut duorum milliarum interuallo habent, & paruam quandam custodiam militum illi assignant.*

Sæpè autem superfluos equos à tergo post aciem instructam locant, & manipulos confusè atque inordinatè apparant: vt densata, altaque sit, permultum laborant: frontem verò æquabilem, densámque faciunt. Vtuntur pugnis eminus habitis, insidiis, circumscriptionibus hostium, simulatis discessionibus, conuersionibus, & dispersis aciebus. Vbi hostes in fugam verterint, illud primùm laborant, vt omni contentione insequantur, nihil prius habentes quàm persequi hostes. Neque quemadmodum Romani, reliquæque nationes, contenti sunt mediocriter illos insequi, & pecunias illorum diripere, sed eò vsque inuadunt, dum omnibus quibus possunt viis, hostes protinus deleant. Si qui ex hostibus Turcorum ad munitionem aliquam confugerint, confestim conantur commeatus inopiam, si quæ sit, aut virorum, aut iumentorum cognoscere, & ibi in continua obsidione sunt, donec eius inopia hostes opprimant, vel ad aliquam consensionem aut deditionem illos compulerint: ac primo leuiora illis proponunt assentientibus deinde grauiora imponunt. Hi Turcorum mores hoc solo à Bulgarorum distant, quod ij Christianorum complexi fidem, Romanorum moribus assuefacti, morum asperitatem, & agrestem vitam simul cum infidelitate abiiciunt.

Pastionum inopia maximo impedimento Turcorum exercitui est, quia multitudinem iumentorum secum semper vehunt. Conflictationis tempore pedestris acies magnopere illos lædit, quæ aduersa equitibus solet esse iis qui ex equis descendere non solent: neque enim stare pedibus diu possunt quia equis vehi sunt soliti. Aduersus illis locus æquabilis campestrisque est, & acies equestris densatáque, & sine intermissione illos sequens. Aduersæ illis sunt manuum concertationes, & incursiones nocturnæ, si ita tuto fiant, vt qui inuadunt illos vnam partem habeant instructam, alteram autem occultam, atque abditam. Hoc vehementer illos vexat, si qui ex illis ad Romanos deficiant. Cognoscunt enim omnes suos inconstantem habere animum, & lucri appetentes esse, ac ex multis tribubus conflatos: atque adeò cognatorum suorum & mutuæ beneuolentiæ minorem rationem habere.

Cum paululum ad fugiendum retrocesserint, atque hilarantur, multi è nostris statim consequuntur. Itaque maleste admodum ferunt, si quis ab illis deficiat. Quandò quis cominus ad pugnandum cum illis accedere voluerit, excubias habeat multas & crebras exiguo interuallo disiunctas: deinde præparet, & aduersus omnem fortunæ impetum prouideat, vt si quando hostium fuga fiat, munitionem aliquam ad illos obsidendos paret, & commeatum aliquot dierum habeat, tum hominum, tum etiam si fieri potest, iumentorum: atque inprimis aquæ affluentiam habeat: deinde impedimenta sic instruat, quemadmodum in capite de Tuldo diximus. Si pedestris acies fuerit in prima potissimum pugna, qui exercitus maximè assuetus illis fuerit, cum primò instrues, quemadmodum alibi explicuimus, hoc est, vt equites post se instructos habeant.

Sin equites fuerint qui aduersum Turcos instruuntur, si ad pugnandum cum illis satis habiles fuerint, ita instrues eos, quemadmodum ante memorauimus, vbi de instruendis illis verba fecimus. Ad latera multos & strenuos segregabis: ad tergus enim defendendum, satis sunt defensores, id est, vindices. Cursores autem plus tribus aut quatuor sagittæ iactibus in persequendis hostibus à defensoribus ne separentur. Omninò autem elaborabis, vt in planis expositísque locis, quantum potes, aciem tuam instruas, vbi neque siluæ condensæ, neque paludes, neque arbusta perturbare possint, propter insidiarum metum, quas Turci moliri solent. Excubiæ interuallo quodam interposito ad partes quatuor aciei collocabuntur. Si fieri possit, fluuium transitu perdifficilem, aut paludem, aut lacum, ad tergus aciei in tuto conseruandum habeas.

Si belli secundus exitus fuerit, neque nimis cupidè illos opprimas, neque negligenter illos insequaris. Neque enim quemadmodum reliquæ nationes faciunt, sic Turci vbi primo superantur prælio, statim profligati discedunt, sed omnes vias postea quærunt, quemadmodum hostes suos incursionibus superare, aut fundere possint. Sin permista acies, plurésque pedites fuerint, prouisio quædam iumentorum pabuli habenda est. Neque enim imminentibus hostibus, omninò equites permittuntur pabulari. Hæc igitur belli consuetáque Turcorum est exercitatio. Hactenus Leo Imperator. Sed & de Turcarum armis, recentioríque militiæ ratione, Paulus Iouius peculiari libello, & alij multi disseruere.

Saba, & Dedan.

CAP. XXVII.

DVos Sabaïm Scriptura commemorat, à quibus duas quoque gentes propagatas constat: alterum filium Chus, Genes. 10. 7. & 1. Paralip. 1. 9. alterum filium Regma, nepotem Chus, eisdem locis. Et quamuis sono litterarum vnum & idem nomen vtrúmque Saba videatur: at in Hebraico fonte distinctis litteris & pronuntiatione efferuntur: prior vocatur סבא Seba, cum Samech, vel Scin Semol, quod est eiusdem soni & potestatis: posterior verò שבא cum Scin dextro, Sceba: huius etiam nominis & enuntiationis est alter Sceba filius Iecsan, nepos Abrahæ, Genes. 25. 3. tertius quoque Sceba cum Scin Genes. 10. 28. qui sanè ad regiones Indiæ Orientalis pertinet, neque ad præsens institutum

tutum facit, atqui sic reperiuntur distincta hæc duo nomina pro gentibus & nationibus diuersis, sæpius in sacris litteris.

Aiunt plerique Seba cum Samech, significare Æthiopiam propriè sub Ægypto seu Africanam: Sceba verò cum Scin dextro esse Sabæos, Arabiæ Felicis populos. Ita discrimen & significatum harum vocum constituunt, Ioannes Reuchlinus in Dictionario Hebraïco, Auctores Lexici Complutensis, Franciscus Georgius in Harmonia Mundi, Cantico, 1. tomo 7. cap. 45. Sanctes in Thesauro, & in Translatione sua Psalm. 71. 10. Augustinus Iustinianus in Octaplo, in versióne ex Hebraïco Psalm. 71. 10. Ioannes Forsterus in Dictionario Hebraïco, Augustinus Steuchus & Antonius Honcala in Genes. 10. 7. Franciscus Vatablus in Psalm. 71. ad vers. 10. Ioannes Mercerus in Thesauro Hebraïco, Franciscus Forerius in Isaïæ 43. ad vers. 3. Xystus Senensis lib. 5. Bibliothecæ, annotatione 133. Cornelius Iansenius in Psalm. 71. ad vers. 10. Hieronymus Osorius in Paraphrasi Psalm. 71. vers. 10. Franciscus Toletus in Lucæ 11. ad versum 31. Emanuel Sà in 3. Regum, 10. ad vers. 1. Arias Montanus in translatione sua metrica Psalm. 71. vers. 10. Franciscus Lucas in Matthæi 2. ad vers. 2. Ioannes Bochius in Notis ad Psalm. 71. vers. 10. Hieronymus Pradus in Ezechiel. 23. ad vers. 42. Ioannes Cognatus de Prosperitate Salomonis, cap. 6. Cornelius à Lapide in Genes. 10. ad vers. 7.

De Saba Æthiopica Iosephus lib. 2. Antiquit. cap. 5. describens bellum quo Æthiopes ab Ægyptiis deuicti sunt Mose Imperatore, inquit: *Ad vltimum compulsi Æthiopes in Saba regiam eius gentis, quam postea Cambyses Persarum rex de sororis suæ nomine Meroën appellauit, obsidione sunt cincti.* Eadem ferè totidem verbis Zonaras ac Cedrenus. Sed & Eusebius seu S. Hieronymus in Locis Hebraïcis: *Saba, Ciuitas regalis Æthiopiæ quam Iosephus à Cambyse rege Moroën cognominatam ex sororis vocabulo refert.* De Meroë Diodorus Siculus lib. 1. numero 20. *In ea insula Meroës, nominis eiusdem vrbs est celebris quam Cambyses conditor matris suæ Meroës nomine indigitauit.* Strabo lib. 17. pag. 543. *Cambyses quoque Ægypto potitus, cum Ægyptiis vsque ad Meroën progressus est: & nomen vrbi, insulæque ab illo factum aiunt, Meroë siue sorore, siue vxore eius, (nam & hoc traditur) ibi mortua, vtique honorandæ causa feminæ, loco id nominis imposuit.* Verum Artabanus antiquissimus auctor Meroëm insulam, potius à Meride Chenephris Ægyptiorum regis matre appellatam, hisce verbis apud Eusebium lib 9. Præparationis Euangelicæ, cap. 4. affirmat: *Mosen peracto bello Æthiopico cùm victor rediisset, verbo quidem à rege Chenephri benignè susceptum, re autem quotidie mortem illi quæsitam, ac insidias multis modis paratas: maximè cùm ad Merida matrem vltra Ægyptum in Æthiopiæ finibus sepultam, ex præcepto regis proficisceretur: à nomine cuius vrbem vbi sepulta fuit Meroëm appellatam: nec minus quàm Ibim cultam fuisse.*

Meroën autem Nili insulam in Æthiopia Herodotus lib. 2. cap. 29. *vocat oppidum magnum, & aliarum vrbium metropolim.* Diodorus lib. 1. num. 19. *inter alias Nili insulas, magnitudine conspicuam:* & num. 20. *celebrem vrbem:* & lib. 3. num. 102. *primariam eius terræ vrbem.* Strabo lib. 17. pag. 541. *ingentem insulam:* & pag. 565. *vrbem regni caput eiusdem cum insula nominis.* Plinius lib. 2. cap. 73. *caput gentis Æthiopum:* & lib. 5. cap. 9. *Clarissimam Nili insulam*, & lib. 6. cap. 29. *insulam magnæ claritatis.* Mela lib. 1. cap. 9. *Latè patentem insulam.* Solinus cap. 35. *nobilissimam insularum Nili.* Heliodorus Æthiopicorum lib. 10. cap. 27. *metropolim Æthiopum.* Quam accuratissimè describunt iidem Scriptores, & Ptolemæus lib. 4. cap. 8. quibus hodie nominibus indigitetur, docebunt te Ortelius in Thesauro Geographico, & Mercator in Notis ad Ptolemæi lib. 4. cap. 8. Illud ad rem facit, quod Hieronymus Giraua, Ludouicus Marmolius, Gerardus Mercator, annotant, Meroën hodie ab Abyssinis Saba nuncupari. Franciscus Aluarez in Historia Æthiopica, cap. 40. ait, ab vrbe Auxumo, siue Aquaxumo regia olim Æthiopum, duorum dierum itinere distare versus Occidentem terram Sabaim, in qua Regina Saba quondam regnarit. Sed & Strabo lib. 16. pag. 531. meminit Sabæ ciuitatis magnæ in ora Æthiopica Sinus Arabici, & pag. 530. portus Saba, & Oris Sabaïtici.

Ergo Seba cum Samech esse Æthiopiam, inde firmari videtur, quòd hic Seba fuerit filius Chus Genes. 10. 7. quem Chus nomen Æthiopiæ dedisse iam supra cap. 18. demonstrauimus. Deinde Isaïæ 43. 3. & cap. 45. 14. Seba iungitur cum Ægypto, & Chus seu Æthiopia, haud dubiè tanquam cum vicinis regionibus, vt Chus Æthiopiam vniuersè, Seba verò regionem seu partem eius significet. Forerius in ea Isaïæ loca, Pradus in 43. Ezechielis, & Schindlerus in Pentaglotto, Cornelius à Lapide in Genes. 10. ad vers. 7. Saba voce consentiente existimant esse, quam nunc nostri terram Abicim, siue Abyssinorum Æthiopum, vbi Imperator ille quem Preste Ioan vocant, rerum potitur, appellant. Forsterus quidem hæc habet: *Seba filius Chusch, & nepos Cham filij Noach sicut legitur Genes. 10. Et filij Chusch, Seba, & Hauila, & Sabtha, &c. Vnde metropolis ab eo ædificata, atque adeò tota regio, quam nunc potentissimus princeps Nubianorum, prole, ac fide Candacis reginæ successor tenet, dicta fuit, quem hodie Præstanum, alij Presbyterum Ioannem vocant. Legitur autem Isaïæ 43. Dedi pro propitiatione tui Ægyptum, Æthiopiam, & Saba pro te. Et Psalm. 72. Reges Scheba, & Seba remunerationem adducent. Ibi duæ pronuntur dictiones, quæ vt prima littera inter se differunt, ita quoque mari Erythræo, distinctas regiones significant. Prior Scheba cum Schin Arabiam Felicem notat: altera Seba cum Samech regionem Æthiopiæ, de qua paulò antè dictum est.*

De Saba verò Arabiæ Felicis, vel de Sabæis, regione thurifera pluribus agunt Theophrastus lib. 9. Histo. Plantar. cap. 4. Agatarchides Gnidius lib. 5. de Mari Rubro, cap. 50. in Excerptis Photianæ Bibliothecæ, Diodorus Siculus lib. 3. numer. 125. 126. 127. Strabo lib. 16. pag. 778. ex Artemidoro, Plinius lib. 6. cap. 23. & 28. & lib. 12. cap. 14. Mela lib. 3. cap. 8. Solinus cap. 36. Dionysius Alexandrinus in Periegesi, Ptolemæus lib. 6. cap. 7. Arrianus in Periplo. Erythræi maris, Stephanus Byzantius de Vrbibus & alij. Virgilius 1. Georgicorum.

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Et lib. 2. ——

Solis est thurea virga Sabæis.

Et 4. Æneidos: ——

centúmque Sabæo ——

Thure calent aræ. —

Quod

Quod autem Sceba cum Schin dextro sit Arabia, inde euincitur, quòd Genes. 10. 7. & Ezechielis 38. 13. coniungitur cum Dedan fratre, quem nomen cuidam Arabiæ regioni indidisse, postmodum docebimus. Idem Sceba Iob 6. 19. sociatur cum Theman, & Isaïæ 60. vers. 6. & 7. cum Madian, Epha, Cedar, & Nabaioth, id est, Nabatæis, quos omnes constat Arabes esse. Et Iob 1. 15. narrantur Sabæi, tanquam vicini, & confines irruisse in possessiones Iob, quem constat in Arabia sedem habuisse. Denique Ieremiæ 6. 20. dicit Dominus: *Vt quid mihi thus de Sceba affertis?* At nimis compertum est Sabæam Arabiæ regionem esse thure, & aliis odoribus celebrem.

Equidem omnis de hoc duorum Sabaim discrimine & significato ambiguitas sublata videri possit, ex L X X. Interpretum, Vulgati Nostri, item Psalterij Romani, sancti Hieronymi in sua Psalmorum ex Hebraïco translatione, auctoritate: nam quod Psalm. 71. 10. Hoc ordine canitur in Fonte Hebraïco. *Reges Sceba*, (cum scin dextro) *& Seba* (cum Samech) *dona adducent.* Ipsi omnes reddiderunt: *Reges Arabum, seu Arabiæ, & Saba dona adducent.* Appollinarius verò in Græca Psalmorum interpretatione Heroïco carmine habet:

Ab Arabibus verò, Sabaïsque supplicia dona adducuntur.

Saltim ex iis perspicuè liqueat Sceba cum scin, esse Arabiam, vt etiam vers. 16. *Et dabitur ei de auro Arabiæ.* Vbi Hebraïcè est *Sceba.* Sed & sanctus Basilius in Scholiis ad Psalm. 71. 10. legit: *Reges Arabum & Saba dona adducent*: annotátque: *Saba gens est Æthiopum: Libyes verò & Afri appellantur, & Occidentales orbis partes, Æthiopes.* In eandem sententiam Theodoretus ad eundem Psalmi locum: *Saba autem Æthiopiæ gens est. Sed & Libyci & Afri etiam nuncupati, Hesperiam orbis partem occupant: Æthiopes autem Eoam & Australem.* Euthymius: *Per Saba ciuitatem quandam Indorum celeberrimam Expositores intelligunt.* Puto ab Euthymio Indos hîc dici Æthiopes. Vide suprà cap. 19. Nisi quis malit Sabæos Felicis Arabiæ, nam hos etiam dici Indos, eodem capite diximus, & sequenti capite magis adhuc ostendemus. Quin & recentiores Interpretes locum Psalm. 71. 10. explicatiùs reddiderunt: Augustinus Iustinianus: Reges *Arabes & Æthiopes munus offerent.* Sanctes: *Reges Seba Arabiæ, & Seba Æthiopicæ munus offerent.* Montanus:

Hunc reges Arabum debita proferent
Dona, huic Æthiopes Sabæ.

Ceterùm alij discrimen inter Seba, & Sceba è diametro constituerunt, aiunt enim Seba cum Samech esse Arabiam desertam, vel Sabæam, seu Felicem: Sceba verò cum Schin, esse Meroën, seu regionem Æthiopiæ Africanæ. Tremellius & Iunius in 10. Genes. vers. 7. *Seba, Arabiam desertam incolentium auctor, Psalm.* 71. 10. *Isaïæ* 43. 3. *Scheba, regionis australis incola, auro, thure, & aromatibus abundantis in Æthiopia,* 3. *Reg.* 10. *vers.* 1. *Isaïæ* 10. *vers.* 6. *Ezechiel.* 27. 22. *vbi Reginæ Candaces dicebantur Actor.* 8. 27. *Strabo lib.* 17. *& Plinius lib.* 6. *cap.* 29. Genebrardus in Psal. 71. ad vers. 10. *Reges Arabum & Saba dona adducent.* In hunc modum differit: *Transposuerunt L X X. verba Fontis, in quo Sabæi Æthiopes Arabicis præponuntur: quòd prius nomen Christo dederint, & constantius: nam vsque hodie regnum eorum Christianissimum viget Preto-Ioanne Principe. Fortasse confuderunt differentiam inter Sceba per Schin, & Seba per Samech, secundùm quam prius significat Sabæorum Æthiopiam posterius Arabiam Felicem, cuius Metropolis Saba in monte sita, de qua Virgilius; solisque est thurea virga Sabæis. Et alibi: India mittit ebur, molles sua thura Sabæi. Sed quàm rectè, mox vers.* 16. *Saba, Æthiopiæ à Saba filio Chus, & Regina Saba.* Et ad vers. 16. *Dabitur ei de auro Arabiæ. Hebraïcè, Sceba, per Schin, Sabæa, vnde regina Austri fuit, quæ ad Salomonem regem, mota eius fama, peragrata est. Nam eò alluditur, vt Salomon Christum in multis retulit. Confuderunt ergo cum Seba, Sabæa regione Arabiæ Felicis per Samech: sed parum aptè: nam Arabia non recensetur inter regiones auriferas, vt Æthiopia, id est, totum littus Africæ à Promõtorio viridi ad Mare Rubrum. Æthiopia enim veteribus cognita, & Æthiopia nostris temporibus aperta, auro abundat, & nihil penè aliud mercatui exponit, Cephala videlicet, Argina, Nigritæ, Mozambica, Guangara, &c. Porrò hæc Sabæa est quam Iosephus lib.* 2. *Antiquitatum, cap.* 5. *à Cambyse rege Meroën ex sororis nomine cognominatam scribit, Nilóque & duobus aliis fluuiis Asfabo, & Astabora circumcinctam, à qua clima Diameroës apud Astronomos: & regia Imperatorum Æthiopiæ.* Ioannes Bochius & sensum & verba Genebrardi æmulatus, non satis intellexit.

Marinus in Arca Noë: *Seba per Samech nomen proprium viri filij Chus, Genes.* 10. 7. *ab hoc denominata est regio Sabæorum, & populus eam incolens Seba. Hanc regionem nonnulli in Arabiam Felicem collocant: quamuis aliis verosimilius videatur illam esse quam nunc potentissimus Princeps Nubianorum tenet, quem vulgò Prestanum, vel Presbyterum Ioannem vocant. At hæc mihi potiùs est Sceba, cum Schin.* Et alibi: *Sceba cum Scin nomen proprium viri ex Chus nepotibus, Genes.* 10. 7. *Aliàs est nomen Vrbis, vel Prouinciæ potiùs Æthiopiæ, quæ à præfato Sceba forsitan nomen inuenit: & tunc est fœmininum genere. Hanc regionem esse censeo, quam nunc Princeps Nubianorum possidet. Hinc Regina fuit, quæ ad Salomonem regem, mota eius fama profecta est.* Pomarius in Germine: *Sceba cum Schin dextro, regio quædam Orientalis in Æthiopia existens.* His suffragatur Procopius in Isaïæ 60. ad vers. 6. vbi de Sceba cum Scin, inquit: *Est porrò Saba gens Æthiopica.* Vide ad finem huius capitis verba Iosephi.

Alij autem longè diuerso modo discrimen inter Seba, & Sceba definiunt: existimant enim vtramque regionem Seba cum Samech, & Sceba cum Scin esse in Arabia, & neutram in Æthiopia: sed Seba cum Samech esse Sabæos Arabes Chusæos prognatos à Chus, versus Occidentem, propiores Sinui Arabico: Sceba verò cum Schin esse Sabæos Arabes Regmæos, propagatos à Regma, filio Chus, Genes. 10. 7. versus Orientem propinquiores Sinui Persico, & vtrosque Arabiæ Felicis esse populos: nã vt Plinius ait lib. 6. c. 28. *Sabæi Arabum propter thura clarissimi, ad vtraque maria,* nempe Arabicum & Persicum, *porrectis gentibus habitant.* Ita discernunt Seba ab Sceba Matthæus Beroaldus lib. 4. Chronici, Isidorus Clarius in Ezechiel. 37. Ioannes Mercerus in Genes. 10. vers. 7. Ioannes Guillielmus Stukius. in Scholiis ad Periplum Maris Erythræi Arriani, Pererius & Delrius in Genes. 10. ad versic. 7. Ioannes Baptista Villalpandus in 27. Ezechielis, ad vers. 22. Ioannes Fungerus in Trilingui Etymologico, in voce *Saba*, Augustinus Torniellus in Annalibus Mundi, anno 1931. num. 28. Christophorus Castrius in Ieremiæ 6. num. 17. Sebastianus Barradius tom. 2. Historiæ Euangelicæ, lib. 8. cap. 18.

Ioannes Lorinus in Pſalm. 71. ad verſ. 10. Arias Montanus in Phaleg, in Catalogo gentium, vbi habet: *Seba, Sabæa regio thurifera. Sceba, Arabia Felix interior Ptolemæo, regio thurifera, & myrrifera.* Equidem ſanctus Hieronymus vtrumque, Seba, & Sceba in Arabia collocat, inter vtrumque Sinum Perſicum & Arabicum: ſic enim Quæſtionibus in Geneſim, ad cap. 10. agens de Seba, filio Chus, inquit: *Saba, à quo Sabæi, de quibus Virgilius: - ſoliſque eſt thurea virga Sabæis. Et alibi: - centúmque Sabæo-Thure calent aræ.* Et paulò inferiùs diſſerens de Sceba filio Regma, nepote Chus, ait: *Hìc Saba per Scin litteram ſcribitur: ſupra verò per Samech, à quo diximus appellatos Sabæos. Interpretatur verò nunc Saba, Arabia: nam in ſeptuageſimo primo Pſalmo, vbi nos habemus, Reges Arabum, & Saba munera offerent: in Hebræo ſcriptum eſt, Reges Saba, primum nomen per Scin, ſecundùm per Samech.* Hæc ſanctus Hieronymus: eadem ad verbum ex ipſo deſcripſerunt, ſanctus Eucherius, Strabus, Anſelmus Laudunenſis, in Geneſ. 10. ad verſ. 7. S. Iſidorus lib. 9. Originum, cap. 2. Sed vt cernas quàm ambigua, & incerta, variáque ſit horum duorum nominum differentia, ſubiiciam peculiares quaſdam aliorum ſententias. Tremellius Emanuel, & Franciſcus Iunius Nouatores in Scholiis ad Geneſ. 10. verſ. 7. hæc annotant: *Sceba Arabia deſerta, Pſal. 71. 10. Ezechiel. 43. 3. Sabatha, ima regio Arabiæ Felicis, vbi vrbs Sabatha. Regma, populi Arabiæ Felicis ad Sinum Perſicum, vbi Ptolemæus ponit Regaman. Sabathaca, gens Arabiæ Felicis, vbi Sachelitæ ſub Sinu Perſico. Sceba, Auſtralis regio, auro, thure, aromatis abundans in Æthiopia, Ezechielis 38. 13. Matthæi 12. 42. 3. Regum, 10. 1. Vbi Reginæ Candaces dicebantur, Actorum 8. Strabo lib. 17. Plinius lib. 6. cap. 29.*

Mercerus æque Nouator in Theſauro: *Seba ſunt Sabæi Æthiopici, nam Sceba per Scin putatur in Arabia Felice. Alij contra ſentiunt, quia regina Saba non ex Arabia viciniore, ſed ex remotiore venerit: etſi propter litterarum vicinitatem, Sceba etiam in Arabia quibuſdam locis eſſe videatur, vnde thus afferretur. Alij ex Arabia tantùm veniſſe putant Reginam Saba, nam Iob 1. Sabæi vicini Idumæis irrupiſſe in greges Iobi dicuntur.* Qui tamen in Geneſ. 10. verſ. 7. hæc annotat: *Sceba per Scin quam in Æthiopia collocant, cùm Seba per Samech eſſet in Arabia. Ego vtrumque in Arabia collocauerim, cùm in libro Iob fiat mentio homi Scabæorum, qui diripuerunt bona Iobi: non dubium, quin aut ex Arabibus, aut vicinis Arabiæ, vnde fuit Iob, vt dixi ex terra Hus in Idumæa, quæ & in Arabia eſt. Ex hac Sceba fuit & Regina, quæ dicitur Saba, ad Auſtrum: remotiorem tamen putarim fuiſſe, quàm Seba.*

Schindlerus Nouator etiam in Pentaglotto: *Seba, Chuſi filius, Geneſ. 10. verſ. 7. Filij autem Chus occupauerunt Mauritaniam. Inde Seba, India intermedia, inter maiorem & minorem, in ſeptem regna diuiſa: regio Æthiopiæ, & huius Metropolis, ab eo ædificata, quam nunc tenet Præſtegan, vulgò Preſbyter Ioannes. Eſt autem* פרסתגאן *Præſtegan, rex Apoſtolicus, à* פרסת *Præſte, rex, &* גאן *Gan, Apoſtolus, Legatus, in lingua Perſica, corruptè* פריטי יראן *Prete-Ioan. Eſaiæ 43. verſ. 3. 45. verſ. 14. Deinde eiuſdem Chuſi ex filio Ragma, nepos Scaba, cum Scin. Inde Sceba gens & vrbs regalis Æthiopiæ, quam Cambyſes rex Meroën, ex ſororis vocabulo cognominauit, Nili fluuij inſula. Ezechiel. 27. verſ. 22. Pſalm. 72. 10. 3. Regum 10. 1. Alius fuit Sceba, cum Scin, Abrahæ, & Kethuræ, ex filio Iaſchan nepos, Geneſ. 25. 3. Inde Saba, Arabiæ Felicis regio, & Metropolis in monte ſita. Iob 1. 15. Eſaiæ 6. verſ. 6. Ieremiæ 6. verſ. 20. Ezechiel. 27. verſ. 23.*

Ioannes Pineda Commentariis in Iob. 1. ad verſ. 15. & lib. 5. de rebus Salomonis, cap. 14. §. 4. pluribus pertendit, parum curandum eſſe diſcrimen litterarum inter Seba, cum Samech, & Sceba cum Schin: quod propter ſimilem litterarum ſonum, ac pronunciationem, facilè eæ conſonantes inter ſe permutentur, & confundantur: vnde ex ſubiecta materia, & ex aliis circunſtantiis potiùs coniectandum de qua regione Saba nimirùm vel Æthiopica, vel Arabica, alterutro vocabulo, vel Seba, vel Sceba nuncupata, in Scriptura ſit ſermo. Præſertim cùm id vocum & litterarum diſcrimen Seba, vel Sceba, externi Scriptores prorſus contempſerint, eodem nomine Saba, & Æthiopicam, & Arabicam appellantes. Ego iſtud nequaquam probauerim. Nam non alia ratione ſcripturam exiſtimare debemus diuerſis hominibus, diuerſarum gentium propagatoribus diuerſa quoque nomina indidiſſe niſi vt diuerſa illa nomina, diuerſas etiam gentes indicarent.

Vtcumque ſit, dubitare non poſſumus, aut debemus, Sceba cum Scin dextro Arabiam ſignificare, Pſalm. 71. verſ. 10. & 16. auctoritate LXX. Interpretum, noſtri Vulgati, ſancti Hieronymi, & omnium Græcorum, ac Latinorum Patrum: qui Sceba ibi Arabiam interpretantur. Quod enim Genebrardus ait, LXX. vel tranſpoſuiſſe verba Fontis **Hebraïci, vel** parum aptè Sceba Arabiam vertiſſe, ſat ſcimus neminem probaturum. Quòd verò ipſe & Bochius addunt, Arabiam non recenſeri inter regiones auriferas: falluntur perſpicuè. Agatharchides Gnidus lib. 5. de Mari Rubro, c. 49. de auro Arabiæ: *Aurum ſanè in cruſtoſis terræ illius cuniculis ad magnam inueniunt copiam, non quale adhibita ſcientia & arte colliqueſcit è ramentis, ſed ſponte natum, quod Apyron Græci, id eſt, ignis neſcium ab euentu denominant: cuius portio minima non minor eſt oliuæ oſſiculo, media granum meſpili adæquat, maxima cum nucibus regiis comparari meretur. Hoc perforatum inter capillos pellucidos alternatim, circa radices manuum geſtant, & colla. Et ad finitimos tranſlatum vili pretio vendunt.* Et cap. 50. *Nulla enim Sabæis opulentior eſſe, & Gerrhæis, hominum natio videtur. Qui quidquid ſub calculum tranſportationis cadit ex Aſia & Europa diſpenſant. Hi auri ditiſſimam Ptolemæi Syriam fecerunt. Hi ſedulitati Phœnicum lucroſiſſimas negotiationes dederunt, vt ſexcenta alia præteream. Magnos impendunt ſumptus non ſolùm in toreumata, & ſculpturas admirabiles, & poculorum varietatem, ſed magnificentia illa etiam in lectorum & tripodum, aliorúmque, quæ apud nos per ædes extenduntur, magnitudine ad ſummum gradum aſcendit. Siquidem multi vt exiſtimare par eſt, ſumptus faciunt regios. Huc accedit quòd columnæ illis deauratæ, & totæ argento conſtant, foréſque, & faſtigia domorum crebrè è gemmis & pretioſis lapidibus phialæ excipiunt. Quódque caput rei, quidquid apud alios diuitiarum eſt, id omne hìc magna varietate expoſitum eſt.*

Diodorus Siculus lib. 2. num. 93. *Effoditur in Arabia aurum quod Apyrum, id eſt, ignis expers nominatur. Non enim ex ramentis per ignem excoquitur, vt alibi: ſed inter eruendum ſtatim purum putum inuenitur, par nucibus caſtaneis magnitudine, & colore tam flamineo vt ſi pretioſiſſimi lapilli artificium operâ includantur, ornamenta pulcherrima efficiat.*

Et

Et lib. 3. num. 126. de Sabæis: *Gentis huius vrbs, quam Saba vocant caput eſt, monti incumbens. Nec hæc non finitimos tantùm Barbaros, ſed cæteros etiam mortales diuitiis, & quauis rerum precioſarum copia antecellit. Nam in commerciis, quando aliquid diſtrahunt, pro exigui ponderis merce plurimum auferunt pretij præ omnibus, qui argento res ſuas commutant. Ideò cùm per omnium memoriam propter longinquitatem ſitus, in nullius vnquam poteſtatem venerint, aurique & argenti copia quaſi circumfluant, maximè, Sabis, vbi illis regia ſedes, toreumata omnis generis, & ex argento, auróque pocula, lectos etiam, & tripodes argenteis fulchris aliámque ſuppellectilem, magis quàm credas, ſumptuoſam poſſident. Porticus domorum & templorum partim, deaurata ſunt, partim argenteas in capitellis effigies ſuſtinent. Laquearia, & portæ crebras ex auro & pretioſis lapillis phialas oſtentant. Siquidem in totam ædium ſubſtructionem mirificos impendunt ſumptus, nunc argento & auro, nunc ebore & lapillis exquiſitis, aliiſque apud homines magnæ æſtimationis rebus, illas exornantes.*

Strabo lib. 16. pag. 535. ex Artemidoro de auro Arabum: *Apud eos aurum effoditur, non ramenta, ſed glebulæ quædam quæ non multa purgatione indigent, magnitudine minima nuclei, media meſpili, maxima nucis, quæ perforantes, & alternè componentes lapillis pellucidis, armillas faciunt inſerto filo, & collo, manibúſque circumponunt. Vendunt id aurum vicinis vili pretio.* Et paulò inferiùs de Sabæis Arabiæ: *Hi, atque Gerræi ditiſſimi ſunt ex mercatura: ſuppellectilem ex auro & argento multam habent, vaſa, lectos, tripodas, crateras cum operculis, domóſque ſumptuoſas, & portæ, & parietes, & tecta ex ebore, auro, argento, lapidibúſque, ornatus cauſa diſtincta.*

Plinius lib. 6. cap. 28. *Sabæos ditiſſimos ſiluarum, fertilitate oderifera, auri metallis, agrorum riguis, mellis, cereque prouentu.* Nos cunctis accuratè perpenſis libentes imus in frequentiorem illam ſententiam, Seba cum Samech eſſe Æthiopiam, Sceba verò cum Schin eſſe Sabæos, Arabiæ felicis populos odorum fertilitate ditiſſimos.

At hîc locum Ioſephi 1. Antiquitat. cap. 6. valdè deprauatum, reſtituere conemur: ſic enim habet: *Chuſus filios ſex genuit, quorum è numero Sabas Sabæorum auctor fuit: & Euilas Euilæorum, qui nunc Getuli appellantur: Sabathes verò Sabathenos, qui Græcis dicuntur Aſtabarri: Sabactas quoque Sabactenos inſtituit: Romus item Romæos condidit, & duos filios habuit, alter Iudas genti Iudæorum inter Occidentales Aethiopes originem dedit, & nomen: Sabæus alter, Sabæis.* Facilè quiſquis videbit Ioſephum reddere, & exponere voluiſſe verba Moſis Geneſ. 10. 7. in Catalogo gentium: *Filij Chus, Saba, & Euila, & Sabatha, & Regma, & Sabathaca: Filij Regma, Saba, & Dadan.* Ergo vt verba Ioſephi, verbis Moſis directè reſpondeant, hunc enim morem Ioſephus ibidem in recenſendis gentium pro auctoribus ſeruat, nimirùm ad amuſſim, & ordinem ſacræ Scripturæ; ita locum Ioſephi redintegrandum cenſemus: *Romus item Romæos condidit, & duos filios habuit: alter Sabæus genti Sabæorum inter Occidentales Aethiopes originem dedit: Dadaneus alter, Dadaneis.* Vt Ioſephus in ea videatur eſſe ſententia Sceba cum Scin Æthiopiam ſignificare, quæ; vti ſuperiùs diximus, ſuos auctores habet. Alij in Ioſepho pro Iudæis, ſubſtituunt, Dadanæos, non tam rectè, ne videatur traieciſſe verba Moſis.

De Regina Saba, excurſus.

CAP. XXVIII.

PRæcipua eorum ratio, qui Seba cum Samech, Arabiam Felicem, & Sceba cum Scin, Æthiopiam ſub Ægypto, ſeu Africanam intelligi in Sacris Litteris contendebant, illa erat, quòd Regina Saba, quæ ex Æthiopia, vbi regnabat, ad viſendum Salomonem in Iudæam venit, ſemper cum Scin dextro ſcribatur in Libris Diuinis, vt 3. Regum, 10. verſ. 1. 4. 10. 13. & 2. Paralipomen. 9. verſ. 1. 9. Sed cum cura diſquiramus, ex quanam Saba heroïna illa venerit, & cuius Sabæ regina fuerit, num ex Æthiopia Africana, an ex Sabæa Arabiæ Felicis regione. Ex Saba Arabica veniſſe affirmant plurimi. Sanctus Hieronymus in 60. Iſaïæ, ad verſ. 6. *Madian, & Epha regiones ſunt trans Arabiam fertiles Camelorum, omníſque prouincia appellatur Saba. Vnde fuit & Saba Regina, quæ venit ſapientiam audire Salomonis.* Hîc Sceba cum Scin dextro in Iſaïa ſcribitur. Idem ſanctus Hieronymus in Ioëlis 3. ad verſ. 8. elucidans illud, *Et venundabunt eos Sabæis genti longinquæ:* ait: *Sabaim autem gens trans Indiam dicitur: de qua fuit & Regina Saba, quæ venit Sapientiam audire Salomonis: de quibus, & Iſaïas loquitur cap. 45. 14. Et Sabaim viri excelſi ad te tranſibunt. Vnde & thus venire perhibetur, dicente Virgilio:-centúmque Sabæo Thure calent aræ:-licet quidam Sabæos Arabes ſuſpicentur.* Et in Ioële, & in Iſaïa hîc Sebaim, cum Samech ſcribitur. Vides, vt ſanctus Hieronymus hiſce duobus locis confuderit diſcrimen inter Sebam, & Scebam, & eidem genti ex qua Regina illa venerit, vtrumque nomen tribuerit.

Sanctus Cyrillus in Iſaïæ 60. ad verſ. 6. *Omnes de Saba* (cum Scin) *venient, aurum, & thus deferentes:* inquit: *Saba regio eſt vltra terram Arabum, & prope Mare Rubrum: ex qua Saba Aethiopum regina, temporibus Salomonis acceſſit Ieruſalem. Fertiliſſima eſt regio thure, auro, & lapidibus Indicis.*

Theodoretus quæſt. 32. in lib. 3. Regum, elucidans illud cap. 10. verſ. 1. *Sed & regina Saba audita fama Salomonis, &c.* ait: *Quænam eſt gens Saba? Aethiopica. Hic autem eos dicit eſſe ſitos in mari Indico, nominant autem eos Homeritas: ſunt autem è regione Auxumitarum. Inter hos autem & illos medium eſt mare. Eorum regina fuit admirabilis illa mulier, cuius ſtudium laudauit Chriſtus in Euangeliis. Nam quum audiſſet quæ iactabantur de ſapientia Salomonis, confecit viam multorum dierum, &c.* Homeritas quidem eſſe populos Arabiæ Felicis, nulli non notum, vti lib. 4. cap. 8. obſeruabamus.

Nicephorus lib. 8. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 35. *Indi autem, Sabæi primùm, deinde etiam Homeritæ ſunt appellati. Nationem eam ex Abraham, & Cethura prognatam, regionémque eam quam Græci magnam & Felicem Arabiam nominant, eſſe, extremúmque Oceanum fines eius pertingere dicunt: cuius Metropolis, & primaria vrbs eſt Saba: vnde ad Salomonem fama obtinet, aduenisſe Reginam illam Auſtri.* Annotabis in verbis S. Hieronymi, S. Cyrilli, Theodoreti, Nicephori quæ modo deſcripſimus, Arabiam Felicem, Indiam vocari,

& mare Indicum, quod Arabiam alluit. Vide quæ scripsimus suprà cap. 19.

Atqui Reginam Saba ex Sabæa Arabiæ Felicis regione veniſſe aſtruunt quoque Reuchlinus in Lexico Hebraico, in voce *Seba*, Caietanus in 1. Iob, ad verſ. 15. Steuchus, Lipomanus, Honcala, Mercerus, Pererius, Delrius in Geneſ. 10. ad verſ. 7. Franciſcus Georgius in Harmonia Mundi, Cantico 1. tono 7. cap. 35. Ioannes Benedictus in Notis ad cap. 10. 3. Regum, Matthæus Beroaldus lib. 4. Chronici, Stukius in Scholiis ad Arriani Periplum Maris Erythræi, pag. 41. Xyſtus Senenſis lib. 5. Bibliothecæ Sanctæ, annotatione 133. Gagneius in Lucæ 11. ad verſ. 31. Trejus in Matthæi 12. ad verſ. 42. Baptiſta Gramayus in Aſiatica Hiſtoria, in Arabicis, cap. 3. Auguſtinus Torniellus in Annalibus Mundi, anno 3043. num. 14. Baronius tomo 1. Annal. anno Chriſti 1. num. 27. & tom. 7. anno Chriſti 522. num. 22. Sà in Matthæi 12. verſ. 42. Franciſcus Suarez tomo 2. in 3. part. ſancti Thomæ diſp. 14. ſect. 3. Ioannes Fungerus in Etymologico, in voce *Saba*, Ioannes Pineda lib. 5. de Rebus Salomonis, cap. 14. §. 5. Ioannes Druſius in Matthæi 12. ad verſ. 42. Chriſtophorus Caſtrius in Ierem. 6. num. 17. Atqui iuxta horum ſententiam, ratio illa quòd Sceba cum Scin, ſit Aethiopia, quòd Regina illa ex Sceba venerit, manifeſtè corruit.

Alij verò Reginam Saba ex Æthiopia Africana, ſeu ſub Ægypto ad Salomonem veniſſe exiſtimant. Ioſephus lib. 8. Antiquitat. cap. 2. *Et hinc eſt, ni fallor, quòd Herodotus Halicarnaſſeus cùm trecentos triginta reges poſt Minæum Memphis conditorem deinceps ſucceſſiſſe dixerit, nomina eorum non recenſuit, quia Pharaones vocati ſunt omnes. Cùm enim poſt hos mulier Imperium arripuiſſet, nomen eius ponit Nicaulem: nimirum ea de cauſa, quod ſoli mares huius appellationis eſſent capaces, & non etiam femina, oportuit peculiare ipſius nomen dicere. Ego verò in noſtræ gentis Commentariis reperi, quod poſt Salomonis ſocerum Pharaonem, nemo Ægyptiorum regum amplius hoc nomine ſit vocatus: & quòd poſt illum venerit ad Salomonem iam dicta mulier, quæ tum Ægypti ſimul, & Æthiopiæ regnum obtinebat. Sed de hac paulò pòſt dicemus.* Et paulò pòſt ſubiungit: *Interim ad Ægypti, Æthiopiæque reginam, mulierem ſapientiæ ſtudioſam, & ceterà quoque egregiam, Salomonis virtutum, ac ſapientiæ fama delata, cupiditas eam inceſſit, coram hominem videndi: ſic enim fore, vt experimento, non rumoribus crederet, qui ſæpe numero falſi, eo quod toti à fide renuntiantium pendeant, paulò pòſt euaneſcunt: decreuitque ſuſcepta longinqua peregrinatione, illius ſapientia perfrui, & de rebus arduis cum eo diſſerere. Venit igitur Ieroſolymam ſplendido, & opulento apparatu.* Et poſt alia de eadem Regina narrata, ſubdit: *Atque ita Ægyptiorum regina, datis ſimul, & acceptis ampliſſimis muneribus in patrium ſolùm reuertitur.* Vides igitur, vt Ioſephus, reginam Saba ex Æthiopia, & Ægypto, vbi longè latéque imperitabat, ad Salomonem veniſſe, prodat.

Locus autem Herodoti quem laudat Ioſephus, eſt lib. 2. num. 100. vbi tamen reginam illam Ægypti non Nicaulem, ſed Nitocrim Herodotus appellat: verba enim eius ſunt: *Poſt hunc* (Menem, Ægypti regem, Memphis conditorem) *recenſebant è libro Sacerdotes nominatim alios trecentos, ac triginta reges. In quibus tot ætatibus hominum, decem & octo fuiſſent Æthiopes, & vna mulier alienigena: ceteri viri Ægyptij. Mulieri quæ regnauit, fuit nomen idem quod reginæ Babylonicæ, Nitocris. Quam dicebant vltam fuiſſe fratrem, ab Ægyptiis, apud quos regnabat, interemptum: quum eo interempto, regnum ad hanc detuliſſent. Vltam autem fratrem, multis Ægyptiorum dolo abſumptis.* Sed quod Ioſephus ex Hebræorum Commentariis refert, poſt Salomonis ſocerum Pharaonem, neminem Ægyptiorum regum ampliùs Pharaonem vocatum, perſpicuè refellitur ex pluribus Scripturæ locis, vbi Pharaones Ægypti reges vocantur, longè poſt tempora Salomonis. Sed ad inſtitutum.

Origenes homilia 1. in Cantica, enarrans illud, *Nigra ſum, ſed formoſa.* Interprete ſancto Hieronymo, inquit: *Nemo dubitat, nigram vocatam eſſe formoſam, qui nos ſumus, vt cognoſcamus Deum, vt Cantica Cantici prædicemus, vt ab Æthiopiæ finibus, vt ab extremo terræ venerimus ſapientiam veri audire Salomonis. Et quando Saluatoris vox intonantis auditur: Regina Auſtri venit à finibus terræ, audire ſapientiam Salomonis.* Apertè nimis, fines terræ vnde Regina Saba venit, Æthiopiæ fines interpretatur. Et multò euidentiùs in 2. homilia ex quatuor in Cantica, quas eſſe Origenis compertiſſimum ſibi eſſe affirmat Marianus Victorius, tametſi alij dubitent: fusè referens totam hiſtoriam Reginæ Sabæ, 3. Reg. 10. & quomodo Chriſtus eam appellet Reginam Auſtri, hæc ait: *Auſtri autem reginam dicit eam, pro eo quod Æthiopia in Auſtri partibus iaceat, & à finibus terræ, quaſi in vltimo poſita. Inuenimus autem huius ipſius Reginæ etiam Ioſephum in Hiſtoria ſua facere mentionem, addentem etiam hoc, quòd poſteaquàm regreſſa eſt, inquit, à Salomone, Cambyſes rex miratus eius ſapientiam, quam ſine dubio ex Salomonis ſapientia ſuſceperat, cognominauit nomen eius Meroën. Refert autem, quòd non ſolùm Æthiopiæ, ſed & Ægypti regnum obtinuerit.* At quodnam delirium iſtud de Cambyſe, & Meroë, qui vltra quingentos annos poſt Reginam Saba natus eſt. Addit Origenes: *Videamus autem, & ea quæ ex tertio Regnorum lib. protulimus de Regina Saba, & ipſa nihilominùs Æthiopiſſa, cui teſtimonium dat Dominus in Euangeliis.* Et poſt multa: *Vel de Regina Saba Æthiopum, quæ ſapientiam Salomonis venit audire.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 40. *Et quando tantùm laboris ſuſceperis, quantùm Æthiopum regina, quæ ab extremis terræ finibus perrexit, vt ſapientiam Salomonis audiret?*

Sanctus Gregorius Nyſſenus homil. 7. in Cantica, initio: *In multis Rex Salomon aſſumitur in typum veri Regis. Sed & ad ipſum venit Regina Æthiopum.* Et inferiùs: *Æthiopiſſæ autem myſterium, quemadmodum relicto regno Aethiopum, & tranſmiſſo tanto quod intercedebat ſpatio, properat ad Salomonem propter laudem ſapientiæ, &c.*

Sanctus Hieronymus in Iſaïæ 43. ad verſ. 3. elucidans illud, *Dedi propitiationem tuam Aegyptum, Aethiopiam, & Saba pro te.* Quod LXX. ita reddiderunt: *Feci commutationem tuam Aegyptum, Aethiopiam & Syenem pro te:* ait: *Quia Dominus Deus Saluator eorum, & Sanctus Iſraël ſit cum eis,* (ſcilicet Apoſtolis) *qui fecit eos Aegypto, Aethiopiæ, & Syene, & extremis mundi terminis prædicare. Pro Syene reliqui Interpretes poſuerunt Seba,* (cum Samech) *vnde fuit Regina Auſtri, quæ venit Sapientiam audire Salomonis.* At cùm hîc Seba, cum Ægypto, & Æthiopia coniungatur, & Syene, quæ vrbs

eſt

est Ægypti in finibus Æthiopiæ, à LXX. exponatur, nimis videtur propensum, vt sanctus Hieronymus hîc Saba Æthiopicam intellexerit.

Sanctus Anastasius Sinaïta lib. 8. Hexaëmeron: *Aethiopia enim praeueniet manus suas Deo, ante omnes cum Christo pacta conuenta dans & faciens per illum Eunuchum, qui erat Candaces reginæ Aethiopum, Ecclesiæ, quæ quidem Christo vnita clamat: Nigra sum & formosa, filiæ Ierusalem: nigra priùs incredulitate, quæ nunc sum obscura humilitate: formosa autem nunc sum Dei cognitione. Ego enim sum Regina Austri, quæ surgo ex finibus terræ gentium, & veniens vidi sapientiam Salomonis.* Dilucidè Reginam Austri, nigram, & ex Æthiopia facit.

Sanctus Augustinus serm. 253. de Tempore: *Hæc est illa Regina, quæ venit à partibus Aethiopiæ audire sapientiam Salomonis.*

Procopius Sophista in Isaïæ 43. ad vers. 3. enarrans illud ex editione LXX. *Feci commutationem tuam, Aegyptum, & Aethiopiam, & Syenem pro te:* inquit: *Et qui Syenem incolunt, vel Saba, vt ceteri transtulerunt. Est verò & Saba gens illa Aethiopiæ, ex qua Reginam ad Salomonem esse profectam legimus.*

Euthymius in Matth. 12. ad vers. 42. *Regina Austri surget in iudicio. Austrum dicit regionem à qua flat Auster, dico sanè Aethiopiam, quam Saba vocauit tertius Liber Regum. Sita est autem hæc regio ad finem orbis habitabilis.*

Sanctus Anselmus Cantuariensis Episc. lib. 1. de Imagine Mundi, cap. 19. *In Africa verò versus Meridiem, est Aethiopia, in qua est vrbs Saba, de qua fuit regina illa, quæ in Euangelio commemoratur à Domino.*

Zonaras tom. 1. Annal. *Eius* (Salomonis,) *igitur doctrina & sapientia vbique celebrata, regina quædam Aegypti & Aethiopiæ sapientiæ studiosa indagatrix, Ierosolyma proficiscitur. Eam Rex honorificè excipit, quæstiones ab ea propositas, facilè soluit, &c.* Eadem omnino Cedrenus, & Glycas in Annalibus.

Anselmus Laudunensis in 3. Regum, 10. ad vers. 1. *Sed & Regina Saba. Saba ciuitas est regalis Æthiopiæ, vnde fuit hæc regina, quæ præfuit duobus regnis, Æthiopiæ, & Aegypti.*

Petrus Comestor in Historia Scholastica 3. lib. Regum, cap. 26. *Regina Saba venit tentare Salomonem in ænigmatibus. Est autem Saba quandoque nomen regionis: sed hîc est ciuitas regalis Aethiopiæ.* Et Paulò inferiùs: *Nicaula regina Aegypti & Aethiopiæ, quam putat Iosephus venisse ad Salomonem.* Cetèrùm sanctus Eucherius lib. 3. in Reges, cap. 32. cùm habet: *Regina Saba venit à finibus terræ, id est: India, vt quidam dicunt, audire sapientiam Salomonis.* Ambiguum num vel Arabiam Felicem, vel Æthiopiam intellexerit, cùm vtramque Indiæ nomine indigitari, cap. 19. ostenderimus. Ergo Reginam Saba ex Æthiopia Africana venisse tradunt etiam, Hugo Carensis, Alfonsus Tostadus, Dionysius Carthusianus in 3. Regum, 10. vers. 1. & in 2. Paralipomenon. 9. vers. 1. Ioannes Nauclerus in Chronographia, Generatione 34. M. Antonius Sabellicus Enneadis 1. lib. 9. Ludouicus Carretus in epist. ad Hebræos, visorum diuinorum, Guillielmus Budæus lib. 4. de Asse, Franciscus Aluarez in Æthiopica Historia, cap. 36. Sebastianus Munsterus lib. 6. Cosmographiæ, pag. 1146. Epistola Negotiatorum Hispanienſium ad suos Correspondales Florentinos, & Venetos, cuius initium, *Ex relatu eorum*, & habetur impressa in Nouo Orbe, cap. 126. Ioannes Barrius Decadis 3. lib. 4. cap. 2. Damianus Goës libello de Fide, Religione, Moribus Æthiopum, Marianus Victorius libelso de Regibus Æthiopum, Matthias Bredembachius, Ioannes Maldonatus in Matthæi 12. ad versic. 42. Cornelius Iansenius, cap. 49. in Concordiam Euangelicam, Reinerus Reineccius Syntagmatis Heroïci parte 1. in Regno 21. Æthiopico, Franciscus Toletus in Lucæ 11. ad versic. 31. Marcus Marinus in Arca Noë, in voce Sceba, Valentinus Schindlerus in Pentaglotto, in voce Seba, Paulus Palatius in Sophoniæ 3. ad vers. 10. Gilbertus Genebrardus in Psalm. 71. versic. 15. & lib. 1. Chronographiæ, pag. 122. Franciscus Monccœius in Poëtica delibatione rerum Salomonis, & Lucubratione 5. in Cantica, Franciscus Lucas in 2. Matthæi, ad versic. 1. & in 12. Matthæi, ad versic. 42. Sebastianus Barradius tomo 2. Historiæ Euangelicæ, libro 8. cap. 18. Liuius Sanutus in Geographia Africæ, lib. 11. fol. 127. pag. 1. ad finem, Abraham Ortelius in Theatro Orbis in Tabula Imperij Abyssinorum, Gerardus Mercator in Atlante maiore, in Tabula Abyssinorum Imperij, Historia Æthiopica, quæ citatur in Glossa ordinaria recentioris editionis, 3. Regum 10. ad versic. 1. Cornelius à Lapide in Genes. 10. ad versic. 7. Si numero, & pondere testium sit euincendum, potiora sunt planè iura eius sententiæ, quæ Reginam Saba ex Æthiopia deducit: quàm Imperator ipse Æthiopum Abyssinorum Dauid decidisse videtur geminis Epistolis, altera ad Emanuëlem Portugalliæ regem anno 1521. missa, altera ad Romanum Pontificem anno 1524. scripta, quas à Paulo Iouio in Latinum sermonem conuersas, Damianus Goës libello suo de fide, & moribus Æthiopum inseruit. Ergo initio earum litterarum Imperator Dauid enumerans Regna quibus ipse in Æthiopia imperaret, inter alia ait: *Rex de Xoa, de Caffate, &c. de Tigrimahon, de Sabaïm, vnde fuit Regina Saba, de Barnagais, &c.* In quam nos sententiam libenter concedimus.

Nec illud hîc omiserim, pleróque ex Abyssinorum Annalibus prodere, Reginam Saba ex consuetudine Salomonis grauidam effectam, filium peperisse nomine Meilech, à quo in posteros ad hanc vsque diem propagatum sit certa successione genus Imperatorem Æthiopum Abyssinorum. Franciscus Aluarez in Historia Æthiopica, cap. 36. agens de vrbe Achaxumo, quam veteres Auxumum dixere, regia quondam Regum Æthiopum, ait: *Hæc vrbs in Regno Tigrimahon, fuit olim, vti ferunt, regia Reginæ Saba, quæ magnam vim auri camelis ad Salomonem detulit, quum Templum Ierosolymis conderet. Est in ea vrbe insignis Ecclesia, in qua ingens volumen Annalium reperimus, patrio Aethiopum sermone conscriptum: in cuius initio referebatur, eos Annales primum Hebraïca lingua compositos, dein in Græcum conuersos, & ex Græco in Chaldæum transfusos, & tandem de Chaldæo in Abyssinam linguam translatos, in qua nunc extant: qui in hunc modum exordiebantur: Cùm fama accepisset Regina Saba magna & opulenta opera quæ Salomon Ierosolymis inchoauerat, statuit apud se ea inuisere. Oneratis itaque auro plurimis camelis vt in ea opera conferret, Ierosolymam contendit, Salomonem inuisit, totúmque aurum ei dono dedit, cum aliis pretiosis muneribus. Cùm esset*

Ierosolymis ex Salomone concepit : ac tamdiu ibidem mansit quoad pareret filium, mox prole apud parentem vt educaretur, relicta, in Æthiopiam remeauit : vnde Salomoni magnam vim auri, & ligni nigri ad fabricas misit. Cùm filius ad septimum decimum ætatis annum adoleuisset, eum Salomon regio apparatu & comitatu ad matrem remisit. Qui tandem magnus Rex & Imperator in Aethiopia euasit. Hæc Aluarez.

Damianus Goës libello de Fide & moribus Æthiopum, ex Relatione Zagazabo Imperatoris Æthiopum Legati, hæc excepit : *Erat autem huic Reginæ Saba nomen propium Makeda, quæ more maiorum colebat idola. Ad cuius aures fama sapientiæ Salomonis cùm peruenisset, quendam virum prudentem Ierosolymam misit, vt re omni explorata certior de regis prudentia redderetur. Quo reuerso, & re explanata, subitò se ad iter Ierusalem versus componit. Atque cum eò peruenisset, præter multa alia quibus à Salomone erudita est, legem ac prophetas didicit, atque in patriam proficiscens, in itinere filium quem ex Salomone conceperat, peperit, qui vocatus est Meilech, quem ipsa Regina in Aethiopia vsque ad vigesimum ætatis annum apud se educauit, ac posteà ad Salomonem eius patrem remisit, vt ab eo scientiam & sapientiam disceret : quem per litteras obsecrauit, vt filium Meilech coram Arca fœderis testamenti Domini, Regem Aethiopiæ consecraret, ac crearet, néue vlterius feminæ ius regnandi in Aethiopia haberent, vt tum in more erat, sed vt recto tramite masculi in regnum succederent. Qui cùm Ierosolymam venit, à patre facilè matris postulata obtinuit, ac pro Meilech vocatus est Dauid quem iam abundè in lege, atque in aliis disciplinis edoctum, pater Salomon constituit ad matrem remittere, id quidem cum maiore ornatu, regióque apparatu. Ad quod munificentiùs conficiendum comites illi decreuit cum eo mittere Azariam principem Sacerdotum, filium Sadoch principis quoque Sacerdotum. Quod cùm Azarias intellexisset, Dauidem hortatus est, vt ei à patre impetraret potestatem sacrificandi pro successu itineris, ante Arcam fœderis Domini. Qua re à Salomone impetrata, Azarias subitò Tabulas, quam secretissimè potuit ad imitationem Tabularum fœderis Domini dedolare curat. Quibus perfectis, ad sacrificandum se componit, in ipsóque sacrificio clanculum, atque mira arte veras Fœderis Domini Tabulas ex Arca surripuit, pro eísque adulterinas, quas secum portauerat, reposuit, se solo, ac Deo conscio. Hæc narratio apud nos Aethiopes sanctissima & probatissima habetur, vt ex historia ipsius regis Dauidis, quæ iucundissima lectu est, appareat. Cuius historiæ liber tantæ crassitudinis est, quantæ omnes Pauli Epistolæ. Ceterùm cùm iam Dauid ad fines Aethiopiæ peruenisset. Azarias eius tentorium ingressus, id quod semper apud se occultum tenuerat, ei reuelat, nempe Tabulas fœderis Domini penes se esse. Qua re audita, subitò Dauid ad tentorium vbi Azarias Tabulas fœderis Domini habebat, accurrit, ibique præ nimio gaudio, ad exemplum aui sui Dauidis, ante arcam in qua Tabulæ erant, incœpit saltare. Quo à suis viso, & re intellecta omnes pari modo gaudia & lætitiam ingentem celebrauerunt. Tandem peragrata magna Aethiopiæ parte ad suam matrem peruenit. Quæ statim ei Imperium omnium Prouinciarum detulit, omnémque administrandi regni curam in eius humeros reclinauit. Et ab eo tempore fermè iam inde vsque in hunc diem elapsis interim bis millenis, sexcentis annis, regnum Aethiopiæ recto tramite, de masculo semper ad masculum transfertur.* Hactenus Damianus Goës ex Zagazabo Æthiopum Legato.

Ioannes Barrius Decade 3. lib. 4. cap. 2. *Tamdiu nimirùm Regina Saba apud Salomonem mansit, quamdiu diuinæ legis præceptis & cæremoniis instrueretur. Concepto deinde è Salomone filio, grauida adhuc, de reditu in patriam cogitauit. Sed ecce in medio itinere pariendi doloribus impedita, felici tandem partu puerum enititur : quem in regni sede regia liberaliter educatum, iustæ iam ætatis, qua decuit regali magnificentia & apparatu ad parentem Salomonem mittendum regina cogitat, eo potissimum consilio, vt antè Tabernaculum, sancta cum vnctione parens Salomon initiandum, & in supremum Aethiopiæ Imperatorem inaugurandum velit, ac iubeat. Meilechum, hoc enim pueri nomen, parenti singulari beneuolentia & charitate susceptum, solemni ritu consecrandum, ac nomine aui honorificentissimo, id est, Dauidis, insigniendum, ac deinceps diuinæ legis præceptis & institutis imbuendum diligenter curat. Tum tandem matri reddendum, ministrorum optimorum, plurimorúmque decentissimo comitatu, atque etiam pædagogo sanctissimo, ac rerum diuinarum præceptore sapientissimo Sadochi filio Azaria, & summo in Ierosolymitano Templo Sacerdotum principe. Is Dauidis interuentu, & precibus à Salomone exorat, vt in Sancta Sanctorum sibiingredi liceat vale vltimum dicturo Arcæ & loco sancto, & pro felici itinere vota nuncupaturo. Ingressus itaque quasi orantis specie, re verò ipsa Legis Tabulas suffuraturus alias omnino similes iam anteà ad eam rem præparatas, illarum loco substituit. Illi dum iam ex longo itinere ad Aethiopiæ fines accedunt, Dauidem totius rei inscium, Azarias admonet sacrati illius furti, & sacrorum spoliorum, quæ Ierosolymis ex templo sustulerat. Incredibili lætitia affectus Dauid, citato gradu ad Azariæ tabernaculum contendit, Tabulas inuenit, ac ante illas, honestiori loco repositas lætissimis ludis, aui Dauidis exemplo tripudiat : quem comitatus seruorum vniuersus, lætitiæ causa perspecta, quibus possunt lætitiæ significationibus imitantur. Aethiopiam, ingresso iam filio expectatissimo, Nicaula regina regni habenis traditis, & feminis finem imperandi in Aethiopia facit : & viris ab hoc Dauide ad reliquos Abyssinorum Imperatores virilem seriem ducendi viam instituit.* Huc vsque Barrius.

Gilbertus Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 121. *Makeda, quæ & Nicaula Aethiopum regina, item Aegypti, Iosepho lib. 8. cap. 2. è Saba Nili Insula, postea à Cambyse Meroë appellata, ad Salomonem venit, regni eius quarto (Marianus Victorius de Regno Aethiopiæ) vel potius vndecimo : nam 3. Regum, 10. templum iam erat ædificatum, de lignis, arboribus, & ceteris rebus naturalibus præsertim auditura. Filium ex eo conceptum nomine Meilech, deinde Dauidem, regnandi iure fœminis sublato, Regem renuntiauit, & nobili Imperio Preto-Ioannis, quod hodie etiamnum viget, principium dedit. Ex quo iam tot annos, primò legem, deinde Euangelium per Eunuchum & Philippum Diaconum, prædicatum seruant, extremam manum adhibente Matthæo. Ex Historia Aethiopica.*

Abraham Ortelius in Theatro Orbis in Tabula Abyssinorum Imperij : *Est in hoc tractu vrbs Cassumo nomine, sedes olim, vti in eorum Annalibus est, Reginæ Sabæ, quam Makedam nuncupatam ferunt : addúntque hanc ex rege Salomone filium suscepisse, nomine Meilech.* Ergo Reginam Saba è Salomone peperisse filium nomine Meilech, qui Abyssinis imperitauerit, non pauci alij recentio-

res

res ex Æthiopum Annalibus prodiderunt, vti Ferdinandus Mendez Pintus in ſua Peregrinatione, cap. 20. Antonius Gouea in Itinerario Alexij Meneſij Archiepiſcopi Goani lib. 1. cap. 6. Ceterùm refragantur alij, fabuloſúmque, & commentitium putant id quod de Regina Saba à Salomone grauida effecta, & filio ex eo ſuſcepto Meilech nomine Æthiopes ferunt. Thomas Bozius de Signis Eccleſiæ, lib. 21. cap. 1. *Illud non audiendum, quod Æthiopes iactant eorum reges originem ducere à Salomone, quod ille coierit cum Regina Saba, & ex iis prognati ſint eorum reges.*

Ioannes Pineda lib. 5. de Rebus Salomonis, cap. 14. §. 10. num. 46. *Rem verò huiuſmodi in Salomone, neque creditu, neque auditu dignam exiſtimat Bozius lib. 21. de Signis Eccleſiæ, cap. 1. & Franciſcus Moncœius Lucubratione 4. lib. 1. in Cantica, & merito, quòd mirum omninò eſſet tantæ rei nullam fieri mentionem in Diuinis Libris, aut in Scriptoribus Hebræis, Ioſepho præſertim, qui ſuæ gentis antiquitates omnes perſcrutatur, & diligenter colligit, atque interdum etiam quæ falſa ſunt, ſi tamen vulgata, aut ſpecioſa ſunt, minimè reiicit. Sed miratur quidem Maluenda, cur Bozius receptiſſimæ hiſtoriæ refragari voluerit: quam ipſe tanquam veriſſimam, & indubitatam complectitur. Tamen in eo viris cordatis multò magis mirandum, quod vir doctus, & eruditus Maluenda, & qui aliorum ſententiarum, vel verarum, vel veroſimilium ſeueriſſimum ſe caſtigatorem auctoritate, & virgula cenſoria præbere ſolet; nunc ineptiſſimæ fabellæ, & vel laſciuientium hominum luxurianti calamo, vel Abyſſinorum Æthiopum, falſa ſibi de ſua origine & antiquitate perſuaſione blandientium commento excogitatæ refragari ipſe non voluerit, &c.*

Sed Pinedæ paucis reſpondeo. Quodnam illud argumentum, fabulam eſſe, Reginam Saba ex Salomone peperiſſe, quia neque Scriptura, neque Ioſephus, neque Hebræi Scriptores id prodiderint? Si non prodidiſſent Æthiopum Annales, commentum videri potuiſſet. Secundò, Vbi ego ſeueriſſimus caſtigator & cenſor verarum ſententiarum? Logi! Simpliciter dico ſenſum meum, & iudicium cùm expedit adhibeo, non more quorundam, quos ego rectè noui, qui omnia corrigant, & peiora ſemper eligunt. Tertiò, Quid illud, *Ineptiſſimæ fabellæ:* Quid, *Laſciuientium hominum luxurianti calamo?* Aluareſius durus & rigidus ſcriptor, ſed integerrimæ Fidei. Damianus Goës inſigni equeſtri ordine, nunquam audiit laſciuiens, aut luxurians. Barrius grauiſſimus Scriptor, alter Liuius Luſitanis habetur. De Genebrardo & Ortelio ipſe viderit. Ego puto Pinedam potiùs voluiſſe loqui, quàm aliquid dicere. Quartò, Vnde habet, me eam hiſtoriam, tanquam veriſſimam & indubitatam amplecti? Tantùm dixi auctores rerum Æthiopicarum illam tradere, & mirari me, cur ei Bozius ſine vllo argumento refragari voluerit. Quintò, Si auctorum pondere res eſſet tranſigenda, cur potiùs Bozio, Moncœio, Pinedæ, credam, quàm Aluareſio, Goëſio, Barrio, Genebrardo, Ortelio, aliíſque? Sextò, Solent interdum nationes origines ſuas, & antiquitates etiam mendacio conſecrare: non ambigo. Sed negari non poteſt, quando perſpicuus, aut manifeſtus error non cernitur, cuiúſque gentis Annalibus publicis, & receptis non temerè denegandam Fidem. Septimò, Etſi narrationi de filio Reginæ Saba Meilecho quædam inſint fabuloſa, vt illa de ſuffuratis Tabulis Legis: at non inde propterea ſequitur partum Reginæ, & filium Meilechum eſſe quoque fabuloſam. Quaſiverò quia tam multa de Carolo Magno, & Rolando finguntur, Carolus Magnus & Rolandus non fuerint in rerum nutura. Equidem inter alios titulos quos Imperator Æthiopum Abyſſinorum ſibi ſumit in publicis edictis, & epiſtolis, illi ſunt præcipui: DAVID COLVMNA FIDEI, ORTVS EX STIRPE IVDA, FILIVS DAVID, FILIVS SALOMONIS, &c. Vti ex Goëſio, Ortelio, Mercatore, & aliis liquet. Nec ſe ſanè aliam ob cauſam ex ſtirpe Iuda, & Filium Dauid, & filium Salomonis appellat, niſi ob Meilechum Salomonis ex Regina Saba filium.

Sed nolumus eſſe contentioſi, & noſtræ opinionis nimium amantes, rem quidem non ineptiſſimam fabellam: ſed in medio tamen relinquimus, credat quiſque vt volet, quia vidimus quoſdam de ea hæſitaſſe. Marianus Victorius Libello de Regibus Æthiopum habet: *Menilech Reginæ Sabæ ex Salomone, vt plus iuſto perſuaſi Æthiopes aſſerunt, filius, regnauit annis vigintinouem. Eius nomen interpretantur, quomodo mihi ſimilem Deus creauit. Ita enim à Salomone vocatum dicunt, cùm primum eum vidiſſet: miſit námque eum mater in Ieruſalem ad patrem, iam puberem, ac quartum decimum agentem annum. Vulgò apud Æthiopes Sapientis filius cognominatur: & ſequuntur ex ordine ſuccedentes liberi, &c.*

Reinerus Reineccius part. 1. Heroïci Syntagmatis in 21. Regno Æthiopico, pag. 283. poſtquàm ex Damiano Goës ea retuliſſet de Meilecho filio Reginæ Sabæ & Salomonis, quæ nos ſuperiùs deſcripſimus, addit: *In quibus, hiſtoriæ quaſi trutinæ ſubiectis, non pauca ineſſe deprehenduntur, de quibus ἐπέχειν liceat. Nunquid enim libidinis & turpitudinis ſtigmata Heroïnæ inurenda, cuius ſummum pietatis, & ſapientiæ ſtudium prædicatur? Numquid eidem ſuſpicioni Salomon tum adhuc Deo, hominibúſque probatiſſimus, inuoluendus? Imò numquid veroſimile, Æthiopes regem ſpurium, & quidem externa in gente quæſitum, toleraſſe; præſertim cùm creandi huius ius penes Sacerdotes eſſet? Indigenas in regiis muniis capeſſendis ceſſiſſe aduenis? &c.*

Gerardus Mercator in Atlante maiore, in Tabula Abyſſinorum Imperij: *Nomen Reginæ huic Saba fuit Makeda. Credunt Æthiopiæ reges ex Dauidis ſtirpe, & Salomonis familia ſeſe procreatos eſſe: idcircò ſe filios Dauidis, & Salomonis, atque adeò ſanctorum Patriarcharum appellare ſolent, quod ex eorum ſemine orti ſint. Nam ex Salomone filium ſuſcepiſſe Makedam illum fingunt, quem Meilech nominant: poſteà Dauid fuit dictus. Is ſecundùm eorum commentum, cùm annum ætatis vigeſimum attigiſſet, ad Salomonem patrem, & præceptorem à matre remiſſus, vt doctrina, & ſapientia vtili, & ſalutari ab eo imbueretur. Quod ſimul atque aſſecutus fuit Meilech, ſeu Dauid, permiſſu Salomonis, Sacerdotes, & comites nobiles multos de ſingulis duodecim tribubus ſibi adiunxit, & in regnum Æthiopiæ reuerſus gubernationem eius ſuſcepit.*

Nicolaus Godinus lib. 1. de Rebus Abaſſinorum, cap. 7. *Conſtans eſt Abaſſinorum non magis ſententia, quàm glorioſa quædam prædicatio, Imperatores ſuos ab Salomone Iudæorum rege genus ducere. Res ab iis accepta in hunc modum narratur.*

Insula in Nilo est, nunc aliqui vocant Elsamam, aliter alij. Iosephus, nec pauci alij scribunt, eam à tempore Cambysis Persarum regis, à Meroë eiusdem Regis sorore, ibi defuncta, Meroem appellari cœptam, cùm antea Saba diceretur. Ab hac insula, vbi tunc erat Æthiopiæ caput profectam volunt Austri reginam, ad tentandam per ænigmata sapientiam Salomonis. Ab vrbe regia, vt aiunt, cum multo comitatu egressa Mazuam venit, conscensis ibi nauibus Erythræum mare traiecit, appulitque ad Arabicum Sinum, ex quo terrestri itinere octo ferè dierum spatio, Ierosolymam peruenit. A Salomone filium dicitur suscepisse Melichum, seu Melilechum nomine. Hunc asserunt aliqui, ante matris in patriam regressum, in eadem natum vrbe Ierosolymitana: & matre discedente, in patris aula, & cura relictum, ibique ad septimum vsque aut octauum ætatis annum sedulò educatum, atque ad matrem posteà missum. Scribunt alij, discessisse reginam conceptu grauidam, & in itinere puellum peperisse, in Æthiopia apud se educasse, vigintique agentem annos, cùm iam esset Imperio aptus, Ierosolymam misisse, vt ei pater & aliquid impertiret infusæ sibi à Deo sapientiæ, & coram Arca Testamenti diadema imponeret Æthiopici Imperij.

Addunt insuper, cùm sceptrum Melilechus sumpsit, aui sui nomen simul sumpsisse, & Dauidem vocatum: acceptisque à Salomone patre duodecim viris, sapientia & virtute præstantibus, singulis ex singulis Israëlis tribubus, à quibus diuinam legem & sacras Litteras edoceretur, in Æthiopiam cum duodecim Iudæorum millibus discessisse. Ab hoc igitur Melilecho volunt Abassini suos Imperatores ducere originem: neque illo ex tempore ad hodiernum vsque diem apud eos ex regia Dauidis stirpe defuisse, qui in Æthiopia imperarent. Hanc opinionem ego apud Europæos ab Aethiopibus autumo natam. Et post alia: *Etverò quod de Abassinorum Imperatorum narratur genere ab Salomone per Melilechum deriuato, rectè, vt opinor, docti & graues auctores docent, fabellam esse ineptissimam, neque creditu, neque auditu dignam. Non sum nescius, sic apud incolas narrari, quod in illa quam dixi Epistola Fernandius scribit. Sed ea Lusitanorum culpa fuit, quod illam ab ipsis acceptam Abassinis facilè crediderint, litterisque mandarint. Qui refutatam volet, eos legat, qui de Salomonis rebus non ita pridem scripsere. Nobis hic otium non est. Certè ex priscis Scriptoribus, qui de Salomone, & Regina Sabæ tam multa tradiderunt, ne vnus quidem est, qui hac de re verbum fecerit, non Scriptores sacri, non Rabbini, non Iosephus Iudaïcarum rerum auidissimus amplificator, non denique vllus alius, cui haberi fides queat.* Hactenus Godinus: qui satis diserte ex fidelia Pinedæ suum parietem dealbauit.

Iam de proprio nomine Reginæ Saba pauca inseramus. Iosephus lib. 8. Antiquitatum, cap. 2. vti initio huius capitis dicebamus, ex Herodoto Nicaulem appellat: at Herodotus eam quam Iosephus vult, non Nicaulem, sed Nitrocrim vocat, nisi in alterutro Scriptore mendum insit. Equidem eo potiùs in Iosepho mendum irrepsisse putauerim, & pro Nicaule, restituendam Nitocrim, quod Dio Cassius Herodoto consentiens lib. 62. Rerum Romanarum, Nitocrim, quoque nuncupet: *Non baiulis Aegyptiis imperans, vt Nitocris.* Sed ex Iosepho Nicaulam eam nominant Petrus Comestor in Historia Scholastica 3. Regum, cap. 26. Philippus Bergomensis lib. 4. Supplementi Chronicorum, Ioannes Benedictus in Notis ad 3. Regum, 10. Ioannes Gagnæius in Lucæ 11. ad versic. 31. alij verò Makedam dicunt, vti Goës, Barrius, Ortelius, Reineccius, Mercator, & alij. Marianus Victorius, & Genebrardus binominem fuisse indicant, Makedam, & Nicaulam, vtroque nomine vocitatam. Vide Pinedam de Rebus Salomonis, lib. 5. cap. 14. §. 1. Schindlerus in Pentaglotto, in voce Seba refert fragmentum Hebraicæ Geographiæ istiusmodi: *Regio Saba ex illa Baclis vxor Salomonis, filij Dauid.* Nicolaam vocat Rabbinus Salmanticensis, apud Drusium in Matthæi 10. versic. 42. Illud de Regina Saba singulare prætermittere hîc non possumus, quod Michaël Glycas in Annalibus sin hanc sententiam refert: *Inter alia quibus Salomonem tentauit, etiam huiusmodi quiddam excogitauit. Formosos aliquot pueros, tam mares, quàm femellas, vniusmodi vestitu, & eadem tonsura cùm exornasset, Salomoni eos exhibuit, vtriúsque sexus discrimen in his vt indicaret, postulans. Tum ille iussit pueris facies suas abluere, naturam in vtrisque suam deprehendit: cùm mares quidem viriliter vultus suos fricarent, fœminæ verò molliter, ac delicatè.* Eadem prorsus habet Cedrenus in Annalibus.

Nec sanè mirum fœminam hanc Sabæ Reginam in Æthiopia imperitasse, cùm constet in more apud Æthiopes positum, vt feminæ apud illos rerum potirentur. Equidem tres Candaces Æthiopum reginas ex auctoribus annotare possumus. Primam sub Augusto, cum qua bella gesserit Petronius Ægypti Præfectus, de qua Strabo lib. 17. pag. 564. *Ex iis erant etiam duces Reginæ Candaces, quæ per nostra tempora Aethiopibus imperauit, virilis sanè mulier, altero oculo capta.* Dio lib. 54. in Rebus Augusti, pag. 524. *Hoc ipso ferè tempore Aethiopes, qui supra Aegyptum habitant, ductrice Candace regina, vsque ad vrbem Elephantinam populando obuia quæque progressi sunt, &c.*

Secundam sub Tiberio, de qua sanctus Lucas Actor. 8. vers. 27. *Et ecce vir Aethiops, potens Candacis reginæ Aethiopum, qui erat super omnes gazas eius.* Et Eusebius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 1. *Præfectus quidam Reginæ, quæ Aethiopum potiebatur Imperio, (adhuc enim, vt patrius mos fert, gens illa à muliere gubernabatur) diuina Prouidentia ex illa regione Ierosolymam vsque deductus est, Deum ibi piè sanctéque veneraturus.* Eadem omnino Nicephorus libro 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 6. Hanc secundam Candacem cum priori confundunt plerique, vnámque, & eandem esse existimant, vti Barrius Decade 3. libro 4. cap. 2. Et nos etiam aliquando putauimus: at distinguunt Isaacus Casaubonus in Notis ad Strabonis libr. 17. & Reinerus Reineccius in 1. parte Heroïci Syntagmatis, in 21. Regno Æthiopum, pagina 287. Et sanè tempora videntur eas separare: nam bella Petronij cum Candace sub Augusto gesta sunt, M. Marcello 11. & L. Arruntio Coss. Vrbis conditæ 731. Eunuchus autem Candacis Actor. 8. v. 27. venit Ierosolymam Sulpitio Galba, & Cornelio Sulla Consulibus Vrbis Conditæ 795. Quod est interuallum sexaginta quatuor annorum.

Tertiam sub Nerone, de qua Plinius lib. 6. cap.

cap. 29. *Neronis exploratores renunciauere, Meroë regnare fœminam Candacem quod nomen multis iam annis ad reginas tranſiit.* Atqui de his Sabæis Æthiopibus putamus cecinisse Claudianum in Eutropium:

——*Leuibúſque Sabæis*

Imperat hic ſexus.— Nempe femineus. Nam de Arabibus nihil eiuſmodi proditur. Ex quibus omnibus liquet, & illum apud Æthiopes viguiſſe morem, vt fœminarum regerentur imperio: & tres illas Candaces veriſimile eſſe ex ſucceſſione Reginæ Sabæ propagatas: præſertim illam ſecundam, quam lib. 4. cap. 13. diximus, prædicatione Eunuchi à Philippo Diacono baptiſati, cum tota gente ad Fidem Chriſti acceſſiſſe: de qua Candace vide quæ Franciſcus Aluarez refert in Hiſtoria Æthiopica, cap. 27. quam ait ſedem Imperij in Achaxumo, ſeu Auxumo habuiſſe. Ceterùm Reginam Saba ex Æthiopia ad Salomonem veniſſe, & illa quoque confirmant quæ ad regem attuliſſe Scriptura commemorat 3. Regum, 10. nempe, aurum infinitum nimis, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſas. De auro Æthiopiæ Herodotus lib. 3. num. 114. *Aethiopia terrarum habitatarum vltima: hæc auri multum fert.* Et num. 23. de Rege Æthiopiæ, qui Cambyſis legatos ad inuiſendos Æthiopum carceres duxit: *Deinde Rex iſtos ad carcerem deduxit, vbi viri omnes aureis vinculis erant alligati.*

Diodorus Siculus lib. 3. num. 105. *In confiniis Aegypti, vicineque Arabiæ, & Aethiopiæ, locus quidam magnis aurifodinis abundat.* De his aurifodinis plura Agatharchides Gnidius lib. 5. de Mari Rubro, cap. 11. apud Photium in Bibliotheca. Pomponius Mela lib. 3. cap. 10. *Apud Aethiopes plus auri, quàm Perſis eſt, ideò quod minus eſt pretioſius cenſent. Ære exornantur, auro vincula fontium fabricant.*

Solinus cap. 33. *Macrobij Aethiopes ornantur ære, auro vincula faciunt noxiorum.* Plutarchus in Erotico: *Alioqui præſtat aureis compedibus ligatum manere, quod fit in Aethiopia, quam diuitiis vxoriis.* Dio Chryſoſtomus oratione de Diuitiis, 79. *Si prodeſſet poſſidere aurum, nihil prohibuiſſet Aethiopes ſupra nos habitantes, beatiſſimos videri, vbi aurum abiectius eſt, quàm apud nos plumbum: ferúntque ſceleratos craſſis vinciri compedibus.* Heliodorus lib. 8. Æthiopicorum, cap. 24. de Theagene, & Chariclea vinctis: *Vt vincula permutarentur, & aurea illis iniicerentur. In quem enim vſum apud alios ferrum, in eum apud Aethiopes aurum deſtinatur.* Tertullianus de Habitu muliebri, cap. 7. *Semper abundantia contumelioſa in ſemetipſa eſt. Apud Barbaros quoſdam, quia vernaculum eſt aurum & copioſum, auro vinctos in ergaſtulis habent.* Et de Cultu fœminarum, cap. 10. *Quamquam & aurum ipſum cuius vos gloria occupat, cuidam genti ad vincla ſeruire referunt Gentilium litteræ.*

De Æthiopiæ aromatibus, ſeu odoribus Strabo lib. 16. ex Artemidoro deſcribens oram Æthiopicam Sinus Arabici, pag. 531. de Ichthyophagis, id eſt, Piſciuoris, ait: *Apud quoſdam plurimus ſtyrax naſcitur.* Et pag. 532. *Poſt Diram deinceps eſt regio aromatifera, & prima eius, quæ myrrham fert.* Et paulò inferiùs: *Poſt hos eſt regio thurifera. In Mediterranea eſt regio quædam fluuialis, quæ Iſidis dicitur, & alia quædam Nilus: ambæ myrrham, & thuriferas arbores habent. Sequitur regio pſeudoraſiam fert. Deinceps plures amnes ſequuntur in quorum ora thus naſcitur: hinc fluuius vſque ad regionem quæ cinnamomum fert. Poſteà eſt aliud flumen, & Daphnus portus, & fluuialis regio quæ Appollinis dicitur, & thus habet, & myrrham, & cinnamomum, quod plurimum in locis de preſſioribus viget.* Et pag. 535. de Sabæis: *Plebis pars agros colit, pars aromata mercatur, & indigena, & Aethiopica.* Troglodytidis myrrhæ meminit Plinius lib. 6. cap. 29. Solinus cap. 33. *Aethiopes legunt cinnamomum.* Philoſtratus de Vita Apollinij lib. 6. cap. 1. de India, & Æthiopia ait: *Terrarum verò ſimilitudinem teſtantur aromata vtrobique naſcentia.* Et inferiùs: *Cùm ad loca veniſſet Apollonius vbi Aegyptus, Aethiopiáque terminatur, aurum non ſignatum inuenit, vnguentum inſuper, & diuerſorum generum aromata, omnia autem incuſtodita iacebant in via.* Nam etſi Herodotus lib. 3. num. 107. ſcribat: *Arabia, in qua ſola omnium, naſcuntur thus, myrrha, caſia, Cinnamomum, & Ledanum.* Et Plinius lib. 12. cap. 12. *Thura præter Arabiam nullis.* De copia & vniuerſitate forſan intelligunt: alioqui hæc & in India, & in Syria etiam naſci Theophraſtus affirmat lib. 4. de Hiſtoria plantarum, cap. 5. & omnes norunt.

De lapidibus pretioſis Æthiopiæ, Iob 28. 19. celebrauit topazion; is enim pretioſiſſimus inuenitur in inſula Sinus Arabici verſus Æthiopiam, quæ à Lapide Topazos eſt dicta, de quo vide Agatharchidem lib. 5. de Mari Rubro, cap. 42. apud Photium, Diodorum Siculum lib. 3. num. 121. Strabonem lib. 16. pag. 529. Plinium lib. 6. cap. 29. & lib. 37. cap. 8. Strabo lib. 17. pag. 565. de Æthiopia: *Sunt in ea arariæ, ferrariæ, & auratiæ fodinæ, & pretioſorum lapidum genera.* De Smaragdis Æthiopiæ, Plinius lib. 37. cap. 5. de Smaragdifodinis Æthiopiæ, Heliodorus lib. 2. cap. 6. & lib. 8. cap. 21. de Carbunculis Æthiopicis, Plinius lib. 37. cap. 7. & cap. 9. inquit: *Hyacinthos Aethiopia mittit, & Chryſolithos aureo colore tranſlucentes.* Atque de Hyacinthis Æthiopiæ, etiam Solinus, cap. 33. Plinius lib. 37. cap. 4. *Veteres adamantem in Aethiopum tantùm metallis inueniri exiſtimauere, inter delubrum Mercurij, atque inſulam Meroen.* Et cap. 10. *Chryſolampis in Aethiopia naſcitur, pallidi coloris die, noctu ignei.* Et poſteà: *Heliotropium naſcitur in Æthiopia, Africa, Cypro, porracei coloris, ſanguineis venis diſtincta. Cauſa nominis, quoniam deiecta in vas aquæ, fulgorem ſolis accedentem percuſſo ſanguineo mutat, maximè Æthiopica.* Et inferiùs: *Hammonis cornu inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas, aureo colore, arietini cornu effigiem reddens, promittitur prædiuina ſomna repræſentare.* Et paulò pòſt: *Hæmathites in Æthiopia quidem principalis, ſanguineo colore, non omittenda promiſſis ad coarguendas Barbarorum inſidias.* Et poſt alia: *Inueniuntur & gemmæ eodem Obſidiani nomine in Æthiopia.* Ac infrà: *Siderites ferro ſimilis, litigio illata diſcordias facit: quæque naſcitur in Aethiopia Sideropœcilos ex ea fit variantibus guttis.* De Draconite Lapide Æthiopico, Solinus cap. 33. & Plinius eodem cap. 10.

Lapidum pretioſorum Æthiopicorum meminit Heliodorus lib. 8. Æthiopicarum narrationum, cap. 20. & lib. 2. cap. 6. de Æthiopiæ gemmis, inquit: *Oſtendebat lapides pretioſos quoſdam admirabiles. Margaritæ enim inter illos erant, nucis paruæ magnitudine, exacta rotunditate ſuis partibus*

partibus omnibus in modum circuli absolutæ, & candore maximè splendentes smaragdique, & hyacinthi illi quidem veluti verna seges virentes, quadam lubricitate tanquam olei resplendentes: hi verò imitabantur colorem marini littoris, sub arduo scopulo paululum erecti, & subiecta omnia purpureo colore tingentis: denique mixtus erat omnium, variúsque fulgor, oculo delectans, atque recreans.

Ergo si Regina Saba ex Æthiopia venit, cur nomen eius in Scriptura sacra Hebraicè per Scin dextrum scribitur, cùm Saba per Scin, dixerimus esse Arabiam Sabæam, seu Felicem: Saba verò per Samech, Æthiopiam? Responsio est facilis: id factum & propter litterarum vtriusque nominis similem sonum, & propter locorum viciniam: nam vt vocabula vna tantùm, similisque littera distinguit: ita & regiones ipsas angustissimum dumtaxat fretum discludit Maris Erythræi: siquidem inter Felicem, seu Sabæam Arabiam, & Æthiopiam non interiacent nisi strictæ fauces Sinus Arabici, de quibus diximus superiùs, cap. 18. Sed illa ratio magis arridet, idcirco Reginam Æthiopicæ Sabæ, cum Scin dextro, quo Arabia significatur, describi, quod nimirum Regina Saba tunc nedum Æthiopiæ, sed etiam proximæ Arabiæ Sabææ, seu Felici prope Mare Rubrum, longè latéque imperitaret. Et quamuis sedem regni in Auxuma, seu in Meroë habuisset; tamen ex Æthiopia transmissis angustis faucibus Sinus Arabici, per Arabiam Sabæam, seu Felicem, vt inde maiorem vim auri, ac gemmarum, sed aromatum præsertim comportaret, iter Ierosolymam fecisse. Quòd si asseramus, vt est cum primis verisimile, iam illud quoque vtrumque verè dici poterit, Reginam Saba, in Æthiopia, & in Arabia regnantem, ex Æthiopia, & ex Arabia etiam ad Salomonem venisse: nempe ex suo vtroque regno, mouisse ex Regia Æthiopiæ, ac per Arabiam profectam.

Et ne quis hanc futilem coniecturam existimet, Reginam Saba in Æthiopia, & Arabia regnasse; sciat, aliquando reges Æthiopiæ, rerum in Arabia Felici potitos, quæ dicta est Homeritis: nam Sanctus Elesbaan Rex Æthiopiæ, totam regionem Homeritidem, id est, Arabiam Felicem, seu Sabæam, quam impiissimus Dunaan truculentus Christianorum hostis ditione tenebat, tyranno interfecto, feliciter diuina ope, armis cepit, atque occupauit, sub Iustino Seniore, vti Acta SS. Martyrum Arabum, Aretæ, & Sociorum, apud Metaphrastem 24. Octobris, optima fide conscripta testantur, & scribit Nicephorus lib. 17. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 6. Deinde anno XVI. Iustiniani, Adad rex Auxumitensium Æthiopum Damianum regem Homeritarum vicit, totámque eius regionem, & regna in potestatem redegit, vti Paulus Diaconus lib. 16. Miscellæ, cap. 22. Nicephorus lib. 17. cap. 32. & alij sunt auctores. Ad hæc, Iustini Iunioris anno VII. Arethas rex Aethiopum in Homeritide etiam regnabat, vti ex Paulo Diacono lib. 16. Miscellæ, cap. 30. Cedreno, Zonara in Annalibus constat.

Illud nescimus vnde acceperit Reineccius, de Saba regia vnde profecta fuit Regina illa, vsque Ierosolymam, iter fuisse ducentorum quadraginta milliarium. Videant nunc eruditi Geographi Auxumum, aut Meroë quantum ab Ierosolymis distent. De regina Saba nonnulla ex Rabbinis excerpsit Drusius in Matth. 10. ad vers. 42. Iam vt totam nostram de Saba disputationem contrahamus, facilè credimus Sabæos, quos Noster Ezechiel 38. vers. 13. vaticinatur, vel milites, vel negotiatores futuros in exercitibus Antichristi, non alios intelligi, quàm Sabæos Arabiæ Felicis: nam & cum Scin dextro scribuntur, & cum Dedan regione Arabica, vtpotè vicina, & confini coniunguntur: de qua iam dicamus.

Dedan.

De Dedan hæc habet Eusebius, seu sanctus Hieronymus de Locis Hebraicis: *Dedan in regione Cedar, de qua scribit Ieremias.* Et paulò pòst: *Dedan in regione Idumææ, super qua scribit Ieremias. Est autem in quarto milliario à Metallofeno, contra Aquilonem.* De Metallofeno, seu Metallopheno, idem sanctus Hieronymus in eisdem Locis Hebraicis: *Fenon,* פוּנוֹן *Phunon, castra filiorum Israël in deserto: Fuit autem quondam ciuitas principum Edom, nunc viculus in deserto: vbi æris metalla, damnatorum suppliciis effodiuntur, inter ciuitatem Petram, & Zoaram, de quo & suprà diximus.* Eusebius Histor. Ecclesiast. lib. 8. cap. 17. *Reliquos Christi confessores omnes ad æris metalla, quæ erant in Phæno Palæstinæ condemnat.* Sanctus Athanasius epistola ad solitariam vitam agentes: *Rapuerunt Euthychium Subdiaconum, virum probè Ecclesiæ inseruientem, quem primùm scuticis vsque ad mortem curauerunt verberari, deinde ita moribundum in metallum mitti, & non quouis metallum, sed in id quod Phæno appellatur, in quod homicida condemnatus, non nisi ad pauciſſimos dies supereſſe poteſt.* Metalli Phanensis in Palæstina meminere Martyrologia Romanum, S. Bedæ, S. Adonis, Vsuardi, Notkeri, 4. Maij. Phunon, fuit trigesima sexta mansio filiorum Israël in deserto, Numeror. 33. vers. 42. Sic dicta forsan à stupore, & consternatione, qua afficiuntur ij qui in metallariis degunt, quibus membra stupent, ac torpescunt, & citò moriuntur.

Sed & de Dedan idem sanctus Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis in Genesim, ad cap. 10. *Dedan gens Æthiopiæ in Occidentali plaga.* Eadem ad verbum sanctus Eucherius in Genes. 10. & sanctus Isidorus lib. 9. Originum, cap. 2. Non dubito sanctum Hieronymum deprauata Iosephi exemplaria secutum, Dedan tribuisse, quod Iosephus reuera in bonis libris de Saba tradiderat. Vide quæ notauimus cap. 27. extremo: neque enim opus nunc est confugere ad Æthiopiam Arabicam, cùm locus Iosephi, & is ex eo sancti Hieronymi proculdubio sint in damno. Montanus in Phaleg: *Dedan Palmyrina regio Ptolemæo, in qua Alsadamus, vel Aldadanus mons.* Id sequuntur Ortelius, Posseuinus, Delrius, Torniellus. De Palmyra & Palmyrena regione Plinius lib. 5. cap. 24. & 25. Ptolemæus lib. 5. cap. 15. Appianus lib. 5. Bellorum ciuilium, pag. 676. Huius regionis princeps fuit Odenatus maritus inclytæ Zenobiæ Palmyrenorum reginæ, de quibus multa apud Trebellium Pollionem in Odenato, Flauium Vopiscum in Aureliano, Zosimum lib. 1. Procopium lib. 2. de Bello Persico, cap. 5. Agathiam lib. 4. cap. 11. Palmyrenam regionem inter Syriam, & Arabiam describit Ptolemæus in quarta Asiæ Tabula. Noster Interpres quod 3. Regum, 9. 18. & 2. Paralipomen. 8. 4. Hebraicè est *Thadmor*, ipse Palmyram exponit. De qua S. Hieronymus

ronymus in Ezechielis 47. ad vers. 19. *Thamar quæ vrbs in solitudine est, quam & Salomon miris operibus extruxit, & hodie Palmyra nuncupatur: Hebræóque sermone Thamar dicitur, quæ in lingua nostra palmam sonat.* Sed de eadem vrbe accuratè Iosephus lib. 8. cap. 2. hæc scribit: *Ingressus deinde Salomon in desertum, quod est super Syriam, eiúsque regionis potitus, vrbem ibi maximam condidit, duorum dierum itinere à superiore Syria distantem, ab Euphrate verò vnius, ad magnam autem Babylonem inde sex dierum via protendebatur. Quare autem à reliquis cultæ Syriæ partibus hæc vrbs tam procul habitetur, causa est hæc, quod Mediterranea per desertum petentibus, ibi demum fontes, ac putei reperiuntur. Hac igitur vrbe exstructa & mœnibus validissimis cincta, Thadamoram eam appellauit, quo nomine etiam nunc à Syris vocitatur. Græci Palmyram nominant.*

At regionem Dedan certius ex Scriptura eruemus: esse quidem in Arabia constat ex Isaïæ 21. 13. *Onus in Arabia. In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim.* Esse Dedaneos proximos Cedarenis, idem Isaïas ibidem affirmat, vers. 16. & 17. *Et auferetur omnis gloria Cedar.* Esse vrbem, vel partem prouinciæ Idumææ, Ieremias ait c. 49. 7. *Ad idumæam. Hæc dicit Dominus exercituum: Numquid non vltra est sapientia in Theman? Descendite in voraginem habitatores Dedan, quoniam perditionem Esaú adduxi super eum.* Idem etiam colligitur ex Ezechiel. 25. 13. Et quidem esse vicinam Theman, & Buz patriæ Elihu amici Iob, quas constat Arabiæ partes esse, idem Ieremias edicit 25. 23. *Et Dedan, & Thema, & Buz, & vniuersis, qui attonsi sunt in comam: & cunctis regibus Arabiæ.* In quem locum sanctus Hieronymus: *Hægentes in solitudine sunt vicinæ & mixtæ regionibus Ismaëlitarum, quos nunc Saracenos vocant.* Sed quod Ieremias eo loco, & cap. 9. 26. & cap. 49. 32. de Arabibus attonsis in comam ait, illustratur ex iis quæ Herodotus lib. 3. num. 8. de Arabibus scribit: *Eodémque modo quo tonsus est Dionysus, tonderi se aiunt. Tondentur autem in orbem, leuiter rasis circumquáque temporibus.* Plinius lib. 6. cap. 28. *Arabes mitrati degunt, aut intonso crine, barba abraditur præterquam in superiori labro. Aliis & hæc intonsa.* Solinus cap. 56. *Plurimis crines intonsi, mitrata capita, redimitu pari, pars rasa in cutem barba.*

Videntur quoque Dedanim Ammonitis, & Moabitis proximi, quibus in vaticiniis Ieremiæ sociantur. Sic igitur haud obscurè compertum habemus, Dedan regionem esse Arabiæ Desertæ, Ammonitis, Moabitis, Ismaëlitis, Cedarenis, seu Agarenis vicinam, & confinem, atque in Idumæa, seu propè Idumæam positam. Vide Adrichomium in Tabula Deserti Pharan. Theodoretus in 38. Ezechielis, ad vers. 13. *Dedan autem est Idumææ finitima.* In eandem sententiam eunt ferè omnes, Strabus, Vatablus, Clarius, Pintus, Maldonatus, in 27. Ezechielis, ad vers. 15. & 20. Forerius in 21. Isaiæ, ad vers. 13. Capella in 25. Ieremiæ, ad vers. 23. Pererius in Genes. 10. ad vers. 7. Adrichomius in Pharan, num. 33. Marinus in Arca Noë, Castrus in Ieremiæ 49. ad vers. 7. & alij passim. Franciscus Iunius, & Tremellius Emanuel in 10. Genes. ad vers. 7. *Dedan, superior tractus Arabiæ Felicis, Ezechiel. 27. 15. & 38. 13. propinquus Regmæ.* Duo insignes viri eodem Dedan nomine vocati in diuinis Litteris reperiuntur: alter Genes. 10. 7. nepos Chus, & frater Saba: alter verò Genes. 25. 3. nepos Abrahæ, & frater Saba. Ab alterutro Dedan, aut ab vtroque regionem Arabiæ Dedan sumpsisse nomen, non est dubium. Satis enim constat eos Abrahami nepotes cum aliis eiusdem filiis ex Cetura susceptis, deductis coloniis, occupasse Troglodyticam regionem, & Arabiæ Felicis quidquid ad Rubrum mare pertinet, vti Iosephus 1. Antiquit. cap. 15. sanctus Hieronymus Quæstionibus Hebraïcis in Genesim, ad cap. 25. perscribunt.

Ezechiel. 27. 15. quod Hebraïcè, & in Nostro est, *Filij de Dan.* LXX. Interpretes reddiderunt, *Filij Rhodiorum*, quos secuti sunt Theodoretus, Polychronius, & alij Græci. Sed prudenter ibi sanctus Hieronymus monuit: *Nescio quid volentes LXX. filios Rhodiorum interpretati sunt: nisi fortè primæ litteræ falsi similitudine, vt pro* דדן *Dedan legerint* רדן *Redan.* Villalpandus qui patrocinium hîc LXX. suscepit, frustra omninò est, cùm longè aliud sit Dedan, quàm Dodanim, id est Rhodij.

Quid sit in Scriptura sacra Tharsis.

CAP. XXIX.

FAmosæ vocis vim, & vsurpationem in sacris Litteris validè controuersam cum cura disquiramus. Fuit Tharsis nepos Iapheti ex filio Iauan, Genes. 10. 4. & 1. Paralipom. 1. 7. De quo Iosephus 1. Antiquitat. cap. 7. *Pari modo Tharsensibus Tharsus, vt originem, ita nomen dedit. Sic enim olim appellabatur Cilicia: cuius rei signum est Tarsus vrbium eius celeberrima, ceterarúmque princeps, prima nominis littera in Thau mutata.* Sanctus Hieronymus Quæstionibus Hebraïcis in Genes. ad cap. 10. *Tharsis Iosephus Cilicas interpretatur, & aspirationis litteram vitiosè à posteris in τ dicens fuisse corruptam: vnde & Metropolis eorum ciuitas Tarsus appellatur Paulo Apostolo glorioſa.* Ex his sancti Hieronymi verbis liquet, Iosephum dixisse, cùm à Tharsis cum Theta θ dicendum esset Tharsus, Græcos elisa aspiratione, simplici Tau τ, scribere & pronuntiare Tarsus. Vnde videtur interpres Gelenius subobscurè reddidisse Græca Iosephi, quæ ad verbum habent: *Tarsus enim apud ipsos, quæ vrbium celeberrima est, vocatur, Metropolis existens, Tau litteram ad appellationes ipsis pro Theta littera mutantibus.* Zonaras 1. Annali: *Tharseus princeps extitit Tharsensium: sic enim olim Cilices vocabantur: vnde præcipua vrbs eorum Tarsus dicitur, facta vnius litteræ θ nempe in τ mutatione. Sic enim Iosephus de Tarso scribit.*

Ergo Tharsis esse Tarsum Ciliciæ, seu ipsam Ciliciam docent quoque sanctus Isidorus 9. Originum, cap. 2. Rudericus Toletanus lib. 1. de Rebus Hispaniæ, cap. 2. Strabus, Anselmus Laudunensis, Lyranus, Honcala, Oleastrius, Lippomanus, Sà, Pererius, Delrius, Cornelius à Lapide, Iunius & Tremellius in 10. Genes. ad vers. 4. Forsterus, Mercerus, Marinus, Schindlerus in Lexicis Hebraïcis, Vatablus in Psalm. 47. ad vers. 8. & in Psalm. 71. ad vers. 10. Isidorus Clarius in 27. Ezechielis, Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 31. & in Psalm. 47. ad vers. 7. Ianseníus & Bochius in eundem Psalm. Galesinius in Notis ad Sacram Historiam Seueri, Forerius in Isaïæ 23. ad vers. 10. Villalpandus in 27. Ezechiel. ad vers. 12. Torniellus anno mundi 1931. num. 22. Capella & Castrus in Ierem. 10. ad vers. 9. Ortelius in The-

sauro

ſauro Geographico, Lorinus in Actorum 9. ad verſ. 11. Beroaldus lib. 4. Chronici, Oſorius in Paraphraſi Pſal. 47. verſ. 8. & Pſal. 71. verſ. 10.

Franciſcus Ribera in 1. Ionæ, num. 9. exiſtimat, Tharſis nuncupatione in Scriptura includi totum illum terrarum tractum, qui ſupra mare Mediterraneum à Sinu Iſſico ad Tyrum & Sidonem verſus Occidentem, deinde verſus Occidentem & Septentrionem reflectitur ad extremos vtriuſque Ciliciæ fines, vſque ad Pontum Euxinum, in ingentis peninſulæ formam, quæ olim Aſia minor, nunc Notolia, ſeu Turcia vocitatur: totúmque mare alluens omnia iſtius Peninſulæ littora, à Sinu Iſſico ad Euxinum Pontum appellari in ſacris Libris Tharſis, ſeu Tharſicum. Sententiæ ſuæ haſce coniecturas affert. Primò, Quia Solinus eſt auctor, Ciliciam, quam diximus eſſe Tharſis, olim ad Ægypti vſque Peluſium pertinuiſſe, ſic enim cap. 41. ait: *Cilicia anteà vſque ad Peluſium Ægypti pertinebat, Lydiis, Medis, Armeniis, Pamphylia Cappadocia, ſub imperio Cilicum conſtituit is. Mox ab Aſſyriis ſubacta, in breuiorem modum ſcripta eſt.* Secundò, quia Iudith, 2. 12. ſcribitur de Holoferne: *Cúmque pertranſiſſet fines Aſſyriorum, venit ad magnos mentes Ange, qui ſunt à ſiniſtro Ciliciæ, aſcenditque omnia caſtella eorum, & obtinuit omnem munitionem. Effregit autem ciuitatem opinatiſſimam Melothi, prædauitque omnes filios Tharſis, & filios Iſmaël, qui erant contra faciem deſerti, & ad auſtrum terræ Cellon.* Montes Ange Ribera putat Argæum montem, Iunius, Taurum, Serarius Taurum, & Antitaurum: ergo cùm iis coniungantur filij Tarſis, & etiam Iſmaëlitis in Arabia, videtur Tharſis longe latéque patuiſſe. Hæc nobis non magnopere probantur: nam etſi Cilicia olim latè funderetur, at Tharſis non niſi propriam Ciliciam in qua Tarſus eſt, ſignificare videtur: cùm alias regiones quas arbitratur Ribera nomine Tharſis etiam comprehendi ſuis propriis, ac diuerſis nominibus Scriptura deſignet. Iam quid ſit Tharſis in libro Iudith, non erit difficile admodum eruere. Primùm Græca exemplaria, & Latina Romana LXX. Interpretum, iuſſu Xyſti V. edita, non Tharſis, ſed *Raſis* habent: Complutenſia verò, ac Regia, & Roberti Stephani, *Raſes*. Diuinat Seratius eſſe aliquam Syriæ partem vnde fuit Raſin ille, 4. Regum, 16. 5. Nugæ. Eſt hîc Tharſis proculdubio Tarſus Ciliciæ, vt etiam annotauit Iunius: coniungitur enim cum celebri vrbe Melothi, quam eſſe Mallum inſignem vrbem Ciliciæ, propè Tarſum, qui non videt, nihil profectò videt. 2. Machabæorum 4. 30. *Contigit Tharſenſes, & Mallotas ſeditionem mouere, eo quod Antiochidi regis concubinæ dono eſſent dati. Feſtinanter itaque rex* Antiochus *venit ſedare illos,* Et verſ. 36. *Sed regreſſum regem de Ciliciæ locis, &c.* De Mallo Ciliciæ ciuitate maritima plura Strabo lib. 14. pag. 464. 465. Plinius lib. 5. cap. 27. Mela lib. 1. cap. 13., Solinus cap. 14. Arrianus lib. 2. Rerum Alexandri Magni, Dionyſius in Periegeſi, Ptolemæus lib. 5. cap. 8. Hinc diſces, quàm parum ſolida ſint, quæ de Tharſis Iudith diſſerit Pineda lib. 4. de Salomone, cap. 15. §. 6.

Pererius in Geneſ. 10. ad verſ. 4. arbitratur, vocabulum Tharſis primò ſignificaſſe Ciliciam, & mare Cilicium, prætentum Phœniciæ & Syriæ: indéque traductum ad ſignificandum omne mare Mediterraneum: & omnia loca eius maritima, ac imprimis Carthaginem, quæ quòdam mari potens fuit. Ab hac ſententia non multùm abludit Caſtrus in 10. Ieremiæ, num. 19. Sed quod ad terras attinet, eſt planè nimis extendere Tharſis, nimirum ſi indicet omnes oras maris Mediterranei.

Acoſta lib. 1. de natura Noui Orbis, cap. 14. ſuſpicatur Tharſis in Diuinis Litteris ſæpiùs non certum aliquem definitúmque locum ſonare: ſed generale potiùs eſſe vocabulum, idémque efficere apud Hebræos quod apud nos vulgò Indiarum vocem: nempe regionem remotiſſimam opulentam, auro, argento, aliis rebus pretioſiſſimis fertilem: id enim nos Hiſpani Indiam vocare ſolemus. Verùm hoc eſt pro libito ſignificatum Tharſis conſtruere.

Sanctus Hieronymus in Locis Hebraïcis: *Tharſis vnde aurum afferebatur Salomoni. Hanc putat Ioſephus Tarſum vrbem eſſe Ciliciæ. Porrò iuxta Ezechielem Prophetam Cartago ſentitur: ſiquidem in eo loco, vbi ſecũdum ſeptuaginta Interpretes legimus Carthaginem, in Hebræo habemus Tharſis ſcriptum. Nonnulli Indiam putauerunt: & de hoc tam in libro Epiſtolarum, quas ad Marcellam ſcripſimus, quàm in libro Hebraicarum Quæſtionum pleniùs diximus.* Et Epiſtola 133. ad Marcellam: *Quæris, ſi Tharſis lapis chryſolithus ſit, aut hyacinthus, vt diuerſi Interpretes volunt, ad cuius colorem Dei ſpecies ſcribatur: quare Ionas Propheta Tharſis ire velle dicatur: & Salomon & Ioſaphath in Regnorum libris naues habuerint, quæ de Tharſis ſolitæ ſint exercere commercia? Ad quod facilis eſt reſponſio, homonymum eſſe vocabulum, quo & Indiæ regio ita appelletur: & ipſum mare, quia cæruleum ſit, & ſæpè Solis radiis percuſſum, colorem ſupradictorum lapidum trahat, & à colore nomen acceperit. Licet Ioſephus τ, pro θ, littera mutata, Græcos putet Tarſum appellare pro Tharſis.* Et in 2. Iſaiæ, ad verſ. 16. *Ioſephus Tharſis vrbem Ciliciæ Tharſum arbitratur: alij regionem putant Indiæ: & hoc nomine etiam de duodecim gemmis lapidem appellari, qui apud nos vocatur chryſolithus, ob marini coloris ſimilitudinem. Melius autem eſt, Tharſis vel mare, vel pelagus abſolutè accipere. Neque enim Ionas de Ioppe nauigans, ad Indiam poterat peruenire, ad quam illo mari non poteſt nauigari: ſed ſimpliciter ire in pelagus, & ad quaſcumque inſulas pergere.* Et in 66. Iſaiæ, ad verſ. 19. *Tharſis lingua Hebræa, mare appellatur; & vt aiunt, Indiæ regio eſt: licèt Ioſephus littera commutata, Tarſum putet nuncupari pro Tharſis, vrbem Ciliciæ, ad quam Ionas de Ioppe fugiens ire cupiebat.* Et in Ieremiæ 10. ad verſ. 9. *Tharſis vel regio Indiæ eſt, vt vult Ioſephus: vel certè omne pelagus Tharſis appellatur, & cæli habet ſimilitudinem.* Nunquam voluit Ioſephus Tharſis regionem Indiæ eſſe: ſed, vel eſt lapſus memoriæ, vel locus deprauatus, vti §. 3. notabimus. Quod autem Tharſis in Scriptura alicubi ſit quædam Indiæ regio, idem ſanctus Hieronymus in 1. Ionæ, ad verſ. 3. ita teſtatur: *Quantum verò in Paralipomenon libris intelligi datur, quidam locus Indiæ ſic* (Tharſis) *vocatur.* Sanctus Cyrillus in eundem Ionæ locum: *Quidam hoc nomine Tharſis vrbem ſignificari putant apud Aethiopas & Indos: & conſtat apud eos eſſe Tharſis.* Theodoretus in 3. Regum, quæſt. 35. *Quænam ciuitas ſit Tharſis? Hîc quandam Indicam ſignificauit regionem. Qui autem interpretati ſunt Ezechielem, ſic appellarunt Carthaginem, quæ præeſt Libyæ.* Et in 1. Ionæ, ad verſ. 3. *Tharſis, quidam Indiam ita nuncupatam exiſtimant.* Theophylactus in eundem locum Ionæ. *Alij regionem quandam Indiæ Tharſis appellari tradunt: ex Tharſis enim Salomonem quoque pretioſos lapides, dentes eburneos, vnà cum ſimiis mercatum.*

Hæ autem aliunde quàm ex India non perferuntur, biennio spatio: tanto enim tempore nauis Salomonis in libro Regnorum redire dicitur. Euthymius in Psalm.47. ad vers.7. *Sunt qui per Tharsim Carthaginem Libyæ intelligant. Sunt & qui Indiæ regionem eam esse dicant.* S.Isidorus lib.15. Originum, cap. 1. *Quidam etiam locus Indiæ, Tharsis vocatur.* Strabus in 1. Ionæ ad vers. 3. *Tharsis secundum quod in Paralipomenis legitur, locus est Indiæ.* Atque hoc ipsum docent non pauci recentiorum, Tostatus in 2.Paralipom.9. Oleastrius in 10. Genes.Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag.122. Palatius in 1. Ionæ vers.3. Pererius lib.12. in Danielem, Varrerius Commentario de Ophirica regione, Acosta lib.1.de Natura Noui orbis, cap.14. Genebrardus, Agellius & Lorinus in Psalm. 47. ad vers. 8. Bochius in Psalm.71. ad vers.10. Castrus in Ieremiæ 10. numero 10. Barradius in Historia Euangelica, lib.5. cap.11. Acosta lib.1. de Natura Noui orbis, cap.14. Pradus in 1. Ezechielis, ad vers.16. & alij. Augustinus Iustinianus in Octaplo in Notis ad Psalm. 71. vers. 10. *Tharsis, vt aliqui opinantur, Ciliciæ ciuitas, vt alij Cartago, vt alij India, vt alij mare.*

Vatablus existimat Tharsis quibusdam Scripturæ Locis esse Insulam, vel terram ad oceanum Æthiopicum, sub ima Africa, ad Occidentem Terræ sanctæ, sic enim in 3. Regum, 10. 22. numero 48. ait: *Tharsis insula est hoc loco in Oceano ad Occidentem.* Et in 2. Paralipom. 9. 21. numero 37. *Doctus inter Hebræos in libris Regum vertit pro Tharsis Africam. Hoc autem intelligitur non de illa parte Africæ quæ respondet Europæ, & alluitur mari Mediterraneo, sed de illa quæ est versus meridiem alluiturque mari Oceano.* Et in 2.Paralipom.20. 36. num.67. *Tharsis Chaldæus Paraphrastes vertit Africam, intelligens Africam meridionalem.* Et in Isaiæ 2. ad vers. 16. numero 29. *Tharsis siue Tarsis insula aurifera in Oceano ad Occidentem Terræ sanctæ, ad quam nauigare solebant Iudæi auri auferendi causa, vt vides ex 3. Regum 10.* Emanuël Sà in 2. Paralipom.9. 21. *Tharsis, id est, eam partem Africæ, quæ ad Oceanum meridionalem, & nunc Angola dicitur.* Alij, vti refert Pintus in Notis Hebraïcis ad 1. Ezechielis, arbitrati sunt Tharsis esse Arsinoen portum Arabici Sinus in littore Ægyptio seu Æthiopico, vulgo *Suez.*

Satis constat eos qui Tharsis alicubi in Scriptura, regionem, vel terram, seu insulam aliquam Indiæ, aut imæ Africæ esse crediderunt, de hisce tribus Scripturæ locis proculdubio intellexisse: primo, 3. Regum 10. 22. *Classis regis* Salomonis *per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, & argentum & dentes elephantorum, & simias, & pauos.* altero, 2. Paralipom.9. 21. *Naues regis* Salomonis *ibant Tharsis cum seruis Hiram, semel in annis tribus, & deferebant inde aurum & argentum, & ebur, & simias, & pauos.* Tertio 2.Paralipom. 20.36. *Et particeps fuit, vt facerent naues, quæ irent in Tharsis.* At cùm perspicuum sit eas classes non soluisse nisi ex Asiongaber portu Maris rubri, seu Sinus Arabici, inde clarè consequitur, si Tharsis ad quam ibant, terra aliqua aut certa regio est, non potuisse maris Mediterranei esse: sed Oceani, vel Æthiopici, vel Erythræi vel Indici.

Verùm Ribera in 1.Ionæ, num.11. haud prorsus vanis rationibus contendit, Tharsis nullibi in Sacris litteris Indiæ significare regionem, tu ipsum consule. Et Pererium in Genes. 10. vers. 4. Nos propter S.Hieronymi, S.Cyrilli, Theodoreti, & aliorum auctoritatem, nec alienum, nec absurdum existimamus tribus illis Scripturæ locis nuper adductis, Tharsis regionem aliquam Indiæ esse: quamquam verosimilius & probabilius arbitremur, iisdem illis tribus locis ex 3. Regum, & 2. Paralipomenon, Tharsis, non esse nomen proprium alicuius terræ, vel regionis: sed mare ipsum altum & magnum, hoc est, propriè ibi Oceanum Erythræum seu Indicum eo vocabulo appellatiuè designari, vti fusè demonstrauimus lib.4. cap. 31. & mox amplius adhuc ostendemus §. 2.

Porrò Chaldæus Interpres Tharsis, aliquot Scripturæ locis Africam reddidit, nimirum 3.Regum, 10.v.22. & cap.22. vers.49. Ieremiæ 10.vers. 9. Sed de Africa meridionali qua Oceano alluitur Chaldæum intelligere, Vatablus & Sà, vti nuper vidimus, voluere. Kimchius in Isaïæ 2. vers. 16. Tharsis, stationem nauium, seu portum interpretatur, teste Pomario.

Alij verò Tharsis Carthaginem esse crediderunt. S. Basilius in Scholiis Psalm. 71. ad vers. 10. *Tharsin Carthaginem Libyæ dominantem, & Esaïas, & Ezechiel nominant.* Theodoretus in eundem Psalmi locum: *Tarsis, Carthaginem ciuitatem Libyæ principem, & Beatus Isaïas, & admirabilis Ezechiel nuncupant.* Et in Ieremiæ 10. ad vers.8. *Tharsis autem appellat Carthaginem.* Et in Ezechiel. 27. ad vers. 12. *Carthaginem, metropolis hæc est illius quæ Olim Libya, nunc Africa nominatur, & Syrus & Hebræus Tharsis appellant.* Suidas: *Tharsis Carthaginem Libyæ principem vrbem Esaïas, & Ezechiel nominant.* Euthymius in Psalm.71. ad vers. 10. *Per Tharsis, expositores omnes Carthaginis ciuitatem intelligunt, quæ est Libyæ caput.* Idem affirmant Theodoretus & Theophylactus in 1.Ionæ, quorum verba inferiùs §. 3. describemus. Montanus in Phaleg: *Tharsis Carthago in Africa, quam postea Pœni occuparunt. Sunt qui Venetos ad Tharsis etiam referant, & ad Phœnices quoque.* Illud de Venetis, delirium. Et in 23. Isaïæ, ad vers.1. & in 1.Ionæ, ad vers.3. contendit, vbique in Scriptura Tharsis esse Carthaginem; idem scribit Florianus Docampus lib.2. Hispanicæ Historiæ, cap. 30. Angellius in Psalm. 47. ad vers.7. *Quamobrem illi rectè sentire videntur, qui Carthaginem putant Tharsis appellari, cùm ea ciuitas classe ac nauibus maximè valuerit, vt pote Tyri colonia, quæ nauium emporium erat, & portum celeberrimum habebat.*

Sed maiora robora hæc sententia habet, siquidem LXX. Interpretes aliquot locis Sacræ Scripturæ, quod in Hebræo est Tharsis, ipsi Carchedona, seu *Carthaginem* transtulerunt, vti Isaïæ 23. vers.1.6.10.14. Ezechielis 27. vers. 12. & cap. 38. v.13. id quod Græci Patres fermè sequuntur, S. Cyrillus, Theodoretus, Procopius, & alij, quin & ex Latinis Tertullianus de Resurrectione carnis, cap. 20. Et quod maioris ponderis meritò censeri debet, Vulgatus Interpres Ezechielis 27. vers.12. Tharsis, Carthaginem interpretatur: *Carthaginenses negotiatores tui.* S. Hieronymus in 23. Isaïæ ad vers.1. *Vlulate, inquit, naues maris. Pro quo in LXX. legimus, Carchedonos, id est, Carthaginis: & habetur in Hebræo Tharsis, de quo & in Iona propheta, & in quadam Epistola disputaui. Possumus autem quia Carthago Tyriorum colonia est, & in præsenti loco Tharsis, non mare generaliter, sed & Carthaginem accipere.* Et in Ezechiel. 27. ad vers. 12. *Carthaginienses negotiatores tui. Non solùm in præsenti loco, sed & in Isaia, vbi scriptum est, Vlulate naues Carthaginis,*

ginis, ceteri Interpretes verbum Hebraïcum transtulerunt Tharsis: quam coloniam esse Tyriorum, nulli dubium est. Videndi de hac re Barradius in Historia Euangelica lib. 5. cap. 11. Villalpandus & Maldonatus in Ezechiel. 27. ad vers. 12. Castrus in Ierem. 10. numero 10. Hæc omnia tam nota & pervulgata omnibus, necesse est latuisse Petrum Mantuanum, cum in Animaduersionibus ad Historiam Hispanicam Ioannis Marianæ, ipsum suggillat, quòd Tharsis Carthaginem esse existimauerit: atque eo potissimum vtitur argumento. Quòd naues Salomonis dicantur iuisse in Tharsis, at tunc non potuere ire Carthaginem, quæ tempore Salomonis nondum erat; siquidem Iosephus ex certissimis Phœnicum Annalibus demonstrat 1. aduersus Apionem, Carthaginem conditam à Didone centum quadraginta tres annos, post ædificatum Templum à Salomone. Non ergo Tharsis potuit esse Carthago Largè in his Mantuanus peccauit. Esto, in Salomonica nauigatione, id est, in libris Regum & Paralipomenon, Tharsis Carthago esse nequierit, quòd tunc nondum condita: at cur in Isaïa, Ezechiele, Iona, quorum ætate iam Carthago vigebat, Thasis Carthago esse non potuit, vt sententia Marianæ constare potuerit? Nonne sæpius S. Hieronymus annotauit, Tharsis homonymum esse vocabulum, & multa significare, & Ciliciam, & regionem Indiæ, & Carthaginem? Quasiverò non sit exploratissimum, diuersas & longè dissitas regiones idem nomen plerúmque ferre? Et Iberia est Hispania, & Iberia est in Ponto: Saba Latinis & Græcis est in Æthiopia, Arabia, India, & innumera id genus.

Deinde, nesciuit Mantuanus, aut oblitus est, quàm variæ sint de conditu Carthaginis grauissimorum scriptorum opiniones: aut potiùs quàm diuersi fuerint variis temporibus Carthaginis conditores Eusebius in Chronico, Numero DCCCIV. *Philistus scribit, à Zoro & Carthagine hoc tempore Carthaginem conditam: eosdem autem fuisse Tyrios.* Incidit is Numerus Eusebianus in tempora Iairi Iudicis, multò antè ætatem Salomonis & Dauidis. Et numero CMLXXI. *Carthago, condita est, vt quidam volunt, à Carchedone Tyrio: vt verò alij à Didone filia eius, post Troianum bellum annis CXLIII.* Et numero MII. *Carthago secundùm nonnullos condita à Didone. Alij suprà scriptum tempus vindicant.* Et numero MCLXVII. *Carthaginem hac ætate quidam conditam putant. Alij vt suprà memorauimus.* Vide Scaligerum in Appendice ad Libros suos de Emendationibus Temporum, & in Animaduersionibus ad eo, numeros Eusebianos, vbi hallucinationem Eusebij detegit. Appianus initio Punicorum: *Carthaginem in Africa Phœnices condiderunt, annis quinquaginta ante captum Ilium. Conditores fuere Xorus & Carchedon: vt autem Romani ipsique Carthaginenses existimant, Dido mulier Tyria: cuius maritum Pygmalion Tyri Tyrannus interfecerat.* De Carthaginis conditu scripserat plura Liuius lib. 16. qui non extat. Vide Velleium lib. 1. Iosephum lib. 1. aduersus Apionem, Iustinum lib. 18. Seruium in 1. Æneidos, Orosium lib. 4. cap. 6. Pineda etiam lib. 4. de Salomone, cap. 14. §. 2. num. 4. probat Salomonicas classes in Tharsis, non potuisse nauigare Carthaginem, quòd tunc nondum condita esset. Sed fallitur Philisti grauissimo testimonio. De Philisto plura apud Diodorum Siculum, & alios. Gaspar quoque Varrerius in Ophirica regione falsus fuit, quòd existimarit Salomonis classes non potuisse ire Carthaginem, quæ tunc nondum esset.

Mercerus in Thesauro, in voce *Rasas: Sed hoc nomine Tharsis propriè Tarsus primùm dicta est Ciliciæ vrbs, ortu Pauli Apostoli clara, nomen nacta à Tharsis filio Iauan, nepotis Noë ex Iapheth, Genes. 10. vers. 4. Vnde qui illic erat portus totius Orientis celeberrimus, è quo in Africam, Indiam, & procul dissitas regiones nauigabatur, factum est vt mare magnum hoc nomine designatum fuerit. Vide nostras priores Annotationes in Thargum Ionæ.* Eadem ad verbum ex Mercero describserunt Capella in 10. Ieremiæ ad vers. 9. Marinus in Arca Noë, in voce Tharsis. Sed quid illud, ex Tarso in Indiam nauigari? ridiculum. Neque enim id poterat nisi emensa ferè tota maris Mediterranei longitudine, & superato Herculeo freto, retro circum nauigata tota Africa, Arabia, Persia, Carmania, per Oceanum Atlanticum, Æthiopicum, Erythræum, Indium: quæ nauigatio hinc & incognita fermè & intentata, ac planè ineptissima: cùm potius ex portubus Sinus Arabici Orientalibus in Indiam esset nauigatio. Sed id iam vidimus superiùs obseruasse. S. Hieronymum in 2. Isaïæ, ad vers. 16.

Ioannes Drusius lib. 6. Obseruationum, cap. 3. *Variant admodum Interpretes in expositione nominis Tharsis, de quo mentio Ionæ, 1. 3. Sunt enim qui Tarsum ciuitatem Ciliciæ intelligunt, vt Iosephus, & Saadias doctor excellens: sunt qui regionem Indiæ. Mebaser Ebræus, vt ab Ezræ filio relatum est, vrbem Africæ fuisse tradit, eam quæ nunc Tunes appellatur. Ionathan Interpres Chaldæus ipsum mare. Quam opinionem Hieronymus vbique incultat. Sed mihi minimè omnium probatur: nam quos adducit Scripturæ locos, vt doceat Tharsis mare esse, iis omnibus alius sensus dari potest, & debet. Beniamin in Itinerario: Tharsis hodie Malmistras dicta, vrbs est ad mare sita: distat duobus itineribus à Corcos, quæ terræ Edom initium est eius quæ Armenia vocatur.* Delirat prorsus Nouator Drusius, cum ait Tharsis nunquam mare in diuinis libris significare.

Num Tharsis alicubi in Scriptura sit Hispania?

§. I.

SAnctus Anastasius Sinaïta Tharsis in Salomonis nauigatione visus est Hispaniam intellexisse, cùm lib. 10. Hexaëmeron, ait: *In tertio libro Regum inuenimus nauem Salomonis singulis annis venire ex Tharsis, quæ est Hispania regionis Occidentalis: & ferre ad eum aurum, & huiusmodi animantia.* Sed quis nos securos reddet, S. Anastasium potiùs de Hispania, quàm de Italia locutum, quam constat Hesperiam occiduam etiam Scriptoribus dictam, vti vidimus suprà cap. 23.

Collectio Historica Chronographica ex Anonymo qui sub Alexandro Imperatore vixit, collectore Gallo quodam Caroli Magni temporibus, edita ab Henrico Canisio Tomo 2. Antiquæ Lectionis, hæc habet lib. 1. cap. 4. *Tharsis, ex quo Iberi, qui & Agareni.* Iberos, Hispanos videtur intelligere: sed quid istud, *Hispani qui & Agareni?* forsan quòd tempore Caroli Magni Agareni maiorem Hispaniæ partem occupabant, quam armis ceperant anno Domini 714.

Franciscus Forerius in Isaïæ 23. ad vers. 10. *Si quis tamen diceret, Tharsis esse Tartessum in Hispa-*

nia,

nia, vnde Phœnices infinitam multitudinem auri, & argenti olim (si historiis fides adhibenda est) deferebant: cùm vox consentiat, mihi non absurdam afferre sententiam videtur.

Ioannes Mariana de Rebus Hispaniæ lib. 1. cap. 2. *Tarteſſus noſtris Tariffa, vnde totum Fretum Tharthesſiacum dictum eſt: fortaſſis vtrumque nomen à Tharſis, hoc eſt, Carthagine, vel Tuneto manauit, ob frequens quoddam Poënorum in his locis commercium, nouis, vt fit appellationibus factis.* Tarteſſum non esse Tariffam, multis Mantuanus ostendit in Animaduersionibus ad Marianam, & Ludouicus Nonius in Hispania, cap. 12.

Ioannes Gozopius Becanus lib. 7. Hispanicorum: *Retineamus Tharſis non aliam regionem fuiſſe, quàm Tarteſſum: cuius beatam rerum omnium copiam, tum veterum ſcriptorum teſtificatio, tum præſens rerum ſtatus ſatis declarat. Maxima ſanè non Hiſpanis modò nobilitas, ſed ſacris etiam litteris ex hac inuentione noſtra affulgebit: quarum rerum vt prior gratiſſima eſſe debet Tarteſſiacis omnibus: ita poſterior mihi magnam affert voluptatem: quòd tandem intelligant, qui fuerint reges Tharſis, quæ naues Tharſis, quarum tam magnifica & frequens in ſacris litteris mentio habetur. Iucundius poſt hac legam Oden illam Dauidis, in qua pulcherrimus hic verſus, velut vnio quidam ſingularis candore micat, nitétque gratiſſimo: Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent. Coniunxit elegantiſſimus vates duos populos feliciſſimos: quorum Arabes Sabæi per ſe ſatis noti fuerunt, quorum regio peculiari nomine Felix nuncupatur. At Hiſpalenſes, ceteríque Tarteſſiaci hactenus in Cimmeriis tenebris delituerunt, nunquam fortaſſe eruendi ac liberandi, niſi Cimmerius homo facem obſcuris carceribus intuliſſet. Liceat mihi gloriari apud eos, quorum ego gloriam immenſa auxi acceſſione.* Si tam verum & solidum istud est, vt alia præclara huius Scriptoris inuenta: nugas eum facilè vt in aliis puras putas loqui dicemus. Sed Becani commenta cunctis iam eruditis innotuere. Imò ventosus istius sermo eum vbique prodit.

Abraham Ortelius in Thesauro Geographico: *Tharſis, apud profanos Scriptores Tarteſſus vrbs, aut Tarteſſiaca regio, quæ Batica eſt, vocatur, vt credit in ſua Hiſpania Goropius.* Hugo Brougthonus in Concentu S. Scripturæ, pag. 3. *Tharſis, Tarſus, ad mare. Fortè hinc etiam Tarteſſus.*

Thomas Bozius de Signis Eccleſiæ lib. 15. cap. 18. *Confirmatur opinio quædam, quæ nobis aliquando non diſplicuit, dicentium, claſſem Salomonis, quæ ſoluebat è Mari Rubro, & nauigabat in Tharſis, triennium conſumens, ſolitam circumnauigare Africæ littora, & Hiſpaniam petere, Tarteſſumque eius vrbem, quam Tharſis nominari volunt à Scriptura: quæ ſanè vrbs olim fuit auro ſupra modum abundantiſſima & opulentiſſima, vt è Strabonis libro tertio conſtat.*

Christophorus Castrus in 10. Ieremiæ, numero 10. *Quartò, hinc etiam non improbabiliter deductum eſt à Forerio Iſaïæ 23. Tharſis nomine ſignificari quoque Tarteſſum Hiſpaniæ, quod Mediterraneo mari circumluatur, & nomine ipſo conſentiat. Nam inde Phœnices magnam auri, argentíque copiam afferebant, vt ſcribit Strabo lib. 3. Geographiæ. Tarteſſum enim ex Africa tranſuecti Phœnices habitarunt, Mela auctore lib. 2. de Situ orbis, cap. 6. Carteia poſt appellata eſt, & à Græcis Tarteſſus, vt lib. 3. cap. 1. aſſerit Plinius.*

Ludouicus Nonius in Hispania, cap. 12. *Ioannes Goropius Becanus lib. 7. rerum Hiſpanicarum, non obſcurè docet, Tarteſſum vocari in ſacris litteris regnum Tharſes, quo rex Salomon ſimul & in Ophir claſſem mittebat ad aurum, argentúmque aduehendum. Nam quod hactenus plurimis perſuaſum fuit, Tharſes, vel mare, vel Carthaginem denotare, viuis rationibus refellit, quas hic prætereo libens, ne actum agam. Sanè regionis circumiacentis felicitas, auri, argentíque perennis fœcunditas, & ſcriptorum ea de re vnanimis ſententia facit, vt non inuitus illi aſſentiar: præſertim verò cùm ipſos Tyrios & Phœnices, qui cum Salomonis claſſe mittebantur, immenſam argenti vim ex vicina hac regione adſportaſſe dicat Strabo, & Ariſtoteles.*

Ceterùm Ioannes Pineda ex professo longissimam instituit disputationem, qua stabilire conatur, Tharsis in Scriptura, cùm nomen est regionis, præsertim in Salomonica in Tharsis nauigatione ad Hispaniam pertinere, & proprie esse totam Bæticam, ac peculiariter Hispalensem & Gaditanas oras. Salomonémque decantatas illas suas classes, quas in Tharsis mittebat, 3. Regum, 10. 22. & 2. Paralipom. 9. 21. in Hispaniam amandasse. Eam disputationem fusè descripsit lib. 4. de Rebus Salomonis, cap. 14. 15. 16. 17. per multo plures §. 5. Pinedam secuti postea sunt Gaspar Escolanus in Historia Valentina Decade 1. lib. 1. cap. 5. & 6. & Ioannes de Ponte in Conuenientia vtriusque Monarchiæ, Hispanicæ, & Ecclesiasticæ lib. 3. cap. 5. 6. 7. copiosis quoque de eadem re instructis diatribis. Tametsi inter se in eo non conueniant, quòd Pineda Nauigationem Salomonis in Tharsis, id est, Hispaniam, factam putet ex Asiongaber portu Sinus Arabici; Scolanus verò & Pontius, ex Ioppe portu Maris Mediterranei. Neque est de minimo discrepantia, vt cernat lector quàm recto itinere incedat opinio eorum, qui naues Salomonis in Hispaniam mittunt. Equidem Portum Sinus Arabici Salomonicæ nauigationi in Tharsis proculdubio conuenire ex sacris Litteris abundè demonstrauimus lib. 4. cap. 31. sed nauigationi ex Iudæa in Hispaniam esse ineptissimum, illo præsertim æuo, nemo non videt. Ioppe verò portus nauigationi Salomonis in Tharsis nequaquam ex Sacris libris congruit: at nauigationi ex Iudæa in Hispaniam est aptissimus.

Ego quiduis deponere ausim, hanc sententiam de classibus Salomonis Hispaniam petentibus, magno fauore & plausu exceptam iam, imò maiori adhuc inposterum excipiendum à plurimis nostræ gentis, quòd ad Hispaniæ gloriam id cumprimis pertinere existiment. Sed non dubito exteras nationes risuras, vel irrisuras, tantam vanitatem potuisse quibusdam nostrûm in cerebrum inuidere: vt vanissimi hominis Becani nouum, incidetum anteà, leue ac futile commentum, nulla veterum auctoritate, nulla solida ratione subnixum amplecti voluerint, quod non nisi miscendo, transferendo, mutando portus, maria, vastissimos marium ac terrarum tractus, tueri possunt. Qui classes Salomonis ex Ioppe in Hispaniam soluisse aiunt, manifestam vim Scripturæ sacræ inferunt: qui verò ex Sinu Arabico, naturæ: quis enim vnquam somniare potuit illa ætate adeò notam, frequentem, & tritam fuisse nauigationem ex Sinu Arabico in Hispaniam? Et si causa aduehendi auri & argenti Salomon classes in Hispaniam expediebat, quænam prudentia erat, omissa breui, facili, recta, compendiosa, secura Mediterranei nauigatione; per vastissimum Oceanum circumducere naues, totam Africam circumnauigare, im-

manis prominentiæ Promontorium Bonæ ſpei ſuperare, tot, tantíſque longiſſimæ & difficillimæ nauigationis periculis tam magnam vim auri exponere, ad certiſſima plerumque naufragia? Nunquam id de prudentiſſimo & ſapientiſſimo Rege mihi perſuaſerim. Scio quid ad hæc reſpondeat Pineda lib.4. cap.6. ſed noui quoque quàm parum ſolidè ea ſubſtant. Ergo expectaret hîc lector, vt magno argumentorum apparatu hanc cauſam cum Pineda, aliíſque peragerem: ſed non ita otium & chartas meas prodigere velim: ſua fruantur opinione, non inuideo. Sat video neque me perſuaſurum multis qui eiuſmodi quiſquilias ament: neque defuturos prudentes & eruditos qui rem ex vero & recto iudicent: odi profanam nouitatem & arceo. Fuêre quoque ex Hiſpanis, alter Pineda qui lib. 3. Eccleſiaſticæ Monarchiæ, cap. 22. §.4. eam recentiorum opinionem, quòd naues Salomonis venerint in Hiſpaniam, palam irriſerit: & Bernardus Aldrete, qui lib.1. Hiſpanicarum Antiquitatum, cap.24. non crediderit.

Noſtra ſententia de Tharſis.

§. 2.

PRimùm non dubitamus Tharſis eſſe Tarſum Ciliciæ, ſeu ipſam Ciliciæ prouinciam, in aliquot Scripturæ locis, nimirum à Tharſis filio Iauan initio cultam & nuncupatam. Quæ ſententia Ioſephi fuit, & S. Hieronymi, & magnorum auctorum, vti initio huius capitis obſeruabamus: atque hanc vocis Tharſis ſignificationem hiſce Scripturæ locis contineri arbitramur, Geneſ. 10. 4. 1. Paralipom. 1. 7. Iudith 2. 13. Ezechielis 38. 13. item Pſalm. 47. 8. Pſalm. 71. 10. Iſaiæ 2. 16. quamquam hiſce tribus locis pro Mari accipi queat, vti poſteà dicemus: denique Ierem. 10. 9. tametſi hîc pro Indiæ regione, vel pro Carthagine capi poſſit, vt poſtmodum annotabimus. De Tarſo præcipua vrbe Ciliciæ plura Strabo lib. 14. & alij. Sed & Hirtius ſeu Oppius de Bello Alexandrino: *Cæſar proficiſcitur in Ciliciam: cuius prouinciæ ciuitates omnes euocat Tarſum, quod oppidum totius Ciliciæ nobiliſſimum, fortiſſimúmque eſt.* Hanc nominis Tharſis notionem Pineda de Rebus Salomonis lib.4. cap.14. §.2. & Ioannes de Ponte lib.3. vtriuſque Monarchiæ, cap. 5. §.4. eludere conati ſunt eo argumento, quòd claſſes à Salomone mitterentur in Tharſis, cùm tamen Tarſus Ciliciæ tempore Salomonis nondum eſſet condita, ſiquidem condita proditur à Sardanapalo Aſſyriorum Rege, qui longè poſt Salomonis tempora vixit. Strabo lib. 14. pag. 462. *Inde peruenies ad Anchialem paululum ſupra mare ſitam, quam à Sardanapalo conditam Ariſtobolus ait: ibique Sardanapali eſſe monumentum & imaginem lapideam conſerentis dextræ manus digitos, ac plauſum edituri. Sunt qui Aſſyriis litteris hæc aiunt eſſe inſcripta:* SARDANAPALVS ANACYNDARAXIS FILIVS, ANCHIALEM ET TARSVM VNA DIE ÆDIFICAVIT: TV AVTEM HOSPES EDE, BIDE, LVDE. Arrianus lib. 2. de Rebus Alexandri Magni: *Ipſe ex Tarſo, ſubſecutus, primò die ad Anchialon oppidum peruenit. Hoc ferunt Sardanapalum Aſſyriorum regem condidiſſe. Et quidem circuitus ipſe & fundamenta argumento ſunt, magnam vrbem fuiſſe & ad ſummam potentiam perueniſſe. Et Sardanapali ſepulchrum ad ipſa Anchiali mœnia extabat, cui innitebatur Sardanapalus manus collidens, vt in plauſibus fieri ſolet. Inſcriptio ſtatuæ addita erat Aſſyriis litteris, cui metrum ſubeſſe dicebant. Verſuum ſententia hæc erat:* SARDANAPALVS ANACYNDARAXÆ FILIVS ANCHIALVM ET THARSVM VNO DIE CONDIDIT. TV VERO HOSPES EDE, BIDE, LVDE. QVVM CÆTERÆ RES HVMANÆ TANTI NON SINT. *Plauſum ſignificans quem manus colliſæ faciunt. Illud verò LVDE, molliore quodam, laſciuioréque Aſſyrio vocabulo expreſſum aiebant.* Athenæus lib. 12. Deipnoſophiſtarum, cap.7. *Omnium autem feliciſſimus Sardanapalus cum toto vitæ decurſu voluptatem plurimi feciſſet, poſt obitum declarat inſculptis monumento digitis, res hominum eſſe ridiculas, & nec digitorum dignas ſtrepitu, quem colliſis inter ſe digitis duobus ſignificauit: inutilem verò eſſe curam quæ impenditur reliquis. Sardanapalum quidem rebus gerendis attentum fuiſſe, inde liquet, quòd eius ſepulchro ſit inſcriptum:* SARDANAPALVM ANACYNDARAXIS FILIVM, VNO DIE TARSVM ET ANCHIALEM ÆDIFICASSE: POST, DIEM OBIISSE. Euſebius in Chronico, numero MCLXXXIV. *Sardanapalus eodem tempore* (Græcè eſt, in vna die) *Tarſum, & Anchialem condidit.* Eadem habet Suidas in vocibus, *Anchialia, Tharſus, Sardanapalus.* Sardanapali ætas incidit in tempora Amaſiæ regis Iudææ, vt ex eodem Euſebio & cunctis chronologis liquet, nimium pluſquam ducentos annos poſt Salomonem.

In Salomonica quidem nauigatione Tharſis non eſſe Tarſum Ciliciæ, ſed vel Indiæ regionem, vel mare magnum, ac propriè Oceanum Erythræum & Indicum, lib. 4. cap. 31. abundè confirmauimus, & infrà adhuc oſtendemus: at quòd neque hîc, neque alibi in Scriptura Tharſis ſit Tarſus Ciliciæ, ob eam rationem, quod Tarſus tempore Salomonis nondum condita fuerit, eſt planè ridiculum: cùm ſit manifeſtum, vnius vrbis varios diuerſis temporibus conditores eſſe conſueuiſſe. De conditu Tarſi Strabo lib. 14. pag. 463. *Tarſus in campo ſita eſt, condita ab Argiuis, qui Ius quærendi cauſa ſunt cum Triptolemo vagati.* At Io vel Inachi, vel Iaſi filia multis ſæculis Salomonem anteceſſit, vti ex Euſebij Chronico, & aliis conſtat. Alij à Perſeo Acriſij Argiuorum regis ex filia Danaë nepote Tarſum ædificatam tradunt. Suidas ex vetere Scriptore, in voce, Meduſa: *Perſeus bellum geſſit cum Silicibus & Iſauris: vrbémque Tarſum condidit, cùm Andraſus anteà diceretur. Nam cùm oraculo iuſſus eſſet, quo loco poſt victoriam, vbi ex equo deſcendiſſet, pedem primo poſuiſſet, vrbem condere, pro victoriæ munere, eam Tarſum appellauit.* Zonaras Annali 1. *Alij dicunt Perſeum in Ciliciam profectum, ac de condenda vrbe cogitantem, dum fabris locum vrbis demonſtraret, planta pedis terram percuſſiſſe, atque vrbem* (*Tarſis enim plantam Latinis ſignificat*) *cognominatam.* S. Iſidorus 15. Originum cap.1. *Tarſum Ciliciæ Danaës proles Perſeus ædificauit.* Lucanus 4. Pharſaliæ.

Deſeritur Taurique nemus, Perſeáque Tarſus.

At pluſquam ducentos annos fuit Salomon Perſeo poſterior, ex Euſebij Chronico, & aliis.

Secundò, Tharſis interdum in Sacris libris mare ſignificare, extra omnem controuerſiam meritò eſſe debet, vel vnius Vulgati Interpretis auctoritate, qui Tharſis mare diſertiſſimè interpretatur, 3. Reg. 22. verſ. 49. Iſaiæ 23. 1. 6. 10. 14. & cap. 60. 9. & cap. 66. 19. Ezechielis 1. 16. & cap. 27. 25. Chaldæus Paraphraſtes Tharſis quoque mare

mare reddidit Iſaïæ 23. verſ. 1. & 14. & Ezechiel. 27. verſ. 12. & in Ionæ 1. ad verſ. 3. Sanctus Hieronymus epiſtola 133. ad Marcellam, cùm dixiſſet Tharſis lapidem chryſolithum, aut hyacinthum eſſe ſubdit: *Homonymum eſſe vocabulum, quo & Indiæ regio ita appelletur: & ipſum mare, quia cæruleum ſit, & ſæpè Solis radiis percuſſum, colorem ſupra dictorum lapidum trahat, & à colore nomen acceperit.* Et in 2. Iſaïæ, ad verſ. 16. *Tharſis nomine etiam de duodecim gemmis lapidem appellari, qui apud nos vocatur chryſolithus, ob marini coloris ſimilitudinem. Melius autem eſt, Tharſis vel mare, vel pelagus abſolutè accipere.* Et Iſaïæ 66. ad verſ. 19. *Tharſis lingua Hebræa mare appellatur.* Et in Ieremiæ 10. ad verſ. 9. *Certè omne pelagus Tharſis appellatur, & cæli habet ſimilitudinem.* Et in 1. Ionæ, ad verſ. 3. *Tharſis Hebræi mare dici generaliter autumant, ſecundum illud; In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis: id eſt, maris.* Et in Iſaia: *Vlulate naues Tharſis. Super quo ante annos plurimos, in Epiſtola quadam ad Marcellam dixiſſe me memini.*

Ergo Tharſis in Scriptura aliquot locis mare deſignare, innumeri recentiores affirmant, Rabbi Scelomoh in 1. Ionæ, ad verſ. 5. Forſterus, Mercerus, Auenarius, Marinus, Schindlerus in Lexicis Hebraïcis, Auguſtinus Iuſtinianus Pſal. 47. verſ. 8. in ſua tranſlatione, Forerius in Iſaïæ 23. ad verſ. 6. & 10. Gomara ad finem Hiſtoriæ Generalis Noui Orbis, Ribera in 1. Ionæ, num. 8. 13. 16. Genebrardus in Pſalm. 47. ad verſ. 7. Capella in 10. Ieremiæ, ad verſ. 9. Bredembachius in Pſalm. 47. ad verſ. 8. Lorinus in eundem Pſalmi locum, Pererius lib. 12. in Danielem, & in 10. Geneſ. ad verſ. 4. Ximenez in Lexico Eccleſiaſtico, voce Tharſis, Acoſta lib. 1. de Natura Noui Orbis, cap. 14. Maldonatus in Ezechiel. 27. verſ. 12. & in cap. 38. verſ. 13. Barradius tom. 1. Hiſtoriæ Euangelicæ, lib. 5. cap. 11. Pradus in 1. Ezechielis ad verſ. 16. Villalpandus in 27. Ezechielis, ad verſ. 12. Sà in 3. Regum, 10. verſ. 22. & in Pſalm. 47. verſ. 8. Caſtrus & Figuerius in Ieremiæ 10. ad verſ. 9. Sanctius in Iſaïæ 2. num. 23. & alij, adde ſi vis Franciſcum Iunium & Tremellium Emanuelem in 3. Regum, 10. verſ. 22. Matthæum Beroaldum lib. 4. Chronici, cap. 6.

Sanctus Hieronymus in 2. Iſaïæ, ad verſ. 16. hæc annotat: *Hebræi putant lingua propria ſua mare Tharſis appellari. Quando autem dicitur Iam, non Hebraico ſermone appellari, ſed Syriaco.* Idem obſeruarunt Rabbi Scelomoh, Genebrardus in Pſalm. 47. ad verſ. 7. Ribera in 1. Ionæ, num. 8. Pererius lib. 12. in Daniel. Barradius lib. 5. Hiſtoriæ Euangelicæ, cap. 11. Caſtrus in Ierem. 10. n. 10. Verùm illud eſt veroſimilius, quod alij obſeruarunt ים *IAM*, id eſt, mare ſimpliciter ſignificare quaſvis etiam minores aquarum collectiones, vt lacus, ſtagna, &c. At verò THARSIS, non niſi mare magnum, & altum, vel internum, vel externum, ſeu Mediterraneum, ſeu Oceanum, in quo eunt magnæ naues deſignare. Forſterus: *Deinde Tharſis generali appellatione à colore cæruleo mare altum & magnum dicitur, vel internum quod Mediterraneum, vel externum, quod nos Oceanum vocamus, in quo naues magnæ, quæ ONIIOTH, dicuntur, eunt. In hoc differt à IAM, quod etiam lacus, atque multò minores aquarum collections ſignificat.* Mercerus: *Tharſis, ita mare generaliter appellatur, altum ſcilicet, & magnum, vel internum, vel externum, in quo eunt magnæ naues. Nomen enim IAM etiam lacus, & ſtagna, & minores quáſque aquarum collectiones ſignificat.* Forerius in Iſaïæ 23. ad verſ. 6. *Tharſis non tamen ſignificat niſi mare magnum, & altum, vel Mediterraneum, vel Oceanum: per quod naues magnæ nauigant, quæ ONIIOTH dicuntur. Et in hoc differt à IAM, quo etiam lacus, atque multò minores collectiones dicuntur.* Auenarius: *Tharſis eſt mare altum quod Mediterraneum, ſeu Oceanus vocatur, in quo vehuntur naues magnæ.* Marinus: *Mare magnum hoc nomine Tharſis ſignificatum eſt, niſi malles dicere potiùs à radice Raſis eſſe, quaſi depauperans. Oceanus.* Atqui ſubdit exempla ſacræ Scripturæ, in quibus Tharſis Oceanum interpretatur. Genebrardus in Pſalm. 47. ad verſ. 7. *Et in genere Tharſis mare Mediterraneum, & mare Eoum, & Indicum ſignificat.* Pererius in Geneſ. 10. ad verſ. 4. *Cùm autem mare Mediterraneum, quòd eſſet ampliſſimum, altiſſimúmque à Iudæis diceretur mare magnum, & naues magnæ, quæ in eo mari nauigabant, appellarentur naues Tharſis: hinc factum eſt, vt id nominis etiam ad Oceanum ipſum ſignificandum, vt patet ex libris Regum & Paralipomenon, ſit tranſlatum. Sic enim intelligi poteſt, quod ſcriptum eſt in illis Libris de claſſe Regum Iuda qua ex Mari-Rubro petebatur Tharſis, id eſt, mare Indicum.* Ribera in 1. Ionæ, num. 16. *Quare cùm mare illud, quod Tarſicum vocat Ioſephus, vaſtum & altum ſit, inde Hebræi Oceanum, & mare quoduis magnum, ac profundum Tharſis vocant. Nam IAM, quod mare ſignificat, non ſolum mari magno tribuitur: ſed lacubus etiam, & minoribus aquarum congregationibus. Itaque mare mortuum, & mare Galilææ, & ſimilia rectè dicuntur Iam, Tharſis autem dici non poteſt niſi magnum, & vaſtum mare. Inde naues Tharſis dicuntur, naues magnæ, quibus per profundum mare nauigari ſolet, quas Hebræi vocant ONIIOTH.* Et num. 19. *Habemus ergo Mediterraneum mare dictum eſſe Tharſis, indéque ad Oceanum, & ad mare quoduis profundum, & magnarum nauium patiens deductam eſſe appellationem.*

Villalpandus in Ezechielis 27. ad verſ. 12. *Generali appellatione à colore cæruleo, mare altum & magnum dicitur Tharſis: dupléxque eſt, vel internum quod Mediterraneum nos vocamus. Scriptura verò Occidentale, ſeu Occidentem: vel externum, quod nos Oceanum vocamus, in quo naues magna verſantur. Et in hoc differt Tharſis à Iam, mare, quòd hoc nomine ſtagna, lacus, vel quaſlibet minores aquarum congregationes nuncupare ſolent Hebræi.* Caſtrus in Ierem. 10. num. 10. *Hinc deriuatum eſt nomen Tharſis ad ſignificandum mare prætentum Ciliciæ, & Chananææ quod Geographi Phœnicium vocant, ſeu Syriacum, & Scriptura mare Occidentale. Inde quoque nomen eſt extenſum ad mare Oceanum ſignificandum, quomodo explicant aliqui nauigationem in Tharſis claſſis nauium Salomonis, 3. Regum, 10. 22. & 2. Paralipomen. 9. verſ. 21. & Ioſaphath 2. Paralip. 20. nauigabant enim in Tharſis, hoc eſt in mare Oceanum, vel Indicum. Hieronymus nomen Tharſis propriè ait Hebræis mare ſignificare; nam alterum nomen IAM, magis Syriacum eſt, quàm Hebræum, & lacus, minoréſque aquarum collectiones ſignificat, non magnas in quibus magnæ nauigant naues.* Iunius, & Emanuel Tharſis reddere ſolent, Oceanum.

Verùm Hebraïca illa phraſis quam ſæpiùs Scriptura vſurpat, *Naues Tharſis*, id eſt, maris, vt Pſalm. 47. 8. Iſaïæ 2. 16. & cap. 23. 1. 14. & cap. 60. 9. Ezechielis 27. 25. multifariam exponitur. San-

ctus Cyrillus in Isaïæ 60. ad vers. 9. *Naues Tharsis verò diuina Scriptura sæpe vocat Indicas, quæ ex Indorum regione veniunt.* Procopius in eundem locum: *Nauésque Tharsis, quo nomine regiones Indicas Scriptura vocat.* Alij, Naues Tharsis, interpretantur, hoc est, maximas, insignes, veliuolas, celeberrimas, diuitiis mercatorum onustas, quales forsitan erant naues Tarsensium Ciliciæ, vel quæ ex Ophir, seu Tharsis Salomonis aduehebant aurum. Ita Caietanus, Titelmanus, Folengius, Flaminius, Iansenius, Genebrardus, Bochius. Item & Mercerus Commentariis in Ionæ 1. vers. 3. ac Matthæus Beroaldus lib. 4. Chronici, cap. 6. Ceterùm illud magis probamus, vt naues Tharsis dicantur, quæ per Tharsis, id est, mare magnum, & altum, seu Mediterraneum, seu Oceanum nauigare solent, quasi dicas, Naues marinas ad differentiam fluuialium, aut earum quibus stagna, & lacus, aut aliæ minores aquarum collectiones nauigantur: nimirùm naues maximæ, prævalidæ, onerariæ, potentes, longissimis, & difficillimis nauigationibus magni, & alti maris aptæ, sufficientes, atque contra quasvis tempestates durabiles, quæ naufragiis haud facilè pereant, immanibúsque oneribus ferendis sint idoneæ. Vno verbo Naues magni maris. Hispanicè dicimus. *Galeones, Vrcas, Naues de alto bordo, Naues de la India, &c.* Ita Vatablus, Forsterus, Leo Iudas, Iunius, & Tremellius, Forerius, Mercerus, Marinus, Auenarius, Peretius, Ribera, Villalpandus, Castrus, & alij. Forerius obseruat dictas *Naues Tharsis*, id est, maris, ea phrasi qua in Scriptura dicuntur, *volucres cæli, pecora campi, pisces maris.* Sed quod diximus, est meliùs.

Sed quare, aut vnde mare magnum, & altum, siue Mediterraneum, seu Oceanum, dictum sit Tharsis, nunc paucis disquirendum. Sanctus Hieronymus, vti superiùs vidimus, existimauit mare appellatum Tharsis, vel à cæruleo colore lapidis Tharsis, qui putatur Chrysolthus, aut Hyacinthus, aut Crystallus, aut Berillus Thalassius, aut Turcicus, vulgò *Turquesa*, voce consentiente: vel è contra lapidem eum vocari Tharsis à coloris marini similitudine. Equidem mare Tharsis nomen accepisse à colore cæruleo gemmæ Tharsis, Forsterus, Villalpandus, Adamus, Acosta, & alij credidere. Verùm id plerique eo argumento refellunt, quod non magis asserendum videtur, mare Tharsis à cæruleo colore lapidis nuncupari, quam si quis dicat, cælum vocari à cæruleo colore: cùm priùs cælum fuerit, quàm cæruleus color. Et cùm mare priùs notum fuerit, quàm lapis Tarsis, seu Turcicus, æquius est vt Tharsis lapis nomen à Tharsis mari desumpserit.

Mercerus, Marinus, Capella, Schindlerus, arbitrantur, à Tharsis, id est, Tharso Ciliciæ, quòd ibi esset portus totius Mediterranei maris notissimus, ac celeberrimus, mare ipsum generaliter Tharsis appellatum. Ribera in 1. Ionæ, existimauit mare dictum Tharsis, quod terram omnem allueret, quæ dicta est Tharsis, à Sinu Issico ad Pontum Euxinum. Villalpandus in 27. Ezechiel. vers. 12. Castrus in Ieremiæ 10. num. 10. Lorinus in Psalm. 47. ad vers. 8. inquiunt: *Causa cur omne mare Hebræi vocarent Tharsis, illa censeri potest, quia nullum ferè initio agnoscebant mare mare magnum & altum; præter id per quod tendebatur in Tarsum Ciliciæ: sicut Pontici suum mare generali vocabulo Pontum appellauere, quod nullum aliud maius, aut præstantius agnoscerent mare, præter suum.* Exscripsere hæc Villalpandus, Castrus, & Lorinus, è Matthæo Beroaldo, lib. 4. Chronici, cap. 6. vbi ait: *Tharsis enim significat Ciliciam & mare prætentum Ciliciæ, & Cananææ, quod Geographi nominant Phœnicium & Syriacum, quodque Scriptura vocat mare Occidentale. Sed præterea notandum est, quòd Israëlitæ, qui nullum aliud mare ab illo Tarsensi, siue quo petebatur Tarsis nouerant, omnia maria vocabant Tarsis: more Ponticorum populorum, qui quod nullum præter suum mare, esse crederent, aut id existimarent ceteris præstare, Pontum vocauerunt suum mare per synecdochen, eodem nomine suum mare, & cætera maria complexi. Sic populus Dei de nomine maris Tharsis sibi cogniti, cetera quoque maria nominauit.* Sed de Pontico mari Strabo lib. 1. pag. 14. *Omnino autem ista ætate mare Ponticum pro Oceano quodam secundo habebatur: & qui eo nauigassent, non minus procul ab hominibus discessisse putabantur, quàm qui procul extra Columnas Herculis essent profecti: maximum enim marium nostrorum putabatur, ideóque ob excellentiam Ponti nomen ei est impositum: sicut ob præstantiam, Poëtæ appellatione Homerus intelligitur.*

Illud verosimilius quod annotauit Forerius in 23. Isaïæ, ad vers. 6. *Non contemnenda est etymologia nominis Tharsis, quasi sit à verbo RASAS, quod iectum, & destitutum esse significat: vnde nomen RAS, destitutus, pauper, vt sit epithetum maris, quasi dicas, Inhospitale.* Fuit id olim elogium propriè Ponti Euxini, qui Axenus anteà dicebatur, id est, Inhospitalis, mutata posteà appellatione in Euxinum, id est, Hospitalem. Tertullianus 1. aduersus Marcionem, cap. 1. irrisit Euxini nuncupationem: *Pontus igitur, qui Euxinus natura negatur, nomine illuditur. Ceterùm Hospitalem Pontum, nec de situ æstimes, ita ab humanioribus fretis nostris quasi quodam Barbariæ suæ pudore secessit.* Illustrantur hæc Tertullianica ex illis Ammiani, lib. 22. cap. 17. *Immani diritate terribiles Arinchi & Sinchi, & Napæi, intendente sæuitiam licentia diuturna, indiderunt mari nomen Inhospitali: & à contrario per cauillationem Pontus Euxinus appellatur, vt Euethen Græci dicimus stultum, & noctem Euphronem, & Furias Eumenidas. Diis enim hostiis litantes humanis, & immolantes aduenas Dianæ, quæ apud eos dicitur Orsiloche, cæsorum capita, fani parietibus præfigebant, veluti fortium perpetua monumenta facinorum.* Plinius lib. 6. cap. 1. *Pontus Euxinus antea ab Inhospitali feritate Arenus appellatus, peculiari inuidia naturæ, sine vllo fine indulgentis, auiditati maris.* Ouidius:

Quem tenet Euxini mendax cognomine Pontus.

Et 4. Tristium, Elegia 4.

Frigida me cohibent Euxini littora Ponti:
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Diodorus Siculus lib. 4. num. 170. *Pontus ea tempestate à Barbaris, & ferocissimis gentibus, quæ aduenarum cædibus infames erant, accolebatur, Axenos, id est, Inhospitalis, idcircò nominatus.* Strabo lib. 7. pag. 206. *Id enim mare tum nauigabile non fuisse, sed Axenum, id est, Inhospitale appellatum, ob frigoris nimij difficultatem, & sæuitiam ibi accolentium populorum, maximè Scytharum, hospites immolantium, & carnibus eorum vescentium, ac caluariis poculorum loco vtentium. Posteà temporis Euxinum, id est, Hospitale, ab Ionibus fuisse appellatum,*

pellatum, qui in eius ora vrbem condidissent. At S. Gregorius Nyssenus in vita S. Grægorij Thaumaturgi hæc disserit: *Solus enim ex omni terra, marique hic Pontus Euxinus, id est, Hospitalis, hospitibus & peregrinis commodus & bonus nominatur, siue comitatem & humanitatem eius erga aduenas & peregrinos inibi versantes, attestante vocabulo: siue idcirco, quod locus eiusmodi est, vt non modò incolis & indigenis, verùm etiam illis, qui ex omnibus partibus eò accedunt & confluunt, ad viuendum subsidia atque commeatus abundè suppeditet atque subministret. Eiusmodi enim natura regionis est, vt & omnium rerum, quæ ad vitam sustentandam necessariæ sunt, summè fertilis, & peregrinorum quidem & bonorum expers sit: cùm mare ei propria faciat ea quæ omnibus regionibus illuc importantur.*

Ergo Tharsis mare dici à RASAS, depauperare, Marinus quoque obseruauit. Lorinus in Psalm. 47. ad vers. 8. *Monendum, Tharsis pro quolibet mari sumi, idque à RASAS, depauperare, scilicet, naufragos.* RVS, seu RASAS, propriè est, excuti, eiici, destitui, exterminari, depauperari: quæ nationes mari rectè conueniunt, quòd nimirùm mare omnia eiiciat, excutiat, exterminet, depauperet: vel potiùs quòd ipsum mare sit eiectum, exterminatum, inops pretiosarum rerum. Vnde Ægyptij Sacerdotes mare perniciem appellabant: & Homerus, mare nullius frugis esse dixit: & Plato aiebat, nihil nasci in mari Ioue dignum, vti annotauit Pierius lib. 31. Hieroglyphicorum. Hinc Adagium, *Maris filij*, seu *Neptuni filij*, de quo Aulus Gellius lib. 15. cap. 21. & Erasmus in Chiliadibus. Quòd istiusmodi etymon Tharsis, id est, maris Ioanni de Ponte vtriusque Monarchiæ lib. 3. cap. 7. §. 1. & 2. probetur, nec laboramus, nec rixamur: quia ista non curat Hippoclides.

Vsurpationem vocis Tharsis in Scriptura, pro mari, certissimam statuimus omnibus illis locis, in quibus, vti superiùs annotauimus, Vulgatus Interpres pro eo quod Hebraïcè est *Tharsis*, disertè *mare*., reddidit. Auctoritas enim Vulgati apud Orthodoxos in dubium reuocari non potest. Ad hæc tribus illis locis, 3. Reg. 10. 22. 2. Paralip. 9. 21. & cap. 20. vers. 36. & 37. vbi describuntur nauigationes Regum Iuda in Tharsis, Tharsis esse mare magnum & altum, & propriè Oceanum Erythræum & Indicum, & lib. 4. cap. 31. & superiùs hoc ipso capite pleniùs demonstrauimus: quamuis vti diximus, iisdem istis locis Tharsis peculiarem aliquam Indiæ Orientalis regionem aut terram posse designare, propter auctoritatem. S. Hieronymi, S. Cyrilli, Theodoreti, Procopij, & aliorum, cum primis probabile existimemus Possit quoque Tharsis sumi vniuersè pro mari Psalm. 47. 8. & Psalm. 71. 10. Isaïæ 2. 16.

Tertiò, Tharsis aliquo Scripturæ loco pro Carthagine, seu Africa capi ex irrefragabili Vulgati Interpretis auctoritate Ezechielis 27. 12. iam satis superque superiùs confirmauimus. In qua Carthaginis seu Africæ notione possit quoque exponi Tharsis Isaïæ 23. vers. 1. 6. 14. vti annotauit S. Hieronymus: item Ieremiæ 10. 9. quamquam hîc regio Indiæ possit intelligi: ad hæc Ezechielis 27. 25. & cap. 38. 13.

Quænam Tharsis, in quam fugere tentauit Jonas?

§. 3.

POstquam huc stylo prouecti sumus, non erit alienum, aut iniucundum exponere peculiariter quænam fuerit Tharsis illa ad quam Ionas fugam adornauit. In Tarsum Ciliciæ Ionam fugere destinasse plures docuere. Iosephus 9. Antiq. cap. 11. *Ionas putans se posse Deum effugere, conscenso apud Ioppem nauigio, petebat Tarsum Ciliciæ. Exorta autem vehementi tempestate, &c.* Tertullianus de Fuga in persecutione, cap. 10. *Fugerat & quidam animosus prophetes Dominum, traiecerat ab Ioppe Tarsum, quasi & à Deo transfretaret.* S. Cyrillus in 1. Ionæ, ad vers. 3. *Deinde naui quæ in Tharsis solueret, reperta, (cursum enim illuc, quam Niniuem malebat) naulum dedit, & vnà nauigauit. Tharsis vocat, quæ nunc Tarsus, seu Tarson dicitur. Quidam hoc nomine vrbem significari putant apud Æthiopes & Indos. Et constat apud eos esse Tharsis: aut hoc vocabulo tota Indorum regio indicatur: quam in præsens significari non arbitror. Nam volentibus abnauigare ad gentes Indicas, non ab Ioppe, sed per pelagus Erythræum nauigatio rectè instituatur: nisi fortè quispiam credat, Prophetam per Persas & Assyrios, & Æthiopas intimos cursum dirigere voluisse. Sed res stulta est omnino. Tharsis igitur appellare videtur, qui hodie Tarsus. Est autem vrbs Ciliciæ, ad Cydnum flumen, & ipsas radices Tauri montis Ciliciæ multò maximi.* Hoc ipsum affirmant Strabus, Lyranus, Tremellius & Iunius, Castrus, Figuerius in 1. Ionæ, Marinus in Arca Noë. Aben Esra in Commentariis Ionæ citat in hanc sententiam Gaon. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 131. hæc habet: *Ionas Tarsum fugit ad declinandam sibi impositam vaticinandi prouinciam. Tarsum, inquam, id est, vrbem Ciliciæ, per mare Mediterraneum Iosepho & Augustino, vt inde littoribus Ponti Euxini eiectus sit: deindéque pedibus se Niniuem contulerit.*

Refragatur his S. Hieron. in 10. Daniel. ad v. 6. hisce verbis. *Ionas fugere cupiebat, non in Tarsum vrbem Ciliciæ, vt plerique existimant, litteram ponentes pro littera: vel Indiæ regionem, vt putat Iosephus: sed absolutè in pelagus.* Verùm si lapsus memoriæ in S. Hieron. non est, locus omninò ita restituendus: *non in Tarsum vrbem Ciliciæ, vt putat Iosephus, litteram ponens pro littera* (nempe τ, pro ϑ, *vel Indiæ regionem, vt plerique existimant: sed absolutè, &c.* Iosephus enim nunquam asseruit, Ionam in Indiæ regionem fugere voluisse: sed in Tarsum Ciliciæ, Tarsum ponens pro Tharsis, vti paulò anteà in verbis Iosephi vidimus. Videntur itaque verba S. Hieronymi vitiata falsa traiectione, eo quo diximus modo sananda: vt etiam annotauit Drusius lib. 3. Obseruat. cap. 13. At magis puto lapsum memoriæ, siquidem S. Hieronymus in 10. Ieremiæ ad v. 9. ait: *Tharsis, vel regio Indiæ est, vt vult Iosephus.* nunquam sanè id voluit Iosephus. Auctor apud S. Athanasium q. 65. ad Antiochum: *Vbinam gentium Tharsis ea est, quam Ionæ fuga petiuit? Responsio: Est vrbs quædam regionis Indicæ, quod ex tertio Regum videre est.*

Alij crediderunt, Ionam Carthaginem Africæ insignem illam vrbem Romæ quondam æmulam fugam capessiuisse. Theodoretus in 1. Ionæ ad vers. 3. *Ionas in Tharsis fugere aggressus est. Tharsis autem quidam Tarsum esse ex nominum co-*

gnatione opinati sunt. Quidam Indiam ita nuncupatam esse existimarunt : non interim animadvertentes Assyriorum regnum , Indorum regno esse finitimum. At verò mos est his , qui se fugæ mandarunt , si ex Oriente fugiant , proficisci ad Occidentem : sin à meridiana regione aufugiant , ad Septentriones concedere. Ac descendit in Ioppen vrbem maritimam Palæstinæ , vt illinc mare conscenderet , quæ Occidentis partibus mari alluitur. Non nauigatione igitur hoc mari vtens quis in Indiam proficisceretur , cùm inter mare nostrum & Indicum maxima intersit continens , ex parte vna habitabilis , & ex altera prorsus deserta : tum quam plurimi & maximi montes interpositi sint , post quos est Sinus maris Rubri , quo cum Indicum mare coniungitur. Ac ne quis ratiocinando veritatem colligere nos arbitretur , diuinæ Scripturæ testimonium afferam , Tharsis esse Carthaginem in Africa sitam. Sic enim Septuaginta in Isaia verterunt : Vlulate naues Carthaginis , quia perierunt munitiones vestræ. Aquila, Theodotio , Symmachus pro Carthagine verterunt Tharsis. Neque verò secus diuinus Ezechiel Carthaginensium mentionem fecit. Tumque apud Hebræos, & apud Syros Tharsis reperimus , ex quibus colligitur , non in Indiam Ionam , sed Carthaginem fugisse.

Theophylactus in eundem Ionæ locum : *Ionas fugere Tharsis vsque est conatus. Hanc regionem quidam Tharsum esse aiunt , quæ est Ciliciæ metropolis sub radicibus montis Tauri sita. Alij regionem quandam Indiæ Tharsis appellari tradunt. Ex Tharsis enim Salomonem quoque pretiosos lapides , dentes etiam eburneos vnà cum simiis mercatum. Hæ autem aliunde quàm ex India non perferuntur , bimatus spatio : tanto enim tempore nauis Salomonis in lib. Regnorum redire dicitur. Atqui erant talia dicentes. Si enim ad Indiam fugiebat , non erat opus ad Ioppen descendere , quæ est maritima Palæstinæ , adiacétque mari ad Occidentem vergenti. Per hoc pelagus nemo naui traiiciens , in Indiam peruenerit. Inter enim nostrum & Indicum mare multum telluris est & habitatæ , & inhabitabilis , montésque & multi & magni. Sinus item Ruber , quem deinde Indicus contingit. Præterea diuinæ Scripturæ testimonium dicit , Tharsis non esse ex vrbibus Indicis , neque etiam Tarsum , sed Africæ esse. In Isaïa enim iuxta Septuaginta editionem legitur : Lugete nauigia Carchedonis , quoniam interiit munitio vestra. Aquila tamen & Symmachus , Tharsis pro Carchedone verterunt : quum & Ezechiel memoriam Carchedonis fecerit : in Hebræo verò & Syro exemplaribus Tharsis inuentum sit. Vnde liquet , non in Indiam , sed Africæ Carchedonas Ionam profugisse.* Idem existimant Vatablus , Montanus , Palatius. Rabi Mebager, teste Aben-Ezra , dicit esse ciuitatem Tunez in Africa, quod etiam Vatablus annotauit. Ioannes Mercerus in Commentariis Ionæ 1. ad vers. 3. *Vt fugeret in Tharsis , id est , Tharsum Ciliciæ , vel Tunetum Africæ , seu Carthaginem. Hoc magis placet , quàm vt Tharsis mare significet mediterraneum. In qua sententia nonnulli recentiorum cum Chaldæo Paraphraste & Hieronymo , quasi non certum locum fugæ quæreret, sed quocúnque aura ferret, pergere animum induxisset , dum ne in Iudæa esset , loco prophetiæ , & Spiritus Dei. At ex contextu colligimus , certum constituisse locum nautas petere , Tharsis : & ibi tutum se fore credidit atque immunem à Domini mandato.* Tunes , seu Tunetum in Africa diuersam esse à Carthagine , Ortelius docet in Thesauro Geographico.

Genebrardus lib. 1. Chronographiæ , pag. 131. inquit : *Fugit Ionas vel , in Indiæ regionem , per mare-Rubrum , vt inde ad littora Sinus Persici , vel Niniue , quæ erat ad Tigrim se se infundentem Sinui Persico , à ceto euomitus fuerit.* Sed quid cogitabat Genebrardus quum hæc scribebat ? Scriptura enim disertè asserit Ionam in Iapho , seu Ioppe portus , quem nemo nescit in mari Mediterraneo esse , nauem conscendisse : at ex Mediterraneo tunc in Indiam , vel nulla , vel incomperta , certè immensa erat nauigatio. S. Hieronymus in 2. Isaiæ , ad vers. 16. *Neque enim Ionas de Ioppe nauigans , ad Indiam poterat peruenire , ad quam illo mari non potest nauigari.* Idem annotarunt S. Cyrillus , Theodoretus , Theophylactus, in verbis paulo antea descriptis. Nauigatio ab Ioppe in Indiam fieri non potest , nisi emensa tota fermè maris Mediterranei longitudine , ac superatis Gaditanis faucibus , seu Freto Herculeo , retrò ab læua circumnauigata Africa , præteruccto ingentis vastitatis promontorio Bonæ spei , per Oceanum Atlanticum , & Æthiopicum , deinde circumlustrata Arabia , Persia , Carmania per Erythræum , & Indicum Oceanum , donec Indiæ oras attingas. Quam nauigationem fuisse ætate Ionæ incognitam , certè difficillimam & longissimam , & non nisi paucissimis casu magis , quàm vsu tentatam , nimis est peruagatum. At eam tunc Ionam cogitasse, fuisset planè stultissimum.

Emanuël Sà in 1. Ionæ ad vers. 3. hæc ait: *Septuaginta Interpretes Tharsis Carthaginem interdum vertunt : sed vertunt etiam aliquando mare : hîc eandem vocem reliquerunt , scilicet Tharsis , quod indicat intellexisse eos esse nomen proprium. Et quidem tanta eiusdem nominis repetitio hîc verisimile id facit, cùm præsertim paulò post mare vocet nomine vsitato, scilicet* ים *IAM.*

Ceterùm illa iam receptior interpretatio ferè obtinuit , in nauigatione Ionæ , Tharsis non esse certam aliquam terram & regionem , sed ipsum pelagus , vel mare mediterraneum significare : vt Ionas statuerit fugere in Tharsis , hoc est , in mare magnum & altum se dare , vel simpliciter pelago committere , vt ad quascumque posset oras, vel insulas appelleret , quocumque nimirum eum fortuna deferret : modò ne cogeretur in Niniuem proficisci. S. Hieronymus in 2. Isaiæ , ad vers. 16. *Melius autem est Tharsis , vel mare , vel pelagus absolutè accipere. Neque enim Ionas de Ioppe nauigans , ad Indiam poterat peruenire , ad quam illo mari non potest nauigari : sed simpliciter ire in pelagus , & ad quascumque insulas pergere.* Et in Daniel. 10. ad vers. 6. *Ionas fugere cupiebat , non in Tarsum vrbem Ciliciæ , vel in Indiæ regionem : sed absolutè in pelagus.* Et in 1. Ionæ , ad vers. 3. *Ionas imitatus Cain , & recedere volens à facie Domini , fugere voluit in Tharsis : quam Iosephus intepretatur Tarsum Ciliciæ ciuitatem prima tantum littera commutata : quantum verò in Paralipomenon libris intelligi datur , quidam locus Indiæ sic vocatur. Porrò Hebræi Tharsis mare dici generaliter autumant , secundum illud , In spiritu vehementi confringes naues Tharsis , id est , maris. Et in Isaïa : Vlulate naues Tharsis. Super quo ante annos plurimos , in Epistola quadam ad Marcellam dixisse me memini. Non igitur Propheta ad certum fugere cupiebat locum : sed mare ingrediens , quocumque pergere festinabat : & magis hoc conuenit fugitiuo & timido : non locum fugæ otiosè eligere , sed primam occasionem accipere na*

re nauigandi. Hanc S. Hieronymi ſententiam & interpretationem de Tharſis Ionæ, ſecuti ſunt complures recentiorum, Adamus Delphius in 23. Iſaïæ, ad verſ. 1. Conradus Pellicanus, Ribera in 1. Ionæ, Num. 20. 21. 22. Pererius lib. 12. in Danielem, Gomara in Generali Hiſtoria Indiarum, ad finem, & alij. Equidem Riberæ illa ratio pollet: nam ſi nauis Ionæ ibat in certam aliquam vrbem aut regionem, quæ diceretur Tharſis, puta in Tarſum Ciliciæ, aut Carthaginem Africæ, quid eſt quod verſ 8. nautæ interrogant Ionam: *Quæ terra tua & quò vadis?* poſtquam illis euntibus in determinatum locum Tharſis, ſe ſe adiunxerat. At Sà, Caſtrus, Figuerius, Palatius refragantur, quòd verba illa: *Surrexit Ionas vt fugeret in Tharſis: & inuenit nauem euntem in Tharſis: & deſcendit in eam, vt iret cum eis in Tharſis.* Certum & deſtinatum locum in quem nauis illa iret, proculdubiò indicare videntur. Nam vt dicamus Ionam in nullum certum locum fugere deſtinaſſe, ſed quocumque eum fortuna raperet: at cogitari non poteſt, nautas & vectores, ad nullum certum & determinatum locum nauigare inſtituiſſe. Idem quoque exiſtimat Pineda lib. 4. de Salomone, cap. 5. Sanè dubitari non poteſt nautas & vectores in certam aliquam terram, aut portum cogitaſſe: niſi fortè piratæ vagantes, & in incerta maris diſcurrentes eſſent, quod non credo. Sed cum Scriptura ait, nauem illam iuiſſe in Tharſis, tantum ſignificare voluit iuiſſe in mare magnum, & altum, fuiſſéque nauem magnam & onerariam Mediterranei: nec explicatè & apertè dixit nauigaſſe in certum portum, quamuis ſatis id intelligeretur. Equidem Chaldæus Paraphraſtes, in hac hiſtoria Ionæ pro Tharſis ſemper interpretatur mare: *Et ſurrexit Ionas, vt fugeret ad mare. Et inuenit nauem quæ ibat ad mare, & deſcendit in eam, vt iret cum eis ad mare.* Et cap. 4. verſ. 2. *Quamobrem feſtinaui fugere ad mare.* Atque eodem modo mare etiam exponit Rabbi Scelomoh. Verùm de his plenius Interpretes.

Pineda lib. 4. de Salomone, cap. 15. §. 12. putat Ionam adornaſſe fugam in Hiſpaniam, ſeu Oram Tarteſſiacam. Hoc tam verum aut veriſimile eſt, quàm illud quod cap. 12. anteà deſumpſerat ſibi probandum, Cetum Iona grauidum ſpatio tantum trium dierum & trium noctium è mari Phœnicio volaſſe totam ferme longitudinem Mediterranei maris, ac per Herculeas fauces erumpentem, immani circuitu totam Africam & vaſtiſſimum illud Bonæ ſpei Promontorium circumnauigaſſe, ac tandem in Sinum Arabicum irrupſiſſe, atque in eius littore Ionam euomuiſſe. Nonne facilius eum vomere potuit ad oram Perſici Sinus, vnde breuior & facilior in Niniuem via? Cui obſecro id ſe perſuaſurum putauit Pineda?

Forerius in Iſaïæ 23. ad verſ. 10. hæc annotauit: *Quando autem Tharſis, cum ה he, motus inuenitur תרשישה Tharſiſah, credo idem eſſe quod vltra mare. Sic Ionas vltra Mediterraneum mare fugere conſtituerat, vt ſunt Græcia, Italia, &c. Et naues quæ ad oram maris-Rubri conficiebantur, per mare-Rubrum in Oceanum Indicum proficiſcebantur, quod pertranſeuntes applicabant ad Ophir, & littora alia Orientalia, vnde aurum, &c. deferebant.* Porrò Tharſiſah cum He in fine, quod motus, vel locus indicium eſſe ſolet, tribus tantùm locis reperitur, Iſaïæ 23. 6. *Tranſite Tharſiſach.* Noſter, *maria.* Ionæ 1. 3. *Et ſurrexit Ionas vt fugeret Tharſiſah,* ſeu *in Tharſis.* Et ſtatim: *vt iret cum eis Tharſiſah,* in Tharſis. In libris verò Regum & Paralipomenon, vbi deſcribitur nauigatio in Tharſis, & Ophir, Tharſis haudquaquam ponitur cum He locali Tharſiſah. Marinus obſeruauit, cum Tharſis habet He in fine, nimirum Tharſiſach eſſe femininum genere, quod He in fine ſequioris ſexus ſit nota.

De Tharſis porrò illud adiicimus, Haithonum Armenum de Tartaris cap. 2. prodere, in Oriente vltra Perſiam eſſe quoddam peramplum regnum, Tarſa nuncupatum, quod ab Oriente habet regnum, Cathay, ab Aquilone deſerta Tartariæ, ab occaſu Regnum Turqueſtan, à Meridie prouinciam Syn. Forſan eam quam nunc vocant Siam. Exiſtimátque idem auctor ex illa Tarſæ regione aduenisſe tres illos Magos in Bethleem ad Deum Infantem adorandum. Cuius quoque ſententiæ adſtipulantur Ortelius & Mercator in Tabulis Indiæ, & Tartariæ, Genebrardus lib. 2. Chronographiæ, pag. 212. Vide quæ lib. 4. cap. 9. ex Haithono, & cap. 11. ex Ottone Friſingenſi de iis Magis annotauimus: vt iam de Magis ex Tarſa ad Chriſtum adorandum venientibus, intelligi poſſe videatur illud Pſalm. 71. 10. *Reges Tharſis & inſulæ numera offerent.* Verùm de his aliàs.

Conſultò Pinedam diſtulimus, (& omiſiſſemus ſanè libentius, niſi ea eſſent quorundam ingenia, quibus neceſſe ſit vtcumque ſatisfieri:) vt ſi quis cordatior hæc legere contempſerit, facilè poſſit, ſine diatribæ Tharſis vllo diſpendio, in partem vili diſputatione ſemota. lib. 4. de Salomone, cap. 5. numero 2. ait: *Quòd Tharſis potius ſit nomen appellatiuum maris, quàm proprium regionis alicuius, lociue terrarum, conatur probare Maluenda lib. 5. de Antichriſto, cap. 14. ex ſententia Forerij, Leonis Iudæ, Emanuelis Sà, Marini. Potuiſſet plurimos alios longéque grauiores addere, ſuo loco à nobis indicandos: & confirmat ex Latina interpretatione, quæ pro Tharſis ſolummodo vertit mare, 3. Reg. 10. 22. & cap. 22. 49. 2. Paralip. 9. 21. & cap. 20. verſ. 36. 37. Sed neque hæc ratio apud illum magni eſſe debet, cùm nullam certam eius nominis ſignificationem ipſe ſtatuat: ſed tot admittat, quod excogitatæ ſunt ab auctoribus, etiam inter ſe pugnantibus.* Hæc Pineda, in quibus nonnulla expendamus: ait.

Conatur probare Maluenda lib. 5. cap. 14. ex ſententia Forerij, &c. Non lib. 5. cap. 14. ſed libro 3. cap. 20. §. *Sed verius exiſtimamus*, in margine. Deinde id ego ibi non agebam, vt ex auctoritate Forerij, & iſtorum paucorum probarem, Tharſis potius eſſe nomen appellatiuum maris, quàm proprium regionis alicuius: ſed tantùm enodabam vim illius Hebraiſmi, *Naues Tharſis,* quænam nimirum dictæ ſint, vel cur dictæ ſint, Naues Tharſis, quem recentiores illi ita explicabant, Naues maris magni & alti, ſeu Mediterranei ſeu Oceani, id eſt, magnas & onerarias. At hæc nunquam ſum conatus probare, Tharſis ſemper mare, & nunquam certam aliquam terram ſignificare in Scriptura: ſed quòd mare ſignificet illis peculiariter locis quæ ibi notaui, nempe 3. Regum, 10. 22. & 2. Paralipom. 9. 21. ac 3. Regum, 22. 49. & 2. Paralipom. 20. verſ. 36. 37. vti etiam lib. 5. cap. 14. latiùs demonſtraui in eiſdem, & aliis quibuſdam locis à me ibi citatis, Tharſis mare deſignari.

Potuiſſet

Potuiſſet plurimos alios, longèque grauiores addere. Ego lib. 5. cap. 14. quòd Tharſis interdum in diuinis litteris ſit mare, probaui auctoritate cumprimis Vulgati Interpretis, aperta ſanè & ineluctabili, deinde S. Hieronymi, Rabbi Scelomoh, Forerij, Mercerij, Vatabli, Leonis Iudæ, Capellæ, Marini, Riberæ, Genebrardi, Sa. Nec plures tunc citaui, qui plures non vidi. Citaui iam in hac editione plures ſupra hoc ipſo capite, §. 2. Sed nec Pineda, nec ego, nec vllus grauiores in hac cauſa laudabit, quàm ſint Vulgatus Interpres & S. Hieronymus.

Suo loco à nobis indicandos. Perquiſiui diligenter vbi eos indicaret, & reperi tandem eodem libro 4. cap. 16. §. 1. vbi habet: *Quanquam illud notiſſimum, non rarò ſumi à bonis ſcriptoribus Tharſis pro mari vaſto, vt docet Hieronymus ad Marcellam, & Iſaiæ 2. à quo mutuati ſunt recentiores, Beroaldus in Chronico, Genebrardus in Pſalm. 47. Pererius Geneſ. 10. Ribera Ionæ 1. Maluenda lib. 5. cap. 14. de quo diximus ſuperius.* Magnum Theſaurum! Ego citaui duodecim auctores, ille quinque: omnéſque quos ille citauit, ego iam laudaui, præter duos Beroaldum nouatorem, & Pererium. Hi ſunt illi plurimi, & longè grauiores, quos addere potuiſſem?

Quæ pro Tharſis ſolummodo vertit mare, 3. Regum, 10. 22. & cap. 22. 49. 2. Paralipom. 9. 21. & cap. 20. verſ. 36. 37. Pudendus error, ego inquam dixi Latinam interpretationem 2. Paralipom. 9. 21. & cap. 10. verſ. 36. 37. pro Tharſis mare vertere? vbi mens fuiſſet? cùm his locis expreſsè in Vulgata vox Tharſis in interpretata, vt eſt in Fonte, relicta ſit. Loca in quibus Tharſis mare redditur à Vulgato Interprete, diſertè annotaui lib. 5. cap. 14. §. *Vulgatus Interpres vocem, &c.* in priori editione: & in recentiori iſta, ſupra hoc cap. 29. §. 1. Dixi tamen in his tribus locis, quæ Pineda citat ex Paralipomenon 2. Tharſis, quamuis ſine interpretatione poſitum à Vulgato, ſignificare nihilominus mare. Inſpiciantur duo §§. illius cap. 14. mei, nempe §. *Vulgatus Interpres vocem, &c.* & §. *Sic igitur vocabulum.* & ſi Pineda non eſt hallucinatus, ego cæcutio.

Sed tot admittat, quot excogitatæ ſunt ab auctoribus etiam inter ſe pugnantibus. Admiſi ſignificata Tharſis iſta, Ciliciam, ſeu Tarſum, Mare, Indiæ regionem, Carthaginem, ex auctoritate S. Hieronymi, LXX. Vulgati, & aliorum grauiſſimorum auctorum, cùm veterum tum recentiorum. Hæc inter ſe non pugnant, ſed ſunt diuerſa loca, quæ plerumque vno eadémque vocabulo ſignificari, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum. S. Hieronymus, & mille alij paſſim clamant, Tharſis homonymum eſſe vocabulum, & multa, diuerſáque denotare, non contraria aut pugnantia. In quibuſdam Scripturæ locis Tharſis vnum ſignificat, in aliis aliud, atque aliud: & cùm non ſatis conſtat quid alicubi ſignificet, admitti poſſunt tunc diuerſæ aliorum interpretationes, quia de propria & genuina non liquet. Hæc ſatis.

De Tharſis verò lapide pretioſo perſcrutatio cùm non ſit præſentis inſtituti, in commodius aliud tempus & otium amandetur. Ergo hoc Ezechielis loco, vbi Tharſis inter gentes vel mercaturæ, vel militiæ cauſa ſecuturas Antichriſti caſtra recenſetur, eo nomine Tarſenſes, ſeu Cilicas, vel Africanos, ſeu Carthaginenſes facilè deſignatos exiſtimare par eſt. Sed præſtat vno breui indice gentes omnes quas S. Ezechiel vaticinatur ſecuturas arma & exercitus Antichriſti, hîc perſtringere: eas S. Hieronymus in 38. Ezechielis, ad verſ. 2. his verbis enumerat: *Gog & Magog gentes eſſe Scythicas, immanes, & innumerabiles, quæ trans Caucaſum montem, & Maotidem Paludem, & prope Caſpium mare ad Indiam vſque tendantur: & has eſſe à diabolo commouendas, quæ veniant in terram Iſraël, vt pugnent contra Sanctos, multis ſecum gentibus congregatis. Primum, Moſoch, quos Ioſephus interpretatur Cappadoces, deinde Thubal, quos idem Iberos, vel Hiſpanos, Hebræi Italos ſuſpicantur:* (Iberos Ponticos potiùs futuros diximus cap. 24. *habentes ſecum in exercitu Perſas, Æthiopas, & Libyas: Gomer quoque, & Thogorma, quos Galatas, & Phrygas interpretantur: Sabæos quoque & Dedan, & Carthaginenſes, ſiue Tharſis.*

Variæ de Gog & Magog opiniones.

CAP XXX.

HOrum nominum celebris extat mentio Ezechielis 38. & 39. & Apocalypſis 20. de quibus inſignia eiſdem locis prætexuntur vaticinia, à nobis poſteà ſuis quæque locis accuratè elucidanda. Nunc illud cum ſtudio declarandum, quænam gentes aut rationes, ſeu quinam Reges, aut Principes, vel quidnam demum ſint in Scriptura Gog & Magog. Extant innumeræ de his, variæque Hebræorum, Græcorum, Latinorúmque ſententiæ, ſed nos clariores notabimus.

Prima Opinio.

Iudæi, qui adhuc ſuum Meſſiam venturum exſpectant, credunt tempore Meſſiæ aduenturum Gog, quem ipſi Antichriſtum interpretantur, nimirum Regem quendam Barbarum, trucem, immani potentia, ſecúmque tracturum Magog, hoc eſt, innumeras, feráſque gentes, vaſtis agminibus & exercitibus coactas, & pugnaturum totis viribus in Ieruſalem ac Iudæa contra ſuum Meſſiam: Sed tandem à Meſſia vincendum & interficiendum Gog, eiúſque exercitus, nempe Magog, funditus delendos. Atque tantam futuram Magog, id eſt, exercituum & copiarum Gog ſtragem, vt ſeptem continuos menſes neceſſe ſit Iudæos inſumere in ſepeliendis cæſorum hoſtium cadaueribus, ac repurganda terra à tabo & dira lue corporum interfectorum. Quin etiam ſeptem integros annos, nulla alia ligna in domeſticos vſus Iudæos crematuros, niſi haſtas, clypeos, ſagittas, & alia bellica inſtrumenta occiſorum in eo cruentiſſimo prælio. Confecto autem ſtrenuè atque ex animi ſententia per Meſſiam funeſto illo bello aduerſum Gog & Magog, conciſis & extinctis cunctis Meſſiæ hoſtibus, regnaturos Iudæos cum ſuo Meſſia in Ieruſalem & Iudæa feliciſſimè, & futura tunc aurea prorſus ſæcula, longáque in pace & opulentia, ac rerum omnium copia, ſubactis nationibus, totius orbis Imperio potituros. Hanc eſſe infelicium Verporum inanem ſpem, ac falſam perſuaſionem, facilè intelligi poteſt ex Rabbinis, præſertim Scelomoh, & Kimchi paſſim in Commentariis Pſalmorum & Prophetarum, & ex

& ex libro Abkath Rochel, id est, Puluis Aromaticus, edito à Rabbi Iaacob, vel à Rabbi Mechir, de quo vide Masium ad finem Commentariorum in Iosuë, & Bibliothecam Rabbinicam Ioannis Buxtorfij. Quin etiam, & ex Nostris plurimi annotarunt hanc esse Iudæorum obstinatam opinationem, vti Lyranus ad finem Commentariorum in Danielem, & in 38. Ezechielis, Galatinus lib.5. Arcanorum Catholicæ Veritatis, cap.12. Nicolaus Porchetus Parte 1.Victoriæ, contra Iudæos, cap.3. Isidorus Clarius in 38.Ezechielis, & alij.

Ceterùm miseri & deplorati Iudæi, valido splendore veritatis, quasi vespertiliones hallucinantur, & inter densas errotis sui tenebras, scintillam aliquam lucis aspiciunt. Verum quidem est, Christum nostrum verum Deum, contra Gog & Magog, id est, exercitus Antichristi, pugnaturum: ac tandem Antichristum, cum Gog & Magog delendum à Christo vti hæc omnia inferiùs suis locis pleniùs demonstrabimus. Sed enim toto cælo recutiti aberrant, cùm putant hæc omnia ingentia prælia Gog & Magog futura in primo Messiæ aduentu, quem ipsi adhuc falsò & infeliciter præstolantur: confundentes vti sæpè solent, duos Messiæ aduentus, alterum humilem in carne passibili: glorioſum alterum, & maiestate plenissimum in fine sæculi, propè quem vaticinia Ezechielis & Ioannis de bello, cladéque Gog & Magog fore complenda abundè suo loco docebimus. Deinde inani spe se lactant fœrentes, de aureis sæculis hîe in terra futuris in rerum omnium terrenarum abundantia & copia: cùm ea non nisi in cælo, vbi vera felicitas, sint expectanda, iis tantùm qui in verum Messiam, id est, Iesum Christum Dei filium crediderint, & eius mandata seruauerint. Nec animaduertunt calamitosi homines, se se ipsos futuros qui cum Antichristo vero, hoc est, digno illorum Messia, aduersus verum Christum, id est, nostrum, eiúsque Ecclesiam in fine mundi pugnabunt: tametsi posteà multi ad Fidem conuertentur.

II. Chiliastæ, hoc est, Millenarij, existimarunt, Gog & Magog, post mille annos à morte Antichristi, & Regno Christi in terris, post primam hominum resurrectionem, pugnaturos cum Christo, ac Sanctis eius. Hanc sententiam S.Hieronymus in 38. Ezechielis, initio, his verbis recenset: *Igitur Iudæi & nostri Iudaïzantes putant Gog gentes esse Scythicas, immanes & innumerabiles, quæ trans Caucasum montem, & Mæoticam paludem, & prope Caspium mare ad Indiam vsque tendantur: & has post mille annorum regnum esse à diabolo commouendas, quæ veniant in terram Israël, & pugnent contra Sanctos, multis secum gentibus congregatis. Et hoc est quod Ioannes quoque ponit in sua Apocalypsi.* At de Chiliastarum opinione dicemus copiosè lib.12. cap.1. & seqq.

III. Eusebius Cæsariensis lib. 9. Demonstr. Euang. cap.3. siue ex sua, siue ex aliorum sententia, scripsit, Gog. esse Romanum Imperatorem, & Magog Romanum Imperium. Elucidans enim vaticinium illud Balaam Numeror. 24. 7. quod iuxta LXX. Interpretes ipse ita legit: *Et extolletur Gog regnum, & augebitur regnum eius.* hæc habet: *Cuius* (Christi Domini) *tempore etiam Gog regnum in sublime adauctum est, cum eo simul Christi virtute ac potentia crescente. Hoc autem modo aiunt, Romanorum Regnum secundum Hebræos significari, cum quo simul Christi doctrina robur atque incremen-*

tum accepit. Meminit autem Gog etiam propheta Ezechiel, dum principem Ros, Mosoch, & Thobel nominat. Vbi per illud quidem Ros, Romanam, vt par est, ciuitatem significat, quandoquidem principatus & caput ea voce apud Hebræos intelligitur. Per Mosoch Mysiam, & ei finitimas gentes, quæcumque nunc sub Romano Imperio sunt: & per Thobel Iberiam Iosephus intelligit, qui à Thobel dicit factos esse Thobeleos, qui Iberes dicuntur. Quibus omnibus imperantem Gog, in sublime ad augendum ait, sub eius Christi, de quo Prophetæ loquuntur aduentum.

Equidem quantumuis aliunde ex Scriptura ostendi posset, quod tamen non facilè credo, Gog esse Imperatorem Romanorum, & Magog Romanum Imperium: at quæ Ezechiel & Ioannes de Gog & Magog sunt vaticinati nullo pacto in Romanum Imperium aut Imperatorem posse competere, luce meridiana clarius apparet. Siquidem ea quæ ij sacri vates de Gog & Magog prænuntiarunt, vel sunt iam impleta, vel adhuc implenda: si impleta, vbinam quæso vnquam memoriæ proditum est, Romanum exercitum fulminibus ac igne cælesti, intestinisque ac mutuis militum cædibus, aut gladiis, in montibus Israël concidisse, aut penitus fuisse consumptum? Et multa alia quæ vterque Propheta de Gog & Magog, prædixit, quando vnquam facta in Imperatore aut Imperio Romano? neque enim ea contigisse ex vllis Annalibus aut Historiis astrui poterit. Si adhuc implenda sunt, iam lib. 5. diffusè docuimus, non venturum Antichristum, nisi priùs extinctum & deletum penitus de mundo fuerit Romanum Imperium: at Gog & Magog disertè Ezechiel & Ioannes affirmant, futuros præcipuam partem in exercitibus Antichristi, ac sub signis eius militaturos. Et sanè extra omnem controuersiam constituere debemus, quæ Ezechiel & Ioannes de Gog & Magog cecinere, ad tempora Antichristi esse referenda, quando Gog & Magog erunt præcipuum robur exercituum Antichristi, & quando iam nullum erit Imperium Romanum in orbe, vti suo loco ex professo demonstrabimus.

Sed locum Vaticinij Balaami paululum excutiamus, neque enim erit præter institutum, & fructum. LXX. variè hîe leguntur. *Apud Origenem*, quidem: *Et exaltabitur Gog regnum eius.* Apud S.Cyprianum lib. 2. Testimoniorum, cap. 10. *Et exaltabitur Gog regnum ipsius.* In manuscriptis S.Cypriani, teste Nobilio Flaminio: *Et exaltabitur quàm Gog regnum eius.* S. Hieronymus in 38. Ezechielis: *Et eleuabitur Gog regnum eius.* Symmachus apud Theodoretum Quæst. 43. in Numeros: *Ex exaltabitur super Og rex eius.* Symmachus & Theodotion apud Procopium: *Exaltabitur supra Gog regnum eius.* S. Ambrosius, vt annotant Pamelius & Cornelius à Lapide: *Et attolletur regnum eius in altum.* Gog exposuit Tectum, id est, altum. Samaritani codices apud diodorum Tarsensem: *Et exaltabitur super Gog rex eius.* Theodoretus: *Et exaltabitur super regnum illius.* Omissa voce *Gog.* Editiones Græcæ LXX. Interpretum, Complutensis, Regia, Roberti Stephani: *Et exaltabitur Psoch regnum*, vel, *regnum eius.* Liquet corruptam esse vocem *Psoch.* Romana verò Xysti V. *Et exaltabitur Gog regnum.*

Hebræa ad verbum ita reddes: *Et eleuabitur* (*exaltabitur, attolletur, attollet se*) *de* (*à, ab*) *Agag rex eius*, quod variè exponunt: *Et eleuabitur præ*

Agag

Agag (*magis quàm Agag*) *rex eius.* Ita Sanctes, Marinus, Ribera, & Montanus. Vel vt Leo Iudas, *Altus erit rex eius ab Agag.* Vatablus, *Excellens erit magis quàm Agag res eius.* Isidorus Clarius: *Extolletur propter Agag* (*super Agag*) *rex eius.* Oleastrius: *Ascendet magis quàm Agag rex eius.* Burgensis, *Super extolletur super Agag rex eius.* Tremellius & Iunius: *Sic assurget supra Agagum rex eius.* Drusius: *Extollitur magis quàm Agag rex eius.* Cornelius à Lapide: *Tollet propter Agag regnum eius.* Chaldæus Paraphrastes: *Et roborabitur plusquam Agag rex eius.* Sensum loci esse volunt, Primò. Regem, seu regnum Israëlitarum maius, potentius, præstantius, opulentius futurum regibus & regno Amalecitarum, qui communi nomine vocati sunt Agag, vt Imperatores Romani, Cæsares, Ægypti reges, Pharaones, &c. Ita Vatablus, Clarius, Oleastrius. Franciscus Iunius & Tremellius Emanuel hæc annotat: *Erit regnum eius multo opulentius, quàm Amalecitarum, quod eo tempore erat florentissimum. Sinechdochicè: nam Reges Amalecitarum Agagi dicebantur, vt Ægyptiorum Pharaones, 1. Regum, 15. 18.* Ita quoque locum hunc interpretatur Ribera in 20. Apocalypsis, numero 59. in hæc verba: *Et exaltabitur magis quàm Agag rex eius, id est, Reges Hebræorum potentiores erunt finitimis regibus, etiam potentissimis, qualis fuit Agag.* Secundò propriè Vatablus putat Balaamum vaticinatum de magnitudine & amplitudine regni Dauidis, seu verius Christi, cuius Dauid insignis extitit typus, quasi dicat, Attolletur Dauidis seu Christi regnum supra regna Amalecitarum, & quæuis alia potentissima. Agag esse commune nomen Regum Amalecitarum, vt Pharaones Ægyptiorum, Cæsares Romanorum, è Rabbi Mose Gerundensi annotarunt Tremellius, Iunius, Drusius. Tertiò, singulariter de Saüle, id est, Saül Rex Israël, eleuabitur præ Agag, super Agag, superabit, vincet Agag regem Amalecitarum, vt canat victoriam quam Saül reportauit de Agag rege Amalec. 1. Regum, 15. Ita Rabbi Scelomoh, Lyranus, Caietanus, Vatablus, Clarius, Oleastrius, Cornelius à Lapide, Sà, Burgensis, Tremellius, & Iunius, Drusius, Item Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. cap. 17. Marinus in Arca Noë, in voce *Agag.* Quartò, Steuchus & Oleastrius Hebræa ita conuertunt: *Et tollet* (leuabit) *ab Agag regnum eius.* Hoc est, Saul auferet regnum ipsi Agag regi Amalecitarum, vt scribitur 1. Regum, 15. Vel, *Et eleuabit ab Agag regem eius*, seu, *Tolletur de Agag regnum eius.* Hæc propterea displicent, quod Hebraïcè non sit Regnum *eius*, sed, *Rex eius.*

Nostet reddidit: *Et tolletur propter Agag rex eius*, nam præpositionem *Min*, id est, *de, ab*, interdum in Scriptura poni pro, *propter*, Deuteronomij 7. 7. Psalm. 11. 6. & alibi occurrunt exempla frequentia. Vulgati sensum hunc esse volunt: Saülem primum regem Israëlis, tollendum è medio, atque ei regnum adimendum, eo quod, pepercerit Agag regi Amalecitarum contra Domini præceptum. Historia extat 1. Regum, 15. *Tolletur*, de medio, id est, peribit, *rex eius*, nempe Saül rex Israëlis, *propter Agag.* id est, propterea quòd contra Dei mandatum, seruauit Agag, eiúsque primogenita. Probat hanc interpretationem S. Hieronymus, cùm enarrans verba Domini ad Gog Ezechielis, 38. vers. 17. hæc habet: *Et facit Deus apostrophan ad ipsum Gog: Nonne tu ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis, in manibus seruorum meorum Prophetarum Israël? Moysi videlicet, qui ait in Numerorum libro, dumtaxat iuxta Septuaginta: Egredietur homo de semine eius, & dominabitur gentium plurimarum: & eleuabitur Gog regnum eius: & crescet regnum illius. Ceterùm iuxta Hebraïcum ita scriptum reperi: Tolletur propter Agag rex eius, & auferetur regnum illius, eo quod regnum Israël in Saüle propter Agag regem Amalec destructum sit.* Eandem expositionem adhibent, S. Beda, Rabbanus, Anselmus Laudunensis, Rupertus, Petrus Comestor, Lyranus, Cornelius à Lapide in 24. Numeror. Pamelius in Notis ad lib. 2. Testimoniorum, cap. 10. S. Cypriani, Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 17. Ribera in 20. Apocalyps. num. 59.

Sed quia verbum רום Rum in Kal, vt hîc ponitur, non facilè reperietur in Scriptura significare, Tolli de medio, amoueri, auferri: nisi in Hiphil, & Hophal, potiúsque in Kal denotat è loco, vel conditione, aut statu inferiori ad superiorem eleuari, attolli, euehi, sublimari, expendendum relinquimus, num hic sit aptior sensus: *Tolletur*, attolletur, eleuabitur, *rex eius*, id est, Dauid rex Israël, *propter Agag.* hoc est, propter negotium & causam Agag, nimirum, quia Saul seruans Agag, amisit vitam & regnum, ob id quidem Dauid sublatus est à Deo in Regnum Saülis. Et quod subditur: *& auferetur regnum illius*, de Saüle dicatur, hoc est, quia in negotio Agag, Saül noluit Dei parere mandatis, euexit Deus Dauidem in regnum, & Saülem regno euertit. Vel sit vaticinium, quod regnum temporale Dauidis extinguendum esset prope aduentum Messiæ, Genes. 49. 10. *Non auferetur Sceptrum de Iuda, &c.*

Disquires, vndenam ergo LXX. Interpretes hîc Gog pro Agag inseruerunt? Forsan quod Hebraïcè est מאגו *Me Agag*, hoc est, *de Agag*, ipsi, vna voce, aliísque punctis legerunt, *Magog*, putantes idem esse quòd Gog. Sed melior est Steuchi coniectura, LXX. scripsisse ἀγὰγ, sed posteà facili lapsu diuulsam dictionem in ἀ γὼγ: quis enim nescit LXX. multis in locis non sua, sed exscribentium culpa, haberi deprauatos? quod vel simplex ipsa cum Hebraïca Veritate & editione Vulgata collatio perspicuè ostendit. Sed quia S. Hieronymus putat Moysen, seu Balaamum hoc loco iuxta LXX. Interpretes, & Gog vaticinatum: & Græci Interpretes de Gog putant hîc esse sermonem, de Gog quoque locum nos explanemus. *Et extolletur Gog regnum, & crescet regnum illius.* Quia nimirum tempore Antichristi, huiusque viribus Regnum Gog erit potentissimum & maximè formidabile, cùm omne suum robur cum Antichristo coniunget. Procopius Gazæus, quia illam Septuaginta sequitur lectionem, quæ habet: *Et exaltabitur supra Gog regnum eius*, quæ potius est Theodotionis, intelligit, Regnum Christi in fine sæculi, tempore Antichristi, extollendum supra Gog, quòd nimirum Gog tunc cum suis copiis, & regno vincendus & extinguendus sit à Christo in montibus Israël, vti Ezechiel canit, & nos lib. 12. cap. 9. copiosè dicemus. Procopij verba sunt: *Balaam fortunam Israëlis celebrat vaticinio de eo qui ex eis oriundus esset. Eadem verò prophetia quid postremis temporibus per Christum gerendum esset, prædicit. Ac vt luculentissimum finem bellis Gogicis faciat, qui Gog vltimo insultu contra Sanctos Dei facto, igne cœlesti ac diuino cum exercitu suo absumetur, iuxta Ezechielis prophetiam.* Eandem explanationem amplectitur Cornelius à Lapide.

Liber

Libet hîc subtexere expositionem huius loci quam Thargum Ierosolymitana, id est, Paraphrasis Chaldaïca Ierosolymitana lingua conscripta, de Messia adhibet in hæc verba: *Fortior erit Saulo, qui pepercit Agag regi Amalecitarum: & multiplicabitur regnum regis Messiæ.* Iam vides, neque iuxta Hebræũ, nec iuxta Vulgatum, imò nec iuxta LXX. in loco Numer. 24. 7. vllam fieri mentionem, quòd Gog sit Imperator Rom. vti Eusebius somniarat.

IV. Plurimi tamen docuere, Gog & Magog, non esse intelligendas peculiares aliquas gentes Barbaras, incerta aliqua terræ regione degentes: sed per Magog significari Diabolum, per Gog verò quasvis gentes inimicas Ecclesiæ, toto terrarum orbe diffusas, quæ supremis mundi temporibus, imminente vniuersali iudicio, instinctu Diaboli postremam Ecclesiæ persecutionem, auspiciis, ductúque Antichristi, tunc rerum potientis, sunt illaturæ. Hæc est sententia S. Augustini, quam lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 11. hisce verbis expressit: *Et cùm finiti fuerint, inquit Ioannes, mille anni, soluetur Satanas de custodia sua, & exibit ad seducendas nationes, quæ sunt in quatuor angulis terræ, Gog & Magog, & trahet eos in bellum, quorum numerus est vt arena maris. Ad hoc ergo tunc seducet, vt in hoc bellum trahat. Nam & antea modis quibus poterat, per mala multa & varia seducebat. Exibit autem dictum est in apertam persecutionem de latebris erumpet odiorum. Hæc enim erit nouissima persecutio, nouissimo imminente Iudicio, quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur: vniuersa scilicet ciuitas Christi ab vniuersa diaboli ciuitate, quantacumque erit vtraque super terram. Gentes quippe istæ, quas appellat Gog & Magog, non sic sunt accipiendæ, tanquam sint aliqui in aliqua parte terrarum Barbari constituti: siue quos quidam suspicantur Getas & Massagetas, propter litteras horum nominum primas, siue aliquos alios alienigenas, & à Romano iure seiunctos. Toto namque terrarum orbe significati sunt isti esse, quum dictum est, Nationes, quæ sunt in quatuor angulis terræ: eásque subiecit esse Gog & Magog. Quorum interpretationem nominum esse comperimus, Gog tectum, Magog de tecto, tanquam Domus, & ipse qui procedit de domo. Gentes igitur sunt, in quibus Diabolum, velut in abyssо superius intelligebamus inclusum, & ipse de illis quodammodo se efferens & procedens, vt illæ sint tectum, ipse de tecto. Si autem vtrumque referamus ad gentes, non vnum horum ad illas, alterum ad diabolum: & tectum ipsæ sunt, quia in eis nunc includitur, & quodammodo tegitur Inimicus antiquus: & de tecto ipsæ erunt, quando in apertum odium de operto eruptura sunt.*

Sancti Augustini sententiam, & penè verba secuti sunt Primasius, S. Beda, Ansbertus, Haimo, Ambrosiaster, Strabus, Anselmus Laudunensis, Rupertus in 20. Apocalyps. & indicauit satis Tichonius homil. 17. in Apocalyps. ex recentioribus verò amplexi sunt, Auctor Compendij Theologiæ lib. 7. Viguerius Institut. Theologic. cap. 21. §. 3. Sotus in 4. sentent. distinct. 46. quæst. 1. art. 2. Driedo de Ecclesiasticis Scripturis lib. 3. cap. 3. extremo, Galatinus lib. 5. Arcanorum Catholicæ Veritatis, cap. 12. Prochetus part. 1. Victoriæ contra Iudæos, cap. 5. & alij.

Sanctus Prosper in Dimidio Temporis, cap. 4. aliter Gog & Magog interpretatur, his verbis: *Gog & Magog verba Hebræa, quæ Latinè tectum, & detectum dicuntur. Vt sic accipiamus tectum, quòd in abyssum missus sit Diabolus clausam, signatámque super eum: detectum verò, quia oportet eum solui & produci in breui tempore.*

Sanctus Hieronymus in Ezechiel. 38. aliam profert Gog & Magog mysticam explanationem, inquiens: *Gog Græco sermone δόμα, Latino tectum dicitur: porrò Magog interpretatur, de tecto. Omnis igitur superbia, & falsi nominis scientia, quæ erigit se contra notitiam veritatis, his nominibus demonstratur. Ista sunt tecta de quibus & Isaias 22. loquitur in visione contra Vallem Sion: Quid tibi factum est nunc, quoniam ascendistis omnes in tecta vana? Tectúmque interpretabimur, hæreticorum principes: & de tecto, eos qui illorum susceperе doctrinas.* Verùm posteà haud obscuris argumentis ostendemus Gog & Magog certam esse gentem & nationem.

V. Sanctus Ambrosius scribens ad Gratianum Imperatorem profecturum ad bellum contra Gothos qui se in Thraciam effuderant, Gog & Magog existimauit esse Gothorum gentes, vaticiniúmque Ezechielis de Gog & Magog, ad victoriam Gratiani de Gothis quam futuram sperabat, scitè accommodauit, in hunc modum lib. 2. de Fide ad Gratianum, cap. 4. differens: *Progredere planè scuto fidei septus, & gladium spiritus habens, progredere ad victoriam superioribus promissam temporibus, & diuinis Oraculis prophetatam. Namque & futuram nostri depopulationem, & bella Gothorum Ezechiel illo iam tempore prophetauit: sic enim habes: Propterea prophetiza fili hominis, & dic: O Gog, hæc dicit Dominus: Nónne in die illa quum constituetur habitare populus meus Israël in pace, surges, & venies de loco tuo ab extremo Aquilonis, & gentes tecum multæ, sessores equorum omnes, congregatio multa & magna, & virtus copiosa: & ascendes ad populum meum Israël, vt nubes, operire terram in nouissimis diebus, &c. Gog iste, Gothus est, quẽ iam videmus exisse, de quo promittitur nobis futura victoria, dicente Domino: Et depræ dabuntur eos qui depræ dati eos fuerant, & despoliabunt eos, qui sibi spolia detraxerant, dicit Dominus. Erítque in die illa, dabo Gog, hoc est, Gothis, locum nominatum monumentum in Israël, multorum virorum congestum, qui superuenerunt ad mare, & per circuitum struent vallis peristomium, & obruent illic Gog, & totam multitudinem eius, & vocabitur Polyandrium Gog, & obruet eos domus Israël vt purgetur terra. Nec ambiguum sancte Imperator, quòd qui perfidiæ alienæ pugnã excepimus, Fidei Catholicæ in te vigentis habituri simus auxilium.* Hæc Ambrosius.

Cuius sententiam S. Hieronymus Quæstionibus Hebraïcis in Genesim ita retulit: *Scio quendam* (Ambrosium) *Gog & Magog, tam de præsenti loco* (Genes. 10. 2.) *quàm de Ezechielis, ad Gothorum, nuper in terra nostra vagantium historiam retuliſse. Quod vtrum verum sit præsij ipsius fine monstrabitur.* Et Præfatione in Librum 11. Commentariorum in Ezechielem: *In prophetia difficillima breuiter admoneo, quòd vir nostræ ætatis haud ignobilis* (Ambrosius) *ad Imperatorem* (Gratianum) *scribens, super hac natione dixerit: Gog iste, Gothus est. Cui qua ratione possint omnia, quæ in ea scripta sunt coaptari, non est meum, sed eorum, qui hoc putant, differere.*

Qualem verò exitum, vigens tunc Gothorum bellum habuerit, ex auctoribus rerum cognoscere libet. Valens quidem Imperator haud expectato Gratiano, qui sibi suppetias laturus cũ valido exercitu in Thraciam magnis itineribus aduentabat, commisso prælio cum Gothis victus, fugatus, ac tandem combustus est, Romanúsque exercitus internecione deletus, vti abundè perscribunt, Ammianus Marcellinus lib. 31. Aurelius Victor in Valente, Ruffinus lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 13. Orosius lib. 7. cap. 33. Socrates lib. 4. cap. 31. Theodoretus lib. 4. cap. 31. Sozomenus lib. 6. cap. 4. Paulus

lus Diaconus lib.12. Miscellæ Histor.cap.16. Nicephorus lib.11. cap.50. Cedrenus,Zonaras, Glycas, Manasses, in Annalibus, Iornandes de Regnorum successionibus, cap. 14. & alij innumeri. Quin & S. Hieronymus epistola 3. & in Chronico, & sanctus Chrysostomus ad Viduam Iuniorem, infelicem Valentis interitum quoque narrant. Verùm Gothos posteà à Theodosio Valentis successore memorabili prælio victos, ac profligatos, Aurelius Victor in Theodosio, Orosius lib. 7. cap. 34. Theodoretus lib.5. Histor. Ecclesiastic. cap.5. Iornandes de Regnorum Successione, cap. 14. & alij sunt auctores. Sed in primis Themistius orat. 6. ita Theodosium alloquitur: *Vnde & tu optime Imperator, hauriens, nihil sagittariis, aut scutatis, nec Armeniis, aut Iberis, nec graui equite opus habuisti ad Scythicum illud incendium restinguendum. Solo quippe consilio, prudentiaque tua per sese flamma illa concidit.* Vt iam quæ sanctus Ambrosius de Victoria aduersus Gothos à Romanis obtinenda, ex accommodato Ezechielis vaticinio prænunciauerat, felici suo euentu non caruerint.

Tametsi existimemus sanctum Ambrosium oratorio potiùs modo, per accommodationem, & exemplum, traxisse prophetiam Ezechielis de Gog & Magog, ad speratam Romanorum de Gothis victoriam, quàm quod reuera crediderit Ezechielem primario, ac præcipuo sensu de victoria Romanorum aduersus Gothos locutum: cùm sanè, vt suo loco docebimus, quæ Ezechiel & Ioannes de Gog & Magog prædixerunt, propriè ad tempora Antichristi pertineant. In eo tamen quod sanctus Ambrosius asseruit Gog & Magog esse Gothos, haud putamus eius sententiam prorsus absurdam, aut repudiandam esse. Nam quamuis asseramus vaticinia Ezechielis, & Ioannis de Gog, & Magog, nequaquam victoriæ Theodotij de Gothis recte adaptari posse: at cùm adhuc Gothorum natio in Gothia vigeat, id est, in ipsa magna Scandia, seu Scandinauia, quid vetat, vt sicut olim in varias mundi regiones se non semel effudit, non etiam extremis mundi temporibus, cum aliis gentibus Aquilonaribus in Legionibus, & exercitibus Antichristi sub nomine Gog & Magog venire possit?

Haud dissimili artificio, quo sanctus Ambrosius, vsus est etiam sanctus Proclus Constantinopolitanæ Ecclesiæ adhuc Presbyter, antequam ad eius Ecclesiæ thronum conscendisset, in consimili alia de Scythis quos Gothos arbitrantur, ac Duce eorum Rhuga diuinitus à Theodosio Iuniore obtenta victoria prædicanda: quum vaticinium Ezechielis de Gog & Magog exitiali strage, ad fœdam Scytharum, seu Gothorum per Romanum exercitum internecionem, scitè, & aptè pro concione in Ecclesia disserens, accommodauit. Rem gestam scitu iucundam ex auctoribus accipe. Theodoretus lib.5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 36. *Etenim cùm Rhoilus Dux Scytharum, qui Nomadæ dicuntur, traiecto Istro, cum ingentibus copiis Thraciam populari, & prædas agere inciperet, Constantinopolim vrbem primariam obsessurum, momentóque temporis capturum, atque adeò solo æquaturum minaretur, Deus fulminum iactu, & facibus cælitus demissis, cum illum combussit tum vniuersum eius exercitum penitus absumpsit.* Eadem Nicephorus lib. 14. Hist. cap. 4.

Sed plenius ista Socrates lib.7. Histor. cap. 42. *Post Tyranni (* Ioannis *) necem, Barbari, quos ille ad auxilium sibi contra Romanos ferendum accersiuerat, in fines Imperij Romani incursionem facere constituerunt. Quo audito Imperator* (Theodosius,) *vti solebat, istarum rerum curam Deo commendauit: atque precibus se totum dedens, breui quod in optatis erat, est consecutus. Quibus autem cladibus Barbari opprimerentur, non incommodum est hoc loco recensere. Primùm illorum Dux, nomine Rugas fluminis iactu interiit: deinde pestis subsecuta, maximam partem hominum qui ei parebant, è medio sustulit. Neque hoc satis esse videbatur: sed ignis etiam de cælo delapsus, complures eorum qui supererant, absumpsit. Quæ res Barbarorum animis maximum iniecit timorem, non tam propterea quòd contra bellicosam Romanorum gentem arma ferre ausi fuissent, quam quòd Romanos a Deo præpotenti adiutos animaduerterent. Eodem tempore Proclus Episcopus prophetiam quandam ex Ezechiele petitam in Ecclesia docuit, eámque præclarè ad salutem iam tum Romanis à Deo datam, non sine maxima omnium commendatione accommodauit. Prophetia autem hæc est: Tu fili hominis, vaticinare super Gog principem Rhos, Misoch, & Trobel. Iudicabo eum morte & sanguine, & pluuia inundanti, & lapidibus grandinis, & ignem, & sulphur pluam super eum, & super omnes qui sunt cum eo, & in gentes multas cum eo: & magnificabor, & glorificabor, & notus ero in oculis multarum gentium: & scient, quia ego sum Dominus. Hac de causa Proclus maximam, vt dixi laudem consecutus est.* Eadem ad verbum Nicephorus lib. 14. Histor. cap. 38. Ducem illum Scytharum, seu Gothorum Socrates Rugam, Theodoretus verò, & Nicephorus Rhoilam appellant: quod & Barbara nomina variè a Græcis enuncientur, & fortè binominis fuerit.

Atqui in hoc præcipuè Procli commendatur dissertum ingenium, non quòd primario & historico sensu putauerit Ezechielis vaticinium de clade Gog & Magog de Rhoilæ ducis Scytharum, eiúsque exercitus interitu esse intelligendum: sed quòd ingeniosè & aptè verba Ezechielis de Gog, ex similitudine rei gestæ ad Rhugam ducem Scytharum, eiúsque copias accommodauerit. Ac si dixisset. Tale quid in Rhuga, eiusque exercitu contigisse, quale in exercitu Gog olim futurum Ezechiel prædixit.

VI. Existimarunt alij, Gog esse Getas, Magog verò Massagetas, vocibus colludentibus. Retulit hanc sententiam sanctus Augustinus 20 de Ciuitate Dei, cap. 11. sed minimè probauit. Sanctus Prosper in Dimidio Temporis, cap. 13. *Gog & Magog, vt quidam dixerunt, Gothos, & Mauros, Getas & Massagetas, per quorum sæuitiam ipse iam Diabolus Ecclesiam vastat.* Equidem Getas olim dictos, quos postmodum Gothos mundus appellauit. Spartianus in Antonino Caracalla. *Quod & Gothi, Geta dicerentur.* Et in Geta: *Adde, & Geticus, quasi Gothicus.* Sanctus Hieronymus Quæstionibus Hebraïcis in Genesim: *Et certè Gothos, omnes retrò eruditi magis Getas, quàm Gog & Magog appellare consueuerunt* Orosius lib.1. cap.16. *Modo autem Getæ illi, qui & nunc Gothi, quos Alexander euitandos pronunciauit, Pyrrhus exhorruit, Cæsar etiam declinauit.* Equidem Ausonius, Claudianus, Rutilius, Sidonius, & alij Poëtæ passim Getarum nomine Gothos intelligunt, qui quo illi tempore scribebant, notissimi erant. Procopius lib.1. Belli Gothici, Gotos, Getas esse dicit. Iornandes Episcopus Rauennas, qui res Gothorum insigni volumine stylo condidit, Getas in Præfatione appellat, opúsque, de Getarum, siue Gothorum origine, & rebus gestis inscripsit. Et cap. 5. inquit: *Getas iam superiori loco Gothos esse probauimus, Orosio Paulo dicente.*

tente. Philippus Cluuerius lib.4. de Antiqua Germania,c.34. pluribus demonstrare conatur,Gothos non esse Getas : sed Gothones Tacito in sua Germania,seu Gotones eidem Tacito Annali 2.vel Gutones Straboni lib. 7. aut Guttones Plinio lib. 4. cap.14.& lib.37.cap.7.vel Gythones Ptolemæo,gentem nimirum Germanicam. Rixámque mouet tot præstantissimis auctoribus , qui Gothos Getas esse putauêre. Sed sunt vana & futilia quæ Nouator somniauit.

De Getis plura Strabo lib. 7. pag. 204. & seqq. Plinius lib.4. cap.11.& 12. Mela lib.2. cap.2. Solinus cap.16.Dionysius in Periegesi, Dio lib. 51. vbi res M.Crassi sub Augusto,cum Getis gestas narrat, & lib. 67. in Domitiano. Auctor Suidas , Dionem hunc conscripsisse Getica. Getas à M. Antonio, & L. Vero superatos prodit Polyænus in Procœmio, lib. 6. Stratagematum. Getarum sæpè meminere Auctores. Ioannes Guillielmus Stuchius in Scholiis ad Periplum Arriani Ponti Euxini,pag.49.existimat Getas dictos à Gether , Genes. 10. 23. & 1. Paralipom. 1.17. filio Semi, à quo verisimile est fuisse oriundos. Sed delirat , cùm aliter doceant Iosephus 1. Antiquit.cap.7.& S.Hieronymus Quæstionibus Hebraicis in Genesim.

Gothorum verò rebus pleni sunt Annales & Historiæ. Propriè tamen de illis scripsere Iornandes de Origine & rebus gestis Gothorum, S.Isidorus in Chronico peculiari Gothorum,Ioannes Magnus Episcopus Vpsalensis in Gothia, Gothorum res viginti duobus libris explicauit. Vide seorsim Matthiam Michouiensem lib.1.de Sarmatia,cap.10. & 11. Ludouicum Viuem Præmonitione in libros S.Augustini de Ciuitate Dei.Gothos interdum nomine Scytharum Scriptoribus præsertim Ecclesiasticis, vt Eusebio lib.4.de Vita Constantini, cap.5. & aliis passim intelligi, res est nimium peruagata. Sed quod ad institutum propriè spectat, Gothos à Gog, & Magog oriundos & appellatos, non pauci credidere, nimirum S. Ambrosius, S.Prosper,quos superiùs laudauimus. S.Isidorus 9. Originum, c.2. inquit : *Magog , à quo arbitrantur Scythas & Gothos traxisse originem.* Et inferiùs : *Gothi à Magog filio Iapheth nominati putantur, de similitudine vltimæ syllabæ, quos veteres magis Getas,vel Gothos vocauerunt. Gens fortis & potentissima, corporum mole ardua, armorum genere terribilis,de quibus Lucanus:Hinc Dacus,premat inde Getes,occurrat Iberus.*Rudericus Toletanus lib.1.de Rebus Hispaniæ,cap.2.*De Magog Scythæ,qui & Massagetæ appellantur,& Gothi secundùm Isidorum.*Lucas Tudensis in Gothorum Historia, initio:*Gothorum antiquissima origo de Magog Iapheth filio orti,cum Scythis vna probantur origine:vnde non longè vocabulo discrepant : de mutata enim,ac detracta littera, Getæ quasi Scythæ sunt appellati.*

Ioannes Magnus scribit, in publicis Gothorum monumentis cõsignatum extare, Magogum filium Iapheti primum incoluisse Gothiam. Vide Pinedam lib.1. Monarch.Eccles. c.23. §.2.& Marianum Victorium in Indice operum S.Hieronymi,in voce *Magog.* Huc facit,quod scribit S.Isidor.lib.9.Originum, c.2. *Daci autem Gothorum soboles fuerunt,& dictos putant Dacos , quasi Dagos , quia de Gothorum stirpe creati sunt. De quibus ille.* (S. Paulinus Nolanus : *Ibis Aretos procul vsque Dagos.* Quasi dicas, Dagos, de Gog,vel de Getis. Dacos enim sobolem esse Getarum Iustinus lib. 33. prodit:& Getas Dacos Romanis dictos Strabo & Plinius testantur.

De Massagetis verò multa Herodotus lib. 1. num.104.& seqq. Diodorus Siculus lib.2. num.90. Strabo lib. 11. Plinius lib. 6. cap. 17. Mela lib. 1. cap.2. Solinus cap.22. Ptolemæus lib. 6. cap.10. & 13. Dio lib.69. in Hadriano , Ammianus lib. 31. cap. 5. Sanctus Isidorus lib. 6. Originum , cap. 2. De his autem canit Dionysius in Periegesi ; Interprete Andrea Papio:

Inde ortum versus , rapidi trans flumen Araxæ,
Messagetæ celeres docti vibrare sagittas.
In quorũ nec ego ipse manus,nec quisquã amicus,
Incidat : Hospitibus gens haud crudelior vlla,
Nam nec eis dat terra benignæ munera frugis,
Nec vini laticem : niueo sed lacte cruorem
Quadrupedẽ miscẽt,mensisq; hinc fercula ponunt.

Priscianus verò:

Post hos Massagetæ trans flumen Araxis,ad ortũ,
Hospitibus sæui cunctis,belloque feroces:
Non Bacchi donum,Cereris nec munera norunt:
Sed lac commixtum potant cum sanguine equino.

Ergo Gog & Magog esse Getas & Massagetas, nonnulli quoque recentiorum annotarunt. Montanus in Phaleg: *Magog, Massagetæ & Getæ, Ptolemæo , Pomponio , Straboni.* Delrius in Genes. 10. ad vers. 2. *Magog Getæ & Massagetæ, ab his Scythis dicta terra Magog Ezech.38.2. à Nicolao Damasceno Magogæi vocantur.* Eadem habent Torniellus anno mundi 1931.num.21.Cornelius à Lapide in 10. Genes. ad vers. 2.

Non multùm ab hac de Gog & Magog opinione abludit illa quam Aretas in 20. Apocalyps. His verbis recenset : *Has verò gentes Gog & Magog nonnulli dixerunt Scythas esse & Aquilonares , quæ à suis quoque sedibus frequenter pulsæ, eos in quos irruerunt , extinxerunt. Harum porrò incursu sæpenumero dirutam fuisse aiunt , eam quoque vrbem quam in Palæstina Scythopolim dicunt : & Gothorum turmam quandam in Asiæ regionibus , & bellicosam turbam sic appellatam asserunt , videlicet & Taiphalos , & Gothogræcos , quos communi vocabulo Hunnos nuncupamus , quonis autem vicino regno & fortiores & bellicosiores : diuina verò manu cohiberi ne toti mundo imperent , vsque ad solutionem diaboli , quemadmodum hoc loco prænunciatur. At quidam Gog ex Hebraïca lingua , congregantem , vel congregationem interpretantur : Magog verò , elatum : vt per vtrumque tam congregari , quam efferri,magnum & ingens malum manifestetur huius gentis aduentus iis, aduersus quos irruperit , vt diximus apportare.*

Atqui Gog & Magog Hunnos esse nonnulli veterum arbitrati sunt , quorum sententiam Andreas in 20. Apocalyps. pariter refert in hunc modum: *Sunt autem ex veteribus, qui per Gog & Magog gentes quasdam Scythicas & Aquilonares insinuatas existiment , quæ alio nomine Hunni appellentur,bellica virtute, & militum numero quauis terra potentia, finitimóque regno potentiores. Quare sola Dei manu & potestate coërcere dicuntur,ne toto terrarum orbe potiantur , suóque eundem Imperio subiugent, idque vsque ad Antichristi, Satanæque aduentum. Ceterùm quòd nomen Gog, si Latinè ex Hebræo interpreteris,sonet colligentem, vel collectionem, Magog autem eleuationem, vel eleuatum : quidam per eiusmodi nomina ingentem hominum turbam , hinc inde collectam , summámque mentis elationem significari arbitrantur.* Similia habet Aretas.

De Hunnis sanctus Hieronymus epist. 30. ad Oceanum : *Ecce subitò discurrentibus nuntiis, oriens totus intremuit:ab vltima Mæotide inter glacialem Tanaim,& Massagetarum immanes populos, vbi Caucasi rupibus feras gentes Alexandri clausira cohibent , erupisse Hunnorum examina , quæ pernicibus equis huc il-*

lúcque volitantia, cædis pariter & terroris cuncta complerent. Aberat tunc Romanus exercitus, & bellis ciuilibus in Italia tenebatur. Hanc gentem Herodotus refert sub Dario rege Medorum viginti annis orientem tenuisse captiuum, & ab Ægyptiis, atque Æthiopibus annuum exegisse vectigal. Abigat Iesus ab orbe Romano tales vltra bestias. Insperati vbique aderant, & famam celeritate vincentes, non religioni, non dignitatibus, non ætati parcebant, non vagientis miserabantur infantiæ. Cogebantur mori, nondum viuere cœperant: & nescientes malum suum, inter hostium manus, ac tela ridebant. Consonus inter omnes rumor, petere eos Ierosolymam, & ob nimiam auri cupiditatem ad hanc vrbem percurrere. Muri, neglecti pacis incuria, sarciebantur. Antiochia obsidebatur: Tyrus se volens à terra abrumpere, insulam quærebat antiquam. Tunc & nos compulsi sumus parare naues, esse in littore, aduentum hostium præcauere, & sæuientibus ventis, magis Barbaros metuere, quàm naufragium, non tam propriæ saluti, quàm Virginum castimoniæ prouidentes. Locus Herodoti est lib. 1. num. 104. & 105. & ex eo Eusebius in Chronico, num. MCCCLXXXVII. Sed S. Hieronymus non omnino ex fide retulit sententiam Herodoti, vide Scaligeri Eusebiana. Huc profecto respexit Claudianus sub initium lib. 2. in Rufinum:

——Alij per Caspia claustra,
Armeniásque niues inopino tramite ducti
Inuadunt Orientis opes. Iam pascua fumant
Cappadocũ, volucrúmque parens Argæus equorũ.
Iam rubet altus Halys, nec se defendit iniquo
Monte Cilix. Syriæ tractus vastantur amœni,
Assuetúmque choris & læta plebe canorum
Proterit imbellem sonipes hostilis Orontem.
Hic planctus Asiæ.

Verùm de Hunnis plura Sozomenus lib. 6. c. 37. & lib. 8. c. 1. & 25. & lib. 9. c. 5. Socrates lib. 4. c. 29. & alij, quos lib. 4. cap. 7. laudauimus.

VII. Voluerunt alij Gog & Magog esse gentes Cæles-Syriæ: nam Plinius Magog vrbem in Cæle-Syria esse scribit lib. 5. cap. 23. his verbis: *Syria-Cæle habet Apamiam, Marsya amne diuisam à Nazerinorum Tetrarchia, Bambycem, quæ alio nomine Hierapolis vocatur: Syris verò Magog, ibi prodigiosa Atargatis, Græcis autem Derceto dicta, colitur.* Strabo lib. 16. pag. 748. *Quatuor Schænorum spatio trans flumen Euphratem, est Bambyca, quam Edessam, & Hierapolim quoque, id est, Sacram vrbem vocant: in ea Atargatin Syriam deam colunt.* De Hierapoli Lucianus in Dea Syria initio: *Est in Syria ciuitas, non longè ab Euphrate flumine, vocatur autem Sacra, & est quoque Sacra Iunoni Assyriæ: Ceterùm nomen hoc videtur mihi non statim ab initio vrbi, quum condita est, impositum fuisse: sed antiquitus quidem aliud fuisse: posteà verò cùm sacra ibi magna subinde peragerentur, in hoc cognomentum euasisse.*

De Atargati autem, seu Derceto, Diodorus Siculus lib. 2. num. 65. *Est in Syria vrbs Ascalon, à qua non procul ingens & profundus lacus, piscium copia abundans, & in vicinia illustris deæ templum, quæ Derceto Syris vocatur, facie mulierem, & toto alias corpore piscem referens: idque has ob causas. Accolarum hîc disertissimi fabulantur, venerem ab illa offensam, acrem iuuenis, in sacrificantium turba non inelegantis, amorem Deæ iniecisse. Susceptáque è complexu Syri filia, cùm facinoris eam puderet, iuuenem necasse, puellulámque in petricosum quendam locum, ac desertum exposuisse. Ipsam verò pudore, & mœrore compulsam in lacum se abiecisse, in piscem inde transformatam. Hinc factum, vt Syri etiam nunc ab id genus animante abstineant, Deorúmque ritu pisces colant. Cùm verò ad exposita infantis locum magna columbarum vis nidularetur, mira quodam fato, & nutricatio, & salus ei contigit. Alarum enim complexu corpusculum infantis fouere, & in vicinis attegiis, derelictum à bubulcis, aliisque pastoribus lac obseruare, rostrisque exceptum mediis eius labris, vt alteræ nutrices instillare. Cúmque annum egressa firmiore indigeret nutrimento, de caseis, quantùm sat esset, decerptum illi suggerebant. Pastores autem reuersi, cùm caseos viderent circumrosos, primò rem insolitam mirari, tum obseruatione adhibita causam deprehendere. Virgunculam enim decore formæ insignem reperêre: quam in Magalia deportatam, regiorum magistro iumentorum, cui Simmæ nomen erat, donarunt. Is liberis carens, puellam vti filiam accuratissimè educauit, & Semiramidis nomen imposuit, Syrorum lingua à columbis deriuatum: quas Syrorum exinde natio, vt Deas perpetuò veneratur. Hæc de Semiramidis ortu fabulosè recitantur.*

Strabo lib. 16. extremo: *Nominum enim mutationes permultæ sunt, præsertim Barbarorũ, quemadmodũ Dariacẽ Darium: Pharzirim verò, Parisatim, Atargatam, Atharam dixerunt, quam Ctesias Derceto vocauit.*

Lucianus in Dea Syria; agens de Templo Deæ Syriæ, quod est Hierapoli: *Alij autem Semiramidem Babyloniam illam, cuius multa passim opera per Asiam extant, etiam hanc sedem consecrasse putant. Ceterùm non Ononi, sed matri suæ, cui nomen Derceto fuit. Dercetus autem imaginem in Phœnicia vidi spectaculum planè peregrinum, altera quidem parte mulierem, altera verò, quantum a femoribus ad imos pedes protenditur, in piscis caudam desinentem. At hæc quæ in sacra ciuitate est, tota mulier est. Porrò argumenta quibus huic narrationi fidem faciunt, non ita clara habent. Pisces rem sacram existimant, neque vnquam pisces attingunt. Deinde & aues alias quidem edunt columbam autem solam non edunt. Sed hæc sacra ipsis est. Et quòd hæc ita fiunt, placet ipsis Dercetus & Semiramidis gratia fieri: alterum quidem, quòd Derceto piscis formam habet; alterum autem, quòd Semiramis ad postremum in columbam versa est. At ego ipsam quidem eadem Semiramidis opus esse, fortassis permiserim: Dercetus autem sacram esse, haudquaquam credo: quando & apud Ægyptios nonnulli sunt, qui piscibus non vescuntur, idque in gratiam Dercetus minimè faciunt.* Ineptissima ratio.

Plutarchus in Crasso: *Deinde commorationes in Syria eius lacerauerunt quæstuariæ potiùs quàm Imperatoriæ. Non enim lustrauit exercitũ, non instituit ad exercendos milites certamina: sed vectigalia tantùm supputauit, Deæ Hieropolitanæ thesaurum ponderibus & trutinis per multos dies examinauit, indicebat populis, dynastisque militum delectus, mox pecuniæ causa remittebat. His rebus malè audiuit, & contemptui fuit. Omen primum ei offertur ab hac Dea, quàm Venerem, alij Iunonem, nonnulli eam quæ incunabula & semina omnibus ex humido præbuit, causam & naturam arbitrantur esse, & quæ principium omnium bonorum docuit mortales.* Eadem ad verbum Appianus in Parthicis.

Ælianus de Animalium natura lib. 12. cap. 2. *Ad Bambycem olim sic appellatam, nunc verò Hierapolim à Seleuco nuncupatam, pisces & sacri habentur, & confertis turmis natant. Duces item habent, qui cibos eis obiectos primi degustant, maximéque ex omnibus piscibus amicitiam inter se seruant, perpetuáque pace deuinciuntur: siue quod Dea* (Atargatis) *hunc animorum consensum eis afflat: siue etiam quia obiectis escis cùm abundè expleantur, necesse non habent se inuicem inuadere, & vorare.*

Athenæus lib. 8. Deipnosophystar. c. 8. *Idque præstantissimi viri Vlpiani gratia, qui vt patriis Syrorum legibus*

legibus est institutum, piscibus etiam nos priuare velit, vel aduectis ex Eretria. Quamuis Antipater Tarsensis Stoïcus lib.4. de Superstitione, fama iactatum esse inquit, Gatin reginam Syrorum in tantum obsoniorum auidam fuisse, vt edicto per præconem vetuerit, Piscibus, ATERGATIDOS, id est, sine Gatide, vel, præter Gatidem, vesci: rerúmque ignoratione, multos, & illam Atergatin vocauisse, & à piscibus abstinuisse. Mnaseas libro secundo de Asia hæc scribit: Mihi quidem Atergatis videtur regina quædam fuisse grauis suis, quæ subditis duriter & inclementer vsque adeò præfuerit, vt etiã pisces comesse probibuerit, captósque ad se perferri iusserit, quòd illi magnopere placerent: atque adeò morem adhuc seruari, vt qui supplices Deam adorant, aureos pisces & argenteos dedicent: eius profecto Sacerdotes quotidie veros pisces obsonati, iurulentos & assos mensæ ante illius simulachrum imponunt, quos absumant posteà. Idem aliquantum progressus, rursum inquit: Atergatis verò, vt scribit Xanthus Lydius, à Mopso Lydo capta, cum Ichthye filio, in lacu Ascaloni vicino demersa & suffocata est, ob suam insolentiam, & iniurias multis illatas, à piscibúsque deuorata.

Macrobius 1. Saturnal. c. 23. *Accipe quid Assyrij de Solis potentia opinentur. Deo enim quem summum, maximúmque venerantur, Adad nomen dederunt. Eius nominis interpretatio significat, vnus. Hunc ergo vt potentissimũ adorant Deum. Sed subiungunt iidem Deam nomine Atargatim: omnémque potestatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem, Terrámque intelligentes: nec multitudine nominum enunciantes diuisam eorum per omnes species potestatem: sed argumentis quibus ornantur, significantes multiplicem præstantiã duplicis Numinis. Ipsa autem argumenta Solis rationem loquuntur. Namque simulachrũ Adad, insigne cernitur radiis inclinatis, quibus monstratur, vim cæli in radiis esse Solis, qui demittuntur in terram. Atargatis simulachrum sursum versum reclinatis radiis insigne est, monstrando radiorum vi supernè demissorum enasci quæcũque Terra progenerat. Sub eodem simulachro species leonum sunt, eadem ratione Terram esse monstrantes, qua Phryges finxere Matrem Deũm, id est, Terram leonibus vehi.*

Athenagoras in Legatione pro Christianis: *Quod si reprobi etiam & Deo inuisi homines in Deorum numerum relati sunt: & Dercetus filia Semiramis, libidinosa & sanguinaria mulier, Syriæ Deæ nomine culta est: & propter eandem Dercetum, columbas & Semiramim honorant Syri: in columbam enim mutata est mulier, vt nugatur Ctesias.* Nec erat omittendus Ouid. qui 4. Metamorphoseon, canit:

—De te Babylonia narret
Derceti, quam versa squamis velantibus artus
Stagna Palæstini credunt mutasse figura.
An magis vt sumptis illius filia (Semiramis) *pen-*
Extremos alitis in turribus ageret annos. (nis,

Iam hîc cernis Lector dissensum auctorum. Atargatis, seu Dercetûs Templum Bambyce, seu Hierapoli in Syria non procul ab Euphrate ponunt, Strabo, Plinius, Ælianus, Athenagoras: & indicant Athenæus, & Macrobius, & hanc voluns esse Deam Syriam: At potiùs in Phœnicia, seu Palæstina, aut Ascalone constituunt, Diodorus, Ouidius, Lucianus. Deinde Atargatim seu Dercetum non esse Deam Syriam, Plutarchus, Appianus, Lucianus disertè docent. Siquidem Dercetum, seu Atargatim constat prodigiosam semifœminam & semipiscem confingi: at Syria Dea, quæ Hierapoli est, *tota mulier est*, vt ait Lucianus. Quam Plutarchus & Appianus produnt, ab aliquibus; Venerem, ab aliis Iunonem, à nonnullis Naturam rerum matrem existimari. Et Lucianus de illa: *Sed Iunonem quidem leones portant. Iuno autem, si propiùs contempleris, haudquaquam vnius speciei formam præ se fert. Nam in vniuersum quidem, quod verè dixeris, Iuno est: ceterùm habet quippiam & Minerua, & Veneris, & Lunæ, & Rheæ, & Nemesis, & Parcarum. Ac altera quidem manu sceptrum tenet, altera autem colum, & in capite radios gerit, & turrim, & cestum habet, quo solo Venerem cognomento cælestem exornat.* Est planè qualem multiformem descripsit Apuleius lib. 11. Milesiarum. Nec temerè in his quæ de Dea Syria prodit, Luciano denegãda fides, nam ipse de se: *Scribo autem Assyrius ipse existens, & eorum quæ narro, alia quidem ipse coram vidi, alia verò à Sacerdotibus edoctus sum.* Porrò Deam Syriam Hierapoli magnifico Templo coli, cùm Lucianus eo Opusculo plenissimè narrat, tum omnes consentiunt.

Ego non dubitauerim Diodoro, Ouidio, Luciano assentiri, Atargatis, seu Dercetûs templum Ascalone fuisse. Hanc verò esse Dagon Deum Philisthinorum, Iudicum 16.23. & 1. Regum, 5. Ioannes Annius in Xenophontem & Berosum, Antonius Nebrissensis in Quinquagena, cap. 6. Scaliger in Coniectaneis ad lib. 4. M. Varronis de Ling. Lat. Dauid Chytræus in 16. Iudicum, ad vers. 23. Ioannes Fungerus in Etymologico, & alij existimarunt: quòd Hebræis Dagon significatum piscis habeat. Scaliger hæc annotat: *Dagon à Phœnicibus, & Assyris colebatur. Græcis dicitur Derceto & Dercitis: nimirum Detorta voce à Syriaco Adardaga, significatio à pisce. Apud Macrobium Saturnaliorum lib. 1. cap. 21. Architidis perperam pro Dercitis hodie vulgò legitur.* Hebræi ferè conueniunt, Dagon idolum Palæstinorum, à pisce habere appellationem, quòd ab vmbilico & infrà, piscis, suprà verò hominis figuram habuerit, quales Syrenes finguntur, inquit Forsterus. Nec ab hac sententia abludunt Mercerus, Pomarius, Marinus, Auenarius in Lexicis, Caiet. & Sà in 1. Reg. 5. Cornel. à Lapide in 3. Philipp. ad v. 19.

Franciscus Iunius & Tremellius Emanuel; *Dagon, Tritonem maritimarum gentium Deum intelligunt, quales erant Philisthæi, Hebraïcè nomen habet à pisce, quòd inferiori parte sua piscis esset, 1. Regum, 5. 4.* Montanus: *Dagon, erat autem ille ex marinorum Numinum grege præcipuus quispiam, quales Neptunos, siue Possidones, Tritonésque suos Græci & Latini consecrauere. Certè piscibus præpositum fuisse, nomen ipsum Dagon indicat, cùm piscium generi omni commune vocabulum sit DAG.*

Alij verò Dagon, à frumento dictum volunt, quod DAGAN Hebræis sit frumentum, Philo Byblius ex Historia Phœnicum à Sachoniatone conscripta, de Saturni filio Dago, hæc apud Eusebium lib. 1. Præparat. Euangel. c. 7. scribit: *Dago autem frumenta inuenit, atque aratrum, ac ideò Iupiter Aratrius nuncupatus est.* Dagon ergo Deum frumenti, seu frugum esse putant, Lilius Gyraldus Syntagmate 2. de Diis Gentium, pag. 101. in Aratrio Ioue, Ioannes Dadræus in Notis ad Eusebium, Ioannes Drusius lib. 2. Quæstionum 28. Valentinus Schindlerus in Pentaglotto hæc habet: *Dagon Deus frumenti, & aratri inuentor: quasi Deus frumentarius, Iupiter, Saturnus cum falce. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 7. Ianus à Saturno edoctus peritiam ruris.* Refellit hanc sententiam Iosephus Scaliger hisce verbis: *Fallitur Phylo Byblienses nam aliud est Dagon, aliud Dagan, Sitos, frumentum. Dagon enim, vt Iudæi etiam narrant, sculpebatur formâ piscis, DAG piscem significante: nos autem scimus Derceton Syrorum Deam, quæ Syris Atargata: vnde locus in Syria Atargation,*

2. *Machab.*12.26. *sculpi solitam supernè mulierem, infernè piscem. Melius igitur Dagonem, Ichthyona, id est, Piscem, quàm Sitona, id est, frumentũ, vertisset.* De Atargatio oppido cuius fit mentio 2. Machab. 12. 26. in Græco tantùm vide Serarium in eum locum.

Non defuere qui Dagon, Cererem fuisse arbitrati sint, à Dagan frumento, vt Marinus, & Auenarius. Haud piget hîc inserere, quæ de Dagone Forsterus obseruauit: *Dagon, Deus Philisthinorum, cui in Gaza Satrapa capto Simsone sacrificasse, historia Iudicum testatur cap.* 16. *Atque etiam in Azoto templum & idolum Dagon extitisse, clarum est ex* 1. *Samuel.* 5. *Iuxta quod cum Arca-Fœderis capta à Philisthæis, collocata esset, concidit coram ea, capite & manibus auulsis à corpore, vt tantum truncus seu venter extaret reliquus, quem postea coluerunt. Huc haud dubiè Paulus alluśit ad Philippenses cap.* 4. *v.* 19. *scribens: Quorum Deus venter est, & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant. Et licèt Iudæi, nescio qua occasione ex* 1. *Samuelis,* 5. *sumpta, fingant idolum hoc à pisce habere appellationem, quòd ab vmbilico & infra piscis, supra verò hominis figuram habuerit, quales Syrenes finguntur: tamen Deum puto piscium & frumenti, hoc est, ventris causa, vel propter prolis fœcunditatem effictum, & cultum.* Verbum DAGAH, augeri, fœcundare, crescere, multiplicari more piscium & frumenti, significat. Hanc Paulinam allusionem à Forstero excogitatam tametsi demiratus sit Mercerus, eam tamen amplexus est Cornelius à Lapide in Philippens. 3. vers. 19. quam fere totidem verbis ex Forstero descripsit, suppresso auctoris nomine, vel plagio, vel quia auctor damnatus.

Alij verò Dagon Venerem fuisse crediderunt, in piscem quoque mutatam, vti ex Manilio & Hygeno annotat Lilius Gyraldus Syntagmate 1. de Diis Gentium, in Derceto. Hanc interpretationem pluribus illustrat Serarius in 16. Iudicum, quæst. 23. ipsum vide. Herodotus quidem Ascalone Templum Veneris fuisse prodit, omnium huius Deæ templorum vetustissimum: Sed Veneris Vraniæ tamen, id est, Cælestis. Ipsum vise lib. 1. Numero 105.

Ego magis suspicer Dagon esse Dercetum, eo etiam indicio, quòd Dagon cùm truncus capite & manibus referatur, 1. Regum 5. v. 4. & 5. de pedibus tamen altum silentium: nimirum quia abscissis capite & manibus, remansit reliquo corpore piscis, vti Caietanus & Serarius obseruarunt. At Atargatim, seu Dercetum esse eandem cum famosa illa Astarte Dea Sidoniorum, cuius frequens in Sacris litteris mentio, Antonius Nebrissensis in Quinquagena Sacra, cap. 6. Isaacus Casaubonus in Animaduersionibus ad Athenæum lib. 8. cap. 8. Nicolaus Serarius in Iudicum 2. quæst. 2. & alij existimarunt: sed perspicuo errore, vt alibi docebo, cùm fuerint diuersa Numina. Iam de his satis, in quæ diuertisse non fuit iniucundum.

Ergo Magog esse gentes Cæle-Syriæ, vbi fuerit Bambyce, seu Hierapolis, vbi olim culta fuit Syria Dea, docent Ioannes Annius in lib. 2. Berosi, Christianus Massæus lib. 2. Chronographiæ, Matthæus Beroaldus lib. 4. Chronici, cap. 6. Benedictus Pererius in 10. Genes. ad vers. 2. Augustinus Torniellus in Annalibus, anno mundi 1931. numero 21. Quod Strabo verò scripsit Babycem seu Hierapolim ipsam esse Edessam, notissima est ex humanis & Ecclesiasticis auctoribus Edessa Mesopotamiæ vrbs in Osrhoëna, seu Orrhoaita regione.

Ad hanc de Gog & Magog sententiam spectat quod habet Suidas: *Magog, id est, Persa: nam Persæ à popularibus suis Magog & Magusæi appellantur.* Eadem habet Cedrenus. Magog quoque esse Magos in Persia, Ortelius putat in Thesauro in vocibus Magog, & Magusæi. De Magusæis Bardesanes Syrus apud Eusebium lib. 6. Præparat. Euang. cap. 8. *Apud Persas lex erat, filias, sorores, matres quoque ipsas in matrimonium ducere: nec in Perside solùm, verum etiam quicumque Persarum ad alia climata orbis è patria exiuerunt, nefanda hæc diligenter matrimonia celebrarunt: quos aliæ gentes hoc scelus abominatæ, Magusæos appellant. Suntque vsque ad hodiernum diem in media Ægypto, Phrygia, Galatiáque plurimi Magusæi successione patrum, eisdem sceleribus contaminati.* Et infrà: *Et Magusæi non in Perside solùm, sed vbicumque habitant, qui filiabus matrimonij iure connectuntur.* S. Epiphanius Hæresi 80. *Sunt porrò rursus etiam alia multa mysteria, & hæresiarchæ ac sectarij, quorum principes apud Persas Magusæi, apud Aegyptios prophetæ appellati, adytorum ac sacrorum & Magorum duces.*

Immanuel Tremellius & Franciscus Iunius in Ezechiel. 38. ad vers. 2. hæc annotant: *Nos verò comparato loco Apocalyps.* 20. 8. *Gog loci quidem & gentis appellationem esse statuimus, sed à rege certo deriuatam, nimirum à Rege illo Gyge, qui Candaulem Lydum ante hæc tempora occiderat: nam ab eo orti Gygades, & lacus Gygæus denominatus est. Gog igitur est minor Asia, quam his temporibus Halyattes obtinuit, deinde Crœsus: à quo fines regni sui in Syriam propagante inditum nomen est cuidam parti Syriæ proximæ Israëlitarum agro, & iunctæ Libano, vbi situm fuisse oppidum docent omnes Geographi, nomine Gygarta, pro eo quod est Gog Karta, id est, Gogi vrbs Syro vocabulo.* Sed sunt hæc Alpinis niuibus frigidiora. Maguzæ vrbs in Arabia Petrea meminit Ptolemæus lib. 5. cap. 17. & Magodiæ regionis in Arabia, vnde Magi, Epiphanius Hæresi 80.

VIII. Pseudo-Sibyllina oracula Gog & Magog gentes in Æthiopia collocare videntur, lib. 3.

Heu tibi Gog, tractúsque Magog, qui diuidis amnes
Aethiopum medius: quantas tu sanguinis vndas
Accipies, pœnaque domus diceris in orbe:
Potabitque nigrum tua roscida terra cruorem.

Et infrà:

Heu tibi Gogque Magógq; ,aliisq; ex ordine cũctis,
Marsog, atq; Angõ: tibi quot mala fata propinquant.

Forsan pro Marsog, legendum Mosoch. Angon, nescio quid sit, nisi forte Argon de quo statim. Sibyllina ista de Gog & Magog haud difficulter componi posse videntur cum vaticiniis Ezechielis de Gog & Magog, præter illud, quòd Gog & Magog in Æthiopia ponant.

IX. Marcus Paulus Venetus lib. 1. cap. 64. existimauit, Gog & Magog esse regiones prouinciæ Tenduch in extremo Oriente, vbi quondam sedem Imperij sui florentissimi habuit Presbyter Ioannes magnus ille Christianus Rex in Oriente: cùm verò idem Marcus easdem lustraret regiones, circa annum Domini MCCLXXX. prouincia illa Tenduch in ditione Magni Cham Tartarorum regis erat, vti idem Paulus scribit: qui ait: *In prouincia Tenduch sunt ciuitates & castra multa, vbi etiam manere consueuit Rex ille & toto terrarum orbe nominatissimus, vulgo Presbyter Ioannes dictus. Modo autem prouincia illa tributa pendit Magno Cham, habens Regem, qui est de progenie Presbyteri Ioannis. Ceterùm omnes magni Cham, post mortem illius qui à Cinchis in prælio fuit occisus, tradiderunt filias suas illis regibus in vxores. Et licèt ibi sint aliqui idololatræ,*

we, & item aliqui Mahometani, tamen maior pars prouinciæ fidem obſeruat Chriſtianam: & hi Chriſtiani primas tenent in hac prouincia: præſertim vbi eſt gens quædam Argon vocata, quæ reliquis populis ſagacior eſt, & elegantior. Sunt etiam ibi regiones Gog & Magog, quos illi nominant Lug & Mungug. De Argon diximus lib.4. cap.9. Gerardus Mercator in Atlante maiore in Tabula Tartariæ, in Prouincia quoque Tenduch, hæc habet: *Vng, quæ Gog nonnullis dicitur. Sumongul, quæ Magog Mercatori.*

X. Compendium Theologiæ lib. 7. cap. 11. Matthias Doringus Replicator Burgenſis in cap. 38. Ezechielis, & alij arbitrati ſunt Gog & Magog eſſe decem illas Iſraëliticas Tribus abductas à Salmanazar in Aſſyriam, 4. Regum 17. 6. quas aiunt perditas, & latè ſparſas in Oriente; ſed tempore Antichriſti immenſis agminibus ex diſperſione ad ſuum excipiendum Meſſiam, id eſt, ipſiſſimum Antichriſtum venturas. De his Petrus Comeſtor in Scholaſtica Hiſtoria Eſther, cap. 5. hæc narrat: *Itaque cùm veniſſet Alexander ad montes Caſpios, miſerunt ad eum filij Captiuitatis decem Tribuum: ex edicto enim tenebantur egredi non licere, poſtulantes ab eo egrediendi copiam. Cúmque quæſiſſet cauſam captiuitatis, accepit, eos receſſiſſe apertè à Deo Iſraël, vitulos aureos immolando, & per Prophetas Dei prædictum eſſe eos à captiuitate non redituros. Tunc reſpondit, Quòd arctiùs eos includeret. Cúmque anguſtias viarum obſtrueret molibus bituminatis, videns laborem humanum non ſufficere, orauit Deum Iſraël, vt opus illud compleret. Et acceſſerunt ad ſe inuicem prærupta montium, & factus eſt locus immeabilis. Ex quo liquidò apparet, non eſſe Dei voluntatem, vt exeant. Egredientur tamen circa finem mundi, magnam hominum ſtragem facturi. Et, vt ait Ioſephus, Deus quid facturus eſt pro fidelibus ſuis, ſi tantum fecit pro infideli?* Et in Hiſtoria 4. libri Regum, cap. 26. *Adhuc decem Tribus vltra montes Caſpios captiuæ tenentur.* Auctor nomine S. Anſelmi lib. 1. de Imagine mundi cap. 10. *In India eſt mons Caſpius, à quo Caſpium mare vocatur. Intra quem & mare Gog & Magog ferociſſimæ gentes à Magno Alexandro incluſæ feruntur.* Matthæus Vveſtmonaſterienſis in Floribus Temporum in Quarta ætate Mundi, cap. 16. *Et tunc ab Aquilone ſpurciſſimæ exurgent gentes, quas Alexãder incluſit, Gog, & Magog. Hi ſunt viginti duo reges, quorum numerus ſicut arena maris.*

Gotfridus Viterbienſis in Chronico, part. 11. *Alexander Gog & Magog æternaliter concluſit. Vndecim Tribus Hebræorum montibus æternaliter circumcinxit: de quibus omnibus in verſibus pleniùs dicemus, atque iucundiùs.* Verſus, vt illa ferebant tempora, rudes & inconditi, ſunt hi.

Finibus Indorum ſpecies fuit vna virorum,
Gog erat atque Magog dictum cognomen eorum:
De cauſis quorum ſcribere pauca volo.
Ex aliis ſcriptis poteris cognoſcere quid ſit
Narrat, imò Ezechiel, *Eſaïas, Iſidorus, Apocaly-*
Tangit & in titulis magna Sibylla ſuis. (pſis:
Carnibus humanis ſolet hæc gens ſordida veſci.
Quid ſit rex, vel lex, vel dux, vel ius ibi neſcit,
Regula tunc illis, normáque nulla fuit.
Fertur ab his lupus, atque canis, vel rana vorari
Funeribus voluit Gog, atque Magog ſaturari.
Turba cadaueribus veſcitur ore pari.
Patribus ipſorum tumulus fit venter eorum,
Tumbáque natorum patris eſt in ventre ſuorum.
Tale dedit populo vita ferina forum.
Turpia ſunt plura quibus vtitur atra figura:
Vidit Alexander quid turba fecit peritura:
Præparat & meritis reddere digna ſuis.
Mõtis ob hãc cauſã tenet hanc ſub tegmine clau-
Sic quod in æternũ diſcedere nõ erit auſa; (ſam,
Ne ferat exemplum vita nefanda malum.
O Lector Gog, atq; Magog, vis ſcire quid eſt hoc?
Tecta ſuper tecta reſonant hæc nomina lecta:
Denique multiplici tegmine tecta fuit.
Gens ea quæ tanto conamine clauſa tenetur,
Fine dato mundi, poſt fortior egredietur.

At de decem Tribubus muro aheno incluſis intra Caſpios montes ab Alexandro Magno, plura Vincentius Bellouacenſis lib. 4. Speculi Hiſtorialis, c. 43. & lib. 29. c. 89. S. Antoninus 1. part. Hiſtoriali, tit. 4. cap. 1. §. 10. & 3. part. tit. 19. cap. 8. §. 8. Paulus Burgenſis in 18. Iſaïæ, & in 3. Sophoniæ, Ioannes Nauclerus Generatione 57. anno mundi 4874. Quæ omnia apocrypha, nec ſolidæ fidei, ac nullo vetuſto auctore prodita facilè quiſque animaduertet. Nota ſunt Iudæorum deliria fingentium ſibi magnum quoddam regnum decem Tribuum vltra montes Caſpios incluſarum, de qua re vide Ludouicum Viuem lib. 3. de Veritate Fidei Chriſtianæ, cap. De exilio Iudæorum perpetuo, Petrum Coſtum in Typo Meſſiæ, pag. 40. & 41. Genebrardum in Notis ad Eldad Danium, Henricum Somalium in Notis ad cap. 20. Paradiſi Animæ, Alberti Magni, Henricum Henriquez de Fine Hominis, cap. 23. §. 4. littera SS, in Textu & in Commentar. Martinum Cantapetrenſem lib. 2. Hypotypoſeon, cap. 2. col. 325. Vide etiam quæ dicemus lib. 11. cap. 18.

Meminit quidem ſanctus Hieronymus epiſt. 30. ad Oceanum, ferarum gentium, quas Caucaſi rupibus Alexandri Magni clauſtra cohibent, vnde erupiſſe refert Hunnorum examina. Et Hegeſippus quoque lib. 5. Excidij Ieroſolymitani, cap. 50. Sed hæc quid ad decem Iſraëliticas Tribus deperditas? Ambroſius Anſbertus in 20. Apocalypſis hæc ſcribit: *Dicunt etiam alij, Alexandrum Magnum Macedonem in partibus Aquilonis has gentes Gog & Magog incluſiſſe: eáſque intantum multiplicatas fuiſſe, vt viginti & quatuor regna de ſe reddidiſſent. Sed hæc ſententia humana eſt, non diuina.*

XI. Plurium recentiorum eſt opinio, Gog & Magog eſſe Mahometanos, Sarracenos, & peculiariter Turcas progeniem Scytharum, ferales Chriſtiani nominis hoſtes, qui trecentos & amplius iam annos ſub Othomanis principibus atrociter Eccleſiam vexant. In hac ſententia ſunt, ex Orthodoxis, Hector Pintus in 38. Ezechielis, Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 151. & lib. 4. pag. 688. nec ab ea abludunt, Delrius, & Cornelius à Lapide in 10. Geneſ. ad verſum 2. Torniellus in Annalibus, anno mundi 1931. num. 21. Fungerus in Etymologico: ex Nouatoribus, Magdeburgenſes quatuor Centuriatores, Matthias Flaccius Illyricus, Ioannes Vvigandus, Matthæus Iudex, & Faber: ſeu Thomas Holthouter, & Andreas Coruinus, (ij enim feruntur auctores immanis illius Operis) centuria 1. lib. 2. cap. 4. colum. 435. Ioannes Funccius lib. 1. Chronologiæ, Ioannes Guillielmus Stukius in Scholiis ad Arriani Periplum Ponti Euxini, pag. 50. De Turcarum gente plura annotauimus ſuperiùs cap. 26.

Damnat in Nouatoribus hanc ſententiam Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 17. quòd ea quæ Ezechiel, & Ioannes de prælijs, & cladibus Gog, & Magog vaticinati ſunt, bellis Turcarum in Eccleſiam nequaquam conueniant.

Non sanè conueniunt rebus hactenùs gestis Turcarum: at cur cum Antichristo Turcarum exercitus venire non possint extremis mundi temporibus, & tunc in eis vaticinia Ezechielis, & Ioannis exactè completi? Ea enim oracula, vt melior sententia habet, nondum impleta sunt.

XII. Lyranus, Vatablus, Pintus in 38. Ezechielis, Florimundus Remundus libro de Antichristo, cap. 18. scripserunt, Gog esse Antichristum, quasi Tectum, in quo corporaliter habitet omnis plenitudo diaboli: Magog verò esse vniuersum exercitum eius, seu membra illius, quæcumque illa sint, siue ex quibuscumque orbis gentibus conflata: nimirùm cœtum qui Antichristo adhæsuri sunt: quasi Magog dicatur, De tecto, nempe de diabolo, de Antichristo, de eius grege, & factione. Paulus Burgensis, per Gog Antichristum quidem intelligit: per Magog autem, non quascumque gentes secuturas Antichristum: sed peculiariter Scytharum exercitum immanem, & truculentum: quod Scythæ sint futuri præcipua & maior pars exercituum Antichristi. Nec ab hac expositione abest Sà, qui ait: *Gog, id est, Antichristum. Magog, id est, exercitus Antichristi, qui maximè constabit, ex Scythis, scilicet; Turcis, Tartaris, &c.*

XIII. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 17. mentem suam de Gog, & Magog in hunc modum exponit: *Nostra sententia tria continet. Primò asserimus Gog & Magog prælium, esse prælium Antichristi contra Ecclesiam, vt rectè Augustinus docuit. Secundò dicimus probabile esse admodum per Gog significari ipsum Antichristum, per Magog verò exercitum eius: nam Ezechiel perpetuò Gog vocat Principem, & Magog vocat terram, siue nationem. Tertiò, dicimus probabile esse, Gog dici à Magog, non è conuersò, ita vt dicatur Antichristus Gog, quia est princeps gentis quæ dicitur Magog. Porrò exercitum Antichristi vocari Magog à gente Scythica, non quod constet ex illis Schytis, quos Iudæi fingunt esse vltra Caucasum & Caspium mare: sed quod vel magna pars exercitus Antichristi constabit è Barbaris è Scythia oriundis, vt Turcis, Tartaris, & cæteris: vel quòd magis reor, quia erit exercitus immanis, & crudelis: quos enim sæuos dicere volumus, Scythas vocamus.* Non multùm hæc à præcedenti explanatione discedit.

XIV. Ribera in 20. Apocalypsis, num. 60. & 61. arbitratur, Magog non esse regionem, aut terram aliquam seu gentem (hanc enim non Magog appellari ab Ezechiele,) sed intelligi ipsum regem terræ seu regionis Magog, hoc est, Imperatorem Scythicarum gentium, & illarum nationum Septentrionalium, qui Antichristum suis bellicosissimis copiis præ cæteris adiuuabit. Gog autem non esse Antichristum, sed vnum de præcipuis illis septem regibus, quos, deuictis & sublatis tribus ex decem, Antichristo adhæsuros, copiosè iam libro quinto demonstrauimus: ac fortè futurum Gog ducem primarium exercituum Antichristi, qui Gog erit quoque rex aliarum Aquilonarium regionum, nempe Mosoch & Thubal. Nam ait Ezechiel, *Gog principem capitis Mosoch & Thubal.* Porrò appellari Gog, vel nomine regionis, cui imperabit, vel nomine proprio, vel nomine Imperij, & antecessorum, vti nuncupati sunt Pharaones, Cæsares, Arsacidæ, &c. Hæc omnia pluribus differit, & stabilire nititur idem Ribera, quem tu si libuerit, consules.

XV. Maldonatus in 38. Ezechielis sententiam suam de Gog & Magog hisce verbis exposuit: *Primùm quidem Gog nomen regis certi, siue incerti esse arbitror. Deinde Magog non gentem, sed terram significare puto. Nam Propheta vers. 2. terram Magog vocat. Et vers. 6. ait, Immittam ignem in Magog. Præterea non videtur mihi esse negandum, aliquam fuisse regionem Septentrionalem, quæ Magog appellaretur. Illud etiam mihi videtur verisimile Gog non esse nomen vnius certi hominis, sed regis terræ Magog esse nomen, quemadmodum omnes reges Ægypti, Pharaones, Syriæ, Antiochiæ, Persiæ, Arsacides, Romani Imperatores Cæsares vocabantur. Ezechiel autem vaticinatur de futuris Ecclesiæ calamitatibus sub diuersis tyrannis, præsertim sub Antichristo: quos omnes vocat Gog, eorúmque terram Magog: non quòd ita vocandi sint, aut ex regione Magog erupturi: sed quod Barbari, immanes, crudeles sicut Gog futuri essent.*

XVI. Henricus Henriquez de Fine hominis, cap. 23. §. 5. hæc habet: *Antichristum iuuabit Potentissimus rex Gog cum exercitu suo Magog ex Scythis, aut Turcis constans.* Blasius Viegas in 20. Apoc. Commentar. 1. sect. 1. ait: *Quare existimamus, nomine Magog intelligendas esse nationes omnes Scythicas, quæ ad Septentrionem habitant: nomine autem Gog accipiendum Principem, ac Regem omnium illarum gentium Scythicarum. Denique quanquam Antichristi exercitus aduersus Ecclesiam, non ex his tantùm Scythicis gentibus, sed ex omnibus mundi nationibus collectus esse debeat: hæ tamen gentes præcipuè nominantur quia ferociores sunt, & supra modum Barbaræ, & immanes, atque adeò in illis præcipuum exercitus Antichristi robur positum erit.* Cornelius à Lapide in 2. Thessalonicens. 2. num. 76. *Gog videtur esse ipse Antichristus: vel certè primarius eius Rex, & belli dux. Magog erit exercitus eius. Exercitus Antichristi dicitur Magog, quia constabit Scythis, Turcis, Tartaris: vel quia Barbarus erit, & crudelis instar Scytharum: nam Magog esse Scythas colligitur ex Genes. 10.* Eadem omninò habet Gregorius de Valentia tom. 4. disp. 10. quæst. 2. puncto 2. §. 4. Quæ de Gog & Magog Alcasar fusè differuit in 20. Apocalyps. Haud vacat nunc recitare: nam fatisco iam tot opinionibus recensendis: si quis scire auet, illum adeat: ego centones puros putos, & peius assutos arbitror: non illi inuideo suas merces. Ego semper de Commentariis Alcasaris dixi quod de Heptaplo Ioannis Pici Mirandulæ Principis, verè & solidè pronunciauit Aloysius Lippomanus apud Xystum Senensem lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ. Sed non piget totius disputationis illius summam, eiusdem verbis, Notatione 7. extrema, hîc inferere: *Ex dictis potest facili negotio intelligi, in præcipuo Ezechielis sensu per Gogum denotari Romanos Imperatores, & vniuersum idololatrarum Imperium contra Christianam Ecclesiam belligerantium: in Apocalypsi verò significari eodem Gogi nomine totum Antichristi exercitum, & quicumque ab illo decipiendi sunt. Vtrobique autem per Magogi nomen non aliam assignari gentem ab ea, quæ per Gogum denotatur: sed in Gogi quidem nomine innui eam gentem esse dæmonis domicilium: at in nomine Magogi illud peculiariter addi, eos propterea in Ecclesiam sæuire, quia dæmonis habitatio sunt.* Quia nimirùm Gog significat tectum, Magog autem, de tecto.

Vero

Verosimilior, iudicio nostro de Gog & Magog sententia explicatur.

CAP. XXXI.

ANtè omnia illud solidè constituendum est, Ezechielem, & Ioannem in tam multis, quæ de Gog & Magog vaticinati sunt, de eisdem penitus rebus & temporibus prophetasse, atque vnum & idem omninò vtrumque vatem oraculum fudisse: nimirùm de his quæ Nouissimis temporibus sub Antichristo, ipsis Gog & Magog euentura essent: scilicet quæ tunc acturi Gog & Magog, quæve passuri. Equidem quod ad Ezechielem attinet, existimauere nonnulli, ipsum vaticinio suo illo de Gog & Magog ceciniſſe bella, ac prælia quæ populus Dei post reditum ab exilio Babylonico pertulit à Regibus Syriæ, & Asiæ, Seleuci successoribus, præsertim ab Antiocho Epiphane, temporibus Machabæorum, atque Gog, & Magog, gentes, siue Reges Syriæ intellexisse: quod Magog vrbs Syriæ fuerit, vti ex Plinio vidimus præcedenti capite, in VII. opinione. Ad hunc modum Ezechielem interpretati sunt, Theodoretus in Commentariis, Matthæus Beroaldus lib. 4. Chronici, cap. 6. Pererius in 10. Genes. ad vers. 2. Alcasar in 20. Apocalyps. Notatione 7. & ex Nouatoribus non nemo apud Florimundum in Antichristo, cap. 18. ac cum primis Immanuel Tremellius, & Franciscus Iunius: Vnde inferunt Ezechielem & Ioannem in vaticiniis de Gog & Magog nequaquam de eisdem rebus & temporibus prædixisse: nam quod ad Ioannem spectat, consentiunt omnes, illum de Antichristi rebus & temporibus prælocutum.

Sed facilis est istius assertionis refutatio: Primùm qui contulerit, expenderitque Ezechielis, ac Ioannis verba, illicò intelliget, vnam & eandem rem eos prædixisse, nempè prælia & strages Gog & Magog temporibus Antichristi. Deinde, quia nullus ostendere poterit, quantumuis ingenij neruos omnes intenderit, quæ Ezechiel de Gog & Magog vaticinatus est, in Regibus Syriæ, aut vllo vnquam tempore adhuc fuisse completa. Denique sanctus Hieronymus, & omnes alij explanatores cùm veteres, tum recentiores summo consensu docent, de eisdem omninò rebus, ac temporibus nempè de excidio supremo exercituum Antichristi, & Ioannem, & Ezechielem in prophetia de Gog & Magog verba feciſſe. Quæ omnia exactiùs adhuc cognoscentur cùm lib. 12. cap. 7. prælium Gog & Magog aduersus Ecclesiam tempore Antichristi ex eisdem Vatibus pleniùs describemus. Sed friuolam, & inanem interpretationem fusiùs refutarunt, Andreas Cæsariensis Episcopus in 20. Apocalyps. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 17. Ribera in 20. Apocalyps. num. 56. & seqq. Florimundus lib. de Antichristo, cap. 18. Maldonatus in 38. Ezechielis, Viegas in 20. Apocalyps. Commentar. 1. sect. 1. quos tu consulas.

Ergo primùm asserimus, Gog non esse regionem, aut terram, aut gentem, aut regnum, seu prouinciam aliquam: sed nomen potentissimi Regis cuiusdam apud gentes Aquilonares. Nam Gog disertè ab Ezechiele dicitur, *Princeps capitis Mosoch & Thubal*: quasi dicat, Rex & Imperator gentium Mosoch & Thubal. Deinde quia idem Vates cap. 39. 11. de Gog loquitur tanquam de vno Principe magni alicuius exercitus: *Et sepelient ibi Gog, & omnem multitudinem eius*: id est, Gog ducem, & omnem exercitum eius. Denique illud cap. 38. 15. *Et venies de loco tuo à lateribus Aquilonis, tu, & populi multi tecum.* Satis indicant, Gog magnum aliquem ducem, regem, vel Imperatorem fore, qui secum in bellum trahat innumerabiles gentes à partibus Aquilonaribus.

Nec mirùm sanè videri debet quod Ezechiel, & Ioannes, tot iam ante sæculis quàm veniat, nomen proprium illius Principis, nempe Gog, sub Antichristo venturi, tum expresserint: nam in rebus maximè memorabilibus, solent diuini Vates interdum, & nomina ipsa futurarum personarum edicere. Sic anonymus ille Propheta Ieroboamo regi Israëlis ad aras Idolis thus iacienti nomen Iosiæ Regis Iuda pronunciauit, trecentis annis antequam is nasceretur 3. Regum, 13. 2. Et Isaïas 44. 28. cap. 45. 1. Cyrum nominat, ducentis antequàm Cyrus esset in rerum natura. Et idem Isaias testes se adhibuisse, ait cap. 8. 2. Vriam & Zachariam, nempe centum, & ampliùs annis antequam ij nati essent. Et, si sancto Hieronymo credimus, Moses nomen Samuëlis multò antequam is extitisset, expressit, Psalmo 98. 6. *Et Samuël inter eos, qui inuocant nomen eius.* Nam auctorem huius Psalm. 98. Mosen fuisse, sanctus Hieronymus affirmat in Epistolari eiusdem Psalmi explanatione ad Cyprianum. Vide de his Galatinum libro 7. Arcanorum Catholicæ Veritatis, cap. 16. & Genebrardum lib. 2. Chronographiæ, pag. 133.

Deinde tametsi plures, vti superiori capite, in XII. & XIII. opinione vidimus, Gog Antichristum ipsum esse existiment: at nobis re penitius inspecta, non videtur esse Antichristus, sed alius ab eo diuersus Princeps. Nam Gog sepeliendus scribitur in sepulchro nominato in Israël. Verba Ezechielis sunt 39. vers. 11. *Et erit in die illa: Dabo Gog locum nominatum sepulchrum in Israël: Vallem viatorum ad Orientem maris, quæ obstupescere faciet prætereuntes, & sepelient eos domus Israël: & sepelient ibi Gog, & omnem multitudinem eius: & vocabitur Vallis multitudinis Gog.* At Antichristus, vt lib. 13. cap. 6. docebimus, non sepelietur in sepulchro nominato in Israël, sed rapiendus est ad inferos, hiante terra, ac se in vastum chasma disrumpente, atque in stagnum ignis & sulphuris præcipitandus, Apocalyps. 19. vers. 20. & cap. 20. vers. 10. Ad hæc, existimamus, Gog esse Regem ipsum terræ Magog: Magog autem nomen esse regionis, vel terræ: atque Magog & terram Magog vnum & idem omninò esse, non secus vt cùm dicimus Italiam, seu Terram Italiæ, Iudæam, aut Terram Iudææ. Neque enim arbitramur Magog nomen esse regis, aut principis regionis, quæ dicta sit Terra Magog, à rege suo accepta nomenclatura, vt Ribera voluit: sed esse ipsammet regionem, aut terram, dictam Magog, à primo eiusdem post diluuium cultore Magog, de quo Genes. 10. 2. Quænam autem orbis regio, vel terra sit Magog, solerti nunc est cura perueſtigandum. Magog quidem filius Iapheth inter primos regionum conditores, qui deductis coloniis, primum terras incoluerunt, recensetur Genes. 20. vers. 2. & 1. Paralipomenon. 1. vers. 5. cui autem regioni primùm à se cultæ,

& inhabitatæ nomen indiderit ſuum, Ioſephus 1. Antiq. cap. 7. ita exponit: *Magoges verò Magogarum à ſe denominatorum fuit auctor, qui ab ipſis Græcis vocantur Scythæ.* S. Hieronymus Quæſtionibus Hebraicis in Geneſim: *Sunt autem Magog Scythæ.* Theodoretus in 38. Ezechiel. ad verſ. 1. *Gog, & Magog ſunt Scythicæ gentes.* S. Eucherius in Geneſi 10. *Sunt autem Magog Scythæ.* Sanctus Iſidorus lib. 9. Originum, cap. 2. *Magog à quo arbitrantur Scythas, & Gothos traxiſſe originem.* Sanctus Beda in Geneſ. 10. *Magog, id eſt, Scythæ.* Dorotheus in Synopſi, in Abdia: *Contra Scythas, hoc eſt, contra Gog & Magog.* Zonaras Annali 1. *Magogos ſuos poſteros nominauit Magog: nunc Scythæ vocantur.* Ergo Magog eſſe Scythiam tradunt quoque Anſelmus Laudunenſis, Lyranus, Honcala, Sà in Geneſ. 10. ad verſ. 2. Otho Friſingenſis lib. 1. Chronici, cap. 4. Galeſinius in Notis ad lib. 1. Sacræ Hiſtoriæ Seueri, Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 31. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 17. Ribera in 20. Apocalypſ. num. 6. Viegas in Apocalypſis 20. Commentario 1. ſectione 1. Burgenſis, & Maldonatus in 38. Ezechielis. Ex Nouatoribus, Franciſcus Iunius, & Tremellius Emanuel in 10. Geneſ. ad verſ. 2. Ioannes Guillielmus Stukius in Scholiis ad Periplum Arriani Ponti Euxini, pag. 48. Sed & Hebræos Magog Scythas interpretari, S. Hieronymus annotat in 30. Iſaiæ ad verſ. 29. & in 38. Ezechielis, ad verſ. 1.

Oleaſtrius in Geneſ. 10. putat Magog eſſe Germaniam, etiam apud Ezechielem. Forſan quia olim Germania inter Scythiæ regiones eſt habita, vt auctor eſt Plinius lib. 4. cap. 12. *Scythārum*, inquit, *nomen vſquequaque tranſit in Sarmatas, atque Germanos.* Vnde nullo pacto dubium eſſe videtur, tanto auctorum conſenſu, Magog, vt in Geneſi, & Paralipomenis, ita in Ezechiele, & Ioanne proprium regionis nomen eſſe & Gentis, Scythiamque & Scythas ſignificare. Cur enim idem omnino nomen illic, & iſthic diuerſas, vel gentes, vel res ſignificare putandum eſt? Quocirca explodendæ penitus ſunt argutiæ Marini in Arca Noë, & Alcaſaris in 20. Apocalypſis, Notatione 7. Magog in Ezechiele, ac Ioanne, non dici à Magog filio Iapheth: ſed eſſe nomen eleganter à Prophetis effictum ex Gog. Fixum enim maneat Magog, quatuor hiſce locis Scythiam eſſe.

Scythia autem regio eſt ampliſſima, vt omnes tradunt auctores, complectens vtramque Scythiam Europæam, & Aſianam, quam fusè deſcripſere, ex veteribus, Herodotus lib. 4. Diodorus Siculus lib. 2. num. 89. & ſequentibus. Strabo lib. 7. & 11. Plinius lib. 4. cap. 12. & lib. 6. cap. 13. 16. 17. Solinus cap. 19. vſque ad 23. & 52. Mela lib. 3. cap. 5. Dionyſius & Priſcianus in Periegeſi, Quintus Curtius lib. 7. de Rebus geſtis Alexandri Magni, Arrianus Expeditionum Alexandri lib. 4. Iuſtinus lib. 2. Ptolemæus lib. 6. cap. 14. & 15. Ammianus Marcellinus lib. 22. cap. 16. vſque ad 20. Oroſius lib. 1. cap. 2. Iornandes de Rebus Geticis, cap. 5. Nicephorus Gregoras lib. 2. cap. 7. 8. & 9. ex recentioribus, Sebaſtianus Munſterus lib. 5. Coſmographiæ, pag. 1052. & ſeqq. Marius Niger in Coſmographia, Abraham Ortelius in Theſauro Geographico, Reinerus Reineccius 1. parte Heroïci Syntagmatis, in xv. Regno Scythico, Ioannes Fungerus in Etymologico Trilingui, & alij.

Ceterùm maiorem & Aſiaticæ, & Europææ Scythiæ partem occupare nunc Tartaros, imò & quæ olim Scythia, nunc Tartariam dici, ſaltim pro maxima parte, in confeſſo eſt apud omnes. De Tartarorum origine, & magnis rebus geſtis, plurimi perſcripſerunt, quos vidimus, tantùm indicabimus, Marcum Paulum, lib. 1. de Regionibus Orientalibus, cap. 1. vſque ad 10. & cap. 51. & ſequentibus, & lib. 2. & 3. paſſim, Haithonum Armenum integro libro de Tartaris, præſertim à cap. 16. vſque ad 49. Vincentium Bellouacenſem lib. 29. Speculi Hiſtorialis, cap. 69. vſque ad 89. & libro 31. cap. 2. vſque ad 53. Flauium Blondum lib. 7. Decadis 2. ſanctum Antoninum 3. part. Hiſtoriarum, titulo 19. cap. 5. & cap. 8. Laonicum Calchocondylam lib. 3. de Rebus Turcarum, Paulum Æmilium lib. 7. Rerum Francicarum, Matthiam Michouienſem lib. 1. de Sarmatia, cap. 1. vſque ad 10. & cap. 16. & 17. Paulum Iouium in Legatione Moſcouitica, Sigiſmundum Herbeſteinium in Commentario Rerum Moſcouitarum, pagina 86. & ſequentibus. Sebaſtianum Munſterum lib. 5. Coſmographiæ, pagina 1059. & ſequentibus. Martinum Chromerum Rerum Polonicarum lib. 7. & 8. Baſilium Ioannem Heroldum in Continuatione Belli Sacri lib. 3. cap. 17. Ioannem Boëmum Aubanum de Moribus Gentium lib. 2. cap. 10. Gerardum Mercatorem in Atlante Maiore in Tabula Tartariæ, Abrahamum Ortelium in Theatro orbis, in Tabula Tartariæ.

Initium regni Tartarorum Marcus Paulus figit anno Chriſti 1187. alij vulgò 1202. quando Cinchis, vel Changius Cham excuſſo dominatu Vncham regis in India, ſeu Oriente Chriſtianiſſimi, qui Occidentalibus nomine Presbyteri Ioannis notus erat, formidabile Tartarorum Imperium condidit. Vide quæ diximus lib. 4. cap. 11. Verùm cùm fines & regionem Tartarorum plurimi deſcripſerint, nos ex Paulo Iouio pauca delibabimus. Libro 13. Hiſtoriarum ita ait: *Circa Volgam longè latéque ſolitudines patent, quas Tartari Scythæ incolunt, gens inhumana feritate, & incertis ſemper ſedibus errans, ignara diuitiarum, atque inſcia voluptatum, quippe qui in curribus degant, & ſolis tecti centonibus, frigora, & perpetuas niues tolerent: quin & equina carne, eáque ſæpiùs cruda veſcantur. Ceterùm equitandi peritiſſima gens: quum arcum tenet, aut acinacem ſtringit, cæteros mortales in prælio contemnere conſueuit. Ante Tamerlanem eorum Imperatorem, qui Baiazetem Othomanum ingenti prælio ſuperatum cepit, atque Aſſam, Syriámque victore exercitu populatus eſt, quum nullis religionibus addicti, nec Chriſtianos, nec Turcicos ritus, aut vix fama nouiſſent, maiora ſidera pro diis, & conſpicuas ſtellas venerabantur, quarum obſeruatione in ea vaſtitate camporum recta itinera tenere didicerant. Vltra Volgam conſtat plures eſſe Scythārum Imperatores, qui ad Imaum vſque immenſa terrarum ſpatia diuiſis Imperiis obtineant. Vnus ex eis cognomento Mingareſius paulò ante Patrum noſtrorum memoriam, cùm amplius octoginta millibus equitum Tanaim traiecit: Victórque oram Mæotidis vſque ad Boryſthenem fluuium populatus, Tauricam Cherſoneſum occupauit: in qua eſt Theodoſia nobiliſſima Genuenſium Colonia, quæ Capha dicitur. Sed hæc aliquantò poſteà Turcarum armis ceſſit. Porrò Mingareſius quò tutius in Europa conſiſteret, aduerſus Sarmatarum, Roxolanorúmque impetum*

petum in Isthmo à Mæotida in Pontum fossam perduxit, atque perpetuo aggere communiuit. Id angustæ terræ spatium antiqui Dromon Achillis vocabant, ab eáque interciſa peninſulæ ceruice Tartaros Tauricæ incolas Roxolani hodie Præcopitas appellant. Igitur Moſcouitæ ad Orientem Tartaros habent.

Et lib. 14. *A Samarcanda, oſtióque Iaxartis fluuij molliter curuato maris Caſpij ſinu, ad Rha flumen, à noſtris Volga, & à Scythis Hedil appellatum, magnæ interiacent ſolitudines Tartarorum paſcuis dicatæ. Horum plura ſunt ingentia agmina errantium ciuitatum inſtar, quæ Hordæ eorum lingua vocantur. His nobilitate generis, & bellica virtute præſtantes, imperant, Canéſque appellantur, quæ vox Tartaricè Imperatorem ſonat. Ea gens in vniuerſum fera & inops, omniſque humanitatis expers, ſolis confiſa ſagittis, equina carne, eáque ſemitoſta manantibus tetro cruore gingiuis ſpurciſſimè veſcitur. Continenter cum finitimis bella gerit, & vſque ad Cataium, Sinarum regionem, & vrbem Cantam, totius orbis longè maximam & opulentiſſimam extenditur. De Cataio Luſitani negotiatores multa memoratu digna referunt.* Et inferiùs: *A Volga directo, & mox inflexo littore, patentes campi de generis pabuli feraces frequentibus Sciabanorum & Caſſanorum Hordis peragrati, ad Derbentum vſque extenduntur, quà iere ſuperiorum temporum Tartari Scythæ, Hialone, Abaga, Tamerlanéque ducibus, in Capadociam & Syriam penetrantes.*

Idem Iouius in Legatione Moſcouitica accuratiùs hæc ſcribit: *Ab ortu Moſcouia finitimos habet Scythas, qui Tartari hodie nuncupantur, gentem vagam, & bello omnibus ſæculis illuſtrem. Tartaris pro domibus ſunt carri centonibus, coriiſque contecti: ab quo vitæ genere Hamaxobios antiquitas eos appellauit. Pro vrbibus verò ac oppidis immenſa caſtra, non foſſis, aut materiæ clauſtris, ſed infinita ſagittariorum equitum multitudine vallata. Diuiduntur Tartari per Hordas: ea eſt eorum lingua conſentientis in vnum populi congregatio, ad effigiem ciuitatis. Hordis ſinguli præſunt Imperatores, quos genus, aut bellica virtus dedit: ſæpè cum finitimis bella gerunt, ac ambitioſè admodum & atrociter de imperio decertant. Hordarum infinitum propè numerum eſſe conſtat: quippe Tartari ad Cataium vſque celeberrimam in extremo ad Orientem Oceano ciuitatem, latiſſimas ſolitudines tenent. Porrò qui proximi ſunt Moſcouitis, mercatura commercio, & frequentibus eorum irruptionibus ſunt noti. In Europa ad Dromon Achillis Taurica in Cherſoneſſo ſunt Præcopitæ, quorum Principis filiam Selymus Turcarum Imperator vxorem duxit. Hi Polonis maximè ſunt infeſti, latéque inter Boryſthenem & Tanaim cuncta populantur, & cum Turcis ſicuti religione, ita & cæteris in rebus mirificè conſentiunt, qui in eadem Tauri-ca Caffam Ligurum coloniam obtinent, Theodoſiam antiquitus appellatam. Ij verò Tartari, qui inter Tanaim & Volgam amnem latos in Aſia campos inhabitant, Baſilio Moſchouitarum regi parent, & Imperatorem aliquando eius iudicio deligunt Inter eos Cremij inteſtinis ſeditionibus laborantes, cùm anteà opibus & belli gloria maximè valuiſſent, paucis ante annis vires ſimul, ac omnem dignitatem amiſerunt. Trans Volgam Caſany Moſcouitarum amicitiam religioſè colunt, ac eorum ſe clientes eſſe profitentur. Vltra Caſanios ad Boream ſunt Sciaban multitudine armentorum, ac hominum potentes. Poſt eos ſunt Nogai, qui ſummam hodie opum & bellicæ laudis obtinent auctoritatem. Eorum Horda quàm ampliſſima nullum habet Imperatorem, ſed Reipublicæ Venetæ more, multa ſeniorum prudentia, ſtrenuorúmque virtute gubernantur. Vltra Nogaios, haud magno ad meridiem deflexu, verſus Hircanum mare, Zagathai Tartarorum nobiliſſimi oppida lapide conſtructa incolunt, regiámque habent Sarmacandam vrbem, eximiæ magnitudinis & claritatis, quam Iaxartes maximus Sogdianæ amnis interfluit, atque inde ad centum milliaria in mare Caſpium effunditur. Cùm his populis ætate noſtra Iſmaël Sophus rex Perſarum dubio ſæpè euentu bella geſſit.*

Abrahamus Ortelius in Theſauro Geographico in Tabula Tartariæ hæc annotat: *Qui Tartaros deſcribere velit, multas nationes deſcribat neceſſe eſt, & eaſdem longè ab inuicem diſtantes. Nam Tartaria hodie ferè vocatur quidquid terrarum in Orientali Oceano, ſiue Mangico poſitum eſt, inter Septentrionalem Oceanum, & Meridionales regiones, Sinam, Indiæ partem extra Gangem, Saccos, Iaxartem, hodie Cheſel fluuium, Mæotim, & ad Moſchos penè Occidentem verſus: quia omnia hæc ferè occupauerunt Tartari, & in iiſdem locis reſederunt, ita vt antiquorum Scriptorum Sarmatiam Aſiaticam, vtramque Scythiam, Sericámque regionem, quæ fortaſſe hodie Cataium eſt, comprehendat.*

Gerardus Mercator in Atlante maiore in Tabula Tartariæ: *Tartaria, ſiue Magni Cham Imperium, Regnum ampliſſimum eſt: ſiue vt exiſtimat Ioannes Leunclauius, Tartaria: præter enim Europæ partem, etiam Sarmatiam omnem Aſiaticam complectitur, cum Scythia & Serica, quam nunc vocant Cathaium. Nomen habet à fluuio Tartaro, qui eam partem irrigat, quæ noſtris Magog, ab accolis Mongul dicitur, Sita ad Septentrionem. Ab ortu potentiſſimum illud Chinæ Regnum habet: à Meridie Indiam, Gangem fluuium, & Oxum: ab Occidente mare Caſpium & Poloniam: inde Moſcouiæ contermina eſt: & à Septentrione mari Glaciali, vbi prorſus ignota eſt, & inhabitata putatur & inculta. Occupat autem à Meridiei plaga ad Septentrionem gradus ferè X L. nempe à Parallelo graduum X L. latitudinis, vſque ad Parallelum graduum X L. & ab ortu in Occaſum protenditur gradus plus minus C X L V. nam occidentaliſſimus eius Meridianus eſt graduum L. & orientaliſſimus graduum C X C V.* Deſcripſêre Tartariam elegantibus ſciographicis Tabulis iidem Ortelius & Mercator, quas voluptas eſt inſpicere. Sigiſmundus Herbeſtainus in Rebus Moſcouiticis, pag. 88. extrema inquit: *Tartari Turcas ſe vocari ægrè ferunt, probríque loco ducunt: ſed Berſemani appellari gaudent: eóque nomine, & Turci ſe appellari volunt.* Idem Ortelius annotat. Tartaros olim dominatos etiam in Regno Sinarum, atque in illud magnas impreſſiones Patrum, & hac noſtra ætate feciſſe, & ex ipſis Sinarum Annalibus, & ex noſtris Scriptoribus qui res Sinicas ſtylo condidere, vti Marco Paulo, Ioanne Gonzalez Mendoſio, Ferdinando Mendez, Pinto, Nicolao Trigautio, & aliis nimis eſt perſpicuum. Vide lib. 4. cap. 15.

Ergo Magog eſſe Tartariam, ſeu Tartaros, præterquam quod tanto conſenſu affirmetur Magog eſſe Scythiam, vel Scythas, atque conſtet Tartaros, vti diximus, totam ferè vtramque Scythiam incolere: affirmant diſertè Delrius, & Cornel. à Lapide in Geneſ 10. ad verſ. 2. & in 2. Theſſ. 2. n. 76. Sà in 38. Ezech. ad verſ. 1. Gerardus Mercator in Tabula Tartariæ, Petrus Bulengerus in 16. Apocal. ad verſ. 12. Torniellus in Annalib. anno mundi 1931. num. 21. Nec aſpernanda eſt coniectura illa, Tartaros olim dictos Moglos, vel Mongul, aut Magul, vti

Haithonus Armenus libro de Tartaris, cap. 16. Abraham Zacuthi Salmanticensis Rabbinus in Chronico Ismaëlitarum edito à Scaligero, vti vidimus lib. 4. cap. 11. Munsterus lib. 5. Cosmographiæ, pag. 1059. & alij passim annotant: quæ nomenclatura magnam affinitatem habet cum Magog. Deinde, Gog & Magog regiones in extremo Oriente, quas Marcus Paulus describit in Prouincia Tenduch, vti superiori cap. in IX. opinione vidimus, in Tartaria collocat Gerardus Mercator, vt ibidem annotauimus. Huc etiam pertinere videtur Prouincia Mangi in extremo Oriente, & Oceanus Mangicus, seu Orientalis, quasi à Magog. Denique magnum illud Imperium Mogor de quo lib. 4. cap. 9. plura diximus, ad Tartariam pertinere certum est, & magnam cognationem habet cum nomine Magog: imò Magog esse Mogor, scripsit Martinus Delrius in Genes. 10. ad vers. 2. Igitur totum illum terrarum tractum, qui est à Taurica Chersonneso, hodie Gazara, versus Orientem & Septentrionem, suprà mare Caspium, Indiam, & Sinam, vltra montem Belgian, ad terræ vsque Eoæ angulum Aquilonarem, seu Iugum, aut Promontorium mari Orientali versus Boream incumbens, Tabin Plinio libro 6. cap. 7. Melæ lib. 3. cap. 6. & 17. dictum, recentioribus, Asereth, vel Arsareth: & ad Fretum vsque Anian, quod veterem orbem à nouo dispescit, nomine Magog, seu Tartariæ inclusum existimamus.

Num Magog, seu Tartari sint progenies decem Tribuum Israël, à Salmanassare in captiuitatem abductarum.

CAP. XXXII.

NOn defuêre qui vel crediderint, aut suspicati fuerint, decem illas Tribus Israël, quas Salmanassar Rex Assyriorum captiuas transtulit in Assyriam, vti Scriptura memorat, profectas vltra montem Belgian, ad extremam vsque Tartariam, & Mangicum, seu Orientalem Oceanum versus Septentrionem: ex quibus propagata sit ad hunc vsque nostram ætatem infinita Tartarorum soboles. Scriptura quidem 4. Regum, 17. vers. 6. & cap. 18. vers. 10. tantùm tradit, decem illas Tribus captiuas in Assyriam translatas, positásque, & collocatas in vrbibus Hala, & Habor, iuxta fluuium Gozan in ciuitatibus Medorum. Liber tamen quartus Esdræ apocryphus multa de eisdem Israëliticis Tribubus captiuis narrat. Primùm ait, translatas vltra fluuium Euphratem. Deinde illas hoc cepisse consilium, vt derelinquerent multitudinem gentium, & proficiscerentur in vlteriorem terram, vbi nunquam habitauit genus humanum, vt ibi seruarent iura sua, quæ neglexissent in patria. Præterea, ingressas per angustos introitus fluminis Euphratis. Insuper feciſſe tunc Deum eis miracula, inhibuisséque fluminis venas, quoúsque transissent. Adhæc, profectas per longissimam regionem longo itinere anni vnius & semis: regionem autem per quam, vel in quam ierunt, appellari Arsareth, vel vt alij legunt עשרת Asareth, vbi sedes fixerunt. Denique nouissimo tempore redituras in solum patrium: atque tunc Deum detenturum fluenta Euphratis, vt possint transire. Hæc latè referuntur 4. Esdræ, 13. vers. 40. & seqq.

Constat equidem librum illum IV. Esdræ, (vt neque III.) nequaquam pro sacro, authentico, & Canonico receptum ab Ecclesia: sed in apocryphorum angulum reiectum: nihilominùs tamen haud prorsus vt vilem & noxium contemnendum, & explodendum, facilè quisque existimauerit, qui animaduerterit Patres, imò & Ecclesiam ipsam interdum ex eo testimonia citare, vti annotant Xystus Senensis lib. 1. Bibliothecæ sanctæ, sect. 3. Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei, cap. 20. Possevinus in Sacro Apparatu, verbo *Esdras*, & alij. Genebrardus quidem libro 2. Chronographiæ, pag. 184. & 185. & hunc secutus, vt videtur, Victor Palma in Notis ad Genebrardum, existimant, III. & IV. Esdræ, Sacros & Canonicos esse, non quidem de priore Canone Hebræorum, sed de posteriore. Verùm hæc sententia nedum ab omnibus, sed etiam ab Ecclesia manifestè improbatur, cùm duos illos libros, vt apocryphos ab aliis Sacris & Canonicis in partem secreuerit, ac sepoſuerit.

At Genebrardus qui auctoritatem libri quarti Esdræ tanquam sacram & diuinam est admiratus: ea quæ ex eodem libro paulò anteà de decem Israëliticis Tribubus in Oriente deperditis referebamus, in hunc modum sibi interpretanda, & elucidanda putauit, lib. 1. Chronographiæ, pag. 142. *Translatæ autem sunt decem Tribus ad Assyrios, 4. Regum, 17. vnde itinere anni cum dimidio, per angustias Euphratem transgressi, venerunt in Arsareth, regionem hactenus inhabitatam, ibi commoraturi, 4. Ezræ 13. Colchidis partem, aut regionem aliquam illi propinquam nonnulli esse suspicantur, quòd Colchi more Iudæorum, infantes circumciderent, teste Herodoto lib. 2. Ego puto esse veterem Tartariam, ad desertum Belgian in Orientis Septentrionalis angulo, è qua illi sub annum Christi MCC. Duce Cingis erumpente, cùm anteà ignoti essent, & loco, & homine, Imperium Cham Tartarorum, quod hodie memoratur, constituerunt. Nam in Hebræorum Annalibus apud Rabbi Solomonem in 27. Isaïæ, decem Tribus in Oriente fuerunt perditæ. Facilè amplexæ sunt Mahometismum, quòd iam ab auo circumciderentur, & corrupta quadam Mosaïcæ religionis specie tinctæ essent.*

Et pag. 162. enarrans loca 4. Reg. 17. & 18. de captiuitate decem Tribuum, ita differit: *Hæc est clades extrema Regum, & decem Tribuum, qua sexto anno Ezechiæ regis Iuda vltra montes Medorum & Persarum abductæ sunt, missis aliis in eorum terram. Hæ orienti & Septentrioni infusæ, Iudæorum clausorum fabulæ dedere causam: qua de re extat Eldad Danius à nobis versus. Perditas in Oriente aiunt Hebræi. Intereà facilem assensum præbuerim iis, qui ex istis ortos Tartaros opinantur: siue quia Tartari tenent oram Septentrionalem Orientis & Aquilonis: siue quia illorum præcipuum Imperium Persico imminet, eóque terminatur à parte Assyriæ & Mediæ, sine quia diu latuerunt, & ignoti permanserunt: nam eorum nomen tantùm auditum circa annum Domini MCC. Adde quod nomen Tatari (sic enim loquendum aiunt sine r,) Hebraicè & Syriacè sonat derelictum, desertum. Præterea Hordæ Tartariæ in Prouinciis Septentrionalioribus aliquæ retinuerunt nomen Dan, aliæ Zabulon, aliæ Nephthali: inter regna aliqua nomen Tabor, alia alterius Hebraïci monumenti: vt nec mirum sit Russiam, Sarmatiam, Lituaniam, Mosco*

Moſcouiam,& cæteras verſus Tartariam regiones Iudæis abundare: denique quoniam circumciſionem ſunt perpetuò amplexæ, antequam quidquam accepiſſent de infelici Mahometiſmo: cui & facilè aſſenſerunt, quod in multis ſuæ legi & moribus congrueret. Hactenus Genebrardus.

Cuius nonnulla attentè diſcutiamus. Quod ait Arſareth, ſiue Aſereth eſſe extremam Tartariam, Abraham Ortelius in Orbis Theatro Geographica Tabula exprimens Tartariam, ac in ea depingens Promontorium illud quod Plinius & Mela vocant Tabin, nempe iugum incumbens mari inter Orientem & Boream, in vltima Tartaria vltra montem Belgian, hæc annotat: 4. *Eſdræ, cap.* 13. *Arſareth. Hic decem Tribus ſeceſſêre, & Tatarorum, ſiue Tartarorum loco Scythicæ ſubſtituerunt: vnde Gauthæ, ſeu Gauthay, à ſumma Dei gloria aſſerenda ibi dicti ſunt: & hinc Cathay clariſſimum regnum.* Quod verò Genebrardus addit, nomen Tartarorum ſcribendum, & enuntiandum ſine r, nempe Tatari, deſumptum id eſt ex Haïthono Armeno libro de Tartaris, cap. 16. vbi hæc ſcribit: *Regio illa, in qua Tartari primitus habitabant, eſt ſita vltra magnum montem de Belgian, de quo monte fit mentio in Hiſtoriis Alexandri. In illa verò regione habitabant Tartari tanquam homines beſtiales, non habentes litteras, neque fidem: greges paſcebant animalium, & de loco ad locum incedebant, quærentes paſcua armentis. Ad armorum exercitia non valebant, ſed erant ab omnibus vilipenſi, reddentes vectigal vniuerſis. Plures tartarorum fuerunt antiquitus nationes, quæ Moglos communi nomine dicebantur.* Forſan ex Magog detorto vocabulo, vti ſuperiori capite extremo dicebamus: & *creuerunt tantùm, quòd in ſeptem principales nationes ſunt diuiſi: & illæ nationes magis nobiles fuerunt habitæ inter eos. Prima iſtarum nationum Tartarorum nominatur Tatar, quæ à prouincia in qua degebant primitus, nomen ſumpſit: ſecunda appellatur Tangot, tertia Cunat, quarta Ialair, quinta Sonich, ſexta Monghi, ſeptima Tebeth.* Hæc ipſe, vides primam & nationem & prouinciam Tartarorum, à qua nomen acceperunt, dictam Tatar ſine r; & ſic nunc Tataros paſſim enuntiant Martinus Cromerus, Auguſt. Thuanus, Ioannes Leunclauius, Ioſephus Scaliger, & alij.

Quod rurſus annotat Genebrardus, *Tatar* Hebraïcè, & Syriacè interpretari derelictum, deſertum: ego tantùm reperio, Hebræis אטר *Atar*, eſſe claudere, vt Tatari dicantur quaſi Clauſi, vt paulò inferiùs obſeruabimus: אתר *Atar*, Chaldæis eſſe locum, quod forſan multa & magna loca Tartari occupent: נטר *Natar*, Syris, cuſtodire, quaſi captiui & cuſtoditi, ſi Tartari ſunt ex decem tribubus: נתר *Natar*, Hebræis, & Syris, quaſi tranſlatos, excuſſos, remotos, exſules: עטר *Aſar*, Hebræis & Syris circumcinxit, circumcluſit, vel excluſit: Tataros clauſos, vel expulſos. Sed hoc eſt ludere, ſeu potiùs nugari: nam quid Rabbinis ſit תתר *Tatar*, docebit te Pomarius in Germine: ſed nihil ad rem, niſi fortè propter innumeram equorum multitudinem quibus Tatari abundant.

De Hordis verò Tartarorum quas decem Tribuum nominibus inſignes Genebrardus affirmat, idem Ortelius in Tabula Geographica Tartariæ, ad Scythicum promontorium Aquiloni magis obuerſum collocat Hordam Danorum, ſeu Danitarum, eique hoc affigit Scholium: *Danorum ſiue Danitarum Horda, id eſt, deiectio, ſiue deſcenſio, aut expulſio.* Deinde infrà Danitarum Hordam verſus Meridiem ad Orientem ponit Nephthalitarum Hordam, eique hoc aliud adſcribit Scholion: *Nephthalitarum Horda. Nephthalitæ ab vna decem Tribuum Iſraëlis, nomine Nephthali, dicti ſunt: & poſt Danitas, qui in caſtigatione Aquilonari Danmarki dicti ſunt ob Rachelis Balhah ius, ſecundo in loco Hudorum, ſiue Iehudæorum ſunt poſiti & 476. Salutis anno contra Peroſam* (Perſarum regem) *Victores fuêre. Euthalitas malè vocant cæteri.*

De Ephthalitis verò, ſiue Euthalitis, ſeu veriùs Nephthalitis agunt pluribus Theophanes Byzantius lib. 1. Hiſtoriarum, apud Photij Bibliothecam, Procopius lib. 1. de Bello Perſico, cap. 2. Theophylactus Simocata lib. 7. rerum Mauricij Imperatoris, cap. 7. Cedrenus Annalium pag. 192. Agathias lib. 4. cap. 13. Nicephorus lib. 18. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 30. vti ſuperiùs cap. 26. annotauimus.

Ergo libros Guilelmi Poſtelli auctoris olim Damnati, ſed poſteà Catholici, non vidi: ſed ſuſpicor vehementer Genebrardum, aut ſaltem Ortelium ea quæ referunt de Tartarorum Hordis nominibus Iſraëliticarum Tribuum nuncupatis, à Poſtello accepiſſe, qui vt auctor eſt Ioſias Simlerus in Bibliotheca, ſcripſit, *De originibus, ſeu de varia, & potiſſimum orbi Latino ad hunc diem incognita, aut inconſiderata Hiſtoria, cùm totius Orientis, tum maximè Tartarorum, Perſarum, Turcarum, & omnium Abrahami & Noachi alumnorum origines, & myſteria Brachmanum retegente. Item librum, de admirabili Iudæorum Clauſorum, ſeu Decem Tribuum Iſraël, ſub Turcarum & Iſmaëlitarum potentia reductarum Hiſtoria.* In quibus forſan Tartaros, & eorum Hordas ex decem Tribubus Iſraëliticis in Oriente deperditis propagatos tradiderit. Quod etiam exiſtimauit Vvolfangus Lazius lib. 1. de Gentium Migrationibus, & Petrus Bulengerus in 16. Apocalypſ. ad verſ. 12. cuius verba cap. 34. referemus.

De regno Tabor in Tartaria, cuius meminit Genebrardus, hoc poſuit Scholion Ortelius, in Tartariæ Tabula: *Tabor, ſeu Tybur, vmbilicariáue Tatarorum regio, vbi licèt olim libros ſacros perdidiſſent,* (nempe decem Tribus.) *Sunt tamen vniti ſub vno rege, qui anno Domini* 1540. *in Galliam vſque ad regem Franciſcum id nominis Primum venit: & poſteà à Carolo V. Mantuæ igne, ſuæ infidelitatis pœnas luit, quia ſecretè ſolicitabat Chriſtianos Principes ad Iudaiſmum: de qua re Carolum V. allocutus erat.* Eadem habet Genebrardus lib. 4. Chronographiæ pag. 749. niſi quòd in Hiſpania combuſtum nebulonem illud tradit: accepit vterque è Noua Temporum Continuatione Germani cuiuſdam ad Euſebij Chronicon, anno 1540.

Quòd verò ad ritus, religionémque Tartarorum attinet, Hebraïcæ perſimilem, præterquam quod circumciduntur, vt Iſraëlitæ, non pauca in ea animaduerruntur, quæ eos Iſraëlitici ſanguinis prodant, ſi tamen vera ſunt, quæ de illis refert Matthias Michouienſis lib. 1. de Sarmatia, cap. 5. in hunc modum: *Mahumetem venerantes ſequuntur, Pentateucho Moyſi obediunt: circumciduntur, & legalia obſeruant, campanis carent: ſed quotidie IAHI ILLO, ILLOLOH, quod in Latino ſonat: Non eſt Deus, niſi vnus Deus, clamant. Ingenuè ſe profitentur Iſmaëlitas,* (fortè Iſraëlitas) *quia de Iſmaël* (fortaſſe Iſraël) *ortos, Chriſtianos vero Dzintis, id eſt, paganos, & Gaur, id eſt, infideles, & ſine religione appellant. Celebrant velut alij Saraceni tria in anno feſta, primùm Kuiram, id eſt, Oblationis Paſcha, in memoriam oblationis Iſaac, quando Abraham multarum*

gentium pater præcepto Dei, ipsum necare & offerre proposuerat. In isto festo offerunt arietes, aues, alites, &c. Aliud festum colunt pro animabus : tunc visitant sepulchra suorum maiorum, operibus misericordiæ insistunt, & alunt pauperes. Tertium festum agunt pro se suáque salute. Pro primo festo ritè peragendo triginta diebus ieiunant : pro altero, vno mense : pro tertio, duodecim diebus. Eadem habet Gerardus Mercator in Tabula Tartariæ, hisce verbis : *Ismaelitas se esse dicunt : idque etiam præ se ferunt. Mahumeti legem admisere anno MCCXLVI. Cætera Iudæorum ritu peragunt. Circumciduntur, lauantur, & quotidie solemni hora exclamant IAHI ILLO, ILLOLOH : Non est Deus nisi vnus Deus. Summus ipsis Sacerdos est Seid, Imperator Cham.* Tartaros quoque Suilla abstinere notat Ortelius in Tabula Tartariæ, è Sigismundo Libero pag. 89.

Præterea quod Genebrardus obseruauit decem Tribus in Orientem & Septentrionem infusas fabulæ Iudæorum Clausorum dedisse opinionem; opportunè notamus, circumferri libellum cuiusdam Eldad Danij Iudæi, de Decem Tribubus flumine Sabbatico clausis in Æthiopia, Interprete Genebrardo, qui interdictus est ab Ecclesia : de quo agemus lib. 11. cap. 18. nunc illud indicamus, Clausorum nomenclaturam appositè in Tartaros conuenire. Tartari enim reuerà olim clausi erant monte Belgian, & Oceano eoo, vnde primùm eruperint in Occidentaliores regiones, illis maximo miraculo cedente mari, vt olim Israëlitis Rubro. Rem gestam scitu iucundam, verbis Haïthoni de Tartaris, cap. 17. damus : *Postquam verò Changius Chan* (primus Tartarorum Imperator) *omnia regna & terras quæ citra montem Belgian erant, suo dominio subiugauit : quadam nocte vidit aliam visionem : vidit enim iterum militem Album, qui ait : Changi Chan, voluntas immortalis Dei est, quòd tu transeas montem Belgian, & versus Occidentem dirigas gressus tuos, & occupabis regna & regiones, & terras, & Imperio tuo subiicies multas gentes. Et vt certus sis, quoniam ea quæ tibi dico, sunt ex parte immortalis Dei, surge & vade cum gente tua ad montem de Belgian, ad locum vbi mare iungitur cum eodem, ibique descendens, & versus Orientem cum nouem genuflexionibus, nouies immortalem Deum adorabis, & ipse qui est omnipotens, tibi viam ostendet, per quam montem poteris commodè pertransire. Visa itaque visione Changius Chan, gaudens surrexit, nec in aliquo hæsitauit. Nam prima visio velut vera, de aliis certitudinem sibi dabat. Vndè festinanter suos vndique congregauit, & præcepit quòd sequerentur eum cum vxoribus & filiis, & omnibus quæ habebant. Perrexerunt itaque quousque peruenerunt ad locum, vbi mare magnum & profundum montibus adhærebat : nec ibi via siue transitus aliquis apparebat. Statim verò Changius Chan, sicut præceptum sibi fuerat ab immortali Deo, de equo descendit : illud idem omnes sui vniuersalior facientes, versus Orientem flexis genibus, nouies adorabant, ab omnipotenti & immortali Deo misericordiam & gratiam implorantes, vt transitum & viam eis ostenderet abeundi. Steterunt quidem in orationibus nocte illa. Mane verò surgentes, viderunt quòd mare per nouem pedes retrocesserat à montibus, & dimiserat viam latam. Stupefacti fuerunt omnes Tartari hoc videntes, & Deo immortali gratias deuotissimè reddentes, per viam quam patentem viderant, transierunt, & versus Occidentem eorum vestigia direxerunt.* Hactenus Haithonus rem planè mirandam narrauit.

Nec incredibile videtur Deum in gratiam gentilis & Barbaræ gentis tantum patrasse miraculum, ferox ac vndabundum mare retrò compellens, vt viam per siccum Tartaris aperiret, cùm id quoque in mari Pamphylio effecisse, quo Alexandro Magno ad inuadendam Asiam iter patefceret, Iosephus fidus sit auctor, qui lib. 2. Antiquitatum, cap. 7. enarrato ingenti illo miraculo, quo Deus Israëlitas per sciissum Sinum Arabicum sicco vestigio transduxit, hæc prodit : *Nemo autem mirari debet tanquam incredibilia, si priscis hominibus & ad malitiam etiam tum rudibus, de salute periclitantibus via per mare patuit, siue Dei voluntate, siue naturæ sponte : quandoquidem heri & nudiustertius Alexandri ductu, Macedonibus Pamphylium mare cessit, & aliam viam non habentibus illac iter aperuit, cùm Deus eius opera ad destruendum Persarum Imperium vti decreuisset. Id quod omnes testantur qui res gestas illius regis scripto prodiderunt. Sed de his vt cuique libet, ita sentiat.*

At cùm disertè Iosephus affirmet, omnes rerum Alexandri Scriptores illud testatos, Plutarchus quoque autumat complures historicos miraculum illud celebrasse : ipse tamen naturæ tantum opus fuisse existimat : sic enim in Vita Alexandri disserit : *Alexander ad oram maritimam pacandam vsque ad Phœniciam & Ciliciam perrexit. Pamphyliæ per cursus compluribus suppeditauit Historicis elegans ad miraculum excitandum & pompam argumentum, quasi diuina quadam sorte cederet Alexandro mare, quod sæuum aliàs ex alto littus verberaret, rarò autem tenuia & resonantia sub abruptis & confragosis rupibus aperiret saxa. Id quod Menander quoque indicat in Comœdia ad rei nouitatem alludens.*

Quantum Alexandrina iam ista. Quæro quòd si forte quem
Vltrò currens aderit hîc coram :
Sin meandum per maris fluctum profundi,
Permeabilis mihi mox fit.

Alexander ipse in Epistolis suis nihil portenti eiuscemodi iactans, iter narrat fecisse se per Climaca appellatam, atque ex Phaselide progressum eam peragrasse.

Strabo lib. 14. pag. 458. *Apud Phaselidem sunt ad mare angustiæ per quas exercitum traduxit Alexander. Est enim ibi mons Climax, Pamphylio incumbens mari, & propter littus arctum relinquens transitum : qui tranquillo mari nudatur, & à viatoribus perambulari potest : mari exundante, fluctibus admodum obtegitur. Alexander autem hibernam incidit in tempestatem, cúmque fortunæ maximam euentus partem crederet, antequam defluerent vndæ profectus est : itaque contigit, vt totum diem milites per aquam iter facerent, vsque ad vmbilicum in eam demersi.* Appianus lib. 2. Bellorum Ciuilium, pag. 522. *Intimum Pamphyliæ Sinum vadis vento nudatis transcurrit feliciter fortuna interim marinas vndas cohibente.* Eò allusisse videtur Q. Curtius lib. 5. rerum Alexandri, cùm de eo ait : *Inuictus ante eam diem fuerat, nihil frustrà ausus : impunè Ciliciæ fauces intrauerat, mari quoque nouum iter in Pamphyliam aperuerat.* Nec dubium quin rem gestam Curtius narrauerit anteà suo loco, sed liber 1. & 2. eius interciderunt.

Reuocant hæc nobis in memoriam simile quiddam quod Africano Scipioni contigisse proditum est, cùm per stagnum in quod mare æstuabat, Carthaginem Nouam in Hispania aggrederetur. Polybius lib. 10. *P. Scipio concione aduocata, illud ad extremum adiecit, Neptunum iam inde à principio in somnis sibi adstitisse, atque huius ineæpti suscipiendi con-*

*di consilium suggessisse: pollicitum etiam, adeò manifesto auxilium sibi ipsum in articulo ipso temporis laturum, vt adiuuantis numinis præsentiam vniuersus exercitus sit agnituru*s. Et post alia: *At Scipio tempus illud expectans, quo æstus decederet, quà vergit vrbs in stagnum, armatos quingentos cum scalis praparauerat.* Et inferiùs: *Feruebat cum maximè certamen, quando cœpit æstus decedere, & extrema quidem stagni paulatim aqua deserebat: per ostium verò sinus eadem conferta, & cum impetu in continens mare ferebatur: vt qui rerum naturæ ignari cernerent quod fiebat, demirari satis non possent. Publius paratos habens duces locorum peritos, stagnum ingredi, & bono esse animo eos iubebat, quibus id negotij dederat. Tunc igitur milite sicut iussus erat, faciente, & per voraginem cunctis certatim pergentibus, diuina quadam prouidentia stagnum auferri, exercitus vniuersus cœpit credere. Idcircò redeuntes in memoriam eorum quæ de Neptuno audiuerant, & promissæ eius opis à Scipione cùm eos adhortaretur, tanto sunt animorum impetu concitati, vt facta testudine irruerent in portam, & fores securibus ac dolabris extrinsecus effringere conarentur. Qui per stagni vada ad mœnia accesserant, & pinnas propugnatoribus vacuas inuenerant, non solùm scalas nullo periculo admouerunt, sed etiam superato muro, nemine resistente, eum tenuerunt.*

Rem eandem Liuius lib. 26. cap. 45. ita describit: *Vt ei nuntiatum est æstum decedere, compertum habebat, facilem pedibus ad murum transitum dari: eò armatos duxit. Medium fermè diei erat: & ad id quod sua sponte cedente in mare æstu, trahebatur aqua, acer etiam Septentrio ortus inclinatum stagnum eodem quò æstus ferebat: & adeò nudauerat vada, vt alibi vmbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret. Hoc cura ac ratione compertum, in prodigium ac Deos vertens Scipio, qui ad transitum Romanis mare verterent, & stagna auferrent, viásque ante nunquam initas humano vestigio aperirent: Neptunum iubebat ducem itineris sequi, ac medio stagno euadere ad mœnia. Quietus & per stagnum facilis transitus, & in murum ascensus inde fuit.* Eadem quoque habent Appianus in Hispanicis. pag. 266. Iulius Frontinus lib. 3. Stratagematum, cap. 9. exemplo 1. Nec defuere ætate nostra prodigiosa eiusmodi exempla, Hispanorum virtute in Belgio edita. Norum est præclarum Christophori Mondragonij facinus, quod non nostri tantùm, sed aliarum nationum Historici quamplurimi celebrarunt. Sed vide Iacobum August. Thuanum Historiarum lib. 54. Michaëlem Isseltium in Historia sui Temporis, anno 1572. Verùm hæc hactenus, quæ occasione Tartarorum Clausorum retulisse non piguit. Et verò rectè Tartari Clausi dicuntur, quòd hodiéque vltra Mœotim, Caucasum, & Caspium mare, veluti montium, mariúmque obicibus & claustris inclusi videantur.

Cæterùm quòd Tartari sint soboles decem Tribuum Israël in Oriente deperditarum, vti Genebrardus, & alij suspicati sunt, nec adstruere, nec refellere in animo habemus: rem enim incertam omnino arbitramur. Equidem decem Tribus iam olim per Orientem dispersas, variis nationibus & gentibus se se permiscuisse, vel connubiis, vel habitationibus creditu procliue est: nec à vero alienum existimo, num etiam hodie inter Tartaros innumeros Iudæos ex illis forsitan decem Tribubus, vt in aliis orbis regionibus dispersos ac dissipatos habitare, qui tempore Antichristi vnà cum Tartaris, seu Gog & Magog immensis agminibus ad suum Messiam in Iudæam conuolabunt: vt etiam alij qui in diuersis mundi partibus ad hanc vsque diem exilia sua infeliciter tolerant. Hordas verò Danorum, & Nephthalitarum in Tartaria, non constat Israëlitarum esse. Decem quidem Tribus ad Antichristum in Iudæam venturas, & 4. Esdræ, 13. facilè quis possit existimare, vt cap. 4. dicemus: at quòd eæ sint ipsissimi Tartari affirmare non possumus: inter Tartaros plurimos ex decem tribubus degere, nunc nunc dicebamus: cuius rei illud est etiam argumentum, quòd & Oriens & Septentrio innumeris abundent verminibus Iudæorum. Quò etiam accedit, quòd Iudæi credant suum Messiam multo iam retro tempore natum, hodiéque viuum adhuc asseruari intra Portas Caspias, vti Lyranus in Tractatu contra Iudæos ad finem Glosæ Ordinariæ, & Hadrianus Finus lib. 5. Flagelli contra Iudæos, cap. 14. & alij annotarunt. Nec est dubium, Iudæos, cùm in Scythia, seu Tartaria, tum in aliis regionibus degentes, extremo mundi tempore Antichristi ad eos fama perlata, cum iis nationibus, quas hucusque descripsimus, magnis exercitibus venturas ad Antichristum, ipsos quoque se eisdem inter quas habitant, adiuncturos, atque ad Antichristum profecturos: imò vt est gens seditiosa & turbulenta, impulsuros & concitaturos quotquot poterunt, barbaras nationes, vt eas ad Antichristum pertrahant, vti cap. 20. diximus. Atqui hæc hactenus.

Vtcumque tamen res sese habeat, illud quàm maximè verosimile existimamus, Magog Tartaros esse. Et si quis Magog ad Tartaros propriè contrahere noluerit, sed Scythas vniuersè accipere maluerit, non multùm cum illo pugnauerim: nimirum esse barbaras gentes quæ Scythiam vastissimam illam prouinciam quàm longè latéque in Asia & Europa paret, incolunt, ac tempore Antichristi incolent. Scytharum feritatem, inhumanitatem, crudelitatem prouerbio notari, norunt omnes: *Scythâ tetrior*, cuius etiam meminit Tertullianus lib. 1. aduersus Marcionem, cap. 1. Magog quidem Srythas esse magno testium & numero & pondere, cap. 31. demonstrauimus: ea quoque est constans Hebræorum sententia, de qua S. Hieronymus in 38. Ezechielis, ait: *Iudæi putant Gog & Magog gentes esse Scythicas, immanes, & innumerabiles, quæ trans Caucasum montem, & Mæotidem paludem, & propè Caspium mare ad Indiam vsque tendantur.* De his S. Hieronymus epist. 30. ad Oceanum: *Ab vltima Mæotide inter glacialem Tanaïm & Massagetarum immanes populos, vbi Caucasi rupibus feras gentes Alexandri Claustra cohibent, &c.* Hegesippus lib. 5. de Excidio Ierosolymitano cap. 50. *Alani gens fera, & diu ignota nostris, quod interiorum locorum difficultate, & claustro portæ ferreæ, quam Magnus Alexander prærupto Tauri montis imposuit iugo, cum cæteris feris, & indomitis introrsum gentibus, cohibebantur. Incolebant Scythicum Tanaïm, finitimáque eius, & Mæotidis paludem, velut quodam clausi carcere memorati ingenio Regis, vt suas terras exercerent, alienas non incursarent.*

At de claustris his & portis ferreis Alexandri, Plinius lib. 6. cap. 11. hæc prodit: *Portæ Caucasiæ magno errore à multis Caspiæ dictæ ingens naturæ opus, montibus interruptis repentè, vbi fores obditæ ferratis trabibus, subter medias amne Dyriodori fluente, citráque in rupe castello, quod vocatur Cumania, communito ad arcendas transitu gentes innumeras: ibi loci terrarum orbe portis discluso, ex aduerso maximè Harmastis oppidi Iberûm.* Et cap. 13. *Corrigendus est error multorum, & eorum etiam, qui in Armenia res*

proximè cum Corbulone gessere. Namque ij Caspias appellauere portas Iberiæ, quas Caucasias diximus vocari : situsque depicti, & inde missi, hoc nomen inscriptum habent. Et Neronis principis comminatio ad Caspias portas tendere dicebatur, cùm peteret illas, quæ per Iberiam in Sarmatas tendunt, vix vllo propter appositos montes aditu. Ad Caspium mare sunt aliæ, Caspiis gentibus iunctæ : quod dignosci non potest, nisi comitatu rerum Alexandri Magni. Et cap. 14. agens de Caspiis portis, ait : *Causa portarum nominis eadem quæ suprà* (nimirum in Caucasseis,) *interruptis angusto transitu iugis, ita vt vix singula meent plaustra longitudine octo millium passuum, toto opere manufacto. Dextra, lauaque ambustis similes impendent scopuli sitiente tractu per triginta octo millia passuum. Angustias impedit corriuatus salis è cautibus liquor, atque eadem emissus. Præterea serpentium multitudo, nisi hyeme transitum non sinit.*

Solinus cap. 50. *Caspiæ portæ panduntur, itinere manufacto, longo octo millibus passuum : nam latitudo vix est plaustro permeabilis. In his angustiis etiam illud inter alia difficile, quod præciporum laterum saxa liquentibus inter se salis venis, exsudant humorem affluentissimum, qui mox vi caloris constrictus, velut in glaciem coit. Ita labes inuia accessum negat. Præterea octo & viginti millium passuum tractus omnis, quoquo inde pergitur, nullis puteis, vel fontibus humo arida, sine præsidio sitit. Tum serpentes vndique gentium conuenæ a verno statim die illuc confluunt. Ita periculi ac difficultatis concordia, ad Caspios, nisi hieme, accessus negatur.*

Tacitus lib. 1. Historiarum : *Multi ad hoc numeri è Germania ac Britannia, & Illyrico, quos idem Nero electos præmissosque ad claustra Caspiarum, & bellum quod in Albanos parabat, &c.* Sed vt Plinius monuit hæc potiùs Caucasea & Iberica, quàm Caspia claustra. Mela lib. 1. cap. 15. nominat *Caspias Pylas*, quæ verè sunt Caspiæ : & *Armenias Pylas*, nimirùm Caucasias seu Ibericas. Meminit & Caspiarum Portarum Ptolemæus lib. 6. cap. 2.

Iouius lib. 4. Historiarum, agens de portubus Caspij maris ad Mediæ littora, inquit : *Alter verò portus ad Derbentum vrbem, Caspiásque portas ab Alexandro Magno, vt ferunt, aduersus Scytharum irruptiones ædificatam. Abruptæ siquidem Caspij montis rupes, vsque adeo ad mare coarctant iter, vt exesi fluctibus, deuoratique in profundum eius littoris margines, vix duorum stadiorum aditum transeuntibus relinquant. Ea enim forma Derbentum in edita montium crepidine situm est, vt duobus ex quadrato lapide muris ad mare deductis, inferiora ædificia, & nauigiorum stationem tanquam duobus brachiis complectatur, non maiore quàm trecentorum passuum interuallo : quod spatium singulis vtrinque ferreis portis, superstantibúsque propugnaculis, ita munitur, vt perpetuis custodiis, nisi clara luce, & explorato littore, viatores, nec admittantur, nec recepti intra portam, altera prius emittantur, quàm portorium persoluant.* Sed de Caspiis & Caucasiis portis vide Ortelium in Thesauro Geographico.

Illud obiter hîc annotamus, communi ferè consensu Gog interpretari tectum, & Magog, de tecto, quod in Scythas, & Tartaros appositissimè conuenit, qui verè sunt Hamaxobij, & Mosynœci, quasi domipodæ in plaustris suas domus secum ferentes, nullas certas & fixas sedes, atque domicilia habentes, quibus pro domibus sint carri & plaustra centonibus, coriisque contecta, vti omnes qui res Scytharum & Tartarorum descripserunt, affirmant. De Hamaxobiis vide suprà cap. 21. Faciunt mirificè ad institutum de Magog seu Scythis vel Tartaris verba Nicephori Gregoræ lib. 2. Historiarum, cap. 7. *Vt enim terrores de cælo sæpe hominibus a Deo immittuntur, vt fulmina, incendia, & crebri imbres : sæpe è terra, vt telluris hiatus, & quassationes : sæpè ex aëre, vt typhones, & nimbi : ita ij a Deo asseruantur Septentrionales & Hyperborei terrores, vt pro alia pœna, quando, & quibus prouidentiæ visum fuerit, immittantur.*

Verba Ezechielis de Gog & Magog rectè in Tartaros, seu Scythas conuenire.

CAP XXXIII.

AIt Dominus Vati, cap. 38. 1. *Pone faciem tuam contra Gog, terram Mogog.* Sic enim legendum sine coniunctione, *terram Magog*, non vt deprauata quædam exemplaria habent, *& terram Magog*, liquet ex Hebræo fonte, & Chaldæo Interprete, & optimis quibusque Latinis codicibus, quorum quinque venerandæ vetustatis protulit Plantinus. Vulgata Biblia edita iussu Xysti & V. & Clementis VIII. etiam sine coniunctione legunt. Hebræa ex verbo exprimi quoque possunt, *contra Gog terræ Magog.* Vt Leo Iudas & Marinus reddiderunt, hoc est, *contra*, vel, *ad*, seu *super*, (omnia enim ista Hebræum עַל *el* significat.) Gog Imperatorem, seu Dominum, aut decem terræ Magog, id est, Scythiæ, vel Tartariæ. Noster Vulgatus rectè in casu accusandi, *terram Magog*, vt sit asyntheton, pro, *& terram Magog*, qua etiam ratione habent LXX. & Vatablus. Vt sit sensus : contra Gog magnum Cham & Imperatorem Scythiæ seu Tartariæ, & etiam contra gentem & nationem eius, nempe Tartaros seu Scythas, quasi dicat, vaticinare de rege & gente.

Principem capitis Mosoch & Thubal, vox, *Principem*, proculdubiò ad Gog, non ad Magog : Gog enim, & non Magog, dicitur princeps capitis Mosoch & Thubal, cùm quòd Hebraïcè princeps, qui est masculei generis, non rectè connectatur cum Terra Magog, quæ sæpius est feminei generis : tum quòd Ezechiel 39. vers. 1. aperte omisso Magog, de Gog inquit : *Ecce ego super te Gog principem capitis Mosoch & Thubal.* Perspicuè Gog dicitur Princeps capitis Mosoch & Thubal. Iam illud obscurum & difficilem intellectum habet, quid sibi velit, *Princeps Capitis Mosoch, &c.* Pintus interpretatur, Principem principis Cappadociæ. Leo Iudas Hebræa reddit : *Contra Gog terra Magog, & caput Mosoch & Thubal*, vt per asyntheton intelligatur Gog fore princeps Magog, & caput etiam seu princeps Mosoch & Thubal. Maldonatus, vel *Princeps & caput.* Sed his obstat, quòd *Nessi*, id est, princeps, sit in regimine : vnde dicendum potiùs, *Princeps capitis*, quàm *Princeps caput :* tametsi non sit insolens apud Hebræos statum syntacticum pro absoluto poni, vt annotat Kimchi in Grammatica Michlol initio, in voce plurali masculina Benoni. Vide Mercerum in Radice אאל *Aial.* Sed præstat cum Vulgato exponere, *Principem capitis*, hoc est, Principem principis Moscouitarum seu Cappadocum, & Iberorum : nam summus Scytharum seu Tartarorum Imperator sub se reges aliarum finitimarum gentium

tium cum vaſtis exercitibus pertrahet ad Antichriſtum: quorum omnium ipſe erit ſupremus ac maximus dux.

Illud eſt vero propius, *Principem capitis*, Hebraica phraſi, eſſe Principem maximum, ſummum, primarium, præcipuum, præſtantiſſimum. Sic Exodi 30. 23. *Aromata capitis*, id eſt, primaria & præſtantiſſima. Canticor. 4. 14. *cum omnibus primis vnguentis.* Hebraïcè, *cum omnibus capitibus aromatum*, id eſt, præcipuis aromatibus, 2. Paralip. 31. verſ. 10. *Sacerdos capitis*, vel *Sacerdos caput*. Noſter, *Sacerdos primus*, ſic hìc Principem capitis, id eſt, Principem capitalem, primarium, ſummum, vt Chaldæus expoſuit: qua etiam ratione interpretati ſunt Vatablus, Sà, Maldonatus. Vt intelligamus in tantis, atque adeò immenſis exercitibus variarum gentium & nationum Aquilonarium quæ ſecuturæ ſunt militiam Antichriſti, Gog regem Scytharum, ſeu Tartarorum, futurum maximum & ſupremum ac primarium Imperatorem, cui omnes alij veluti ſupremo capiti ac duci pareant. *Naſſi*, quod Noſter dixit Principem, propriè indicat Prælatum, Primatem, qui ſuper alios attollitur, & eleuatur.

Sed quantumuis hæc rectè & appoſitè dicta videantur, non alienum tamen videtur paucis expendere vim vocis Hebraïcæ ראש *Ros* pro qua *caput*, vertit Noſter, & ferè omnes. Hebraïcè ad verbum eſt: *Pone facies tuas ad Gog terram Ha Magog, prælatum Ros, Moſoch & Thubal. In quem locum S. Hieronymus hæc annotat: Porrò quòd in exercitu Gog ſiue Magog, qui iuxta Septuaginta, Symmachum, & Theodotionem, princeps eſt Ros, Moſoch, & Thubal: primam gentem Ros, Aquila interpretatur caput, quem & nos ſecuti ſumus: vt ſit ſenſus: Principem capitis Moſoch & Thubal. Et reuera nec in Geneſi, nec in alio Scripturæ loco, nec in Ioſepho quidem, qui omnia Hebraicarum gentium in primo Antiquitatum libro exponit nomina, hanc gentem potuimus inuenire. Ex quo manifeſtum eſt, Ros non gentem ſignificare, ſed caput.* LXX. habent: *Obſirma faciem tuam ſuper Gog, & terram Magog, principem Rhos, Meſoch, & Thobel.* Eadem ratione interpretati ſunt, teſte S. Hieronymo, Symmachus, & Theodotion. Euſebius Cæſarienſis lib. 9. demonſtr. Euang. cap. 3. ait: *Meminit autem Gog etiam prophetæ Ezechiel, dum principem Ros, Moſoch, & Thobel nominat.* Socrates lib. 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 42. hunc Ezechielis locum ita legit: *Tu fili hominis vaticinare ſuper Gog principem Rhos, Miſoch, & Thobel.* Theodoretus in 38. Ezechiel. verſ. 1. *Fili hominis, firma faciem tuam ſuper Gog, & terram Magog, principem Rhos, Moſoch, & Thobel. Rhos verò Hebræorum lingua interpretata eſt caput: & Aquilas item Rhos caput Moſoch interpretatus eſt.* Nicephorus lib. 14. Hiſtor. Eccleſ. cap. 38. eadem Ezechielis verba in hunc modum refert: *Et tu fili hominis vaticinare contra Gog, & principem Rhos, Moſoch, & Thobel.*

Atqui proculdubio omnes iſti Rhos in hoc Ezechielis loco peculiarem aliquam gentem intellexere, vt Moſoch, & Thubal: & quamuis S. Hieronymus aſſerat, ſe hanc gentem nuſquam inuenire potuiſſe: non eſt profectò dubium quin gens aliqua aut natio exiſtat, quæ Rhos dicatur. Ioannes Langus in Notis ad prædictum Nicephori locum lib. 14. Hiſtor. Eccleſ. cap. 38. vbi Rhos nominat, hæc annotat: *Hoc nomen Rhos Sacra Biblia noſtra non habent: reperitur tamen apud Socratem quoque. Nomine autem iſto vniuerſa Rhuſſorum, ſiue Ruthenorum gens, quæ magna ex parte nunc Chriſtiana eſt, & Schlauonica vtitur lingua, intelligitur. Vulgo Ruiſſ dicuntur. Nec in Geneſi, nec in alio Scripturæ loco, ac ne in Ioſepho quidem, qui omnia Hebraïcarum gentium in primo Antiquitatum libro exponit nomina, hæc gens inueniri potuit. Hieronymus ſuper Ezechielis 38.*

Et verò quos Plinius lib. 4. cap. 12. Strabo lib. 1. pag. 78. lib. 7. pag. 203. 212. Cornelius Tacitus lib. 1. Hiſtoriarum, Ptolemæus lib. 3. cap. 5. Dio lib. 71. in Marco Imperatore, Spartianus in Adriano, cap. 6. & in Marco, cap. 22. Trebellius Pollio in Regilliano, Iornandes de Rebus Geticis, cap. 24. & alij Rhoxolanos appellant, aliíque fermè Ruthenos, ſeu Ruſſos, atque prouinciam Ruſſiam nuncupant, vti Matthias Michouienſis lib. 2. de Sarmatia, cap. 1. Martinus Cromerus lib. 1. Rerum Polonicarum, cap. 8. 12. 15. Ortelius in Theſauro Geographico; à Græcis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ recentioribus Scriptoribus Rhos appellari comperimus; hoc eos nomine vocant Ioannes Curopalata in Baſilio Seniore, Nicephorus in Argumento lib. 23. Eccleſ. Hiſtoriæ, Græci exemplaris, cùm mirabilem eorum ad Chriſti fidem conuerſionem narrant. Zonaras Annali 3. in Baſilio Macedone de eadem agens Ruſſorum conuerſione, Rhoſſicam gentem nominat: ac in Ioanne Zemiſce, Roſſos. Cedrenus verò Ruſſos.

In Epiſtola Synodali Concilij Antiocheni ad Iouianum Imperatorem, ſubſcriptus inter alios habetur Antipater Epiſcopus Rhos, ſeu Rhoſſos, vel Rhoſſi, apud Socratem lib. 3. cap. 21. Sozomenum lib. 6. cap. 4. Verum exiſtimo Antipatrum non Ruſſiæ, ſed Rhoſſos oppidi in Syria fuiſſe Epiſcopum: cuius oppidi meminere Strabo lib. 16. pag. 117. Plinius lib. 5. cap. 22. Ptolemæus lib. 5. cap. 15. de Rhoſſenſi Eccleſia, quam de Pſeudo-Euangelio Petri monuit S. Serapion Antiochenus Epiſcopus, agit quoque Euſebius lib. 6. Hiſtoriæ, cap. 10.

Ergo nec abſurdè, nec alienè hoc Ezechielis loco Rhos, Ruſſorum gentem, ſeu Ruſſiam accipere poſſumus: ſícque interpretari: Pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem Ruſſiæ, Moſcouiæ, Iberiæ, ſeu Georgiæ, &c. Ruſſiam deſcripſere egregiè, Matthias Michouienſis lib. 2. de Sarmatia, cap. 1. Paulus Iouius lib. 13. Hiſtoriarum, Sebaſtianus Munſterus lib. 4. Coſmographiæ, pag. 909. Martinus Cromerus lib. 1. rerum Polonicarum, cap. 8. Abraham Ortelius in Theatro Orbis in Tabula Ruſſiæ, Gerardus Mercator in Atlante in Tabula Ruſſiæ: ſed omnium accuratiſſimè Sigiſmundus Liber Baro in Herbeſtain, in Commentario rerum Moſcouiticarum, ſtatim initio. Quam conſtat, vel continere in ſe Moſcouiam, vel partem eius eſſe, aut certè finitimam. Vnde maximè fit veriſimile, nomine Rhos ab Ezechiele deſcriptam, & cum Moſoch, id eſt, Moſchouia, & Thubal, id eſt, Iberia Pontica, & tractibus illis terrarum Aquilonarium vicinis & confinibus coniunctam: atque rectè dici Gog principem Magog, id eſt Scythiæ, vel Tartariæ, Rhos, id eſt, Ruſſiæ, Moſoch, id eſt, Moſcouiæ, ſeu Moſchorum, & Thubal, hoc eſt, Iberiæ, & Ponticarum regionum. Cui & illud conuenit quod Ortelius, Mercator, & alij annotant, Moſcouiæ regem hoc ſe Regni titulo inſignire: Ioannes Baſilius Magnus Imperator Ruſſiæ, Dux Moſcouiæ, &c.

Nec propterea quod nomine Hebraïco *Ros*

Russiam in Ezechiele posse intelligi dicimus, quidquam Vulgato nostro, qui Ros caput est interpretatus, derogamus: cùm nullum eruditum lateat, solere Nostrum Interpretem nomina propria Hebraïca, quòd ea proprias significationes habeant, in Latinam linguam conuertere, ac si appellatiua & communia essent: nec minus proinde pro proprijs accipi & haberi velle. Cuius rei exempla non pauca collecta extant ab Antonio Nebrissensi in quinquagena, cap.49. Martino Cantapetrensi lib.2. Hypotyposeon, cap.1. colum.98. Gaspare Graiar in 1. Michææ: quorum vnum nunc sat fuerit indicasse. Psalm.75.3. *Factus est in pace locus eius.* Hebraïcè: *Factus est in Salem locus eius: & habitatio eius in Sion.* Quod verò S. Hieronymus in Commentarijs, vti prædiximus, noluerit Rhos peculiarem aliquam gentem intelligi: ea fuit causa, quòd ipse Rhos gentem nescierit: at cùm tanta probabilitate ostenderimus, Rhos esse Russos, & mirè hæc gens loco Ezechielis conueniat: cur tam iniqui rerum æstimatores erimus, vt non probabiliter arbitremur, Ezechielem nomine Rhos, Russos significasse: ac vaticinatum, Gog magnum Scytharum Imperatorem, seu Tartarorum Cham, ducturum ad Antichristum ingentes exercitus Tartarorum, Russorum, Moscouitarum, Iberorum, & aliarum Borealium nationum, iisque omnibus Ducem futurum? Et quidem ipsemet S. Hieronymus in 39. Ezechielis initio, Rhos pro proprio alicuius gentis nomine accepisse videtur, cùm ait: *Interficiendúmque Gog principem Ros, Mosoch, & Thubal in finibus Israël.*

At si quis nolit nomine Rhos Russos in præsenti Ezechielis vaticinio intelligi, quòd iam hoc tempore Rutheni, seu Russi, eiurato Græcanico Schismate, S. Romanæ Ecclesiæ communioni coniuncti sint, nimirum in eam recepti à Clemente VIII. an. Salutis 1595. de qua re extant publica Acta, quæ Baronius ad finem Annalis Septimi descripsit: ne fidelibus & Orthodoxis videamur tam triste omen prænuntiare, quasi ipsi Russi futuri sint partium Antichristi: amplectatur alias quas suprà posuimus vocis Hebraïcæ Rhos interpretationes: quamuis adeò variæ sint rerum humanarum vicissitudines, vt non sit impossibile Russos mutata religione, legionarios Antichristi futuros.

Pintus Principem capitis Mosoch & Thubal exponit Turcarum Imperatorem, principem ac Dominum Constantinopolitanæ vrbis, quæ quondam fuit caput Romani Orientalis Imperij, & Cappadociæ atque Hispaniæ dominata fuit. Sed id alienum & frigidum est: neque cum his quæ hactenus diximus conuenit. Nec omiserim Maldonati explanationem eiusmodi: *Illud certum est, non esse sensum, Gog esse principem Mosoch & Thubal: erat enim princeps Magog, & erant tria regna, longéque dissita, sicut Magog, Mosoch, & Thubal tres fratres erant, Genes. cap.10. vers.2. sed sensus est: Pone faciem tuam contra Gog, (subaudi, principem) terræ Magog, (& contra) principem capitis Mosoch, (& contra principem) Thubal.* Sed quid tam durum & asperum quod non subauditionibus concoquas?

Pergit diuinus Ezechiel vers.15. *Et venies* (tu Gog) *de loco tuo, à lateribus Aquilonis, tu, & populi multi tecum: ascensores equorum vniuersi, cœtus magnus, & exercitus vehemens.* Hæc aptè in Tartaros seu Scythas competunt, quòd Scythia sit ad Aquilonem, vnde veniet Gog Scytharum seu Tartarorum Imperator succinctus immensis agminibus cùm suæ gentis, tum Russorum, Moscouitarum, Iberorum, & aliarum Septentrionalium nationum, ad militandum Antichristo. Illud verò, *ascensores equorum vniuersi*, propriè in Tartaros seu Scythas conuenit: cùm de incredibili Scytharum seu Tartarorum equitatu multa prodant auctores. Plinius lib.8. cap.42. *Scythæ quidem equitatus, & equorum gloria strepunt.* Marcus Paulus lib.2. cap.15. *Vnde nonnumquam fieri solet, vt regi Tartarorum, in festo quod initio anni celebrant, centum millia alborum equorum offerantur.* Haithonus lib. de Tartaris, cap.48. *Quando Tartari equitant, secum ducunt magnam copiam armatorum, & de lacte equarum pocula sumunt, & carnibus vescuntur, & illas reputant valdè bonas. Tartari in equis sunt agiles, & sagittarij valde boni: pedites nesciunt incedere, nisi valde pigrè.* Matthias Michouiensis lib.1. de Sarmatia, cap.6. *Tartari ab ineunte ætate equitatu & arte sagittandi gaudent.* Et post pauca: *Pecudes plurimas tenent, præcipuè caballos, & caballas pro equitatu, & victus valentes. Incidunt & vulnerant equos, cruorémque & per se, & cum millio vorant: carnes pecudum, pecorum, & equorum comedunt etiam semicrudas.* Et infrà: *Cham seu Imperator Tartarorum cum suorum multitudine equestres vadunt, &c.*

Iouius in Legatione Moscouitica: *Tartaris pro vrbibus ac oppidis sunt inmensa castra, non fossis aut materia clausstris, sed infinita sagittariorum equitum multitudine vallata.* Et lib.13. Historiarum: *Equitandi peritissima gens, cùm arcum tenet, aut acinacem stringit ceteros mortales in prælio contemnere consueuit.* Munsterus in Cosmographia lib.5. pag.1059. *Tartari leues sunt, & agiles, boni equites, pedites mali: nullus pedes vadit, omnes & minimi etiam equis insident.* Sigismundus Liber in Moscouia, pag.89. *Equis ceruice depressa pusillis, sed fortibus abundant. His ad laborem assuefactis, Tartari commodissimè vtuntur: aiuntque Moschi, perniciores hos sub Tartaris, quàm sub aliis esse. Hoc genus equorum pachmat vocant.* Atque eadem alij omnes de Tartarorum numerosissimo equitatu perscribunt: quæ mirificè illustrant verba Ezechielis: *Ascensores equorum vniuersi.*

Atque hæc iam satis, supérque de Gog & Magog in præsentia sint dicta: reliqua quæ Ezechiel & Ioannes de supremo Gog & Magog prælio, & tantorum exercituum funestissima strage in montibus Israël, prænuntiarunt, lib.12. cap.7. 8.9. opportunè elucidabimus. Vt verò omnium ante dictorum breuem veluti epilogum contrahamus, summatim dicimus, gentes & nationes quas Ezechiel memorat secuturas Antichristi militiam, has esse: Gog summum Cham & Imperatorem Scytharum seu Tartarorum, cum immanibus suæ gentis agminibus, Cappadoces Ponticos, accolasque littorum Orientalium Ponti Euxini & Mæotidis, Iberos, Albanos, Circassos, Russos, Moscouitas, item Persas, Libyes, Æthiopes, Galatas, Phrygas, Sarmatas, Turcas, Arabes Arabiæ Felicis, Dedaneos Arabiæ Desertæ, Cilicies, & Minoris Asiæ incolas: præter infinitam Iudæorum colluuiem, qui ex cunctis orbis plagis, vbi nunc miserabili seruitute premuntur, turbulentissimè, & seditiosissimè ad suum Messiam, id est Antichristum erumpent, vt illi suis viribus omnia humana & diuina asserant. Mirabilia quidem hæc sunt, sed vera, & à magnis vatibus tantò anteà prænuntiata.

Expli

Explicatur Oraculum obſcurum Apocalypſis 16. verſ. 12. Et ſextus Angelus effudit phialam in flumen illud magnum Euphratem, &c.

CAP. XXXIV.

VErba Ioannis ſunt: 12. *Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem: & ſiccauit aquam eius, vt præpararetur via regibus ab ortu ſolis* 13. *Et vidi de ore Draconis, & de ore Beſtiæ, & de ore Pſeudo-propheta ſpiritus tres immundos in modum ranarum*, 14. *Sunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna, & procedunt ad reges totius terræ, congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.*

Hunc locum hîc commodè enarrandum ſuſcepimus, quòd cùm de gentibus & nationibus quæ maximis exercitibus ad Antichriſtum venturæ ſunt, in præcedentibus à nobis abundè ſit diſputatum: videtur hiſce verbis Ioannes de earundem ad Antichriſtum itinere, & aduentu prædicere. Ante omnia notamus, Ioannem proculdubio hîc vſum Hyſteroprotero: nam poſterior pars huius oraculi, à verbis illis: *Et vidi de ore Draconis, & de ore Beſtiæ, & de ore Pſeudo-propheta ſpiritus tres immundos in modum ranarum, &c.* præponenda eſt priori parti illi: *Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem & ſiccauit, &c.* Quis enim non videat, priùs emiſſos fuiſſe ſpiritus immundos ad congregandos & pertrahendos reges illos: quàm Angelus exſiccauerit aquas Euphratis, ad aperiendam viam venientibus illis regibus? Vnde illud, *Et vidi de ore Draconis, &c.* cauſaliter accipiendum eſt pro, Nam videram anteà, &c. Et pro Nam, vel enim, paſſim in Scriptura poni, notius eſt, quàm vt exempla ſint indicanda, de quibus vide Martinum Cantapetrenſem lib. 8. Hypotypoſeon, cap. 9. Villauicentium, & Sà in Phraſibus Sacræ Scripturæ. Illud quoque cum optimis quibuſque Interpretibus affirmamus, Ioannem à cap. 15. verſ. 7. cœpiſſe loqui de ſeptem phialis aureis, quas dixit plenas iracundia Dei eſſe, atque ſuo tempore in orbem effundendas, nempe ſupremas diuinæ vindictæ plagas, nouiſſimis Antichriſti temporibus mundo infligendas: poſt quas non manebit niſi vniuerſale Iudicium. Sed verba expendamus in ordine rerum. *Et ſextus Angelus*, nimirum ex illis ſeptem qui ſingulas phialas in homines erant effuſuri, cap. 16. verſ. 1. phialam ſuam, in qua ira Dei, & maxima plaga humani generis continetur. *Et vidi tres ſpiritus immundos*, hoc eſt ſpiritus dæmoniorum, vti ſe exponit ſtatim verſ. 14. nempe ſpiritus qui ſunt dæmonia. Tres autem idcircò dixiſſe videtur, vt indicaret vniuerſitatem malignorum ſpirituum, qui à tribus illis perſonis, Dracone, Beſtia, Pſeudo-propheta emittentur. *De ore.* Hebraïca phraſi, hoc eſt, eorum iuſſu, auctoritate, nomine, tanquam legati, & miniſtri amandabuntur. Os pro imperio, mandato, & iuſſione obuium in Sacris litteris: exempla ſuppeditabunt Villauicentius & Sà in Phraſibus, & Lexicographi Hebraïci. Andreas: *Sola iuſſione, quæ per os ſignificatur.* Ita quoque interpretantur Ribera, Melus, Viegas.

Hos ſpiritus immundos, Primaſius, S. Beda. Haïmo, Anſbertus, Ambroſiaſter, & alij intelligi volunt, diſcipulos, miniſtros, & concionatores Antichriſti, quos ipſe, eiúſque armiger, ac præcurſor, atque imprimis Diabolus extrudent in omnes mundi partes, vt omnia ſurſum deorſum miſcentes, quaſcumque gentes, aut homines poterunt, ad Antichriſtum pelliceant & pertrahant. Dici autem ſpiritus immundos, aut dæmones, non quòd veri dæmones ſint futuri: nam erunt homines, ſed quòd maxima tetri ſpiritus vbertate perfundentur, in quibus Diabolus vim ſuam potenter exeret, vt dæmones propemodum videri queant. Ambroſiaſter: *Spiritus tres immundi, diſcipulos deſignant Antichriſti, qui eum per vniuerſum orbem prædicaturi ſunt. Qui quamuis homines ſint futuri, ſpiritus immundi & ſpiritus dæmoniorum vocantur, quia dæmones in ipſis habitabunt, & per ora eorum loquentur.* Veroſimilius eſt, veros futuros dæmones in humana ſpecie, cùm Ioannes diſertè eos ſpiritus immundos, & ſpiritus dæmoniorum appellet: vt Andreas, Aretas, Ribera, Melus, Viegas etiam interpretantur: quod etiam indicauit S. Hippolytus Martyr Oratione de conſummatione mundi, his verbis: *Inde impurus ille Antichriſtus mandata mittet per vniuerſas prouincias, opera tum dæmonum, tum ſenſibilium hominum, qui dicant, Rex magnus natus eſt ſuper terram venite omnes adoratum eum, properate omnes ad ſpectandas vires potentiæ eius.* Et S. Ephrem Syrus Sermone de Antichriſto dicens: *Aſſumpta enim poteſtate, tunc impudentiſſimus ille Antichriſtus dæmones ablegabit ad vniuerſos terræ fines, qui cunctis prædicent, magnum iam regem cum gloria apparuiſſe: omnéſque ad occurrendum ei viſendúmque ipſius decorem inuitent.* Nec mirum ab Antichriſto, eiúſque Armigero mittendos immundos ſpiritus, cùm Magi dæmones familiares ſæpius mittere ſoleant. Viegas Tres ſpiritus immundos præcisè intellexit, tres præcipuos & inſigniores dæmones, præ cæteris nequiores, vt etiam Ribera.

Draconis, Draconem in Apocalypſi Ioannes ipſe expoſuit cap. 12. 9. *Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas.* Vide lib. 5. cap. 25. & hîc quidem Draconem, Diabolum eſſe, Primaſius, S. Beda, Haïmo, Andreas, Aretas, Anſbertus, Ambroſiaſter, & omnes affirmant, *& de ore Beſtiæ.* Beſtiam in Apocalypſi ſimpliciter ſignificare Antichriſtum, lib. 5. cap. 26. & 27. abundè demonſtrauimus. Sed hîc peculiariter intelligi Antichriſtum, Primaſius, S. Beda, Haïmo, Anſbertus, Andreas, Aretas, Ambroſiaſter, & omnes docent, *& de ore Pſeudo-prophetæ.* Pſeudopropheram hîc cœtum falſorum doctorum & praui dogmatis Antichriſtiani prædicatorum, ac miniſtrorum Antichriſti interpretantur, Primaſius, S. Beda, Haïmo, Anſbertus, Ambroſiaſter, Cælius, Pannonius, Gagnæius, Bulengerus, & alij. At Andreas, Aretas, Ribera, Viegas peculiarem quendam præcurſorem & ſatellitem Antichriſti, de quo lib. 9. cap. 29. ex profeſſo diſſeremus, exponunt: qui proculdubio ſenſus præferendus eſt.

In modum ranarum. Rana ſemper in cœno lutóque volutatur, animal inuerecundum, impudens, audax, quod non niſi in oculis ſanguinem habere dicatur, quod eſt impudentiæ indicium, obſtreperum, loquax, coaxatione & garrulitate intolerabile. Vide Pierium Valerianum lib. 29.

Hieroglyphicorum. Haud secus Antichristi ministri, seu dæmones, seu homines, blatterones, sophistæ impudentissimi, orbem strepitu & clamore complebunt, concionibus populum solicitabunt, arma ciebunt, martem accendent, gentes & nationes concitabunt vt eas Antichristo adiungant. Primasius: *Fortasse enim idcircò & tam horrendam ranarum fœditatem eorum comparans temeritati, subiunxit. Istis enim Pseudo-prophetis ranarum more tanquam animantibus coaxantibus nocte damnabiliter erroris latratu conuenit perstrepere. Ranæ enim & loco & visu, molestoque strepitu sic odibiles habentur, sicut Diabolus cum suis agnoscitur abominabilis veritati.* Eadem totidem ferè verbis Ansbertus habet. Andreas: *Assimilantur autem ranis propter virulentum, obscœnum, & immundum illorum affectum: necnon ob serpentium malignarum virtutum ad cœnosas voluptates studium.* Aretas: *Ranis similes dicit, & non ranas, quod raucus horum clamor impotens sit, qui ad vllam Dei laudem assumatur: sed ad turbationes, tumultúsque excitandos aptissimus.* S. Beda: *Ranis similantur, animantibus scilicet, loco, visu, molestoque strepitu horrentibus: quæ cùm aquarum incolæ videantur, in sordibus tamen & cœno volutantur.* Haimo: *Ranæ quippe molestiam hominibus inferunt, strepitum faciunt, quietem hominibus auferunt, & in cœno versantur: tales erunt ipsi ministri Antichristi, qui non loqui, sed potiùs garrulis vocibus strepere videbuntur: omnem quoque quietem auferent ab electis, dum eos vbique grauiter insequentur: & in cœno, hoc est, in immunditia peccatorum deuoluent.* Ambrosiaster: *Ranis nihilominus, quæ sunt reptilia immunda, & in luto viuentia rectè assimilantur: quia sicut ranæ in sordidis aquis immorantur: ita & discipuli Antichristi eos facilè decipient, qui diuersis vitiis & sceleribus non timuerint sordidari. Nam & ranarum vox rauca & turpis impiissimam eorum prædicationem blasphemiis plenam designat.*

Facientes signa. Nihil potentius & efficacius ad permouendos mortalium animos, quàm signa & miracula: quæ magna ac stupenda Antichristi ministri patrabunt, vt homines in errorem impellant. *Et procedunt ad reges totius terræ.* Ad quoscumque poterunt, etiam remotissimos: ac potissimum ibunt ad Gog, & cæterarum gentium reges, quas diximus venturas ad Antichristum, & in eius exercitibus stipendia facturas. *Congregare illos in prælium, ad diem magnum omnipotentis Dei.* Hoc illud est memorabile & supremum prælium, quo Gog & Magog, & innumeræ gentes cum ipsis, in montibus Israël exitiali clade corruent, tempore Antichristi, de quo Ezechiel cap. 38. & 39. Ioannes Apocalyp. 16. vers. 16. cap. 17. vers. 14. & cap. 19. vers. 19. & cap. 20. vers. 7. 8. 9. & nos lib. 12. cap. 7. ex professo sumus acturi.

Et siccauit Angelus aquam Euphratis, vt præpararetur via regibus ab ortu solis. S. Beda, Ambrosiaster, Cælius Pannonius, Gagnæius, & alij, hos reges ab ortu solis venientes pios & Christianos intelligunt. Et quidem nonnulli putant nouo & insigni miraculo sistendas & exsiccandas Euphratis aquas, vt pateat via Christianis Regibus vt ab Oriente veniant ad succurrendum Ecclesiæ, & bellandum aduersus Antichristum. Genebrardus in Psalmum 67. ad vers. 37. enarrans illud, *qui ascendit super cælum cæli ad Orientem*, ait: *Secundus autem ascensus Christi hîc ad Orientem, quia tandem illic solemniter vigebit, celetúrque Christus, quòd indicatur Apocalypsis 16. vbi Antichristus præcipuè ab eius incolis & regibus conscientius ostenditur. Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, & siccauit aquam eius, vt præpararetur via Regibus ab ortu solis (ad succurrendum Ecclesiæ.) Cui mysterio Portugalenses & Hispani in suis ad illos populos nauigationibus & conuersionibus iam ab anno MD. inseruiunt.* Viegas in 16. Apocalyp. Sectione 3. *Vel quod nobis videtur probabilius, tempore Antichristi Euphratem exsiccandum prædici, vt per illum pateat via Regibus Orientalibus, quo possint ex Oriente ad partes Occidentis facilè commeare, non vt aduersus Ecclesiam Euphratem traiiciant: sed potiùs vt pro Ecclesia ac fidelius contra Antichristum, eiúsque exercitum decertent. Nam cùm Euphrates non nisi diuina potentia exsiccandus sit, (siquidem Deus est, qui sextum hunc Angelum phialam iræ suæ in Euphratem iubet effundere) non est verisimile illum eius gratia siccandum fore, vt Orientis regibus via ad persequendam Ecclesiam muniatur: sed potius ad eam ab Antichristi tyrannide pro viribus, quoad poterunt, vindicandam. Itaque plaga hæc ad Antichristum pertinet: quoniam idcirco Deus siccabit Euphratem vt iram suam per Orientales principes in Antichristum, eiúsque sectatores exerceat, &c.* Sequitur pluribus Genebrardi interpretationem illustrare, & confirmare.

At si Reges, quibus venientibus ab Oriente per alueum Euphratis sicco vestigio via est aperienda, Christianos ac pios accipiendos dicamus: necesse erit istos longè diuersos statuere ab illis, qui à tribus spiritibus immundis conuocari & congregari in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei à Ioanne asseruntur. Nam isti pij & boni in auxilium Ecclesiæ, veniunt ad præliandum contra Antichristum: illi verò à malignis spiritibus concitantur & pertrahuntur, vt Antichristo aduersus Ecclesiam depugnanti suppetias ferant. Quasi eodem tempore Deus pios & Christianos reges adducturus sit in præsidium Ecclesiæ suæ Sanctæ: & diabolus impios & Antichristianos reges impulsurus sit & pertracturus ad pugnandum pro Antichristo contra Christianum nomen. Quæ expositio si solidè subsistit, nihil opus erit intelligere, Ioannem in hoc vaticinio vsurpasse hysteronproteron, vt volebamus. Sed opponet aliquis, si regibus piis & Christianis per Euphratem diuino miraculo, aperienda est via ad ferendam opem Ecclesiæ: cur Angelus dicitur effudisse phialam iræ Dei in Euphratem ad siccandas eius aquas vt pateſcat via illis sanctis regibus: cùm id opus non iræ, sed maximæ Dei misericordiæ & beneuolentiæ existat? Sed iam respondebat Viegas, iram Dei futuram in Antichristum: benignitatem verò in pios Reges.

Nihilominus præstat intelligere in hoc Vaticinio Ioannis vnos & eosdem omninò esse reges, quibus per Euphratem patefacienda est via, & quos spiritus tres immundi congregabunt in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei: nimirum reges impios & Antichristianos, quos dæmones concitabunt & impellent, vt cum magnis exercitibus veniant ad militandum Antichristo: quibus venientibus ab Oriente in auxilium Antichristi, præparabitur via per medium Euphratem exsiccatis aquis eius, vel detentis vel aliò auersis, vt sicco vestigio transire possint. Hæc haud dubiè videtur simplicior ac sincerior explanatio: nam certè Ioannes Reges eos quibus præparanda est

via

via per siccum Euphratem, satis significat ipsosmet esse, quos maligni spiritus congregabunt in supremum prælium Dei. His adde quòd primis initiis illis Antichristi, quando occupatis prouinciis Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ, & tribus eorum regibus deletis: non videtur verisimile vllos tunc Reges Christianos præsertim Orientales, in apertum martem copias contra Antichristum coacturos: cùm potius tunc omnes metu exangues rerum incertitudine, & formidabili Antichristi potentia attoniti, ne se mouere audebunt: præsertim cùm septem alij qui supererunt reges, ex decem illis potentissimis orbis Romani Antichristo victori colla summittent. Vide quæ de his notauimus superiùs cap. 19. & 20.

Dicendum ergo operâ & efficientia vel bonorum, vel malorum angelorum, exsiccandas, vel sistendas, vel aliò auertendas aquas magni fluminis Euphratis, vt copiæ immensæ, & innumerabiles exercitus Scytharum, seu Tartarorum, Russorum, Moscouitarum, Iberorum, Ponticorum, Persarum, & aliarum gentium, quas superiori capite recensebamus venturas ad Antichristum, ab Orientali Iudææ parte, sicco pede, citò & expeditè Euphrate transito, possint se Antichristo adiungere. Illúdque quàm maximè verisimile arbitramur, venturum Gog cum ingentibus agminibus Scytharum seu Tartarorum, & aliarum gentium Aquilonarium, vti prædiximus, atque ab Orientali parte Iudææ traiecturum Euphratem, siue tot, tantæque gentes ex Scythia seu Tartaria se se effundant, per Sogdianam & Bactrianam, in Hircaniam, Parthiam, Mediam & littora australia Caspij maris, ad Assyriam, Mesopotamiam, & Babylonem, indéque in Iudæam: siue alio itinere, ex eadem Tartaria, seu Scythia superato Volga amne per Cicatram, ad Iberiam, Albaniam, Armeniam, Mesopotamiam, ad Euphratem, indéque in Iudæam perueniant, alterutro itinere per Caspias, vel per Caucasias portas erumpentes. Vtro enim itinere veniant, semper ab Oriente Iudææ proficiscentur: semperque illis transeundus erit Euphrates: nam quamuis regiones vnde præcipuè prodibunt ad Aquilonem Iudææ consistant: at non ingredientur Iudæam, nisi Euphrate transito, qui ad Orientem Terræ sanctæ profluit.

Hanc nostram huius vaticinij Interpretationem, aptam sanè, congruentem, simplicem, ac rectam, præclari quoque Explanatores firmauere. Andreas Cæsariensis Episcopus: *Flumen Euphratem diuino nutu ita fortassis vadosum euasurum, vt gentium regibus ad mutuam cædem, aliorúmque hominum interitum commodum transitum præbeat. Quantum autem ex iis quæ infrà ea de re in Apocalypsi traduntur, diuinando consequi possumus, arbitramur, illos Gog & Magog nominibus, designatos ex Scytharum regione moturos. Quin verò, quoque consentaneum arbitramur Antichristum ex Orientali Perside, ad quam Tribus Dan, à qua ortum ille ducturus dicitur, ablegata est, vna cum aliis regibus, & principibus regium nomen adeptis, Euphratem transmissurum: animæque vel corporis mortem hominibus illaturum: hanc quidem propter fidei constantiam, animique fortitudinem: illam verò propter ignauiam, animique mollitiem.*

Aretas item Cæsariensis Episcopus: *Imminutum ait flumen Euphratem ad transitum regum terræ in mutuum prælium. Exurget enim ait Dominus in Euangeliis, gens in gentem, & regnum in regnum. Hos autem ex Scytharum regionibus esse Gog & Magog verisimile est. Neque autem non putandum est, quòd & ipse Antichristus ab Orientalibus Persidis regionibus prodituras sit, vbi Tribus Dan ex Hebræorum stirpe, vna cum reliquis quoque regibus, seu magnatibus.*

Ex Recentioribus, Ribera: *Tres spiritus immundi ibunt sine dubio ad septem reges, qui contra Antichristum non pugnauerunt, vt eos ad eum adducant, quo iunctis totius orbis viribus, potentiùs contra omnes Christianos pugnent: nec sit quisquam qui Antichristo obstet, aut resistat. Et hoc est quod paulò anteà dixit: Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, & siccauit aquam eius, vt præpararetur via regibus ab ortu solis. Id est, illis ex septem regibus, qui erunt tunc in prouinciis orientis, & venient ad Antichristum, vt cum illo pugnent aduersus Christianos. Neque enim hi reges long admodum aberunt: sed vnde citiùs venire possint: itaque illis solus Euphrates obstare poterit: nullus præterea venientibus occuret fluuius tantus, vt impedire iter exercitus eorum possit. Andreas quidem putat Antichristum cum his regibus esse venturum ex Oriente, id est, ex Perside, in qua erat Tribus Dan, de qua ipse nascetur. At hoc fieri non potest; cùm ipse eos vocari iusserit ad se, vt dictum est. Ex quo intelligitur hos spiritus fore ex principibus, & ex aptioribus ad bella concitanda, ideo pauci mittuntur.* Riberæ explanationem amplexus quoque est Gaspar Melus. Illud quidem rectè in Andrea & Areta corrigendum, quod aiunt, Antichristum vnà cum illis regibus ab Oriente tunc venturum & traiecturum Euphratem: iam enim ipse anteà à Babylone & Euphrate profectus fuerat in expeditionem Ægyptiacam, Libyam, & Æthiopicam Æthiopiam: vnde nunc victor in Iudæam redibat, cùm via præpararetur regibus ab ortu solis per siccum Euphratem.

Viegas sect. 2. *Sexta plaga erit in flumine magno Euphrate, qui siccabitur, vt præparetur via regibus ab ortu solis. Nam vti diximus in Tractatu de Antichristo, ex decem illis regibus, qui Antichristi tempore orbis Imperium obtinebunt, tres occidendi sunt ab Antichristo, septem reliqui vltrò ipsi parebunt: & quoniam aliqui ex his septem erunt eo tempore in partibus Orientalibus, idcirco dicitur siccandus Euphrates fluuius, vt facilè possint ad Antichristum transire, cum illóque bellum nefarium & funestum Christianis inferre. Quod autem hoc loco addit Ioannes, exiuisse de ore Draconis, & de ore Bestiæ, & de ore Pseudo-prophetæ tres spiritus immundos in modum ranarum, (haud dubiè propter immunditiam & importunam loquacitatem) iréque ad reges totius orbis, eósque in prælium congregare ad diem magnum omnipotentis Dei, illud significat, Draconem, id est, diabolum, Bestiam, id est, Antichristum, Pseudoprophetam, id est, Præcursorem eius, insignem illum concionatorem, de quo aliàs diximus, præcepturos esse tribus insignibus dæmonibus: (hoc enim est exire de ore ipsorum, id est, ad imperium ipsorum) vt eant ad septem illos Reges, qui vltrò Antichristo parebunt, eisque persuadeant, vt coacto ex omnibus suis prouinciis innumerabili exercitu, se se ad Antichristum adiungant, vt cum eo bellum Christianis inferant, Christique nomen penitus conentur extinguere: &c.* Quamuis hic auctor, posteà probabilius existimauerit, reges illos ab oriente traiecturos Euphratem vt pro Ecclesia contra Antichristum depugnent: vti superiùs eius recitatis verbis vidimus. Bulengerus quoque illam quam paulò anteà descripsimus Aretæ de Gog & Magog expositionem probat: cuius verba

inferiùs

inferiùs describemus. Ergo reges venturos ab oriente quibus per siccum Euphratem patescet via, maxima probabilitate & verisimilitudine accipimus impios Antichristianos, qui se cum vastis exercitibus Antichristo adiungent : siue illi sint septem, ex decem illis Regibus tunc in orbe futuris, de quibus tam multa diximus lib. 5. siue sit Gog magnus Imperator Schytiæ, seu Tartariæ, cum aliis regibus, & copiis aliarum gentium, vti diximus : qui forsitan erunt præcipui illi septem reges vltimi temporis, vt etiam annotauit Cornelius à Lapide in 2. Thessalonicens. 2. numero 76. Equidem qui loca Ezechielis, & Ioannis de Gog & Magog, de supremo horum prælio, & strage, omnia contulerit, expenderit, quæ nos quoque lib. 12. cap. 7. accuratè elucidabimus, nisi refractarius esse velit, facilè animaduertet hactenus à nobis perductam præsentis oraculi explanationem, aptam & congruentem esse. Sed enim Alcasar intrepidè pronuntiauit : *Quapropter toto errat cælo, qui hunc Orientalium regum ingressum per flumen Euphratem eò tendere putat, vt bellum in Ecclesiam fiat.* Hæc verba vel me, vel Riberam petunt. Firmauimus nostram interpretationem Andreæ & Aretæ grauissimorum Apocalypsis Interpretum auctoritate : item recentiorum adprobatione Riberæ, Meli, Bulengeri, Viegæ : adhæc contextu ipso & filo rerum gerendarum Gog & Magog ab Ezechiele & Ioanne prædictarum, aptitudine & mira cohærentia locorum & verborum Apocalypsis, & Antichristi factorum : & toto erramus cælo, vnius puro puto iudicio Alcasaris hominis vanissimi, qui suis nugis totam repleuit Apocalypsim, & meras suas phantasias tanta confidentia, seu potiòs temeritate ausus fuerit venditare. Nunquam vidi hominem ita & chartis & ingeniis illudentem : putauit se non hominibus, sed fungis aut stipitibus scribere, qui tot deliramenta existimauerit sibi potuisse credi. Non tamen ietim inficias, locum hunc habitum semper insigni obscuritate & difficultate nobilem : vnde Sà prudenter dixit : *Qui sint reges hi, quibus Angelus viam præparat, dicat qui nouit.*

Venit nobis tamen in mentem hoc loco quiddam magnopere expensione dignum : num simul cum tantis Barbararum gentium agminibus venturæ quoque sint decem illæ Tribus, quas Iudæi perditas in Oriente autumant : Philo verò in Legatione ad Caium, ac Iosephus lib. 11. Antiquitatum, cap. 5. vltra Euphratem infinito numero habitare tradunt, de quibus nos suprà cap. 30. in X. opinione, cap. 32. dicebamus : quæ se tot copiis Barbararum nationum aggregantes ad suum Messiam, id est, ipsissimum Antichristum confluent : in quarum gratiam Deus Angelorum ministerio, quòd decreuerit plurimos ex illis, prædicatione Henoch & Eliæ ad Christum conuertere, sistet, vel exsiccabit aquas Euphratis, vt tam ipsis quàm Scythis, aliisque gentibus venientibus ad Antichristum, iter in flumine pateat, vt olim Israëlitis in traiectu maris Rubri, & Iordanis fluuij. Equidem in Apocryphis Esdræ lib. 4. cap. 13. vers. 39. locus extat, qui istud mirificè indicat : & qui cum isto Ioannis quem nunc explicamus, magnam cognationem habere videtur : vndè possint studiosa ingenia dispicere, num alteruter ex altero mutuò illustretur. Agens enim auctor, qui nomen Esdræ præfert, de decem Tribubus in supremam captiuitatem electis hæc refert : 39. *Et quoniam vidisti eum colligentem ad se aliam multitudinem pacifícam, 40. hæ sunt decem Tribus, quæ captiuæ factæ sunt de terra sua in diebus Oseæ regis, quem captiuum duxit Salmanasar rex Assyriorum : & transtulit eos trans flumen, & translati sunt in terram aliam. 41. Ipsi autem sibi dederunt consilium hoc, vt derelinquerent multitudinem gentium, & proficiscerentur in vlteriorem regionem, vbi nunquam inhabitauit genus humanum : 42. vel ibi obseruare legitima sua, quæ non fuerant seruantes in regione sua. 43. Per introitus autem angustos fluminis Euphratem introierunt. 44. Fecit enim eis tunc altissimus signa, & statuit venas fluminis vsque quo transirent. 45. Per eam enim regionem erat via multa itineris, anni vnius & dimidij : nam regio illa vocatur Arsareth. 46. Tunc inhabitauerunt ibi vsque in nouissimo tempore : & nunc iterum quum cœperint venire, 47. iterum Altissimus statuet venas fluminis, vt possint transire : propter hæc vidisti multitudinem cum pace.* Hæc ibi.

Quibus verbis videtur significare, decem illas Tribus exules & profligatas, venturas in Iudæam nouissimo tempore, nempe sub Antichristo : & in earum reditu inhibiturum Deum insigni miraculo fluenta Euphratis, vt pateat eis siccum alueum traiectus : quæ maximè sanè conueniunt cum his quæ hîc Ioannes vaticinatur : *Siccasse Angelum aquas Euphratis, vt præpararetur via regibus ab ortu solis.* Diximus iam cap. 32. Librum Esdræ IV. Sacram & Canonicam auctoritatem Scripturæ Sacræ in Ecclesia non obtinere : sed non penitus obiiciendum ac repudiandum esse, præsertim cùm hîc consentanea iis quæ in Apocalypsi Ioannes est vaticinatus, tradiderit. Quò etiam respexisse videntur Pseudo-Sibyllina Oracula, quum lib. 2. hæc de decem Tribubus Israëliticis ab Oriente venturis tempore Antichristi canunt :

Et Belial veniet, faciétque insignia multa
Inter mortales. Tunc Sancti funditus atque
Electi, fidique, euersi diripientur.
Nec non Hebræi, quos sæuior impetet ira.
Tum quum bissenis tribubus conflatus ab ortu
Aduenier populus, populúmque requiret Hebræũ
Cognata stirpis, quem perdidit Assyriorum
Impetus : illata gentes ita clade peribunt.
Postremò rursum vehementibus imperitabunt
Hebræis fidis electis, sub iuga missis,
Vt priùs : Imperium quoniam non desinet vnquam.

Petrus Bulengerus in 16. Apocalypsis, ad vers. 12. elucidans istud ipsum Ioannis vaticinium de sexto Angelo exsiccante aquas Euphratis, vt præpararetur via regibus ab ortu Solis : cùm Arethæ expositionem retulisset, qua ait : *Hos autem reges ex Scytharum esse partibus Gog & Magog verisimile est.* hæc disserit : *ab Aretæ verbis non admodum dissentire videtur, quod scribit Auctor Gallicæ illius historiæ, qua Turcarum & Tartarorum exponitur origo* (Suspicor hunc esse Postellum) *Iudæi, inquit, ex arcana Patrum doctrina, & scriptis duorum & septuaginta prudentium Mosis auditorum persuasissimum habent, Israëliticas decem Tribus circa Hemisphærij nostri finem, Orientem versus, qua in Septentrionem tenditur, intra montium septa vel ab Alexandro Magno, vel ab alio potentissimo principe, cùm timeret ne ea gens quæ in Syria, & patria sua Monarchiis semper aduersata fuerat, idem in Oriente conaretur, ita conclusas esse, vt nulla vi humana inde possent erumpere. Et si autem, vt monuit me Iacobus Salesius Societatis Iesu doctissimus Theologus, nihil in Scripturis sanctis, neque in probatis auctoribus habetur de decem Tribubus intra illa montium septa conclusis : ac si quid*

tanquam

tanquam à Septuaginta duobus Mosis auditoribus propheticè dictum adfertur de hac ipsa re, non minùs id, quàm totam ipsam Deuteroſim fideles reiciunt. Legitur tamen in Sibylla, quod ſententiæ illi fauere videatur. Refert Sibyllina carmina, quæ paulo antea deſcripſimus : ac ſubdit : *Vtrumque autem res habeat, certiſſimum eſt, numeroſiſſimas illas & maximè terribiles Tartarorum copias, quæ ante annos plus minus quadringentos in noſtro emerſerunt orbe, nunquam antea viſæ, montibus & mari ſic obſeptas fuiſſe, vt nullus ipſis pateret exitus. Cùm itaque diuinæ prouidentiæ viſum eſſet, eos, cùm nihil minùs cogitarent, ex illo moleſto carcere vel immerentes educere, per Angelum ſuum admoniti, Canguiſtam primum ipſorum regem elegerunt, cuius ductu & auſpicio, cùm ad radicem montis, qui Septentrionale mare contingit, conueniſſent aquæ, miraculo, nouem pedes retroceſſerunt, vt homines, iumenta, atque adeò ipſi currus liberè in patentes campos exirent : quos ex illo tempore Tartari ab iis ipſis montibus vſque ad loca Ruſſiæ, Lithuaniæ, & Poloniæ finitima occupauere. Nam Moſcouitarum rex priuſquam Græcorum ritu Chriſtianus fieret, vnus erat è Tartarorum proceribus. Itaque eius gentis propagaturum eſt Imperium ad meridionalem illorum montium partem, ad Cathaïnum vſque, vltra finem Hemiſpherij noſtri in Oriente. Ac ſane magnum ille Cham Imperator hodierno etiam die multò Turcarum rege potentior, genus & originem ab iis ducit, qui ex illis montibus egreſſi ſunt : ad caſtigandam Turcarum fratrum ſuorum ſuperbiam, & Chriſtianos iuuandos, vt euentus ipſe docuit.* Et poſt alia de Tartaris enarrata, ſubdit.

Cùm decem Iſraëliticæ Tribus ab Oriente aliquando reuocari deberent, quæ non ita grauiter in veram Eccleſiam, vt Iudaica peccarat, deberentque ipſis redeuntibus aquæ aperiri, non aliter ac Moſis & Ioſuë temporibus Rubrum mare, ac Iordanis fluuius patuit : idque Tartaris Angeli admonitu factum ſit : (etſi enim ob flagitia populus à Deo relinquitur, & eius ante deprimitur Angelus : is tamen populum cui præfectus eſt, nunquam deſerit, vt in Daniele de Iuda captiuo videre licet :) inferendum eſt, eos verè nepotes eſſe illarum decem Tribuum, quibus longa obliuione ſuæ originis, ad priſtinum reuerſis ingenium, tum impleuit Deus quæ Patribus ipſorum promiſerat, cùm de antiqua ſtirpe & diuina lege inſolentes iam gloriari non poterant. In ſumma cùm nulli præterquam Tartarorum genti hoc promiſſum fuerit, vt ad eius liberationem aquæ per miraculum aperirentur : nec vlli alij quàm ipſorum nationi, qui regionem illam incolebant, vbi concederant decem ſupradictæ Tribus, promiſſum ſit effectum : neceſſe eſt omnino Tartaros illarum Tribuum eſſe poſteros, & Antichriſti miniſtros ad mundi caſtigationem emiſſos. Non immeritò igitur hîc conſiderandum videtur, cùm D. Ioannes ſcribit, effuſa in magnum illud flumen Euphratem Angeli ſexti phiala, ſiccatam eſſe aquam, vt pararetur via regum ab ortu ſolis aduentantium, an non per eos reges poſſint Tartari intelligi, ita vt per Euphratem magnum accipiamus catachriſticõs licet, mare illud quo intra montium ſepta ita occludebantur, vt nulla ratione poſſent egredi. Hæc Bulengerus. In quibus illud rectè Gog & Magog eſſe Tartaros, & Reges quibus per ſiccum Euphratem paranda eſt via ab Oriente venturis. Illud incertum, Tartaros ſobolem eſſe decem Tribuum in Oriente deperditarum. Illud perperam, exſiccationem Euphratis intelligi abuſiuè cum mare Chingis Cham & Tartaris ceſſit : de qua re ſuprà cap. 32. plura diximus.

Quod verò Deus Angelorum miniſterio feris gentibus Gog, & Magog, id eſt, Scythis aut Tartaris, vel Iſraëliticis Tribubus venturis ad Antichriſtum, ingenti prodigio aquas Euphratis ſit exſiccaturus, vel detenturus, aut aliò auerſurus : id quidem ob quas cauſas facere decreuerit, ipſe ſolus certò nouit : poſſumus nos tamen aliquas coniectari. Primò, forſan ad exercendam Eccleſiam ſuam, tot barbaris & impiis nationibus, ac perfidis Iſraëlitis in eam immiſſis. 2. Quòd plurimos ex decem Tribubus, quæ venient tunc ad Antichriſtum, ſit conuerſurus ad Chriſtum : in eorum gratiam tantum edet miraculum. 3. Vt tanti miraculi illectamento, tot truces & immanes gentes, horrendis multorum ſæculorum ſceleribus, veluti propagatione decoctas, ac penitus immerſas velit ad publicam carnificinam pertrahere : vt tandem extremo exitio tot facinorum pœnas iuſtè perſoluant. Verùm de ſtatu decem Tribuum à tempore Captiuitatis earum ad finem vſque mundi, pleniſſimè diſſeremus lib. 11. cap. 18.

Inſigni vanitate putauit Alcaſar Ioannem in ea quam refert Euphratis per Angelum exſiccatione alluſiſſe ad illam Euphratis in paludem auerſione, quam magno opere molitus eſt Cyrus Perſarum rex vt Babylonem caperet : de qua pluribus agunt Herodotus lib. 1. num. 191. Xenophon lib. 7. Cyropædiæ, Polyænus lib. 7. Oroſius lib. 2. cap. 6. quaſi verò & tranſitus Maris Rubri, & detentio aquarum Iordanis, non fuerint mirabiliora, & digniora ad quæ alluderetur ? Sed fuerat innouandum in Euphrate grande illud miraculum exſiccationis. Quodnam ? Nam Cyrus nullo miraculo, ſed humano opere Euphratem auertit. Et miratur Alcaſar Apocalypſis interpretes huius Cyri facinoris non meminiſſe, ad quod hîc Ioannes alluſerit. Scilicet curæ illis erat has nugas confectari.

De Regno & Monarchia Antichriſti.

CAP. XXXV.

MVlta ſunt hîc attentè & conſideratè dicenda. Primum certum eſt Antichriſtum futurum potentiſſimum Regem ac Monarcham, & ingens ac maximum Imperium temporale adepturum : ac planè magnitudine & amplitudine Imperij longè ſuperaturum omnes quoquot ante ſe à mundo condito fuere Monarchæ. Aſſerunt id Patres ſummo conſenſu.

S. Irenæus lib. 5. aduerſus Hæreſes, cap. 25. de Antichriſto : *Cùm ſit ſeruus, regem ſe vult prædicari. Ille enim omnem ſuſcipiens diaboli virtutem, veniet non quaſi rex iuſtus : ſed impius & iniuſtus.* Et inferius : *Daniel autem nouiſſimi Regni* (Romani) *finem reſpiciens, id eſt, nouiſſimos decem reges, in quos diuidetur regnum illorum : ſuper quos Filius perditionis veniet ; cornua dicit decem naſci Beſtiæ : & alterum cornu puſillum naſci in medio ipſorum, & tria cornua de prioribus eradicari à facie eius.* Et poſt pauca : *De decem cornibus eius, decem reges exſurgent : & poſt eos ſurget alius* (Antichriſtus) *qui ſuperabit alios omnes, qui ante eum fuerunt.* Et cap. 26. *Manifeſtum eſt itaque quoniam ex his* (decem regibus) *tres interficiet ille qui venturus eſt,* (nempe Antichriſtus) *& reliqui ſubiicientur ei.* Et cap. 30. *Cùm autem vaſtauerit Antichriſtus hic omnia in hoc mundo regnans, &c.*

S. Hippo-

S. Hippolytus Martyr Oratione de Consummatione mundi, & de Antichristo: *Quod cornu demonstrat pullulum, alium non esse nisi Antichristum, qui suscitabit regnum Iudæorum. Tria cornua quæ ab eo radicitus euellentur, tres reges indicant, Ægypti, Libyæ, Æthiopum, quos deleturus est acie bellica. Quibus omnibus potitus, iam Tyrannus formidabilis, Sanctos affliget, &c.* Et post alia: *Ille certò nasciturus est è tribu Dan, & veluti rex (tyrannus aciem ex aduerso instructurus est.* Et infrà: *Rex etiam nascetur Antichristus.* Et post multa: *Atque hæc omnia faciet consilio simulato ac fraudulento, quo circumueniat omnes, vt se regem creent. Nam vbi populi ac multitudines tantas eius virtutes atque facultates perspexerint, vno consensu conuenient omnes vnum in locum, ad creandum illum regem.* Et rursum: *At perseuerantes homines, & obsecrantes, illum declarabunt Regem. Deinde sublatus in regnum suum, bellum instruet, iráque percitus tres magnos reges percutiet, Ægyptiorum, Afrorum, atque Aethiopum.* Et post alia inducit Antichristum loquentem ad suos: *Perspicite populi, tribus, ac gentes magnam meam potestatem ac potentiam viréque Imperij mei. Quis Princeps tam potens, atque ego? Quis Deus magnus præter me? Potentiæ meæ quis resistet?* Et paulò inferiùs: *Eius namque Imperio omnis terra, maréque obtemperat.*

Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 19. *Oppresso igitur orbe terræ, cùm ad destruendam immensarum virium tyrannidem humanæ opes defecerint: siquidem capto mundo cum magnis latronum exercitibus incubabit.* Scilicet Antichristus. Et cap. 16. agens de decem illis vltimi temporis regibus, in quos Romanum regnum diuidetur, ait: *Tum repente aduersus eos hostis potentissimus* (Antichristus) *ab extremis finibus plagæ Septentrionalis orietur, qui tribus ex eo numero deletis, qui tunc Asiam obtinebunt, assumetur in societatem à cæteris, ac princeps omnium constituetur. Hic insustentabili dominatione vexabit orbem: diuina & humana miscebit, infanda dictu, & execrabilia molietur: noua consilia in pectore suo volutabit, vt proprium sibi constituat Imperium: leges commutabit, suas sanciet, contaminabit, diripiet, spoluabit, occidet. Denique immutato nomine, atque Imperij sede translata, confusio, ac perturbatio humani generis consequetur.*

S. Cyrillus Ieroſolymit. catechesi 15. *Inducet* (Diabolus) *quendam magnum hominem, vsurpantem sibi potestatem Romani Imperij.* Et paulò inferiùs: *Post istos autem* (decem reges) *vndecimus Antichristus per magicum maleficium Romanorum potestatem rapiens.* Et post alià: *Decem regna consurgent: post ista alter* (Antichristus) *consurget, qui omnes ante se malis vincet: neque solùm illos decem reges, sed omnes qui ante se fuerunt. Vir blasphemus, & iniquus, non à patribus accipiens regnum, sed arte magica principatum vsurpabit.*

S. Ephrem Syrus Sermone de Antichristo: *Cuncti pariter in eandem sententiam condescendent, summóque cum gaudio illum sibi in regem eligent. Regnante autem iam Dracone super terram, promptissimè populi ad fœdus simul cum eo ineundum accurrent. Citò autem eius regnum erigetur: & in furore suo tres reges magnos atque potentes percutiet.*

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 47. *Aiunt fore vt Ieroſolymorum Templum rursum exstruatur, atque Antichristus à Iudæis Christus credatur, in eóque sedeat, totiúsque Orbis terrarum rex esse videatur.*

Seuerus Sulpitius Dialogo 2. de Vita S. Martini, hæc ex ore eiusdem S. Martini se audiuisse perscribit: *Atque sub illius Antichristi potestate vniuersum orbem, cunctásque gentes esse redigendas, donec aduentu Christi impius opprimatur.*

S. Hieronymus in 7. Daniel. ad vers. 8. *Ergo dicamus, quòd omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros, qui orbem Romanum inter se diuidant, & vndecimum surrecturum esse regem paruulum* (Antichristum,) *qui tres reges de decem regibus superaturus est: id est Aegyptiorum regem, & Africæ, & Aethiopiæ. Quibus interfectis, etiam septem alij reges victori* (Antichristo) *colla submittent.* Et in 11. Daniel. ad vers. 24. *Nullus enim Iudæorum absque Antichristo in toto vnquam orbe regnauit.*

S. Ambrosij nomine vetustus auctor in 2. Thessalon. 2. *Antichristus interficiet Sanctos, reddita Romanis libertate, sub suo tamen nomine.*

S. Augustinus lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 11. describens Antichristi nouissimam persecutionem, tyrannidem eius in totum orbem grassaturam his verbis affirmat: *Hæc enim erit nouissima persecutio nouissimo imminente iudicio, quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur, vniuersa scilicet ciuitas Christi ab vniuersa diaboli ciuitate, quantacumque vtraque erit super terram.*

S. Chrysostomus Homilia 4. in 2. Epistolam ad Thessalonicenses: *Quando autem hoc* (Imperium Romanum) *fuerit euersum, vacans inuadet Imperium: hominúmque & Dei Imperium aggredietur rapere.*

S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 8. *Hoc à Daniele ostensum est: Bestia quarta, quæ grandior omnibus bestiis fuit, tot cornua habens. Sed quod ibi dixit, cornu minùs surrexisse ante se: hic septem reges nominat, illis tribus expulsis: ipsum autem octauum Antichristum esse.*

Theodoretus in 7. Daniel. ad vers. 24. elucidans verba illa: *Et post eos enim surget rex alius,* inquit: *Perspicuum igitur ita prædicere, fore, vt decem reges circa finem simul exurgant, & postremus Antichristus exoriatur, regnúmque obtinere contendat: quem cum ipsis bellaturum, ac tres ex ipsis euersurum asserit.*

Victorinus in Apocalypsim: *Cornua decem, & decem diademata Daniel ostendit: & tria eradicari de prioribus, hoc est, tres duces primarios ab Antichristo interfeci: Ceteros septem dare illi honorem & consilium, & potestatem.*

S. Gregorius Magnus lib. 32. in Iob, cap. 12. *Antichristus tria cornua quæ ei ante faciem sunt, euellit: quia ditioni suæ regna totidem, quæ sibi vicina sunt, subigit.*

Andreas Cæsarienſis Epiſc. in 13. Apocalyps. ad vers. 2. enarrans illud, *Et Bestia quam vidi, similis erat pardo*, ait: *Per pardum Græcorum: per vrsum, Persarum: per leonem, Babyloniorum regnum denotatur: quæ omnia vnus obtinebit Antichristus.*

Aretas in eundem locum: *Per pardum quidem Romanorum* (fortè Græcorum) *designatur principatus, quod celer fuerit aduersus quoscumque impetus ipsius: ac tolerans, quoad finem cœpti pertigerit: quod & per vrsi pedes significat. Referuntur autem hæc & ad Persarum regnum. Denique per os leonis, Regnum designatur Babyloniorum, cui Sarracenorum regnum manifestè successit, quòd in hoc vsque tempus regia eorum Babylone sit. Quibus profectò Antichristus, perinde ac Romanorum Imperator dominabitur.*

S. Ioan.

S. Ioan. Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 27. *Antichristus repentè insurget, capútque attollet, atque Imperio potietur. Atque in regni quidem sui, vel tyrannidis potiùs præludiis bonitatis speciem præ se feret.*

Theophylactus in 2. Thessal. 2. *Eo verò* (Romano Imperio) *dissoluto, vacuo insidiabitur Imperio, eique insta bit: conabitúrque cùm hominum, tum Dei Imperium rapere.*

Oecumenius in 2. Thessalonicens. 2. *Vbi enim Imperium Romanorum fuerit dissolutum, tunc Antichristus rebellione irruet, ac obtinere conabitur, non hominum solùm, verùm etiam Dei Imperium.*

Sanctus Beda in 17. Apocalypsis: *Et Antichristum de Babylone natum, Ægypti regem, & Asiæ, & Æthiopiæ superaturum. Quibus interfectis, etiam septem alij reges, victori colla submittent.* Eadem Strabus in Danielis 7.

Rabbanus Opusculo de Antichristo: *Potestas Antichristi tenebit à mari vsque ad mare, ab Oriente vsque ad Occidentem: ab Aquilone vsque ad Meridiem.*

Ansbertus in 17. Apocalyps. ad vers. 12. *In quo videlicet,* (Romano Imperio,) *isti decem reges esse memorantur: post quos vtique Antichristus dicitur surrecturus.*

Radulphus Flauiacensis lib. 18. in Leuiticum, c. 1. *Antichristus totum mundum occupabit, & potentior ceteris regibus apparebit.*

Verùm consensus Patrum de Antichristi regno, & Monarchia, pleniùs adhuc etiam intelligetur ex his quæ diximus lib. 5. cap. 18. & 22. & lib. 6. cap. 8. Eundem Patrum consensum sequuntur recentiores omnes Orthodoxi nullo discrepante: sed vide cum primis Nicolaum Sanderum, lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 37. vsque ad 42. Robertum Bellarminum lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 16. Iosephum Acostam lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 9. Franciscum Suarez tom. 2. in 3. part. disput. 54. sect. 5. Blasium Viegas in 13. Apocalyps. comment. 2. sect. 9. & 10. Leonardum Lessium libro de Antichristo, cap. 14. Cornelium à Lapide in 2. Thessal. 2. num. 70. & 71.

Sed pressiùs disquirendum, quanta & quàm ampla futura sit temporalis Antichristi Monarchia. Suarez existimat Antichristum non maiorem, aut ampliorem Monarchiam habiturum, quàm fuit illa Romanorum, quum culmen & fastigium suæ magnitudinis tenuit, nempe vel sub Augusto, vel sub Traiano. Id quidem visi sunt innuere, S. Irenæus, S. Hippolytus, S. Cyrillus, S. Hieronymus, Auctor nomine S. Ambrosij, S. Chrysostomus, Theodoretus, S. Prosper, Victorinus, Theophylactus, Oecumenius, S. Beda, Ambrosius Ansbertus, quorum sententias hoc ipso capite paulò ante, & lib. 5. cap. 18. & 22. descripsimus: quum aiunt ex diuinis litteris, decem reges extremis mundi temporibus futuros, qui occupent, & diuidant inter se Romanum Imperium: Antichristum verò tribus eorum deletis, & eorum prouinciis in suam potestatem redactis, reliquos septem reges Imperio suo subiugaturum: atque occupaturum, & inuasurum Monarchiam, & Imperium quod quondam Romanorum fuit.

Adstruunt quidem Patres, occupaturum Antichristum totam illam Monarchiam & Imperij amplitudinem, quæ olim Romanorum fuit: sed non affirmant, nihil ampliùs in orbe illum habiturum. Iam vidimus Andream & Aretam docentes, vnum Antichristum obtenturum Monarchias Assyrio-

rum, Persarum, Græcorum, Romanorum: Sanctum Hieronymum & Lactantium, atque Seuerum Sulpitium, imò & sanctum Augustinum, tradentes, Antichristum suo Imperio subiecturum vniuersum orbem, & omnes gentes toto mundo diffusas. Rabanum asserentem, Antichristum dominaturum ab Oriente vsque ad Occidentem, ab Aquilone vsque ad Meridiem: & à mari vsque ad mare. Hæc magna sunt & miranda. Sed quæ nobis in re futura, & quæ ex sacris Litteris, & Ecclesiæ traditione perspicuè statui & definiri non possint, maxima probabilitate, & verisimilitudine dici posse videntur, ita explicamus.

Primò, Futuram Antichristi Monarchiam ingentem, immanem, longè latéque per innumeras prouincias, ac regna diffusam, complexuram plurimas regiones, ac vastissimos terrarum tractus. Secundò, Subnixam numerosissimis & validissimis exercitibus, immensis diuitiis, ac opibus, prodigiosa virium, ac bellicorum apparatuum potentia, ac robore, mundo magnopere formidabilem, ac tremendam. Tertiò, Antichristum pluribus terris, ac regionibus imperaturum, quàm vllum retrò se regem, aut Monarcham ab orbe condito: eiúsque Monarchiam maiorem & ampliorem futuram, quàm vlla vnquam in mundo ante se extiterit. Quartò, Nullum est dubium, Antichristum totum ipsum Romanum Imperium, quàm latè vllo vnquam tempore patuit, adepturum: ac præterea plures multò regiones, & prouincias possessurum, quàm vel Augustus, vel Traianus, aut Constantinus, vel Theodosius, seu alius Romanus Monarcha, quandocumque Romanum Imperium florentius extitit, tenuerunt. Quintò, Vno verbo, Totum ipsum integrum veterem Orbem, ab Oriente, ad vltimos vsque Sinas & Tartaros: à Septentrione ad intimos Moschouitas, Noruegios, Corelios, Biarmios, Sricfinnios, Groentlanbios: à Meridie ad postremos vsque olim cognitos Æthiopes & Afros, ac Lunæ montes, atque Agesymbam: ab Occidente, ad extremos Hispaniæ, & Mauritaniæ fines: cuncta dextra, læuaque immensa terrarum spatia Antichristi portentosam Monarchiam comprehensuram. Sextò, Illud tamen incompertius videtur, num Antichristus redacturus sit suum sub Imperium, nouum etiam orbem occiduum, quem Americam vocant, & nos Colonium, seu Columbium: & infinitas totius Oceani insulas: illísque omnibus tam vastis, & amplis regionibus dominaturus: imò etiam illis terrarum spatiis quæ nondum cognitæ & apertæ sunt, vel versus Meridiem supra Fretum Magellanicum, & Terram ignis, & Psittacorum, ac Nouam Guineam, insulas Salomonis: vel ad Boream amplissimis introrsus regionibus supra Californias & caput Mendocinum. Hæc omnia quidem in medio relinquimus, suum cuique permittentes iudicium, vt æqua lance perpendat, ac statuat quod vero sit congruentius.

Quamuis si nostram de hac re sententiam Lector audire aueat, probabili tantùm coniectura existimamus, tam longè latéque extendendum iri terrenum, ac temporale impium & tyrannicum Antichristi Imperium: quàm amplè per totum terrarum orbem spirituale, ac diuinum Christi & Ecclesiæ regnum patuerit. At Christi Imperium vt Sancti cecinere Prophetæ, protenditur a mari, vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Equidem, vti copiosè integro libro quarto demonstrauimus, nulla erit gens, aut natio

in veteri, & in nouo orbe, quamuis nondum adhuc sit cognita, in qua ante aduentum Antichristi non sit aliquando prædicatum Christi Euangelium, fundatæ Ecclesiæ, aliquot Fideles Christo aggregati: quod planè est, Christi Sacrosanctum Regnum omnes vtriusque mundi partes cognitas & incognitas, nulla prætermissa, peruasisse, & impleſſe: ita verisimile est, nullam relinquendam orbis tam veteris, quàm noui regionem etiam ex nondum apertis, quò horribilis Antichristi potentia non penetret: siquidem atrox eius persecutio, in omnibus regionibus & terris vbi Ecclesia & fideles erunt, crudeliter grassabitur: & persecutio sanè cum Imperio & Tyrannide coniuncta procedet. Vnde præclarè sanctus Augustinus 20. de Ciuitate Dei, cap. 11. *Hæc enim erit nouissima persecutio nouissimo imminente iudicio, quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur: vniuersa scilicet ciuitas Christi, ab vniuersa Diaboli ciuitate, quantacúmque erit vtraque super terram.*

His illud dumtaxat obstare videtur, quòd humana mens capere non possit, quonam pacto tam breui tempore, nempe trium annorum & dimidij, vnus homo omnium, nulla relicta quantumuis extremarum mundi regionum Imperium & Monarchiam nanciscì & stabilire valeat, quod factu videtur prorsus impossibile. Verumtamen qui probè apud se reputauerit hominis post conditum orbem prodigiosissimam omnium potentiam, opes, diuitias, exercitus, classes, arma, vires, quæ nulli vnquam tot, tantæque fuere: atque in mentem reduxerit, tunc soluendum Diabolum, qui nunc tenetur ligatus, ac totum fetmè infernum patefaciendum, omnésque tunc Satanæ ad euertendum orbem, iratum & furoris effundendas habenas, vt quibuscúque poterit, suis, suorúmque viribus, & artibus pro Antichristo in mundo debacchetur: haud sanè mirabitur, vel breuissimo temporis spatio tam ingentia confici posse. Innumeri scilicet fortissimi duces, cum validissimis exercitibus, classibúsque per orbis varias prouincias missi, fama rerum gestarum, terror nominis, ac potentiæ, dæmones vbique terrarum velut fulmina discurrentes, efficacissimæ horum artes, quæ vel ipsa humana superent ingenia, vel pauciſſimis annis possint totum mundum Antichristo subiicere, eique Monarchiam vniuersi comparare. Ad hæc, nemo non nouit, quàm breui momento vertantur interdum Imperia, & maximæ rerum humanarum contingant vicissitudines. Denique, cum primis verisimile existimamus, Antichristum deuictis & occupatis Prouinciis Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ, victor Ierosolymis sedem Imperij collocans non intra triennium tantùm & semis supremum vitæ suæ, totius simpliciter vtriúsque orbis Monarchiam adepturum: sed aliquot annos ante illud vltimum vitæ suæ triennium, quamuis non admodum multos, variis bellis, & expeditionibus, aut deditionibus, seu fœderibus insumpturum in comparanda sibi, & stabilienda plena & absoluta totius orbis Monarchia: atque initium absolutæ Monarchiæ, & persecutionis Ecclesiæ, quæ duo simul incedent, figendum initio postremi illius triennij & dimidij vitæ eius, vt lib. 15. cap. 8. dicemus. Nec verò si modi, ac rationes, quibus tam immania & horrenda patranda sunt, nos lateant, propterea non esse perficienda debemus existimare: cùm plura equidem tota colluuio dæmonum ex orco in perniciem orbis erumpens possit, quàm nos mente comprehendere possimus.

Atque ista in hunc modum à nobis disputata, suo etiam assensu non pauci recentiores comprobauêre. Pererius lib. 14. in Daniel. elucidans verba illa cap. 11. vers. 24. *Et abundantes, & vberes vrbes ingredietur:* ait: *Tantam porrò consequetur potentiam Antichristus, & tam longè latéque dominatum & Imperium suum extendet, vt maximus omnium, qui fuerint ante ipsum, monarcha futurus sit: maximam námque orbis terrarum partem, sub ditionem suam & potestatem subiiciet.* Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 16. *In Scripturis legimus, Antichristum monarcham totius mundi euasurum.* Acosta lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 9. *De temporali autem regno Antichristi, quòd opulentissimum, atque potentissimum omnium quæ vnquam fuêre, futurum sit, deuictis magnis regibus, vastatis vrbibus nobilissimis, direptísque infinitis opibus, copiosè docet liber Danielis.* Et ad finem eiusdem capitis: *Illud est certum, Imperium Antichristi, terræ finibus terminandum, vt legimus Apocalyps.* 13. *Data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem. Quidquid ergo terrarum repertum est, illius Imperio cedet.* Viegas in Apocalyps. 13. Comment. 2. sect. 10. *Ex dictis planè colligitur Antichristum futurum omnium qui vnquam fuerunt, erúntve regum, Imperatorúmque potentissimum: siquidem vniuersum orbem sibi subiiciet: nec patietur aliquem vsquam gentium nisi suo nomine regnare.* Lessius disputatione de Antichristo, demonstrat. 14. *Antichristus habebit maximum Imperium & potentiam politicam per totum penè orbem, & omnes principes eius ditioni subiicientur.* Cornelius à Lapide in 2. Thessalonicens. 2. num. 71. *Sicque Antichristus fiet Monarcha, non tantùm Romani Imperij, vt loquitur Chrysostomus, aut prouinciarum Asiæ, Africæ, & Europæ, in quibus Fides, & Ecclesia diutiùs viguit: sed vt videtur, etiam Indiarum & totius orbis, inquit Hieronymus in cap. 11. Danielis, & Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 11. Partim enim per se, partim per suos duces, & ministros orbem lustrabit, & subiget.*

Scripturæ loca de Regno & Monarchia Antichristi.

CAP. XXXVI.

PRimus locus Daniel. 7. vers. 20. de cornu illo paruo, quòd è medio decem cornuum quartæ Bestiæ, id est, Imperij Romani, enatum, tria ex illis decem cornibus, id est, regibus euulsit, dicitur: *Et maius erat ceteris.* Cornu istud denotare Antichristum, qui ex decem Regibus quos extincto Romano Imperio & inter se diuiso, regnantes in orbe inuenerit, enascetur, ac tres de prædictis Regibus delebit, lib. 5. cap. 22. & 24. abundè demonstrauimus. Sed percurramus Danielis Chaldaïca; quæ ita ex verbo redduntur: *Et visio (aspectus) eius multa (magna) de, (à, præ) socia eius, vel, præ sociabus, aut consortibus eius.* Vtitur fœmineo *socia*, quia *Karna*, hoc est, *cornu* fœmineum est: & loquitur distributiuè, *præ socia eius*, hoc est, quàm vniuscuiúsque ex aliis cornibus eius sociis, inter quæ visum est enasci cornu illud initio paruum. Leo Iudas vertit: *Et magnificentius aliis videbatur.* Tremellius & Iunius: *Cuius denique species maior fuit, quàm sociarum eius.* Vatablus: *Et dignitas eius excellentior suis consortibus.* Chaldaïcum *CHESVA*, dignitatem quoque significat teste

teste Elia. Possis reddere : *Et claritas eius multa præ sociis eius.* Id est, quamuis cornu initio paruum, & obscurum, at factum est mox clarius, & illustrius aliis cornibus decem. Sic idem Daniel. 8. vers. 5. ait : *Cornu visionis*, seu *claritatis*, Hebraïcè, id est, conspicuum, illustre, & insigne : vti Noster Vulgatus dixit. Rabbi Saadja, *Cornu magnum, & altum, eminus aspectui patens.* Vbi tamen plerique Hebræorum, Sanctes, Vatablus, Schindlerus exponunt, *cornu perplexitatis*, hoc est, ramosum, multis ramis implicatum. Nam verbum *CHAZAH*, implicare, complicare, etiam significare, Iob 8. vers. 17. Daniel. 4. vers. 17. putant. Posset hîc reddi : *Et perplexitas (ramositas) eius multa præ consortibus illius.* Quasi cornu illud ramis expansis & complicatis esset insignius, & magis conspicuum, quàm alia cornua decem: magísque ramosum, instar ceruorum. Nec penitus aliena esset illa interpretatio : *& contemplatio (prophetia) eius, multa præ sociis eius.* Visionem pro prophetia, & videntes, pro Prophetis in Scriptura capi, quis nescit? Ac si dicat : Multa digna contemplatione ex consideratione erant in cornu illo: multa vaticinia in illo continebantur, plura de illo prædicta fuere, & maiora, quàm de aliis cornibus. Simplicior sensus est : *Et visio eius multa præ sociis eius.* LXX. *Et aspectus eius maior cæteris.* S. Irenæus lib. 5. c. 25. *Et aspectus eius maior reliquis videbatur.* Lucifer de Non parcendo in Deum delinquentibus : *Et visus eius maior cæteris videbatur.* Theodoretus : *Et visio eius maior reliquis.* Quasi dicat: Multa erant in cornu illo visu, & consideratione dignissima : magis quàm in aliis decem cornibus. Hispanicè : *Auia mucho mas que ver en el, que en los otros.* In quem locum Theodoretus : *Non est mirandum, si supra paruum dixit cornu, hîc verò visionem ipsius maiorem reliquis, námque quia nascens cornu vidit, paruum ipsum appellauit, tanquam etiam à parua Iudæorum natione profectum, & interim obscurum obtinens regnum : postquàm verò radicitus euulsit tria superiora cornua, meritò visionem ipsius reliquis maiorem vocat.*

Verùm Daniel, seu potiùs Angelus apertiùs elucidans, quodnam illud esset cornu, quod enatum ex decem cornibus Bestiæ, tametsi initio paruum, creuerit in maiorem quàm cætera magnitudinem, hæc addit vers. 24. *Porrò Cornua decem ipsius Regni* (Romani) *decem reges erunt. Et alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus : & tres reges humiliabit.* Illud *potentior erit prioribus*, Chaldaïcus Fons habet : *Mutabitur (differet, diuersus erit) à prioribus :* vt Tremellius, Iunius, Montanus, Leo Iudas, Buxtorfius exposuêre. Id est, Antichristi regnum longè diuersum erit in potentia, amplitudine, opibus, viribus, quàm regna illorum decem Regum : sine comparatione enim multò maius & potentius erit. Vatablus : *Qui dignitate, opibus, & viribus præstabit aliis decem.* LXX. in Romana Editione : *Et decem cornua eius, decem reges consurgent. Et post eos consurget alius, qui superabit malis omnes priores. Et tres reges humiliabit.* Ita quoque Theodoretus. Vox, *malis*, abest à Complutensi, Regia, & Roberti Stephani editione. Sanctus Irenæus lib. 5. cap. 25. *De decem cornibus eius, decem reges exurgent : & post eos surget alius, qui superabit alios omnes, qui ante eum fuerunt : & reges tres deminorabit :* siue vt alij codices habent, *dehonorabit.* Lucifer de Non parcendo in Deum delinquentibus : *Decem reges exurgent, & post eos exsurget alius qui superabit malis omnes qui ante eum fuerunt : & tres humiles faciet.* Sanctus Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 15. *Decem cornua ipsius, decem regna consurgent : post ista alter consurget, qui omnes ante se malis vincet : neque solùm illos decem reges : sed omnes qui ante se fuerunt. Et tres reges deprimet.* SEPHAL, propriè est, humiliabit, deprimet, deiiciet, prostrabit. Vides perspicuè ex Danielis oraculo, Antichristum, regem potentissimum futurum, qui decem illorum regum regna ad se transferet, & multò maius & amplius, quàm illi decem reges Imperium obtinebit.

Secundus locus, Danielis 8. 23. *Consurget rex impudens facie.* 24. *& roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis : & suprà quàm credi potest, vniuersa vastabit, & prosperabitur, & faciet.* De Antichristo sublimiori & prophetico sensu hunc locum intelligendum esse lib. 7. cap. 3. exactè demonstrabimus. Regem disertè Antichristum appellat : *Et roborabitur.* Sanctes in Thesauro, *Crescet*, vel *multiplicabitur.* Vatablus, Tremellius, & Iunius, & Buxtorfius, *inualescet.* Leo Iudas, *Pollebit.* Auenarius, *Consolidabitur.* Forsterus, *Corroborabitur* : propriè, *Condensabitur, compingetur, ossabitur*, id est, instar ossium robustorum coalescet. *Fortitudo eius* : propriè, *Potentia, robur, vires.* LXX. *Et fortè robur eius* : vel, *Et robusta fortitudo eius*: Vox COACH opes etiam & facultates significat, Iob 6. 22. Oseæ 7. 9. quod non malè huic loco conuenit : agitur enim de robore, viribus, opibus Imperij Antichristi. *Sed non in viribus suis.* Eadem hîc est dictio COACH, *Et non in robore suo.* Quasi dicat : Tantas vires, robora, potentiam, opes regni non consequetur Antichristus suo marte : sed virtute & efficientia Diaboli, & Dei permissu: quandoquidē à se nihil poterit, aut valebit, vtpotè vilissimus homūcio, infimis & obscurissimis initiis ortus.

Et suprà quàm credi potest, vniuersa vastabit. Sanctes : *Et mirabiliter vastabit* : qua ratione habent etiam LXX. in Romana editione: at in Complutensi & Regia, vt etiam Theodoretus, Marinus, Montanus : *Et mirabilia destruet*, vel, *corrumpet*: Tremellius & Iunius : *Vt mirificentissimè*, vel *mirabilibus perdat.* Marinus Templum Ierosolymitanum, quod Antiochus profanauit, fortasse innui autumat. NIPHLAOTH, propriè, arduа, excelsa, admiranda, impossibilia, miracula, separata, selecta, eximia. Vim verbi & nominis expressit Forsterus hisce verbis: *NIPHLA propriè significat, esse magis arduum, esse excelsius, quàm quòd homines ratiocinatione assequi, aut arte, aut factis præstare possint : vt factum, seu opus extrà, & suprà communem naturæ cursum, rationem, intellectum, iudicium, possibilitatem positum cuius nulla causa, aut ratio dari potest. Gabriel, seu Lucas, c. 1. reddidit : Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Eadem Mercerus.

Forsan significat Daniel, Antichristum optima quæque, excelsa, ardua, admiranda regnorum, ac prouinciarum, quæ conuellere, aut mutare videretur impossibile, destructurum & corrupturum: eximia & pretiosissima Ecclesiarum diuina ministeria, ac mirifica Sacramenta, quæ sunt ingentia & admiranda miracula, conuulsurum. Auenarius, *Velata*, seu *abscondita destruet*, seu *disperdet* : quasi arcana regnorum, & rationes status, vt in se omnia conuertat, sit euersurus. *Niphlaoth*, id est, *mirabilia*, possit ritu linguæ aduerbiascere, ac plurale inseruire emphasi, hoc est, valdè mirabiliter, quod Noster scitè expressit : *Et suprà quam credi potest.*

Et prosperabitur : propriè, perrumpet, peruadet,

det, liberè, validè, ſine impedimento vim ſuam exertabit, feliciter pertranſibit, proficiet, promouebit, ſecundabit, proſperè illi cuncta ſuccedent. LXX. apud Theodoretum, *Et diriget, & faciet.* Verbum faciendi abſolutè, & ſine adiuncto poſitum Hebraïca phraſi ſignificat, Facere pro arbitrio, voluntate, libito, quidquid viſum fuerit, ſine vllo obſtaculo, aut impedimento, proſpero & felici ſucceſſu: habétque ingens ſententiæ incrementum, & vim dicendi mirabilem hæc reticentia, quum non exprimitur quid faciendum ſit, vt plura facienda intelligantur, quàm quæ verbis explicari queant. Sic Saül ad Dauid ait 1. Regum, 26. verſ. 25. *Benedictus tu Fili mi Dauid, & quidem faciens facies, & potens poteris:* id eſt, edes maxima & præclara, proſpero ſemper euentu: res præclarè geres. Pſalm. 36. 5. *Spera in Deo, & ipſe faciet:* nimirùm plura & maiora, quàm tu, aut ſperare, aut concipere poſſis. Iſaïæ 44. 23. *Laudate cæli, quoniam fecit Dominus.* Videlicet, opus aliquod ſe dignum, & maius quàm vt à nobis explicari poſsit. In Iſaïa additum eſt ex Septuaginta Editione, & Chaldaïca Paraphraſi, *Miſericordiam,* vel *ſalutem, quoniam miſericordiam fecit Dominus:* Quod vt in ſolitario verbo faciendi intelligi rectè queat: at non eſt in Hebræo, nec ſanctus Hieronymus, vt Latina eius Prophetarum tranſlatio palàm oſtendit, & optima quæque manuſcripta vetuſta exemplaria Latina, Hentenio, & Plantino teſtibus, vocem illam expungunt: quin & Biblia Regia non agnoſcunt, & Forerius annotauit non eſſe legendam: Atque Montanus hamis vt additiţiam incluſit. In poſtrema tamen Xyſti V. & Clementis VIII. editione relicta eſt. Totum hunc locum ita ſanctus Irenæus lib. 5. aduerſus Hæreſes, cap. 25. *Exſurget rex improbus facie valdè, & intelligens quæſtiones, & valida virtus eius, & admirabilis, & corrumpet, & diriget, & faciet.* Origenes lib. 6. contra Celſum: *Exorietur rex impudens facie, & intelligens problemata, & roborabitur fortitudo eius, & deſtruet mirabilia: proſperabitur, & res geret.* Forſan in ſancto Irenæo pro *corrumpet*, legendum *perrumpet*, Hebræis conſonè.

Tertius locus, Apocalypſ. 13. verſ. 5. *Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.* En hîc etiam verbum, *facere*, abſolutè poſitum: neque enim conſtruendum cum illo, *menſes quadraginta duos*: nam eſſet ridiculus & ineptus ſenſus: ſed eſt abſolutum, & illud, *menſes quadraginta duos*, pro *menſibus quadraginta duobus eſt dictum.* Sà: *Facere, ſcilicet, malè, vel facere pro viuere poſitum. Iacobi 4. verſ. 13. Faciemus ibi, id eſt, manebimus ibi.* Sed ſimpliciùs eſt, vt facere hîc ſit, facere quidquid libuerit, rerum potiri, facere omnia, & omnes. Quaſi dicat, ſummum Imperium & potentia Antichriſti durabit tantùm tres annos & ſex menſes, regnabit tantùm triennio & ſemis Antichriſtus: vti Gagneius, Bulengerus, Ribera, & alij fermè Apocalypſis explanatores exponunt. Nec dubium eſt, Ioannem Apoſtolum hiſce verbis reſpexiſſe, vel alluiſſe ad verba illa Danielis, quæ paulò anteà enarrabamus, *Et proſperabitur, & faciet.* Ergo faciet Antichriſtus, id eſt, quæcumque volet, rerum potietur, faciet innumera horrenda & atrocia, quæ nec verbis, nec cogitatione exprimi poſsint: ſummam potentiam, & Imperium obtinebit. Sequitur Ioannes verſ. 7. *Et data eſt illi,* nempe Antichriſto, *poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem.* Clariùs ingens & maxima Antichriſti monarchia exprimi non potuit. Sed ex variis aliis ſacræ Scripturæ teſtimoniis, quæ hoc opere ſparſim elucidamus, perſpicuè immane Antichriſti regnum demonſtratur.

Ieroſolymam futuram ſedem regni Antichriſti.

CAP. XXXVII.

ANtichriſtum ſedem Imperij ſui & Monarchiæ Ieroſolymis fixurum, ex verbo Dei, ex Traditione Patrum, & conſenſu poſteriorum habetur exploratiſſimum. Sanctus Irenæus lib. 5. aduerſus Hæreſes, cap. 25. *Antichriſtus in tempore regni ſui, transferet regnum in terrenam Ieruſalem, & in Templo Dei ſedebit, ſeducens eos, qui adorant eum, quaſi ipſe ſit Chriſtus.* Lactantius Firmianus lib. 6. cap. 15. de Antichriſti Regno differens: *Imperium in Aſiam reuertetur, ac rurſus Oriens dominabitur, atque Occidens ſeruiet.* Ergo ſi in Aſia & in Oriente Antichriſtus ſedem regni eſt collocaturus, ſatis indicat Ieroſolymis eum regnaturum, quòd eam Plinius lib. 5. cap. 14. non Iudææ modo, ſed omnium vrbium Orientis longè clariſſimam nuncupat. Idem Lactantius id ipſum innuit lib. 7. cap. 17. quum ait, Antichriſtum in Syria regnaturum. Iudæa & Ieruſalem Syriæ contribuebantur: imò Syriæ nomine cenſebantur. Macrobius lib. 2. Saturnaliorum, cap. 4. *Cùm audiſſet Auguſtus inter pueros quos in Syria Herodes rex Iudæorum intra bimatum iuſſit interfici, filium quoque eius occiſum, ait: Melius eſt Herodis porcum eſſe, quàm filium.* Conſtat autem pueros in Bethlehem Iudææ eſſe interfectos, Matthæi 2.

Seuerus Sulpitius Dialogo 2. de Vita ſancti Martini ex ore ſancti Martini iſta ſe audiuiſſe narrat: *Ab Antichriſto verò Orientale Imperium eſſe capiendum, qui quidem ſedem & caput regni Ieroſolymam eſſet habiturus: ab illo vrbem & Templum eſſe reparandum.* Andreas Cæſarienſis Epiſcopus in 11. Apocalypſis: *In hac námque ciuitate Ieruſalem, ad imitationem Dauidis, regni ſedem, vt probabile ſit, conſtituet Antichriſtus.* Aretas in 11. Apocalypſis: *In qua etiam Ieruſalem veluti rex Iudæorum regnabit Antichriſtus.* Rabanus in Opuſculo de Antichriſto: *Antichriſtus Ieroſolymam veniens, ſuam ſedem, in Templo ſancto ponet.* Anſbertus Epiſcopus in 11. Apocalypſis: *Quia verò in illis tunc regionibus, in quibus Chriſtus traditur crucifixus, in quibus & caput malorum apparebit Antichriſtus, ſedebit, atque regnabit, immanior perſecutio Eccleſiam vexabit, &c.* Eadem omnes alij tradidêre.

Loca Scripturæ ſacræ, quæ docent Antichriſtum ſedem Imperij ſui Ieroſolymis poſiturum, ſunt illuſtria. Primus eſt Danielis 11. 45. *Et figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria, ſuper montem inclytum, & ſanctum, &c.* Quẽ ſequenti capite elucidabimus. Secundus locus, Daniel. 11. 41. *Et introibit in terram glorioſam,* quem ſuperiùs cap. 20. explicauimus. Veniet enim Antichriſtus in Iudæam, ac Ieruſalem, vt ibi regiam ſuæ Monarchiæ conſtituat. Tertius locus, Apoc. 11. v. 7. *Beſtia quæ aſcendit de Abyſſo, faciet aduerſus eos* (Henoch & Eliam) *bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt.* Ait diſertè

sertè Henoch & Eliam trucidandos ab Antichristo in medio vrbis Ierusalem, in qua Christus Dominus fuit crucifixus. Neque sanè aptior alia ratio excogitari potest, cur Ierosolymis potiùs quàm alibi, Antichristus Henoch & Eliam sit mactaturus, nisi quod in ea vrbe primariam regni sedem sit habiturus. Sed locum ex professo enarrabimus, lib. 10. cap. 20. Quartus locus, 2. Thessalonicens. 2. 4. *Ita vt in Templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Pronuntiat apertè, Antichristum in Templo Ierosolymitano thronum, ac sedem regni sui, vbi se vt Deum adorari faciet, constituturum. Exponemus hunc locum, lib. 8. cap. 7. Atqui Patres, & Interpretes innumeri cùm hæc quatuor loca interpretantur, perspicuè docent Antichristum sedem Imperij sui, & Monarchiæ Ierosolymis erecturum, ibique thronum, solinum, aulámque regalem, & caput, arcémque regni fixurum.

Accedunt hisce testimoniis optimæ quoque rationes, ex Scripturis haustæ. Prima, Quia Antichristus potissimum venturus est propter Iudæos, atque ab illis pro vero Messia suscipiendus: ipséque in hac parte illis impositurus est, quo eum vt verum suum Messiam recipiant, & agnoscant: at certissimum est, Iudæos nullum pro rege suo, & Messia suscepturos, quem non videant Ierosolymis regnantem, & Templum Ierosolymitanum, cum victimis, & sacrificiis, aliisque Mosaïcis ritibus instaurantem. Neque enim cæci miseri alium Messiam, nisi Ierosolymis imperantem, neque aliud eius regnum, aut Templum nisi Ierosolymitanum, norunt, optant, sperant: vt est cunctis manifestum. Secunda, Christus Dominus sedem spiritalis Imperij sui, dum in terris vixit, in Iudæa, ac præsertim Ierosolymis constituit, ibi enim natus est, vixit, prædicauit, miracula edidit, Euangelium fundauit, crucifixus est, mortuus, resurrexit, ascendit in cælum, Ecclesiam genuit, ac diuinæ totius œconomiæ, ac operationis Salutis humanæ, propter quam à Patre in mundum missus fuit, dispositionem, & ordinem consummauit. Sic etiam Antichristus, vt in cunctis Christo se è diametro aduersarium probet, cuncta eius vestigia ad euertendum assectans, proculdubio in Iudæa, ac Ierosolymis sedem regni figet: atque præcipuè suam tyrannidem, & cuncta Diabolica opera exercebit. Et verò ex multis quæ deinceps hoc opere dicturi sumus, præcipuè de Antichristi persecutione aduersus Ecclesiam, De prædicatione Henoch & Eliæ, de Iudæorum ad Christum in fine mundi conuersione, de horribili Antichristi interitu, & id genus aliis manifestè demonstrabitur, caput regni & Monarchiæ Antichristi Ierosolymam futuram: quam ipse tunc insanis operibus, & admirandis exstructionibus amplissimam, & clarissimam reddet, vt lib. 11. cap. 6. & 7. dicemus. Ceterùm cùm traditionem Patrum de sede regni Antichristi Ierosolymis, recentiores etiam omnes suo consensu adprobauerint, immensum esset eos omnes hîc adducere: videri tantùm poterunt, qui de his pleniùs scripsêre, Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 26. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 13. Becanus libro de Antichristo, cap. 4. Viegas in 13. Apocalyps. Commentar. 2. sectione 8. & 10. Lessius in disputatione de Antichristo, demonstratione 12. Ieremias Ferrerius libro de Antichristo, cap. 20. Cornelius à Lapide in 2. Thessalon. 2. num. 71. Suarez contra errores Anglicanæ Sectæ, cap. 16. Enriquez de Fine Hominis, cap. 23. §. 4. littera 4. in Textu, & in Commentario.

Elucidatur vaticinium insigne Danielis 11. *vers.* 45. Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclytum, & sanctum, &c.

CAP. XXXVIII.

DAnielem his verbis, vt integra quoque residua parte illius vndecimi capitis, historico & primario sensu, non de Antiocho, sed de Antichristo vero proculdubio fuisse locutum, sanctus Hieronymus antiquitatis fidissimus auctor, suam, & omnium ante Ecclesiasticorum Scriptorum hac de re sententiam proferens, his verbis affirmat: *Nostri autem extremum visionis huius capitulum super Antichristo sic exponunt: Quòd pugnans contra Ægyptios, Libyásque, & Æthiopias, & tria cornua de decem cornibus conterens, auditurus sit de Aquilonis, & de Orientis partibus aduersum se bella consurgere: quòd veniens cum magna multitudine vt conterat, & interficiat plurimos, figat Tabernaculum suum in Apadno iuxta Nicopolim, quæ prius Emaus vocabatur: vbi incipiunt Iudææ Prouinciæ montana consurgere: denique inde se erigens vsque ad montem Olueti, Ierosolymorum regio ascenditur: & hoc esse quod nunc Scriptura dicit: Et cùm fixerit tabernaculum suum in montanæ prouinciæ radicibus, inter duo maria, (mare videlicet quod nunc appellatur Mortuum ab Oriente, & mare magnum, in cuius littore Cæsarea, Ioppe, Ascalon, & Gaza sitæ sunt.) Tunc veniet vsque ad summitatem montis eius, hoc est montanæ prouinciæ, id est, verticem montis Olueti: qui inclytus vocatur, quia ex eo Dominus, atque Saluator ascendit ad Patrem: & nullus Antichristo poterit auxiliari, contra se Domino sæuiente. Et asserunt ibi Antichristum esse periturum, vnde Dominus ascendit ad cælos.*

Theodoretus in hunc eundem locum: *Neque hoc comperimus ab Antiocho factum, alioquin dicant, quisnam locus iste, vbi tentorium suum fixerit Antiochus, inter duo maria situs? Verùm non poterunt ostendere. Igitur nihil horum adhuc peruenit ad exitum: sed hæc omnia à communi hominum peste* (Antichristo) *proficiscentur. Sabir autem rursus Deo dicatam terram vocat, & Apadanum locum quendam ita nominatum, nec procul ab Ierosolymis positum, vbi exitio perdetur.* Sancti Hieronymi sententiam, & verba adscripsit suo libro de Regressu Animarum ab inferis, Hugo Etherianus cap. 23. Atque Explanatores omnes Danielis, post sanctum Hieronymum, hoc oraculum de Antichristo sunt interpretati, vti Strabus, Anselmus Laudunensis, Petrus Comestor, Lyranus, Isidorus Clarius, Vatablus, Pintus, Pererius. Mendacia & deliria Porphyrij locum de Antiocho exponentis, refutauit egregiè S. Hieronymus, & alij recentiores. Mirum cur Maldonatus de Antiocho, & Veldius de Antiocho, Vel de Mahomete voluerint interpretari. Sed more nostro fontem aperiamus.

Et figet. Hebraïcè propriè, *Et plantabit*, vt Sanctes, Vatablus, Tremellius, Iunius, Marinus,

Auenarius, Schindlerus, Leo Iudas. At Forsterus, *Et infiget*, vel *Et inferet*. LXX. Vulgatus, Reuchlinus, Buxtorfius, *Et figet.*

Tabernaculum suum. AHOLE, Sanctes, Vatablus, Leo Iudas, Maldonatus, *Tabernacula.* Forsterus, Tremellius, Iunius, Marinus, Auenarius, Montanus, Schindlerus, Buxtorfius, *Tentoria.* LXX. & Vulgatus legerunt, AHOLO, *Tabernaculum suum.*

Apadno אפרנו APADNO, vox miræ obscuritatis, de qua sanctus Hieronymus: *Apadno verbum compositum est, quod si diuidas, intelligi potest,* θρόνε αὐτῦ, *id est, soliy sui. Et est sensus. Et figet tabernaculum suum & thronum suum inter maria, super montem inclytum & sanctum. Hunc locum ita Symmachus interpretatus est: Et extendet papiliones equitatus sui inter maria, super montem fortitudinis sanctum. Et veniet vsque ad verticem montis. Theodotio verò sic vertit: Et figet tabernaculum suum in Aphadano inter maria, in monte Sabin sancto: & veniet vsque ad partem eius. Aquila ita: Et plantabit tabernaculum prætorij sui in Aphadano inter maria, in monte Sabin glorioso, & sancto: & veniet vsque ad finem eius. Soli Septuaginta omni se nominis quæstione liberantes, interpretati sunt: Et statuet tabernaculum suum tunc inter maria, & montem voluntatis Sanctum: & veniet hora consummationis eius. Quos Apollinarius secutus, de nomine Apadno omninò conticuit. Hoc ideò prolixius posui, vt & Porphyrij ostendam calumniam, qui hæc omnia ignorauit, aut nescire se finxit: & Scripturæ sanctæ difficultatem, cuius intelligentiam, absque Dei gratia, & doctrina maiorum sibi imperitissimi, vel maximè vendicant. Notandum autem quod P, litteram Hebræus sermo non habeat, sed pro ipsa vtuntur* ף *Phe, cuius vim Græcum* φ *Phi sonat. In isto tantùm loco apud Hebræos scribatur quidem* ף *Phe, sed legatur Pe.* Hæc S. Hieronymus.

Qui eruditè illud obseruat priscos Hebræos non habuisse פ Pe durum, seu densum: sed ף Phe Raphe, seu lene, vel remissum, vt Græcum φ, vnde dicendum esset Hebraicè APHADNO, & non APADNO: verùm notat sanctus Doctor, in hac voce legi tantùm Pe durum APADNO: idcircò Massoretæ in פ Pe immiserunt punctum Daghes, quod sanè non videtur fuisse in vsu tempore sancti Hieronymi. Arabes etiam num hodie istud quoque seruant, apud quos nullum est Pe durum: sed tantùm Pe Raphe. Vide quæ de his annotauimus lib. 4. cap. 29. extremo.

Equidem vocis APADNO enodationem, quia peregrina est, & subdifficilis, non erit absre, ex his qui Hebraïca tractarunt, reddere. Ioannes Reuclinius in Lexico, *A* פרן *Phadan, id est, campus & planities, in lingua Ismaëlitarum, seu Saracenorum, deriuari quidam putant locum quendam prope Emaum ciuitatem dictum APADNO cata prothesin litteræ Aleph, Danielis* 11. *Et figet tabernaculum suum APADNO, id est, secundum Hieronymum, apud Nicopolim: sed communiter in lingua Iudæorum significat palatium, seu domum regiam, siue dominicam, quam sæpè templum nominauit antiquitas: nam prisci Hebræorum magistri palatium vocauerunt* אפרנא *APADNA. Vnde Rabbi Gerson in Commentariis super Danielem, in verbo allegatæ auctoritatis, super montem inclytum, dicit, quòd ibi fuerit ædificata domus Sanctuarij, id est, Templum. Quapropter sensus erit, Quòd Antichristus inter duo maria figet tabernacula sua pro templis, in quibus adoretur.*

Alfonsus Zamorensis in Dictionario: *APADNO, ornamentum suum.* Lexicon Complutense: *Dicunt Hebræi, quod APEDNO significat ornamentum suum.* Sanctes, Mercerus, Cornelius Bonauentura Bertramus in Thesauro, in dictione APHAD: *Et scripsit Rabbi Ioseph Kimchi pater Rabbi, Dauid, quòd illud Daniel.* 11. 45. *Et figet tabernacula APADNO, operimenti (vel, cinguli) sui, inter maria: est ex hac Radice, & significantia. Alij exponunt, ornamenti sui: nonnulli thalami sui. Alij, aulæi, vel operimenti pretiosi, quod & SAPHRIR dicitur, vt Nun sit aduentitium. Rabbi Dauid, Palatij sui. Require in PADAN, quia alij Aleph putant accedere.* Et in PADAN: *Inde illud Danielis* 11. 45. *Et plantabit, aut figet APADNO, palatij sui: secundùm Rabbi Dauid, qui exponit ARMONO. Et sic ARMON palatium, vocatur in verbis Doctorum Hebræorum APADNA. Bahal-Haruch exponit CHAZEB, atrium: & Aleph redundat secundùm Rabbi Dauid: sed secundùm Rabbi Ioseph Kimchi, Aleph est radicalis littera, & Nun redundat.*

Forsterus in APHAD: *APADNA, Tectorium, operimentum pretiosum, aulæum, quod constringebatur: & arbitror esse Chaldæum. Daniel.* 11. *Et inferet tentoria aulæi sui inter maria. Et Ieremiæ* 43. *vertit Chaldæus Paraphrastes APADNA, pro nomine SAPHRIR, id est, aulæum.* In Radice autem NATA, exponit: *Et infiget tabernacula ornamenti sui inter maria.* Et de SAPHRIR hæc habet: *Saphrir, aulæum, quod expanditur ornatus gratia.* Mercerus: *Saphrir sic quidam putant aulæum dici, quod ornatus causa expandatur: sed à pulchritudine potius.* Auenarius: *Saphrir, Siparium rotundum, tentorium, quod circulariter & orbiculariter expanditur, & in formam sphæræ extensum est. Hinc Siparium.* Montanus Ieremiæ 43. 10. reddit *tentorium elegans.* Noster, *Solium.*

Marinus in Arca: *Apadan, nomen formæ masculinæ, quod semel legitur in Bibliis cum affixo APADNO, incertum, quid propriè sit & ex qua radice. Mihi radix est APHAD, & per metaphoram nomen effictum esse puto, id est, ad instar Ephod, de quo Exodi* 28. 7. *Ephodinum dicemus, nouo nomine docendi causa, id est, pretiosum, vel potius substantiuè pretiositas. Daniel.* 11. 45. *Et figet tentoria pretiositatis (Ephodina,) nempe ex byssо, hyacintho, & cæteris. Padiglioni di seta, & d'oro.*

Dauid Pomarius in Themach: *Padan, Armon, palatium. Danielis* 11. *vbi scribitur cum Aleph littera hæ emantica.* Notat etiam Hebræos vocare APADNAH, atrium, tentorium.

Auenarius in Dictionario: *APEDEN, aulæum, palatium tapetibus coopertum, quod pro deliciis fiebat. Componitur ex APHAD, aptauit &* עדן *EDEN deliciæ. Semel tantùm reperitur, vt cum affixo, Danielis,* 11. *vers. vlt. Et plantauit (id est, figet) tentoria aulæi sui inter maria.*

Schindlerus in Pentaglotto: *APADAN, aulæum, operimentum. Danielis* 11. *vers.* 45. *Et figet tentoria aulæi sui inter maria. Ieremiæ* 43 *vers.* 10. *& tetendit SAPHRIRO, Thargum, APADNEH, aulæum suum super illos.*

Buxtorfius in Lexico: *APADAN, palatium, Augustale. Affixum APADNO, Et figet tentoria palatij sui. Daniel.* 11. *vers.* 45. *Sic in Thargum: Et extendet APADNEH, Augustale suum super eos. Hebraïcè SAPHRIRO, Ieremiæ* 43. 10.

Maldonatus in 11. Daniel. vers. 45. *Apadno non est*

eſt nomen loci proprium, ſed appellatiuum, vt ipſe Hieronymus, qui Theodotionem imitatus, integrum reliquerit, vt ſolet plerúmque facere in rebus dubiis, in Commentariis interpretatur. Senſus autem eſt: Et plantabit tabernacula palatij ſui, vt exponit Rabbi Dauid, aut tentorij ſui, ſiue papilonis, vt Rabbi Ioſeph Kimchi, & Saadias interpretantur. Quod mihi magis placet. Quod autem nomen APADNO non proprium ſit, ſed appellatiuum, primum ex eo conſtat, quod nullum locum reperiamus ita vocari: quamuis Porphyrius nimia licentia, neſcio quem eius nominis locum fixerit. Deinde quod ex verbis ſequentibus perſpicuum ſit, eum locum in Iudæa, & in ipſa Ieroſolymitana vrbe, de qua hìc agitur, eſſe debere: in qua certum eſt nullum locum APADNO vocari. Vides vt diuerſæ tot auctorum de Apadno ſententiæ, non turbent, aut obſcurent eius vocis vim, ac notionem, ſed magis illuſtrent, dum quiſque pro ſua parte peculiare aliquid confert ad elucidationem. Illud eſt frequentius, *Tentoria palatij ſui.* Ita Kimchi, Sanctes, Vatablus, Leo Iudas, Iſidorus Clarius, Reuchlinus, Veldius, Tremellius, Iunius.

Non conuenit inter Grammaticos ex quo themate ſit *APADNO:* nam Kimchius, Reuchlinus, Sanctes, Pomarius, Boderianus, Buxtorfius volunt eſſe à PADAN, quod, duo, vel par, ſeu iugum, Chaldaïca, & Rabbinica lingua ſignificat. Vnde Meſopotamia dicta eſt Hebraïcè פדן ארם *Padan-Aram*, hoc eſt, Syria duorum, quod ſit media inter duo flumina Tigrim & Euphratem Græcè Meſopotamia, Latinè, Interamnis. Padan quoque ligonem ſignificare, annotauit Pomarius. Vomerem etiam, Schindlerus. Addunt in lingua Iſmaëlitica, ſeu Arabica, PADAN, eſſe agrum, vel campum. Qua ratione in APADNO, Nun erit radicale: & Aleph, aduentitium. Et neſcimus quid tunc APADNO ſignificare poterit, niſi exponas, *tentoria duorum*, vel *iugi ſui.* hoc eſt, Imperij ſui, quod tanquam iugum imponet ceruicibus gentium. Vel, *tentoria campi ſui.* nimirùm exercituum & copiarum ſuarum. Hiſpanicè aciem, & exercitum *campum* vocamus. Aut, *tentoria bigarum ſuarum.* Nempe curruum, & *equitatus ſui:* vt Symmachus eſt interpretatus. LXX. in Editione Romana, & Roberti Stephani: *Et figet tabernaculum ſuum Ephadano in medio marium.* Græca Scholia: *Ephadano, id eſt, tabernaculum,* ἵππος ἀσία, *quod quidem eſt equeſter exercitus.*

Alij verò quibus magis aſſentimur, *APADNO* deducunt ab *APHAD*, quod eſt, cingere, ſupertegere, ſuperinduere, operire adſtringendo, adaptare ſtrictim. Ita Rabbi Ioſeph Kimchi, Forſterus, Mercerus, Marinus, Auenarius, Schindlerus. Et tunc in *APADNO*, Aleph erit radicale, & Nun accidentarium. Eſt autem ex eadem Radice illud nomen Ephod, præcipua inter veſtes Sacerdotales, de cuius forma, & pulchritudine dicemus lib. 11. cap. 13. Nec diſplicet, quod Marinus annotauit, *APADNO*, dictum, quaſi Ephodinum, id eſt, pretioſum, ſeu pretioſitatem. Siquidem Ephod ſupremi Sacerdotis, veſtis erat pretioſiſſima & pulcherrima de auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & byſſo retorta, opere polymito confecta, Exodi 28. 7. Sícque tentoria *APADNO* ſint tentoria quaſi Ephodina, pulcherrima, inſtar Ephod opere Phrygio ex auro, purpura, hyacintho, rebúſque magni pretij elaborata & contexta, ac ſi Hiſpanicè dicas: *Tiendas, pauellones de ſeda y oro, de brocados de tres altos finiſſimos.* Sicut etiam ab eodem Epod volunt plerique eſſictam vocem אפירה *Aphudah*, quam aiunt ſignificare ipſum pretioſum opus, & mirabilem texturam, & ornatum pulchrum, & artificioſum Ephod, Exodi 28. 8. cap. 39. 5. Iſaiæ 30. 22. vt rectè obſeruauit Marinus. De tentoriis & aulæis Antichriſti pretioſiſſimis & pulcherrimis dicemus fusè libro ſequenti, cap. 20. Poſſet hìc aliquis ex eodem Ephodi ſignificato exponere: *Et plantabit tentoria Ephodi ſui.* Hoc eſt, Prætoria ſuæ ſacræ & diuinæ, ſeu regiæ poteſtatis & dignitatis. Ephod olim veſtis propria Sacerdotum, quin & Regum. Ac ſi dicat: Conſtituet ſibi ſupremum Sacerdotij & Regni tribunal ſummum ſacroſanctæ poteſtatis ſolium: vendicabit ſibi diuinorum & humanorum Principatum & Imperium. Et fortaſſe ad vocem Ephod additum eſt Nun in *APADNO*, ad indicandam vtramque maximam & ſummam poteſtatem, diuinam & humanam, quam ſibi temerè vſurpabit.

Illud tamen aptius inſtituto videtur, vt APADNO, ſit Palatium, Regia, Dominica, Baſilica, quaſi Templum, vt annotauit Reuchlinus: cùm etiam Templa olim Baſilicæ, & Dominica ſint dicta, vide de his geminis vocibus Notas Baronij ad Romanum Martyrologium 5. Auguſti, & 25. Decembris: atque ſic *APADNO* ſignificare Baſilicam, Dominicam, vt non quamuis, aut quouis modo exſtructam, ſed ornatiſſimam, & pulcherrimis, ac pretioſiſſimis aulæis, periſtromatis, operimentis Ephodino opere, ac Phrygionico egregiè contextis, inſtructam, & inſtratam. Verùm cunctis probè conſideratis magis ad rem eſſe exiſtimamus, *APADNO* proprium nomen eſſe Palatij, ſeu Regiæ, aut Pretorij Antichriſti: ſic Hebraïcè dictum à ſuperbo, & eleganti apparatu aulæorum, ſtromatum, cortinarum, velorum, operimentorum, ſtragulorum, tapetum, varij generis, & pretioſiſſimæ cùm texturæ, tum acupicturæ: atque paragogen Nun, innuere ſumptuoſiſſimum & opulentiſſimum ſupra quam dici, aut credi poſſit, Palatium, omni genere aureorum aulæorum, & operimentorum inſtructiſſimum. Neque enim ſine magno conſilio, in LXX. Interpretibus, Aquila, Theodotione, & Vulgato relicta eſt vox APADNO ſine interpretatione, nimirùm quòd voluerint nomen proprium regiæ Antichriſti intelligi. Alioquin ſi nullum aliud ſuberat myſterium niſi difficilis vocis ſignificatus, quo *Solij ſui*, vel *Palatij ſui*, exprimitur, quid opus erat relinquere nomen ipſum Hebræum ininterpretatum, quod nobis ſuſpicionem alicuius abſtruſi myſterij, cùm tamen nullum eſſet, ingeneraret?

Igitur Eccleſiaſtici Scriptores ante ſanctum Hieronymum, ipſe ſanctus Hieronymus, ac poſt eum Theodoretus, Anſelmus Laudunenſis, Lyranus, Pintus in Daniel. 11. ad verſ. 45. Ioſephus Acoſta lib. 3. de Nouiſſimis Temporibus, Leonardus Leſſius diſputatione de Antichriſto, demonſtratione 12. & alij crediderunt APADNO nomen eſſe proprium cuiuſdam loci non longè ab Ieroſolymis, iuxta Nicopolim, quæ priùs Emmanus vocabatur: quam illam volunt eſſe Emaus, quam ſanctus Lucas 24. verſ. 13. ſcribit diſtare ab Ieruſalem ſpatio ſtadiorum ſexaginta, hoc eſt, ſeptem milliaria Italica cum dimidio, nimirùm duas plus minúſve Hiſpanicas paraſangas, ſeu Leucas: vbi Chriſtus Dominus cognitus eſt à duobus Diſcipulis in fractione panis. Hìc ergo

prope Emmaus, siue Nicopolim, tradunt præfati Auctores, ex Danielis vaticinio, Antichristum fixurum tentoria Apadno, id est, Palatij sui, seu regiæ suæ splendidissimæ, & opulentissimæ.

De Emmaunte pro instituti ratione pauca referamus. Iosephus lib. 17. Antiquitatum, cap. 12. agens de cohorte Romana à Iudæis propè Emmauntem concisa, sub Quintilio Varo Syriæ Præside, ait: *Nam & Emmaus cremata est Vari iussu in vindictam casorum ibi militum, deserta tamen ab habitatoribus.* Et lib. 2. de Bello Iudaïco, cap. 3. *Exusta est, & Ammaus iussu Vari, necem Arij, caterorúmque indignè ferentis, habitatoribus eius fuga dispersis.* Eusebius in Chronico Numero MMCCXXXVII. Anno Christi CCXXII. Eliogabali IV. *In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, vrbs condita est, legationis industriam pro eo suscipiente Iulio Africano Scriptore Temporum.* Sanctus Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Iulius Africanus cuius quinque de Temporibus extant volumina sub Imperatore Marco Aurelio Antonino, qui Macrino successerat, legationem pro instauratione vrbis Emmaus suscepit, quæ postea Nicopolis appellata est.*

Idem sanctus Hieronymus, siue Eusebius in locis Hebraïcis: *Emnaus de quo loco fuit Cleophas, cuius Lucas meminit Euangelista: hæc est nunc Nicopolis insignis ciuitas Palæstinæ.* Et in Epitaphio sanctæ Paulæ: *Repetitóque itinere Nicopolim, quæ prius Emmaus vocabatur: apud quam in fractione panis cognitus Dominus Cleophæ domum in Ecclesiam dedicauit.*

Sozomenus lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 20. *Est vrbs Palæstinæ, quæ iam Nicopolis dicitur, cuius quidem vt pagi, (sic enim iam tum fuit) diuinus Euangeliorum liber facit mentionem, eámque Emmaus appellat. At Romani capta Ierosolyma, & parta contra Iudæos victoria, eam Nicopolim nuncupabant, nomine ex euentu belli imposito. Ante hanc vrbem, propter triuium, in quo Christus post resurrectionem a mortuis, cum Cleopha incedens, simulabat se ad alterum pagum properè contendere: est fons quidam salutaris, in quo non homines modò, qui ægrotant loti curantur; verùm etiam alia animalia, quæ variis morbis laborant. Nam ferunt Christum vnà cum discipulis, quodam tempore è via ad fontem illum diuertisse, inque eo lauisse pedes: & aquam ex eo tempore vim morbis medendi habuisse.* Eadem omnino Nicephorus lib. 10. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 31. Cassiodorus in Chronico, in Eliogabalo: *In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, vrbs condita est.* Cedrenus in Annalibus in Iuliano: *Nicopoli Palæstinæ, quæ & Emmaus dicitur fons erat omnis generis morbos hominum, brutorúmque sanans. Eo enim fonte ferunt Christum ex itinere pedes abluisse.*

Sanctus Beda in Lucæ 24. *Emmaus autem ipsa est Nicopolis ciuitas insignis Palæstinæ, quæ post expugnationem Iudææ sub Marco Aurelio Antonino Principe restaurata, cum statu mutauit, & nomen.* Eadem totidem verbis habet Zacharias Christopolitanus Episcopus in Harmonia Euangelica, cap. 176. Idem sanctus Beda in Chronico in Marco Antonino Eliogabalo: *In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, vrbs condita est: legationis industriam pro ea suscipiente Iulio Africano Scriptore temporum. Hæc est Emmaus, quam Dominus post resurrectionem, suo ingressu, sicut Lucas narrat, sanctificare dignatus est.* Eadem totidem verbis habet sanctus Ado in Chronico, & Hermannus Contractus in Chronico.

Vvillermus Tyrius lib. 7. de Bello Sacro, cap. 24. *Est autem Nicopolis ciuitas Palæstinæ: hanc dum vicus adhuc esset, Sacer Euangeliorum liber appellauit Emmaus, beatúsque Lucas Euangelista hanc dicit ab Ierosolymis distare stadiis sexaginta. De hac Sozomenus, &c.* Refert verba Sozomeni, quæ paulò anteà descripsimus. Brocardus in Descriptione Terræ Sanctæ: *A Ierusalem decem* (duo potiùs) *numerantur Leucæ contra Occidentem ad Castellum Emmaus, vbi Dominus in fractione panis cognitus est à discipulis. Is locus hodie Nicopolis dicitur.* Emmauntis meminit lib. 1. Machabæorum, cap. 3. vers. 40. & 57. & cap. 4. vers. 3. & cap. 9. vers. 50. Iosephus lib. 12. Antiquit. cap. 11. Item Ptolemæus lib. 5. cap. 16.

In Itinerario à Burdegala Ierusalem vetustissimo, edito à Petro Pithæo, Nicopolis ab Ierusalem distare ponitur Millia passuum XXII. Sed magnus Scaliger, qui nihil non videt, hîc non vidit, pro XXII. emendandum VII. Addit Scaliger in Eusebianis: *Iosephus 4. de Bello Iudaïco, cap. 1. ait Emmaus significare Aquas calidas. Hoc verùm fuerit, si scribendum* חמי בריא *Chamme-maia; sed s, & v, penultimum sunt de radice nominis. Itaque vera non fuit originatio Iosephi.* Verba Iosephi sunt: *Vespasianus autem profectus ex Ammaunte, vbi pro Tiberiade posuerat castra: (Ammaus autem, si quis nomen interpretetur, Aquæ calidæ vocantur: ibi enim eiusmodi fons est, sanandis corporum vitiis idoneus) Gamalam peruenit.* Sed ego malim credere Iosepho, quàm Scaligero: quasiverò ex Hammaim, non potuerint Græci luxare Ammaum, seu Ammaus? Egesippus lib. 4. Excidij, cap. 15. *Ipse* Vespasianus *cum exercitu Amathunta repetit: quæ de Aquis calidis vocabulum sumpsit: quod aquarum vapor Syro sermone Amathus appellari fertur. Thermæ ergo Græcè dicuntur eo quod calidum fontem habeat intra muros.* Verùm scito hanc Ammaum de qua hîc Iosephus, diuersam esse penitus ab illa Emmaus dicta Nicopolis, de qua hactenus diximus: nam Emmaus hæc Iosephi erat in Galilæa prope Tiberiadem: nostra autem illa prope Ierusalem, stadiis sexaginta tantùm ab ea distans ad Occidentem: vti etiam Ortelius in Thesauro Geographico, & Iosephus Stephanus in 1. Machabæor. 3. ad vers. 40. annotarunt. Imperitè Ioannes Drusius in primo Machabæor. 3. ad vers. 40. Emmaus castellum Lucæ 24. 13. distans ab Ierusalem spatio stadiorum sexaginta, diuersam facit ab Emmaus quæ dicta est Nicopolis, cùm sit ipsissima Palæstinæ Nicopolis, vti perspicuè demonstrauimus: de qua Ortelius obseruat: *Hodie adhuc Nicopol nominari, tradit Postellus. Gotz ab Arabibus & Turcis, vt ait Rauuolfius.* Refellit hoc postremum Scaliger hisce verbis: *Qui in suis peregrinationibus scribunt, hanc Nicopolim, siue Emmaus, GOTZ, ab Arabibus vocari, hallucinantur. Hoc enim est Ierosolymorum nomen, Kodtz Mubarech, Sanctuarium Benedictum.* At de Emmaunte plura vide apud Adrichomium in Iuda, num. 112. agit quoque de illa Massius in 10. Iosue, ad vers. 10. Sed ad seriem vaticinij Danielis redeamus.

Inter maria. Sanctus Hieronymus ex communi Patrum interpretatione, duo maria exponit, nempe, Mare mortuum, seu lacum Asphaltitem ab Oriente, & mare Mediterraneum ab Occidente: inter quæ duo maria exploratum est medias interiacere Ierosolymam, & Emmauntem siue Nicopolim. Sancti Hieronymi, patrúmque explana-

plana

planationem comprobant quoque Anselmus Laudunensis, Comestor, Lyranus, Vatablus, Isidorus Clarius, Pererius, Sà, Maldonatus. Porrò lacum Asphaltitem seu Sodomiticum phrasi Hebraïca mare nuncupari in Scriptura sacra, loca sunt expressa, Genes. 14. 3. dicitur *Mare salis*; Numerorum 34. 3. *Mare salsissimum*: Iosuë 3. 16. *Mare solitudinis*, & *Mare mortuum*: de cuius magnitudine, ac singulari natura mira narrant, Diodorus Siculus lib. 2. num. 92. & 93. Strabo lib. 16. pag. 525. 526. Iosephus lib. 5. Belli Iudaïci, cap. 5. Plinius lib. 5. cap. 16. & lib. 7. c. 15. & lib. 2. c. 103. Solinus c. 58. Tacitus Historia 5. Iustinus lib. 36. Pausanias lib. 5. n. 153. Egesippus lib. 4. Excidij Ierosolymitani, c. 16. & 18. & recentiores alij innumeri.

Super montem inclytum, & sanctum: Hebræa: *Monti Tsebi sanctitatis*. De voce *Tsebi*, pluribus disseruimus cap. 20. vbi docuimus, tam Hebræos, quàm nostros annotare, T Z E B I, peculiare esse Terræ Iudææ, ac propriè Ierusalem epithetum. Aquila & Theodotion, teste S. Hieronymo, ipsum nomen Hebraïcum sine interpretatione reliquerunt: *In monte Sabin sancto*. Symmachus: *Super montem fortitudinis Sanctum*. LXX apud S. Hieronymum, *Et montem voluntatis Sanctum*. Sanctes: *In monte inclyto sanctitatis*. Forsterus, & Schindlerus; *Ad montem iucunditatis, sanctitatis*. Leo Iudas: *Ad eximiæ sanctitatis montem*. Tremellius & Iunius: *In monte decoris Sancti*: vel *sanctitatis*. Marinus: *Ad montem complacentiæ sanctitatis*. Montanus: *in monte decoro sanctitatis*. LXX. in recentiori Romana Editione: *In monte Sabaim sancto*. Vbi Scholia Græca, teste Nobilio, habent: *In nouam Ierusalem. Hic enim mons propriè gloriæ Dei, & virtutis eius, & voluntatis. Horum enim vnumquodque interpretatur illud Sabi*. In Complutensi verò & Regia: *Super montem Sabi sanctum*. Theodoretus: *Super montem Sabir sanctum. Sabir autem rursus Deo dicatam terram vocat*.

Sanctus Hieronymus secutus ante se Patres, Anselmus Laudunensis, Petrus Comestor, Lyranus, Pintus, Pererius, Acosta, & alij, montem hunc inclytum & sanctum, montem Oliueti interpretantur, his elogiis meritò insignitum, quia ex eo Dominus conscendit in cælum, Actor. 1. vers. 12. Quin ex ipsa Dominica Ascensione magnis eundem montem illustratum fuisse miraculis, ac diuina Christi impressa vestigia in eo relicta fuisse, vt rem nimis peruagatam omittimus pluribus enarrare, ex sancto Paulino, Seuero Sulpitio, sancto Hieronymo, sancto Beda, aliisque recentioribus, plures ea recensuerunt, præsertim Baronius, Annali 1. anno Christi 34. num. 232. & seqq. Lorinus in 1. Actor. Apost. ad vers. 11. Adrichomius in Ierusalem, num. 192. de Oliueti monte Iosephus 20. Antiquitatum, cap. 6. *Eodem tempore quidam ex Ægypto venit Ierosolyma, Vatem se esse profitens, & plebi persuadens, vt secuta se in montem Oliueti ascenderet: qui è regione vrbis ad quintum abest stadium: illic enim visuros suo iussu cadere Ierosolymorum mœnia, ita vt per eorum ruinas aditus in ciuitatem pateat*. Et lib. 6. Belli, cap. 3. *His autem præceptum erat sexto ab Ierosolymis stadio castra ponere, qua in parte mons, qui appellatur Elæon, contra ciuitatem ab Oriente situs est, altáque interiacente valle discernitur, cui nomen est Cedron*. Sanctus Lucas Actor. 1. vers. 12. *Reuersi sunt Ierosolymam à monte, qui vocatur Olineti, qui est iuxta Ierusalem, Sabbati habens iter*. Quantùm autem esset *Sabbati iter*, dicemus lib. 11. cap. 9. Paruo satis interuallo distabat mons Oliuarum ab Ierusalem, quinque nimirùm, aut sex stadiis dumtaxat, media tantùm interiacente Valle Iosaphath, seu Cedron, vt cunctis est peruagatum.

Alij verò montem inclytum & sanctum malunt accipere montem ipsum Sion, vel Moria, vbi Ierusalem & Templum Domini condita erant; ita Lyranus, Vatablus, Pintus, Pererius, Marinus, Sà, Maldonatus, item Becanus in Antichristo Reformato, vitio 2. quam nos interpretationem libentiùs amplectimur. Nam vocem *Tzebi* aptiùs & veriùs in Sion, aut Moria, quàm in Olueti, aut alium extra Ierosolymam montem competere, nemo cum ratione negabit. Deinde quia mons Sanctitatis, aut Sanctus, dici alius in Scriptura non consueuit, nisi Sion, aut Moria, cuius appellationis exempla sunt non pauca, præsertim apud Regium Vatem, Psalm. 2. 6. Psalm. 47. 2. Psal. 77. 54. Psalm. 86. 1. Et iure quidem tam illustribus titulis montes in quibus & ciuitas Ierusalem, & sacrosanctum tunc Templum Dei extructa erant, ornantur: quod ea Deus tunc præ cæteris in terra chariora, & augustiora habuerit: & nomini sancto eius essent consecrata. Constat autem montem Sion fuisse bicipitem: nam vnum ipsius iugum erat Moria in quo propriè situm erat Templum: alterum Sionis nomen retinebat, in quo domus Regia, arx, & ciuitas Dauid extabat.

Iam illud verosimilius existimamus, Antichristum regiam suam, ac præcipuam Imperij sedem in Ierusalem, atque adeò in monte Sion, vbi quondam Dauid, ac Salomon, cæteríque Iudæorum reges, de quorum stirpe se mentietur, collocaturum. Et ratio est perspicua, nam ex mille Prophetarum oraculis sperant Iudæi Messiam suum in monte Sion regno inaugurandum, ibíque Imperij sui solium, ac thronum habiturum, præsertim ex insigni illo vaticinio Psalm. 2. 6. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius*. Quem locum, vt alia eiusmodi, cùm constet, in vero Messia Iesu Christo æterni Patris Filio reuera fuisse completa: verpi perfidi sperant adhuc in Pseudo suo Messia implenda: & cùm ipsi Antichristum pro Messia recepturi sint; haud equidem illum pro rege suo à Deo obuncto & coronato agnoscent, nisi eum in monte Sion, in solio & throno Dauid Patris eius regnantem aspiciant.

Quòd si quis contendat, hîc montem inclytum & sanctum in quo fixurus est Antichristus tabernaculum suum *A P A D N O*, Oliueti montem esse, vti S. Hieronymus secutus antiquos Patres affirmat; haud magnopere repugnabimus: si tamen illud probè teneamus, Antichristum regiam habentem in monte Oliueti, rectè dici, eam Ierosolymis habere, quod Mons Oliueti vicinus sit admodum vrbi Ierusalem, vt paulò anteà dicebamus. Et facilè arbitramur, regnante Ierosolymis Antichristo, improbo Iudæorum labore, & opere, aggeribus complanata valle Cedron, montem Oliueti, ædificiis, ac domibus Vrbi coniungendum, vt lib. 11. cap. 9. pleniùs dicemus.

At hinc iam non leuis exoritur difficultas. Nam si Patres, auctore S. Hieronymo, & multi posteriores, vti prædiximus, *A P A D N O*, vbi fixurus est Antichristus thronum Imperij sui, locum esse iuxta Emmaus, siue Nicopolim, vbi incipiunt iam Iudææ prouinciæ montana consurgere; affirmant: qua ratione consistent verba Danielis: *Figet tabernaculum suum A P A D N O, inter maria, super montem inclytum & sanctum*. Nempe, vt exposuimus, super montem Sion, vel Olueti: cùm vterque iste mons ab

Em

Emmauntę, seu Nicopoli absit spatio stadiorum sexaginta, hoc est, duas Hispanicas leucas.

Equidem si *APADNO* non Nicopolim, sed nomen proprium Regiæ, seu Palatij Antichristi, quod Ierosolymis habebit, vti superiùs vòlebamus, exposuerimus, tollitur omnis dubitatio, constabit enim sic sensus: Constituet palatium suum *APADNO* nuncupatum, super montem Sion, vel Oliueti, nempe Ierosolymis. Nec maior erit difficultas, si cum S. Hieronymo, aliisque recentioribus Interpretibus nomen *APADNO* pro appellatiuo sumentes, reddamus: *Et figet tabernacula soliy sui super montem inclytum & sanctum*: scilicet, vel Sion, vel Oliueti, in quibus explanationibus nulla mentio Emmauntis, aut Nicopolis. Sed Patrum auctoritas de *APADNO* loco prope Nicopolim firma esse debet: nec tamen ita tueri eam debemus, vt dicamus, Antichristi tempore dilatandam vrbem Ierusalem ædificiis, ac domibus versus Nicopolim, vt illam etiam intra se complectatur: sicque regia Antichristi & sedes Imperij, & Ierosolymis, & iuxta Nicopolim constituta dici rectè possit. Suo enim loco lib. 11. c. 6. & 7. ostendemus, sub Antichristo cum Ierusalem ingentibus operum molibus est instauranda à Iudæis; versus Aquilonem & Occidentem neutiquam quidem ædificiis extendendam, vltra priscum situm: nec comprehensuram Nicopolim quæ est ad Occidentem Ierosolymæ.

Quapropter rem probè considerantes, ortam difficultatem variè discuti posse putamus. Primò, Forsan Antichristus duplicem regiam, aut duplex palatium habebit: alterum Ierosolymis in monte Sion, quod erit augustius: alterum veluti domum saltus, laxandi animi gratia, iuxta Nicopolim: túnc que Danielem per asyntheton esse explicandum: *Et figet tabernaculum suum in Apædno*, seu ad Nicopolim inter maria: (&) super montẽ inclytum & sanctum. Quasi dicat: in vtroque loco, & in Sion, & Nicopoli plantabit regiam suam: duo palatia habebit. Nec mirum, facturum Antichristum, quæ Salomonem alióque Principes fecisse constat: qui sibi gemina, imò & plura extruxere palatia.

Secundò, Tametsi ex Scripturis videatur colligi, Ierusalem sub Antichristo non proferendam ad Aquilonem, & Occidentem, vbi est Nicopolis: at forsitan tam immani laxitate extruet sibi Ierosolymis regiam, vt à montibus Sion & Oliueti circumducat per Austrum, vel Aquilonem, ad Occidendem vsque Nicopolim, prodigiosæ longitudinis & amplitudinis domum: vrbémque Ierosolymã immensa illa domo & regia cingat. Nec enim noui aut insoliti prorsus sunt eiusmodi in ædificando furores Principum. Plinius lib. 36. cap. 15. *Bis vidimus Vrbem totam cingi domibus Principum Caij & Neronis: & huius quidem, ne quid deesset, aurea.* At de portentosis Antichristi ædificiis agemus lib. 7. c. 18. Et quanto maior erit Antichristi potentia, quàm Caij, aut Neronis? Hinc verba Danielis haud absurdè ita interpretabimur: *Figet tabernaculum suum in Apadno*: id est, iuxta Nicopolim: *ad montem* (vsque) *inclytum & sanctum*, Oliueti, seu Sion. Nam & Nicopolim, & hunc vtrumque montem regia Antichristi complectetur. Hunc sensum rectè Hebræa admittere, eruditis notum est.

Tertiò, Nec erit alienum, si dicamus, Antichristum regiam suam, seu Palatium Ierosolymis in monte Sion, seu Oliueti plantaturum: at castra Prætoria, seu exercitus suos, vel Prætorianas plurimas cohortes Nicopoli in tentoriis habiturum, seu sub pellibus. Vnde Hebræa rectè redduntur: *Et plantabit tentoria palatij sui*: seu, *Figet tentoria ad Nicopolim*: cùm ipse tamen habitaturus sit in Regia Ierosolymitana, *ad montem inclytum & sanctum*: nimirùm Sion, aut Oliueti. Sic Romani Principes cùm sedem Imperij Romæ haberent, Castra tamen Prætoria extra, sed prope vrbem constituerunt: quæ tamen penitus sustulit Constantinus Magnus, de qua re plura vide apud Onuphrium in Roma. Ceterùm illa nobis semper visa est sincerior, ac germanior expositio: Et figet tabernaculum suum vocatum nomine proprio APADNO, inter maria, super montem inclytum & sanctum Sion, vel Oliueti. Quam superiùs pluribus illustrauimus.

Disquirendum tamen nunc, cur regia, seu palatium Antichristi vocetur à Daniele Tabernaculum, vel Tentorium: id enim propriè significat vox אהל *Ohel*. Num forsan in gratiam Gog & Magog, id est, Scytharum, seu Tartarorum, quos præ cæteris charissimos habebit, quòd erunt maxima pars virium Antichristi: erecturus est sibi palatium instar tentorij amplissimi variis peristromatis instructum? solent enim Tartari Reges eiusmodi vti palatiis ligneis, mobilibus omni magnificentiæ genere exornatis: quale illud fuit Tartarorum Regis, quod describit Ferdinandus Mendez Pintus suæ Peregrinationis cap. 124. Scitum quoque illud est, Abyssinorum Imperatorem in tentoriis regiam habere, & circumferre, tanta amplitudine, vt tentoria ipsa Regis, ac ministrorum, Ecclesiarum, famulantium, comitantium, ingens terræ spatium aliquando ad tres, aut quatuor lucas, ad modum amplissimæ vrbis occupare soleant: vti pluribus describit Franciscus Aluaresius in Historia Æthiopica.

Deinde annotamus *OHEL*, in Scriptura interdum capi pro domo fixa, & lapidea, nedum pro mobili & tumultuario tabernaculo, aut tentorio. Psalmo 131. vers. 3. *Si ascendero in tabernaculum domus meæ.* 4. Regum, 13. vers. 5. *Habitauerunt filij Israël in tabernaculis suis, sicut heri & nudiustertius.* 2. Regum, 20. vers. 1. *Reuertere in tabernacula tua Israël.* Vide Schindlerum in Pentaglotto. Constat enim Dauidem, & Israëlitas in domibus, & in vrbibus munitis habitasse. Haud secus Augustale, seu Regia Antichristi, quæ erit amplissima domus, dicitur hìc Tabernaculum: forsan quod ad similitudinem tabernaculi, splendidissimo aulæorum, peristromatum aureorum erit exornatum. Verùm sublimior se se nobis ratio offert: solet Scriptura Tabernaculi nomine magnificentissimum illud Dei Templum à Salomone constructum appellare: quæcumque enim quantumuis ampla & magnifica domus Deo ædificata, respectu infinitæ Dei maiestatis & magnitudinis, tabernaculum quoddam humile, subitarij, & instabilis opetis censeri potest. De Templo illud omnes accipiunt Psalmo 133. vers. 5. *Donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Et versu 7. *Introibimus in Tabernaculum eius: adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.* Vtroque sanè loco Hebraicè plurali numero habetur, *Tabernacula*: nimirùm propter ingentem magnitudinem & amplitudinem Templi, quod tot in se partes, ac mansiones complecteretur, vti Interpretes annotarunt. Ergo cùm Antichristus se Deum facturus sit, & in Templo Dei sessurus, ostendens se tanquam sit Deus, vt Paulus ait: facile creditu est, illum intra regiam suam Templum Ierosolymitanum, quod instaurabit, inclusurum:

ſurum : vt in illo tanquam Deus habitet : ac propterea regiam Antichriſti vocatam Tabernaculum, ſiue Templum ad indicandum raptam ab eo & ſuffuratam diuinitatem. Atqui vſum etiam Danielem plurali *AHOLIM*, id eſt, Tabernacula, ad exprimendam immanem amplitudinem, & magnificentiam palatij Antichriſti, quod ſimul & regia eius, & templum futurum eſt.

Victorinus in Apocalypſim ſingularem huius Danielis Oraculi lectionem exhibuit : ſic enim habet : *Aſpernationem autem & exacerbationem Daniel ante prædixerat : Et ſtatuet, inquit, templum ſuum ſuper Samariam ſuper montem inclytum & ſanctum :* id eſt, *Ieroſolymis imaginem ſicuti Nabuchodonoſor fecerat, tunc hìc ſubſtituet.* Sed puto deprauatè legi *Samariam*, pro, *duo maria.* Hugo Etherianus de Regreſſu Animarum ab inferis, cap. 23. legit : *Et figat tabernaculum ſuum ante Dominum : inter duo maria, ſuper montem inclytum, & ſanctum.* Suſpicor, *ante Dominum*, illapſum pro, *Apadno.* Vox verò, *duo*, *inter duo maria*, nec in Hebræo, nec in Chaldæo, nec in LXX. nec in Aquila, Symmacho, aut Theodotione, nec in Vulgato eſt : intelligitur tamen à S. Hieronymo, & ab aliis explanatoribns.

Verba autem quæ in vaticinio Danielis ſequuntur : *Et veniet vſque ad ſummitatem eius, & nemo auxiliabitur ei* : ad mortem Antichriſti pertinent: proinde, opportunè elucidabuntur à nobis, libro 13. cap. 6.

Iudæos Antichriſtum pro vero Meſſia ſuſcepturos docent Patres.

CAP. XXXIX.

IVdæi gens perfida, & per vniuerſum orbem palabunda cùm verum Meſſiam Ieſum Chriſtum Dominum Dei Filium repudiauerint, nec ipſum agnoſcere voluerint : recipient tamen Antichriſtum, ipſúmque vt ſuum Meſſiam adorabunt, communi omnium eius nationis conſenſu & applauſu. Patrum Eccleſiaſticorum ea de re perennem traditionem hîc dabimus.

Sanctus Irenæus lib. 5. aduerſus Hæreſes, c. 25. agens de Iudæorum cæcitate, qui verùm Chriſtum admittere noluerunt, ex Domini, & Pauli verbis in hunc modum diſſerit : *Et ideò mittet eis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Et Dominus autem hoc idem non credentibus ſibi dicebat : Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me : cùm autem alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis : alium dicens Antichriſtum, quoniam alienus eſt à Domino. Et ipſe eſt iniquus Iudex, qui à Domino dictus eſt : Quoniam Deum non timebat, neque hominem reuerebatur : ad quem fugit vidua oblita Dei, id eſt, terrena Ieruſalem ad vlciſcendum de inimico : quòd & faciet in tempore regni ſui : transferet regnum in eam : & in templo Dei ſedebit, ſeducens eos, qui adorant eum, quaſi ipſe ſit Chriſtus.*

Sanctus Hippolytus Martyr orat. de conſummat. Mundi : *Antichriſtus populum Hebræorum diſperſum congregabit.* Et poſteà : *Potiſſimum Hebræorum gens, præ omnibus ipſi Tyranno chara erit, dicéntque alius alij : Numquid in generatione noſtra talis, ac tam bonus iuſtus homo inueniri poteſt? Iudæi præcipuè, vt iam dixi, ſperantes ſe ſpectaturos illum Regem tali in Imperio, quem adeuntes, his verbis alloquentur : Omnes tibi obtemperamus, omnes in te fiduciam collocamus, agnoſcimus te iuſtum ſuper omnem terram, omnes tua operâ ſalutem nos conſecuturos ſperamus, & ex ore tuo iuſtum, & incorruptum iudicium accipiemus. Atque initio quidem mendax & iniquus ille ſubdolè gloriam hanc repudiabit : at perſeuerantes homines & obſecrantes, illum declarabunt Regem.* Et poſt pauca : *Deindè ſublatus in regnum ſuum : inde Templum conſtruet Ieroſolymis, quod confeſtim excitatum tradet Iudæis.*

Sanctus Hilarius Canone 15. in Matthæum : *Antichriſtus à Iudæis ſuſceptus, loco ſanctificationis inſiſtet, vt vbi Sanctorum precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis ſit.*

Sanctus Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 15. *Sic cùm verus Chriſtus ſecundò venturus ſit, prætextum capiens ſimplicium expectationem, ille aduerſarius, & maximè eorum qui ſunt ex Circumciſione, inducet quendam magnum hominem* (Antichriſtum) *veneficiis, & incantationibus, & malis artibus inſtructiſſimum : vſurpantem ſibi poteſtatem Romani Imperij, falsò autem Chriſtum ſeipſum vocantem : ac per hanc Chriſti appellationem, Iudæos, qui venturum expectant, decipientem.* Et paucis interiectis : *Magica impoſtura decipiet Iudæos, tanquam is eſſet Chriſtus ab illis expectatus.* Et poſt alia : *Si enim tanquam Chriſtus ad Iudæos veniet, à Iudæis ſanè adorari volet, vt illos maxime decipiat. Studioſiſſimum ſe eſſe oſtendet illius Templi, vt ipſe de progenie Dauid eſſe videatur.* Et Catecheſi 12. ſub initium : *Iudæorum autem liberi venientem reiecerunt : malè autem venturum expectant. Verum Chriſtum negauerunt : falſum autem ipſi errantes ſuſcipient. Qua de re etiam Saluator verè dixit : Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me : ſi autem alius venerit in proprio nomine, illum recipietis.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 47. *Aiunt fore, vt Ieroſolymitanum Templum rurſum extruatur, atque Antichriſtus à Iudæis Chriſtus credatur, in eóque ſedeat.*

Sanctus Ephrem Syrus ſermone de Antichriſto : *Suprà modum autem Iudæorum gentem honorabit Antichriſtus, quòd ij ſcilicet maximè illius expectent aduentum, tanquam ipſius veri Chriſti.* Et paulò inferiùs : *Potiſſimum autem impiorum, ac homicidarum Iudæorum populi ipſum honore afficient, applaudéntque eius regno. Vnde & ipſe tanquam cæteris eos honore præferens, deſignabit ipſis omnibus locum ſuum, ac templum, ſuámque illud inſtaurandi prouidentiam.*

Sanctus Ambroſius in Pſalm. 43. *Dominus ait : In nomine Patris veni, & non me ſuſcepiſtis : ſi alius venerit in nomine ſuo, illum ſuſcipietis : ſignificans, Iudæos in Antichriſtum credituros, qui in Chriſtum credere noluerunt.* Vetuſtus author eiuſdem S. Ambroſij nomine in 2. Theſſalonicenſ. 2. *Vnde in Euangelio ad Iudæos Dominus ait : Ego veni in nomine Patris mei, & non me recepiſtis : ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis. Quamobrem ex Circumciſione, aut circumciſum illum venire ſperandum eſt : vt ſit Iudæis credendi illi fiduciæ.*

Rufinus in expoſitione Symboli Apoſtolorum : *Scire tamen debemus, quòd conabitur inimicus filium perditionis in prodigiis, & ſignis mendacibus præparare, vt pro Chriſto, mundo huic introducat Antichriſtum. De quo & ipſe Dominus in Euangeliis prædixit Iudæis : Quia ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me : alius veniet in nomine ſuo, & ipſum recipietis.*

S. Hieronymus epiſt. 151. ad Algaſiam, quæſt. 11.

Rur

Rursúmque de Antichristo loquitur Dominus ad Iudæos: Ego veni in nomine Patris mei, & non credidistis mihi: alius veniet in nomine suo, illum suscipietis. Et post alia: *Faciet, inquit Apostolus, hæc omnia Antichristus, non sua virtute, sed concessione Dei, propter Iudæos: vt qui noluerunt charitatem recipere veritatis, hoc est, spiritum Dei per Christum: Quia charitas Dei diffusa est in corda credentium: Et ipse dicit; Ego sum veritas. Qui ergo charitatem & veritatem non receperunt, vt Saluatore suscepto, salui fierent, mittet illis Deus non operatorem, sed ipsam operationem, id est, fontem erroris,* (Antichristum) *vt credant mendacio: Quia mendax est ipse, & pater eius. Et si quidem Antichristus de virgine natus esset, & primus venisset in mundum: poterant Iudæi habere excusationem, & dicere, quòd putauerint veritatem: & idcircò mendacium pro veritate susceperint. Nunc autem ideò iudicandi sunt, imò proculdubio condemnandi, quia Christi veritate contempta, posteà mendacium, id est, Antichristum suscepturi sunt.* Et in 11. Daniel. ad vers. 34. *Iudæi Christum falsò putant esse venturum, cùm sint recepturi Antichristum.* Et in Abdiam ad vers. 18. *Cuncta quæ diximus, & quæ dicturi sumus, Iudæi sibi futuro tempore pollicentur, quando pro Christo recipient Antichristum: impleta prophetia Domini Saluatoris: Ego veni in nomine Patris mei, & non suscepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Et in 11. Zachariæ ad vers. 17. *Hunc Pastorem suscipient Iudæi, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & euacuabit illuminatione aduentus sui: vt qui non crediderunt veritati, vt salui fierent: credant mendacio, vt iudicentur, qui consenserunt iniquitati.*

Sanctus Chrysostomus homil. 40. in Ioannem: *Ego enim veni, inquit, in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Sed quémnam non in nomine Patris venturum dixit? Antichristum, & perfidiam eorum sine contradictione demonstrat.* Et paulò pòst: *Verùm ex Antichristo etiam eorum impudentiam coarguit. Cùm enim qui se à Deo missum prædicat, non recipitis: coletis eum, qui se Deum nescire, & se maximum deorum esse gloriabitur.* Eadem habet homil. 4. in 2. Thessal. 2. S. Augustt. tract. 29. in Ioan. *Ait Dominus ad Iudæos: Ego veni in nomine Patris mei, & non suscepistis me: alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis. Significauit eos Antichristum suscepturos, qui gloriam nominis sui quæsiturus est.*

Sanctus Prosper in Dimidio Temporis cap. 9. *In Euangelio testatus est Dominus Iudæis, dicens: Veni ego in nomine Patris mei, & non credidistis mihi: alius veniet in nomine suo, & ipsi credetis. Quos præuaricatores legis Paulus redarguens ostendit Antichristo creditu ros. Pro eo ait, quòd dilectionem veritatis non acceperunt, vt salui fierent: ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

S. Cyrillus Alexandr. lib. 3. in Ioan. c. 6. *Ego enim, ait Dominus, in nomine Patris mei veni,* (*cuncta enim ad gloriam Dei Patris facere vos hortor*) *vos autem me repellitis: accipietis autem,* (*scio enim vt Deus futura*) *eum qui non Deo Patri gloriam referet, sed ad se transferre conabitur, & nomini suo cuncta tribuet. Hinc arbitror beatum quoque Paulum illud de Iudæis, & de iniquitatis Filio dixisse: Quoniam dilectionem veritatis ad salutem suam non receperunt: idcircò mittet eis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Hæc ratio à Saluatore dicta propheticè, tempore suo re ipsa veritatem habebit.*

Theodoretus in 2. Thess. 2. elucidans illud Pauli: *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent: ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, inquit: Charitatem veritatis appellauit Dominum, vt qui nos verè & sincerè dilexerit. Idipsum autem dixit Dominus Iudæis: Ego veni in nomine Patris mei, & non recipitis me: veniet alius in proprio nomine, & illum recipietis. Nullus ergo veniæ prætextus relinquetur Iudæis. Cùm enim Domino credere noluerint, tanquam qui esset Deo contrarius, ei credent. Atqui ipse quidem non se apertè Deum vocabat: sed se à Patre missum esse, & præceptum accepisse, & quæ grata erant Deo, & Patri se facere dicebat. Iste autem* (Antichristus) *contrà se Deum vniuersorum vocabit: sed tamen Iudæi eum exspectant, & ei, quum aduenerit, credent.* Et in Epitome Diuinorum Decretorum, lib. 5. cap. de Antichristo, *Hoc enim etiam Dominus dixit Iudæis: Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: veniet alius in proprio nomine, & illum accipietis. Hoc ipsum dixit etiam diuus Apostolus. Eo quod veritatis dilectionem non susceperunt, vt ipsi seruarentur: & propterea mittet eis Deus operationem erroris, vt ipsi credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed assensi sunt iniustitiæ ad reprobationem. Eorum ergo qui veritatis prædicationi non crediderunt, veniet improbitatis pater & magister. Quia enim Iudæi, pro Deo vtique pugnantes, Dominum tanquam Dei aduersarium cruci affixerunt, maxima impietatis eorum confutatio erit Antichristi præsentia. Dominus enim Christus, cùm esset verus Deus, & veri Dei Filius, se filium hominis, & hominem appellauit, à natura quæ videtur appellationes imponens: rarò autem se ipsum Dei Filium nominauit. Sceleratissimus autem Dæmon* (Antichristus) *Deum maximum seipsum nominabit.*

Victorinus in Apocalypsim: *Hunc Antichristum Deus mittet regem dignum dignis, & Christum qualem meruerunt Iudæi, vt sic eum tanquam Christum excipiant Iudæi. Non enim seducere popolum poterit Circumcisionis, nisi legis vindicator. Denique & Sanctos non ad idola colenda reuocaturus est, sed ad circumcisionem colendam, si quos potuerit seducere. Ita demum faciet, vt Christus ab eis appelletur.*

Sanctus Gregorius Magnus in 1. Regum, 2. *In hominem Iudæi confidunt, qui credere in Redemptorem refugiunt, dum Antichristum in fine mundi præstolantur.* Et inferiùs: *Iudæi ergo per hæc singula verba feriuntur, qui dum Redemptorem contemnunt, Antichristum exspectant, qui Deus non esse liquidò comprobatur.* Et lib. 25. in Iob, cap. 14. enarrans illud Iob, 34. vers. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi.* In hunc modum scribit: *Quid Iudæa propriè mereatur, ostendit. Verùm namque regem super se Iudæa regnare noluit: & idcircò exigentibus meritis hypocritam accepit: sicut ipsa quoque veritas in Euangelio dicit: Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Et sicut Paulus ait: Pro eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent: ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. In eo ergo quod dicitur. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi: potest ipsum omnium hypocritarum caput Antichristus designari.*

Andreas Cæsarienſis Episc. in 20. Apocalypsis: *In Ierusalem ipsum etiam Antichristum in templo sessurum à nonnullis traditur: siue in Iudaico, olim quidem diuino & admodum religioso: postea verò propter audax & nefarium illud Iudæorum contra*

Christum

Chriſtum facinus, ſolo æquato: verùm ab ipſo Antichriſto, ſecundùm Deo rebellium Iudæorum expectationem, tum denuò inſtaurato. Et in cap.12. non ſemel ait Iudæos Antichriſto credituros.

Aretas etiam Cæſarienſis Epiſcopus in 11. Apocalypſis: *In Ieruſalem Antichriſtus, vel vti rex Iudæorum regnabit: quos decipiet, in omnibúſque & miniſtrantes, & obtemperantes habebit. Et Dominus apud Ioannem: Ego veni, inquit, in nomine Patris mei, & non ſuſcepiſtis me: ſi alius venerit in proprio nomine, illum ſuſcipietis.*

S.Beda in Ioannis 5. ad verſ.43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me, id eſt, non credidiſtis in me, qui ideò veniebam in mundum, vt glorificaretur nomen Patris. Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis. Quis eſt, quem accepturi erant Iudæi, niſi Antichriſtus, qui venturus eſt propriam gloriam quærere? Et hoc erit illis pœna peccati, quia noluerunt veritati credere: & credent mendacium.*

S.Ioan. Damaſcenus lib.4. de Fide Orthodoxa, cap. 27. *Ac tum ille* (Antichriſtus) *ad prodendam Iudæorum impietatem veniet. His enim verbis Dominus ad eos vſus eſt: Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me: veniet alius in nomine ſuo, & illum accipietis. Et Apoſtolus: Pro eo quòd amorem veritatis non ſuſceperunt, vt ſalui fierent: propterea mittet ipſis Deus operationem erroris, ad credendum mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed acquieuerunt in iniuſtitia. Ergo Iudæi Dominum Ieſum Chriſtum ac Deum, Deique Filium haudquaquam receperunt, impoſtorem contrà, diuinitatem ſibi arrogantem recipient.*

Theophylactus in 5. Ioannis, ad verſ. 43. *Ego quidem, inquit Dominus, veni in nomine Patris mei: alius autem veniet, Antichriſtus ſcilicet, qui ſe monſtraturus eſt, quòd ipſe ſolus ſit Deus. Igitur me quidem, qui in nomine Patris veni, hoc eſt, dico me miſſum à Patre, non recipitis: illum autem recipietis.* Et in 2.Theſſalonic.2. elucidans verba illa Pauli: *Eo quod Charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, inquit: Innuit autem quòd plurimum ſit roboris habiturus Impoſtor ille* (Antichriſtus) *apud Iudæos: illi enim non receperunt Chriſtum, neque crediderunt ei: id quod Chriſtus eis dicit: Ego veni, inquit, in nomine Patris mei, & non ſuſcepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, iſtum recipietis. Et ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt ipſi credant mendacio. Operationem autem erroris opera Antichriſti vocat. Quomodo igitur credidiſtis Antichriſto, qui ſeipſum Deum facit?*

Oecumenius in 2. Theſſalon. 2. *Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt. Deſignat autem, quòd Antichriſtus apud Iudæos potentiam habebit: nam ij Chriſtum non ſuſceperunt, neque ipſi crediderunt: quod etiam Chriſtus dixit eis: Ego veni in nomine Patris mei, & non excepiſtis me: veniet alius nomine proprio, & ipſum ſuſcipietis.* Et paucis interiectis: *Chriſto quidem non crediderunt Iudæi quòd Deus eſſet: Antichriſto verò tanquam Deo, & credent, & ipſum adorabunt: idque manifeſtè dicenti, Ego ſum Deus.*

Euthymius in 5. Ioannis ad verſ. 43. *Ego veni nomine Patris mei, & non recipitis me: ſi alius venerit nomine proprio, illum recipietis. De Antichriſto hoc dicit, qui veniet nomine proprio, ſiue à ſeipſo tanquam ipſe Deus eſſet, qui ſuper omnes eſt. Taxat ergo impudentiam Iudæorum, quòd eum repellerent, cùm ſe diceret noſſe Deum, & ab eo miſſum eſſe, nec conuinceretur Deo eſſe contrarius: illum verò qui ſe diceret non noſſe Deum, & à ſeipſo venire ſe iactaret ac manifeſtiſſimè dignoſceretur eſſe Deo contrarius, reciperent.*

Rabbanus Opuſculo de Antichriſto: *Nam ſicut ſuprà diximus, Antichriſtus in ciuitate Babyloniæ natus, Ieroſolymam veniens circumcidet ſe, dicens: Ego ſum Chriſtus vobis promiſſus, qui ad ſalutem veſtram veni, vt qui diſperſi eſtis congregem, & defendam. Tunc confluent ad eum omnes Iudæi, exiſtimantes Deum ſuſcipere, ſed ſuſcipient Diabolum.*

Altercatio Synagogæ & Eccleſiæ, c. 14. *Perfid Iudæi in fine ſæculi Antichriſtum eligent: & vitem Chriſtum non recipient, iuxta illud: Ego veni in nomine Patris mei, & non me recepiſtis: alius veniet in nomine ſuo, hunc recipietis.*

S. Anſelmus in Elucidario: *Antichriſtus antiquam Ieruſalem readificabit, in qua ſe quaſi deum coli iubebit. Hunc Iudæi ex toto orbe venientes ſummo voto ſuſcipient.* Eadem quoque docent Haïmo in 11. Apocalypſis, & in 2. Theſſalonic. 2. Strabus in 5. Ioannis, Hugo Etherianus lib.de Regreſſu Animarum ab inferis, cap.23. & vno verbo, omnes antiqui, & recentiores Orthodoxi. Sed vide cumprimis è recentioribus Sanderum lib. 8. de Viſibili Eccleſiæ Monarchia, cap.16. Bellarminum lib.3.de Rom. Pontif. cap. 12. Acoſtam lib.2. de Nouiſſ. Temporibus, cap. 5. Viegam in 13. Apocalypſ. Commentario 2. Sectione 7. Leſſium in Diſp. de Antichriſto, Demonſtr.6. Suarez tom.2. in 3.part. diſp.14. ſect.4. Valentia tom.4. diſp.11. punct.2. §. 2. Florimundus lib.de Antichriſto, cap.16. Equidem quæ hoc opere diximus de Antichriſto, naſcituro ex Iudæis & ex tribu Dan, de regno eius in Ieruſalem: & quæ poſteà ſuis locis dicemus, Antichriſtum obſeruaturum legem & ritus Iudaïcos, inſtauraturum vrbem Ieruſalem, & Templum, & alia id genus, hoc etiam manifeſtè demonſtrant, Antichriſtum à Iudæis pro vero ſuo Meſſia recipiendum.

Chriſtus Dominus & Paulus Apoſtolus affirmant Judæos Antichriſtum ſuſcepturos, eique credituros.

CAP. XL.

CHriſtus Dominus Ioannis 5. verſ. 43. Iudæis apertè dixit: *Ego veni in nomine Patris mei & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Quantumuis cum Lyrano, Ianſenio, Maldonato, Franciſco Luca, Druſio, & aliis dixerimus, hoc Domini vaticinium ex parte cœpiſſe impleri in multis Antichriſti typis & præcurſoribus, nimirum nefariis nebulonibus, qui ſe vel veros Meſſias, vel magnos Prophetas, aut Magiſtros à Deo miſſos, mentiti, miſeris Iudæis impoſuerunt, illiſque deceptis ingentium calamitatum cauſæ extitere: de quibus Lucas Act.5.v.36.& 37.Ioſephus lib.18. Antiquit. cap.1. & 2. lib.20. cap. 6. libro 2. Belli Iudaïci, cap.7.& 12. Euſebius lib.1. hiſt. Eccleſ. cap.5. lib. 4. cap.6. Socrates lib.7. cap. 37. & alij abundè referunt: & nos lib.1.cap.13.14.15.16. abundiùs perſcripſimus: nec defuturi ſint ſecuturis temporibus ad aduentum vſque Antichriſti, plures eiuſmodi pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ qui variis ætatibus perfidos Iudæos auidos falſi Meſſiæ in errorem pertrahant: de quibus quoque Dominum vtcumque intellexiſſe, exiſtimare poſſimus: præcipuéque tamen ac plenè, propriéque

Christi prædictionem in vero Antichristo venturo esse complendam, & Dominum, *per alium in nomine suo venientem*, Antichristum ipsum significasse, tanto consensu Patres, & posteriores affirmant, vt pudor sit non libenter assentiri. Ita enim hunc locum interpretati disertè sunt, S.Irenæus, S.Cyrillus Ieroſolym. S. Ambrosius, Rufinus, S.Hieronymus, S.Chrysostomus, S.Augustinus, S.Prosper, S.Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, S.Gregorius Magnus, Aretas, S. Beda, Theophylactus, Oecumenius, Euthymius, Strabus, quos omnes fusè citauimus superiori capite. Præter hos, eiusdem explanationis auctores sunt etiam S. Hilarius lib. 9. de Trinitate, Theodorus Mopsvvestenus, Apollinarius, Leontius laudati in Græca Catena super Ioannem, apud Maldonatum. Ex recentioribus, Lyranus, Caietanus, Titelmanus, Guillaudus, Toletus, Sà, Maldonatus, Pererius, Franciscus Lucas in cap. 5. Ioannis ad vers. 43. Galatinus lib. 4. Arcanorum Catholicæ veritatis, cap. 21. Pererius lib. 14. in Daniel. Ribera in 7. Apocalyps. num. 11. Feuardentius in Notis ad S. Irenæi lib. 5. cap. 25. Vossius in Notis ad Sermonem S.Ephrem de Antichristo, Bozius de signis Ecclesiæ, lib. 24. cap. 6. Sanderus, Bellarminus, Acosta, Viegas, Lessius, locis ad finem præcedentis capitis citatis: Valentia tom. 4. disp. 10. quæst. 2. punct. 2. §. 1. 2. Estius, Iustinianus, Cornelius à Lapide in 2. Thess. 2 ad vers. 10. & 11. Lorinus in Psalm. 9 ad vers. 21. Franc. Suarez tom. 2. in 3. par. S. Thomæ, disp. 54. sect. 1. §. *Dico tertiò*; elucidans præfata Christi verba, inquit: *Qui locus est probabilis propter auctoritatem Sanctorum: tamen per se sumptus non videtur cogere: quia post Christum plures fuere, qui sua auctoritate se Christos finxerunt, & à Iudæis recepti sunt.* Quasiverò vnanimis, & consentiens Patrum auctoritas non sit certa & constans regula, quonam sensu sumenda sint verba Scripturæ. Non argutiis, aut humana ratione, sed ex interpretatione Patrum accipienda sunt diuina Oracula. Sed verba ipsa Dominica consideremus.

Ait *se venisse in nomine Patris sui*. Hoc est, à Patre missum, Patris gloriam in omnibus quæsiisse: omnia fecisse illius nomine, & auctoritate. Antichristum verò venturum in nomine suo, id est, non missum à Deo, sed se intrusurum, suam dumtaxat auctoritatem & gloriam, non Dei, in omnibus quæsiturum. Vel, in nomine suo, nimirùm, asserentem, se à nullo missum, nec à Deo, sed se esse Deum, quod palàm & apertè Antichristus buccinabit, vti sanctus Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius annotarunt. Adito Interpretes.

Illud verò, *si alius venerit*: non est conditionale, sed absolutum: non quidem eo sensu quo aliqui exponunt, nimirùm, quisquis venerit; sed, *cùm alius venerit*, vt diserte legunt S.Irenæus lib. 5. aduersus Hæreses, cap. 25. S.Cyprianus lib. 2. Testimoniorum aduersus Iudæos, cap. 5. Vel, postquàm alius venerit: aut, certè, reuerà alius veniet. Sic enim Hebraïca phrasi sumi particulam, *si*, vt Hebraïcum אִם *Im*, pro, *cùm, etiam, certè, verè, equidem*, plura passim occurrunt in Scriptura exempla. Psal. 138. 18. *Si occideris Deus peccatores, viri sanguinem declinate à me*: id est, cùm occideris, vel certè occides. Psalm. 62. 7. *Si memor fui super stratum meum*: id est, verè, certè, profectò memor fui. Prouerbiorum 5. 14. *Si illusoribus illudet*. Certè illusoribus illudet. Isaïæ 4. 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion*: hoc est, Quum abluerit, vel, postquàm abluerit. Ioan. 12. 31. *Et ego si exaltatus fuero à terra*: id est, Quum exaltatus fuero. Et alia interdum occurrunt eiusmodi, quæ annotata habes à Forsterò, Mercero, Marino Schindlero in Hebraicis Lexicis, Forerio in Isaïæ 4. vers. 4. Sà in Phrasibus Scripturæ, & alij. Scitè annotauit Chrysostomus: *Christus autem non dixit venturum, sed si venerit: vt minùs auditores offenderet. Nam propterea quod nondum ad summam illi peruenerant perfidiam, Antichristi aduentum tacuit.* Franciscus Lucas existimauit vsum Dominum conditionali *si*, vt Iudæorum ad perfidiam pronitatem notaret. At hìc lectionem absolutam, *Alius veniet in nomine suo*. Sequuntur S. Hieronymus, Rufinus, S. Augustinus, S. Cyrillus, sanctus Prosper, Theodoretus, sanctus Damascenus, Theophylactus, Oecumenius, Euthymius.

Paulus etiam de Antichristo vaticinans 2. Thess. 2. vers. 9. ait: *Cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus*, 10. *& in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt: eo quod charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent. Ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio:* 11. *vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Genuinum sensum Apostoli hunc esse: Iudæos, eo quòd veritatem ipsam nempe Christum Saluatorem nostrum non receperunt, neque ei credere voluerunt, in pœnam tam obstinatæ perfidiæ, credituros in fine sæculi Antichristo, eumque pro vero Messia suscepturos, Patres, ac Recentiores mirifico consensu affirmant, S. Irenæus, S. Hieronymus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Prosper, S Greg. Magnus, S. Damascenus, quorum sententias superiori capite expressè descripsimus. S. August. in Psalm. 105. ad finem, S. Chrysost, auctor nomine S. Ambrosij, Theodoretus, Theophylact. Oecumenius, S. Beda, Anselmus Laudunensis, S. Anselm, S. Thomas, Lyranus, Erasmus, Caietanus, Guillaudus, Treius, Titelmanus, Estius, Iustinianus Cornelius à Lapide, omnes in hunc Pauli locum; Sanderus, Bellarminus, Acosta, Viegas, Lessius, Suarez, Valentia, locis ad finem præcedentis capitis notatis. Sed verba Pauli quæ ad institutum faciunt, inspiciamus. *Et in omni seductione iniquitatis.* S. Irenæus, *In omni seductione malitiæ.* Tertullianus de Resurrect. Carnis, c. 24. & lib. 5. aduersus Marcionem, cap. 16. *In omni seductione iniustitiæ.* Ambrosiaster, *In omni fallacia iniquitatis.* Græca reddunt ab Erasmo, Sancte, Vatablo, Montano, *In omni deceptione iniustitiæ.* Vatablus, & Sà putant esse Hebraismum, Deceptione iniustitiæ, vel iniquitatis, pro, iniqua, & iniusta deceptione. S. Chrysost. & Recentiores Caietanus, Titelmanus, Estius, Iustinianus, Cornel. à Lapide, exponunt, cum omni seductione iniustitiæ, id est, inducente ad iniustitiam & impietatem: quasi dicat, seducet & decipiet Antichristus homines ad sectandam, vel vt sectentur, omnem iniustitiam & iniquitatem. Theophylact. hunc sensum concipit, *In omni seductione iniquitatis*, id est, seducet mortales vt omnem iniuriam & iniustitiam illis inferat, vt pessimè eos habeat, ac tyrannidem in eos exerceat.

Eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. S. Hieron. q. 11. ad Algasiam: *Charitatem veritatis*, interpretatur Spiritum sanctum, qui dicitur Spiritus veritatis, id est, Filij, à quo procedit, quia per Christum Spiritus sanctus datus est nobis. Sanctus Thomas exponit, *Charitatem veritatis*, Charitatem Fidei, vel cum Fide, seu Fidem per dilectionem operantem. S. Chrysost. Theodoretus, Theophylact. Oecumenius, *Charitatem veritatis*, Christum intelligunt, vt qui nos verè & sincerè dilexerit, & charitatem, ac veritatem docturus in mundum aduenerit.

rit. Alij *Charitatem veritatis*, volunt eſſe charitatem veram & ſinceram, Hebraica phraſi. Ita S. Anſelmus, Eraſmus, Caietanus, Sa. Sed ille proculdubio ſenſus germanior & ſimplicior eſt, *Charitatem veritatis*, hoc eſt dilectionem veritatis, amorem veri: quaſi dicat, quia veritatem quam amore & diligere debuerant, non receperunt, nullus in eis amor veritatis, non eis cordi veritas fuit. Ita Eraſmus, Vatablus, Clarius, Guillaudus, Eſtius, Cornel. à Lapide.

S. Irenæus lib. 5. c. 25. Tertull. lib. 5. contra Marcionem, c. 16. S. Auguſtinus in Pſalm. 105. Ambroſiaſter, legunt, *Pro eo quòd*, vel *Propterea quòd dilectionem veritatis non receperunt*. S. Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. ad Cornel. & lib. de Lapſis legit: *Dilectum veritatis non habuerunt*. Dilectum, pro dilectione. Græca hîc ferè ab omnibus redduntur, *Dilectionem veritatis*, vt etiam Interpretes Origenis lib. 6. contra Celſum, & Oecumenij habent. *Ideò mittet illis Deus operationem erroris*. S. Hieronymus: *Mittet illis Deus non operatorem, ſed ipſam operationem, id eſt, fontem erroris*. Græcè ἐνέργειαν πλάνης. Tertullianus reddidit, *Inſtitutum fallacia*. S. Cyrillus catecheſi 15. *Vim erroris*. Syrus Interpres: *Efficaciam ſeductionis*, ſeu *impoſturæ*. Ferè reddunt, energiam, efficaciam, vim intus operantem, illuſionis, ſeu ſeductionis. Oecumenius: *Efficaciam verò dicit illuſionis, hoc eſt, illuſionem efficacem, & ſeducere potentem*. Vatablus, *efficaciam illuſionis, vel efficacem errorem, id eſt, euidentiſſimum, & adigentem illos. Energiam planis*, poſſis exponere, *Efficaciam impoſturæ*, ſeu *præſtigiarum*. Plani dicuntur Græcis & Latinis, homines errones, vagabundi, circumforanei, circulatores, verſuti impoſtores, nebulones, agyrtæ, ſycophantæ, ſeductores, præſtigiatores. Vnde Euſtathius in Homeri Odyſſæam: *Planus eſt, qui artem quandam profitetur imponendi, etiam ſpectantibus*. Græci vocant Thaumatapœos, id eſt, miraculorum effectores, de quibus Vide Cæſarem Bulengerum lib. 1. de Theatro, c. 30. Iudæi ſcelerati Chriſtum Dominum planum auſi ſunt appellare, Matthæi 27. 63. *Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens*. Græcè, *Domine meminimus, quia planus ille dixit adhuc viuens*. Planus, id eſt, ſeductor, & impoſtor, quaſi præſtigias quaſdam pro miraculis ederet, & ſtrophis populum deluderet. Sed inſpice mirabile Dei iudicium, Chriſtum impij Iudæi tanquam planum quemdam reiecerunt: ideò immittet illis Deus verum ipſum planum Antichriſtum, ſummum impoſtorem, & præſtigiarum, ac falſorum miraculorum Architectum.

S. Hieronym. in 19. Iſaiæ, ad verſ. 14. inquit: *Quod in epiſt. ad Theſſal. de Antichriſto legimus: Mittet eis Deus operationem erroris, vt credant mendacio; puto Apoſtolum Paulum de præſenti Iſaiæ lectione ſumpſiſſe, in qua dicit: Dominus miſcuit eis ſpiritum erroris*, Cuius etiam coniecturam probarunt Guillaudus in 2. Theſſ. 2. Pamelius in Notis ad lib. 5. Tertull. contra Marcionem, num. 254. In Iſaïa Noſter habet: *Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis: & errare fecerunt Ægyptum*. Hebræa: *Dominus miſcuit (infudit) in medio eius (in interiori, intimo eius) ſpiritum (impulſum, afflatum, energiam, efficaciam)* iſtud enim RVACH interdum quoque ſignificat: *Incuruationum, (diſtorſionum,) peruerſitatum, vertiginum, diuaricationum*. LXX. *Seductionis*, vel *erroris*. Noſter, *Vertiginis*. Eſt vertigo morbus, quo qui affecti ſunt, omnia ſibi videntur circumagi, & circumrotari: tandémque corruunt in terram. Id graphicè quadrat in Iudæos deceptos ab Antichriſto, in quos mittet, vel infundet Deus *energiam planis*, efficacitatem erroris, & illuſionis, ſpiritum, afflatum, inſtinctum vertiginis, quos Antichriſtus *Lleuarà al retortero*: Et circumactos, & circumrotatos in barathrum errorum præcipitabit.

Sed cùm Paulus ait: *Mittet illis Deus efficacitatem erroris*: caue intelligas, Deum efficientem & Phyſicam cauſam erroris futurum: ſed permittentem tantùm, vt Theologi loquuntur: quaſi dicat, Sinet, permittet eos efficaciſſimo & euidentiſſimo errore conuinci, integra ſemper illis ſeruata libertate arbitrij. S. Cyrillus catecheſi 15. *Certè, niſi Deus vellet, non permitteret: certificat te Apoſtolus, dicens: Propterea Deus mittet ipſis vim erroris. Mittet autem dicit, pro, permittet fieri*. Theodoretus: *Illud autem, Mittet illis Deus operationem erroris, poſuit pro eo quod eſt, concedet, vt error appareat. Ipſe enim eam non mittet*. Theophylactus: *Mittet, id eſt, Sinet ipſum venire*. Oecumenius: *Quod ait: Mittet, non ita accipias, quaſi Deus mitteret, ſed permiſſionem quæ eſt à Deo, ſolet ita vocare Paulus*. Vide S. Auguſtinum de Ciuitate Dei lib. 20. cap. 19. de iſta permiſſione egregiè diſſerentem.

Sic igitur Chriſtus & Paulus apertè profeſſi ſunt, Iudæos Antichriſtum ſuſcepturos. Accedit perſpicua quoque ratio: nam Iudæi incredibili deſiderio expectant adhuc Meſſiam: illum ergo in quo maiora ſigna Meſſiæ videbunt, proculdubio excipient: eiuſmodi erit Antichriſtus, qui omnia ferè, quæ Iudæi à ſuo Meſſia expectant, in eorum gratiam ſiue verè, ſiue fictè & mendaciter abundè præſtabit: vti toto hoc opere ex profeſſo docemus: qualia ſunt, Reductio Iudaïcæ gentis in Terram Iudææ, Inſtauratio Vrbis, & Templi Ieroſolymitani, Victimarum apparatus, & tota legalium rituum obſeruatio, Imperium nationum, ſumma rerum terrenarum opulentia, felicitas, voluptas: quæ ſanè hîc in terris nec Gentiles, nec Chriſtiani, nec Mahometani, nec Hæretici ſperant: ſed ſoli Iudæi.

Denique inuicta perſtat ratio Chriſti & Pauli: Quòd diuina exigente iuſtitia, quia Iudæi Chriſtum recipere noluerunt: recipiant Antichriſtum quo eorum improbitas & impietas penitùs conuincantur.

Finis Tomi Primi de Antichriſto.

INDEX RERVM SELECTIORVM *TOMI PRIMI* DE ANTICHRISTO.

A.

ABAGI Iberis proximi ad Fidem Christi dudum conuersi. 213
Abassini à Salomone Iudæorum rege originem suam repetunt. 547
Abdiæ vaticinium de nouo orbe exponitur. 276
Abrahæ ortus expenditur. 87
Abyssini Æthiopes ab Eunucho Candaces reginæ à sancto Philippo baptizato Fidem receperunt. 320
Acus nauticæ vtilitas. 305
Adalbertus Pragensis Episcopus & Martyr Hungaros ad Christi Fidem conuertit. 211
Adamatici viri ex incubitu dæmonum geniti. 132
Adrianus Imperator diuinationis & magicarum artium curiosus inuestigator. 192
Æchmalotarchæ Iudæorum in Babylonia præfecti, quorum successionem ex Tribu Iuda & stirpe Dauidica etiamnum seruant. 162
Ægypti Imperium in plures Præsides sapienti Alexandri Macedonis consilio distributum. 511
Vltra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filij dispersorum meorum deferent munus mihi, Sophoniæ. 3. 10. locus exponitur. 257
Æthiopia in Scriptura *Chus* dicta. 505
Æthiopia Africana vltra Ægyptum versus Meridiem tam exteriorem quàm interiorem, interdum India ab Auctoribus appellatur. 509
Æthiopiæ aromata, & lapides pretiosi. 549
Africa dudum Christiana religione imbuta. 228 229
Agathocles Siciliæ tyrannus ex obscuro loco natus. 479
Eius educatio. ibid.
Alaricus quantam Romæ cladem intulerit, vt non amplius Roma, sed Ῥώμη dici potuerit. 358
Eius reuerentia erga vasa Apostolorum Basilicæ inseruientia. 359
Alabandenses in honorem Vrbis Romæ templum, & anniuersarios ludos instituunt. 384
Alexander Magnus ex Olympiade & dracone genitus, vel potius ex Nectanabo mago se in Iouis Ammonis effigiem transformante. 136
Alexandri Magni triumphus in Babylonem. 175
Illic obiit veneno sublatus. 176
Alexandri natale eodem ipso die fuit quo Ephesiæ Dianæ templum conflagrauit. 188
Alexander Seuerus Aruspicinæ peritissimus. 192
Almughim & *Algumim* Hebraïcarum vocum varij significatus. 291. 292
Am, ciuitas Armeniæ in qua mille Ecclesiæ. 216
Andreæ Osiandri Lutherani ridiculum de Iudicio extremo vaticinium. 119
S. Andreæ assignatæ ad prædicationem prouinciæ. 235
Angelorum incarnatio quam astruit Origenes, ridicula est. 129
Angelus custos singulis hominibus à primo suæ natiuitatis momento à Deo concessus. 188
Etiam Antichristo assignabitur. 189
Angeli veloces apud Isaïam sunt verbi Dei præcones. 255
Anglia à Iosepho ab Arimathia prædicationis lumen accepit. 208
Deinde à sancto Augustino & eius sociis. 209
Anguli nomine proceres & optimates intelliguntur, quod apud Heluetios vsitatum. 139
Annorum ab orbe condito ad Christum diuersæ rationes ex Hebræis & Arabibus. 64
Variè annotantur à Græcis & Latinis Patribus. 65. & seqq.
Anni ab Adam ad Diluuium in Hebraïca veritate & Editione Latina enumerantur. 70
A diluuio ad Abraham iuxta LXX. exemplaria. 72
Iuxta Hebraïcam veritatem & vulgatam Editionem. 73
Huic standum est potiùs quàm LXX. Editioni. 80. & seqq.
Anni Caïnan secundi. 83. & seqq.
Anni Abrahæ ortus. 87
Anni quibus in Ægypto manserunt Israëlitæ. ibid.
Interuallum ab Exodo ad fabricam templi Salomonici expenditur. 91
A Templi conditu ad eius euersionem, & Sedeciæ casum. 92
Anni desolationis Templi & vrbis Ierusalem explicantur. 93
Anni septuaginta Hebdomadum Danielis à quo tempore inchoandi. 95
An solares fuerint, an lunares. 97
Vbi terminandi. 99
Annorum à mundi conditu ad Christum summæ Recentiorum variæ. 100
An eorum Annorum numerus certò sciri possit. 101
Annus magnus siue mundanus qui dicatur. 107
Anthropophagi Drogij regionis versus Meridiem incolæ. 275
Ἀντὶ præpositionis Græcæ variæ notiones explicantur. 11. 12
Antichristi de aduentu Patrum sententiæ referuntur, vbi & Argumentum ex diuo Paulo, 2. Thess.

Index rerum selectiorum.

2. Thessal. 2. pag. 1
Eius nomen Græcum vnde deriuatum. 10
Antichristus vox est propriè contrarium & aduersarium Christi sonans. 12
Omnibus iis comperit, qui Christum oppugnant, sed præcipuè illi venturo vltimis temporibus. 13
Antichristi Hebraïcum nomen exponitur. 14
Antichristum probatur futurum singularem hominem, non successionem regni, aut Principum Christo aduersantium. 17
Antichristi præcursores quidam enumerantur. 18. & seqq.
Antichristi de aduentu etiam Apostolorum tempore trepidatum. 113
Item persecutionum temporibus. 115. & seqq. Vide *Persecutio.*
Antichristi de aduentu ineptæ quorumdam sententiæ. 118. 119
Antichristus non venturus est nisi prope finem sæculi. 121
Patrum sententiæ referuntur. ibid.
Tempus illud hominibus prorsus ignotum. 122. 123
Antichristus quòd non sit futurus verus homo, sed Diabolus in carne humana. 128
Item quòd verus homo, sed etiam verus Diabolus vnione hypostatica. ibid.
Conciliantur Patres, & probatur futurum verum hominem, non ex virgine matre conceptum, sed ex virili semine more communi, ex muliere fornicaria. 130
Non ex Monacho & Moniali vt vulgò putatur. 131
Qui censeant ex incubo generandum. ibid.
Id non impossibile. 132
Ex Iudæis ex tribu Dan oriturus. 138. 140. & seqq.
Id rationibus probatur. 147. 148. 156. 157
Antichristus vnde omnem suum militarem apparatum desumpturus sit. 154
In Babylone nascetur. 162
Quibus coniecturis id colligitur. 163
Non in Babylone-Roma. 173. 175
Antichristi pueritia & educatio. 186. 187
An sit habiturus custodem Angelum. 188
Quo in loco educandus. 190
Credibile quòd in Babylone. 191
Quibus artibus & disciplinis erudietur, & quam vitæ rationem tenebit in adolescentia. 192. 193
Antichristum non nisi euerso Imperio Romano venturum, veterum & recentiorum Patrum consensus. 393. & seqq.
Elucidatur Pauli locus, 2. Thess. 2. v. 6. *Et nunquid detineat scitis, vt reueletur suo tempore, &c.* 398. vsque ad 408
Decem reges in fine sæculi debellabit & tribus deletis, reliquos suo subiugabit imperio. ibid. & 409. & seqq.
Antichristus est Bestia prima ascendens de mari, 423. & seqq.
Antichristus apostasiæ appellatione venit. 449. 540
Antichristus non venturus ex Italia, nec inde regnum suum auspicabitur. Vbi & Numerorum 24. vers. 24. Locus illustris explicatur. 453
Antichristus in Babylone Chaldaïca regnum suum inchoabit. 470
Primordia manifestationis regni illius. 477. 478
De primordiis Antichristi Apocalypsis oraculum explicatur. 488. 489
De eius præliis & quos reges initio regni sui debellaturus sit. 497. 501
Antichristus post occupatas Ægyptum, Libyam & Æthiopiam, earúmque reges deletos quid facturus. 512. 513. 515
Antichristus potentissimus rex & Monarcha futurus. 587
Antichristus monarchiæ suæ sedem in Ierusalem collocabit. 592
Antichristus à Iudæis pro vero Messia suscipiendus ex Patribus probatur. 599. 600
Et figet Tabernaculum Apadno inter maria super montem inclytum, &c. Locus Danielis 11. v. 45. elucidatur. 593. & seqq.
Antiochus Epiphanes, ob immania scelera Epimanes dictus, Antichristi præcursor. 18. 19
Antipodes veteribus & grauissimis authoribus fictitij putantur. 263
Quidam etiam ex iis eos esse affirmarunt. 264
Virgilij & Bonifacij Episcoporum D. Antipodibus contentio. 265
Antonij Magni visio lamentabilis de malis ingentibus, quæ in Ecclesiam inuectura esset hæresis Ariana. 43
Antoninus Caracalla magicarum artium studiosus. 192
Apadno vox miræ obscuritatis, cum hoc Danielis loco, *Et figet Tabernaculum suum in Apadno, &c.* explicatur. 594. & seqq.
An illic Imperij sui thronum fixurus sit Antichristus. 597
Apis Mempheos conditor. 174
Apollonius Tyanæus insignis magus & falsis miraculis commendatus. 34. 35
Matris eum in vtero gestantis somnium. 36
Eius monumentum ab Antonino Caracalla extructum. ibid.
Quantum Christianæ Religioni damnum intulerit. 37
Apostasiæ nomine Antichristus designatur. 449
Apostolorum tempore de fine mundi, & instante Antichristo formidatum. 113
Apostoli pedes Domini dicti per totum orbem ad Euangelij prædicationem incedentes. 204
Apostoli & Apostolici discipuli in Hispaniam ad Euangelium missi. 203. 208
Apostolis assignatæ ad prædicationem Euangelij prouinciæ. 235
Apostoli Ecclesiæ fundamentales lapides, cælíque spiritales & animati. 313
Apostolorum prædicatio in omni terra Cælorum sono exprimitur. 316. 317
Non per totum orbem ipsi, sed eorum successores prædicarunt. 318
Arbores innumeræ & mirabilis magnitudinis, & amplitudinis in India. 249
Arca Noë vbi reposita. 216
Arcadij & Honorij tempore Antichristus futurus suspicabatur. 116
Ariani quo nitebantur Scripturæ loco vt Filij consubstantialem cum Patre diuinitatem negarent. 123
Aristomenes Messenius Genij cuiusdam sub draconis forma, & Nicotileæ filius. 135
Eius cor pilis refertum inuentum. ibid.
Arius Hæresiarcha, Diaconus Alexandrinus, à quo impietatis suæ initia sumpsit. 42

Index rerum selectiorum.

Eius schisma diuina reuelatione Petro Martyri prænunciatum. ibid.
Ambitio casus ipsius causa. ibid.
Eius statura, & lenocinia. ibid.
Meretriculas laudum suarum præcones sibi adsciscit. ibid.
Eius Hæresis ab Erythræa Sibylla prænunciata. ibid.
Antonio Magno in visione reuelata. 43
Item eius scripta impuritatem hominis redolentia. ibid.
Denique insignis Antichristi deambulo. 44
Armeniæ ad fidem conuersio. 212
Armeniorum Christianismi ritus. 216
Arnoldi de Villa-noua de Antichristi aduentu assertio damnatur tanquam hæretica. 118
Arsaces Parthici Imperij conditor vir incertæ originis, inter latroneseducatus. 480
Artaxerxes obscuro & inglorio genere natus. 481
Asinorum quorumdam pretium immane. 347
Atlantis insula vltra columnas Herculis à Platone cognita. 272
Auaa regnum gemmis & elephantis feraciſſimum. 303
Auctores Græci qui de Antichristo scripsere. p.2. Latini. pag.4.5. Recentiores. pag.7.
Domine audiui Auditum *tuum, & timui, consideraui, &c.* explicatur ex LXX. interpretatione. 110. 111
Augustinus Vveber impostor insignis. 33
Augustus Cæsar Acciæ & Apollonis filius habitus est. 138
Aurelij Imperatoris persecutio metum de aduentu Antichristi intulit. 115
Aurum Peruaim quid sit. 305.306
Auxumitæ Æthiopes Iustiniano imperante Christi Fidem amplectuntur. 214
Azumitæ siue Axumitæ Æthiopes sunt Iudaïcam religionem sectantes. 510
Azarias filius Sadoc Reginæ Æthiopum filium nomine Meilech comitatur in Æthiopiam, & ante Arcam fœderis sacrificia instituit. 546

B

Babylon impiorum regnum, ciuitatem Diaboli adumbrat. In ea nascetur Antichristus. 163
Babylones tres, Chaldaïca, ex qua Antichristus, quæ & Assyriaca cuius amplitudo, ornatus, & templum Iouis Bele describitur. 165
A Semiramide condita. 166.167
Vel, vt plerique, a Belo. 169
Eius fertilitas. 170
Babylon alia Ægyptia Cayro vrbi contigua. 171
Tertia Roma, sed figuratè sic dicta. 173.174
Babylonis Chaldaïcæ varij casus, & status ab eius conditu ad nostram vsque ætatem. 175. & sequentibus.
Babylon qualis extiterit sub Augusto, & Tiberio Cæsaribus. 177
Sub Caligula. ibid.
Sub Claudio. 178
Sub Tito Imperatore Traiano, Hadriano. M. Aurelio & Vero. ibid.
Sub Seuero. ibid.
Sub Alexandro Mammeæ, sub Decio, Iuliano Apostata, tempore S. Hieronymi. 179
Hodie à serpentibus inaccessibilis. ibid.
Babylonis status ætate nostra. 182
De sempiterna Babylonis Chaldaïcæ vastitate explicantur Isaiæ, & Ieremiæ vaticinia. 183. ad 186
De Babylone mystica Ioannis Apostoli vaticinia. 327
Quinam Babylonem Apocalypticam interpretentur cœtum impiorum, seu ciuitatem Diaboli. 328.329
Non respuendam hanc interpretationem multis ostenditur. 330. & seqq.
Qui existimarint Babylonem esse vrbem Romam. 333
Babylon Chaldaïca regni Antichristi initium futura. 479
De *Bagdad* seu Baldach vrbe quid referat Beniamin Tudelensis. 179. 180
An fuerit vetus Babylon. 181
Balaami vaticinium *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël & pertuciet duces Moab vastabitque omnes filios Seth*, explicatur. 139 140
Balaami vaticinij Num. 24. v. 24. variæ expositiones. 463. & seqq.
Balnearium Poppeæ ex lacte asinino confertum. 347
Balsami hortus inter Heliopolim & Babyloniam. 171
Modus illud colligendi. 172
Barchozbæ se Messiam venditantis impostura. 28
Exercitus, & internecio. 29
Quid de eo senserint Christiani Patres. 30
Bartholomæi Ianoueſij de Antichristi aduentu opinio. 119
Basilio & Constantino Imperat. de Antichristi aduentu timor iniectus. 117
Basilij Macedonis Imperatoris obscurum genus. 481
Belial vox propriè Antichristo competens. 14
Huius varij significatus. ibid. & 15.16
Belluarum marinarum prodigiosa magnitudo & forma. 491. & seqq. Vide *Bestia*.
Belulgial vox Presbytero Ioanni accommodata. 233
Beli templum in Babylone magnificum. 166
Bengalæ regni fœcunditas. 303
Bengala Indiæ vrbs in qua plurimi reperti sunt Christiani. 221
Beniamin Tudelensis Hebræus quid de successione Principum Tribus Iuda & stirpis Dauidicæ in Babylonia referat, ex qua suum Messiam expectat. 159. & seqq.
Berengario Cacodæmon visus adesse. 61
S. Bernardus æuo suo Antichristum imminentem suspicatus. 117
Beru vox nautica Peruanis nautis familiaris. 305
Bestia coccinea regnum Diaboli cui Roma præsidet. 339
Bestia prima ascendens de mari Apocal. 13. ad Antichristum refertur. 423. & seqq.
Id confirmatur & ostenditur an hæc Bestia ad Romanum Imperium referenda. 429. & seqq.
Bestia coccinea super quam sedet mulier Apocalyptica explicatur. 433. & pag. 438.439
Eius decem cornua sunt decem reges, qui Rom. Imperium oppugnarunt. 441
Bestiæ nominis acceptiones plurimæ apud Latinos. 488
Bestia Antichristus dicitur ob sæuitiam & truculentiam. 489
Bestia de mari ascendens variè interpretatum. ibid. & 494.

Index rerum selectiorum.

De *Bethzaida* quid tradant Patres, an futura sit locus educationis Antichristi. 190
Bituricensis cuiusdam præstigiatoris stupendum exemplar. 31
Blemyi Africæ populi Christianæ Fidei sectatores à Iustiniano I. Imperatore. 229
Bombycum origo Constantinopoli. 242
Bosphorus pro freto Herculeo & Gaditano vsurpatur. 277
Brachia pugnantis expugnabuntur à facie eius. Scripturæ locus explicatur. 487
S. Birgittæ reuelatio de generatione Antichristi. 133
Britannia, vide *Anglia.*
Bulgari quo tempore ad Fidem conuersi. 211
Burgundiones quo tempore facti Christiani. 210
Buxulæ, seu acus nauticæ vsus. 305
Byssus vnde oriatur. 341

C

Cælorum structura etiam magis barbaros ad eorum fabricatoris cultum & venerationem accendit. 313
Cælorum soni concentus & harmonia explicantur. 314.315.316.317
Cæsareæ nomen Malaca vrbi in Cappadocia inditum. 516.517
Cainan secundi de generatione difficultas inter Chronologos. 83.84
Soluitur. 85.86
Calechuc magnificentia & diuitiæ. 290
Caligulæ inauditum erga equos studium. 347
Candaces Æthiopum regina à quo filium Meilechum suscepisse fertur. 546
Caliphatus Bagded quando incœpit & quandiu steterit. 179.180
Cappadocia in duas Satrapias distributa. 520
Hieron. *Cardanus* quid de Antichristi aduentu suspicetur. 119
Carioth vrbs in extremis partibus tribus Iuda ex qua oriundus proditor Iudas. 146
Carocoton idolon quod cum mulieribus conuesci, & congredi ex quibus & filios duabus coronis insignitos generare solebat. 132
Carthago an eadem quæ Tharsis. 553
Cassar prouincia Cham Tartarorum tributaria Christianos Nestorianos recipit. 205
Cathay regni populi Christum agnoscunt. 219
Cayrus ciuitas amplissima in Ægypto, Babyloniæ proxima. 172
Cerastis serpentis natura explicatur. 144
Cercopitheci caudatæ simiæ ex India. 296
Cimgis Tartarorum Imperatorum appellatio. 227
Charcham prouincia nepoti Magni Cham Tartarorum subdita. 216
Chen Hebraïcè basim, sedem, thronum sonat. 485
Chersonesus aurea quam Malacham accolæ vocitant fœcundissima & nobilissima. 302
Chiapa prouinciæ Indicæ primates mysterium Trinitatis antiqua maiorum traditione venerantur. 307
Chithim, aut *Chithiim* in sacris Litteris quid sonent? 457. & seqq.
Chosroës Persarum regis immanitas. 536
Christiani per totum orbem sparsi, lib. 4. cap. 6. 7. ad finem vsque.
Christophori Columbi nauigandi peritia, cui & noui orbis occidui apertiò debetur fusè à variis authoribus laudatur & præcipuè à Ioanne Mariana. 268.269
Christus & Christiani per *e* apud quos scriptum reperiatur. 11
Christus à chrismate, siue vnctione sic dictus. 10
Nomen est potestatis & regni. 11
Christi appellatio aliquando generalis est in Scriptura. 12
Christus quomodo dicatur nescire diem Iudicij.. 124. & seqq.
Christi pedum appellatione Apostoli intelliguntur. 204
Chus in Scriptura quid sonet? 505. & seqq.
Cobila Cham Tartarorum Christianus fuit & 42. annis regnauit. 218
Coccus vbi nascitur & vnde? 344
Columna in Ecclesia Cæsaraugustana vulgò dicta sanctæ Mariæ *de Pilar* aduentum S. Iacobi in Hispaniam probat. 203
Constantis Monotelitæ tempore Antichristi venturi rumor. 117
Consummationis mundi signum est prædicatio Euangelica per vniuersum orbem. 320. 321. Vide *Euangelium.*
Corallij tres species album, rubeum, & nigrum. 292
Corozaim vbi sita & an in ea educari debeat Antichristus. 190.191
Cornu aliud paruulum ortum de medio eorum, &c. Locus Danielis 7. 8. & 24. exponitur. 482
Coruus sitis symbolum, & solitudinis amicus. 456
Cozumelæ seu Acusamil prope Chersonesum incolæ Crucem adorant. 307
Cranganoris vrbis in Indiæ Christiani ritus. 222
Cratisthenis Phliasij præstigiæ. 30
Crucium concussio in publicis supplicationibus Phocæ tempore quid portendebat. 117
Crux mirabilis in sepulcro S. Thomæ Apostoli inuenta sanguineas guttas exudans. 225
Crux ab Indis publicè adorata cui & diuinitatem tribuunt. 307
Curficar pannus quidam qui in igne dealbatur. 216

D

Dæmon an vitile semen in matricem infundere possit, ex quo generetur homo. 132
Inde nasciturum Antichristum à ratione non alienum. 133
Dagon Deus frumenti quasi Deus frumentarius. 569
Quidam eum Cererem, alij Venerem, crediderunt. 570
Truncus capite & manibus. ibid.
Dambrouuita cum rege coniuge Boleslao sacris Baptismatis fontibus abluitur. 211
Ex Dan audiemus vocem velocitatis equorum eius, à voce hinnitus, &c. Ieremiæ locus exponitur de Antichristo ex ea nasciturо. 140
Ex communi Patrum consensu. 141.142.150
Exponitur alter Genes. locus 49. v. 17. *Fiat Dan coluber in via cerastes in semita mordens vngulas equi, &c.* 143
Dan catulus leonis fluet. Dan iudicabit populum suum, &c. variæ huius loci Patrum expositiones. 145
Dan vrbs in extremis Terræ sanctæ finibus posita. cuius varia nomina recensentur. 150
Ab ea Iordanis fluuius nomen accepit. ibid.

Index rerum selectiorum.

Dan Tribus cur à S. Ioanne in Apocalypsi, enumeratis Tribubus aliis, omissa? 155

Danielis hebdomades 70. à quo initium ducant. 95

An earum anni solares, an lunares. 97

Vbi terminandæ. 99

Dauidis Elroi insignis præstigiatoris historia mirabilis. 31.32

Dauid Georgius Delfis præstigiator insignis, sectæ Anabaptistarum author. 32

Huius dogmata quædam enumerantur. ibid.

Dedan regio Arabiæ desertæ. 551

Decij persecutio Antichristi aduentus timorem Christianis ingessit. 116

Deo consecrandi vnguento comparato inungendi. 10

Dei filius cur Christus dictus. 11

Deorum numerus innumerabilis à Romanis cultus. 336.337

Diis geniti quidam apud Ethnicos crediti, quos heroas vocabant. 134.& seqq.

Diabolus an humanam naturam sibi hypostaticè vnire possit. 129

Non futurus est Antichristus. 130

Diabolus an semen humanum disponere possit ad suscipiendam animam. 130

Diocletianus obscuro genere oriundus. 481

Nisi venerit Discessio *primùm & reuelatus fuerit homo peccati.* 2. Thessal. 2. vers. 3. explicatur. 489. & seqq.

Dominicani in Armenia Christianæ Fidei propagatores. 217

Dositheus Hæresiarcha, à quo & Dositheani dicti, se Christum esse prædicabat. 27

Quo tempore fuerit, & an plures eius nominis Hæresiarchæ. ibid.

Dracones olim mansueti viris & feminis in deliciis habiti. 136

Draco rufus habens capita septem & cornua decem Apocal. 12. 3. explicatur. 422

Drogium regio ab Anthropophagis habitata. 275.

E

Ecclesiæ Apostolis viuentibus & B. Mariæ Virginis erectæ. 195.196

Ecclesiæ fundamentales lapides post Christum Apostoli. 313

Ecclesia vsque ad generale dissidium firma perstabit, etsi sæpiùs concussa. 451

Cur pro Imperio Romano in die Parasceues publicè oret? 452

Editionis vulgatæ & Hebraïcæ veritatis sectatores cur inter se dissentiant. 83.& seqq.

Electores Imperij Romani à quonam instituti, & de eorum numero. 389

Elephanti in India frequentes. 295

Eorum senecta dentibus cognoscitur. 296

Ephthalitæ aliàs Hunni Orientales populi. 535

Epistolæ ad Thessalonicenses quo tempore scriptæ. 53

Epistola Lutheri ad Catharinam de Boir monialem ad nuptias præparatoria, cum responsione. 62

Equorum ornatus immodici ab Imperatoribus Romanis exordium sumpsêre. 347

Erinna Poëtria, cuius vrbis Romæ elogium soluta oratione redditum. 369

Euangelium quòd iam Apostolorum tempore in toto orbe prædicatum fuerit Patrum sententiæ exponuntur. 194.195

Item aliorum quòd prædicatum non fuerit. 197

Euangelium quòd in toto orbe fuerit prædicatum post Apostolorum ætatem, Patrum sententiæ. pag. 198. vsque ad 202

Euangelij in toto terrarum orbe prædicatio certum est Antichristi proximè aduenientis signum. 322

Euangelium Christi ab Ascensione Christi ad hæc vsque nostra tempora prædicatum fuisse probationibus generalibus constat. 235. 236. 237

Euangelium an in nouo orbe occiduo ante Coloni eius inuentionem fuerit prædicatum. 306.307

Euangelium nondum in toto simpliciter orbe prædicatum probatur. 308.309

Exponuntur illa verba Psal. 18. 5. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* 310.311. & seqq.

Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Matth. 24. v. 14. explicatur. 318. & seqq.

Euangelij in toto orbe prædicatio certum est proximè aduenientis Antichristi signum. 322. 323. & seqq.

Quod fiet vt nulla sit hominibus ignorantiæ excusatio. 325

Quod signum nos latet vt & mundi finis. 326

Eudoxia Valentiniani VIII. vxor in vltionem mariti à Maximo Tyranno interfecti Geisericum Vvandalorum regem aduocat. 360

Eumenis Magni Alexandri ducis initia obscura. 480

Eunuchus Candaces Reginæ à Philippo Apostolo baptisatus Abyssinos ad Christum conuertit. 231

F

Fauni dæmones sic appellati. 131

Filius hominis negabatur consubstantialis diuinitate cum Patre ab Arrianis hoc Scripturæ loco malè interpretato, *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi solus Pater.* Vbi multæ interpretationes huius particulæ *neque Filius* assignantur. 123.& seqq.

Finlandia ad Christi Fidem conuersio. 211

Fluentinus Episcopus Florentinus in Concilio à Paschali II. Florentiæ habito damnatus, quòd Antichristum natum assereret. 118

Fons in horto balsami vbi Christus infans à Virgine lotus. 171

Formicæ Indicæ aurum custodientes vulpibus maiores. 284

Francisci Meleti de Antichristi tempore assertio. 119

Fulbertus Carnotensis in extremis positus quid de Berengario asserit. 61

G

Gades olim rerum omnium finis vt ex vocis etymo colligere est. 278

Galatæ, seu Gallo-Græci à Gomer Iapheti filio ortum ducunt. 532

Galearum vetusta monumenta cum cornuum insignibus. 419

Index rerum selectiorum.

Galerius Armentarius ex Dracone & matre conceptus. 138
Gallieni in Christianos barbaries citò venturum Antichristum multos impulit Christianos vt crederent. 116
Galli & Volusiani persecutio S. Cyprianum & Christianos in timorem imminentis Antichristi aduentus & mundi dissolutionis adduxit. 116
Galli à candore corporis sic dicti. 534
Gazari & Circassi à S. Cyrillo & Methodio ad Christi Fidem conuersi. 211
Genserícus Vvandalorum rex Romam vastat, ab Eudoxia in mariti à Maximo Tyranno occisi vindictam, accersitus. 360.& seqq.
Generatio humana an fieri possit ex incubis & mulieribus, vel ex succubis & hominibus. 131
Genius à gignendo dictus, singulis hominibus à diis concedi in custodiam ab Ethnicis creditum. 188
Geniorum variæ apparitiones, vt Iuliani Apostatæ, M. Antonij & Octauij Cæsaris. Marci Bruti. 188
Gentes omnes an credituræ sint Euangelio ante Antichristi aduentum. 323.324
Georgia ciuitas Triphleti prope montes Caspios. 247
Germani Gomer filij. 532
Getæ & Massagetæ populi validissimi, vt Gog & Magog crediti sint. 566. 567
Gigantum impietas vnde orta, & quo tempore Gigantes extiterint. 436
Gog & Magog quænam nationes fusè tractatur lib. VI. c. XXX. toto. 562.& seqq.
De Gog & Magog verisimilior sententia explicatur. 573
Pone faciem tuam contra Gog & Magog locus Ezechielis rectè in Tartaros, seu Scythas quadrans. 580
Gomer Iapheti filius, à quo Gomarenses qui & Galatæ. 532
Item Cimbri & Germani. ibid.
Gothi de Romanis victores sub Valente Imperatore. 565
Crediti sunt Gog & Magog. ibid.
Grætes Erulorum rex cum suis ad Fidem conuersus sub Iustiniano Imperatore. 210
Groenlandiæ conuersio ad Christum. 211
Gryphes in India aurum custodientes. 285
Guacæ Peruanorum idola Christianis titibus culta. 307

H

Hæmorrhoïssa à Christo curata è Paneade oriunda de cuius domo mira referuntur. 253
Hamara & *Hamaxobij*, qui? 517
Hamsem prouincia in regno Georgiæ tenebricosa caligine obsita. 217
Hasta diuinitas apud Chæronenses sic dicta. 376
Hebdomadum septuaginta Danielis initium vbi figendum difficultas maxima. 95
Vbi terminandæ. 99
Hebenus arbor Indica. 292
Heber filius Sala à quo Hebræi. 462
Hebræi Scriptores de Antichristo. 10
Hebræorum traditio mundum sex mille tantùm annos staturum, mendacij & blasphemiæ arguitur. 102.103
Hebræi quasi Abrahæi ab Abraham. 461
Ab *Habar*, quod est *transire*, siue Heber quod *transitus*. 462
Helene, siue Selene Simonis Magi meretrix. 26
Helleniani, siue Græcienses hæretici. 24
Heliogabali impietas erga sua sacra & Vestalem virginem. 374
Henrici VIII. Angliæ regis de Romano Pontifice aduersus Lutherum elogium. 48
Herba mirabilis in statua Christo dicata. 153
Herodes Antipatris filius Antichristi præcursor. 21.22
Herodiani qui? ibid.& seqq.
Heroës & Dæmonum incubitu geniti, & quomodo id fieri possit. 133
Hesperia vnde dicta? 526
Duplex est, Hispania & Italia. 527
Hiberni à sancto Patritio ad Christi Fidem conuersi. 210
Hildegardis reuelatio de Antichristi generatione. 133
S. Hippolytus de generatione Antichristi refellitur. 128
Hircanus & Aristobulus de Imperio dissidentes à Pompeio deiecti. 465
Hispania S. Iacobi prædicatione illustrata. 203
S. Pauli. 206
Et septem aliis Episcopis ab Apostolis missis. 208
Hispania à Thubale inuenta. 521.522
Eius variæ appellationes. 523.524
Cur Hesperia dicta. 526
Sepharad olim dicta. 527
Hispania à veteribus Spania dicta. 528
Ab Hispalo, siue Hispano rege, Hispania. ibid.
A Pane Dionysi comite Pania, dein Hispania. ibid.
Aliæ eiusdem etymologiæ. 529
Homeritæ Arabiæ felicis populi Christo nomen sub Constantino Imperatore dedêre. 213
Homerus ex incubo genitus. 134
Hominum duo genera ex dæmonum incubitu nasci possunt. 132
Hungari sub Geisca Principe ad Fidem conuersi. 211
Hunni quando Fidei lumen recipêre. 210
Hyopætoria quid? 451

I

Iacobitæ etsi à Iacobo Syro hæretico nomen habeant, Sedi tamen Apostolicæ subiecti sunt. 219
Iacobi Melstinki se Christum suósque Apostolos iactitantis impostura insignes. 33
S. Iacobi Zebedæi filij in Hispaniam aduentus & prædicatio probatur. 202.203
Argumenta in contrarium diluuntur. 205
Iamnes & Mambres sepulchrum immani solitudine incluſum, & à Dæmonibus custoditum. 36
Iberes Orientis populi ex quibus veteres Hispani. 524. 525
Iberiæ inuentores. 521. Vide *Hispania*.
Iberiæ Ponticæ descriptio, eiúsque ad Fidem Christi conuersio. 530
Ibero gens ad Pontum Euxinum Christi Fidem amplectitur. 213
Ierosolyma à Pompeio Magno nullâ Iudæorum obsistentiâ capta. 465
Antichristi sedes futura. 592

Index rerum selectiorum.

Ieruſalem deſolatio quo tempore & quamdiu durauit. 93.94
Ignis ex attritu duorum lignorum elicitus. 373
Ignis Veſtalis nutritio & reparatio. ibid.
Immerini Auſtralis plagæ extremi ſub Anaſtaſio Chriſtiani facti. 214
Imperatorum Romanorum ab Auguſto ad Matthiam ſucceſſio. 389
Imperij Romani amplitudo, ſtatus, inclinatio, caſus compendiosè deſcribuntur. 386.& ſeqq.
Imperij Electores à quo, & quinam inſtituti. 389
De diuiſione Imperij in Occidentale & Orientale. 390. 391
Impoſtores quidam qui ſe Chriſtum mentiebantur enumerati. 31.32
Improbitas populorum Patribus Antiquis ſuſpicionem Antichriſti aduentus,& mundi conſummationis iniecit. 115
Explicantur eorum ſententiæ. 118
Incubi & ſuccubi an aſſumptis corporibus re ipſa congredi poſſint. 131
Exempla quædam de iis referuntur. 132
Indi interiores per Aadeſium & Frumentium Epiſcopos ad Chriſti Fidem conuerſi. 213
Indorum ritus Chriſtiano more ſuis idolis præſtiti. 307.308
Infantia & pueritia Antichriſti perditiſſima. 187. Vide *Antichriſtus*.
Ioachimi Abbatis de mundi terminatione iudicium. 118
Ioannis Leidenſis Anabaptiſtarum primipili impoſturæ. 33
Ioannes Fette & Ioannes Vvilelmus inſignes impoſtores Anabaptiſtæ. 33
Ioannes Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus ſuperbiæ à Gregorio Magno arguitur. 117
Ioannis Pariſienſis Dominicani de Antichriſti aduentu ſententia. 119
Iolla regi Alexandro à poculis, à quo & extinctus creditur Alexander. 176
Ionas in quam Tharſum fugere tentauerit. 559. 560
Iordanis fluuius ab vrbe Dan ſic dictus. 150
Iſraëlitarum anni quibus in Ægypto manſerunt expenduntur. 87.& ſeqq.
Iſraël Abrahæ nepos, à quo Hebræorum initium. 461
Italia Heſperia dicta ab Heſpero Atlantis fratre. 527
Itali, Æneadæ, Romani, olim Cethij dicti. 461
Iudæi cur dicti recutiti. 20
A Gentilium calumniis vindicantur. 21
Iudæi Chriſtianos ſe Meſsiam anticipaſſe increpantes à S. Iuliano Archiepiſcopo Toletano refelluntur. 101
Iudæi etiamnum in Babylonia falſam Principum tribus Iudæ,& ſtirpis Dauidicæ ſucceſſionem ſeruant, ex qua ſuum Meſſiam expectant. 158. 159
Iudæi in Hiſpaniam à Nabuchodonoſore tranſportati. 278
A Tito Veſpaſiani filio. 279
Ab Hadriano. ibid.
Iudæos Antichriſtum ſuſcepturos eíque credituros ex Chriſto ipſo,& Paulo probatur. 601. 602
Iudas Proditor cur Iſcariotes dictus. An ex Tribu Iſſachar, quod vocabulum mercedem ſonat. 145
An ab vrbe Carioth. 146
Iudicij diem quomodo Chriſtus neſcire dicatur, his verbis *Neque Filius* pluribus interpretationibus exponitur. 123.124.& ſeqq.
Iulianus Apoſtata quibus magiſtris impietatem hauſerit. 38
Viginti annos Chriſtianiſmum ſectatus. 39
In Clericum coaptatus. ibid.
Monaſticam vitam ſimulauit. ibid.
Adepto imperio publicè Diis fecit. ibid.
Impia eius ſacrificia, & perſecutio in Chriſtianos. ibid.
Quo artificio vſus ne Martyrij honores conſequerentur Chriſtiani. 40
Eccleſias ſpoliabat hoc ioco, vt expeditiores ad cælum forent Chriſtiani. ibid.
Militiam Chriſtianis interdicebat,& liberalium ſcientiarum eruditionem. ibid.
Item reipublicæ quamlibet adminiſtrationem. 41
Hæreticos & deſertores reuocabat ab exilio ibid.
Chriſti Cruci infenſiſſimus. ibid.
Chriſtianos per contumeliam Galilæos vocari iubebat. ibid.
In Chriſtianam Religionem ſcripſit. ibid.
Vorum eius impium in Chriſtianos. ibid.
Iuliani Apoſtatæ natura à prima adoleſcentia à S.Gregorio Nazianzeno præuiſa. 187
Ioues trecenti à Romanis culti. 336
Iouis templum cur Romæ non fuit. 369
Iupiter lapis per quem Romani iurare ſolebant. 380
Iuſiurandum Romanorum per Iouem lapidem vetuſtiſſimum. ibid.
Iuſtiniani tempore Antichriſtus venturus creditus. 117
Iuſtini I. Imperatoris ignobile genus. 481
Iuuentæ & Termini auguriorum vrbis Romæ vanitas. 380

K.

Kau vocis Hebraïcæ acceptiones variæ. 311 312
Kauam, Kolam vocum Hebraïcarum germana ſignificatio. 314
Kemath, Soleth, & ſimila in quo differunt. 346
Keren vox Hebraïca cornu ſignificans. 420
Kithim & Dodanim Iauan, ſeu Iouis filij, magnarum inſularum incolæ. 458

L

Lacus Bituminis vis mirabilis. 178
Lamiſſius Longobardorum rex è meretrice natus, vnà cum ſex fratribus vno partu editis in flumen proiectus, mirabili caſu educatus. 481
Laodice ex Apolline Seleucum Syriæ regem ſuſcepiſſe fertur. 137
Per *Lapidem* Iouem iurare vetuſtiſſimus Romanorum ritus. 380
Lapis Manalis ad pluuias ciendas. ibid.
Latini à quo ſic appellati. 461
Latrones quaſi Laterones, ſic olim vocabantur conducti milites. 473
Lazorum ad Fidem Chriſti conuerſio. 213
Leænæ cum pardis coëunt, quarum catulis ſi occurrant leones, ipſos lacerant vt adulterinos. 494

Index rerum selectiorum.

Lesem, siue *Lais*, siue *Dan* vrbs variis appellationibus eadem. 150
Liber Hispaniæ domitor, cui Pana ducem præfecit. 529
Libya vnde nomen sortitur. 504
Lubim in Scriptura quid soner. 503
Lusitanorum de nauigationibus, Vide *Nauigatio, Oceanus.*
Lutheranorum quorumdam Vvitembergæ de extremi Iudicij tempore vaticinium. 119
Lutherus à quibusdam Antichristus creditus. 60
Ex incubo dæmonio genitus. 61
Ex ipsius scriptis qualis fuerit discere est. ibid.
Eius cum Diabolo familiaritas. ibid.
Se Isaiam, Melanthonem Ieremiam iactitabat. ibid.
In sanctos Patres maledicus. ibid.
Eius Epistola ad Monialem præparatoria ad nuptias, cum responsione. 62
Ex eius hæresi centum & viginti octo sectæ prodiere. ibid.
Luthero cacodæmon insidere visus. 63
Lutherus ex incubo & ancilla in balneo conceptus. 138

M

S. *Macharius* immanem solitudinem permeat, in qua Dæmones sepulchro Iamnes & Mambres Magorum fratrum præfecti. 36.37
S. *Maclouius* Episcopus in ceti dorso cum octoginta viris Missam celebrat. 493
Magog exercitus Gog, de quo fusè disputatur. 562. & seqq.
Magog est Tartaria. 575
An progenies sit decem Tribuum Israëliticarum à Salmanassare in captiuitatem abductarum. 576
Magi Balaami vaticinio ad Christum quærendum impulsi. 139
Mahometis ortus & educatio. 54
Pro Antichristo à quibusdam habitus. 55
Eius impia deliria. ibid.& seqq.
Non fuit verus Antichristus. 59
Numerum Bestiæ *666.* Μαομέτις refert. ibid.
Nunquam se Deum, sed Dei ministrum & Prophetam prædicauit. ibid.
Makeda nomen reginæ Saba quæ ad Salomonem sapientiæ eius causâ migrauit. 546
Malipur vrbs in India vbi S. Thomæ Apostoli corpus sepultum asseruatur, multis miraculis clarum. 221.222
Mammerè Bruschij temerarium de Antichristi aduentu iudicium. 119
Mancipiorum luxus apud Romanos. 348
Manipulus militaris qui dicebatur. 464
Mantichora bestia Indica mirabilis. 417.418
Manus variæ acceptiones. 464
Mardonius Eunuchus Iuliani Apostatæ Magister. 38
Mare magnum cur dictum sit Tharsis. 558
Mare Indicum prodigiosis animantibus ferax. 491
B. Mariæ Virgini in viuis agenti Ecclesiæ exstructæ. 196.197
Martyrum, qui pro Christi nomine passi sunt Romæ, numerus per singulos anni menses digestus exponitur. pag. 337.338
Massagetæ populi robustissimi versus Austrum. 567
Mater Deûm Ops Consiuia dicta, Romæ vrbis tutelaris. 578
Mathusalem anni expenduntur iuxta LXX. interpretationem. 78.& seqq.
Mauricij tempore Antichristus proximus credebatur. 117
Maximinus Imperator ex opilione miles factus, tandem ad solium Imperij euectus. 481
Maximilianus Imperator eo nomine I. quid in Luthero conspicit, & de eo prænunciat. 61
Maximus Ephesius Philosophus Iuliani Apostatæ magister. 38
Mazaca Cappadociæ ciuitas. 516
Cæsarea dicta. 517
Memphis ab Api condita. 171
Hodie nouus Cayrus dicitur. 173
Menilech nomen filij quem ex Salomone regina Saba suscepisse fertur. 547
Merces quæ Romam vndique aduectabantur omne genere pretiosæ. 341
Merlinus Anglus ex dæmone incubo & sanctimoniali fœmina conceptus. 138
Meroë insula in qua vrbs eiusdem nominis à Cambyse constructa. 540
Mesech filius Iapheth à quo Moschi, seu Moschouitæ. 518
Metaxa quam Hispani Medexa quid? 243
Metellus ex Vestæ flagrante templo Sacra rapit, inde & luminibus orbus remansit. 373.374
Methodius Patarensium Episcopus citatus vbi & de eius scriptis, & de triplici Methodio dubium soluitur. pag. 3
Mexicanorum monumentis cõstat multis ante Coloni nauigationem sæculis Christianos illuc aduentasse & Euangelium prædicasse. 306.307
Michaëlis Stifelij pseudoprophetæ Lutherani ridiculum de extremo imminente Iudicio Rusticis quibusdam vaticinium. 119
Millenarij quid de Gog & Magog aduẽtu teneãt. 563
Misraïm vrbs in Ægypto à Benjamin Tudelensi descripta. 173
Moab nomine quidam Antichristũ intelligunt. 159
Mogor regnum Christianæ religionis lumine illustratum. 220
Monasterium Dominicanorum in Goenlandiæ insula frigidissima, iuxta quod Mons igniuomus, & fons ignitarum aquarum in huius cœnobij vtilitatem cedens. 212
Mons à Christianis iuxta Taurisium vrbem maioris Armeniæ miraculosè translatus. 215
Monstra in Indico mari stupenda. 491.492.493
Morani Sleuci quo tempore ad Fidem conuersi. 211
Moschouitæ vnde sic dicti. 518
Eorum militaris magnificentia. 519
Mosoch Cappadoces à quibus vrbs *Mazaca* dicta. 516
Mosul regnum multis Christianis refertum. 215
Mulier amicta sole & luna sub pedibus eius, locus Apocal. 12. 3. variè interpretatus. 422.423
Mulier sedens super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiæ, &c. locus Apocalyps. 17. abstrusissimus elucidatur. 433
An sit Roma Ethnica. 434
An Nero Romanus Imperator. 435
An septem capita illius bestiæ sint septem præcipua orbis Imperia, seu Monarchiæ Assyriorum, Medorum, &c. ibid.
Mundum sex mille annis solùm duraturum Hebraïca traditio falsitatis conuincitur. 102.103
Id plerique Patres sensisse videntur. ibid.& 104
Eorum & Hebræorum sententiæ iudicium. 105
Audaces variæ sententiæ de duratione mundi. 106.107.108

Index rerum selectiorum.

Mundi de consummatione ineptæ quædam assertiones. 118. 119
Mundi consummationis signum est Euangelium in toto orbe prædicatum, ex Patrum traditione. 322.
Mundi ætates, prima ab Adam ad Noë. 436
Mundi ætas secunda à diluuio ad Abraham. ibid.
Tertia ab Abraham ad Dauid. 437
Quarta à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonicam. ibid.
Quinta, à Transmigratione illa vsque ad aduentum Christi. ibid.
Sexta ab ortu Christi ad Antichristum vsque. ibid.
Septima Antichristi regno. ibid.
Mysterium iniquitatis an de Nerone futuro Antichristo intelligendum. 51. 53. & seqq.

N

Nabuchodonosoris in Hispaniam aduentus. 278
Nabuchodonosoris visio grandis statuæ à Daniele exposita. 412
Narsetis in Persas victoria. 536
Natalis Christi ab Ecclesia in Martyrologio consignatus ab Eusebio & Scaligero arguitur. 65
Nauigatio Oceanis Meridionalis. 265
Nauigatio ab India ad sinum Arabicum. 266
Ab Ægypto & sinu Arabico in Indiam. ibid.
Ab eodem sinu in insulam Taprobanem. ibid.
Ab India ad Gades & Hispaniam. ibid.
Ab Hispania in Æthiopiam, Arabiam, Indiam, Sinarum regionem, Iaponium vsque ad Eoum Oceanum. 267
Nauigatio borealis Oceani. ibid.
Per Sarmaticum & Scythicum mare ad Sinas. 268
Nauigatio in Ophir triennalis expenditur. 304
Cur olim difficiles Nauigationes. 305
Nauigiorum in Sinarum regno tam maritimorum, quàm fluuiatilium mirabilis copia. 249
Naues Tharsis, locus 3. Reg. 10. 22. explicatur. 286. 287
Naues de manu Chittim vaticinium Balaami Num. 25. v. 24. cuius variæ explanationes dantur. 463.
Nazareth Galilææ ciuitas vbi Christus conceptus & educatus. 191
Cur illic credatur educandus Antichristus. ibid.
Nearchus insignis nauta in Indico mari, eiúsque de monstris marinis relatio. 492
Neardea, siue Naarda vrbs à Iudæis ad Euphratis ripam condita, quæ Hebraicè fluuium scientiæ sonat. 158
Nectanabus Rex Ægyptius, magus se in Iouis Ammonis effigiem transformans ex Olympiade Alexandrum Magnum adulterino concubitu suscepit. 136
Nemrod gigas primus Babylonis conditor & turris prodigiosæ inuentor. 170
Primus Babylone tyrannidem occupauit, turrimque exstruxit. 471
Alios & fortitudine & corporis mole superans, ibid.
Cur venator dictus. 472
Cur latro. 473
Nemrod an idem qui Belus, Ninus, Saturnus. 474
Neronem Antichristum futurum qui crediderint. 48
Quique eum nondum mortuum ad extrema tempora seruari. ibid.
Seueri Sulpitij assertio Neronem iterum Antichristi temporibus regnaturum. 49
Neronis mors ex Suetonio & aliis Historicis confirmatur. ibid.
Sibi ipsi violentas intulit manus. 50
Vnde rumor eum non mortuum, explicatur. ibid.
Et cur Antichristus creditus. 57
Mysterium iam operatur iniquitatis, 2. Thess. 2. an de Nerone futuro Antichristo intelligendum. 51
Nero lutum sanguine maceratum vocatur à Præceptore. 187
Neronis immanes luxus. 345
Nero primus Ecclesiæ persecutor & primus regni Antichristi typus. 438
Nestoriani Orientales licèt à Nestorio Hæresiarcha nomen sortiantur, sedi tamen Romanæ subditi sunt. 219
Nicetas Episcopus Scythas, Dacos, Getas ad Fidem conuertit. 209
Nicolai Cusani de Antichristi aduentu relatio. 119
Nicotelia Aristomenis Messenij ex Genio sub Draconis forma parens. 135
Nisibe vrbs à Iudæis condita, vbi sacrarum Literarum Scholæ frequentatæ. 158
Nobatæ Africæ populi etiam Christiana Fide imbuti. 229
Noëga, & Noëla vrbes in Hispania à Noëmo, & Tubale conditæ. 523
Numa Pompilius quam Pontificibus maximis Romanis potestatem & officium assignarit. 385
Numerus denarius vniuersitatis & plenitudinis numerus est. 445
Terminus & finis omnis supputationis. 446
Numinum euocatio in oppugnatione vrbis Romæ. 377

O

Oceani de nauigatione veterum sententia. 265
Ocrisia Seruij Tullij prodigioso conceptu mater. 135
Octauij ad Antiochum à Romanis legatio attingitur. 469
Odoacer Romam deuastat. 363
Olenus Calenus Hetruriæ Vates celeberrimus. 381
Oleum corporeum quo Sacerdotes, vel Reges vnguntur, diuinæ misericordiæ symbolum. 10. 11.
Olympias Alexandri Magni mater ex Dracone eum suscepisse credita. 136
Vel potiùs ex Nectanabo mago in Iouis Ammonis effigiem transformato. ibid.
Olympias insignis venefica à qua & multi extincti. 176
Ophir terra in Scripturam celebris an sit aliqua noui orbis Colonij regio. 282
An sit ipsum Peru. ibid.
Ophir prouincia Indiæ Orientalis ab vno de posteris Heber sic dicta. 284. 298
A quibusdam Sophir. 299
De Ophir Scriptura sacra quid sentiat. 285
Salomon illuc nauigationem instituit. 286
Ophir diuitiæ enumerantur. 289. 290
Ophiricæ Salomonis nauigationis vestigia quædam narrantur. 300
Ops Consiuia tutelaris Romæ credita. 378
Opus tuum in medio annorum, viuifica illud, &c. exponitur. 108. 109
Orbis noui detectio & inuentio Columbi artis nauigationis peritissimo Liguri debetur, de qua multa

multa de variis historicis scitu digna referuntur. 299.& seqq.
Orbis noui an aliquam habuerint notitiam veteres. 271
Abdiæ vaticinium de orbe nouo exponitur. 276
Orbis noui Occidui gentes an ex decem Tribubus Israëliticis vt plurimum propagatæ. 281
Orbis nouus ante Coloni eius apertionem à Christianis frequentatus. 306.307
Ornatus mulierum Romanarum. 339.340
Origenis de Angelorum incarnatione opinio refertur. 129
Orthodoxi olim dicebantur Romani ex quacumque prouincia essent. 386
Othomanus agratiis parentibus natus, imperium suo nomine Othomanicum dictum primus auspicatur. 482
Ottel quid sonet in Scriptura. 598

P

Palladium quid & ex quo confectum vt Imperij omen esset. 374
In Vestæ fano asseruatum. ibid.
Paneades vrbs è qua Iordanis originem desumit. 151
De ea varia ex Patribus. ibid.
Eadem est quæ Cæsarea Philippi. ibid.
A Panis statua ibi culta nomen habuit. 152
Illic mira in domo Hæmorrhoissæ à Christo curatæ visuntur. 153
Panes Dæmones incubi sic dicti. 131
Pantheræ proprietates quædam. 494
In Hircania numerosæ. ibid.
Improbi hominis mores referunt. 495
Pardalis qua arte simias sibi insultantes venatur. 495
Pardalis piscis in mari rubro. 496
Pardus & Pardalis eorúmque natura. 494
Cur Pardo Antichristus assimilatur. 495
Patrum sententiæ Antichristum imminentem prænunciantes conciliantur. 118. Vide *Antichristus.*
Paulum in Hispania prædicasse ex Patribus probatur. 206. 207
Pauones Indici omnium maximi. 297
Pegu regnum quod propriè est Ophir, ditissimum. 301
Thesaurus regis Pegu. 302
Persarum Imperium quo tempore à Mahometanis euersum. 179
Persæ Antichristi vexilla sequentur. 532
Persecutionum atrocitas mundi consummationem proximam esse,& Antichristi regnum, Patres antiquos in timorem adduxit, vt Aurelij Imperatoris tempore. 115
Septimij Seueri. ibid.
Decij. 116
Galli & Volusiani. ibid.
Gallieni. ibid.
Valentis Imp. Ariani. ibid. Aliorum. 117.& seq.
Persis Christianæ Fidei amantissima quod testantur plurimi ex iis Martyres. 212
Pertinacis Imperatoris obscurum genus. 480
Peru nominis etymologia. 305
Peruaim terra ex qua aurum optimum. 282
Peru, seu Piru an idem sit quod Ophir. 283
Peruani Guacas suos quibus ritibus venerãtur. 307
Tribus statuis similibus solem colunt. ibid.
Peruani publicas supplicationes, confessionem, & alias Christianorum ceremonias falso ritu instituunt. 308
Petri Alexandrini de Arij Hæresiarchæ impietate reuelatio. 42
Petri Aliacensis de Antichristi aduentu iudiciũ. 119
B. Petri viui templum à Senonibus ipso viuente erectum. 195
Petrus Apostolus sacellum B. Virgini adhuc viuenti consecrat. 196
S. Petrus vnde dictus Cephas. 379
Phantasmata diabolica homines vtriusque sexus deludentia. 130.131
Phocæ æuo Antichristi imminentis rumor percrebruit. 117
Phœnicis vita quingentorum annorum. 107
Phœnices vltra columnas Herculis in Atlantida insulam nauigasse ex Aristotele constat. 273
Phryges à quo initium sumpsêre. 534
Pici Mirandulani de Antichristi tempore iudicium. 119
Plato ab Appolline genitus, etsi Aristonis filius credatur. 135
Platonis de Atlantide relatio ad nouum orbem spectat. 272
Pluuiæ cinerum in Vesuuio monte Bizantium vsque delatæ. 115
Poloni cum rege Boleslao ad Fidem conuersi. 211
Polychronius Babylonis Episcopus. 179
Pompeij Magni in Asia triumphus. 465
Pontificem, siue Pontificatum Romanum non futurum Antichristum, nec Antichristi præcursorem fusè probatur, lib. 1. c. 20. pag. 44.45
Vt eum primum omnium Ecclesiæ caput,& summum Præsulem agnouerit totus orbis. 46.47
Pontificum Maximorum à Numa Pompilio Romæ institutorum auctoritas, & elogia præclara. 385
A ponte dicti. ibid.
C. *Popilij* à Senatu Romano ad Antiochum legatio. 467
Poppeæ Neronis coniugis balneæ ex lacte asinino. 347
Prædicatio Euangelij, in toto orbe signum est imminentis Antichristi. 332. Vide *Euangelium.*
Presbyteri Ioannis regnum olim Christianum. 226
Euersum à Tartarorum Imperatore. ibid.
Prettegiani, vel *Prette-Giani* vox valdè corrupta, quid sonet? 233
Probi Imperatoris obscurum genus. 481
Prophetarum mos est excurrere, ac susceptæ historiæ seriem interrumpere. 185
Aliquando nudè, & absque allegoria loqui. 186. 484
Pseudo-Christorum exempla horrenda. 32.33
Pseudo-Nerones tres variis temporibus extitere. 50
Psittaci Indici laudatiores. 297

Q

Quadriga figlina in fornacem immissa in immensam molem excrescit, quídque portentum istud indicet? 382
Quadriga signum administrationis & imperij. ibid.
Quæstio Christianis Orthodoxis de Thyanei falsis miraculis facta soluitur. 38. Vide *Appollonius.*

R

Rabbanus de Antichristi generatione quid sentiat. 331

Index rerum selectiorum.

Rana impudentiæ symbolum. 583
Reges decem à S. Ioanne in Apocalypsi præuisi Romam, seu Babylonem desolantes, qui? 366
Sunt Senatores Romani, quibus Regis nomen olim inuisum & execrabile. 368
Reges decem circa finem mundi venturos, qui Romanum Imperium euertent, quos Antichristus partim delebit, partim sibi subiiciet, veterum & Recentiorum Patrum traditio. 408. & seqq.
Vaticinium Danielis de decem illis Regibus in orbe futuris quum veniet Antichristus. 412. 413.415
Reges decem à Ioan. Apocal. 17. descripti enumerantur. 441.& seqq.
Qua ratione intelligenda sit Scriptura & Patres de hac assertione. 445
Reges tres, scilicet Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ quos initio regni debellaturus est Antichristus, Danielis vaticinio exponuntur. 497.498. & seqq.
Remus, ac Romulus ex Vestali, & Marte, seu potiùs incubo geniti. 134
Reuelationes de generatione Antichristi. 133
Rhodij vnde sic dicti. 460
Rhoilus Scytharum dux cum exercitu suo de cælo tactus. 566
Roma figuratè Babylon dicta. 173.174
Romam, qui Apocalypsis Babylonem censuerint. 333.334
Non nisi in Romam Ethnicam id cadere potest. 336.337
Roma Martyrum sanguine ebria, quos ordine mensium enumeratos accipe. pag. 337. & seqq.
Roma gentilis regno Diaboli præsidet, nomine bestiæ coccineæ. 339
Eius fastus ex multis auctoribus refertur. ibid. & 340
Romam vltimis temporibus à Fide defecturam & Pontifice suo, in pristinum statum redituram, & demum incendio & perenni excidio periturum qui ex Recentioribus crediderint. 348
Quibus argumentis id probatur. 349
Auctores huius opinionis, de eaque iudicium. 350.351
Quomodo intelligi potest sedem & thronum ab ea posse transferri. 352.353
Oracula quædam Apocalypsis exponuntur de excidio eius, sub nomine Babylonis, tempore Alarici, Geiserici, & aliorum regum barbarorum. 353
Romæ status à Constantino ad Honorium. 355. 356
Clades eius variæ ab Alarico, à peste & fame. 357.& seqq.
Romæ ingratitudo & irrepisipiscentia post tot clades immissas. 360
A Geiserico iterum deuastata. ibid.
Roma ab Odoacre euersa. 363
A Totila. 364.365
Romæ de æternitate quid crediderint Ethnici. 369.& seqq.
Roma quandiu ex vocis ῥώμη chronologia statura. 375
Quid Hebraïcè sonet. ibid.
Romæ Deum scrutari másne an fœmina esset, interdictum à Romanis. 377
Sorani curiositas ob id mala morte punita. ibid.
Romæ in fundamentis caput recèns cæsum inuentum, quid portenderet. 381
Romæ elogia quædam ex celeberrimis auctoribus referuntur. 383
Romæ templum Cæsareæ extructum, in qua eius simulachrum ad instar Iunonis Argiuæ. 384
Romæ antiquæ & Ethnicæ elogia quam probè Christianæ competant. 385
Roma quando facta iuris Romanorũ Pontificũ. 401
Romani Imperij magnitudo, amplitudo, status inclinatio, casus breuiter descripti. 386.& seqq.
Romanum Imperiũ ad empora vsque Antichristi permansurũ, Patrũ consensus. 293.401.& seqq.
Cur preces solemnes pro Imperij Romani incolumitate fundantur, quamuis Imperator gentiliter viueret. 395
Romanum Imperium à decem Regibus in fine sæculi destruendum, Patrũ traditio. 408.& seqq.
An veniat sub appellatione bestiæ, Apocalyp. 13.& 17. ibid.
Romanum Imperium regni Antichristi typus. 438. 439
Romani omnium gentium deos recipiebant, vt quidam triginta millia crediderint. 336
Romanos ad Indos nauigasse ex numismate argenteo illic reperto constat. 275
Romani nominis appellatione Christiani olim omnes venibant. 380
Romulus ex Syluia & Marte, siue potiùs incubo progenitus. 134
Romuli conceptus prodigiosus ex Plutarcho recensetur. 135
Romulus à virium magnitudine sic dictus. 376
Romuli visum Proculo Iulio Romæ nobilitatem indicans. 381
Russi, seu *Rutheni* quo tempore Christi Fidem susceperunt. 210

S

Saba duplex Æthiopica, & Arabiæ felicis. 540
Saba Regina ad Salomonem veniens. 543
An ex eo susceperit. 545
Qua magnificentia ab eo excepta, & dimissa. 546
S. Sabinianus Petro Apostolo adhuc viuenti Ecclesiam struit. 196
Salomonis nauigatio in Tharsis exponitur. 288
Eadem est quæ in Ophir. ibid.
Quid inde adueheret. 289
Salutare tuum expectabo Domine. Variæ huius loci interpretationes, 148.149
Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta, locus 1. Petri 5. 13. explicatur. 173
Samarcha prouincia magno Cham Tartarorum tributaria, in qua Christiani plurimi. 215
Samson de Tribu Dan nasciturus prænunciatur, quod & Antichristo conuenit. 148.149
Sanctimonialis cuiusdam dæmoniacæ curatio mirabilis. 131
Sandrochottus obscuro genere natus Alexandro mortuo in India regnauit. 480
Saraceni sub Valente Imp. Christo credidêre. 214
Sarmathæ & Gothi quando Christianæ Fidei lumine illustrati. 209
Satyri in mulieres lasciuientis historia. 132
Scaliger carpitur. 27.65
Scipio Africanus Ioue Capitolino genitus habitus est. 137
Scoti à Palladio ad Fidem conuersi. 216
Scriptores de Antichristo Græci numerantur. pag. 2

La

Index rerum selectiorum.

Latini 4
Recentiores. 7
Hebræi. 10
Scythæ, Daci & Getæ ad Fidem per S. Nicetam conuersi. 209
Scythæ & Tartari sub Gog & Magog appellatione veniunt. 580
Scythiæ amplitudo. 574
Scythopoleos situs. 164
Seba & *Sceba* quî differant. 541.542
Seleucia à Seleuco Nicanore exhausta Babylone condita. 177
Seleucus Syriæ rex ex Laodice & Apolline progenitus. 137
Semiramis quo sumptu & magnificentia Babylonem condit. 166.167.168
Sennaar vocis etymologia. 475
Est campus in Persica regione situs. ibid.
Serones B. Petro in viuis agenti Ecclesiam erexerunt. 195
Sepharad vox Assyriaca in Hispaniam cadit. 277
Sephiphon vocis acceptiones variæ, & etymologiæ. 143.144.
Septimij Seueri persecutio Antichristi aduentus metum quibusdam Patribus iniecit. 115
Septimontium dies festus à Romanis celebratus. 335
Cur institutus. ibid.
Septuaginta Interpretes quantum discrepent in ratione annorum ab orbe condito ad Diluuium ab Hebraïca veritate & vulgata Latina editione. 68.69
Quantum à Diluuio ad ortum Abrahæ. 70
Septuaginta Interpr. authoritas magni olim habita in Ecclesia. 74
Eorum Editio in multis quondam, & nunc etiam deprauata. 75
Vt in computo annorum ab orbe condito ad Diluuium, & à Diluuio ad Abrahamum. 77 & seqq.
Quando orta est ea deprauatio. 82. & seqq.
Serapidis templum quo tempore combustum. 82
Seres quomodo olim parabantur. 341
Seres gens etiam vbi sericum nascitur. 342
Sericum veterum an idem sit quod nos *Sedam*, aut *Setam* vocamus. 243
Sericum quid sonet in vulgata editione. ibid.
Seruij Tullij Romanorum regis prodigiosus conceptus. 135
Sibyllarum oracula octo libris conscripta laudantur, vbi & de pseudosibyllinis agitur. pag. 8. 9
Sibyllini libri Romæ diligenti custodia asseruati. 374
Fatales erant vrbis & Imperij. 375
Siluani Dæmoniorum incuborum species. 131
Siluia, siue Ilia Romuli & Remi ex incubo Martis nomine parens. 134
Simiæ Salomoni ex Ophir aduectæ. 296
Similago, Kemath, Pollen, in quo differunt. 346
Simoni Mago statua à Tiberio erecta, cum hac inscriptione *Simoni Deo sancto*. 25
Omnis hæreseos auctor & inuentor dictus. ibid.
Samaritanus erat, de quo quid senserint Patres refertur. 26
Sinarum regnum à veteribus Geographis cognitum. 237.238.239
An in eo prædicatum sit Euangelium ante annum Domini MD. ibid.
Ab Apostolo Thoma ad Fidem conuersi. 240
Eorum conuersioni quid obsistat. 242
Isaiæ vaticinium de Sinarum conuersione aliquando futura, c. 11. v. 11. exponitur, *Et erit in die illa. Adiiciet Dominus secundò manum suam, &c.* 243
Aliud quoque cap. 18. v. 1. *Væ terræ cymbalo alarũ, &c.* 245. & seqq. & c. xix. lib. iv. toto. p. 248
Solis tres statuæ similes à Peruanis cultæ. 307
Somatra Indiæ Orientalis insula fœcundissima & nobilissima. 302
Alio nomine dicta Aurea Chersonesus. ibid.
Sotades impurus Poëta quem Arius Hæresiarcha imitatus. 43
In vinculis intabuit. ibid.
Statua ænea in Paneade ab Hæmorrhoïssa Christo exstructa mirabilis. 153
Statua aurea in Cuzco Peruana ab Hispanis inuenta Christianos illic multis ante Coloni nauigationem sæculis habitasse fidem facit. 307
Statua mirabilis à Babylonio rege visa, à Daniele explicatur. 412
Quomodo ad doctrinam de Antichristo faciat. 413. 414
Stella Magorum à Balaamo vaticinata. 139
Stellæ & virgæ nomine intelligitur Dauid ex Hebræis. ibid.
Vbi exponitur locus ille Scripturæ dicitur stella ex Iacob, &c. 140
Succisyx fons ex quo præsentissimum virus emanat. 176
Eo Alexander Magnus extinctus. ibid.
Mularum vngulas perrodere non potest. ibid.
Succuborum an congressus sit naturalis. 131
Quædam de iis exempla referuntur. 132
Syriæ appellationes variæ. 163
Syriæ regnum à Pompeio Magno subactum, & in prouinciam redactum. 464

T.

Tamerlanes ex equorum Pastor latro, & deinde Imperator factus. 482
Tamerlanes Barbarorum Imperator Bajazetis domitor. 574
Tanais habitatores sub Iustiniano ad Fidem conuersi. 213
Tanaguil artis diuinandi perita. 135
Tarsæ regnum regno Catay finitimum, in quo Christiani. 218
Tarsus à Sardanapalo cõdita in qua & sepultus. 556
Quid de ea sentiat Auctor huius operis. 556
Tarsus mare designat in Scriptura. 557.559
Tartarorum initium. 574
Tartari an sint progenies decem Tribuum Israël à Salmanassare in captiuitatem abductarum. 576.577
Tarteßus in Hispania an sit eadem quæ Tharsis. 554.555
Taugast vrbs ab Alexandro condita. 537
Taurisium Armeniæ maioris vrbs nobilissima in qua Christiani plurimi. 215
Telephus Herculis filius Cethios Latinos appellauit. 461
Templum Salomonicum quandiu stetit. 92
Templum Iouis Beli in Babylone Assyriaca describitur. 166
Templa B. Virgini, & Apostolis viuentibus dicata. 196
Terminus Deus sic dictus, cui non nisi sub dio sacrificabatur. 369
Ioui noluit cedere. ibid.

Dictus

Index rerum selectiorum.

Dictus est Iupiter seruator, quem Saturnus deuorare non potuit. 372
Terminus Deus æternitatis & immobilitatis, vrbis Romæ augurium. 380
Huius vanitatem demonstrat S. Augustinus. ibid.
Thaleia liber ab Ario Hæresiarcha eo nomine conscriptus. 43
Tharsis vox admodum in Scripturis controuersa elucidatur. 551.552.553
An alicubi in Scriptura sit Hispania. 554
Thasirs quæ, & quid de ea sentiant Patres. 287
De Salomonica illuc nauigatione. 288
Tharsis vocabuli etymologia. 558
Quænam illa sit Tharsis in quam fugere tentauit Ionas. 559. & seqq.
Thorgorma quibus populis initium dederit. 534
S. Thomas Aquinas an de Antichristo scripserit, an ipsi aliquid falsò adscribatur. 10
Thomas Apostolus in Orientali India diuinæ Legis præco. 220
Eius corpus in prouincia Maabar asseruatur. ibid.
In vrbe Malipur miraculis clarum. 224
Thubal Iapheti filius à quo Iberi, & Hispani. 521
Eius in Hispaniam aduentus. 522
Italos condidit. 531
Thyaneus, Vide *Apollonius*.
Thyina ligna in Scriptura sub vocibus Almughim, & Algumim explicantur. 291.292
Thyon, vel *Thyion*, vel Thyan arboris odoratæ genus. 293.294
Tiberij Cæsaris pueritia de ipso iudicium præbuit. 187
Caligulæ pueritia probrosa. ibid.
Totila Romam immani clade deuastat. 364.365
Pelagij precibus flectitur, & à cæde temperat. ibid.
Traiani Imperatoris expeditiones in Oriente. 465
Translatio LXX. interpretum & editio vulgata defenditur. 314
Trinitatis mysterium antiqua maiorum traditione ab Indis prouinciæ Chiapa adoratur. 307
Triton in Lusitania Tiberij Imperatoris æuo conspectus concha canens. 491
Tulli Hostilij tertij Romanorum regis genus obscurum. 479
Turcarum origo expenditur. 535. & seqq.
Tyridates Armeniæ rex Fidem Christianam amplectitur diuina visione præmonitus. 212
Tzani populi Armeniis proximi ad Fidem conuersi. 213
Tzebi vox Hebraïca, iucundum, decorum, egregium sonans, eius radix à Syriaco Tzabah. 514
Peculiare est Terræ Iudææ epitheton. 597
Tzim, vel Tziim in Scriptura quid sonent. 454
Huius vocis etymologia expenditur. 455
456

V

Valentis Imperatoris persecutio timorem Antichristi citò venturi multis ingessit. 116
Valens Imp. à Gothis deuictus & combustus. 565
Valentinianus, in Campo Martio dolis Maximi Patritij perimitur. 360. & seqq.
Valerius Soranus ob publicatum Romæ Deum tutelarem malè periit. 377
Vandali & Lechitæ sub Ioanne XIII. Christi Fidem sequuntur. 211
Vasa papyri quid sonent apud Isaïam. 253
Vasorum luxus apud Romanos. 344
Vertigo quale morbi genus. 603
Vesuuij montis conflagratio sub Tito & Vespasiano de fine mundi metum iniicit. 113
Alia eiusdem sub Theodorico rege. 114
Vesta in æde perpetuus ignis asseruabatur à virginibus, quarum incuria si extinctus fuisset publicè flagris afficiebantur à Pontifice. 373
S. Victorini Martyris Commentarius in Apocalypsim laudatur, vbi & de duplici Victorino controuersia soluitur. pag. 10
S. Vincentij Ferrerij de Antichristi aduentu & sæculi fine sententia mirabilis. 108.119.120
A S. Antonino à calumnia vindicatur. ibid.
Virgilij Salisburgensis & Bonifacij Moguntini Episcoporum de Antipodibus contentio à Zacharia Papa sedata. 265
Viriatus Lusitanus ex Pastore venator, ex venatore latro, dein exercitus præfectus, in Hispania regnat. 480
Visio lamentabilis Antonij magni de malis Arrianæ hæreseos. 43.44
Vnguentorum luxus apud Romanos. 345
Vrsi natura, partus & proprietates referuntur. 496
Vrsi pedes cur Antichristo tribuantur. ibid.

X

Xenophon præstigiator. 30

Z

Zacharias Papa Virgilij Episcopi de Antipodibus sententiam quam damnarat, examinandam tradit. 265
Zæylon ditissima & ampliss ima Indiæ Orientalis regio. 303
Zenonis Philosophi ex insula Cethim ortus. 459
Zephala Indiæ pars an idem sit quod Peru. 283
Auro fertilissima. ibid. & 284
Zonarum quinque descriptio ex Poëtis veteribus. 259
Zona rigens Aquilonaris habitatur. 260
Zona temperata noui orbis. 262
Zona torrida veteris & noui orbis habitabilis. ibid.
Zorzania Armeniæ maiori adiacens Christum Græco ritu veneratur. 215

FINIS.

BORIA

Signat. Top.
Est. 31
Tab. 7a
Num. 1

MALVENI DE Antí Chriſto . 1 .

2714
2700